De varia conditione & ſtatu Eccleſiæ Dei
ſub Triplici

OECONOMIA;

PATRIARCHARUM,

AC

TESTAMENTI

VETERIS, & denique NOVI:

AUCTORE

WILHELMO MOMMA, Hamburgenſe.

TOMUS SECUNDUS.

Editio Secunda, Priori auctior & emendatior.



AMSTELODAMI,
Apud Viduam JOANNIS à SOMEREN.
M DC LXXXIII.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Amice Lector.



Nte annum in lucem emisimus libros duos de statu & conditione Ecclesiæ, quæ ante Christi in carne manifestationem in terra militavit. Promisimus tunc librum tertium, qui de Ecclesia, quæ post Christum collecta est, plenius ageret. Illum nunc exhibemus; non autem integrum, sed mediâ tantùm sui parte; unum enim volumen omnia, quæ occurrerunt, capere non potuit. Inde factum, ut librum hunc tertium in duos divisetimus tomos, quorum prior nunc prodit: posterior, ubi Deo T. O. M. placuerit, prodibit. Jam verò operæ pretium videtur, ut paucis voluminis hujus, quod ordine secundum est, argumentum enarremus.

Johannes Baptista cœpit primus de appropinquante *Regno cœlorum & baptismo resipiscentiæ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν* præconiari. Igitur quæ de hoc Johanne, illius ortu, vita, ministerio, rebus gestis, in sacris prodita sunt, initio venerunt in considerationem.

Johannem excepit Jesus Christus, Mediator & Sacerdos Novi Testamenti, in quo Ecclesia Novi Testamenti ædificata, & per cujus sanguinem acquisita est. De hoc Jesu pluribus agendum fuit. Quia enim in agnitione illius est justitia & vita æterna; in Nomine ejus salus, & in illo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ, & per illum adducta est omnis gloria Israël, & consummatio omnium, utique doctrina de Jesu Christo, ut firmissimum fundamentum & radix omnis salutaris scientiæ debuit antecedere, nec leviter, sed plenè & planè pertractari. In Novi Fœderis tabulis quatuor Euangelistæ de uno & solo Christo agunt. Paulus *minister Novi Testamenti*, 2 Cor. 3:6. *nil judicavit scire*, nedum scribere, *nisi Jesum Christum*. 1 Cor. 2:2. Igitur & nos judicavimus, frustra fore operam nostram in describendo Novo Testamento, & Ecclesia illius, nisi ante de Christo Jesu, Mediatore illius, Fundatore & Initiatore egissêmus. Id autem ut ordine fieret, sine quo omnis institutio frustra est, nec radices figere apta, in quinque omne, quod de Christo traditum est, & ad salutem sciendum ac credendum, divisimus capita.

Horum *primum* agit de Christi æterna *divinitate*; sine cujus fide doctrina de justitia, redemtione, reconciliatione cum Deo, sufficientia Mediatoris Dei & hominum firma haut est. Neque enim constabit, quomodo Deus nostra sit *justitia*, nostra *salus*, noster *Redemtor*, nisi constet omninò, Jesum Christum esse verum & *magnum Deum*, è Deo Deum, è Luce Lucem. Neque etiam Divinitas Christi inter illas res numerari debet, quæ salvâ salute possunt ignorari, aut de quibus citra præjudicium salutis potest dubitari; Nisi enim firmissimè credas, Jesum Christum, qui in mundum venit, esse *unum*

cum Deo, ejusdem essentiæ & gloriæ, nulla tibi in salute æterna pars, nulla communio erit. Hæc autem divinitas cum innumeris argumentis è sacris demonstrari possit, nobis satis fuit, illa examinare argumenta, quæ Divus Johannes hanc in rem in initio Euangelii sui enarravit; quæ & singula recitavimus, & simplici commentatione explanavimus, & à corruptelis hæreticorum vindicavimus.

Secundum agit de admiranda Christi, æterni Dei, *incarnatione*; quæ etiam ad salutem credenda est. Qui enim ignorat, Deum carnem factum, hominum ὁμοίωμα assumsisse, conceptum, natum, κατὰ πάντα humano generi assimilatum, adeoque hominem extitisse, certè is nec sanguinem purgationis, nec mortem reconciliationis, nec lytrum redemtionis, nec implementum legis, nec adductionem justitiæ, nec peccati expiationem, nec Mediatoris intercessionem agnoscere, credere, aut ulla sibi ratione promittere potest. In hac igitur salutari doctrina benè & clarè tradenda, ita Scriptura duce, progressi sumus. Gabrielis ad Mariam legationem, nuncium, sermones; Mariæ iter ad Elisabetham, actaque illas inter; Josephi consilium de dimittenda gravida Virgine, Monitionem Angelicam, ne id faceret, & sanctam obedientiam, ac castam cohabitationem, Mariæque perpetuam virginitatem enarravimus & docuimus. Edictum Cæsaris Augusti, Josephi & Mariæ iter Betleemiticum, Mariæ partum; illaque occasione mysterium conceptionis, per potentiam Spiritus, sine peccato & inquinatione ejus, quod è Peccatrice conceptum est, & nativitatem Magni Dei, & quæ cum illis conjuncta, paulo fusiùs exposuimus. Inde progressi ad ea, quæ post natum Jesum evenerunt, consideravimus. Canticum cœlestis exercitus, Christi circumcisionem, Nomen in circumcisione impositum, Magorum ex Oriente post visam stellam adventum, munera, adorationem; Mariæ purificationem, Simeonis Canticum, & vaticinia; Fugam Jesu in Ægyptum, Cædem Puerorum in Betleem, Reditum Jesu ex Ægypto in Galilæam, illiusque habitationem & educationem in Nazareth, &c. Postmodum Christi acta puerilia, modum rationemque vivendi, ad trigesimum usque ætatis annum, ad quem usque intra domesticos quasi delituit parietes; Genealogiam denique illius, à Matthæo & Luca diversimodè descriptam paucis explicuimus. In hac tractatione occurrerunt complura Prophetarum oracula, in historia Euangelica passim citata. Nam Immanuelem nasciturum è Virgine, scripsit *Esaias*; proditurum è Betleem, *Michæas*; abiturum in Ægyptum, *Hoseas*; cædendos pueros Betleemiticos, *Jeremias*; habitaturum in Nazareth, *Esaias*, imò nec obscurè *Zacharias*. Hæc silendo prætetire, nec commentatione aliquali illustrare, piaculum nobis fuit.

Tertium caput Christum in publicum prodeuntem, & officii suscepti munia exsequentem exhibet, initio facto à *baptismo* Christi, & *tentatione* in deserto. Ibi omne id, quod Christus egit, ad dies Passionis usque, ad certos retulimus articulos. Prior agit de Christi *doctrina*. Secundus de Christi *miraculis*. Tertius de Christi novis *institutis*. Quartus de Christi *discipulis*. Quintus de variis Christi *Actionibus*. Ibi videbis Christum Dæmonibus permittentem intrare in sues & suffocare, citra injustitiam; ambulantem super mare, citra temeritatem; renuentem *bonum* dici, citra mendacium; flagello vendentes columbas & boves ejicientem è templo, citra levitatem; Ficum, folia, non fructus habentem, quia nondum erat tempus, execrantem, citra imprudentiam; Matrem severius increpantem, citra irreverentiam; & plura talia. Imò & videbis gloriosa Christi eventa, *transformationem* ejus in monte; *introitum* solennem in Hierosolymam; *vocem* de cœlo sæpius ipsi factam, &c. Denique videbis de-

scriptam

scriptam totam vitæ rationem, quâ in terra usus Dominus; & hominum de illo judicia & sententias, imò & causas ἀπιςίας multorum, &c.

Quartum Christum describit παθητόν. Ibi de consilio *Caiphæ*; de *Juda* proditore, de comeso in ipsâ proditionis nocte *Paschate*, de *tempore* comesi Paschatis, in quo definiendo Euangelistæ videntur variare, de *sermonibus* Christi in cœna Paschali actum est. Inde Christus exiit in *montem olearum*, ubi Passio ejus incepit. Cœpit enim ibi *tristari*, *angi*, *expavescere*, *sudare*, & ἐκτενέςερον *orare*. Illuc venit *Proditor*. Ibi captus est *Jesus*, inde ductus ad Pontificem, sequente *Petro* & abnegante, examinatus coram Presbyterio, ubi in mortem ejus conclamatum est; unde Proditor ductus pœnitentia, spontaneum subiit & horribile supplicium. Inde traditus Pilato, accusatus, flagellatus, illusus, &, invito licet Pilato, ad crucem condemnatus est. Ibi notavimus differentiam Euangelistarum, de hora crucifixionis, & conciliavimus. Denique Christi verba de cruce, & alia circa illum acta, mirabilia varia & multa; & exspirationem illius, expendimus. Imò & mysteria, quæ Passioni insunt, & doctrinam Passionis dominicæ è Scripturis exposuimus; & quia in sanguine Jesu est *Novum* illud & melius Testamentum, cujus nos hæredes sumus, quid sit Testamentum Dei, & in specie *Novum* Testamentum, insimul ac pariter addidimus.

Quintum caput agit de *gloriis* Jesu Christi, hoc est, de illius *sepultura*, resurrectione, multiplici apparitione, ascensione in cœlum, & gloriosâ sessione ad dextram Dei.

In his quinque capitibus invenies plurima capita doctrinæ Christianæ explicata; errorésque contradicentium passim notatos, & nonnunquam refutatos. A Christo progressi sumus ad Acta Apostolorum, qui Christo aliquamdiu mansere superstites. In hoc capite integrum librum, cui titulus, Πράξεις τῶν ἁγίων Ἀποςόλων, percurrimus, & difficillima quæque ac pulcherrima delibavimus. Igitur effusionem Spiritus Sancti, conversionem Judæorum ad Christum, dein & gentium, Synodum Hierosolymitanam occasione Schismatis Antiocheni habitam, Apostolorum peregrinationes, conciones, luctas, res gestas, martyria, & talia porro explicavimus. Hæc fuere diligentius tractanda, quia ex Actis Apostolorum clarissimè & unicè ferè constat, quomodo Ecclesia, per proprium sanguinem Filii Dei acquisita, è Judæis & gentibus miraculosè, per verbi præconium, baptismi administrationem, Spiritus Sancti effusionem collecta, & in libertatem, quâ Christus illam liberavit, à servitute, quam Moses olim imposuit, & Israël tulit, asserta ac quasi reformata est.

Et quia Ecclesia, quæ sub Novo vivit Testamento, meliores adepta est promissiones, & omni benedictione benedicta est in supercœlestibus, peculiari capite, quænam illæ sint benedictiones, prærogativæ, præcellentiæ, exposuimus. Imò &, quia sub Novo Testamento abrogatum est Sacerdotium Aharonicum, & Leviticum ministerium, quod cum libertate Sanctorum Novi Testamenti stare non potuit, ne Ecclesia Dei esset ut Grex sine Pastore, addidimus caput de *Regimine*, quod Christus instituit observandum in illa ad finem usque seculi. Ubi ostensum, non instituisse Christum Episcopos, discretos à Presbyteris, Archiepiscopos, Cardinales, Papam; sed dedisse alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, quorum functio temporaria tantùm fuit; Alios Pastores, Doctores, Presbyteros, Episcopos, Diaconos, quorum officium manebit in Ecclesia, quamdiu Ecclesia erit in terra. Ostendimus obiter, quomodo Ordo Episcoporum, à Christo non institutus, ab Apostolis non introductus, in primitiva

Ecclesia non receptus, paulatim cœpit, progressus est, & ad illam immensitatem crevit, ut tandem exstiterit Episcoporum Episcopus, qui se dicens *Servum servorum Dei*, re ipsa se extulit *super omnes dictos Deos*, imo *se ipsum declaravit*, ὅτι ἐςὶ Θεός. 1 Thess. 2:4.

Hisce ita expositis, consequens erat, ut accederemus ad Prophetias Novi Testamenti, quas exhibet Ἀποκάλυψις, & Christus ipse, ut ex Euangelica constat historia, edidit, quæque ab Apostolis passim sunt scriptæ, ut liquet ex Apostolicis Epistolis; imò & quas antiquiores Prophetæ ediderunt; inde informandi fuissemus de statu Ecclesiæ Novi Testamenti, seu de illis, quæ in illa Spiritus prædixit eventura post Christum & Apostolos; quas persecutiones esset perlatura, quæ martyria subitura, quæ defectio exstitura, quæ victoria & liberatio secutura. Ibi cogitaveramus historiam componere compendiosam omnium seculorum inde à temporibus Christi & Apostolorum; in qua ostendissemus incrementa Ecclesiæ & decrementa, subinde ortas hæreses, coactas & congregatas Synodos, ortum & progressum mysterii iniquitatis, & quæ juncta sunt cum hisce. Imò & proposueramus agere de fine Seculi, & describere statum Ecclesiæ gloriosæ & triumphantis in cœlo, abolito mundo & habito extremo judicio. Sed monuit Typographus, nimis magnam fore molem voluminis. Ideo è re visum est hic desinere, & quæ supersunt, in aliud volumen reservare.

Tu interea, benevole Lector, hisce utere; sique invenias, per quæ ædificere, gratias age Deo. Si autem, quæ offendiculo sint, ignosce nobis; & ignorantiæ nostræ illa tribue & infirmitati. E malitia nil egimus. moderationi studuimus. novitates paradoxas fugimus. doctrinam receptam in Ecclesia Reformata ubique magno cum studio servavimus. Doctorum nostrorum scripta diligenter consuluimus; incomparabilis nimirum Calvini, magni Bezæ, celeberrimorumque virorum, Gomari, Drusii, de Dieu, Spanhemii, Cocceji, aliorumque. quorum nomina passim laudavimus, & omnium benedictioni meritò commendamus; imò & maximam utilitatem & solidum profectum omnibus & singulis è diligenti illorum lectione promittimus. Is demum feliciter proficit, qui Scripturas meditatur interdiu & noctu: sunt enim illæ omnis veritatis & cœlestis sapientiæ norma infallibilis, fons, & origo. Dein qui Doctores antiquos & modernos indefesso studio volvit & percurrit. Illos enim placuit Deo seriori dare Ecclesiæ, ut per illos divina veritas propagaretur, defenderetur, confirmaretur. Neque enim uni datum videre omnia. Neque etiam omnia Spiritus Sancti dona in unum sunt effusa; sed ut sapientia Dei est πολυποίκιλος, & charismata cœli multa & varia, ita non eadem dona largitus est summus rerum Moderator omnibus. Pluribus data sunt, quæ acciperent plures. Non sunt spernendi, quos Deus donis dignatus est suis; audiendi, quos loqui; legendi, quos scribere fecit Dominus. Ideo non unius tantùm Doctoris scripta sunt æstimanda; reliquorum autem spernenda; sed ut è multis floribus mel colligunt Apes, ita è multis Doctoribus discendum, quod secundùm Scripturam ad salutem est credendum. Sed prœloquii satis. Id unum addo; Librum hunc inter magnas sollicitudines & curas scriptum esse; igitur ignosces, Lector, si non eandem ubique deprehendes stili serenitatem & promtitudinem. Nam dum vix medium absolvissem, Ecclesia Reformata, cui integro, & quod excurrit, septennio, tantùm non gratuitò, inservii in Lubeca urbe, insigniter turbata, & ex omnibus locis ditionis Lubecensis ejecta est. Id quod eò magis doluit, quòd paucos ante menses, nimirum die 14. Martii, Anni 1673. Amplissimus Senatus sponte & seriò decreverat, ut in Suburbano

Spectatissimi optimique consulis Kirchringii horto Reformati libero gauderent religionis exercitio. Sed continuis Ministrorum Lutheranorum, qui nullos magis odisse videntur, quàm Calvinianos, ut loqui amant, instantiis, obtestationibus, violentiis effectum est, ut eodem anno, labente Septembri, rursum expulsi & è sede nostra ejecti simus; imò ut & tota ditione Lubecensi interdictum nobis sit. Mirare, Lector, talia à Christianis in Christianos tentari. Hæc autem crudelitas miseram nostram Ecclesiam, quæ non adeò copiosa est, & maximam partem constat ex hominibus tenuioris fortunæ, neque par est ferendis sumtibus necessariis, in eum deduxit statum, ut paulatim consumatur & diffluat. Liceat denique & hoc addere; Familiam meam paternam, ipso hoc, quo præfationem hanc scripsi, tempore, insigni fraude & injuriâ subitò & ex improviso affectam esse, impietate & malitiâ duorum hominum, arctissimo aliàs nexu nobis conjunctorum. Et quamvis non modicè affligar, ut cum natura hominum comparatum est, amo tamen dicere cum Sancto Jobo, *Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum.* Hæc cupio in sempiternam exstare rei memoriam. Vale optime Lector, & studiis meis fave, & illa precibus tuis juva, ut placeat Deo commodam nobis largiri sedem, & opportunitatem, ut quæ ab ipso accepimus, Ecclesiæ cum fœnore paulatim communicare valeamus. Anno 1674. in mense Martio.

WILHELMUS MOMMA.

Ad

Ad reverendum & doctissimum Virum

WILHELMUM MOMMAM,

V. D. M.

ELEGIA.

Nupera non tenuit lacrimas Elegeïa, Momma,
Cum staret madidis Belgica tota genis.
Hostis erat Batavam qua lambunt flumina ripam,
Littora qua Nereus alluit hostis erat.
Parva videbamur Gallorum accessio Belgæ,
Subditaque æterno libera colla jugo.
Avertit Deus Omnipotens, atque affuit ultor,
Et suus armatis terminus, inquit, erit.
Altera jam nobis currit victoribus æstas,
Partaque sunt terra parta tropæa mari.
Belgarum est Vahalis, Belgis fluit Isala, Rheni
Murmura se Rhodano rursus itura negant.
Ipsa triumphales lauro redimita capillos
Pax redit, & niveis candida fertur equis.
Aspice mutatos tandem in nova gaudia fletus,
Debita quæ gremio sunt, Gulielme, *tuo,*
Dicere si par est hilari Feliciter ore,
Et laudem, quæ sit digna labore novo,
Quæ lucubratis a te tot noctibus, & quam
Nostro diffusus pectore dictat amor.
Materies operis sanctissima me rapit, umbras
Hic ego discussas, hic videoque diem.
Christe Deus, spes longa patrum, lux unica mundi
Præstringis radiis lumina nostra tuis.
Æthereos ortus animus veneratur, & ardet
Ante tuos supplex fundere vota pedes.
Hei mihi, cur nondum gentes, quas sidus utrumque
Despicit, inflexo procubuere genu?
Cur nondum indomitas sanant tua vulnera labes,
Nec tuus expungit nomina nostra cruor?
Phosphore, pectoribus si infundas lumina nostris,
Pectora plena tui plenaque lucis erunt.
Perge arcana precor mysteria pandere Mommæ,
Quæ populo pergat pandere Momma *tuo.*

BERN. SOMERUS.

LIBER

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Prologus.

§. 1. **E**cclesiæ Patriarcharum successit Israëlitica. Israëliticam excepit *Novi Testamenti Ecclesia*; sic dicta, quòd sub œconomia & administratione *novi & melioris* hujus vivit Testamenti; & *meliores illæ promissiones*, *super quibus* id νενομοθέτηται Hebr. 8: vers. 6. in illa exstiterunt *in Christo*, Domino illius, *Næ & Amen* 2 Cor. 1:20. Ecclesia Novi Testamenti succedit Israëliticæ.

§. 2. Ad hanc Ecclesiam non *Israël* tantùm, sed & *gentes* pertinent. Illius enim benedictionibus perfunduntur *omnes familiæ terræ*, Genes. 12:3. 22:18. *gratiaque Dei salutaris* ἐπεφάνη πᾶσιν ἀνθρώποις *illuxit omnibus hominibus*, Tit. 2:11. nec amplius gentes sunt ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ. Ephes. 2: 19. *An Judæorum Deus est tantum? nonne & Gentium? Certe & gentium.* Rom. 3:29. οὐκ ἔνι Ἰουδαῖος, οὐδὲ Ἕλλην. *Omnes enim* εἷς *unus sunt in Christo Iesu.* Gal. 3: vers. 28. Illius cives, Iudæi & gentes.

§. 3. Ecclesia hæc *proprio Dei sanguine est acquisita*, Actor. 20:28. 1 Petr. 1:19. *in Petra hac ædificata, ne inferni portæ illi prævaleant*, Matth. 16:18. liberata *ab omnibus, quibus non potuerant* olim *in lege Mosis justificari*, Actor. 13:39. *benedicta omni benedictione spirituali in supercœlestibus*, Eph. 1:3. conformata illi, quæ agit *in cœlis*, Ephes. 1: 10. in quibus & illius ὑπάρχει τὸ πολίτευμα. Phil. 3: ꝟ. 20. Illius gloria.

§. 4. Ecclesia hæc est *Domus Dei*, est *Ecclesia Dei viventis*, est *columna* & ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας *firmamentum veritatis* 1 Tim. 3:15. non tantum firmans veritatem, sed firmata à veritate; *sanctificata in veritate* Joh. 17:7. *liberata veritate* Joh. 8:32. *adorans in veritate* Joh. 4: 24. est מוּסָד מוּסָּד *fundatum fundatissimum* Es. 28: 16. est *tota gloriosa* פְּנִימָה *introrsum, ex ocellatis auri est vestimentum ejus*, Psal. 45: 14. est *hæreditas decora, sita in amœnis.* Psal. 16: 6. Et elogia.

§. 5. Ecclesiæ huic δεδώρηται τὰ μέγιστα καὶ τίμια ἐπαγγέλματα *dono data sunt maxima illa & pretiosa promissa.* 2 Petr. 1: 4. *Accessistis ad Zion montem, civitatem Dei vivi, Hierosolymam cælestem, myriades Angelorum, Panegyrin & Ecclesiam primogenitorum, judicem Deum omnium, Spiritus justorum consummatorum, Novi Testamenti Mediatorem, & sanguinis aspersionem.* Hebr. 12:22. 23. 24. Illa accepit, quod πάλαι *olim* Deus promisit. *Dabo legem meam in medio illorum, & in corda illorum inscribam illam. Ero illis in Deum, & illi erunt mihi in populum. Et non docebunt amplius Vir proximum suum. Omnes enim illi cognoscent me. Nam condonabo pravitatem illorum, & peccati illorum non recordabor adhuc.* Jerem. 31: 33. 34. Et promissa.

§. 6. *Minimus in hoc regno cælorum major est Iohanne Baptista, maximo natorum è mulieribus.* Matth. 11: 11. *Beata* hîc sunt omnia. *Beati oculi*, ὅτι βλέπουσι. *Beatæ aures*, ὅτι ἀκούει, Matth. 13: 16. beata *corda*, nam χάριτι *gratia confirmantur.* Heb. 13: 9. *Nova* hîc sunt omnia, τὰ γὰρ ἀρχαῖα παρῆλθεν. 2 Cor. 5: 17.

§. 7. Ecclesia hæc convenit cum Ecclesia Patriarcharum & Israëlis; sed & differt ab illa. Convenit: eadem omnes *gratia salvantur*; *Christi*, Actor. 15: 11. eodem medio *pur-* Illius cum Ecclesia Patriarcharum &

Israëlis convenientia, & differentia.

gantur corda; *Fide*, Actor. 15: vers. 9. eodem Spiritu sanctificantur; *Dei*, eundem *reportant fidei finem*; *salutem animarum*. 1 Pet. 1: 9. Differt. Prior Ecclesia *exultavit*, *ut videret diem Domini*. Joh. 8: 56. Posterior *vidit*. Matth. 13: 16. 17. *Viderunt* & priores, *& gavisi sunt* Joh. 8: 56. sed maturius pleniusque *vident* posteriores, *audiunt*, *contemplantur oculis*, *aspectant*, *manibus palpant*. 1 Joh. 1: 1. Ideo & priores dicuntur *non vidisse*, *non audivisse*. Matth. 13: 17. *Oculus non vidit*. 1 Cor. 2: 9. Prior salvata est merito sponsoris, consummandi. Posterior salvatur merito *Principis salutis*, *per passiones consummati*. Hebr. 2: 10. Prior gavisa est *promissione*. Posterior gaudet *Euangelio*, fuit ante προευαγγελισμός. Galat. 3: 8. nunc adest τὸ εὐαγγέλιον.

Imprimis autem differt ab Ecclesia Israëlitica.

§. 8. Sed imprimis magna est differentia inter priorem Israëlis, & hanc posteriorem: 1. Israëlis Ecclesia, fuit *Veteris*, *antiquandi*, *non ἀμέμπτου*, hæc *Novi*, & *melioris* & *aeterni* est *Testamenti*; 2. Israëlis *portavit jugum* Mosis *grave*, Act. 15: 10. hæc sustulit *leve* Christi, & *onus facile*. Matth. 11: 29. 30. 3. Ibi fuit διακονία τῆς κατακρίσεως & γράμματος & τοῦ θανάτου. Hic est διακονία τοῦ πνεύματος καὶ τῆς δικαιοσύνης. 2 Cor. 3: 7. 8. 9. 4. Ibi *inimicitia*. Hic *Pax*. Eph. 2: 15. 5. Ibi *elongatio*: hic *propinquus accessus*. Eph. 2: 1 . 18. Hebr. 4: 16. 10: 19. 6. Ibi *esus & potus*: hic *justitia*, *& gaudium in Spiritu sancto*. Rom. 14: 17. 7. Ibi *Spiritus servitutis*, *timoris & metus*: hic *adoptionis*, *potentiæ*, καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ. Rom. 8: 15. 2 Tim. 1: 7. 8. Ibi *Hierusalem mater*, *quæ cum filiis suis servit*. Hic *Hierusalem superna*, quæ *libera est*. Galat. 4: 25. 26. 9. Ibi *mons Sina palpabilis*, καὶ κεκαυμένος πυρὶ, καὶ γνόφῳ, καὶ σκότῳ, καὶ θυέλλῃ, *& sonitus tubæ*, *& vox verborum*, *auditu terribilium*. Hic *mons Sion*, *civitas Dei vivi*; *Lingua eruditorum*, & *Gratia effusa in labia*. Heb. 12: 18. 19. 22. 26. Es. 50: 4. Psalm. 45: 3. 10. Ibi *chirographum*: hic *deletum* illud. Col. 2: 14. 11. Ibi *Patres carnis* Hebr. 12: 9. ἐπίτροποι καὶ οἰκονόμοι Gal. 4: 2. διατάγαι & ὑποταγὴ ἀγγέλων Actor. 7: 53. Gal. 3: 19. Hebr. 2: 5. Hic *Pater Spirituum* Hebr. 12: 9. *conservitus Angelorum* Apoc. 19: 10. 22: 9. & *exutio* ac δειγματισμὸς τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν ἐξουσιῶν Col. 2: 15. 1 Cor. 2: 6. 12. Ibi *Iudeus*, *Græcus*, *servus*, *liber*, *fœmina*, *mas*: hic *omnia unum in Christo Iesu*. Gal. 3: 28. 13. Ibi antecedanea *spes* futurorum. Eph. 1: 12. τοὺς προηλπικότας ἐν τῷ Χριστῷ: hic *fides* præsentium, & *spes* εἰσερχομένη εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος. Hebr. 6: 19. 14. Ibi Deus, Angelus fœderis in *nube*, in *rubo ardente*, *inter Cherubim*: hic *manifestatus in carne*, *habitans in nobis*, *caro de carne nostra*, *sanguis* de sanguine nostro. 1 Tim. 3: 16. Joh. 1: 14. Hebr. 2: 14. 15. Ibi *Circumcisio*, *Pascha*: hic *Baptismus*, *S. Cœna*. 16. Ibi sacrificia *pecudum*: hic *sacrificia rationalia*, *viva*, *placentia Deo*. Rom. 12: 1. 17. Ibi *templum manu factum*: hic *Sanctum sanctorum*, *domus* permanens. 18. Ibi *sacerdos Christus* sed habens *socios*, (Psal. 45: 8.) Aharonem & filios: hic *solus*, sine socio, *secundum ordinem Melchisedek*; *sacerdotes faciens & Reges* omnes sanctos suos. Apocal. 1: 5. 6. 19. Ibi quicunque offerebant sacrificia, serviebant tabernaculo, purificabantur secundum legem, & observabant externa, habebantur pro Dei populo; gaudebant communi pignore, possessione terræ promissæ; portabant nomen pulchrum *Populi Dei*; quamvis magno numero & in se essent defectores, nescii justitiæ veræ, & nil nisi carnalis multitudo, θρέμμα: hic non æstimatur ὁ ἐν τῷ φανερῷ Ἰουδαῖος, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ φανερῷ, ἐν σαρκὶ, περιτομή. Sed ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, *& circumcisio cordis*, *in Spiritu*, *non litera*, *cujus laus non ex hominibus*, *sed è Deo*. Rom. 2: 28. 29. Nemo habetur pro cive Dei & concive sanctorum, qui non *invocat nomen Domini*, *recedens ab injustitia*, 2 Tim. 2: 19. qui non *confitetur & credit in Iesum crucifixum*, & secundum illam fidem ac confessionem ambulat decenter.

20. Ibi

20. Ibi multa *sitis* & exspectatio: hîc *satietas* & *irrigatio*. Deut. 29:19. Jerem. 31:14. 29. Esai. 55:2. 21. Ibi multa *tecta*. *Velum Mosis.* Velum *tabernaculi*: hic velum *ruptum*, clara omnia & revelata. *Abscondita Domino Deo nostro sunt revelata nobis & filiis nostris in seculum.* Deut. 29: vers. 29. 22. Ibi *mysterium tacitum*; hîc *manifestatum* & annunciatum. ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν. 1 Tim. 3:16. Rom. 16:25. 26. & *revelatum* ἐν πνεύματι Eph. 3:6. Ita *non fuit gloriosum, quicquid olim gloriosum fuit, ob praexcellentem gloriam*, quæ nunc est. 2 Cor. 3:10.

§. 9. Ut autem Veterem Ecclesiam duxere & docuere Moses, Aharon, Prophetæ, Viri Dei; sic novæ nunc vocandæ primus quasi præco exstitit *Johannes Baptista*, qui *prope esse Regnum cœlorum* proclamavit, & *vias Domini præparavit*. Matth. 3:2. Luc. 1:76. *Post illum venit* Jesus, Joh. 1:15. *visitavitque* nos *Germen ex alto*. Luc. 1:78. Hic ἐλθὼν εὐηγγελίσατο Eph. 2:17. *labia sua non cohibuit* Psal. 40:10. & *sanguine suo*, quæ dixerat & locutus erat, obsignavit. Dati sunt denique Euangelizantes, & Apostoli, missi in totum mundum. *Dominus dedit dictum. Euangelizantium cætus magnus.* Psalm. 68:12. Illius præcones & Euangelistæ.

§. 10. De Ecclesia priore, tum Patriarcharum, tum Israëlis, duobus integris libris egimus. De posteriore, ut promissorum fides solvatur, deinceps agendum. Ordiemur autem à præconio Johannis Baptistæ; inde ad opera Jesu Christi progrediemur, tunc Apostolorum acta & oracula perlustrabimus; denique de illis, quæ post Apostolorum tempora evenerunt, duce Scriptura & historia nonnulla addemus, quibus omnibus peractis, quid sit Novum Testamentum, quis status Ecclesiæ Novi Testamenti, quæ ejus gloriæ & prærogativæ, quæ ejus θλίψεις & πειρασμοί, clarè & abunde patebit. *Aperi Domine cor meum, ut indicem laudem tuam, & magnalia tua!* Ordo tractationis.

Caput Secundum.

De nativitate, ministerio, morte Johannis, dicti Baptistæ.

§. 1. Parentes *Johannis Baptistæ* fuere *Zacharias, sacerdos*; & *Elisabet, ex filiabus Aaron.* Luc. 1:5. *utrique justi coram Deo* (eâ nimirum justitia, quæ est διὰ πίστεως Χριστοῦ *per fidem Christi* Phil. 3:9. quæ & Abrahâmo *imputata est in justitiam*. Gen. 15:6. à qua & Noah dicitur fuisse צַדִּיק *justus* Gen. 6:8.) *& ambulantes in omnibus præceptis, & δικαιώμασι institutis Domini inculpati*. Luc. 1:6. convenienter monelæ divinæ, Levit. 18:4. *judicia mea facietis, & statuta mea observabitis, ad ambulandum in illis.* confer Deut. 6:25. *justitia erit nobis*, hoc est, arrha & pignus & certioratio communionis veræ justitiæ, *cum observabimus facere omne præceptum hoc coram Domino, quod præcepit nobis.* Parentes Johannis.

§. 2. Mater Elisabet dicitur fuisse στεῖρα *sterilis*, ut & *Sara*, Gen. 11:30. 16:1. & *Rebecca* Gen. 25:21. & *uxor Manoa*. Jud. 13:2. 3. Accedebat amborum provecta ætas. προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν ἦσαν, Luc. 1:7. Idem dicitur de *Abrahamo & Sara*. זְקֵנִים בָּאִים בַּיָּמִים Gen. 18:11. Ita fuit in Zacharia τὸ σῶμα ἤδη νενεκρωμένον, & in Elisabet νέκρωσις τῆς μήτρας. Rom. 4:19. Cum itaque non esset illis τέκνον *proles*, quod illo seculo erat ὄνειδος ἐν ἀνθρώποις *probrum in hominibus* Luc. 1:25. (hinc tantus in Veteribus appetitus habendi liberos, ut & *Sara*, quæ ipsa *non pepererat*, *è serva Hagar* cuperet *ædificari*. Genes. 16: vers. 2. & *Rahel* diceret *Iacobo* marito, *Da mihi filios; secus, morior ego*, Genes. 30: vers. 1. & *Hanna* totam se lacrymis fœdaret, & עָנְיָהּ *miseriam* suam acerbè deploraret. 1 Sam. 1:5. 6. 7. 11.) Zacharias Deum adprecatus est, ut prolem tolleret ac susciperet. Luc. 1:13. εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου *exaudita est oratio tua*, exemplum imitatus *Isaaci*, qui Provecta ætate.

qui *supplicavit Dominum* לנכח אשתו *propter feminam suam* sterilem, Rebeccam. Gen. 25: vers. 21. Et ut Isaac olim ita & nunc Zacharias exauditus est, inquit enim Angelus, εἰσηκούσθη.

Angelus nuncius pueri nascendi. §. 3. Visus autem est Zachariæ *Angelus Domini*, nuncius dandæ prolis. *Uxor tua Elisabeth pariet filium tibi, & vocabis nomen illius* Ἰωάννην. Luc. 1: 13. Ita nomen hoc, quod & vide 2 Reg. 25: 23. datum est illi, *antequam in utero conciperetur*, id quod & Servatori factum. Luc. 2: 21. *Johannes* significat eum, quem *gratia Domini* prosequitur. Etiam *Angelus* uxori Manoæ nunciavit, *Concipies & paries filium*, Jud. 13: 3. & *Dominus* Abrahæ, *Revertar ad te, & ecce filius Saræ* erit. Genes. 18: vers. 10.

Vaticinia Angeli de illo. §. 4. Idem Angelus maxima quæque de puero hoc prænunciat. *Multi super ejus nativitate gaudebunt.* Luc. 1: 14. *Erit enim magnus coram Domino*, ibid. ℣. 15. non coram mundo; à quo, ut ut aliquo in pretio habitus, tandem tamen rejectus & interfectus est, Matth. 11: 18. *dicitis, Dæmonium habet*, Matth. 17: 12. *fecerunt in illo, quæcunque voluerunt.* Luc. 9: 9. *Et dixit Herodes: Joannem ego capite truncavi. Et vinum & siceram non bibet.* Luc. 1: 15. Ergo exstitit Johannes *Naziræus Dei*; ut & *Simson*, Jud. 13: 5. & *Samuel.* 1 Sam. 1: 11. Fuit hæc dignatio divina. Amos. 2: 11. *Excitavi è filiis vestris in Prophetas; & è juvenibus vestris* לנזרים *in Naziræos, num etiam nihil hoc, Filii Israël? Et Spiritu sancto implebitur* ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ, *adhuc ex utero matris suæ*; hoc est, à conceptu ipso, quo mater incipiet illum ἐν γαστρὶ ἔχειν. Luc. 1: 15. Ita Paulus dicit, *se separatum* ἐκ κοιλίας μητρὸς *ex utero matris*, hoc est, à quo in utero illius conceptus fuit Gal. 1: 15. Cùm Sancti dicuntur *Spiritu impleri*, non est intelligenda corporalis talis impletio, quali implebantur *hydriæ in Cana*, quas ἐγέμισαν ὕδατος ἕως ἄνω, Johan. 2: 7. & ut urceus viduæ Zareptanæ cottidie *plenus* erat *oleo* 1 Reg. 17: 15. sed copiosa & abundantissima donorum Spiritus sancti, tum ordinariorum, tum extraordinariorum, distributio & communicatio, confer Luc. 1: 41. 67. Actor. 2: 4. unde & Ecclesia dicitur πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου *impletum ejus, qui omnia in omnibus implet.* Eph. 1: vers. 23. *Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum illorum*, Luc. 1: 16. per prædicationem pœnitentiæ & administrationem baptismi; Deo concioni illius cooperante. ὁ γὰρ αὐξάνων Θεός. 1 Cor. 3: 7. *Et ille præambulabit coram illo* Domino Deo, qui Jesus est Christus: hujus enim fuit anteambulo; *in Spiritu & potentia Eliæ*; ut non minor in illo sit Spiritus, nec minor potentia, quam in Elia fuit. Inde est, quod & *Elias* audit, Matth. 11: 14. 17: 11. 12. *ad convertendum cor patrum ad filios*; ut Patres, carne mortui dudum, Spiritu autem viventes Deo, cordis amore amplectantur filios, & illos pro suis agnoscant, nec illos *pudeat illorum*, nec propter illos *expallescant*, utpote *videntes natos suos opus factos manuum Dei.* Es. 29: 22. 23. confer Malach. 4: 6. *Et immorigeros in sensu justorum*, hoc est, ut immorigeri idem quod *justi*, quales sunt beati Patres, incipiant *sentire.* Pro eo dicitur Malach. 4: 6. *Et reducet cor filiorum ad Patres.* Qui non habet *sensum justorum*, est ἀπειθὴς *immoriger*: non enim gerit morem Verbo, Justitiæ, & Vocationi divinæ. Tunc immorigeri filii Israëlis, quos prophetia alibi vocat בנים משחיתים *filios corruptè agentes* Esai. 1: 4. sentire cœperunt, quod justi, corque illorum reductum & conversum est ad Patres, in gloriam introductos, cum inceperunt *sanctificare nomen Dei, & sanctum Iacobi, & formidare Deum Israëlis*, manifestatum in carne, justificatum Spiritu. Es. 22: vers. 23. Addit denique Angelus, *ad præparandum Domino populum exaptatum*, Luc. 1: vers. 17. ut cum *Dominus* ipse veniret, quod fieri debebat פתאם *subito* Malach. 3: vers. 1. inveniret populum para-

paratum & instructum ad se recipiendum & agnoscendum. Id dicitur. Mal. 3:3. *Et præparabit viam coram me.*

Nomen Angeli Gabriel.

§. 5. Angelus, qui apparuit Zachariæ, vocatur *Gabriel.* Ἐγώ εἰμι Γαβριὴλ ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Luc. 1:19. confer vers. 26. ὁ ἄγγελος Γαβριήλ. Dan. 9:21. הָאִישׁ גַּבְרִיאֵל *vir ille Gabriel.* confer Dan. 8:16. Notat id nomen, *robur meum Deus*; vel, *robustus fortisque Dei.* Omnis Angelus, qui à Deo mittitur, in Deo robur habet; estque adeo Gabriel. Ut non necessum sit statuere, uni soli huic Angelo nomen hoc esse proprium, neque enim verisimile est, omnes in universum Angelos suis insignitos esse nominibus.

Zacharias obmutescit.

§. 6. Zacharias *incredulus verborum* Angeli exstitit σιωπῶν, subito obrutus fuit silentio, & evasit κωφὸς *mutus*, nec *potuit loqui, usque in diem, quo omnia illa facta sunt.* Luc. 1:18-22. Adeò sunt Angeli גִּבֹּרֵי כֹחַ *pollentes viribus.* Psalm. 103:20. Incredulum Zachariam illicò usu linguæ privat Angelus. Non fuit fides Zachariæ ita valida & viva ut Abrahami, qui *præter spem in spe credidit, haut languens fide.* Rom. 4:18.19.

Elisabet gravida, visitatur à Maria. Fœtus saltat in ventre matris.

§. 7. Συνέλαβεν *concepit Elisabet post illos dies.* Luc. 1:24. Ita exstitit τελείωσις τοῖς λελαλημένοις Zachariæ παρὰ Ἀγγέλου. Gravida visitatur à *Maria*, quæ dicitur *profecta* εἰς τὴν ὀρεινὴν, εἰς πόλιν Ἰούδα, *in montanam* plagam, *in civitatem Iudæ*; quæ non intelligenda est fuisse *Hierosolyma*, utut situs illius fuerit in monte, sed potius *Hebron*, civitas illa sacerdotum, sita בְּהַר יְהוּדָה *in monte Iuda.* Ios. 21:9. confer Luc. 1:39.40. Ut vox Mariæ aures tetigit Elisabet, ἐσκίρτησεν. ἐν ἀγαλλιάσει τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς *saltavit in hilaritate fœtus in utero illius.* Luc. 1:41. 44. Infantulus tectus materna carne, ossibus & cute; qui lucem nondum spectaverat diei, nec vocibus assueverat humanis, nescius rerum, quæ extra matris agebantur ventrem, necdum instructus usu rationis, audit advenientem Mariam; agnoscit, quam nondum viderat; imò quod magis, novit *benedictum fructum ventris Mariæ* saltando gaudium & hilaritatem suam testatus. Verum est fœtus humanos matrum mirè sæpè affici passionibus, nam & lætantibus illis, illi lætantur; & malè affectis illis, malè & illi afficiuntur. Sed vix dum sensit Elisabet Mariam advenire, cum jam sentit saltantem fœtum. *Cum audivit salutationem Mariæ, saltavit infans.* Luc. 1:41. Itaque præventa Mater à fœtu, illiusque illa affecta saltatione & motu extraordinario, statim incipit clamare voce magna, *Benedicta tu in mulieribus*, &c. Luc. 1:42. neque igitur fœtus ad saltandum motus est, ulla passione aut commotione matris antecedente. Eò magis miranda res est. Non potuit saltare & hilarari infans, quin nosset Mariam parituram Deum; Dominum ex illa nascendum; hunc Dominum omni honore excipiendum; etiam laudem ejus fundandam ex ore infantulorum. Hanc notitiam non hauserat ex sensibus, illorum usu hucusque erat destitutus, nec acceperat à parentibus, illi enim illum necdum viderant, nec ex ulla institutione; cujus omninò expers erat; sed immediata Dei operatione & potentia & sanctificatione effectum est, ut hic Præco & Anteambulo Domini etiam nosset Dominum suum, antequam quicquam nosset rerum extra se; & saltatione illum indicaret, quem necdum ore voceque poterat annunciare; & *fidem* haberet, antequam ἀκοὴν, ex qua fides ordinariò est; imò *verbum* Dei, per quod est ἡ ἀκοὴ, accepisset. Rom. 10:17. Ita potest Deus, supra quàm comprehendimus. Cernimus Spiritum sanctum etiam operari in nondum natis, quidni ergo in natis? Imò & *fidem* sine externis mediis posse excitari in cordibus electorum; quàmvis nihilominus verum sit, illam esse *potentiam Dei in salutem omni credenti.* Rom. 1:16.

Elisabet peperit filium.

§. 8. Peperit tandem Elisabet, circumcisus est infans & vocatus *Iohannes.* *Os* muti Patris *apertum* illicò, & usus linguæ illi redditus. Cœpit loqui εὐλογῶν τὸν Θεόν; imo & *impletus* Spi-

liam. *Spiritu S.* προεφήτευεν. Luc. 1:57-67. Ita è sacerdote muto fit Propheta loquens & laudans Deum, *Benedictus,* inquit, *Dominus Deus Israel, quod visitavit & fecit redemtionem populo suo; & excitavit cornu salutis nobis in domo Davidis pueri sui; salutem ex hostibus nostris, ut faceret misericordiam cum Patribus nostris, & memor esset Testamenti sancti sui. Iuramentum* (subintellige, *ut faceret*, seu impleret) *quod juravit Abraamo, dare nobis, sine metu, servire illi,* ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ. Luc. 1:68-75. Divinus vates de Messia adhuc nasciturо loquitur ut jam nato. Beneficium instans intuetur & laudibus exaggerat, ut jam exstans. Hic mos est Prophetarum, futura ut præsentia, sibimet ipsis sistentium. Esaias, qui tanto tempore vixit ante Zachariam, *Virgo gravida facta est,* inquit, *& peperit filium.* Es. 7. *Puer natus est nobis.* Es. 9. Numquid ergo mirum Zachariam ita loqui de beneficio, quod parvo momento adducendum erat? Benedicit Deum Israëlis. Εὐλογητὸς κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραήλ, qui enim benedicit, *Deum benedicat Amen.* Esai. 65: vers. 16. quia *visitavit* populum, caro nimirum factus & mulieris semen, & filius hominis, quid est אֱנוֹשׁ *miser homo, ut recorderis illum, & filius hominis, ut visites illum?* Psalm. 8:5. *& fecit redemtionem*, quam *æternam invenerat.* Hebr. 9:12. Is qui visitavit populum & redemit, *est Dominus Deus Israel,* non ergo Christus, qui nos ἐπεσκέψατο ἐν σπλάγχνοις ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, Luc. 1:78. merus est homo. confer Luc. 1: 16. 17. Imo & est *cornu salutis.* Salus est in nullo alio. Actor. 4: 12. *Cornu* est, quia robur habet & potentiam, ad debellandum *hostes,* & dat *salutem ex* illis, & *è manu omnium odio habentium nos.* Luc. 1:71. Cornu hoc ἤγειρε *excitavit* Dominus, qui nos visitavit. *Se ipsum* enim dedit, ut ἀντίλυτρον pro nobis, ita & cornu salutis. Ita *facta* & confirmata *misericordia* collata *patribus*, quorum *transgressiones* etiam habent & sortiuntur ἀπολύτρωσιν *redemtionem in morte illius.* Hebr. 9: 15. Rom. 3:25. 26. & impletum *Testamentum sanctum Dei*, quod sanguine cornu salutis est ratificatum, & impletum *juramentum Abraamo factum*, ἦ μὴν εὐλογῶν εὐλογήσω σε. Hebr. 6: 13. 14. In Christo enim benedicimur *omni benedictione.* Ephes. 1: 3. Inde datur ἀφόβως λατρεύειν αὐτῷ; *in requie animæ.* Matth. 11:28. & liberatio *à timore mortis*, cui sancti olim *per omnem obnoxii fuerant vitam,* Hebr. 2: v. 15. & *à servitute*, quæ erat εἰς φόβον. Rom. 8: 15.

Zachariæ vaticinium r. de Messia.

2. De Filio Johanne. §. 9. De filio autem sibi nato ita vaticinatus est novus Propheta. *Et tu infantule, Propheta Altissimi vocabere, antecedes enim ante faciem Domini, ad præparandum vias ipsius, ad dandum cognitionem salutis populo ipsius, in remissione peccatorum ipsorum,* &c. Luc. 1: vers. 76:79.

Mirabilia circa & ante nativitatem Joannes. §. 10. Observare autem licet mirabilia multa circa & ante nativitatem Johannis. 1. Matrem sterilem, parentes decrepitos, ad generandum inidoneos. 2. Angelum nativitatem prædicentem; filiique nascendi præstantiam & magnitudinem. 3. Patris ἀπιστίαν castigatione promta compressam. 4. Pueruli in ventre adhuc latentis materno sanctificationem præmaturam, ab illa optimè dicitur Johannes *maximus* ἐν γεννητοῖς γυναικῶν. Matt. 11: vers. 11. nulli enim præter illum hoc beneficium evenisse legitur, neque enim de Mose, neque de Davide, neque de Enocho, Elia, Elisa, aut quoquam sanctissimorum simile habemus testimonium. *Gemelli*, Esau & Jacob, *in utero* matris Rebeccæ *se invicem collisi runt*, argumento, *duas gentes* futuras ex illis *& nationes*, quæ se invicem oppugnaturæ & infestaturæ essent. Genes. 25:23. 24. Collisio geminorum id significavit. Nec tamen id ipsi sese trudentes intellexerunt. Iohannes autem *saltavit*, & causam hilaritatis minimè ignoravit. Trusetunt se gemelli, iram in ipso utero exercentes, qui *naturâ* erant *filii iræ.* Saltavit Iohannes, non è turpi lascivia, aut stimulis actus peccati; sed lumine Spiritus Sancti,

è quo

è quo regeneramur. 5. Parentis post natum filium solutam linguam, & præexcellens vaticinium.

Tria in Johanne consideranda.

§. 11. Filiolus, Zachariæ natus, Ηὔξανε καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι. Luc. 1: 80. Cujus nunc considerabimus 1. Rationem seu œconomiam vivendi. 2. Ministerium, officium, acta. 3. Finem seu exitum.

Ratio vivendi servata à Johanne.

§. 12. In ratione vivendi considerandus est, 1. Amictus 2. Victus seu alimentum. 3. Locus, in quo versatus est Johannes.

Amictus Johannis.

§. 13. Amictum quod attinet, εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου. Matth. 3: vers. 4. confer Marc. 1: 6. ἦν ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου, quod non vertendum est, *indutus erat pilis camelorum*, sed, *cameli*, non enim probabile est, vestimentum Johannis è pilis multorum camelorum, ab velleribus eorum avulsis, & in unum quasi pannum contextis, constitisse, talis enim vestis, non vilis, qualem humilitas Johannis exigebat, sed mollis satis & pretiosa, qualem dura vitæ ipsius conditio renuebat, fuisset, non sunt inter minimæ sortis vestes, quæ *camelota* vulgo dicuntur. Quid igitur? unius Cameli pilosa intelligitur pellis, quâ cutem suam corpusque texit. Ut igitur Hebr. 11: 37. multi sanctorum circumivisse dicuntur ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν *in pellibus ovinis & caprinis*, in signum innocentiæ, pœnitentiæ & austeræ vitæ, ita & Iohannes corpori suo circumjecisse putandus est δέρμα καμήλου *pellem cameli*, pilosam & incultam ac horridam. Vestem hanc pelliceam pelliceo firmavit cingulo, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ *& cingulum coriaceum circa lumbos suos*. Matth. 3: 4. Marc. 1: 6. Idem videtur *Eliæ Thisbitæ* fuisse amictus, dicitur enim fuisse בַּעַל שֵׂעָר *pilosus*, hoc est, pilosa veste indutus; *& cingulo preterea cinctus in lumbis suis*. 2 Reg. 1: 8. אַדַּרְתּוֹ *toga* sive *pallium illius*, quo indutus fuit, quod *conjecit in* Elizam, cum illum avocaret ab aratro, ut Propheta fieret, 1 Reg. 19: 19. quô *aquas Jordani* percussit & divisit, 2 Reg. 2: 8. quodque, cum eveheretur in cœlum, *cecidit desuper illo*. ibid. vers. 13. fuit sine dubio אַדֶּרֶת שֵׂעָר *toga pilosa*, seu *villosa*. Ita igitur Iohannes, Sacerdotis filius, sacerdotalem haut usurpavit vestitum כָּתְנֹת *tunicas molles*, Ephod, Tiaram, Exod. 29: 8. 9. Alii enim sacerdotio parabat viam, illi nimirum quod est *secundum ordinem Melchisedek*, nec fuit μαλακοῖς ἠμφιεσμένος ἱματίοις *mollibus indutus vestimentis*, ut portant illi *qui sunt in domibus Regum*. Matth. 11: 8. Regnum enim, cui ministrabat, quodque *appropinquasse* præconiabatur, *non est de hoc mundo*, Ioh. 18: 36. sed vestitu, ut dictum, horrido & vili ac durabili, ut autem vulgo dicitur, *vestitus, risus, incessus, arguunt hominis ingenium*, quod cum Græco illo convenit, στολισμὸς ἀνδρὸς, καὶ γέλως ὀδόντων, καὶ βῆμα ἀνθρώπου ἀναγγέλλει τὰ περὶ αὐτοῦ, ita hic vestitus Iohannis, non tantum arguit humilem & contritum illius animum, mundana fastidientem ornamenta, sed & docuit omnes *regni cœlorum filios* & hæredes, ne luxuria diffluant, nec curæ illis sit ὁ ἔξωθεν ἐμπλοκῆς τριχῶν, καὶ περιθέσεως χρυσίων, ἢ ἐνδύσεως ἱματίων κόσμος, 1 Petr. 3: 3. sed ut meliores quærant vestes, *vestes salutis*, *pallium justitiæ*, Es. 61: 10. ut *induant Christum* ipsum, Galat. 3: 27. ut ne *nudi inveniantur*, 2 Cor. 5: 3. imò & *stent cincti lumbos in veritate*, Ephes. 6: 14. parati ad exeundum, ut olim Israëlitæ steterant in Ægypto cincti, & comedentes Pascha, & subitò exeuntes ex Ægypto. Exod. 12: 11.

Victus Iohannis.

§. 14. De Victu autem Iohannis ita habetur. Ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον, *nutrimentum autem illius erant locustæ & mel agreste*. Matth. 3: 4. Marc. 1: 6. Ἀκρίδες sunt *locustæ*, Apoc. 9: 3. 7. Hebræis אַרְבֶּה inter reptilia pura. Levit. 11: 22. Fuere multis olim gentibus inter cibos viliores. Plinius libr. 6. natural. hist. *Pars quadam*

Æthiopum locustis tantùm vivit, fumo & sale duratis, in annua alimenta, lib. 7: 2. de quadam Indorum gente ait, *eos locustis ali.* lib. 11: 29. *Parthis & hæ*, nimirum locustæ, *in cibo gratæ.* Apud Plutarchum in Symposio ita Thales. Γεωργῦ γὰρ ἀκρίδας καὶ ὄρνιθας ἀντὶ πυρῶν ἢ κριθῶν συγκομίζειν ἐθέλοντ☉ ὐδὲν διαφέρει τύραννος, ἀνδραπόδων μᾶλλον ἄρχειν ἢ ἀνδρῶν βυλόμεν☉. *A rustico locustas & alites comportante potius, quam triticum & hordeum, nil differt Tyrannus, qui mavult mancipiis imperare, quam viris.* Ita & Johannes locustis in cibum usus est, contentus victu tenuissimo & maximè parabili. Sunt, qui ἀκρίδες *cancros* interpretantur, qui ut in impuri ad littora Jordani abjecti fuerint; sed marini tales cancri, squillæ seu gammari, non ἀκρίδες Græcis, sed καρίδες dicuntur. Nonnulli olim Judæorum pro ἀκρίδες legerunt ἐγκρίδες, quo vocabulo notatur opus dulciarium ex simila & oleo. Alii ἀκρίδες exponunt τὰ ἄκρα τῶν δένδρων (Δρῦς enim antiquo sermone arborem significabat) adeoque Johannem comedisse τὰ ἀκρόδρυα *summitates arborum*, ἤτοι ὀπώρας ἀγρίας *fructusque agrestes*, quem in sensum Nicephorus Callistus historia Ecclesiast. libr. 1: 14. inquit. *Ibi*, Johannes Baptista, *tenerioribus arborum frondiumque summitatibus pro cibo utebatur.* Alii denique ex ἀκρίδες fecere ἀχράδας *pyra sylvestria.* Sed hæc narrasse, refutare est. Deinde dicitur comedisse μέλι ἄγριον, quo tale notatur *mel*, quod in agris & desertis, nulla accedente cura humana, ab apibus profertur. Adeò copiosæ in Judæa fuere apes, ut in petris, cavernis, cavis arboribus agrisque mellificarint. Deut. 32: 13. *dat ei sugendum mel è petra*; Psalm. 81: 17. *& e petra melle satiarem te.* 1 Sam. 14: 25. in sylva fuit mel, in superficie agri, & vers. 26. de sylva dicitur, *ubi ecce fluxus mellis erat.* His vilibus cibis, nullo negocio acquisitis & paratis, cuilibet obviis, non auro multo venalibus, contentus Johannes ostendere voluit, *Regnum Dei non esse esum & potum*, Rom. 14: 17. *hominem non vivere solo pane*, Matth. 4: 4. non esse serviendum *ventri*, ut ille sit aut ponatur θεὸς *Deus*, Phil. 3: 19. naturam indigere paucis; corda non gravanda ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ καὶ μερίμναις βιωτικαῖς. Luc. 21: 34. Veterem legem, quæ de βρώμασι præceperat καὶ πόμασι, esse ἐγγὺς ἀφανισμῦ, Heb. 8: 13, 9: 10. à nemine sanctos judicari debere ἐν βρώσει ἢ ἐν πόσει, Col. 2: 16. cuilibet licere vivere & edere, quomodo & unde libet, dummodo *expediat.* 1 Col. 6: 12. Quia autem cibus, quo utebatur Johannes, Judæis non erat communissimus, sed Johanni quasi peculiaris, hinc Christus. Matth. 11: 18. *Venit Johannes, neque edens, neque bibens*, hoc est, tali cibo utens & potu, quo alii communiter non utebantur homines.

Locus habitationis Johannis. §. 15. Locus, in quo versatus est Johannes, fuit *desertum.* Luc. 1: 80. *Erat in desertis* ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτῦ πρὸς τὸν Ισραήλ. Matth. 3: 1. *in diebus illis aderat Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ.* Matth. 1: 4. ἐγένετο Ιωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ. Matth. 11: 7. *Quid exiistis* εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι. confer Es. 40: 3. *Vox clamantis in deserto* est seu auditur. Venit etiam Johannes εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τῦ Ιορδάνυ. Luc. 3: 3. *baptizabantur enim omnes in Iordane fluvio ab illo.* Marc. 1: ỷ. 5. Matth. 3: 5. 6. confer Joh. 1: 28. Joh. 10: 40. deinde & dicitur baptizasse *in Ainon, propè Salem*, ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ. Joh. 3: 23. In *deserto* autem vixit & habitavit Johannes, ut doceret, gratiam Dei regnumque illius non esse alligatum ad terrestrem Hierosolymam, & palpabilem montem Zion, & manu factum sanctuarium; exeundum esse ad Jesum Regem *extra castra*, Hebr. 13: 13. relinquendam civitatem. *Ecce relinquitur vobis* ὁ οἶκ☉ ὑμῶν ἔρημ☉. Matth. 23: 38. Imò & *desertum* à Deo inhabitandum; illosque homines, qui hucusque *deserti* instar fuerant, infrugiferi, nullos Deo fructus ferentes, Dei fore locum & civitatem; hoc est, gentes, Es. 35: 1. *hilarentur desertum & siticulosa*; *gaudeat campestris*, inde &

Deus

Deus dicitur רֹכֵב בָּעֲרָבוֹת *equitans in campestribus*, Psalm. 68: 5. & Ecclesiæ Dei receptaculum & refugium. Hos. 2: 13. *Ego pellicio illam, & deducam illam in desertum.* Apoc. 12: 6. *Mulier fugit in desertum.* Quinimo cum Prophetia dicit *vocem clamantis* Baptistæ exstitisse *in deserto*, non tantum innuitur *desertum* Judææ, quod Judæam attingebat, & pars Judææ erat, in quo Johannes non minimam dierum suorum partem transegit, sed & respectus habetur ad statum, in quo tunc, cum missus est Johannes, Iudaica gens erat agebatque, nimirum tempore *ἀναδείξεως exhibitionis* Baptistæ Iudæi instar *deserti* erant, carentes bona fruge, haut ferentes fructus justitiæ. Pastores & Rectores populi *fures* erant & *latrones*. Es. 1: 21. Ioh. 10: 8. Ipse populus erat *ut oves errantes*. 1 Pet. 2: 25. *Omnes nos, ut oves, erravimus, unusquisque in viam suam deflex*imus. Es. 53: 6. Verbi divini exigua aut nulla aderat sementis. Deinde & Iudæi *deserti* tunc instar habebant, quia à gentibus, Romanis, jam victi & subacti erant. Pompejus Hierosolymam ceperat. Gabinius tribunalia in Iudæa constituerat. A præsidibus Romanis Iudæi regebantur. Censum solvere Romano Imperio cogebantur. Ita quasi deducti erant *in desertum populorum*; ubi & *Deus*, in carne manifestatus, *cum illis disceptavit* פָּנִים אֶל פָּנִים *facie ad faciem*. Ezech. 20: 35. Romana autem gentilitas spirituale *desertum fuit*. Ita igitur *vox* Iohannis clamavit *in deserto*, quia & in locis desertis frequenter docuit & præconiatus est; deinde &, quia populus, ad quem missus est, speciem habebat deserti, terræque non seminatæ; carens notitia & amore Dei, subjectus, cinctusque à gentibus.

§. 16. Apparet autem ex hisce totam vitæ rationem, quam servavit Iohannes, regno cælorum fuisse accommodam, & ad abducendum populum à tabernaculo & veteri vivendi more: nam cum esset Sacerdotis filius, adeoque Sacerdos, non incessit vestitus, ut Sacerdos; nec à victimis vixit, ut Sacerdotes; nec in Hierosolyma consedit, in qua erat templum, ad quod alligatum erat Sacerdotium; manifestissimo argumento, Sacerdotium vetus abolendum, victimas abrogandas, esumque & communionem illarum; Templum derelinquendum, aliudque, verum nimirum & spirituale ædificandum, Desertum sanctificandum, plantandum, seminandum, vocandum.

Omnis vitæ ratio Iohannis Baptistæ regno cælorum fuit accommoda.

§. 17. Ministerium Iohannis secundo nunc venit loco considerandum. Illius duæ sunt partes primariæ. 1. *Doctrina* & *μαρτυρία testimonium*, quod tulit; *κήρυγμα præconium*, quod præconiatus est. 2. *βάπτισμα baptisma*, quod instituit.

Ministerium Iohannis.

§. 18. Venit Iohannes *κηρύσσων*. Matth. 3: 1. Non proprio venit motu, sed missus à Deo. Ioh. 1: 6. *Exstitit homo missus a Deo.* Mal. 3: 3. *Ecce ego mitto Angelum meum.* Quod de Ieremia dictum, idem & de Iohanne dici potest, *Antequam formarem te in ventre, novi te, antequam exires ex utero sanctificavi te. Prophetam gentibus dedi te.* Ier. 1: 6. hinc & *populus persuasus fuit*, Ἰωάννην προφήτην εἶναι. Luc. 20: 6. Venit autem ut ferret testimonium. Ioh. 1: vers. 7: 8. *Hic venit in testimonium, ut testaretur de Luce. Non erat ille τὸ φῶς Lux illa, sed ut testaretur de Luce.* Non est Iohannes Lux illa vera, Ioh. 1: 9. ut nec est *vita hominum*, Ioh. 1: 4. sed est *testis lucis*; & quantum in servum, ac ministrum, *qui est è terra, & è terra loquitur*, Ioh. 3: 31. cadere potest, *μάρτυς πιστός fidelis testis. Lux* igitur illa non est Iohannes; est tamen *Lucerna*. Ioh. 5: 35. *Ille erat ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων Lucerna illa ardens & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce illius.* Lucerna à Luce lumen mutuatur suum. Omne lumen, quod in Iohanne exsplenduit, donum beneficiumque æternæ Lucis fuit. Vocatur autem Iohannes lucerna *ardens lucensque*, quia singulari indutus fuit zelo, & ut phosporus in terris luxit, donec zelo veritatis consumeretur. *Ad horam in luce illius exultarunt.* Gavisi enim sunt, tam sanctum

Missus Iohannes à Deo.

Ad testandum de Luce.

Non Iohannes Lux illa sed Lucerna.

& veracem & abstinentem virum surrexisse; cujus sanctitate & sapientia gloriari possent supra omnium gentium sapientes, hinc notatur initio ad illum exivisse *Hierosolyma, & omnis Judæa, & omnis circumjacens Jordani.* Matth. 3: 5, 6. Marc. 1: 5. sed *ad horam* tantùm. *Venit enim ad illos Iohannes in via justitiæ, & non crediderunt illi. Publicani autem & meretrices* ἐπίστευσαν αὐτῷ. Matth. 21: 32. Hic denique *Testis lucis* fuit ad id, ut *daret cognitionem salutis* τῷ λαῷ αὐτοῦ *populo ipsius*, Domini nimirum *ante cujus ambulavit faciem.* Luc. 1: 76. 77. adde Joh. 5: 33. μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ.

Testimonium Iohannis de Luce. §. 19. Ita autem de *Luce* vera Johannes testatus est, non submissâ sed altâ voce. Ἰωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, καὶ κέκραγε. Joh. 1: 15. *Qui post me venit, ante me exstitit,* ὅτι πρῶτός μου ἦν. *Nam prior me est.* Christus *venit post* Iohannem. Iohannes enim & prior natus est, & prior aggressus ministerium, & prior absolvit cursum. *Exstitit* autem *ante Iohannem*, hoc est, Iohanni prælatus fuit. Johannes enim *debuit* ἐλαττοῦσθαι; *illum* autem αὐξάνειν. Joh. 3: 30. Et quid hoc mirum, cum sit Johanne *prior?* & ordine, & dignitate, & tempore. Qui enim *fuit, antequam Abraam esset*, Joh. 8: ℣. 58. quidni fuerit antequam Iohannes esset? Pergit Iohannes. *Et è plenitudine illius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ioh. 1: 16. Plenitudinem Iesu laudat, *omnia* enim *implet in omnibus*, Ephes. 1: 23. est *plenus gratia & veritate.* Ioh. 1: 14. *Omnis plenitudo Deitatis habitat in illo.* Col. 2: 9. hinc Paulus exaggerat τὸ πλήρωμα τοῦ Χριστοῦ. Ephes. 4: ℣. 13. Ex hac illius plenitudine *omnes nos*, magni & parvi, doctores & discipuli, circumcisi & præputiati, viri & fœminæ, servi & liberi, ἐλάβομεν *accepimus. Quid* igitur *habes*, ô homo, ὃ οὐκ ἔλαβες, 1 Cor. 4: 7. quid autem? πάντα τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν. 2 Petr. 1: ℣. 3. Imò & χάριν ἀντὶ χάριτος, pro gratia olim parcius exhibita, gratiam plenè effusam; pro gratia spei, gratiam fidei, pro gratia Sponsoris, gratiam Sacerdotis consummati. *Gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in multos redundavit.* Rom. 5: 15. Dicit Iohannes, *accepimus*; beneficia adducenda sibi applicans ut adducta. Si quis tamen hæc verba, ut & vers. 17. 18. dixerit esse rursum verba Iohannis Euangelistæ, nec is à vero aberraverit.

De Agno Dei. §. 20. Ita porro Baptista. *Ecce Agnus Dei, qui portat peccatum mundi.* Ioh. 1: 29. 36. *Agnum* illum vocat, qui Agnus est, ratione patientiæ, ratione utilitatis, ratione aberrationis nostræ ipsi impactæ; præfiguratus in agno Paschali; unde & *Pascha* dicitur, 1 Cor. 5: 7. & in cottidianis *duobus agnis anniculis*, qui secundùm legem offerebantur. Exod. 29: 39. Num. 28: 3. unde & *Sacrificium juge* appellatur. Dan. 12: 11. Sed Agnum *Dei*, à Deo datum, missum, præagnitum, Deoque *decentem*, illique charissimum. Agnum hunc dicit *portare peccatum*, & auferre, quod legales non poterant agni, Hebr. 10: 4. & quidem *mundi*, imò *totius mundi*, 1 Ioh. 2: 2. non Israëlis tantùm, sed & gentium. Addit Iohannes κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν *& ego non noveram illum.* Ioh. 1: 31. 33. Idem enim verum de Iohanne, quod de Petro, *caro & sanguis non revelavit tibi.* Matth. 16: 17. Denique ita fatur, *& ego vidi, & testatus sum*, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, Ioh. 1: 34.

De Sponso. §. 21. Nec minus emphaticè Ioh. 3: 29-36. *Qui habet Sponsam, Sponsus est.* Agnus Dei sponsus est, desponsatam sibi habens Ecclesiam. Hos. 2: 15. *Illum oportet crescere, me autem minui.* En vaticinium de Christi incremento, & de Iohannis decremento. *Qui supernè venit, super omnes est. Qui è cœlo venit*, ἐπάνω πάντων ἐστίν. *Quod vidit & audivit, id testatur. Qui accipit illius testimonium, obsignavit, quod Deus verus est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Ita imitatur verba Dei. Deut. 18: 18. *Dabo verba mea in os ejus. Pater amat Filium, & omnia dedit in manum illius. Qui credit in Filium,*

habet vitam æternam. Apparet, Johannem omnem Euangelii summam nunciasse, & fidem in Filium Dei commendasse.

§. 22. Nec tacuit Johannes de judiciis, quæ Lux vera exercitura esset. *Qui inobediens est Filio, super illum manet ira Dei.* Joh. 3: 36. *Ille vos baptizabit igne. Paleam comburet igne inexstinguibili.* Matt. 3: 11. 12. De Judiciis Lucis.

§. 23. Eo magis magnitudinem Lucis extulit, quo profundius se ipsum humiliavit. Joh. 1: 27. *Non sum dignus, ut solvam ipsius corrigiam calcei.* Matt. 3: 11. *Cujus non sum idoneus, calceos bajulare.* adde Luc. 3: 16. Matt. 3: 14. *Ego necessum habeo à te baptizari, & tu venis ad me?* Maximum, quod sibi ipsi tribuit, est, quod se vocat *amicum sponsi, qui stat & audit illum.* Joh. 3: 29. Imprimis cavit, ne gloriam Christi arrogaret sibi. *Vos ipsi mihi testabimini, quod dixi, non sum ego Christus, sed missus sum ante illum.* Joh. 3: 28. confer Joh. 1: 20. 23.

§. 24. Nec tantùm testatus est Johannes de *Luce*, sed & serio ac sedulo hortatus est ad *μετάνοιαν resipiscentiam. μετανοεῖτε resipiscite.* Matt. 3: 2. Idem Christi præconium. Matt. 4: 17. Marc. 1: 15. Commendatio μετανοίας.

§. 25. *Μετάνοια resipiscentia* est *peccatorum*, Marc. 2: 17. *non veni vocare justos, sed peccatores εἰς μετάνοιαν ad resipiscentiam*, confer Luc. 5: 32. *justi enim* οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας. Luc. 15: 7. Est *ab operibus mortuis.* Hebr. 6: 1. Est εἰς τὸν θεὸν *in Deum.* Act. 20: 21. μετανοεῖν καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν θεόν. Act. 26: vers. 20. Est *in agnitionem veritatis.* 2 Tim. 2: 25. *Si forte det illis Deus* μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας. Est *ad vitam.* Act. 11: 18. *utique & gentibus dedit Deus* τὴν μετάνοιαν εἰς ζωήν. Est *ad salutem.* 2 Cor. 7: 10. μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον. Est Deo grata. 2 Pet. 3: 9. βουλόμενος πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι. Non caret *fructibus*, Luc. 3. 8. *facite fructus dignos resipiscentia:* nec *operibus.* Act. 26. 20. ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράσσοντας: nec *fide.* Marc. 1: v. 15. μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ἐν τῷ Ευαγγελίῳ. Est Dei donum. Act. 5: 31. δοῦναι μετάνοιαν τῷ Ἰσραὴλ καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. confer Act. 11: 18. 2 Tim. 2: 25. Multis negatur. Hebr. 12: 17. Esau μετανοίας τόπον οὐχ εὗρε, καίπερ μετὰ δακρύων ἐκζητήσας αὐτήν. *Multis impossibile* ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν. Hebr. 6: 6. Μετάνοια est Peccatorum.

§. 26. Iohannes monens Iudæos *resipiscere*, monet, ut ab operibus mortuis & peccatis convertantur ad Deum, fidem & agnitionem veritatis, & faciant opera resipiscentiæ; nec à malis tantum factis desistant, sed & ab opinione *propria justitiæ*, quam Iudæi jam olim quæsiverunt ζητοῦντες Romanor. 10: vers. 3. putantes se justos in factis legis externis, in observatione ceremoniarum, in circumcisione carnis, in oblatione pecudum; quæ omnia sine fide nil aliud sunt, quàm ζημία καὶ σκύβαλα. Phil. 3: 7. 8. Ab hac resipiscere est quærere *justitiam Dei*, apprehendere *arcem & salutare Dei*, *sitire & esurire justitiam, quæ est per fidem Christi, è Deo, ad fidem* Phil. 3: 8. 9. Mens Johannis monentis resipiscere.

§. 27. Non loquitur Iohannes de sacrificiis, cibis, lotionibus, justificationibus carnis, ut Moses locutus erat; solam exigit & commendat *resipiscentiam*, ut sacrificium Dei, ad quam toties Prophetæ cohortati fuerant. Hos. 14: 2. *Convertere Israël ad Dominum Deum tuum.* Ioël. 2: 13. *Rumpite corda vestra, & non vestes vestras, & convertimini ad Dominum Deum vestrum.* Ierem. 3: vers. 14. 22. *Resipiscite; convertimini filii refractarii.* Zach. 1: vers. 3. 4. *Revertimini à viis vestris malis, & ab operibus vestris malis. Revertimini ad me, & revertar ad vos.* Ita perpetuum hoc est præceptum; quo utilius nullum, nec magis necessarium ullum. Sine resipiscentia enim *nemo videbit Deum.* Hebr. 12: 14. Ioh. 3: 5. Resipiscentia commendata à Prophetis.

§. 28. Quam-

Utilissima & aptissima est admonitio ad resipiscendam.

§. 28. Quamvis *μετάνοια*, ut §. 25. innuimus, sit Dei donum, & effectus cælestis nostræ *ἀναγεννήσεως*, & orate necessum habeamus, *converte me, & convertar; nam tu es Dominus Deus meus* Jerem. 31:18. non frustra tamen, nec in vanum monemur, *μετανοεῖτε resipiscite.* Ad *μετάνοιαν* in peccatore efficiendam & excitandam utitur Deus verbis, monitionibus, suasionibus. Est enim hæc illius sapientia, ut non per enthusiasmum corda hominum ad se rapiat; quinimo operatio illius in homine, qua illum ad se trahit, accommodata est naturalibus illius facultatibus; ita ut intellectus non tantùm illuminetur, voluntas sanctificetur, cor purgetur, sed & ipsum corpus, omniaque illius membra, motus, & actiones, in novam quasi imaginem transformentur, & è somno ac morte peccati resuscitentur ad vitam exercitiumque justitiæ. Conversio non est violenta coactio, ut lapis cogitur in montem, trabs in supremam contignationem, sine ullo illius, quod patitur, sensu, sed est potens & suavissima totius hominis, omniumque illius facultatum attractio & subactio in amorem & obedientiam Dei; ita incipit homo velle, quod Deus vult; & *post illum currit* cum lubentia Cantic. 1:4. & voluntaria ac spontanea evadit oblatio, & sistit *corpus suum victimam, vivam, placentem Deo.* Rom. 12:1. Omne tamen & totum, hoc est, *miserentis Dei* Rom. 9:16. qui *dat*, & efficaciter operatur τὸ θέλειν & τὸ ἐνεργεῖν Phil. 2:13. Deinde monitiones divinæ insignem præstant usum: docent enim 1. Quid Deus ab homine exigat. *Indicavi tibi, ô homo, quid bonum, & quid Dominus requirit à te* Mich. 6:8. 2. Quid in illo velit efficere: quod enim sanctos jubet facere, id & illos facit facere. Est enim ὁ ἐνεργῶν ἐν αὐτοῖς Phil. 2:13. 3. Qua in re trahentem debeant sequi Deum. Denique etiam reprobi per illas constituuntur *ἀναπολόγητοι inexcusabiles*: ut enim τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ ita & *monitiones Dei* agunt *ducuntque* illos εἰς μετάνοιαν; quam nil magis agentes κατὰ τὴν σκληρότητα καὶ ἀμετανόητον καρδίαν *secundum duritiem ipsorum, & cor pœnitere nescium thesaurizant sibimetipsis iram in die iræ.* Rom. 2:4.5.

Sumpta ab appropinquatione regni cælorum.

§. 29. Ratio, suadens *μετάνοιαν*, hæc à Johanne recitatur: ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. *appropinquavit enim Regnum cælorum.* Mat. 3:2. confer Mat. 10:7. Id alibi dicitur *Regnum Dei* Mat. 6:33. 11:12. Rom. 14:17. *Regnum Domini nostri & Servatoris Jesu Christi.* 2 Petr. 1:11. *Regnum Christi & Dei.* Eph. 5:5.

Regni illius subditi.

§. 30. Ubi *Regnum* est, oportet ut sint subditi, qui reguntur. Regnum sine subditis, non regnum est, sed solitudo & desertum. Igitur & Regnum Dei suos habet subditos, suumque populum; nim. *Sanctos* omnes, *vocatos & electos.* Dei *Regnum* est ab olim, ut enim fœdus gratiæ inde à lapsu promulgatum fuit, ita & Regnum ab inde cœpit Dei, qui enim in Deo sunt salvati, à Deo etiam fuere recti, qui Deum amplexi sunt ut salvatorem, eundem coluerunt ut Regem, qui salutem ejus gustarunt, in regnum etiam illius intrarunt. Hoc autem *Regnum*, de quo Johannes Baptista, non fuit ante, dicitur enim *appropinquare*, quod prope erat, ante non fuerat. Ergo & hujus Regni subditi non erunt, qui ante fuerunt; sed illi, qui ἀπὸ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννου *inde a diebus Johannis* sunt vocati, & Christum ἔλαβον, & Siloh obediverunt; *empti* nimirum illi *Deo in sanguine Agni ex omni tribu, & lingua, & populo, & gente.* Apoc. 5:9. Improbi omnium seculorum ad Regnum Dei non pertinent. Regnum enim Dei beneficium est & gratia: illique Deum Regem rejiciunt. *Deus* autem *hujus mundi* (2 Cor. 4:4.) illorum Rex est. Nec Dominus illorum est Rex, sed Judex; qui non illos *solatur scipione suo & virga sua* Psal. 23:4. sed *confringit sceptro ferreo, & ut vas figuli illos facit dissilire.* Psalm. 2:9.

Quomodo id sit regnum cælorum.

§. 31. Igitur *Regnum*, quod habetur in sanctis ultimi temporis, quod in sacris dicitur *seculum futurum, plenitudo temporis,* quique sunt è Judæis & gentibus, dicitur *Regnum cælorum.*

1. Quia

1. Quia in illo שַׁלִּטִין שְׁמַיָּא *dominantur cœli*, ut ita loquar è Dan. 4: 23. hoc eſt, Deus & Chriſtus, cujus *cœli ſolium*. Eſ. 66: 1. Sciendum, Deum olim populum ſuum *ſubjeciſſe Angelis*. Hebr. 2: 5. *in* quorum διαταγὰς *ordinationes accepta lex eſt*. Act. 7: 53. non ut Angelos colerent, aut divino proſequerentur honore, & illos Dominos ſummos agnoſcerent: ſed quatenus Angelis, *miniſtris* Dei, commiſſum fuit, ut curarent, ne populus legem, *jugum* durum, per inobedientiam excuteret. Hoc munere non potuere fungi Angeli, ſine exercitio dominii cujuſdam, ut ita loquar, & ſeveritatis aliqualis in illos, quibus impoſita Lex erat; imprimis autem in illius παραβάτας tranſgreſſores & violatores. Id vocat Apoſtolus *ſubjectionem Angelorum*. Deinde dedit Deus populo *Legiſlatores & Exactores*, *Vigiles*, *Sacerdotes*, *Judices*, *Principes ſanctuarii*, qui *in cathedra Moſis* dicuntur *ſediſſe* Matt. 23. 2. hoc eſt, illius fuiſſe ſucceſſores in docendo & regendo. Horum fuit non tantùm præeſſe politiæ, & illam curare; nec tantùm curare Eccleſiam, illam inſtituere & docere, quod & *Prophetæ* fecerunt omnes ab initio, ſed imprimis urgere obſervationem cultus ceremonialis, & exercitium continuare legis, illius figuras explicare, & inobedientes ac tranſgreſſores punire. Hebr. 10: 28. Hæc poteſtas eouſque ab iis uſurpata fuit, ut ſæpè *ligârint onera gravia & ægrè portabilia*, *& impoſuerint humeris hominum* Matt. 23: 3. 4. & *caſtigarint* populum κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς. Hebr. 12: 10. Quamvis igitur omni tempore Vet. Teſt. fuerit *regnum Dei*, Populuſque Iſraël habuerit Deum Regem, tamen Deus tunc regi voluit Populum & per Angelos & per Homines, illumque illis ſubeſſe & habere ut Dictatores quaſi faciendorum aut omittendorum in ceremonialibus. Imò fuere homines hi quaſi *ſocii* Dei & Chriſti Pſalm. 45: 8. & Chriſtus Rex *veſtis* inſtar illis indutus fuit; neque adeo, ſi ſic balbutire licet, Regnum Dei in populum veterem fuit purè mereque monarchicum; quia non Chriſtus ſolus, ſed & *ſocii* Chriſti præceperunt populo. Sed nunc, introducto Novo & meliore Teſtamento, Regnum hoc dicitur *Regnum cælorum*, ut doceamur, nunc *cœlos* ſolos regnare, dominium, ſi id ita dici poteſt, Angelorũ deſinere, nec *habitabilem futuram illis ſubjici* Heb. 2: 5. illoſque deinceps nil eſſe, niſi *conſervos* Apoc. 19: 10. & *miniſtros ſalvandorum*. Heb. 1: 14. Imo & dictaturam Legiſlatorum veterum aboleri, *Principatus* hos *& poteſtates exui & oſtentui haberi*. Col. 2: 15. *Principes prioris ſeculi aboleri*. 1 Cor. 2: 6. *Paſtores* hos caſſari Zach. 11: 8. Adeo ut Chriſtus ſolus ſit Rex Sanctorum, regens illos Verbo & Spiritu.

1. Quia in illo dominantur cœli.

2. Quia ſtatus, ratio, diſpenſatio, œconomia hujus regni cœleſtis planè eſt & ſpiritualis; non enim hic eſt terreſtre pignus, ut olim terra Canaan; nec viſibilis civitas, ut Hieruſalem; nec manu factum templum aut altare ut in Zion; nec lex præcepti carnalis, ut illa, quæ de ſacrificiis & lotionibus præcipiebat; nec multitudo carnalis, ſecundùm literam & externè tantùm in fœdere ambulans, quæ audiat populus Dei, ut omnes illi, qui ad tabernaculum olim accedebant; ſed illi, qui ad hoc regnum pertinent, habent πολίτευμα ſuum *in cælis*. Phil. 3: 20. *Ieruſalem cæleſtis*, *libera*, *eſt illorum mater*, Gal. 4: 26. imò *e cælis à Deo* illa quaſi ad illos in terram *deſcendit*. Apoc. 21: 2. non vacant *eſui & potui*, ſed gaudent *juſtitia*, *pace*, *libertate*. Rom. 14: 17. Gal. 5: 1. *benedicti ſunt omni benedictione ſpirituali in ſupercæleſtibus*. Eph. 1: 3. *acceſſerunt ad Zion montem*, *civitatem Dei vivi*, *Ieruſalem cæleſtem*, *Spiritus juſtorum conſummatorum* Hebr. 12: 22—24. & ad unum κεφαλαίωμα ſunt redacti cum illis, qui ſunt *in cælo*. Eph. 1: 10. adorant *in Spiritu & veritate*, Joh. 4: 24. *ad legem juſtitiæ fidei præſtolantur*. Eſai. 42: 4.

2. Quia diſpenſatio illius planè cæleſtis eſt.

§. 32. Igitur *Regnum cælorum*, *appropinquans*, nil aliud ſignificat, quàm novum illum modum, quo Deus recturus erat populum ſuum; qui in hoc differt à priori & veteri modo ſeu ratione Regni, quod Deus deinceps regnat, abolitis ſociis & Legiſlatoribus, & caſſatâ carnali ac externa illa ſerviendi illi ratione.

§. 33. Re-

Regnum cœlorum est regnum gratiæ.

§. 33. Regnum hoc cœlorum est certè *regnum gratiæ*; sed illius *gratiæ*, quam *pro gratia in* Christo *accepimus*; hoc est, gratiæ plenius collatæ, demonstratæ, impletæ, exhibitæ, adductæ; qualis sub Veteri Testamento in illa mensura & amplitudine exhibita non fuit. Hoc regnum est fructus, sequela, & beneficium novi meliorisque Testamenti; in quo ut meliora & gloriosiora omnia, ita & Regnum Dei gloriosius est, & ad felicitatem ac beatitudinem sanctorum abundantissimum. Regnum hoc gratiæ exit in *regnum gloriæ*, de quo Paulus 2 Tim. 4: 18. *Servabit me*, seu *salvum me faciet Dominus* εἰς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ τὴν ἐπουράνιον. & Matt. 25: 34. *Venite benedicti Patris mei; hæreditate regnum paratum vobis à jactis mundi fundamentis*, adde 2 Tim. 4: 1. *Judicabit vivos & mortuos* κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, καὶ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ. In quo *regno gloriæ* tanto præstantiora erunt omnia præ regno gratiæ; quanto in hoc sunt præstantiora omnia præ regno veteris, ut ita loquar, seu prioris & olim exercitæ gratiæ.

Exit in regnum gloriæ.

Regnum id Johannis tempore appropinquaverat.

§. 34. De hoc Regno cœlorum ita inquit Johannes, ἤγγικε *appropinquavit*; *propè est, ut reveletur & veniat*. Es. 56: 1. Nam Johanni successurus erat Christus, *unctus Rex in Zion* Psal. 2: 6. *vetera* cassaturus; *nova* adducturus. 2 Cor. 5: 17. Christus deinde expressius adhuc locutus est Luc. 17: 21. *Regnum Dei inter vos est*: quasi dicat, Rex Ecclesiæ jam venit & ambulat inter vos, cujus est *stabilire* seu aptare *Regnum hoc, & fulcire in judicio & justitia*. Es. 9: 6. Imminebat finis Hierosolymæ & terrestris sanctuarii; etiam *consummatio defectionis*, h.e. populi defectoris; & *obsignatio peccatorum*, Dan. 9: 24. quibus factis seu impletis non demum appropinquasse, sed advenisse & adesse regnum cœlorum censendum omnino erat.

Eò magis necessaria erat resipiscentia.

§. 35. Erat autem appropinquante hoc regno pernecessaria μετάνοια, tum ab operibus malis, tum ab opinione propriæ & carnalis justitiæ. Hoc enim regnum, non est regnum injustitiæ, aut tenebrarum, aut peccati, sed *regnum lucis*. Col 1: 13. *Omnis fornicator, &c. non habet hæreditatem in regno Christi*. Eph. 5: 5. *An nescitis, quod injusti Regnum Dei non hæreditabunt*, 1 Cor. 6: 9. qui *accipiunt* βασιλείαν hanc ἀσάλευτον *servire* debent *Deo* εὐαρέστως μετ' αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας. Heb. 12: 28. Regnum hoc *datur genti facienti fructus illius*, h.e. fructus decentes & convenientes illi, Matt. 21: 43. *sine sanctificatione nemo videbit Deum*, hujus Regni Regem. Hebr. 12: 14. Est regnum, in quo *abundantia gratiæ & doni justitiæ accipitur*, Rom. 5: 17. imò est *justitia, & pax & gaudium in Spiritu S*. Rom. 14: 17. *Gratia Dei salutaris*, quæ in hoc regno *apparuit, docet nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiscentiis, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo*. Tit. 2: 11. 12. Nemo hoc regnum *videre*, nedum *intrare potest*, ἐὰν μὴ γεννηθῇ ἄνωθεν, ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος. Joh. 3: 3. 5. Hujus autem cœlestis ἀναγεννήσεως proximus effectus est ἡ μετάνοια. Qui hoc *regnum Dei quærunt*, oportet ut & quærant τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ *justitiam illius* Matt. 5: 33. ut *in illo inveniantur, non habentes propriam justitiam è lege*. Phil. 3: 9. Qui *propriam justitiam constituere* satagunt, ut *justitiæ Dei haut subjiciantur*, Rom. 10: 3. ita nec Regno cœlorum. *Aboliti sunt a Christo*; *gratiâ exciderunt*; regni cœlorum extorres sunt, qui *in lege justificari* volunt. Gal. 5: 4.

Regnum cœlorum in Prophetiis promissum.

§. 36. Regnum hoc Dei exstiturum prædictum erat in Prophetis. Ps. 22: 29. *Jehova est regnum, & dominans in gentibus*. 93: 1. *Jehova regnum occupavit*, seu *Rex factus est*. confer Psal. 97: 1. Zach. 14: 9. *Et fiet Iehova Rex in omnem terram*, Es. 52: 7. *dicens Zioni* מָלַךְ אֱלֹהָיִךְ *Rex factus est Deus tuus*.

Frequens de illo sermo Christi.

§. 37. De hoc regno *cœlorum*, *Dei*, *Christi*, cujus *Euangelium* prædicavit Christus Matt. 4: vers. 23. 9: 35. quodque cottidie petere jussit, *Veniat regnum tuum* Matt. 6: 10. sæpissimè locutus est Christus, docens, *non esse illud ex hoc mundo* Joh. 18: vers. 36. *non*

veni-

venire μετὰ παρατηρήσεως *cum observatione*, quemadmodum David, Salomon, aliique Reges habuerunt regnum, Luc. 17:20. illud *à diebus Iohannis vim facere*, & *violentos illud* ἁρπάζειν *rapere*, abripere, diripere. *Minimum in illo esse majorem Iohanne Baptista maximo natorum è mulieribus.* Matt. 11:11. 12. *Multos venturos ab oriente & occidente & accubituros cum Abraam, Isaac, Iaacob, in hoc regno cœlorum.* Matt. 8:11. esse *quosdam stantium* apud se, qui *non gustaturi essent mortem, usque dum viderint filium hominis venientem in regno suo*, Matt. 16:28. debere se *humiliare, ut puerulos*, qui *velint ingredi in regnum cœlorum.* Matt. cap. 18: vers. 1 – 4. illumque demum esse *maximum in regno* hoc, qui profundissimè se humiliarit. *Auferendum* illud à Judæis, & *dandum genti alii.* Matt. cap. 21: vers. 43. *Scribis & Pharisæis Va* nunciavit, *nam*, inquit, *clauditis regnum cœlorum coram hominibus. Vos enim non intratis, & intrantes non sinitis intrare.* Matt. 23:13.

§. 38. Multis etiam id simile rebus docuit; *homini seminanti bonum semen*, Matt. 13:24. *grano sinapis.* ỹ. 31. *fermento.* ỹ. 33. *thesauro absconduo in agro.* ỹ. 44. *sagenæ conjectæ in mare.* ỹ. 47. *homini Regi conferenti rationem cum servis suis.* Matt. 18:23. *homini* οἰκοδεσπότῃ *conducenti operarios in vineam.* Matt. 20:1. *Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Mat. 22:2. *virginibus decem.* Matt. 25:1. Multis id simile rebus.

§. 39. Hoc regnum cœlorum exspectarunt veteres, ut omnes alias gratias. Ita Josephus ab Arimathia dicitur fuisse προσδεχόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Marc. 15:43. *in quod sanctos per multas afflictiones oportuit intrare.* Act. 14:22. confer 2 Thess. 1:5. Ab antiquis diu exspectatum.

§. 40. Hoc regnum cœlorum non tollit *regna mundi*; *non* enim *est de hoc mundo*; quæ & *ipsa facta sunt Domini nostri & Christi ipsius, regnantis in secula seculorum.* Apoc. 11: vers. 15. Pii *Reges nutritii* illius sunt; & *Reginæ nutrices.* Es. 49. vers. 23. Sed tollit regnum Diaboli. Col. 1:13. *gratias agentes Patri, qui nos eripuit è potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis sui.* abolevit *civitatem & sanctum* typicum, Dan. 9: ỹ. 26. fecit facietque, ut ἡ βασιλεία τοῦ θηρίου sit ἐσκοτωμένη. Apoc. 16: vers. 10. Ipsum verò illud תְּקוּם לְעָלְמַיָּא *stabit in æternum, in æternum non corrumpetur, & populo alii non relinquetur*, denique *abolebit ac comminuet omnia hæc regna* terrestria, quæ cum mundo finientur omnia. Dan. 2: 44. Et tunc cum aboleverit πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν, tradet *Filius Rex Regnum Patri, ut sit Deus omnia in omnibus.* 1 Cor. 15: 24. 28. Non tollit regna mundi.

§. 41. Et hæc de Iohannis doctrina ac præconio, quod planè demonstravimus esse Euangelicum. Si quis autem roget, ab Esaia prædictum, *Vocem clamantem in deserto, dicturam, parate viam Domino; complanate in campestribus viam stratam Deo nostro.* Es. 40: 3. & talia tamen à Iohanne nullibi fuisse dicta, illi respondebimus, Ioannem utique & hæc ipsa verba sibi applicasse, Ioh. 1: 23. substantiam autem verborum horum abundanter implevisse. Non easdem voces, sed eodem sensu locutus est, vocabula hæc non protulit, mentem illorum non tacuit. Iussit *resipiscere*; testatus est de luce; clamavit, *ecce Agnus Dei*; monuit, *fructus* ut ferrent resipiscentiæ; id re ipsa idem fuit, ac si dixisset, *parate viam Domino*, non aliter parari via potuit Domino, quàm per resipiscentiā, per agnitionem lucis, & exhibitionem bonorum fructuum. Illis exstantibus parata Domino via fuit, ut & agnosceretur & acciperetur. Ita & *Domino preparatus* est λαὸς κατεσκευασμένος, Luc. 1:17. qui instructus erat ad illum agnoscendum & accipiendum; abductus ab opinione propriæ justitiæ, adductus ad agnitionē propriæ injustitiæ: *multique filiorum Israel ad Deum ipsorum conversi fuerunt.* Luc. 1: 16. Quomodo Prophetia Esaiæ in Johanne impleta.

§. 42. Nec tantùm prædicavit Iohannes, sed & *baptizavit.* Ioh. 1:28. *Hæc in Betabara facta sunt* πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ὅπου ἦν Ἰωάννης βαπτίζων. confer Ioh. 10:40. à quo opere vocatur βαπτιστής, Matt. cap. 3: vers. 1. cap. 11: vers. 11. 12. 14: 8. 16: 14. 17: 13. Marc. 6: 24. 25. Luc. 7: 20. quo nomine distinguitur ab omnibus illis, qui etiam *Iohannes* dicti sunt; Baptismus Johannis.

veluti à *Joanne Apostolo.* Actor. 1:13. 3:1.4.11. & à *Ioanne, Sacerdote summo.* Act. 4:6. & à *Iohanne*, cognominato *Marco*, socio Barnabæ & Sauli. Actor. 12:25. 13:5.13. 15:37. Baptizavit autem *aquâ*: baptizavit in Ainon, *quia ibi erant aquæ multæ.* Ioh. 3:23. *Ego baptizo in aquâ*, Ioh. 1:26. confer Act. 1:5. 11:16. *in resipiscentiam.* Matth. 3:11. *Ego quidem baptizo vos in aqua εἰς μετάνοιαν*, non baptizavit ad servitutem elementorum mundi, ad quam obligabant legales *καθαρισμοὶ*, & *diversi illi baptismi*, de quibus, Heb. 9: vers. 10. & cujus pars illi erant, sed ad sectationem & continuationem resipiscentiæ, unde & baptismus illius vocatur *βάπτισμα μετανοίας*, Actor. 13:24. 19:4. & *in remissionem peccatorum*, Luc. 3:3. κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, quæ & baptizati ab illo *confessi sunt.* Matth. 3:6. ἐβαπτίζοντο, ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. *Venit* autem *in aqua baptizans*, ut IESUS, Agnus Dei, φανερωθῇ τῷ Ἰσραὴλ *manifestaretur Israeli.* Ioh. 1:31. *Iohannes baptizavit*, inquit Paulus, *populo dicens, in venientem post se, ut crederent*, hoc est, *in Christum Iesum.* Actor. 19:4. Et ipse Christus *venit ad ipsum*, τοῦ βαπτισθῆναι ὑπ᾽ αὐτοῦ, quem tamen διεκώλυεν *prohibuit*, agnoscens, *se necessum habere ab illo baptizari.* Matth. 3:13.14. Baptizavit jussu divino; hinc dicit, *qui misit me baptizare.* Ioh. 1:33. & Christus non obscure innuit, *baptisma Ioannis è cœlo esse.* Luc. 20:4. Matth. 21:25.26.

Non differt à baptismo Christi. §. 43. Baptismus Iohannis non differt à baptismo Christi, nam & utrobique adhibetur *aqua*, utrobique ejusdem est commonefactio officii; *μετανοίας* seu *resipiscentiæ*, & ejusdem obsignatio beneficii; *remissionis peccatorum*, & ejusdem ostensio ac manifestatio Domini; *Iesu Christi. Christus* baptizatus à Iohanne non secunda accepit vice baptismum, si autem baptismus Christi à Iohannis diversus esset, certè Christus proprium non neglexisset baptismum, ut propriam non neglexit cœnam. Matth. 26:29. Discipulos Iohannis, à Iohanne baptizatos, qui Christum deinceps secuti sunt, nullibi legitur Dominus rebaptizasse, nec illi ab Apostolis rebaptizati sunt, qui *sciebant* μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου, ut *Apollos Alexandrinus.* Actor. 18:25. quinimo Paulus Ephesios, dicentes se baptizatos εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, ita informavit, docuit, instituitque, *Ioannem baptizantem baptisma resipiscentiæ, fidem populo* recommendasse *in Christum venientem*, ut illis *auditis*, sponte agnoscerent, se jam *baptizatos esse in nomen Domini Iesu.* Id enim valent verba. Actor. 19:5. ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, *Audientes autem, baptizati fuerunt in nomen Domini Iesu*, hoc est, postquam Ephesii audivissent Paulum ita explicantem & declarantem baptisma Iohannis, illi re ipsa comperiebant, se in nomen Domini Iesu baptizatos fuisse. Hinc & *imposuit illis* Paulus *manus, venitque Spiritus Sanctus super illos, ut loquerentur linguis & prophetarent.* Actor. 19:6. non autem illos rebaptizavit. Igitur haut necessum est, vocem ἀκούσαντες accipere de iis, qui Iohannem audiverant auribus, velut de discipulis ejus; ac si illi *in nomen Domini* tantùm à Iohanne baptizati fuissent. Si enim discipuli Iohannis in id nomen baptizati sunt, quidni & omnes alii baptismi compotes Iohannis? quibus idem apud baptismum dictum, quod discipulis, τῷ λαῷ λέγων, Actor. 19:4. quique eadem materiâ, sacrâ nimirum undâ, tincti fuerunt.

Nec est ceremonia Vet. Testam. §. 44. Fuit ergo baptismus Johannis non ceremonia quædam prioris Testamenti, nec lotio quædam legalis; sed est idem cum baptismo Christi, & ut ille, Sacramentum Novi, hinc non desiit cum Vet. Test. nec abrogatus est cum ceremoniis illius; sed eodem baptismo resipiscentiæ, in fidem Christi, qui venit, & remissionem peccatorum, baptizati sumus & baptizamur omnes. Quod autem non dicimur, *in Ioannis baptizari baptisma*, sed Christi, inde est; quia Christi *Domini* mentio facienda præ Johanne *servo*; & quia nos à

Chri-

Christo sumus baptizare jussi; non à Johanne, qui & ipse à Domino jussus est, imò &, quia non tantùm ex institutione Christi, sed & *in nomen Christi* baptismum accipimus: denique quia Johannes fuit baptista & minister veteris populi, ad novitatem initiandi & vocandi. Is igitur potuit baptizari in Johannem; quorum & Patres *baptizati fuerant in Mosen, in nube* olim *& mari.* 1 Cor. 10:2.

§. 45. Fuit autem baptismus Johannis optimum medium *parandi viam Domino*, & ad *manifestandum illum Israeli*, & ad *convertendum ac praeparandum* corda populi in illius fidem & obedientiam. Illo enim baptismo initiati & consecrati fuerunt ad cogitandum de resipiscentia vera, ad abducendum animum ab opinione propriæ justitiæ, ad anhelandum ad remissionem veram peccatorum, ad sitiendum sanguinem Filii Dei, *in quo illam habemus*, Ephes. 1:7. cujus symbolum Aqua Baptismi est. Ut enim hæc à sordibus externis, ita *ille purgat nos ab omnibus peccatis.* 1 Joh. 1:7. Et fuit optimum medium parandi viam Domino.

§. 46. Quæ Romanæ Ecclesiæ Antistites proferunt, ut probent, Baptismum Johannis nec *Sacramentum* esse, nec eundem cum Baptismo Christi, videre est Tom. 2. operum Cardinalis Bellarmini, libr. 1. de Baptismo. cap. 20. Dicunt 1. *Baptismus Iohannis ab illo est institutus.* Vocatur enim *Baptismus Iohannis.* Matth. 3:7. 21:25. Atqui nullus homo Sacramenta instituere potest. Resp. non est ab ipso institutus. *Erat* enim *è cœlo*; non *ex hominibus.* Matth. 21:25. 26. missus est Johannes, ut baptizaret. Παρὰ Θεοῦ *à Deo* nimirum ut est, Joh. 1:6. *qui misit me baptizare*, Joh. cap. 1:33. sonat, qui jussit me baptizare. confer 1 Cor. 1:17. *non misit me Christus baptizare*, hoc est, non id me jussit facere, ἀλλ' εὐαγγελίζεσθαι *sed euangelizare*, hinc 1 Cor. 9:16. οὐαὶ δέ μοί ἐστιν, ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι. A quo accepit Johannes doctrinam, ab illo & Baptismum. Vocatur autem *Baptismus Iohannis*, non quod illius sit *auctor*, sed *minister*, ut *Lex Mosis* dicitur, quæ *per Mosen* data, & *in manu illius addita*, & illius ministerio promulgata est. Act. 15:5. Luc. 2:22. 24:44. Joh. 7:23. Act. 13:39. Joh. 1:17. Gal. 3: vers. 19. Nec obstat, quod Baptismus Christi nullibi dicitur, *Petri aut Iohannis baptisma*; cum & hi illius fuerint ministri. Hi enim mediatè acceperunt baptismum è manu Jesu, *hominis, & Mediatoris.* Johannes autem immediatè illum accepit è cœlo; & prius baptizavit, quàm ipse Dominus, Mediator; imò ipsum Dominum baptizavit. Objecta Pontificiorum solvuntur. 1.

2. *Non baptizavit in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Resp. utique baptizavit, utut formula illa nullibi sit usus; quâ nec Christus, qui & ipse baptizavit. Joh. 3:26. Et quidem *plures*, quàm *Iohannes*, per *discipulos* nimirum *suos.* Joh. 4: ℣. 1. 2. semper aut statim usus legitur. Johannes baptizavit *missus à Deo*, id fuit baptizare *in nomen Dei Patris.* Baptizavit, *dicens populo, in Christum Iesum ut crederent.* Actor. 19:4. Id fuit baptizare *in nomen Filii.* Dum in *Christum* jussit credere, jussit illum habere pro *uncto*, & ungente *Spiritu* Sancto, ita nec baptizans *Spiritus Sancti* oblitus fuit; qui nec ipse procul abfuit ab illius baptismo; & in *Iesum baptizatum descendit columbæ instar.* Matth. 3:16. Baptizavit εἰς μετάνοιαν, Matth. 3: ℣. 11. atque illius effector *Spiritus Sanctus*, ex *quo regeneramur.* Joh. 3:5. Baptizavit *in remissionem peccatorum.* Luc. 3:3. Illa autem *in Christo habetur.* Col. 1:14. ut *per Christum* καταγγέλλεται *annunciatur.* Act. 13:38. 2.

3. *Baptismus Christi est Sacramentum Novi Testamenti*; *Ioannis non.* Resp. Imo & Joannis. confer §. 44. Totum Joannis ministerium Novo viam stravit Testamento. *Lex & Prophetæ usque ad Ioannem vaticinati sunt.* Mat. 11:13. *à tunc Regnum Dei annunciatur.* Luc. 16:16. Hinc *initium Euangelii* est recitatio *missionis* Joannis. Marc. 1:1. 2. 3. Imò & Baptista dicitur *euangelizasse populo.* Luc. 3:18. *Paravit viam Domino* Mediatori 3.

Nov. Test. Luc. 1:℣. 76. Baptismus illius obsignavit beneficia Novi Testamenti, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Atqui illa est inter promissa novi & melioris Test. Ierem. 31:℣. 35. Hebr. 8: 10. 12. 10:16. 17. quam Paulus docet non fuisse, quamvis fuerit, quamdiu viguit προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας. Hebr. 10:18. μετάνοιαν, quæ est inter *Sacrificia Dei*, quæ nunquam cessant; qualibus εὐαρεστεῖται ὁ Θεὸς & nunc & in seculum. Ps. 51:18. Heb. 13:16. Quidni igitur Novi fuerit Testamenti?

4. 4. *Iohannis baptismus potuit iterari. Christi non potest.* Resp. Imò nec Johannis potuit, nunquam reiteratus est, nec ab Apostolis, nec à Christo. confer. §. 43.

5. 5. *Baptismus Iohannis non eandem habet efficaciam & vim, quam Christi.* Concil. Tridentin. Sess. 7. Can. 1. de Baptismo. *Si quis dixerit Baptismum Iohannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, sit Anathema.* Id probant è Mat. 3:11. *Ego baptizo vos in aqua. Ille autem baptizabit vos Spiritu Sancto & igne.* Resp. Johannes unum tantùm administravit baptismum, *Aquæ*. *Spiritus* largiri non potuit, quia Spiritus à nemine mitti darique potest, nisi à Patre & Filio, à quibus egreditur. Apostolis *imponentibus manus*, *venit* olim *Spiritus Sanctus super* sanctos, Actor. 19:6. sed non id factum Apostolorum efficacia & dignitate, sed vi promissionis Jesu Christi, & meriti illius, qui, *dextra Dei exaltatus, promissionem sancti Spiritus a Patre accepit.* Actor. 2:33. Igitur nec Apostoli dicuntur *S. Sancto baptizasse*, sed Christi exaltati hæc est excellentia & dignitas. Qui utriusque Baptismi & Autor & causa est, & *aquæ*, & *Spiritus*. Dum Johannes dicit, *ego baptizo aquâ; ille Spiritu S.* non ponit seu comparationem instituit inter aquæ baptismum & baptismum; sed posteriorem baptismum Christi, qui est *Spiritus & ignis*, opponit suo. Igitur est in baptismo Spiritus & ignis major quidem vis & dignitas, quàm in baptismo aquæ Johannis; non autem in Baptismo aquæ, quem imperavit Christus. Is enim non alius est & diversus à Johannis, nam eodem constat elemento; eadem ejusdem gratiæ significatione; eodem gaudet authore, eodemque nititur mandato. Baptismum autem *Spiritus* esse distinctum & planè alium à baptismo aquæ Christi, constare potest ex. Actor. 1:5. *Vos baptizabimini in Spiritu S. non post multos dies hos.* Discipulis aquâ à Christo jam baptizatis (neque enim putem illos omnes baptizatos fuisse à Johanne) hic *baptismus Spiritus* adhuc promittitur. Ergo alius est à *Baptismo aquæ*.

Baptismus Johannis avidè susceptus.

§. 47. Ad Johannis baptismum magnus confluebat numerus. Mat. 3:5. 6. *Tunc exibat ad illum Hierosolyma, & omnis circumjacens Iordani, & baptizabantur.* confer Marc. 1: vers. 5. Inter illos, qui venerunt ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτοῦ, fuerunt *multi Pharisæorum & Sadducæorum.* Mat. 3:7. Imò & *publicani.* Luc. 3:℣. 12. Imò & στρατευόμενοι *milites.* Luc. 3:14. Populus Mosaicis seu legalibus βαπτισμοῖς dudum assuetus à novo hoc baptismo non adeò videtur fuisse alienus. Baptizavit Johannes omnes, sed & hortatus est simul, redarguitque omnes. Sadducæis & Pharisæis dixit, *Progenies viperarum, quis monstravit vobis fugere à futura ira?* Mat. 3:7. Id quod ab illo & τοῖς ἐκπορευομένοις ὄχλοις dictum testatur. Luc. 3:7. Dicit, *progenies viperarum.* Natio hæc posterior malè in sacris audit. Deut. cap. 32: vers. 5. *Ætas perversa & tortuosa.* Es. cap. 1: vers. 4. *semen maleficorum, filii degeneres*, Ioh. cap. 8: vers. 44. dicebat Dominus Judæis; *vos ex Patre diabolo estis, & concupiscentias Patris vestri vultis facere.* Non minus est, quod Baptista dicit; *progenies viperarum*, à viperis geniti, vipereo felle & viperina tincti sanie. Antiquæ viperæ seu serpentis semen. *Quis monstravit vobis fugere à futura ira?* Mat. 3:7. num sensum quendam habetis peccati? unde is ille in vobis, qui toti aliàs in malo jacetis? num *iram* metuitis, peccatis superventuram? Non loquitur de *ira*, qualem *Lex* hactenus *operata* erat. Rom.

Johannis verba ad baptizatos.

Progenies viperarum.

Ira futura.

4: 15. *Pauxillo iræ abscondi faciem meam à te.* Es. 54: 8. sed de *ira*, & de *consummatione*, & quidem *decisa*, quæ mox *in stupentem* populum *destillatura erat*; quâ abolenda erat *Urbs & Sanctum.* Dan. 9: 26. 27. Hanc *futuram iram* ipse describit Johannes. *Iam verò & securis ad radicem arborum posita est.* Matt. 3: 10. Hæc *securis* est potentia Romana, per quam exscindendi erant, quæ graphicè describitur. Es. 5: 27. 28. *Non est defatigatus; non est corruens, non dormitat, non solvitur cingulus lumborum, nec corrigia calceorum, omnes sagitta ejus acuta, omnes arcus ejus tensi, &c.* quæque indigitatur sub nomine *filiæ legionum.* Mich. 4: 14. & *populi Principis advena*, & *desolatoris.* Dan. 9: 26. 27. Hæc securis imprimis admovenda erat *arboribus.* *Arbores* notant eminentias, principatus, & potestates in populo; quæ καταφυγὴν & umbram præbent populo, confer Zach. 11: 1. 2. *Aperi, Libanon, januas tuas, & comedat ignis cedros tuas, ejula abies, nam cecidit Cedrus, magnifici vastati sunt, ejularunt quercus Basan. Vox ejulatus pastorum adest.* Ezech. 21: 10. *Virga filii sprevit omnem arborem.* Amos. 2: 9. *Altitudo* Amorrhæorum & *potentia* cum *cedris* comparatur & *quercubus*, Dan. 4: 7 – 20. visa est Nebucadnezari *arbor excelsa & sublimis*, de qua ita Daniel. *Tu illa* arbor es, *ô Rex.* Igitur & Johannes per *arbores* intellexit Seniores, Sacerdotes & Principes Judæorum; quorum abolitionem, & quidem totalem prædixit unà cum politia & regimine; id est, *ad radicem* arborum, radice enim amputata omninò actum est de arbore. Monuit autem Johannes omnes, ut *facerent fructus dignos resipiscentiæ.* Arbor è fructibus, resipiscentia è bonis sanctisque noscitur operibus. Matt. 3: 8. Imprimis, ne sibi blandirentur, dicentes, *Patrem habemus Abraamum.* Matt. 3: 9. Putabant, illius meritis ab excidio & interitu Israëlitas præservandos. Ita & inaniter gloriantes dicebant, Joh. 8: 33. *Semen Abrahami sumus*, & vers. 39. *Pater noster Abraham est*, qui debuissent considerare, illorum, siquidem *filii sint Abraam, esse, opera facere Abraami*, Joh. 8: 39. hoc est, *ambulare in vestigiis fidei illius.* Rom. 4: 12. Quod cum non fecerint, vana est hæc gloriatio. Neque illi, quamvis sint σπέρμα Ἀβραάμ, æstimari potuerunt verè illius τέκνα. Rom. 9: 7. Imò & *Abraam* tales *non novit*, nec *Iacob cognovit.* Es. 63: vers. 16. Ratio autem, qua hanc Judæorum retundit Johannes gloriationem, hæc est, *nam dico vobis, quod potest Deus ex lapidibus his excitare filios Abraamo.* Matt. 3: 9. Nec vester tantùm Pater Abraam; nec vos tantùm illius filii, nam & alios Deus, qui instar *lapidum* sunt hactenus, duri & infrugiferi, *excitare potest*, jure & decenter, ideoque & excitabit, ut incipiant esse *filii* Abraam. Filiatio Abraami ut & Paternitas non tam naturæ est beneficium, quàm gratiæ, à Deo enim *excitante* est utraque, & Abrahamo dictum, *Patrem multarum gentium dabo te.* Item. *In Isaac vocabitur tibi semen.* Genes. 17: 4. 5. 21: 11. Eo minus decebat Judæos, fiduciâ elatos carnis, dicere, *Patrem habemus Abraamum. Semen sumus Abrahami.* Illi autem *lapides*, è quibus excitare potuit Deus, & excitavit filios Abraamo, *gentes* sunt, naturâ silice duriores. confer Psalm. 114: 8. *Qui mutat petram in stagnum aquarum; silicem in fontem aquarum.* Ezech. 11: 19. *Auferam cor lapideum è carne illorum.* Gentium vocatio & conversio est *excitatio filiorum Abrahami è lapidibus.* Ita autem porrò monuit Baptista populum. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet cibos, similiter faciat.* Luc. 3: 11. Vera resipiscentia & fides *per charitatem operosa est*, Gal. 5: 6. *dividit cum famelico panem, pauperes expulsos recipit in domum, nudos tegit, à carne sua se non occultat.* Es. 58: 7. Publicanis autem ita dixit, *nil facite præter id, quod vobis præceptum est.* Luc. cap. 3: vers. 13. Militibus, μηδένα διασείσητε, μηδὲ συκοφαντήσητε, καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν. Luc. cap. 3: vers. 14.

Securis.

Ad arborum.

Radicem.

Judæorum de paternitate Abrahami vana gloriatio.

Filii Abraamo è lapidibus excitati.

Plurimi Baptizatorum ad peccata redierunt.

§. 48. Igitur populus tanto numero baptizatus voluit *ad horam in luce Johannis exultare.* Joh. 5: 35. Ad *horam* inquam, nam plurimi baptizatorum ad stercora sua redierunt, & manserunt ἀπειθεῖς, Luc. 1: 17. imprimis Pharisæi, qui non *pararunt viam Domino*, sed *reprobarunt lapidem*; nec *fecerunt fructus pœnitentiæ.* Unde & *ira* super illos venit, & *securis* illos amputavit, & *ignis* absumsit. Mat. 3: 10.

Johannes docuit orare. Signa non fecit.

§. 49. Johannes non tantùm docuit de regno Dei, &c. nec tantùm baptizavit, sed & docuit discipulos suos *orare*. Luc. 11: 1. *Domine doce nos orare*, καθὼς καὶ Ιωάννης ἐδίδαξε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, signa nulla fecit Johannes. Joh. 10: 41. *Multi venerunt ad illum & dixerunt*, ὅτι Ἰωάννης μὲν σημεῖον ἐποίησε οὐδέν. Nil minus tamen firma illius doctrina; quam testimonio suo Christus confirmavit; Joannes sanctitate vitæ morumque approbavit, & martyrio obsignavit. Non fuit Joannes miraculorum effector, sed *testis* lucis, & merus *Euangelista.* Luc. 3: 18. πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἕτερα παρακαλῶν εὐηγγελίζετο τὸν λαόν: & in fidem Euangelii *Baptista.*

Legatio Judæorum ad Johannem.

§. 50. Cum tanta & talia egisset Johannes, mittuntur ad illum à Judæis Hierosolymitanis *Levitæ & Sacerdotes*, ut *rogarent illum*, Σὺ τίς εἶ *quis es tu?* Joh. 1: 19. *Et confessus est Johannes, & non negavit. Non sum ego Christus.* ibid. vers. 20. confer Joh. 3: 28. qui ante faciem Domini missus est, Dominus non est. *Neque Elias*, nimirum talis, qualem vos Judæi exspectatis, qui putabant Eliam è cœlo rediturum, ut sit miraculorum editor, dubiorum interpres, exercituum ductor. Neque *Propheta*, munus enim illius præcipue fuit, non ut de futuris vaticinaretur; sed ut jam jam instantibus viam sterneret, & corda ad fidem præpararet; non fuit simplex Propheta, quia & fuit περισσότερον προφήτου. Mat. 11: 9. Quid ergo? *Ego vox clamantis in deserto, &c. quemadmodum dixit Esaias Propheta.* Joh. 1: 23. Ego sum Præco, missus, ut attollam *vocem*, ad clamandum in deserto. Mirabilis hinc elucet Johannis humilitas. Erga Christum Dominum meritò se humiliarat. *Non sum dignus solvere ipsi corrigias. Ego necesse habeo baptizari à te.* Nunc autem è veritate se Prophetam dicere poterat, nam vocandus erat προφήτης ὑψίστου. Luc. 1: 76. Poterat & se dicere *Eliam*, sed solo hoc titulo contentus est, satis ducit, vocari dicierque *vox clamantis. Prophetam, Eliam*, ex operibus se mavult agnosci, quàm propriis verbis nominari, Joh. 3: 29. se dicit *Amicum sponsi, qui stat & audit illum*; *gaudioque gaudet ob vocem illius.* ibidem dicit, se esse ἐκ γῆς *è terra*, & ἐκ γῆς *locutum.* vers. 31. ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστι, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ. *Qui est ex terra*, inde originem trahens, ex illa productus, *ex terra est*, terrenè constitutus, totus terra constans, naturam terrenam habens, & *ex terra loquitur*, terrena virtute & facultate, non ut Dominus fidei, sed ut minister, servus, & mysteriorum cœlestium dispensator. Quando, *qui è terra est*, naturâ pulvis & cinis, quique quamdiu est, *è terra est*, donec ad terram *redeat* & pulverem, quando, inquam, talis *loquitur*, docet, προφητεύει; necessariò *ex terra loquitur*, cum professione terrenæ humilitatis, quique illa, quæ loquitur traditque, non ipse è cœlo detulit, nec in cœlo vidit & audivit, sed à Domino cœli παρέλαβε *accepit*; quique non à carne illa habet revelata, sed à *Patre*, qui *in cœlis* est. Mat. 16: 17. Sed *qui è cœlo venit*, à Patre exivit, *is super omnes est, qui è terra existentes, è terra locuti sunt*; adeoque super Mosen, Eliam, Johannem, nam *quod vidit & audivit*, τοῦτο μαρτυρεῖ. Joh. 3: 31. 32. Cum phrasi ἐκ τῆς γῆς ἐστι, conferri potest, Ioh. 8: 23. ὑμεῖς ἐκ τῶν κάτω ἐστέ; ὑμεῖς ἐκ τοῦ κόσμου τούτου ἐστέ.

Christi de Johanne encomia.

§. 51. Quantò magis autem Iohannes se depressit, tantò sublimius illum laudavit Dominus ipse; docens illum non esse *arundinem à vento agitatam*, hoc est, hominem instabilem, inconstantem, ambiguum, qui quolibet vento quatiatur agaturque; nec *hominem molli-*

mollibus indutum vestibus, hoc est, hominem mundanas delicias, vanitatem, & luxuriam sectantem; non quærentem consortia Regum, in quorum domibus sunt *οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες*, nec Sacerdotium Aharonicum affectantem, cujus compotes mollibus incedebant vestiti, & in penitissima Regum, præcipuè posterioribus temporibus, intrabant, & in illorum domibus primum tenebant locum. Neque satis illum æstimari, si habeatur pro *Propheta*; esse enim omnibus Prophetis ***majorem***, & ***maximum natorum è mulieribus***, Mat. 11:7-11. nemini enim illorum gloriosius & adventui Domini proximius ministerium concreditum est unquam. Regnum Dei, remissionem peccatorum, Euangelium, abrogationem veteris & molesti ac infirmi cultus ipse primus annunciavit & promulgavit; atque adeò videnda exhibuit, quæ ***oculus non viderat***; audienda, quæ ***auris non audiverat***; cogitanda, quæ ***in cor non ascenderant***. 1 Cor. 2:9. Nemo præter illum fuit anteambulo, & præco, & proclamator Domini; quem ille immediatè antecessit. Multi sanctorum exstitere Typi Domini Iesu & figuræ. Prophetæ scrutati sunt de illius passionibus & gloriis. Solus Iohannes exstitit Angelus, ante Dominum missus, ad præparandum Domino *λαὸν κατεσκευασμένον*. Luc. 1:16.17. Prophetæ in Spiritu viderunt *diem Domini*; futura fide præsentia sibi stiterunt, hinc de futuris, ut præsentibus loquuntur. Iohannes non futura, sed revera præsentia intuitus est. Primus omnium digito commonstravit Dominum. ***Ecce agnus Dei***, primus omnium ***agnovit*** Dominum, & *ἔλαβε*, ut cœli donum amplexus est. Ioh. 1:12. adeoque primus omnium ***audivit, oculis vidit, contemplatus est***, ***manibus palpavit sermonem vitæ***. 1 Ioh. 1:1. Imò & Dominus ipse illius quasi exstitit imitator, eodem usus præconii genere, quo ille usus erat, *μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*. Mat. 3:2. cap. 4:17.

§. 52. Iohannes, ut ut dixerit, se Eliam non esse, nimirum talem ut volebant Iudæi, *Elias* tamen est, & dicitur. Hinc quod Mal. 3:1. est, ***ecce ego mitto Angelum meum***, ita Mal. 4:5. exprimitur, ***ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam***, ***antequam veniat dies Domini magnus & terribilis***. confer Marc. 1:2. Luc. 1:17. Docet idem Servator. Mat. 11:℣. 14. ***Et si vultis accipere, ille***, nimirum Iohannes, ***est Elias*** *ὁ μέλλων ἔρχεσθαι*. Mat. 17: vers. 11. *Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα*, convertet enim cor filiorum ad patres, & patrum ad filios; ita ut fuerat initio. vers. 12. ***Dico autem vobis***, ***quod Elias jam venit***. vers. 13. ***Tunc intellexerunt discipuli, quod de Ioanne Baptista dixerat ipsis***. Est *Elias*, non quod anima Eliæ per metempsychosin in illum intrarit, sed quia ***venit*** *ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου* ***in spiritu & potentia Eliæ***, Luc. 1:17. eadem mensura impletus Spiritus Sancti, & non minore instructus potentia, quàm Elias. Ita ferè amictus fuit Iohannes, ut Elias. Etiam Elias ut plurimum in ***deserto*** versatus est. Elias magno pietatis zelo, & invicta constantia cultum Baal dejecit & reprehendit, non minore Iohannes; qui reduxit *ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων*. Luc. 1:17. Elias multam rem habuit cum Achabo & Iesabel. Iohannes cum Herode & Herodiade. In multis tamen dissimilis Eliæ Iohannes fuit. Elias multa edidit signa. Iohannes nulla. Ioh. cap. 10:41. Elias vivus in cœlum elatus est. Iohannes amputato capite in mortem datus est. Est tamen in multis major Iohannes Eliâ; Præcursor Domini, illius Baptista, Parator viæ, Testis, Præco. Elias Baalim semovit; jugum legis, grave illud & *δυσβάστακτον*, auferre non potuit nec debuit. Iohannes, non falsum tantùm redarguit cultum, sed & libertatem Regni cœlorum, & levationem ab omni jugo & legali servitute clarâ voce annunciavit.

Johannes est Elias.

§. 53. Ioannes cum ***implevisset cursum***, Act. 13:25. subiit martyrium, & ***morte sua glorificavit Dominum***. Ioh. 21:19. ***Herodes tetrarcha*** *ἐγάμησεν* ***duxerat in uxorem Herodiada***

Martyrium Johannis.

diada conjugem Philippi fratris sui. Illi dixerat Iohannes, οὐκ ἔξεσί σοι ἔχειν τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ σοῦ. Ideo comprehensus, in vincula carceremque conjectus, tandem, capite multatus est. Mat. cap. 14: vers. 3 – 11. Marc. cap. 6: vers. 17 – 28. Aliàs dicitur Herodes *illum timuisse*, εἰδὼς αὐτὸν ἄνδρα δίκαιον καὶ ἅγιον, & *libenter illum audivisse*, & *multa fecisse* illorum, quæ ab illo audiverat. Marc. 6: 20. Corpus illius à discipulis sepultum est. Mat. 14: 12.

E carcere mittit discipulos ad Jesum. §. 54. Neque in δεσμωτηρίῳ cum esset, cessavit opus agere Domini, quinimo cum audiret in illo τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ *opera Christi*, misit duos discipulorum rogaturos, *Num tu es, qui venturus est? aut num alium exspectabimus?* Matt. cap. 11: vers. 2. 3. Quæstionem hanc movit Johannes, non ac si id nesciret, aut de illo dubitaret; *illustria* enim nimis de illo ediderat testimonia. Joh. cap. 1: vers. 15. 26 - 33. cap. 3: vers. 28 - 36. Et Deus monstraverat ac notum illi fecerat *Jesum*, quem alias se *non novisse* fatetur. Joh. cap. 1: vers. 33. Imò & apud Jordanem illum baptizaverat, Mat. cap. 3: vers. 13. 14. sed discipulorum suorum gratia hanc instituerat quæstionem, à quibus nunc auferendus erat, ut illi intrarent in notitiam Domini Jesu, quem, magistro Johanne ablato, omnino sequi, illiusque indivulsi debebant esse comites & Apostoli.

Testimonium Judæorum de Johanne, & Flavii Josephi. §. 55. Johannes laudem apud ipsos obtinuit Judæos, dicitur enim illis fuisse כהן גדול *Pontifex maximus*, & redarguisse Herodem de incestu. Josephus Gorionides. הוא יוחנן אשר עשה טבילה *Hic est Johannes, qui baptismum fecit* seu instituit. Josephus ἀρχαιολ., lib. 18. cap. 7. vocat illum ἀγαθὸν ἄνδρα, καὶ τοῖς Ἰουδαίοις κελεύοντα βαπτισμῷ συνιέναι. Citat tamen aliam causam, ob quam Herodes morte illum affecerit nimirum Herodem metuisse illius apud plebem autoritatem, ideoque occidendo prævenire illum voluisse, πρίν τι νεώτερον ἐξ αὐτοῦ γενέσθαι *antequam nova quædam molitetur.* Idem Josephus narrat, quomodo Herodes, Joannis interfector, ἐξωρίσθη. Cajus Caligula regnum illi abstulit & bona omnia, αὐτόν τε φυγῇ αἰδίῳ ἐζημίωσεν *perpetuo multavit exilio*, ἀποδείξας τὸ οἰκητήριον αὐτοῦ Λούγδουνον, πόλιν τῆς Γαλλίας. Herodiada autem cum viro simul relegavit, συνήλαυνεν καὶ αὐτὴν τῷ Ἡρώδῃ. Justa hæc Dei vindicta fuit. Imò jam ante, cum Herodes ab Areta Rege fusus victusque esset, deleto illius exercitu, visum est Judæis, ἐπὶ τιμωρίᾳ τῇ ἐκείνου, Joannis nim. τὸν ὄλεθρον ἐπὶ τῷ στρατεύματι γενέσθαι, τοῦ Θεοῦ κακῶσαι Ἡρώδην θέλοντος.

Quando Johannes natus, & munere cœperit fungi. §. 56. Quindecim annis ante mortem Augusti natus ab antiquis ferè omnibus traditur Johannes, ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου καίσαρος *anno autem decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris venit verbum Dei super illum.* Luc. 3: 1. 2. Igitur triginta vel circiter annorum fuit Johannes, cum prodiit in publicum, quo etiam anno ipse Dominus baptizatus est, & cœpit manifestari Israëli. Luc. 3: 23. Non diu officio doctoris videtur functus Johannes, sed brevi Christo cessisse Domino. *Æquum erat evanescere Iohannem, quò magis conspicuus esset unius Christi fulgor*, inquit magnus Calvinus.

C A-

CAPUT III.

De Jésu Christo, qui venit post Johannem, & in specie de æterna illius Deitate.

§. 1. JOhannes Baptista, sanctissimus Martyr, publicè sæpius ὡμολόγησε *confessus est*; Christus venit post Johannem.
Ἔρχεται ὁ ἰσχυρότερός μου ὀπίσω μου, *Venit fortior me post me*, &c, *qui post me venit*,
prior me fuit. Matt. 3: 11. Marc. 1: 7. Luc. 3: 16. Joh. 1: 15. 27. Quem ubi vidit venientem, digito monstravit, *Ecce Agnus Dei*. Joh. 1: 29. 36.

§. 2. Ita omnes uno ore prædixerant Prophetæ, post *vocem: Præconis in deserto, parate viam Domino, manifestandam gloriam* illius *Domini*, & *spectandam omni carni*. Es. 40: vers. 3. 5. Post *missum Angelum, paratorem viæ, subitò venturum Dominum, Angelum fœderis*. Malach. 3: 1. Post *emissum Eliam Prophetam adventurum diem magnum & terribilem Domini, percutientis terram anathemate*. Mal. 4: 5. 6. Id prædictum à Prophetis.

§. 3. De hoc nunc *Domino, Angelo Fœderis, Dei Agno*, de manifestatione gloriæ illius, de adventu illius, deque magnitudine & terribilitate diei illius, agendum pluribus. Et hâc quidem tractatione nulla cognitu magis necessaria, nulla ad consolationem utilior, nulla ad certitudinem spei & salutis efficacior. *Salus enim non est* ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ, *nec nomen est aliud sub cœlo, datum in hominibus, in quo decet salvari nos*. Act. 4: 12. In notitia illius est vita; in fide justitia, in communione beatitudo. Es. 53: 11. Habac. 2: 4. Joh. 17: 3. *factus est enim nobis à Deo sapientia, justitia, & sanctificatio, & redemtio*. 1 Cor. 1: 30. Præter *Jesum Christum non judicavit* Paulus *scire quicquam*, 1 Cor. 2: 2. & *absuit ab illo gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*. Gal. 6: 14. Omnis de Christo tractatio subquinque titulis comprehenditur.

§. 4. Ut autem de *magno hoc citra controversiam pietatis mysterio, in quo omnes thesauri sapientiæ & cognitionis sunt absconditi*, Col. 2: 3. 1 Tim. 3: 16. utiliter doceamus, in nonnullos totum caput partiemur articulos, acturi 1. de *æterna divinitate & potentia* illius, quod *per viscera misericordiæ Dei nos visitavit, Germinis ex alto*. 2. De ipsa illius *in carne manifestatione*. 3. De *operibus*, quæ fecit, *habitans in nobis*. 4. De illius παθήμασι. 5. De illius δόξαις. Horum articulorum primus *caput* hoc *tertium* absolvet; reliquorum autem quilibet peculiare conficiet.

§. 5. Æterna igitur illius, qui post Baptistam venit, Domini divinitas, libro secundo cap. 17. §. 5. superioris voluminis è scripturis propheticis breviter ostensa, nunc eâ optimè demonstrabitur methodo, quâ usus est Johannes Apostolus capite primo Euangelii; quod totum, testibus Eusebio & Hieronymo, scripsit contra blasphemias Ebionis & Cerinthi, negantium Jesu Christi Deitatem. Æterna Christi divinitas probatur.

§. 6. Agit Johannes de λόγῳ, quem dicit *Deum*, vers. 1. *unigenitum à Patre* vers. 14. *Filium unigenitum* vers. 18. *Iesum Christum* vers. 17. Adeò certum est τὸν λόγον esse nomen illius *personæ*, quæ dicitur *Iesus*, & est Dei *Filius*. 1. Ab eo, quod dicitur ὁ λόγος.

§. 7. Quàm sit vox λόγος πολύσημος nemini non notum est, notat enim 1. *Discursum* seu orationem integram, Matt. 5: 37. 22: 15. *ut illaquearent illum* ἐν λόγῳ *in sermone* seu discursu. 2. *Verbum*. Matt. 8: 8. μόνον εἰπὲ λόγον *tantum dic verbum unum*, & *sanabitur filius meus*. confer Matt. 15: 23. 3. *Respectum*. Matt. 5: 32. παρεκτὸς λόγου πορνείας, Quæ vox varia significat.

extra respectum seu rationem *scortationis*. 4. *Rationem* seu supputationem. Matt. 18:23. συνᾶραι λόγον *conferre rationem*. Phil. 4: ṽ. 15. εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως. 5. *Rumorem*. Act. 11:22. ἠκούσθη δὲ ὁ λόγος εἰς τὰ ὦτα τῆς ἐκκλησίας *pervenit autem hic rumor ad aures Ecclesiæ*. 6. *Rem* seu *negocium*, Act. 19:38. πρός τινα λόγον ἔχουσι, *negocium habent cum aliquo*. 7. *Definitionem*, uniuscujusque enim rei definitio Græcis autoribus dicitur λόγος, ut & ὅρος.

Cum autem de Christo prædicatur, melius vertitur Sermo quàm verbum. §. 8. Quum ὁ μονογενὴς dicitur ὁ λόγος, optimè id vertitur *Sermo*, ita Lactantius, Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Vulgata habet *verbum*. Sed malumus *sermo*; ut ita distinguatur ab alio vocabulo ῥῆμα, quod propriè significat *verbum*; & non notat ipsum *Unigenitum*, quàmvis notet aliquid *Unigeniti*, potentiam nimirum illius & efficaciam, Hebr. 1:4. *ferens omnia* τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ *verbo potentiæ suæ*, adde Hebr. 11:3. *aptata esse secula* ῥήματι Θεοῦ.

Loci, ubi Christus καλεῖται ὁ λόγος. §. 9. Vocatur autem ὁ μονογενὴς sæpe ὁ λόγος. 1 Joh. 5:7. *Tres testantur in cælo, Pater*, ὁ λόγος, *& Spiritus Sanctus*, 1 Joh. 1:1. ὁ λόγος τῆς ζωῆς, Apoc. 19:13. *& vocatur nomen illius* ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. Addunt nonnulli, Luc. 1:2. *ut tradiderunt nobis, qui a principio fuerunt* αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου *spectatores & ministri Sermonis*, hoc est, Jesu Christi. Ita Epiphanius, Athanasius & Ambrosius. Item, Actor. 20:32. *Commendo vos Deo*, & τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ *& Sermoni gratiæ ipsius*. Dicitur quidem *Euangelium*, τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ *Euangelium gratiæ Dei*, Act. 20:24. & λόγος τῆς χάριτος αὐτοῦ *sermo gratiæ suæ*, Act. 14:3. hic tamen putant de *persona* τοῦ λόγου sermonem esse, non enim videtur quis *commendari* posse, nisi personæ; cui etiam, quæ proximè sequuntur, melius conveniunt, *commendo vos Deo, & sermoni gratiæ* τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι καὶ δοῦναι ὑμῖν κληρονομίαν ἐν τοῖς ἡγιασμένοις πᾶσιν *qui potens est superædificare* vos, *& dare vobis hæreditatem in sanctificatis omnibus*. Item Hebr. 4: ṽ. 12. 13. ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐνεργὴς *vivus est sermo Dei, & efficax & judex cogitationum cordis. Et non est creatura inconspicua coram illo, omnia autem nuda & retecta oculis ipsius*. Conveniunt certè omnia hæc optimè *Sermoni Deo*.

§. 10. His & addantur testimonia in scripturis propheticis. Psalm. 33:6. בִּדְבַר יְהוָה *Sermone Dominicali sunt facti*; וּבְרוּחַ פִּיו *& Spiritu oris ejus omnis exercitus ejus*. Hagg. 2: vers. 5.6. *Ego vobiscum* אֶת הַדָּבָר *cum Sermone, & Spiritus meus stat in medio vestri*. Euangelium junctim proponit τὸν λόγον καὶ τὸ πνεῦμα. Prophetia, אֶת הַדָּבָר וְאֶת הָרוּחַ: Ut autem λόγος distinguendum à ῥῆμα; Ita דָּבָר à מִלָּה quod est, 2 Sam. 23:2. וּמִלָּתוֹ. *Et verbum ejus, Spiritus nimirum* Domini, à quo φερόμενος λαλῶ, *super lingua mea*.

Id nomen soli Filio datum. §. 11. Nomen λόγος in sacris soli Dei Filio datum est; non angelis, nec hominibus. *Cui unquam Angelorum dixit, Filius meus es tu*? Hebr. 1:5. *Cui* unquam, *Sermo meus tu*? Quamvis non id dictum Angelis; tamen & Angeli & homines sæpe vocantur *Filii Dei*, non quod id sint ἐν δυνάμει *in potentia*; ita enim nulli id illorum dictum; sed ἐν ἀσθενείᾳ, per gratiosam in veritate conservationem & adoptionem non obstante *infirmitate* & imperfectione, quæ illis inest. At nullus Angelorum, nec hominum, sed solus Unigenitus audit & καλεῖται ὁ λόγος. Igitur illa hujus nominis ratio alleganda est, quæ soli Filio unigenito competit, & in alios non cadit. Quare si quis dicat, Filium dici τὸν λόγον, quia per illum Deus nos allocutus est, & consilium suum patefecit, & decretum ac arcanum de æterna hominum redemtione revelavit, non satis dicet. Ita enim & *Prophetæ, in quibus Deus olim locutus est Patribus*, Hebr. 1:1. & *Apostoli*, qui *annunciarunt nobis* πᾶσαν τὴν βουλὴν

τοῦ

τ῀ Θεῦ. Actor. 20:27. vocari possent ὁ λόγος. Ut igitur agnoscamus, quantum hoc sit ὄνομα, quod διαφορώτερον παρ' αὐτοὺς κεκληρονόμηκεν, Hebr. 1:4. exponamus veram nominis hujus rationem. Rationes hujus nominis.

§. 12. Filius Dei dicitur ὁ λόγος.

1. Quia πρὸς τ῀ πατέρα οὕτως ἔχει, ὡς πρὸς νοῦν λόγος, hoc est, *erga Patrem ita se habet, ut erga mentem sermo.* Nota est distinctio inter τ῀ ἔξω λόγον κ. τ῀ ἔσω λόγον, *externum* oris, *internum* animæ *Sermonem.* Internus est vel ἔμφυτος κ. οὐσιώδης *insitus & essentialis*, vel ἐν διαθέτος, ἐν νῷ λαμβανόμενος *inditus, in mente acceptus. Sermo mentis* est intimus mentis actus, & immediata illius operatio, & ipsa ferè mens, & separari non potest a mente, ut nec cogitatio à substantia cogitante. Filius Dei, ὁ λόγος, est in Patre, inseparabilis à Patre, intimè unitus Patri, unum cum Patre, *gloria & imago Patris, character subsistentiæ ipsius.* Ignatius. Christus est λόγος Θεῦ *sermo Dei*, ὐ ῥητὸς, ἀλλ' οὐσιώδης *non pronunciatus, sed substantialis*, ὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή, *non enim est articulati sermonis vox, sed efficaciæ divinæ genita substantia.* Et ut omne φώνημα, quod genitum est, τ῀ γεγεννηκότος σιωπῶν. λόγος *illius a quo genitum est silens* quasi *sermo est*, ita *sermo* Filius σύντομος est ἀπόδειξις κ. ῥαδία τ῀ τ῀ πατρὸς φύσεως, *compendiosa & clara demonstratio naturæ Patris*; ut loqui amat Nazianzenus. [1.]

2. E sermone cognoscitur, quid homo velit, cogitet, moliatur, sitque *Sermo* hic, unigenitus Dei, Deum *invisibilem*, nemini visum, nemini videndum, 1 Tim. 6:16. videndum & cognoscendum exhibuit. Quæ sit æterna Dei potentia & divinitas, quæ illius sanctitas, naturæ constantia & immutabilitas, quæ illius voluntas, gratia & bonitas, quæ illius divitiæ & sapientia, imò quæ illius justitia & veritas, id omne spectandum exhibuit in operibus & verbis. Adeò *ut qui Christum vidit, vidit Patrem*, nec opus habet erranter dicere cum Philippo, *Monstra nobis Patrem.* Joh. 14:9. Ita *Deum* ἐξηγήσατο *plenè enarravit.* Joh. 1:18. & *nomen illius*, quod est, בְּקִרְבּוֹ *in medio ipsius*, Exod. 23:21. *manifestavit*, Joh. 17: vers. 6. exstititque ἀπαύγασμα *fulgor* seu *resplendescentia Patris gloriæ*, Hebr. 1:3. *fideliter, sine mendacio testatus, quod vidit & audivit.* Joh. 3: ℣. 32. Apoc. cap. 3: vers. 14. Habac. 2:3. 2.

3. Etiam propterea dicitur ὁ λόγος *Sermo*, quia sermonis omnis divini ab initio pronunciati & auditi de gratia, fœdere, reconciliatione, sanctificatione autor est & Præco, πάντα τ῀ λόγον ἐποιήσατο περὶ πάντων τούτων. Ideo dicitur הַמְדַבֵּר *Is qui loquitur.* Es. 52:6. qui *non est locutus ab initio in occulto* Es. 48:16. confer Joh. 8:25. τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, ipsius enim est *loqui verba Dei*, Joh. 3:34. quæ Deus *posuit in os illius.* Deut. 18:18. In Paradiso qui dixit, *ponam inimicitiam*, Filius Dei est, omnis cum satana inimicitiæ, omnisque sanctificationis autor & effector. Qui *in diebus Noe ivit, & prædicavit Spiritibus*, qui nunc sunt ἐν φυλακῇ, *Christus* est, ζωοποιηθεὶς τῷ πνεύματι, ἐν ᾧ καὶ πορευθεὶς ἐκήρυξεν. 1 Petr. 3:19. Qui *de monte Sina eloquia* illa *viva elocutus est*, dicens, *ego Jehovah, Deus tuus, faciens gratiam, Angelus* fuit *Domini*, Act. 7:38. qui jam ante Mosi apparuerat in rubo. Exod. 3:2. Qui *omnibus diebus seculi tulit, bajulavit, portavit* Israëlem *in omni angustia illorum, verbo* nimirum *potentiæ suæ*, Hebr. 1:3. est *Angelus faciei Dei*, Es. 63:9. *A cujus eloquiis Moses legem, & Ecclesia Jacobi hæreditatem accepit*, est is, cujus *pede medius perambulatus* est Israël, qui *factus est Rex in Jeschurun.* Deut. 33:3. 4. 5. Ergo verè ὁ λόγος *sermo* est. 3.

4. Imò & propterea, quia in omni sacra pagina utramque facit paginam, hoc est, quia præcipuum omnis sermonis divini objectum est. *Testimonium Iesu est spiritus Prophetiæ.* 4.

Apoc. 19:10. *In volumine libri de illo scriptum est.* Psalm. 40:℣. 8. *Moses de illo scripsit.* Joh. 5:46. *Propheta de illo scrutati sunt, & ante testati.* 1 Petr. 1:11. Nonne ille est ὁ λόγος, ἐν ᾧ ὁ πᾶς λόγος τοῦ Θεοῦ πληροῦται.

5. 5. Denique cum dicitur ὁ λόγος *sermo*, innuitur esse autor omnium operum Dei. *Sermone* enim confecta sunt omnia. *Dixit Deus, fit Lux, & exstitit Lux.* Genes. 1:3. Quæ Deitatis persona putabitur dixisse, locuta, sermocinata, nisi quæ audit ὁ λόγος *sermo*? Ideò & Johannes statim docet πάντα δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο. vers. 3.

§. 13. Ex his apparet, quomodo hoc nomen sit ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, Phil. 2:9. quo majus nullum Filio Dei nec gloriosius dari potuit; indicans unitatem illius cum Patre, resplendescentiam gloriæ Paternæ in illo, in illo visum Patrem, auditum Patrem; illum autorem & fontem ac Præconem esse gratiæ, veritatis, & verbi salutis; objectum fidei & notitiæ justificantis, effectorem maximorum operum Dei. E quibus omnibus agnoscitur esse ἐν μορφῇ Θεοῦ, ἴσα Θεῷ. Phil. 2:6.

Sermo vitæ. §. 14. Etiam hoc emphasin auget, quod non tantùm dicitur ὁ λόγος, sed & ὁ λόγος τῆς ζωῆς *sermo vitæ*, 1 Joh. 1:2. ut agnoscatur ἡ ζωὴ *vita, vitam habens in se ipso*, Joh. 1:4. 5:26. *potentiam vitæ indissolubilis*, Hebr. 9:14. *Spiritus vivificans*, 1 Cor. 15:45. *vivens in secula seculorum*, Apoc. 1:18. imò & *vivificare quos vult*. Iohan. 5:21. Nec minus,

Sermo Dei. quod *vocatur* ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ *sermo Dei*, Apoc. 19:5. ut credamus in illum, ut εἰς ἕνα μονογενῆ λόγον, υἱὸν αὐτοτελῆ; & ut ne putemus illum esse λόγον προφορικὸν, nec ἀπόρροιαν τοῦ τελείου, nec τμῆσιν τῆς ἀπαθοῦς φύσεως, nec προβολήν.

An Christus tantum λόγος è quo natus est, & prædicare cœpit? §. 15. Nec tantùm Christus meretur dici ὁ λόγος, è quo natus prædicare cœpit in terra, ut Enjedinus putat, *tunc propriè dici debuit Iesus sermo, quum annunciavit sermonem Dei; ne Iesu quidem nato, ante prædicationem verbi, propriè potest attribui*; sed *ab initio sermo* est. *In initio* enim erat ὁ λόγος. Christus locutus est, antequam caro factus est; πάλαι *olim*, πολυμερῶς, καὶ πολυτρόπως. Imò etiamsi non locutus esset, tamen *sermo esset*. Ut enim est *filius Æternus*, ita & *sermo Æternus*, quanquam hominibus manifestatus, ea egit & locutus est ad illorum salutem plenissimè, quæ par erat agere & facere illum, qui est ὁ λόγος. Nec tantùm notat hoc nomen Filii *officium*, quod est ἐξηγεῖσθαι τὸν πατέρα & φανεροῦν τὸ ὄνομα αὐτοῦ, sed & notat illum esse οὐσίαν γεννητὴν ἐνεργείας θεϊκῆς, ut supra ex Ignatio observavimus.

2. Ab eo, quod erat in initio. §. 16. De hoc λόγῳ *sermone Dei* ita testatur Johannes. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. *In initio erat Sermo.* Joh. 1:1.

Omnia, extra Deum, initium habent. §. 17. Omnia, quæ sunt extra Deum, ἀρχὴν ἔχει *initium habent*; ut & pleraque τέλος *finem. Oriri quicquid habet, finem timet; ibimus omnes, ibimus, &c. Cœlum & terra* habent *initium*, creata enim sunt בְּרֵאשִׁית *in initio*. Genes. cap. 1: vers. 1. Hinc *mundo* tribuitur. Matt. cap. 24: vers. 21. ἀπ᾽ ἀρχῆς κόσμου, ut & κτίσει *creaturæ*. Marc. cap. 10: vers. 6. & 13:19. ἀπ᾽ ἀρχῆς κτίσεως. *Angeli.* Jud. vers. 6. Ἀγγέλους τε τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, quod initium cœli initio haut prius est, ut nonnullis *immeritò videtur, ante principium mundi Angelos fuisse*, neque enim fuerunt ante τὸ ἴδιον illorum οἰκητήριον, quod multi ex illis *dereliquerunt*. *Euangelium.* Marc. cap. 1: vers. 1. Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, quod Euangelista tunc dicit cœpisse, cum factum est, ὡς γέγραπται, *ecce ego mitto Angelum meum.* Marc. 1:2. Id Euangelii initium ad sua usque tempora extendit Paulus. Phil. cap. 4: vers. 15. Nostis *& vos, Philippenses*, ὅτι ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου, *quod in initio Euangelii, nulla mihi Ecclesia communicavit*, adeoque in ipsis adhuc Euangelii initiis versabatur Paulus. Etiam *signa* Christi. Joh. 2:11. ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρ-

χὴν τῶν σημείων ὁ Ἰησοῦς. Etiam de *salute* dicitur, quam ***negligentes non effugient***, ἥ τις ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ κυρίου. Hebr. 2:3.

§. 18. Ut autem ἀρχὴ initium omnibus omnino rebus inest, ita diversimodè dicitur ἐν ἀρχῇ, ἀπ' ἀρχῆς, ἐξ ἀρχῆς, κατ' ἀρχάς, *in initio*, *ab initio*, *ex initio*, *secundum initia*. Quod autem respectivè initium intelligendum sit, è subjecta materia concludendum est. Ex. gr. de *Diabolo* dicitur, 1 Joh. 3:8. ἀπ' ἀρχῆς ἁμαρτάνει, *ab initio peccat*; Id initium intelligendum est, quo existere cœpit. Ab initio existentiæ suæ peccat, non enim diu *tenuit initium*. Item Joh. 8:44. Diabolus ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς, *homicida erat ab initio*; intelligendum est id tempus, quo cœpit homo esse, quem *occidit*, hoc est, per malas artes mortis fecit mancipium. Neque enim, antequam homo esset, actu homicida esse potuit. Pariter 2 Thess. 2:13. *debemus gratias agere Deo pro vobis*, ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν, *quod elegit* seu *sustulit vos Deus ab initio ad salutem*; capiendum est de illo *initio*, quo Deus cœpit gentes adducere ad hæreditatem salutis: inter quas cum Thessalonicenses fuerint quasi *priores*, dicuntur *electæ*, *separatæ* ἀπ' ἀρχῆς; aut etiam intelligi potest *initium Evangelii*, de quo Marc. 1:1. Phil. 4:15. aut *salutis*, cujus prædicatio facta per Jesum. Hebr. 2:3. *Elegit vos ab initio*, hoc est, ab initio prædicati Evangelii, & manifestatæ ac annunciatæ salutis. Hoc tamen ita explicantes, haut quaquam tollimus *Electionem* πρὸ καταβολῆς κόσμου. Eph. 1:4. Imò & Act. 11:15. *Cum inciperem loqui*, *cecidit Spiritus Sanctus super illos*, *ut* ἐφ' ἡμᾶς ἐν ἀρχῇ *super nos in initio*, id cogitandum est *initium*, quo cœpit Spiritus Sanctus mirabili illo modo effundi, de quo Act. cap. 2. Item Joh. 16:4. *Hæc vobis* ἐξ ἀρχῆς οὐκ εἶπον, *ex initio non dixi*: de illo capiendum est initio, quo Jesus discipulos cœpit erudire. Denique Hebr. 1:10. σὺ κατ' ἀρχάς, *Domine*, *fundasti terram*, id accipiendum est *initium*, quo terra fundata est: de quo vide Genes. 1:1. Varia de initio loquendi formulæ.

§. 19. Cum autem de λόγῳ dicitur, Ἐν ἀρχῇ ἦν, id *initium* statuendum est, quod πρέπει, *decet* illum, qui *erat apud Deum*, *qui erat Deus*, *per quem omnia cœperunt esse*, *in quo erat vita*, Joh. 1:1. 3. 4. adeoque optimè intelligitur ἡ ἀρχὴ τῶν γεγενημένων *initium rerum creatarum*, ut ita *sermo* credendus sit fuisse in illo initio, quo cœlum & terra, & quæ sunt in illis, cœperunt esse. Neque id denegari potest illi, qui est Θεὸς, πρὸς Θεόν, *factor omnium*. Initium, in quo Sermo erat, est initium mundi & rerum creatarum.

§. 20. *In initio* igitur, quo omnia ἐγένετο, quæ Moses describit cap. 1. Genes. ἦν *erat Sermo*, non tunc ἐγένετο *exstitit*, aut esse cœpit, sed ἦν *erat* jam, & ὑφίστατο *subsistebat*, ut non malè Græci. Non igitur est de genere creaturarum, quæ in initio creatæ sunt omnes; sed diversissimus ab illis: quia *erat* in initio. Qui *in initio erat*, etiam ante initium fuit, adeoque initio caret, & secula omnia transcendit. *Erat* ὁ λόγος: Est enim ὁ ὢν *is qui est*, ὁ ἦν *& qui erat* Apoc. 1:8. Hinc dicit ipse de se, *Nisi credatis*, ὅτι ἐγώ εἰμι *quod ego sum*, *moriemini in peccatis vestris*, & vers. 28. *Cum exaltaveritis filium hominis*, *tunc cognoscetis*, ὅτι ἐγώ εἰμι, *quod Ego sum*; adde Deut. 32:29. *Videte nunc*, כִּי אֲנִי אֲנִי הוּא *quod Ego*, *Ego sum*, & Es. 43:10. *ut intelligatis*, *quod Ego sum*. Est אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *Ero*, *qui sum*. Ita enim se nominat *Angelus* ὀφθεὶς ἐν τῇ βάτῳ. Exod. 3:14. Act. 7:35. Imò est יְהוָה Ita enim idem Angelus dicitur Exod. 3:4. Hoc magnum autem nomen notat illum, qui habet τὸ εἶναι, & *Ens entium est*. Ea Plato observavit propriè dici *esse*, quæ æterna sunt, nec oriuntur, nec occidunt. Qui *est*, illi adest τὸ Πᾶν; deest *nil*; non mutatur, non deficit. Utitur Johannes tempore imperfecto ἦν *erat*; non ut aliquam imperfectionem impingat τῷ εἶναι τοῦ λόγου; sed ut doceat, Æternum ens, quod initio caret, certè in initio fuisse: neque enim aliter id exprimere poterat. Verba nostræ imperfectionis nihil de Dei auferunt perfectione. Sunt, qui è verbo *Erat*, Sermo erat.

colligunt *perpetuum* sermonis *statum*. *Erat*, inquiunt, continuam *magis seriem exprimit*, quàm *Fuit*.

Æternitas τῦ λόγε probatur è Scripturis. §. 21. Τὸν λόγον *in initio* fuisse, & ante initium, & ante omnes res creatas, *initio carere*, *initium* esse omnium, imò *æternum* esse, multis Scriptura docet. 1 Joh. 1: 1. ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς. 1 Joh. 2: 13. ὅτι ἐγνώκατε τ͂ ἀπ' ἀρχῆς. Hebr. 7: 3. μήτε ζωῆς τέλος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν ἔχων. Apoc. 22: 13. *Ego sum* τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος, καὶ ὁ ἔσχατος; confer Apoc. 1: 8. 21: 6. Col. 1: 17. καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων *& ille est ante omnes* res, *visibiles & invisibiles*. confer vers. 16. *Gloriam habuit apud Patrem*, πρὸ τ͂ τ͂ κόσμον εἶναι *antequam mundus esset*. Joh. 17: 5. Ergo & *fuit*, antequam mundus esset. *Unctus est à seculo*, מֵרֹאשׁ *ab initio*, קַדְמֵי אֶרֶץ *præ primordiis terræ*; *genitus* cum *necdum* essent *abyssi*, *fontes*, *montes*, *colles*, Prov. 8: 23. 24. 25. *egressiones ejus sunt* מִקֶּדֶם *ab ante*, *a diebus seculi*. Mich. 5: 1. Hinc dicitur ὁ πρῶτος *Primus* ille. Apoc. 1: 11. אֲנִי יְהוָה רִאשׁוֹן *Ego Iehova Primus*. Es. 41: 4. *Ego Primus & ego ultimus*. Es. 44: 6. Imò & illi attribuitur *Spiritus æternus*, Hebr. 9: 14. & dicitur אֲבִי עַד *Pater æternitatis*. Es. 9: 5. & προεγνωσμένος πρὸ καταβολῆς κόσμου *præcognitus ante fundationem mundi* 1 Pet. 1: 20. tali nimirum προγνώσει, quæ illi competit, qui *est*, & *initium* est, & רֵאשִׁית דְּרָכוֹ *initium viæ Dei*, *ante molimina ipsius* Prov. 8: 22. *Deus* מֵעוֹלָם עַד עוֹלָם *a seculo idem* Psalm. 90: 2. cujus *dies non absolvuntur*, Psalm. 102: 28. quique est עַתִּיק יוֹמִין *permanens dierum* Dan. 7: 9. qui vocatur יוֹעֵץ אֵל *consiliarius*, *Deus*, Es. 9: 5. quia in illo factum est æternum *pacis consilium*. Zach. 6: 13.

§. 22. Hac de causa est, quod *prior* illis dicitur, quibus, quoad hominem, est *posterior*. ut *Iohanne*. *Qui post me venit*, *ante me exstitit*: ὅτι πρῶτός μου *nam prior me erat* Joh. 1: 15. & Abrahamo. πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι. *Antequam Abraam exstitit*, *Ego sum*. Joh. 8: 58. Judæi comprehendere non valentes, quomodo is, qui πεντήκοντα ἔτη οὔπω εἶχε, ante Abraamum fuisset, *sustulerunt lapides*, ἵνα βάλωσιν ἐπ' αὐτόν. ibid. ℣. 57. 59. Atqui quid mirum, illum Johanne priorem, imò & Abrahamo, qui ipso mundo prior est, & ante omnes?

Vindicatio loci Joh. 8. vers. 58. §. 23. Lœlius quidam Socinus *primus ætate nostra*, in locum Joh. 8: 58. *hanc in lucem protulit interpretationem*. *Antequam Abraam fiat Abraam*, *Ego sum*. Cui homini bono jure dici posset, ἀφρον τὸ σόν, καὶ ὕπαγε: non dicit Iesus, Antequam *Abraam fiat Abraam*, sed simpliciter *Antequam Abraam existeret*, *Ego sum*. Est certè πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, δι' ὃν τὰ πάντα, adeoque ipse Abraam, ἐγένετο. Sed sumamus nunc ita hæc verba; *Antequam Abraam fiat Abraam*, hoc est, Pater multarum gentium. *Ego sum*. Dictum est Abrahamo, *Eris in Patrem multitudinis gentium*. *Nam Patrem multarum gentium dedi te*. Gen. 17: 4. 5. *Datus* est, & *factus est*, seu exstitit Abraam *Pater multarum gentium* 1. Æterna Dei *electione* & *vocatione* & προθέσει. 2. *Promissione*, quæ illi illa de gratia ἐῤῥήθη. 3. *Fide*, qua *credidit Deo* promittenti, & εἰς τὴν ἐπαγγελίαν τ͂ θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, sed παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν, Rom. 4: 18. 20. ut enim, quod *credidit in Dominum*, *reputatum est illi in justitiam*, Genes. 15: 6. ita & eo, quod credidit Domino, dicenti, οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου *sic erit semen tuum*, quæ est promissio Paternitatis multarum gentium, Gen. 15: 5. Rom. 4: 18. Promissionem Dei ratam & firmam fecit. Deus enim veritatis credentem verbo veritatis nec fallit nec frustratur. Igitur *fides* fecit illum ἀληθῶς & δικαίως *verè & justè* multarum gentium Patrem. Imò & *fides* est semen quasi, quo genuit in filios multitudinem gentium. 4. Quum *gentes*, & *familiæ terræ* cœperunt credere, & *ambulare in vestigiis fidei Abraam*, εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην. Rom. 4:

verſ. 11. 12. Id cœpit ipſo jam Abraami tempore, quo multi è gentibus crediderunt, ut Melchiſedek, Job. Et poſtmodum exſtitit plenius *in Iſraële*, ſemine Abrahami; & in *proſelytis*, qui omni tempore ad fidem Iſraëlis, adeoque Abrahami, acceſſerunt è gentibus; ſed in *poſtremo dierum*, cum *populi* cœperunt *obedire Siloh*, & gentes *benedici in ſemine Abrahami*, Chriſto, plenius adhuc habuit implementum, & habebit pleniſſimè illo tempore, quo τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν *intrabit*, & *totus Iſraël ſalvabitur*, quod adhuc exſpectamus, juxta promiſſionem, Rom. 11: 25. 26. Igitur Abraam datus eſt & factus *Abraham*, multarum Pater gentium; ab æterno, in Dei conſilio; in tempore, per Dei promiſſionem, & exemplarem ſuam fidem; perque acceſſionem multorum ad communionem fidei; poſt mortem denique ſuam, per converſionem gentium; & fiet adhuc, per plenariam illorum *introitionem*. Ita Abraam fuit ab initio Pater multarum gentium; & factus eſt in tempore, & fiet in fine ſeculi. Si ergo Chriſtus *eſt*, antequam *Abraam* factus *eſt Abraam*, certè fuit non tantùm in plenitudine temporis, ubi Chriſtus *prædicatus in gentibus* illas *allexit*, ut in *tentoriis Semi habitarent & Abraami*, ſed jam fuit, antequam Promiſſio facta eſt Abraamo de adducenda multitudine gentium; fuit antequam illi promiſſioni credidit Abraam; fuitque antequam æterna βουλῇ & προγνώσει *nominatus, vocatus, poſitus eſt Abraam hæres* tanti beneficii. Unde firmiter manet, Chriſtum non tantùm, antequam *Abraam factus ſit Abraam*, eſſe, ſed & *eſſe* antequam ipſe Abraam *exſtiterit*, hoc eſt, genitus ſit, natus, & in terram productus viventium. Quod ſi autem Chriſtus in his verbis nil aliud in mente habuit, quam quod Lœlius putat, Chriſtus ſapienter parum, & caute ac circumſpectè parum locutus eſt. *Sapienter parum*. Quis mortalium de illo dubitare poterat, Chriſtum eſſe, antequam gentes ad fidem Abraami adducantur? Non erat hoc τὸ ζητούμενον, ſive quod erat in quæſtione. Quæſtio erat, *an Abraam viderit diem Chriſti*, & an *Chriſtus juvenis viderit Abraamum*. Id Chriſtus probat, & affirmat; ex eo, quod *eſt*, *antequam Abraam exſtitit*, ante ortum, nativitatem, vitam, ſubſiſtentiam illius. *Caute ac circumſpecte parum*. Illa enim reſponſione iram movit Judæorum, & peccandi illis præbuit anſam, & ſcandalum illis poſuit. Imò & *candide parum*. Ita enim loqui, non eſt verum loqui, ſed ſophiſticari, cavillari, & μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος. Has inconvenientias forſan non pudebit illos impingere Chriſto, qui illum habent ὡς ψιλὸν ἄνθρωπον; nobis, qui illum agnoſcimus Deum, Patris ſapientiam, religio & reverentia id haut permittit.

§. 24. Redeamus autem ad probandam æternam τοῦ λόγου ὕπαρξιν. Apoc. cap. 3: verſ. 14. dicitur: ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ *initium creaturæ Dei*, qui omnis creaturæ initium eſt, ante initium eſt, & æternus eſt. Coloſſ. cap. 1: verſ. 18. dicitur Ἀρχὴ πρωτότοκος; quia idem λόγος, qui eſt ἡ ἀρχὴ, & fuit ἐν ἀρχῇ eſt. Etiam κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς. Coloſſ. cap. 2: verſ. 10. Nec tantum eſt ἀρχὴ, ſed & πρωτότοκος *primogenitus*, & ut eſt Coloſſ. cap. 1: verſ. 15. πρωτότοκος πάσης κτίσεως *Primogenitus omnis creaturæ*. Præ creaturis omnibus hæc illi prærogativa competit, quod eſt *Primogenitus*; *genitus* à Deo, & quidem *primus* genitus, & ita *ſolus genitus*, unde & ὁ μονογενὴς *ſoligenitus*, ſeu unigenitus audit. Pervertitur mens Pauli ab illis, qui ſtatuunt, *hoc loco*, Chriſtum, *ut rem creatam*, *conſiderari* & ut *ex genere creaturarum*; ſed ut *primam omnium creaturarum*, ordine & dignitate. Sed quis credet, id Paulum hoc in loco tantùm intendiſſe, ubi enarrat longam ſeriem argumentorum, pro Deitate Chriſti facientium. vide Col. 1: 15. 16. 17. Dum *genitum* dicit Chriſtum, imò *primogenitum*, eximit illum à creaturarum numero. Creaturæ, enim à Deo creatæ, non genitæ ſunt. Quem Deus *genuit*, illum genuit ad æternam ſuam imaginem; hinc & dicitur *Imago Dei inviſibilis*; Quem *genuit*, communicavit

Locus Col. 1: verſ. 15.

nicavit infinitam suam vitam, ipsique omnem suam *subsistentiam* largitus est, unde audit, χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Hebr. cap. 1: vers. 3. Est Christus certè κτίσις *creatura*, quatenus *è muliere natus est* Galat. cap. 4: vers. 4. & *corpus illi aptavit Deus*, Hebræorum cap. 10: vers. 5. & σαρκὸς καὶ αἵματος μετέσχε Hebræorum cap. 2: vers. 14. Sed cum πρωτότοκος dicitur, non conditionis humanæ, sed generationis æternæ & divinæ habetur ratio. Et cum πρωτότοκος πάσης κτίσεως non dicitur *primogenitus* è creaturarum genere, adeoque creatus Primogenitus, ut Ruben dicitur *Primogenitus Jacobi*, *Principium* seu *primitiæ virium* ejus Genes. cap. 49. vers. 3. sed significatur, *Unus*, & *solus*, esse Primogenitus, inter creaturas omnes, visibiles, invisibiles, Angelos, homines, & præ omnibus illis. Cui unquam dictum, *Tu es Filius meus*; Tu es primogenitus meus? Potuit is, qui est *Primogenitus*, creatura seu caro fieri; Non autem potest secundùm carnem Primogenitus Dei dici. Est enim Filius Dei, non κατὰ σάρκα sed κατὰ ἀΐδιον πνεῦμα. Rom. cap. 1: vers. 3. 4. Hebr. 9: vers. 14.

An per, in initio erat, significetur, in Patre erat.

§. 25. Sunt qui per *initium*, *in* quo *erat* ὁ λόγος, intelligunt *Patrem*, illisque, *in initio erat Sermo*, tantundem est, ac *in Patre erat sermo.* Ita Cyrillus Alexandrinus, aliique Veteres. Sed tunc non satis benè sonabit id quod Johannes addit vers. 2. *Hic erat in initio apud Deum*; hoc est, è mente illorum: hic erat in Patre apud Deum: adeoque, in Patre apud Patrem. Est certè Deus Pater ἡ ἀρχὴ *initium* omnium, & *totius divinitatis, vel (si melius dicitur) Deitatis Principium*; est *Principium non de Principio*, cum *Filius & Spiritus Sanctus sit de Principio*, *quamvis hi tres ad creaturam sint unum Principium*, quomodo loqui amat Augustinus; imò dicitur Græcis πρώτη αἰτία καὶ ἀρχὴ θεότητος, τῆς ἐν υἱῷ καὶ πνεύματι θεωρουμένης; & Dionysius ait, μόνη δὲ πηγὴ τῆς ὑπερουσίου θεότητος ὁ πατήρ, & posteà, πηγαία θεότης ὁ πατήρ; tamen hoc in loco nulla necessitas exigit, ut per ἀρχὴν intelligatur *Pater*. Imò & id addi potest, in sacris Novi Testamenti libris, imprimis de Filio dici, quod sit ἡ ἀρχὴ, & fuerit ἐν ἀρχῇ.

Arrii & Serveti error.

§. 26. Contrariam sanctissimæ huic Johannis doctrinæ de æternitate τοῦ λόγου sententiam olim fovit *Arrius*, in Ecclesia Alexandrina Presbyter, cujus nota vox, ἦν ὅτε οὐκ ἦν; *Erat, cum non erat sermo*; hoc est, aliquando non fuit, & *Servetus*, *superbissimus ex gente Hispanica nebulo*, ut illum vocat Calvinus noster; qui finxit, *Sermonem tunc demum exortum fuisse, cum in mundi creatione exortus est*, hoc est, non fuisse prius, quàm virtus ejus externo opere fuit cognita; utut igitur fuerit in principio creationis, haut quaquam tamen æternum esse. Porro Arriani & Servetiani oggerunt, *Principii nomen ordinem respicere*; *æternitatem haut designare*. Atqui è sola voce *principii* æternitatem non concludimus, sed è tota illa sententia, *in principio erat*. Impossibile est, ut ὁ λόγος, qui in initio erat, initium habeat. Tunc enim ante initium esset initium: aliudque esset initium conditi mundi; aliud initium geniti & producti Filii, & initium non esset initium. Neque enim id initium est, quo aliquid prius est. Id tamen sciendum, ubicunque ὁ λόγος dicitur fuisse ἀπ' ἀρχῆς, 1 Joh. 1: 1. Imo esse ὁ ἀπ' ἀρχῆς 1 Joh. 2: 13. Imo ἡ ἀρχὴ Apoc. 3: 14. & ὁ πρῶτος Apoc. 1: 11. æternitatem illius alta voce indicari.

Socini glossa.

§. 27. Nec convenit huic veritati cum Socino. Is ita de hoc *initio*. *Iohannes cum de spirituali mundo per Christum creato scripturus esset, usus est illa ordinis voce, non autem æternitatis nota, ut intelligamus, Verbum hoc fuisse, non quidem ab omni æternitate, sed ante res creatas omnes novi mundi.* Et; *In principio erat Verbum*, hoc est, *Christus Dei Filius, in principio Euangelii, eo nimirum tempore, quo Iohannes Baptista ad frugem Israëlitarum populum revocare cœpit, & antequam ipsius Baptistæ*

præ-

Prædicatione innotuisset, jam erat. Slichtingius. *Non ante patiemur principium hoc ad mundi referri principium, quam nobis prius probatum fuerit, Jesum Christum, antequam homo fieret, Deum fuisse.* Sed boni illi viri volentes veritati offundunt tenebras. Falsum est, Johannem de *spirituali mundo* agere. Agit de *mundo,* qui Sermonem οὐκ ἔγνω *non agnovit.* Joh. 1: 10. qui *totus in malo jacet.* 1 Joh. 5: 19. Falsum, *spiritualem mundum,* post natum Christum, demum *creatum.* Cum ab initio Deus habuerit *Ecclesiam,* quam Christus *tulit & bajulavit omnibus diebus seculi,* Es. 63: 9. quam *Spiritu suo bono duxit in terra planitiei.* Psalm. 143: 10. Et num adeo mirum, *Christum fuisse in initio prædicationis Baptistæ,* qui non multo junior erat Johanne; non ita diu post illum natus; & brevi post illum ministerium suscepit publicum, illo adhuc docente & extra carcerem agente? numque opus fuit, ut Johannes, ad fidem faciendam rei adeò claræ, & indubiæ, diceret & bis inculcaret, *in initio erat. Hic erat in initio?* Sed perpendamus nunc cætera Divinitatis τοῦ λόγου argumenta, ut illâ certissimè assertâ adversarii, de quo *Principio* Johannes loquatur, sponte fateantur.

§. 28. Igitur tertium pro divinitate Sermonis argumentum hoc est, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. *Et Sermo erat apud Deum.* Joh. 1: 1. Sermo qui ἦν ἐν ἀρχῇ, *apud Deum erat.* confer vers. 2. οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν.

3. Ab eo, quod erat in initio apud Deum.

§. 29. Sermo *Deus, fuit apud Deum,* tum Patrem, tum Spiritum. Vox θεὸς in sacris nunc sumitur οὐσιωδῶς *essentialiter,* & notat τὸ θεῖον omne divinum *numen,* ita Act. 17: 24. ὁ θεὸς, ὁ ποιήσας τὸν κόσμον, & vers. 29. γένος οὖν ὑπάρχοντες τοῦ θεοῦ, nunc ὑποστατικῶς *personaliter,* notatque vel personam *Patris,* ita Ephes. 1: 3. vel *Filii,* ita 1 Tim. 3: 16. vel *Spiritus Sancti,* ita Act. 5: 3. 4. In præsenti loco notat, ut dictum, personam *Patris & Spiritus Sancti,* à quibus in temporis plenitudine se missum dicit ὁ λόγος, Es. 48: 16. *Et nunc misit me Dominus & Spiritus ejus.*

Vox θεὸς hic notat Patrem & Spiritum S.

§. 30. Sermo erat *apud Deum,* significatur hâc formulâ loquendi, non, ut quidam putant, μίμησίς τις καὶ ὁμοίωσις *assimilatio quædam & similitudo,* nam aliud est πρὸς τὸν θεὸν, aliud, κατὰ τὸν θεὸν, seu κατ᾽ εἰκόνα θεοῦ, sed notatur, Sermonem Deo cohabitasse, domesticum illius & perpetuum, si ita loqui licet, comitem fuisse, ubi Deus, ibi & Sermo erat; inseparabiliter Deo junctus & unitus ἀχωρίστως, ἀδιαστάτως *indivulsè, indistanter.* vide usum præpositionis πρὸς, Marc. 6: 3. 1 Cor. 16: 6.

Sermo Dei domesticus.

§. 31. Ut autem Sermo *in initio erat,* sic & *apud Deum in initio erat.* Igitur & ante initium, & ante mundum apud Deum Sermo fuit. Solent curiosi quærere, ubi fuerit *Deus,* antequam mundus esset. Illis respondet Tertullianus adversus Praxeam, *ante omnia Deus erat solus, ipse sibi & locus, & mundus & omnia.* Si quis quærat, ubi ὁ λόγος fuerit ante mundum, illi simpliciter respondebimus, πρὸς τὸν θεὸν *apud Deum.* Id dicitur Prov. 8: 30. אצלו *apud illum. Et exstiti apud illum* אָמוֹן *sinu gestatus,* fuit εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός. Joh. 1: 18. confer Joh. 17: 5. *Et nunc glorifica me tu, Pater,* παρὰ σεαυτῷ *apud te ipsum illa gloria, quam habebam* πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρὰ σοὶ, *antequam mundus esset, apud te.* Igitur ante mundum fuit apud Patrem, & habuit *gloriam* apud Patrem, & quidem summam gloriam, quia *nunc,* post profundissimam humiliationem, & extenuationem, glorificari cupit. adde 1 Joh. 1: 2. ἥτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα.

Erat apud Deum ante res creatas.

§. 32. Ut autem Sermo ante mundum, sic & post creatum & absolutum mundum apud Deum fuit. Deus, *cœli & terræ Dominus,* Act. 17: 24. qui *cœlum & terram implet,* cœlum fecit *thronum* suum, & οἰκίαν *domum* suam. Esa. 66: 1. Joh. 14: 2. 2 Cor. 5: 1. unde dicitur esse ἐν τοῖς οὐρανοῖς, Matt. 6: 9. quamvis *cœli cœlorum haud illum capiant.* 1 Reg. 8: vers. 27.

Post creatum mundum fuit apud Deum in cælo.

verſ. 27. Igitur & *Sermo*, qui *apud Deum fuit*, poſt conditum cœlum, apud Deum, *in cœlo* fuit.

§. 33. Hinc dicitur veniſſe ἄνωθεν *deſuper*, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ *è cœlo*, Joh. 3: 31. *deſcendiſſe è cœlo.* Joh. 6: 33. 51. & verſ. 62. *Cum igitur videbitis Filium hominis aſcendentem*, ὅπου ἦν τὸ πρότερον *ubi erat antea*, non eſſe ἐκ τῶν κάτω *ex inferioribus*, ſed ἐκ τῶν ἄνω *è ſuperioribus*, & non eſſe ἐκ τοῦ κόσμου τούτου. Joh. 8: 23. *exiviſſe a Deo.* Joh. 13: 3. 16: 28. Inde vocatur *Dominus è cœlo.* 1 Cor. 15: 47. *Germen ex alto*, Luc. 1: 78. & ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ, Joh. 3: 13. Hoſ. 9: 8. dicitur צֹפֶה אֶפְרַיִם *Speculator Ephraimi*, cuſtos Ephraimi, Angelus faciei, bajulans Ephraimum, eſſe עִם אֱלֹהָי *apud Deum meum.* Atqui אֱלֹהֵינוּ בַשָּׁמָיִם: *Deus noſter in cœlis eſt.* Pſalm. 115: 3. Geneſ. 49: 24. vaticinatur Jacob, *conſolidanda brachia manuum*, Joſephi, *a manibus Herois Iacob*, מִשָּׁם *ab inde*, ubi eſt *Paſtor*, *Lapis Iſrael.* Heros Jacobi, robur & potentia illius, unà cum *Paſtore, Lapide Iſraelis*, rupe ſalutis *in cœlo* fuit. Et quidni fuerit Sermo in cœlo, per quem *facti ſunt cœli.* Pſal. 33: 6.

Quid Sermo egerit apud Deum.

§. 34. Quæris, quid egerit ὁ λόγος *apud Deum*? Prov. 8: 30. *Et fui ludens coram illo omni tempore, deliciæ die die*, inquit Sapientia, hoc eſt, gratiſſima quæque Patri molitus eſt, conſuluit, fecit. *Qui per Spiritum æternum ſe ipſum obtulit Deo.* Hebr. 9: 14. *Si eſt* עָלָיו *apud illum*, Deum, *Angelus interceſſor, & dicit, redime illum, ne deſcendat in foveam, inveni lytrum.* Job. 33: 23. Egit apud Deum, ut Sponſor, res populi ſui. Heb. 1: 3. *ferens omnia verbo potentiæ.* Cum *Satanas* ſtaret *ad infeſtandum* & accuſandum *Iehoſuam Sacerdotem magnum*, ille dixit, *increpet te Dominus Satan, increpet te Dominus.* Zach. 3: 1. 2. Idem dixit, ὅτε τῷ Διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο περὶ τοῦ Μωσέως σώματος. Jud. verſ. 9.

Sermo perſona diſtincta à Patre & Spiritu; contra Sabellianos.

§. 35. Etiam ex hac ſententia, Sermo *erat apud Deum*, apparet, hypoſtaſin τοῦ λόγου diſtinctam eſſe ab hypoſtaſi τοῦ Θεοῦ, hoc eſt, Dei Patris & Spiritus, qui enim apud Deum Patrem erat, & Deum Spiritum, diſtinctus eſt à Deo Patre, & à Deo Spiritu. Fuerunt olim, qui per Patrem, Filium & Spiritum S. non tres perſonas, ſed unam duntaxat intellexerunt perſonam, trinominem; adeò ut idem, qui Pater, illis ſit & Filius; nec Filius tantùm, ſed & Pater paſſus ſit pro nobis, quem ad tollendum perſonarum diſtinctionem novo vocabulo dixerunt υἱοπάτορα. De hac hæreſi ita Athanaſius, οὔτε γὰρ υἱοπάτορα φρονοῦμεν, ὡς οἱ Σαβέλλιοι, λέγοντες, μονοούσιον, καὶ οὐχ ὁμοούσιον, καὶ ἐν τούτῳ ἀναιροῦντες, τὸ εἶναι υἱὸν, *& hoc ipſo tollentes Filium.* Autores hujus hæreſeos dicuntur fuiſſe *Praxeas*, *Victorinus*, *Hermogenes*, *Noëtus*, *Sabellius*, Lybicus genere; & ſectatores illorum dicti ſunt *Patri-paßiani*, à damnabili doctrina; & ab autoribus ac Patriarchis ſuis *Praxeani*, *Hermogeniani*, *Noëtiani*, *Sabelliani.*

§. 36. Hæc, ut dictum, hæreſis, uno hoc dicto ſufficienter refellitur, *Sermo erat apud Deum.* Si una tantùm ſit in Deitate perſona, quid hoc erit, niſi, *Filius erat apud Filium?* Seriò inculcat Scriptura, eſſe *in cœlo* τρεῖς *tres, qui teſtantur.* 1 Joh. 5: 7. Filium *a Patre genitum & miſſum. Spiritum a Patre exire, & Filio*; qui & dicitur ἄλλος παράκλητος, Joh. 14: 16. *alter index.* Zach. 9. 12. Hinc Deus in plurali de ſe toties loquitus eſt. *Faciamus hominem. Factus eſt Adam, ut unus è nobis. Deſcendamus, confundamus labium illorum*, & Abrahamo *viſibiliter olim inſinuata per creaturam viſibilem Trinitatis æqualitas, atque in tribus perſonis una eademque ſubſtantia*, ita amat loqui Auguſtinus de viſione Geneſ. 18. Et quæ facta ſunt apud baptiſmum Chriſti, ſatis ſuperque hujus mendacii arguunt enormitatem. Matt. 3: 16. 17.

Socini commentum.

§. 37. Socinus ad hæc verba ita commentatur. *Et verbum erat apud Deum*, hoc eſt, *Ieſus*,

Iesus, quatenus Dei verbum, antequam Baptistæ prædicatione patefieret, soli Deo notus erat. Idem. *Quod verbum & Christus esset, id verò omnibus prorsus ignotum erat.* Idem. *Constat dictionem, apud, in sacris literis in hac significatione usurpari, ut* 1 Joh. 1: 2. *annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & manifestata est nobis.* & Luc. 2: 52. *Et proficiebat Iesus ætate & gratia* παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις, *apud Deum & homines*, hoc est, ut Socinus παραφράζει, *in Dei & hominum conspectu.* Christum autem, ante prædicationem Johannis, *omnibus prorsus ignotum fuisse*, probare nititur è Joh. 1: 26. *medius vestrum stat, quem vos non nostis*, & vers. 31. & 33. *Et ego*, inquit Baptista, *non noram illum, sed qui misit me, ille dixit mihi.*

§. 38. Sed quis unquam phrasin, *apud Deum esse*, interpretatus est, *soli Deo notum esse?* Illius refutatio.
Qui *apud Deum* est, certè Deo notus est, cui ignotum nihil; attamen non hic sensus hujus phraseos est, sed, apud Deum vivere, commorari, habitare; illi proximè junctum & unitum esse. Locus 1 Ioh. 1: 2. loquitur de *vita æterna*, quæ ℣. 1. dicitur *sermo vitæ*, estque adeò idem ὁ λόγος, de quo agimus. Hanc *vitam æternam* dicit Iohannes fuisse πρὸς τὸν πατέρα; ut in Euangelio πρὸς τὸν Θεόν, hæc *vita æterna annunciata* est *nobis*, ἐκηρύχθη γὰρ ἐν ἔθνεσιν, 1 Tim. 3: 16. & *manifestata*, in carne nimirum in qua *videri, audiri, manibus palpari potuit.* 1 Ioh. 1: 1. Locus Luc. 2: 52. dicit Iesum *profecisse sapientia apud Deum & homines*, videntibus & lætantibus Deo & hominibus, sed num inde sequitur, id soli Deo, & solis hominibus notum fuisse, nonne & id notum fuit *Angelis*, quibus *præceperat Deus super illo.* Nec magis verum, Christum ante præconium Iohannis *nemini fuisse notum.* Annon Maria noverat quem pepererat; super quo etiam ante partum *Dominum* μεγαλύνει; & de quo illam Angelus tam prolixe edocuerat? Nonne multitudo cœlestis exercitus de illo *Pastoribus* cecinerat, & Angelus dixerat, *natus est vobis hodie Servator?* Annon *Simeon* illum novit, qui ulnis illum amplexus benedixit Deo? Annon *Anna* Προφῆτις? Annon Zacharias, qui illustre de illo edidit vaticinium? Annon *Elisabet* quæ *Mariam* salutat *matrem Domini sui?* Nec obstat, Iohannem dicere, κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν, naturâ enim illum non noverat; caro & sanguis non illum illi revelarat; *Gratia* autem Dei, quod noverat, noverat. Et quidni noverit Iohannes Dominum, qui in utero adhuc materno saltu matrem Domini advenientem salutavit? Igitur notitiâ mentis & fidei dudum illum noverat; quem notitiâ sensuum forsan serius nosse didicit, hoc est, cujus formam & faciem & lineamenta oris & externam speciem ignorare potuit, usque quo ad baptismum illius accessit Dominus. Nec magis ad rem facit, *multos* Pharisæorum illum *non novisse*, ut enim illorum ἀπιστία τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ οὐ καταργήσει, Rom. 3: 3. sic nec illorum *ignorantia*, ἡ ἄγνοια ἡ οὖσα ἐν αὐτοῖς, fidelium & Sanctorum de *Servatore*, *Christo Domino* notitiam & spem exstinxit, aut præjudicio illi esse potuit.

§. 39. Smalcius, & Slichtingius explicant *erat apud Deum*, hoc est, *fuit in cælo, ponuntque certo certius, Christum, ut hominem, fuisse aliquando*, nimirum circa initia prædicationis Iohannis Baptistæ, *in cælo, ante ascensionem*, illam nimitum quæ facta est post mortem Christi & resurrectionem. Idque putant Christum docere. Ioh. 3: 13. *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui è cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo*, addunt Ioh. 6: 62. Si, inquiunt, è cælo descendit, ante oportet ut in cœlum ascenderit, Christus. Smalcii & Slichtingii sententia de ascensione τοῦ λόγου in cœlum, ante mortem.

§. 40. Sed patet mens Christi. Loquitur de ascensione in cœlum, & quidem de sua, ut filii hominis, futura ascensione. *Nemo*, inquit, *ascendit in cælum, nisi*, &c. Ante Christum *assumtus* est in cælum *Enoch*. Etiam *Elias in turbine ascendit in cælum.* Genes. 5: 24. Hebr. 11: 5. 2 Reg. 2: 11. Id non latebat Christum; & tamen dicit. *Nemo ascendit.* Ascende- Locus Joh. 3: 13.

cenderunt & translati sunt Enoch & Elias, gratiâ Dei, *coram quo ambulaverant*, lati *potenti verbo* Sponsoris, Seminis promissi, quod πίςει *fide* amplexi erant; adeoque non id fuit *volentis & currentis* sive Enochi, sive Eliæ, sed *miserantis Dei*; in illis volentis ostendere, cœlum sanctis & fide ambulantibus paratum esse, & quoad corpus, & quoad animam. Promissa erat *ascensio in altum, captivatâ captivitate, & donis acceptis in hominibus*: Psal. 68: vers. 19. Qui ita *ascenderet*, futurus erat Victor hostium, contritor capitis antiqui hostis & serpentis, triumphator mortis, causa & donator omnis gratiæ & salutis. Illa ascensio in Psalmo prædicatur de *Deo* ipso vers. 8. 10. 11. & *Domino*. vers. 12. Igitur tali ascensione *nemo* ascendit, nec Enoch, nec Elias. Ideò optimè Christus οὐδεὶς ἀναβέβηκεν. Hanc *ascensionem* autem tribuit illi, *qui è cælo descendit*, nemo ascendit in cœlum, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *filius hominis*. Si juxta Psalmum 68. is, qui *ascendit in altum*, est *Deus, Dominus*, oportet ut, qui *è cælo descendit*, etiam sit *Deus*, *Dominus*: *descendit* Deus è cœlo, quatenus gloria illius in terra est manifestata, & in carne est manifestatus, è muliere natus, & in nobis habitavit, unde & audit *Filius hominis*. Quare rectè dicitur, *nisi qui è cælo descendit*, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Licet enim is, qui *descendit*, sit *Deus*, tamen descendendo factus est etiam *Filius hominis*. Hujus *Dei* descendentis, & humanitatem assumentis etiam est *ascendere*. Dominus enim cœli, Dominus è cœlo, è cœlo descendens, omnia, ad quæ *præagnitus* erat, *implens & perficiens*, necessariò in cœlum *ascendit*; & id in illud infert, quod descendendo sibi *aptavit*, *Corpus* suum, & *carnem* ac *sanguinem*, ὧν μετέσχε. Hebr. 10: 5. 2: 14. De hac gloriosa ascensione, quæ in Christo adhuc futura erat, loquitur Christus verbo usus præteriti temporis. *Nemo ascendit*; ac si illa jam facta esset. Si enim Psalm. 68. dicit עָלִיתָ *ascendisti*, quod etiam præteriti temporis est, Psalmus, inquam, tanto intervallo ante scriptus, Spiritu futurum, ut præsens & jam exstans contemplatus, multò magis Christus, in quo id mox mox implendum erat, stilo ac verbo Psalmi usus, ita loqui potuit, & de re, mox futura, narrare ut de jam facta ac exstante. Ita & in institutione sanctæ cœnæ de *corpore* suo dixit, *corpus meum, quod pro vobis datum est, & fractum*, Luc. 22: 19. 1 Cor. 11: 24. cum tamen adhuc tradendum & frangendum esset. Sed num *Deus, è cælo descendens, filius hominis* factus, descendendo cœlum planè dereliquit? absit, ideo addit statim Dominus: ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Is, qui cœlum condidit, cujus cœlum solium, quem cœli cœlorum non capiunt, cœlo excludi hautquaquam potest. Igitur, *qui descendit è cælo, Filius hominis*, non obstante descensione, *est in cælo*. Dum *Filius hominis* dicitur esse in cælo, etiam, antequam in id ἀνελήφθη, ne putemus stabiliri dogma ubiquetisticum; quod absurdissimè statuit, τὸν λόγον, à primo conceptionis momento, etiam quoad naturam humanam (quam negant successivè conceptam, sed momentaneè) fuisse ubique, & in cœlo, & in terra; sed cogitemus personam τοῦ λόγου post assumtam humanitatem, diversis prædicationibus esse, ut ita loquar, obnoxiam; ita ut optimè dicatur *Deus* sanguinem fudisse, qui, quà Deus, sanguinem non habet: Princeps *vitæ* mortem gustasse; qui, quatenus est ἡ ζωὴ ἡ αἰώνιος, mori non potest; & *filius hominis*, etiamnum in terris agens, esse in cælo; in quod, quatenus homo est, carnis particeps & sanguinis, post mortem demum & resurrectionem, videntibus multis, evectus est. *Erat* igitur *Filius hominis, in cælo*, quia illa persona, quæ *homo* facta est in tempore, *Deus* existens ante tempora, reverà in cælo erat, quàmvis necdum *secundum carnem* in cælo erat. Sed, ut hoc nunc mittamus, Sociniani hoc loco haut se tueri possunt, nec ascensionem ante ascensionem inde astruere; quia videmus, Christum in his verbis de futura sua gloriosa ascensione vaticinari. In quibus & hoc insigniter contra illos facit, quod, qui ascensurus erat in cælum; & descenderat

derat e cœlo, dicitur *esse in cælo*, quod utique esse non posset, si Dominus, qui in cœlum ascendit, postquam descenderat, ψιλὸς esset ἄνθρωπος *merus homo*, & nuda tantùm *creatura*, ut illi miserè aberrant. Nam ut *homo*, filius hominis, simul cœlum teneat, simul terram habitet; sit in cœlo, & tamen descenderit è cœlo, ipsis illis haut diffitentibus, fieri minime potest; quamvis ubiquitistæ nostri id defendere non vereantur.

§. 41. Major autem hisce accedet lux, si & Paulum Apostolum hac de re audiamus. Is igitur cap. 4. epist. ad Ephesios vers. 8. citat verba Psalm. 68: 19. Ἀναβὰς εἰς ὕψος *ascendisti in altum*. Inde ita argumentatur. Τὸ δὲ, ἀνέβη, τί ἐστιν εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον. *Id autem, ascendit, quid est nisi quod & descendit prius.* vers. 9. Ex ascensu colligit Paulus descensum priorem ascensione. Secus Sociniani; illi è descensu concludunt ascensum, priorem descensione. Nec tamen malè colligit Paulus, qui optimè meminerat, Psalmum de *Deo Domino* vaticinari, *ascendisti.* Si igitur *Dominus* ascendit, oportet ut descenderit. Si qui in cœlo est & ab initio habitat, in cœlum intrat, oportet ut è cœlo ante exiverit. Illi qui sunt ἐκ τῶν κάτω, *ex inferioribus*, ἐκ τῆς γῆς *è terra* Joh. 3: 31. 8: 23. ascendunt in cœlum; nec tamen è cœlo descenderunt. Sed is, qui est ἐκ τοῦ οὐρανοῦ *è cælo* Joh. 3: 13. ἐκ τῶν ἄνω *e superioribus* Joh. 8: 23. ἀπ' οὐρανῶν *a cælis* Hebr. 12. 25. non potest dici, nec cogitari ascendere in cœlum, ni antecedenter descenderit è cœlo. Ideo cæci illi è descensu filii hominis è cœlo cogere volunt ascensionem antecedaneam: quia Christum agnoscunt tantùm κατὰ σάρκα; abnegant κατὰ πνεῦμα; humanitatem illius fatentur, divinitatem omnino diffitentur. Nec contentus Paulus monuisse simpliciter de καταβάσει τοῦ Θεοῦ insimul addit, quo & ad quid descenderit; εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, *in inferiores partes terræ*, inquit; in sepulchrum ipsum, morte gustata, lytro posito; in quo dulciter quievit, tectus & adobrutus quasi terra. Cui ad infima descensioni apponit ad summa ascensionem, *ascendit* ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν *super omnes cælos.* Ita qui profundè fuerat humiliatus, supra modum fuit superexaltatus. Et quia ascensio omnino debebat excipere descensionem, & æquum fuit, ut ascenderet, qui descenderat, Dominus, (ita γὰρ ἔδει) ideo firmiter concludit Paulus, ὁ καταβὰς, αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβὰς, *qui descendit ille est, & qui ascendit.* Eph. 4: 8. 9. 10.

Locus Eph. 4: 8 -- 10.

§. 42. Nec magis figmento Socinianorum, Christum hominem cum carne in cœlo fuisse, & in ipsa carne è cœlo descendisse, favet locus Joh. 6: 51. *Ego sum panis ille vivens, qui è cælo descendit, & panis ille*, ἡ σάρξ μου ἐστὶν *caro mea est.* Unde ita inferunt. Panis ille vivus descendit è cœlo. Panis hic est caro Christi. Ergo caro Christi descendit è cœlo. Si autem caro descendit, oportet, ut ante descensum in cœlum ascenderit. Sed haut difficilis est responsio. Christus dicitur *panis*, ob vim, quam in nobis exserit; non minus nutrit & roborat suos, quam panis corpora nostra. Dicitur autem ὁ ἄρτος ὁ ζῶν *panis ille vivus*; ut & discernatur à vulgari pane, qui confectus è grano fracto, attrito, cocto, & tosto, & ita multipliciter infirmato ac mortificato, in se non vivit, quamvis vitæ nostræ conservandæ remedium optimum sit; & ut agnoscatur *vitam habere in se, ut Pater habet in se* Joh. 5: 26. & conciliare *vitam* natura *mortuis*, vitam veram, spiritualem, æternam, cum terrestris tantùm panis vitam nutriat animalem & umbratilem; imò talis sit, ut ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ *haut vivat homo.* Matt. 4: 4. Hic *panis vivus*, ut decenter & ἀξιοπρεπῶς τῷ Θεῷ *vitam* mortuis conciliaret, necessum fuit, *ut descenderet è cælo*, hoc est, ut extra cœlum appareret in terra, & ut descendens è cœlo σὰρξ *caro* fieret, quam *daret pro mundi vita*, non potuisset dare vitam, nisi gustaret mortem; non potuisset gustare mortem, nisi caro fieret, non potuisset *carnem* vivificare mortificatam, nisi ὁ ζῶν esset *vivus* ille, qui è *cælo descendit*; nec caro profuisset, si à morte detenta fuisset. Igitur in illo, qui est ὁ ἄρτος *panis*

Locus Joh. 6: 51.

noster, è *quo edentes, vivimus in seculum*, agnoscenda duo sunt. 1. Quod est ὁ ζῶν, *Vivus* ille, *Vita æterna*; *è cœlo Dominus.* 2. Quod ἐγένετο σὰρξ *cœpit esse caro*, & in illa ad *mortem traditus* est. Vita æterna, & Natura humana credenda est in illo, qui vitam mundo dat. Est *Panis*, & quà *Deus*, & quà *Caro* factus. Nec Panis vivus & mortuos in peccatis vivificans esse posset, si aut tantùm Deus esset aut tantùm Caro. Ideò Deus cùm esset, descendit, ut, quod non erat, esse inciperet; σὰρξ *caro*, ut ita Deus & homo, θεάνθρωπος factus, re ipsa esset ὁ ἄρτος ὁ ζῶν. Igitur is, qui est *Panis*, descendit quidem è cœlo, & manifestatus est in terra; ἐφανερώθη ἡμῖν, imò *manifestatus in carne* 1 Tim. 3: 16. 1 Joh. 1:2. Non tamen *caro* descendit è cœlo, quia descendens illius demum μετέσχε *cœpit esse particeps*; sed ea pars *Panis* tantùm, (si ita loqui licet de eo, qui est ἀμερής,) quæ è cœlo est, cujus cœlum solium, à qua imprimis vocatur ὁ ζῶν; & πνεῦμα ζωοποιοῦν 1 Cor. 15:45.

Locus Joh. 17:5. & objectio Sociniadversus illum.

§. 43. Sociniani, ut omnino negent, τὸν λόγον fuisse in initio, & ante mundi initium apud Deum, solent eximium locum Joh. 17: 5. quem attigimus supra §. 31. ubi Christus testatur, *se habuisse gloriam apud Patrem, ante mundum esse*; unde sequitur, si habuit gloriam ante mundum. Ergo fuit ante mundum, ita illudere; *Paulus dixit* 2 Tim. 1: 9. *gratiam datam nobis in Christo Jesu ante tempora secularia*, qui tamen non fuimus ante illa; cui illusioni sic paucis respondemus. Christus dicit se *habuisse gloriam*, hoc est, revera fruitum illa esse & potitum. *Gloria* illa æternam ejus *generationem*, Psal. 2:7. *vitam* Joh. 5: 26. *dilectionem* Joh. 17: 24. *complacentiam* Matth. 3: 17. *unctionem* Prov. 8: 23. *preagnitionem* 1 Petr. 1:20. *beatitudinem* in se complectitur. Si gloriam habuit, utique fuit. Primum enim in illa gloria est, vivere, esse, æternum esse. Gloriam illam habuit *apud Patrem*: nam Sermo *erat apud Deum*, unum cum illo, in sinu illius, ludens coram illo; habuit illam, *antequam mundus esset*, qui enim *hodie* est genitus, cujus *egressiones* מִימֵי עוֹלָם *a diebus æternis sunt* Mich. 5: 1. certè ante mundum vitâ potitus est & gloriâ. Si illam habuit παρὰ τῷ πατρὶ, semper Patri coëxstitit. Hac gloria petit νῦν *nunc glorificari*, hoc est, post dies humiliationis suæ & exinanitionis publicè & gloriosè *demonstrari Filius Dei unigenitus in potentia*, Rom. 1: 4. *fieri Christus & Dominus* Act. 2: 36. *nominari juramento Sacerdos secundùm ordinem Melchisedek* Psal. 110: 4. *poni heres omnium* Hebr. 1: 2. *ungi Rex in Sione monte sancto* Psal. 2:6. Imò cupit *exaltari ad dextram Dei* Act. 2: 33. *rapi* πρὸς τὸν θεὸν Apoc. 12: 5. & *assumi* ἐν δόξῃ 1 Tim. 3: 16. Ita glorificari est accipere *nomen super omne nomen*, & gloriam super omnem gloriam. Phil. 2: 9. Aliter autem longe se res habet nobiscum, & *gratia* illa, quæ nobis data est *ante tempora secularia*, *data* nobis est, μήπω γεννηθέντων ἡμῶν *nondum natis nobis*, Rom. 9: 11. data nobis est *ante tempora*, ut acciperemus illam in tempore, & illa gauderemus post omnia tempora, in seculorum secula. Ideo & *electi* dicimur, & *regnum nobis* dicitur *paratum* πρὸ καταβολῆς κόσμου Eph. 1: 4. Matt. 25: 34. data est *in* Christo, imò & data à *Christo*. Christi enim est ἡ χάρις. Act. 15: 11. διὰ τῆς χάριτος κυρίου Ἰησοῦ πιστεύομεν σωθῆναι, καθ᾽ ὃν τρόπον κἀκεῖνοι. Ideo certè Christus fuit ante tempora secularia, quia gratia nobis in illo & per illum data est ante tempora secularia. Igitur gratia quidem data nobis est ante tempora, nos autem non fuimus ante tempora. Christo autem gloria non est *data* ante mundum, nim. ita ut nobis, in Dei decreto & consilio, sed *habuit* gloriam ante mundum, ἣν εἶχον, *habere* gloriam, est actu ipso illam possidere. Et hanc *gloriam*, quam semper *habuit*, etiam *dedit* illi Pater Joh. 17: 24. *ut videant* τὴν δόξαν τὴν ἐμὴν, ἣν ἔδωκάς μοι, ὅτι ἠγάπησάς με πρὸ καταβολῆς κόσμου. Joh. 17: 24. *Dedit*, æterna generatione, quemadmodum & ἔδωκε τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ. Joh. 5: 26.

§. 44. Quar-

§. 44. Quartum pro divinitate τȣ̃ λόγȣ argumentum hoc addit Johannes. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. *Et Deus erat Sermo.* Joh. 1: 1. Hucusque de duratione τȣ̃ λόγȣ, (ut ita balbu- 4. Ab eo, quod erat Deus.
tiam) *Erat in initio*; & de ἰδίῳ illius οἰκητηρίῳ *proprio domicilio*, *Erat apud Patrem*, testimonium tulit, nunc & de *natura* ejus & persona addit. Erat *Deus.* θεότης ȣ̓ράνιος *cœlestis divinitas*, ut loquar cum Synodo olim in *Paulum Samosatenum* coacta, τȣ̃ λόγȣ indicatur. *Erat.* non factus in tempore Deus; sed in initio, & ante tempora Deus. Si ante tempora *erat* Deus, non in tempore tantùm *est*, sed & post omne tempus *erit* Deus, ut bene Justinus contra Tryphonem, θεὸς καλεῖται, καὶ θεός ἐστι, καὶ ἔσται. θεὸς ἦν ὁ λόγος est similis ferè loquendi ratio, ut Joh. 4: 24. πνεῦμα ὁ θεός. *Spiritus* est *Deus.* Quæris, quid est *Deus? Spiritus*, quid *Sermo?* θεὸς *Deus.*

§. 45. Sermonem esse θεὸν sequentia confirmant loca. Rom. 9: 5. *Christus*, qui est è Loca Novi Test. in
Patribus, τὸ κατὰ σάρκα, ita laudatur. ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τȣ̀ς αἰῶνας, *qui est* quibus
super omnes Deus benedictus in secula. Ecce est θεὸς *Deus*, *super omnes*, 1 Cor. 8: 5. Sermo
Col. 1: 17. *benedictus*: fons autorque omnis εὐλογίας Apoc. 5: 13. *in seculum. finem* enim θεὸς dicitur.
non habet. Hebr. 7: 3. Act. 20: 28. *Posuit vos Spiritus S. Episcopos, ut pascatis Ecclesiam*
Dei, ἣν περιεποιήσατο διὰ τȣ̃ ἰδίȣ αἵματος, *quam acquisivit per proprium sanguinem.* Ec- Rom. 9: 5.
clesia *sanguine* est acquisita; *non* enim potuit *redimi* φθαρτοῖς ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ. 1 Pet. 1: Act. 20: 28.
18. Hic *sanguis* dicitur τὸ ἴδιον αἷμα θεȣ̃. Atqui sanguis *redemptionis* nostræ est *sanguis Christi, agni immaculati*, 1 Pet. 1: 19. *purgationis* nostræ, *sanguis Jesu Christi, Filii ipsius*, 1 Joh. 1: 17. ut & *remissionis peccatorum* nostrorum Col. 1: 14. Ergo Christus est ὁ θεὸς *Deus ille*, cujus sanguine Ecclesia acquisita, quam proinde vocat suam. Matth. 16: vers. 18. *Ædificabo Ecclesiam meam*, quæque *illius corpus* est, cuique ille *caput.* Ephes.
1: 22. 23. Joh. 20: 28. *Et dixit illi*, Jesu, *Thomas.* ὁ κύριός μȣ, καὶ ὁ θεός μȣ. *Domine* Joh. 20: 28.
mi, *& Deus mi.* Thomas, ex ἀπίστῳ factus πιστός, Jesum fatetur & *Dominum suum*, & *Deum suum.* Ut verè Jesus est ὁ κύριος, ita & verè ὁ θεός. Non est hic vaga exclamatio, qualis solet esse admiratione perculsorum; sed confessio fidei. ante non crediderat Thomas, Jesum resurrexisse: nunc ubi *illum vidit*, *credidit*, fidemque suam hac confessione
testatus est. 1 Tim. 3: 16. θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. *Deus in carne manifestatus est.* Atqui 1 Tim. 3: 16.
ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Joh. 1: 14. Res ipsa docet, vocem θεὸς hic necessariò requiri. Si enim ad *magnum pietatis mysterium*, quæ sequuntur, referri debent, sensus orietur incommodus; neque enim de *mysterio* potest dici, illud *manifestatum in carne*, *justificatum in Spi-*
ritu, *assumptum esse in gloria?* Tit. 2: 13. *exspectantes beatam spem & apparitionem glo-* Tit. 2: 13.
riæ τȣ̃ μεγάλȣ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησȣ̃ χριστȣ̃, *magni Dei & Servatoris nostri Jesu Christi*, Confer 2 Pet. 1: 1. *in justitia* τȣ̃ θεȣ̃ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησȣ̃ χριστοῦ. *Dei nostri & Servatoris Jesu Christi*, adde 2 Pet. 2: 20. ἐν ἐπιγνώσει τοῦ κυρίȣ καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ χριστοῦ *in agnitione Domini & Servatoris Jesu Christi.* Confer 2 Pet. 3: 2. ἡ ἐπιφάνεια *apparitio*, quam *expectamus*, quamque *amamus* est τοῦ κυρίȣ *Domini*, *justi Iudicis.* 2 Tim. 4: 8.
Jesu Christi, ᾧ ὥρισε *judicare habitabilem in justitia.* Act. 17: 31. Ergo ille est ὁ μέγας
θεὸς, ut verè est σωτήρ. 1 Joh. 5: 20. *Novimus, quod Filius Dei venit, & dedit nobis men-* 1 Joh. 5: 20.
tem, ut agnoscamus τὸν ἀληθινόν *verum illum*, *& sumus* ἐν τῷ ἀληθινῷ *in vero illo*, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ χριστῷ *in filio illius Jesu Christo.* οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. *Hic est verus Deus*, *& vita æterna.* Est Deus ὁ ἀληθινός *verus ille*, est enim ipsa Veritas: non mentitur, & secundùm veritatem judicat; &, quod promisit, in veritate implet. In veritate vult adorari. Sed & Filius Dei est ὁ ἀληθινός *verus ille*, qui de se ipso dicit; *Ego sum veritas*, in & è cujus *testimonio* agnoscitur ὁ θεὸς ἀληθής Joh. 3: 33. *in quo omnes promissiones*

Dei

Dei sunt Næ & Amen. 2 Cor. 1:20. Ita ἀληθινὸς ὁ πατήρ; & ἀληθινὸς ὁ υἱός. *In hoc vero sumus, in Filio Veri*, hoc est, Dei Patris; hic Filius est *verus ille Deus, & vita æterna.* Est certè Filius ἡ ζωὴ αἰώνιος. 1 Joh. 1:2. Ergo & ὁ ἀληθινὸς θεός. Athanasius in libello, cui titulus, ἔκθεσις πίστεως. πιστεύομεν, inquit, εἰς ἕνα μονογενῆ λόγον, &c. θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, ὥς φησιν Ἰωάννης ἐν καθολικαῖς; & citat hunc locum. Addamus denique Luc. 1:

Luc. 1:16. 17. 16. 17. *Multos filiorum Israël convertet* ἐπὶ κύριον τὸν θεὸν αὐτῶν *ad Dominum Deum illorum; & ille*, Johannes Baptista, *præibit coram illo* Domino, Deo. Ante Christum autem ambulavit Johannes. Ergo Christus est *Dominus, Deus Israël.* Ita nunc apparet, τὸν λόγον esse *Deum*, super *omnes, magnum, verum*, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, *Deum è Deo, lucem è luce, Deum verum è Deo vero*, ut symbolum loquitur Nicænum, scriptum anno Domini 325. & Concilium Constantinopolitanum, habitum Anno 381.

Loca Vet. Test. in quibus ὁ λόγος dicitur. §. 46. Imò & testimonia Vet. Test. Quæcunque enim ibi leguntur nomina Dei, omnia illa etiam τῷ λόγῳ attribuuntur. Vocatur Deus T.O.M. in Mose & Prophetis. 1. אֵל *Deus potens.* 2 אֱלֹהִים *Deus, cui jus est exigendi sub* אָלָה *adjuratione*, fidem, confessionem, & obedientiam. 3. יְהוָה *Iehovah, qui est; est quod est; fit quod est.* 4. אֲדֹנָי & אָדוֹן *Dominus*: mitto plura. Ita & ὁ λόγος dicitur 1. אֵל Es. 7:14. *Virgo pariet Filium, & nomen ejus* עִמָּנוּ אֵל *nobiscum Deus.* Es. 9:5. *Filius datus nobis. Et vocabitur* אֵל *Deus potens.* Psalm. 95:3.

אֵל

אֱלֹהִים אֵל גָּדוֹל *Deus magnus.* ita vocatur *Rupes salutis.* ✠. 1. 2. אֱלֹהִים: Psal. 82:1. *Elohim stat in cœtu Dei.* & ✠. 8. *Surge Elohim, judica terram.* Psalm. 68:29. *Præcepit Deus robur tuum. Invalesce Elohim*, ita dicitur illi, qui *ascendit in altum.* Psal. 45:7. *Solium tuum, Elohim, seculum & æternitas*, ✠. 8. *unxit te, ô Deus, Deus tuus.* Testis est Paulus ita

יְהוָה dici πρὸς τὸν υἱόν. Hebr. 1:8. 9. 3. יְהוָה: Jerem. 23:6. *Iehova justitia nostra.* confer Jerem. 33:16. ita nominatur *Germen justum, excitandum* olim Davidi. Es. 45:23. *Tantum in Iehova, de me dixit, justitia & robur.* Atqui *justitia* donum Christi est. 1 Cor. 1:30. 2 Petr. 1:1. Es. 40:3. 5. *Preparate viam Iehovæ; & manifestabitur gloria Iehovæ.* Ita clamavit vox clamantis in deserto. 4. אֲדֹנָי: Esaias narrat se *vidisse* אֲדֹנָי *seden-*

אֲדֹנָי *tem in solio excelso.* Esaiæ cap. 6: versf. 1. 2. 3. Atqui tunc *vidit* Esaias *gloriam Christi, & locutus est de illo*, Joh. 12: vers. 41. Psalm. 2: vers. 4. *sedens in cælis ridet.* אֲדֹנָי *subsannat illos*: quis ille? *Rex Sionis, Filius hodie genitus*, vers. 6. 7. Psal. 110:5. אֲדֹנָי *ad dextram tuam.* Ita *Dominus Davidis.* cui *Dominus dixit sede ad dextram meam*, appellatur.

אָדוֹן Denique אָדוֹן Mal. 3:1. *subito veniet* הָאָדוֹן, *& Angelus Testamenti.* Psal. 114:7. 8. *Coram* אָדוֹן *treme terra; Coram Deo Iacob, qui mutat Petram in stagnum aquarum; silicem in fontes aquarum.* Et hæc è multis ac infinitis sufficiant.

Quia θεὸς λόγος est & πνεῦμα ὁ λόγος. §. 47. Si autem θεὸς ὁ λόγος, ut evicimus, oportet ut & id sit ὁ λόγος quod est ὁ θεός; & id sit in λόγῳ, quod est ἐν θεῷ. Alias enim non esset θεός. Atqui πνεῦμα θεὸς *Spiritus est Deus.* Joh. 4:24. hoc est, τὸ θεῖον non est ὅμοιον λίθῳ, ἢ χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ Act. 17:29. σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, Luc. 24:39. quia est אֵל non est אָדָם *homo*, & quia est רוּחַ *Spiritus*, non est בָּשָׂר *caro*; ut *Ægyptii & equi illorum.* Es. 31:3. Igitur & ὁ λόγος est πνεῦμα, hoc est, *Spiritus*, persona divina, essentia constans Spirituali.

Neque tamen est πνεῦμα κτιστὸν ut sunt Angeli, & animæ humanæ sed ἄκτιστον & αἰώνιον. §. 48. Ὁ λόγος est τέλειος θεός, καὶ τέλειος ἄνθρωπος *perfectus Deus, & perfectus homo*: quatenus homo, ἐξ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑπάρχων *ex anima rationali, & humana carne constans.* Hæc illius ψυχὴ etiam est πνεῦμα. Luc. 23:46. *In manus tuas commendo Spiritum*, ut & animæ πνεύματα *Spiritus* sunt. 1 Pet. 3:19. 4:6. Act. 7:59 Sed hoc πνεῦμα est κτιστὸν *creatum*, cum *corpori illi est aptatum*; naturæ quidem spiritualis & immortalis, at non divinæ & æternæ. Igitur cum *Sermo Deus* dicitur esse πνεῦμα *Spiritus*, non

non intelligendus est Spiritus creatus, finitus, qualis fuit anima illius humana; quales etiam sunt *Angeli*, πνεύματα illa λειτουργικὰ, Hebr. 1: 14. sed ita credendus est esse *Spiritus*, ut Deus est, Spiritus æternus, infinitus, omnipotens, omniscius, ἄναρχος, ἄκτιστος, ἄπλαστος. Hebr. 9: vers. 14. διὰ πνεύματος αἰωνίου *per Spiritum æternum seipsum obtulit* Christus. 1 Cor. 15: 45. *Ultimus Adam* ἐγένετο εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν *exstitit in Spiritum vivificantem*, hoc est, cœpit demonstrare & facto ac re ipsa exhibere id, quod in veritate & re ipsa est, *Spiritus vivificans, vita*, auctor vitæ, vivificans in lapsibus mortuos, & corpora nostra mortalia & *animalia* aliquando suscitaturus & vivificaturus, ut fiant *spiritualia*. 1 Cor. 15: vers. 44. Hac mente docet Paulus, Christum *è semine David natum, secundùm carnem*, esse *Filium Dei, in potentia*, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης *secundum Spiritum sanctitatis*, hoc est, quatenus est persona spiritualis, divina, sancta. Hoc πνεύματι *Spiritu novit* Jesus *cogitationes* Scribarum. Marc. 2: 8. nam qui corda & renes scrutatur, Deus est & Spiritus. *In* hoc *Spiritu* est *justificatus*, 1 Tim. 3: 16. ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, in potentia enim & per potentiam divinitatis, quæ in illo, justus declaratus est & comprobatus; per illam resuscitatus à morte, Angelis visus, in gentibus creditus, & tandem in gloriam evectus. Hoc *Spiritu* est *vivificatus*, postquam fuisset *carne mortificatus*. 1 Petr. 3: 18. θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι. Ita *templum corporis sui solutum* rursum *erexit*, Joh. 2: 19. & *animam positam rursum assumsit*, Joh. 10: 18. per potentiam hujus *Spiritus*, hoc est, deitatis in illo habitantis. *In* hoc *Spiritu* ivit, *in diebus Noë, & prædicavit spiritibus*, qui nunc sunt *in carcere*, ἀπειθήσασί ποτε *obedientiam recusantibus olim*, 1 Pet. 3: 19. 20. unde in ipso eò magis agnoscitur τὸ πνεῦμα αἰώνιον *divinitas æterna*. Et in hunc sensum non incommodè capitur locus, Es. 61: 1. *Spiritus Domini Dei super me*; hoc est, naturæ divinæ, spiritualis consors sum, & verbum Angeli, Luc. 1: 35. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι, hoc est, *Spiritus S.* id est persona divina & spiritualis *veniet super te*, ventrem & viscera quasi tua intrabit & occupabit, corpusque sibi in illis aptabit, & *potentia Altissimi* (NB. πνεῦμα ἅγιον est ὁ ὕψιστος. confer Luc. 1: 76.) *te obumbrabit*, umbrâ divina te teget, ut Spiritus S. tibi superveniens securè in corpore tuo habitare possit, & ut *in rubo* corporis tui *flamma* divinitatis ardeat: nec tamen te, infirmum vas, humile germen *consumat* aut comedat. *Ideo &*, ita pergit Angelus, τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθήσεται υἱὸς θεοῦ, *quod nascitur Sanctum* (en ἅγιον nascitur; πνεῦμα nimirum ἅγιον) *vocabitur Filius Dei*. Igitur *Filius Dei* est πνεῦμα ἅγιον, ὁ ἐπελθὼν ἐπὶ μαρίαμ. Confirmet hæc Justinus Martyr. τὸ πνεῦμα οὖν, καὶ τὴν δύναμιν τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ, οὐδὲν ἄλλο νοῆσαι θέμις ἢ τὸν λόγον, ὃς καὶ πρωτότοκος τῷ θεῷ ἐστι. En Justinus intelligit per *Spiritum & potentiam* Altissimi τὸν λόγον *Sermonem*, καὶ τοῦτο ἐλθὸν ἐπὶ τὴν παρθένον καὶ ἐπισκιάσαν, οὐ διὰ συνουσίας, ἀλλὰ διὰ δυνάμεως ἐγκύμονα κατέστησε. Et hunc *Spiritum* seu λόγον *Sermonem venisse super Virginem, & gravidam fecisse, non per congressum, sed per potentiam* his verbis perspicuè Justinus docet. Addatur Ruffinus. *Quæ est autem*, inquit, *virtus Altissimi, nisi ipse Christus, qui est Dei virtus & sapientia?*

Loca, in quibus vox, *Spiritus*, naturam Christi divinam significat.

§. 49. Et nil usitatius antiquis Græcis, quam per vocem πνεῦμα divinam Christi naturam indigitare. Id, ut alia mittamus, constat liquidò è decretis Episcoporum contra Paulum Samosatenum Antiochiæ congregatorum Anno Christi 272. *Confitemur* inquiunt, Jesum Christum, ὅλον θεὸν καὶ ὅλον ἄνθρωπον, *totum Deum & totum hominem* ὅλον ἄκτιστον, *totum increatum*, ὅλον ὁμοούσιον θεῷ, *totum consubstantialem Deo*, κατὰ πνεῦμα λεγόμενον αὐτὸν θεῷ ὁμοούσιον. *Secundum Spiritum*, h. e. divinam, spiritualem naturam, *dicimus illum Deo consubstantialem*, οὐ λεγόμενον, κατὰ πνεῦμα ἀνθρώποις ὁμοούσιον, *non dicimus, secundùm spiritum ejusdem il-*

Idem constat è testimoniis Patrum.

lum cum hominibus substantiæ, ὥσπερ κατὰ πνεῦμα ἡμῖν οὐκ ἔστιν ὁμοούσιος, ἐπειδὴ θεῷ ἐστι τȣ́τῳ ὁμοούσιος, οὕτως οὐδὲ κατὰ σάρκα ἐστὶ θεῷ ὁμοούσιος, ἐπειδὴ ἐστὶ κατὰ τȣ́το ὁμοούσιος.

Sermo omnia habet, quæ Deus. §. 50. Quandoquidem igitur ὁ λόγος non tantùm est θεὸς, sed quia Θεὸς etiam πνεῦμα omne quod in Deo æterno est & omnipotenti, etiam in Sermone est. Ideo de illo Scriptura, ὃς ἐν μορφῇ θεȣ̃ ὑπάρχων *qui in forma Dei existens*, à qua distinguenda μορφὴ δȣ́λȣ

Phil. 2:6.7 *forma servi*, quam *accepit* in tempore, ut secundùm hanc est δȣ̃λος *servus*, *homo*, ita secundùm illam est θεὸς *Deus*. Phil. 2:6.7. *Formam servi accepit*, non habuit semper. In *forma* autem *Dei* erat in initio, ante initium à diebus seculi. Quia in tali forma erat, nunquam *duxit* ἁρπαγμὸν *rapinam*, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ *esse instar Dei*, & ut Deum se gerere, non fuit rapina, quod de Sina dixit, ego Deus Israelis; aut è rubo, ego Deus Abraam, Isaac, Jaacob: non fuit rapina, quod *homo* ὢν *existens faciebat seipsum Deum*, ut nec blasphemia. Joh. 10:33. non fuisset rapina, si in terra, cum in illa viveret, majestatem,

Col. 2:9. gloriam, splendorem divinum ita ostendisset, ut in novissimo die ostendet. Et Col. 2:9. *In illo* κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς *habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*. Non docet hâc sententiâ Paulus, hominem Christum esse deificatum; naturæque divinæ proprietates realiter humanæ naturæ communicatas esse, sed, personam illam, quæ Christus est, compotem esse & consortem naturæ divinæ, non eo modo, quo sancti omnes dicuntur θείας κοινωνοὶ φύσεως, 2 Petr. 1:4. sed *corporaliter*, non umbratiliter; plenè, non initialiter; verè, non imaginariè; integrè, non ex parte, adeòque verè esse divinam personam, coëssentialem Deo, *in cujus medio Nomen Dei*, Exod. 23:21. unde & dicitur ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτȣ̃, Hebr. 1:3. εἰκὼν τȣ̃ θεȣ̃, τȣ̃ ἀοράτȣ. Col. 1:15.

Confessio de divinitate τȣ̃ λόγȣ è Symbolo Athanasii. §. 51. Ita igitur Sermo Deus est; non diversus à Deo, ut Petrus à Paulo, Johannes à Jacobo; sed ἓν *unum* cum illo. Joh. 10:30. ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν, cujus dicti emphasin Judæi, utut cœci, haut ignorabant. vers. 31.33. ejusdem essentiæ & naturæ. Concludamus hæc verbis Athanasii, in Symbolo, ἄλλη μὲν ἐστιν ἡ τȣ̃ πατρὸς ὑπόστασις, ἄλλη τȣ̃ υἱȣ̃, *alia quidem est persona Patris, alia Filii*, ἀλλὰ πατρὸς καὶ υἱȣ̃ μία ἐστὶ θεότης, ἴση δόξα, συναΐδιος ἡ μεγαλειότης, *sed Patris & Filii una est Deitas, æqualis gloria, coæterna Majestas*. Οἷος ὁ πατὴρ, τοιȣ̃τος καὶ ὁ υἱός, *qualis Pater, talis & Filius*, ἄκτιστος ὁ πατὴρ; ἄκτιστος ὁ υἱός, ἄμετρος ὁ υἱός, αἰώνιος ὁ πατὴρ; αἰώνιος ὁ υἱός, παντοκράτωρ ὁ πατὴρ; παντοκράτωρ ὁ υἱός, θεὸς ὁ πατὴρ; θεὸς ὁ υἱός. Κύριος ὁ πατὴρ; κύριος ὁ υἱός, *&c. increatus, immensus, æternus Pater*, idem *Filius*, *omnipotens, Deus, Dominus, Pater*, idem *Filius*, &c.

Negatores divinitatis τȣ̃ λόγȣ, Ebionitæ, & Paulus Samosatenus. §. 52. Mentiuntur igitur illi χριστέμποροι *Christi institores*, ut Ignatio vocantur, dicentes Filium esse ψιλὸν ἄνθρωπον, *purum putum* seu merum *hominem*. Ad illos pertinent Ebionitæ & Cerinthiani, Judæos secuti θεομάχȣς, nondum finito primo seculo, negantes, Christum esse θεόν. Item, secundo seculo Theodotus quidam, coriarius, & Artemon, quibus deinde assensus est Paulus Samosatenus Antiochiæ Episcopus, ab Antiocheno concilio damnatus, & episcopatu privatus. Hoc omnes una hæc vox refutat, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος.

Arrius §. 53. Item illi, qui quidem fatentur Christum esse *Deum*, sed minorem Patre, etiam quoad Deitatem, adeoque minorem quendam Deum; aliam esse essentiam Filii ab essentia Patris, neque esse coæternum aut æqualem Patri. Ita Arrius, Presbyter Alexandrinus, circa annum Christi 324. docuit; *Filium* dicens esse ἐξ οὐκ ὄντων *ex non entibus*, seu è nihil factum; κατὰ πάντα ἀνόμοιον τῷ πατρὶ *per omnia dissimilem Patri*. Hujus viri hæresis totum ferè mundum dolosè infecit. *Ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est*; Hieronymi

ronymi dictum. Damnatus est Arrius in Concilio Nicæno, quod fuit primum œcumenicum, à trecentis decem & octo Patribus.

§. 54. Posterioribus hisce temporibus ita de Christo docuit Socinus. *At verò asserere Christum ita Deum esse, ut summus ille sit altissimusque rerum Author, qui cælum terramque condidit, suprema est inscitia. Nam in sacris literis solus ille Jesu Christi Pater, atque omnipotens Jehovah, hoc nomine insignitur.* Et alibi. *Christus etsi verus est Deus, non tamen est ille verus Deus, ille solus perfectissima ratione Deus, nam Pater tantùm ista ratione Deus est.* Et alibi. *Christus non est idem cum Patre Deus, sed alius, non naturâ Deus, sed gratiâ factus in tempore. Deus metaphoricè, ob similitudinem aliquam cum Deo, & quidem excellentiorem reliquis creaturis.* Item. *Christus igitur Deus est, quia est Dominus, Princeps, benefactor noster.* Socinus.

§. 55. Inde præsidium errori petit Socinus, quòd Christus dicitur θεός, sine articulo, non ὁ θεός. Dicitur Origines olim dixisse, *Patrem esse verum Deum cum articulo, λόγον verò & alios Deos participatione, ac sine articulo.* Ita miser Origenes imprudens horum errantium origo exstitit. Sed vanum effugium. Ipse Pater sæpe *Deus* dicitur sine articulo. Joh. 1: 6. 12. 18. Ephes. 4: 6. 1 Tim. 2: 5. 1 Thess. 1: 9. δουλεύειν θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, mitto alia. Nomen maximum Dei, יְהוָה *Jehovah*, nunquam habet, nec patitur articulum, sæpissime dicitur אֱלֹהִים sine articulo, ut Genes. 1: 1. Qui dicitur *Deus*, dicitur esse infinitus, æternus, omnipotens, & perfectissimus. Articulus, sive absit, sive adsit, ad pondus nil facit, θεὸς, æternâ divinitate carens & potentia, Deus non est. Cum essentia divina sit una & simplicissima, oportet ut illi, qui dicuntur θεός, sint ἕν *unum*; utque in illis sit ὁμουσία, & ἑνότης τῆς φύσεως, & ταυτότης τοῦ φωτὸς, ut cum Athanasio loquar. Et quis negabit Christum esse τὸν θεόν cum articulo, cui Thomas dicebat, ὁ θεός μου Joh. 20: 28. qui Johanni dicitur, ὁ ἀληθινὸς θεός. 1 Joh. 5: 20. confer Tit. 2: 13. τοῦ μεγάλου θεοῦ. Socini effugia, θεὸς cum articulo & sine articulo.

§. 56. Locis Scripturæ his potissimùm utitur Socinus. Joh. 17: 3. *Hæc autem est vita æterna*, hoc est, in hoc consistit excellentia vitæ æternæ; seu, hoc est unicum medium hæreditandi vitam æternam, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν χριστὸν, *ut cognoscant te solum illum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, alloquitur Christus *Patrem*, ut liquet è vers. 1. Putat Socinus, *quia Christus Patrem dicit solum verum Deum, Patrem Christi solum esse Deum summum.* Non nunc de Græca constructione seu syntaxi prolixè monebimus, haut cogi nos, ut vocem τὸν μόνον referamus ad subjectum σε, ut ita sit σε τὸν μόνον *te solum*; sed id optimè referri posse ad prædicatum ἀληθινὸν θεὸν; ut ita sensus sit, *ut agnoscant te*, subintellige esse, *solum illum verum Deum*; & cum immediatè conjungitur, *& quem misisti Iesum Christum*, ad eundem idem prædicatum pertinere, ut ita vera constructio hujus loci hæc sit, ut cognoscant *te*, *& quem misisti Jesum Christum*, esse *solum illum verum Deum*, id quod sine peccato dici potest; quandoquidem & *Filius* dicitur ὁ ἀληθινὸς θεός. 1 Joh. 5: 20. Sed id tantùm urgemus, licet *Pater dicatur solus*, *verus Deus*, id non dici in oppositione Filii, aut ad exclusionem illius. Ut enim cum *Filius* dicitur *Dominus, & unus Dominus*, 1 Cor. 8: 6. illo ipso non negatur Dominium Patris; & cum dicitur, *Nemo novit Filium, nisi Pater*, Matt. 11: 27. non excluditur *notitia* Filii; de qua statim subjicit, *& nemo novit Patrem, nisi Filius*, ibidem; ita sicubi *solus Pater* dicatur *verus Deus*, eo ipso non negatur *Deitas* Filii; sed divinitas tali sententia aufertur omnibus creaturis, etiam illis, quibus olim dictum, *dii estis*. Psalm. 82: 6. Neque enim *solus* Pater *Deus* dici potest πρὸς ἀντιδιαστολὴν illius, qui *Filius* illius est *proprius*, *in potentia*, *in forma Dei*, *Deus verus & magnus & benedictus*. Denique id addimus, Pa- Loca Scripturæ, quibus Socinus abutitur, asserta & vindicata. Joh. 17: 3.

 trem

trem veriſſima ratione dici *ſolum, verum Deum*, quia è revelatione divina agnovimus, *ſolum* Patrem eſſe *Deum*, & poſſe eſſe Deum, ac factum eſſe *Deum*, Sanctorum vocatorum, Deum Abraam, Iſaac, Jaacob, Deum vivorum, Deum ſalutis, Deum fœderis, Deum juſtitiam. Et hæc demum *vita æterna* eſt, ita & talem agnoſcere Patrem ſolum verum Deum. Eſt autem ſolus Pater verus Deus, quia genuit *Filium*, quem ante ſecula unxit, in fine ſeculi in mundum miſit, & in illo mundum ſecum reconciliavit: & quia habet *Spiritum*, quem in corda emittit reconciliatorum, quoque obſignat ad redemtionis diem: ita eſt & exhibetur ac fit ſolus verus Deus in Filio & Spiritu. Ni Filium haberet, quem mittat, & Spiritum, quem effundat, non poteſt eſſe, nec credi verus Deus, & Deus noſter. Ut igitur non eſt *verus Deus* noſter, niſi in Filio & Spiritu; ita ni Filius & Spiritus eſſent *ſolus verus Deus* cum Deo, cum ſolo vero Deo, niſi eſſent ἓν cum illo, ejuſdem eſſentiæ, ſufficientiæ, dignitatis, ne in illis quidem poſſet eſſe & fieri Deus verus, & *agnoſci* à nobis, ſolus noſter verus Deus, non poteſt fieri Deus noſter in non-Deo, ita enim *gloriam ſuam daret alteri*: nec poteſt nos *ſalvare* niſi in Deo. *Salvabo illos in Domino Deo illorum*, Hoſ. 1: 7. nec *juſtificare* niſi in Deo. *In Domino juſtitiæ, in Jehova juſtificabuntur omne ſemen Iſrael.* Eſ. 45: ℣. 24. 25. Convenit gloria Patri, quod eſt *ſolus verus Deus*, quia ſolus habet Filium, quem dedit; & ſolus habet Spiritum, quem effudit; ſed illa gloria redundat & in Filium, & in Spiritum; manifeſto argumento, etiam illos eſſe ſolumve Deum. Agnoſcere Patrem *ſolum verum Deum*, illo cum fructu, ut illius agnitionis τέλος *finis*, ſit *vita æterna*; eſt agnoſcere Deum in Filio reconciliatum, ſanctificatum, glorificatum; & per Spiritum in reconciliatis habitantem & viventem; adeoque agnoſcere *ſolum verum Deum, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum.*

Loca. 1 Cor 8:6. Eph. 4: 6. 1 Tim. 2:5

§. 57. Adducit etiam 1 Cor. 8:6. ἡμῖν εἷς θεὸς ὁ πατὴρ *nobis unus Deus Pater.* Eph. 4:6. Εἷς θεὸς καὶ πατὴρ πάντων *unus Deus & Pater omnium.* 1 Tim. 2: ℣. 5. Εἷς γὰρ θεὸς, *unus enim Deus; unus etiam Mediator Dei & hominum. Unum* eſſe *Deum*, unum Dominum, omnes Chriſtiani fatentur. *Trinitatem* veneramur *in unitate*, & unitatem in Trinitate. Epiphan. τριὰς γὰρ ἐν μονάδι, καὶ εἷς θεὸς, πατὴρ, υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα, *& unus* eſt *Deus, Pater, Filius, & Spiritus S.* τρεῖς θεοὺς, ἢ τρεῖς κυρίους λέγειν, καθολικῇ εὐσεβείᾳ κωλυόμεθα, *tres Deos, aut tres Dominos dicere, Catholica pietate prohibemur*, inquit Athanaſius. Ideò vere dicimus, *unus* eſt *Deus*. Sed cum *Pater* dicitur εἷς θεὸς *unus Deus*, non id dicitur, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ υἱοῦ, ἢ τοῦ ἁγίου πνεύματος; *ad excluſionem* ſeu *contradiſtinctionem Filii & Spiritus S.* ſed ad excludendum illos, qui ſunt λεγόμενοι θεοὶ *dicti Dei*; & ad excluſionem idolorum, quæ non ſunt *naturâ Dei.* Certè nobis *unus Deus, Pater*, & *unus Dominus* Jeſus Chriſtus, qui ſcimus omnes illos olim *dictos Deos, in cælo & terra, Angelos & homines*, nunc non amplius tales eſſe, nec tali officio nunc fungi. *Habitabilem* enim *futuram non ſubjecit Angelis.* Hebr. 2: 5. Et ut *unus Dominus* Jeſus Chriſtus eſt cum Patre, ita & *unus Deus nobis* Pater in & cum Filio Jeſu Chriſto.

Eph. 1: 17. Mat. 27:46 Joh. 20:17

§. 58. Utitur etiam loco Epheſ. 1: 17. *Ut Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater gloriæ, det vobis Spiritum Sapientiæ.* Matt. 27: ℣. 46. *Deus mi, Deus mi.* Joh. cap. 20: verſ. 17. *Aſcendo ad Deum meum.* Putat, quia *Pater* dicitur *Deus* Chriſti, Chriſtum *Deum* non eſſe. Atqui quà *Deus* eſt Jeſus, *Deum* non habet, qua *ſervus* autem & *caro* factus, *Deum* habet: Qui enim *illi aptavit corpus.* Hebr. 10: 5. certè Deus corporis, & humanæ naturæ ipſius eſt. In hoc ſuo Deo, particeps factus carnis & ſanguinis, *confiſus eſt*, καὶ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ᾽ αὐτῷ, *ipſo fretus ero.* Hebr. cap. 2: 11. 12. 13. Athanaſius contra Macedonianos, τῇ μὲν θεότητι πατὴρ αὐτοῦ ἐστιν ὁ θεὸς, τῇ δὲ ἀνθρωπότητι

θεὸς

θεὸς respectu *Deitatis* Deus est *Pater* Christi; *humanitatis autem Deus* Christi. Epiphanius. μεταλαχὼν τῆς σαρκὸς, φησὶ, θεόν μου. διὰ τὸ τὸ ἀΐδιον αὐτοῦ τῆς γνησιότητος κατὰ φύσιν, λέγει πατέρα μου. Cæsarius Nazianzeni frater: διὰ τὴν σωματικὴν οἰκονομίαν φησὶ, προσκυνοῦμαι πρὸς τὸν θεόν μου.

§. 59. E dicto Joh. 10: vers. 34. 35. 36. ita concludit. *Quibus verbis Christus se Dei Filium esse, non negavit, imò asserit, sed Deitatis suæ, divinaque filietatis rationem explicuit, eamque primariam & verißimam; & quia homo erat, non aliam Deitatem, & divinam filietatem sibi ausus est vindicare, quam quæ a Deo per sanctificationem ipsi ut homini concessa fuisset.* Satis apparet, Socinum putare, Christum hominem ideò vocari *Deum*, quia in humanitate insigniter à Deo sanctificatus est. Id an ita sit, è loco Johannis diligentius considerato constabit. Joh. 10: 34. 35. 36.

§. 60. Dixerat Christus: *Ego & Pater unum sumus.* vers. 30. Videbant Judæi, illum, hominem, hoc dicentem, *seipsum facere Deum*; idque *blasphemum* putabant. vers. 32. 33. Igitur, ut impactam amoliatur à se blasphemiam Dominus, ita respondet. *Nonne scriptum est in lege vestra: Ego dixi, Dii estis.* vers. 34. Id sumptum est è Psal. 82: 6. Pergit. *Si illos dixit Deos, ad quos verbum Dei factum est, & non potest solvi Scriptura. Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, blasphemas, quòd dixi, Filius Dei sum.* vers. 35: 38. Vult Christus probare, se citra sacrilegium dixisse: *Ego & Pater unum sumus. Filius Dei sum*; quodque adeo non peccet, *faciens se ipsum Deum.* Ut id probet, sumit argumentum. 1. Ab homine, seu ab illo, quod in hominibus factum erat. Homines, servi, ministri, qui sunt è *terra*, *ad quos verbum Dei factum est*, quibus Deus verbum suum servandum, populo exponendum & imponendum tradiderat; qui è cœlo id non extulerant, nec in sinu Patris audiverant, & viderant, illi, inquam, homines dicti sunt *Dii*, quod non sunt, dicti sunt. Dei dicuntur, & natura divina carent, nec essentia divina constant. *Et non potest Scriptura solvi*: quia in illa illi homines sunt dicti *Dii*, hic titulus illis auferri & denegari non debet. Inde tacitè infert Christus, si *homines* hi, Moses & successores ejus, *in cathedra illius sedentes, Legislatores*, Dii dicuntur, ego haut injuria me dico *Deum, Filium Dei*, qui non sum ex ordine illorum, nec ut illi, verbum accepi, ut minister; sed ipse id promulgavi, è sinu Patris mei extuli, & *quod novi, loquor, & quod vidi, testor*; Joh. 3: 11. 31. Ministri verbi audiunt Dii. Dominus verbi non audiet Deus? 2. à Sanctificatione. ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε. Jesus à Patre est *sanctificatus*, non tantùm qua *homo*, cujus humana natura sanctificata est ab omni labe & macula peccati, & uncta oleo alacritatis præ omnibus consortibus; sed & qua *Deus*. Deus Pater dicitur *sanctificari*. Es. 5: 16. Ita & Sermo Deus *sanctificatus* est, quatenus ante secula *præagnitus*, ab æterno *unctus*, in Pontificem *adjuratus*, & Mediator Dei & hominum *datus*, & hæres omnium *positus* est. Tantis honoribus affici, tantis muneribus præfici, est excellentissimè sanctificari. *Sanctificatus* est, quatenus declaratus est publicè, & quasi digito demonstratus esse *Sanctus*, Sanctus, πνεῦμα ἅγιον, *Persona divina, Sancta, Filius dilectionis* & *complacentiæ*. Etiam *sanctificatus* est *in sanguine testamenti*, quem profudit ipse. Hebr. 10: 29. Quem ita sanctificavit Pater, non blasphemat, cum dicit, *Filius* Dei sum. Ita enim *sanctificari* est gloria affici, quæ non cadit nisi in Deum. 3. à missione. καὶ ἀπέστειλεν εἰς τὸν κόσμον. *Erat* Sermo *in mundo*, Joh. 1: 10. & mittitur in mundum. Erat *in sinu Patris* Joh. 1: 18. & à Patre exit, & è sinu Patris emittitur, id est, ἐξαπέστειλε Gal. 4: 4. mittitur è cœlo, & est, manetque in cœlo, Joh. 3: 13. mittitur, ut *redimeret subjectos legi* & ut adduceret υἱοθεσίαν. Gal. 4: 4. 5. Mittitur, *ut loquatur Verba Dei*, Joh. 3: 34. ut faciat *voluntatem Dei, in qua sanctificamur*, Hebr. 10: 9. 10. ut *opus*

 Dei:

Dei absolvat, Joh. 4: 34. ut *opera Patris faciat*, Joh. 10: 37. ut *Ecclesiam sanguine acquirat*, Act. 20: 28. ut *pacem faciat, & reconciliet omnia.* Col. 1: vers. 20. Qui ad tanta loquenda, facienda, implenda mittitur, debet omnino dici, credi & adorari, ut *Filius Dei, unum cum Deo*, & dum se talem dicit, id facit citra blasphemiam. Ex hisce autem liquet, Christum sibi non asserere Deitatem & filietatem aliqualem, ut amat loqui Socinus, quæ illum non eximit è numero creaturarum; sed æternam divinitatem, cum Deo unitatem, cum Patre æqualitatem.

Locus Act. 2: 36. §. 61. Etiam objicit Locum Act. 2: 36. *Cognoscat domus Israël, quod Dominum & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Quia Iesus est factus Dominus, putat illum non esse natura Dominum, neque adeò Deum; & *gratia* esse, quod est. Christus *exaltatione ad dextram Dei* factus est *Dominus*; *effusione* miraculosa *Spiritus Sancti* factus est *Christus*, factus, hoc est, patefactus & demonstratus, & publicè declaratus. Erat *Dominus*, erat *Christus*, & fit Christus, fit Dominus; erat *lux*, & *datur* in lucem. Dum ita quod erat fit, respectu sui ipsius non fit major aut gloriosior: id enim in se erat, quod in re & opere patefit; sed respectu suorum, & in bonum illorum ita manifestatur, ut talis ab illis agnoscatur & colatur. *Homo* Jesus, hactenus humilis, spretus, exinanitus, nunc exaltatus dextra Dei, & promissionem accipiens Spiritus S. certè factus est Christus & Dominus; sed hic honor, qui humanæ Christi naturæ in tempore contigit, nil honori derogat divinæ. Divinitas ante mundum habuit gloriam. Humanitas deserto mundo, hoc est, discedens à terra, evecta in altum accepit gloriam. Igitur, qua homo, factus est Jesus Dominus; qua Deus, non factus, sed quod erat in se, ad conspectum omnium patefactus & declaratus.

5. Ab eo, quod omnia per illum facta sunt. §. 62. Quintum pro divinitate τοῦ λόγου argumentum ita habet. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nec unum, quod factum est.* Joh. 1: 3.

Per Sermonem. §. 63. *Per* sermonem, hoc est, voluntate, potentia, ῥήματι *verbo*, *jussu* illius *facta sunt*, exstiterunt, esse cœperunt, acceperunt τὸ εἶναι, τὸ κινεῖσθαι, καὶ τὸ ζῆν Act. 17: 28. *Omnia*, absoluta universalitate, sine omni exceptione, usque adeò ut nec exstiterit *nec unum*, cujus etiam sit generis, naturæ, ordinis, *sine ipso*, & non per ipsum. Ut igitur *fide percipimus aptata secula Verbo Dei* Hebræorum 11: vers. 3. ita & *Verbo* τοῦ λόγου. nam & Θεὸς ὁ λόγος, & πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο.

Condita omnia. §. 64. Confirmatur hæc veritas. Col. 1: 16. 17. *In ipso condita sunt omnia. Omnia per ipsum, & in ipsum condita sunt. Omnia in ipso constiterunt.* Eph. 3: 9. *Qui omnia creavit per Iesum Christum.* 1 Cor. 8: 6. *Per quem omnia, & nos per illum*; Hebr. 3: 3. 4. 5. 6. postquam dixisset, Christum esse structorem domus Spiritualis Dei, hoc est, Ecclesiæ, addit, ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας, Θεός.

Quæ illa omnia? §. 65. Quænam autem sunt illa πάντα *omnia?* 1. ὁ κόσμος. Joh. 1: 10. *Et mundus per illum exstitit.* 2. *Cœlum & terra.* Hebr. 1: 10. *Domine, terram fundasti*; *& opera manuum tuarum cœli.* 3. *Secula.* Hebr. 1: 2. *per quem & secula fecit*, confer Hebr. 11: 3. seculorum enim intervallis volvuntur & comprehenduntur, quæ facta sunt, mundus, cœlum, terra. 4. *Quæ sunt in cœlo & in terra.* Col. 1: 16. Hæc sunt vel ἀόρατα *invisibilia*, ut *Angeli, Spiritus*; vel ὁρατὰ *visibilia*, hoc est, homines, animalia. Et hæc omnia suis constant ordinibus; sunt in illis *throni, dominationes, Principatus, Potestates.* Col. 1: vers. 16. Etiam hæc omnia, ut ut sublimia & in excelso posita, à λόγῳ habent τὸ εἶναι, & gradum, quem obtinent. Ita αἱ ἐξουσίαι, à Deo Sermone *ordinatæ sunt* Rom. 13: 1. qui & est ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας. Col. 2: 10.

§. 66. Om-

§. 66. Omnia hæc per τ̀ λόγον ἐγένετο; & quidem *μὴ ἐκ φαινομένων non ex apparentibus* Hebr. 11: 3. ἐξ ȣ̓κ ὄντων *è nihilo.* Et ut per Sermonem omnia exstiterunt, ita & Sermo *fert* hæc *omnia* Hebr. 1: 3. *dans omnibus vitam, & halitum, & omnia.* Act. 17: 25.

§. 67. *Sermonem* esse ποιητὴν παντοδύναμον, & δημιȣργὸν omnium, etiam docent Vet. Test. tabulæ Psal. 33: 6. *Sermone Domini cœli facti sunt*; Psal. 8: 4. 5. dicuntur *cœli, luna, stellæ, opus digitorum ejus, qui visitavit filium hominis,* hoc est, qui filius hominis natus, & caro factus est; Psal. 95: 1. 3. 4. 5. dicitur de *Rupe salutis.* (quis autem illa, nisi is ἐν ᾧ σωτηρία? Act. 4: 12.) *In manu ejus* sunt *perscrutationes terræ, & fastigia montium: cujus est mare: nam ille fecit illud; & aridam formarunt manus ejus*; & vocatur יְהוָה עֹשֵׂנוּ *Deus factor noster* ẏ. 6. Ita est factor *hominum, aridæ, montium, terræ.* Adde Ps. 102: 26.

Probatur & id è Scripturis Propheticis.

§. 68. Prov. 8: 23 – 31. dicitur *Sapientia* adfuisse, cum *firmarentur cœli, & statueretur* חוּג *circinus super faciem abyssi, &c.* Putasne, illum otiosè hæc aspectasse, nec fecisse, adduxisse, vocasse? *Exstiti*, inquit, *apud illum,* Deum conditorem, ὡς κοινωνὸς τῆς δημιȣργίας, ut verbis utar Basilii M. *& fui deliciæ cottidie, ludens coram illo omni tempore,* hoc est, cum gaudio opus, quod mihi dederat perficiendum, absolvens. Cap. 9: 1. dicitur *ædificasse domum, excidisse columnas illius.* Christus, ὁ ὑιὸς ἐπὶ τ̀ οἶκον τȣ̃ Θεȣ̃, est ὁ κατασκευάσας αὐτὸν. Hebr. 3: 3. 6. cap. 30: 4. *quis collegit ventum, quis colligavit aquas? quis statuit fines terræ? Quodnam est nomen illius, & nomen Filii ejus!* ut credamus, Deum & Filium Fundatorem terræ, Gubernatorem aquarum, Imperatorem venti.

§. 69. Esaiæ cap. 40. *Iehova,* ante quem exstitit *Vox in deserto,* &c. dicitur *mensurasse aquas, cælos aptasse spithama, ponderasse libra montes,* &c. vers. 4. & vers. 3 – 13. Cap. 45. dicitur *Dominus*: ad quem *respiciunt & salvantur omnes fines terræ,* &c. *Creator cæli, formator terræ,* & *qui fecit illam & aptavit illam* vers. 17 – 24. Adde Es. 48: 12. 13. 50: vers. 2. 3.

§. 70. Et quid multis opus? In historia creationis introducitur Deus *loquens, sermocinans,* וַיֹּאמֶר *Et dixit, sit lux,* sit *expansum.* Annon bono jure Θεὸς ὁ λόγος, qui est הַמְדַבֵּר *is, qui loquitur,* Es. 52: 6. hic in mentem nobis veniet? Imò & dixit Deus, *Faciamus hominum,* Genes. 1: 26. ad quæ verba ita Basilius M. ἀκȣ́εις, inquit, ὦ χριστομάχε, ὅτι τῷ κοινωνῷ τῆς δημιȣργίας προσδιαλέγεται, δι᾽ ȣ̃ καὶ τȣ̀ς αἰῶνας ἐποίησεν. *Audisne, hostis Christi, quòd socium operis creandi alloquitur, per quem & secula fecit?*

§. 71. Ita uno ore Scriptura dicit, *Omnia facta per Sermonem.* Quantus igitur ὁ λόγος, cujus *gloriam enarrant cæli, cujus opus indicat expansum. Dies in diem eructat sermonem,* habendum de æterno & omnipotenti hoc λόγῳ, Psal. 19: 2. 3. cujus *invisibilia, à condito mundo, in his facturis animadversa, conspiciuntur.* Rom. 1: 20. qui *ex uno sanguine fecit omne genus hominum habitare in totam terræ faciem,* cujus γένος *sumus* Act. 17. 26. 27. 28. cujus *sapientia* omnia fecit benè, & disposuit decorè: cujus *potentia* omnia hæc fert & sustentat; cujus *bonitas* multis se aperuit modis, & *intestatum se non reliquit.* Act. 14: 17.

E creatione omnium concluditur magnitudo τȣ̃ λόγȣ.

§. 72. Neque enim Sermo *Deus* esset, nisi *factor* omnium esset. *Dii, qui non fecerunt cælum & terram, peribunt de terra & de cælo illi. At non talis est Pars Iacobi*; non talis ὁ λόγος: *nam formator omnium ipse est. Iehova,* Deus *exercituum est nomen ejus.* Jerem. 10. 11. 16.

Nec Deus esset, nisi creator esset.

§. 73. Nec obstat, quod fides catholica credit εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα *in unum Deum Patrem, omnipotentem creatorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium.* Nam & verum est, Deum Patrem creasse omnia; nec tamen falsum, per λόγον *facta & condita omnia.* Fecit Pater secula; sed *per Filium.* Hebr. 1: 2. *Amat enim Filium, & omnia monstrat illi,* quæ *ipse facit.* Et *quæcunque Pater facit, illa & Filius similiter facit.* Joh. 5: 19.

Quomodo Pater creator cœli & terræ.

Igi-

Igitur Pater secula fecit & vocavit; & Filius illa ὁμοίως *similiter* fecit & vocavit. *Vocans generationes ab initio.* Es. 41:4. *Non potest quicquam facere Filius a se ipso, nisi quod videt Patrem facientem* Joh. 5:19. Ita nec Pater quicquam facit, aut facere potuit, quod non fecit Filius, imò in Filio, & per Filium fecit Pater.

Argumentum pro unitate essentiæ Patris & Filii, sumptum à creatione omnium.

§. 74. Quia igitur eædem sunt operationes Filii & Patris, eadem potentia, sufficientia, sapientia, bonitas, voluntas, idem utriusque opus, eadem ut sit, oportet, utriusque essentia, ὧν αἱ αὐταὶ ἐνέργειαι, τούτων καὶ οὐσία μία. *quorum eaedem operationes, illorum una & eadem est essentia*; atqui ἐνέργεια υἱοῦ καὶ πατρὸς μία, *Patris & Filii eadem est operatio.* Uterque enim est conditor & factor omnium. Ἄρα καὶ οὐσία μία πατρὸς καὶ υἱοῦ. Ita optimè argumentatur & concludit Basilius M. libr. 4. adversus Ennomium.

Arrianorum objectio.

§. 75. Sed dicunt Arriani. Omnia sunt facta διὰ *per* Sermonem. Igitur λόγον *instrumentum* tantùm *creationis* esse; causam instrumentalem, non principalem; Creatorem mediatum, non immediatum; secundarium, non primarium.

Solutio objectionis.

§. 76. Illis opponimus illud Thomæ. *Per Filium omnia fecit Pater; non quia instrumentum est; sed quia principium de principio est.* Vox διὰ non semper instrumenti nota est: nam & de Patre ipso, quem omnes fatentur causam omnium, adhibetur. Hebr. 2:10. Rom. 11:36. Gal. 1:1. Dum *per Filium* facta dicuntur secula, notatur unitas essentiæ, & voluntatis, tum Patris & Filii. Imò & *ordo* inter Patrem & Filium. A se ipso est Pater, à Patre Filius. Per Filium omnia facit, quem ex se ipso genuit. *Creatio* omnium est opus planè divinum, cujus nemo potest esse Autor, nisi cujus essentia est æterna, & potentia infinita. In creante oportet, ut sit πρόθεσις αἰώνων, ῥῆμα δυνάμεως, voluntas αὐτοκρατορικὴ, δύναμις ἀΐδιος, σοφία πολυποίκιλος, μεγαλειότης ἀπέραντος, πλοῦτος ἀνεξιχνίαστος. Oportet, ut major sit cœlo & terra, ut impleat cœlum & terram, ut illa πελάγη, συνέχῃ, πηδαλιουχῇ, ut Oecumenii utar verbis, qui cœlum & terram fecit. Ut enim *minus benedicitur a majori*; Hebr. 7:7. ita & minus creatur, vocatur, producitur a majori. Hinc se solum gloriatur Dominus Autorem omnium. *Ego Dominus facio* כֹּל *omnia: expando terram* לְבַדִּי *solus Ego: extendo calum* מֵאִתִּי *per me ipsum*, aut, *quis mecum?* aut, *quis praeter me.* Es. 44:24. *Manus mea fundavit terram. Dextra mea extendit calos.* Es. 48:13. Si per *alium*, diversum à se, creasset mundum, non esset solus universi Dominus, non solus creaturæ bonum, & ultimus finis, non solus Legislator, non conveniret illi elogium, *Agnoscite, quod Dominus ille Deus, ille factor noster & non nos*: non alius, Ps. 100:3. non posset dicier, *annon Pater unus omnibus nobis? annon Deus unus creavit nos?* Mal. 2:10. Non posset à nobis requirere totum cor, totam fiduciam, totam obedientiam, omnem gratiarum actionem: nam non sine rapina denegaremus laudem & gratiarum actionem organo & instrumento, per quod facti sumus. Nec essemus nos solius *Dei genus*, nec ad illius imaginem solius, nec illius similitudo solius. Si per alium creasset, dedisset *gloriam* summam creationis *alii*: contra quam dicit. *Gloriam meam* לאחר לא אתן *alii non dabo*, Es. 42:8. 48:11. nec mentirentur, qui dicerent, *Non Jehova fecit hoc*, quod dicere *hostium ipsius* est. Deut. 32: vers. 27. Utitur Deus sæpè organis. *Per manum* Mosis eduxit Israëlem ex Ægypto. *In manu Mediatoris* addidit Legem. *Fecit voluptatem suam in Babel, & brachium ejus* fuerunt *Chaldai.* Es. 48: vers. 14. At opus Creationis, ut & opus redemptionis organum non admittit. Potentia enim, quæ ad id requiritur, in nullum cadit organum. Gloria, quæ illius comes est, excedit sortem organi. Igitur haut est ὁ λόγος, πάντων ποιητὴς, instrumentum, per quod omnia fecit Deus, sed est גֶּבֶר עֲמִיתִי *Vir ἴσος aequalis* Deo Zach. 13:7. *unum* cum Deo, adeoque Deus cum Deo, nec in-

instrumentum creationis, sed *Creator* ipse, *Conditor* ipse, cui se flectit omne genu, cui jurat omnis lingua. Es. 45:23.

§. 77. Socinus, quum negare non ausit, *omnia facta per Sermonem*, non tamen vult intelligi *creationem mundi, καταβολὴν τῶν αἰώνων*, productionem τῶν βλεπομένων μὴ ἐκ φαινομένων „ sed accipit de *spiritualis mundi structurâ*, qui non corporeis, sed spiritualibus rebus, hoc est, verbo Euangelii construitur, quo homines instaurantur, & spirituali quadam ratione creantur. *Omnia facta sunt per illum*, Socino est, *omnia ipsius instrumento inceperunt esse nova, & nihil novum esse cœpit sine illo*. Vocem *omnia* restringit ad pauca, nempe *ad novam creaturam, & conversionem hominum Christo exhibito factam.* Citat locum 2 Cor. 5:17. *Si quis in Christo, καινὴ κτίσις. Vetera præterierunt. Ecce facta sunt nova omnia, ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα.* Item. Joh. 15:5. *sine me non potestis facere quicquam.* Atqui Johannes non loquitur de *innovatione* rerum, quæ jam erant, & existebant; sed de productione rerum, quæ nondum erant, & productæ *incipiebant* esse, *πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Omnia per ipsum orta sunt*, non erant, sed orta sunt, non dicit Johannes ἐγένετο καινά; sed tantùm ἐγένετο, unde certum est, non hic sermonem esse de innovatione rerum exstantium, sed de prima omnium rerum è non exstantibus productione. Verùm & Baptista dicitur *multos convertisse.* Luc. cap. 1: vers. 16. quomodo ergo per sermonem innovata omnia? Dicet, quos Baptista convertit, beneficio & per gratiam τοῦ λόγου convertit. Ergo Sermo erit *anctor & causa* conversionis, id quod verissimum. Si autem creator novi cordis, sine quo conversio non est, etiam creator ipsius cordis est, & totius nostræ substantiæ. Socini sententia.

§. 78. Sociniani, ut τῷ λόγῳ, gloriam creationis eripiant, in vocibus ludunt. Adducunt exempla multa, in quibus voces, γίνεσθαι, ποιεῖν, κτίζειν, ἀποτελεῖν, γεννᾶν, usurpantur, non de prima creatione, aut substantiæ productione, sed mutationem tantùm quandam, & καινότητα & μετάθεσιν, & transitum substantiæ jam existentis in aliam formam indicant. Sed & longum est, hæc loca omnia examinare, & alienum id foret ab instituto nostro. Quare id monemus tantùm, omnia illa verba naturâ seu φύσει notare substantiæ nondum existentis adductionem. Et cum de λόγῳ usurpantur, etiam eo sensu esse capienda & intelligenda; nisi voces proximè adjunctæ, & loci circumstantiæ, & totius orationis contextus secus postulent, quod τοῖς νοοῦσι cernere & dijudicare ubivis facile est.

§. 79. Acuminis aliquantulum, sed integritatis parum, & veritatis nihil inest in hac Slichtingii ἑρμηνείᾳ, seu ut rectius dicam παρερμηνείᾳ. *Non simpliciter omnia, sed omnia quæ facta sunt, per Christum facta esse dicit, innuens, quædam esse, quæ tamen facta non sint.* Inde concludit Slichtingius, *Iohannem de veteri non loqui creatione. Hujus enim*, inquit, *respectu, obsecro, quid est, quod factum a Deo non sit? At novæ creationis respectu multa sunt, quæ tamen facta non sunt; quippe quæ jam olim facta sunt.* Ita totquendæ scilicet sunt scripturæ in propriam perniciem.

§. 80. Sextum pro divinitate τοῦ λόγου argumentum ita sonat. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. *In illo Sermone vita erat.* Joh. 1:4. 6. Ab eo, quod in Sermone erat vita.

§. 81. Quicquid *est* & ἐγένετο *esse cœpit*, vitâ fruitur. Vivit Deus, vivunt Angeli; vivunt homines, vivunt animalia, vivunt plantæ & germina, vivunt aquæ, vivam etiam sydera, emittunt lucem. Hinc natæ formulæ loquendi, vivum flumen, aqua viva, saxum vivum, cespes vivus, viva sepes, vivæ lucernæ, &c. Sed ut hæc viventia differunt inter se, ita & vita illorum differt. Plantæ, & inanimata vitâ gaudent vegetativâ. Animalia animali, homines animali & rationali seu intellectuali. Angeli intellectuali tantùm. Vita autem intellectualis Vitæ differentia.

 illa

illa demum vera & perfecta est, quæ agnitione, ὁσιότητι, amore & studio veritatis, & rectitudine cogitationum ac appetitus instructa est, tali vita Adamus integer gavisus est, etiam tali gaudent Angeli sancti, qui perstiterunt in veritate. Omnis vita, quæ hac luce caret, non meretur vita, sed viva mors dici, imò qui non ita vivit, ζῶν τέθνηκε, & media in vita mortuus est. 1 Tim. 5:6. *Dei* autem vita infinito excellentior est, æterna, initio carens, mutationi non subjecta, beatissima, sanctissima, gloriosissima, infinita, omnipotens, simplicissima, perfectissima. Ideo meritò dicitur חַי עָלְמָא *vivens in secula*. Dan. 4:34. אֵל חָי *Deus vivus*. Psal. 42: vers. 3. ὁ Θεὸς ὁ ζῶν. 1 Thess. 1:9. 1 Tim. 3: vers. 15. 6:17. Hebr. 3: vers. 12. Act. 14:15.

Vita in Sermone ita est, ut in Deo Patre.

§. 82. Cum de Sermone dicitur, *in ipso erat vita*, utique intelligenda est *Vita*, quâ Deus vivit. Sermo Deus est, & vita in Sermone non sit Vita Dei? Sermo est ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ζῶντος, Joh. 6:69. & non vivet ut *Pater*? *Ut misit me* ὁ ζῶν πατὴρ, κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα. Joh. 6:57. *In illo vita erat*, talis certè, qualis in Deo Patre, æterna, infinita, beatissima, efficacissima, &c. Id ipse docet Joh. 5:26. *Ut Pater vitam habet in se ipso, sic dedit & Filio vitam habere in se ipso*. Dedit, non ut in nobis est per donum gratiæ, sed per *æternam generationem*. Gignendo dedit Filio Pater omnia, perfectum enim illum genuit. Dedit illi suam æqualitatem, non enim genuit inæqualem. Igitur πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, τοῦ υἱοῦ ἐστὶ, πλὴν τῆς αἰτίας, πλὴν τῆς ἀγεννησίας, πλὴν τοῦ εἶναι πατὴρ, ut veteres Græci loqui solebant. Ab hac vita dicitur Sermo ὁ λόγος τῆς ζωῆς 1 Joh. 1:1. ἡ ζωὴ ibid. vers. 2. ἡ ζωὴ αἰώνιος 1 Joh. 5:20. ὁ ζῶν. Apoc. 1:18. ὁ ἄρτος ὁ ζῶν Joh. 6: ℣. 51. ab illa *testimonium habet*, ὅτι ζῇ, *quod vivit: nec vita finem habet*. Heb. 7:3. 8. κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου. Hebr. 7:16.

Sermo vita, omnis vitæ, quæ in creaturis est, causa & dator est.

§. 83. Sed ut ὁ Θεὸς ὁ ζῶν *omnibus dedit* ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα. Act. 17: ℣. 25. ita Sermo Deus, *in quo vita est*, omnis vitæ, quæ creaturis data est, αἴτιος *causa* auctorque agnoscendus est; estque adeò *Deus omnis carnis*, imò & Deus *spirituum* omnis carnis, in ipso & per ipsum vivit & movetur, quicquid vivit & movetur. Omnes fluvii oriuntur è mari: omnis vita est à Sermone. *Primus homo Adam* ἐγένετο εἰς ψυχὴν ζῶσαν 1 Cor. 15:45. sed cujus beneficio, nisi illius, in quo vita erat, qui est πνεῦμα ζωοποιοῦν? Ideò *Deus*, qui *inspiravit in nares* Adami נִשְׁמַת חַיִּים *halitum vitæ*. Gen. 2:7. *Sermo* est, ἐν ᾧ ζωὴ ἦν.

Non tamen ad hæc præcipuè Johannes respicit, dicens, in ipso vita erat.

§. 84. Attamen duæ hæ Sermonis excellentiæ in superioribus satis assertæ sunt. Dum enim dictus est, *fuisse in initio, apud Deum, Deus*, magnus ille & verus, nonne attributa ipsi est *vita*, sine qua non fuit, nec potuit esse Θεὸς ζῶν καὶ ἀληθινός? Sique per illum *facta sunt omnia*, nonne intelligitur, per illum *vitam* datam omnibus? Igitur vix probabile est Johannem, illa, quæ jam clarè dixerat, adhuc repetere voluisse; potiusque inquirendum, annon alium & verum sensum admittant verba hæc, Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν.

Vita gratiæ. Cujus Christus autor.

§. 85. Præter vitam, quam φύσει *naturaliter* habemus, est *vita*, quàm à *gratia* ἐλάβομεν *accepimus*; quæ commodè dicitur *vita gratiæ*. Per peccatum intravit ὁ θάνατος *mors*, Rom. 5:12. omnes qui vivunt, sunt νεκροὶ *mortui lapsibus*. Ephes. 2:5. Col. 2:13. suntque adeo verè νεκροί. Joh. cap. 5: vers. 25. יְשֵׁנֵי אַדְמַת עָפָר *dormientes in pulvere terræ*, hoc est, in pulvereis terræ vanitatibus & peccatis immortui. Dan. cap. 12: vers. 1. *abalienati a vita Dei*. Ephes. 4:18. Hâc à morte vivificamur per Christum. *Et nos mortuos lapsibus, convivificavit cum Christo*. Ephes. 2:5. Col. 2:13. *Mortui audient vocem Filii Dei, &* ζήσονται *vivent*. Joh. 5:25. *Vivere mihi Christus*, hoc est, Christus est causa vitæ meæ. Phil. cap. 1: vers. 21. *dedit se pro nobis, ut sobriè justè & piè vivamus* Tit. cap. 2: vers. 12. 14. *Vivo ego; non autem ego, vivit autem in me Christus* Galat. 2: ℣. 20. *Ego vivo, & vos vivetis*

Joh.

Joh. 14:19. *reputate, vos mortuos esse peccato; vivere autem Deo in Christo.* Rom. 6:11. *sistite vos Deo*, ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας. ibid. vers. 13. dedit *carnem suam pro* mundi *vita*. Joh. 6:51. ut *peccatis mortui, justitiæ vivamus*. 1 Petr. 2:24. κατ' ἐπαγγελίαν ζωῆς, τῆς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. 2 Tim. 1:1.

§. 86. Vita hæc gratiæ exit *in vitam gloriæ*. Gratiâ enim *salvati estis*. Ephes. 2: vers. 5. Quæ vita est in plenitudine omnis gaudii, *in incorruptione, immortalitate*, tum animæ, tum corporis; in *aspectu Dei*, & *saturatione ab imagine ejus*. Psalm. 17:15. *in satietate lætitiarum coram facie illius, & amœnitatum in dextra illius*, Psalm. 16:11. imò in ὁμοιότητι illius. 1 Joh. 3:2. Hæc vita dicitur ζωὴ αἰώνιος Rom. 2:2. & χάρισμα θεοῦ. Rom. 6:23. Adamo integro promissa erat. Lex enim ipsi data est εἰς ζωὴν. Rom. 7: ℣. 10. τοῦτο ποίει καὶ ζήσῃ. Luc. 10:28. quo die comederis, *morieris*. Ergo, si non comederis, *vives*. Stipendium peccati, θάνατος. Stipendium obedientiæ, ζωή. Ut *peccatum regnavit in morte*, ita *justitia* & obedientia regnasset, εἰς ζωὴν αἰώνιον. Rom. 5:21. Sed per peccatum illius *intravit Mors*, & amissâ *vitæ* hujus spes est. Igitur illa in Christo donatur. *Donum Dei vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.* Rom. 6:23. *Gratia regnat in vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Rom. cap. 5: ℣. 21. Inde Christus, *Vita nostra*, qui *cum manifestabitur, & nos cum ipso manifestabimur in gloria.* Col. 3:4. *Hoc est testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio illius est*, ἢ αὕτη ἡ ζωὴ ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐστιν. 1 Joh. 5: vers. 11. Vita gloriæ.

§. 87. Cum nunc Johannes dicit, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, non abs re cogitabimus, *in* Sermone Deo, conditore omnium, *Vitam*, tum gratiæ, tum gloriæ, datam, præparatam, dispositam fuisse, in initio, imò ante initium; idque Johannem his verbis indigitare voluisse. In Christo donatur.

§. 88. Sumus utique *electi in* Sermone *ante jacta mundi fundamenta*. Ephes. 1:4. *Gratia nobis in illo data est ante tempora secularia.* 2 Tim. 1:9. *Propositum seculorum, consilium pacis, factum est in Christo Iesu* Ephes. 3. ℣. 11. *præagniti & prædefiniti sumus ad conformitatem imaginis ipsius.* Rom. 8:29. Certè & *vita* in illo præparata nobis fuit, ut in illo, & ex illo, & per illum nobis daretur, καιροῖς ἰδίοις & πεπαγμένοις. *In ipso vita erat*, hoc est, in ipso data, destinata, & Testamento quasi legata fuit. Non habuit alium Deus, in quo miseris lapsisque *vitam* legare & decernere potuit. Non fuit alius, qui in fidem cor suum recipere, accedere ad Deum, & spondere ac polliceri præstationem omnium, quæ requirebantur, ut justè vita donaretur naturâ damnatis, ausus fuerit. Solus ὁ λόγος dignus & hoc facere; & à Deo Patre ad id ungi, vocari, definiri. Igitur *in ipso erat vita*, nam & sufficientiam habuit, ut posset pro vita nostra spondere; & bonitatem, ut vellet spondere; & amorem, ut spoponderit; & in Deo Patre fuit εὐδοκία *beneplacitum, acquiescentia*; qua *in Filio* spondente εὐδόκησεν, & vitam nobis promittentem acceptavit. In Sermone utramque hanc vitam fuisse, hoc est, datam & dispositam fuisse, docet hic Johannes.

§. 89. Et ut in Sermone vita erat, hoc est, in ipso, ut capite, Sponsore & Sacerdote, ante secula præparata, ita & in ipso & per ipsum vita, inde à lapsu, miseris mortalibus promissa, data & collata est. Vix seductus erat homo, & statim dicitur, *semen mulieris caput Serpentis conteret*. Genes. 3: vers. 16. hoc est, mortem & Diabolum abolebit. Hebr. 2: ℣. 14. Adam auditâ hâc promissione, uxorem suam *Chavah* nominat, hoc est, vivam, viventem, veræ vitæ hæredem & participem; eandemque dicit *exstitisse Matrem viventis*; quia ex illa orituri erant, qui ad hanc *vitam* sanctificarentur, ut *in novitate* illius ambularent. Rom. cap. 6: vers. 4. Imò *omnis viventis*, quia ex ipsa futurus erat quoad carnem is, qui est ἡ ζωή, ὁ ζωοποιῶν. Diluvium deinde mittitur, ut peccantes *judicarentur carne*, ut multi illorum *viverent secundum Deum Spiritu*. 1 Petr. 4:6. Unde hæc gratia illis obtigit, hæc animæ salus, Quæ inde à lapsu data & promissa est.

 hæc

hæc vita Spiritus? à λόγῳ, ab illius sponsione, intercessione, & quod *in illo vita erat*, qui mediis in aquis sine dubio multis dedit *μετάνοιαν εἰς ζωὴν*; quique ante *in Spiritu suo iverat*, & cum *illis disceptaverat*. 1 Pet. 3: 19. Genes. 6: 3. Abraamo promissa benedictio. *Tu eris benedictio. In te benedicentur* gentes. Genes. 12: 2. 3. Atqui sine spe & hæreditate *vitæ*, veræ & æternæ, non potuit censeri benedictus. Et ut agnosceret Abraam, vitam esse ἐν λόγῳ, ideò benedictio promissa illi *ἐν σπέρματι, in semine*, ὅς ἐστι χριστός. Galat. 3: vers. 16. Abraamo etiam dictum. *Ero tibi in Deum & semini tuo.* Genes. 17: ✠. 6. Ita & Angelus è rubo. *Ego Deus Abraam, Isaac, Iaacob.* Exod. 3: 6. Et de Sina hoc primum est inter λόγια illa ζῶντα, quæ inde proclamavit, *ego Deus tuus*. Exod. 20: vers. 1. Atqui *Deus* est *Deus vivorum*, quorum *Deum* se dicit, illis *vitam* promittit; ostendit, *omnes αὐτῷ ipsi victuros*. Luc. 20: 37. 38. Si in λόγῳ, Angelo Jehovæ, Angelo faciei, Angelo fœderis *vita* non fuisset, quomodo illam promittere, quomodo dare potuisset? Ab hac *vita* est, quod dicit sæpius, *ego*, *ego* אֲחַיֶּה *vivificabo* אֶרְפָּא *sanabo*. Deut. 32: vers. 39. quodque sancti dicunt, *Dominus occidit & vivificat*; *deducit in infernum & educit*. 1 Sam. 2: 6. *Deus nobis Deus ad salvationes, & Domino Deo contra mortem exitus.* Psalm. 68: 21. Ab illa fatetur Ijob, *Redemtorem suum vivere*, *& super pulverem stare postremum*, ut te dactos in pulverem aliquando, resuscitet, quò *ex carne sua videant Deum*. Job. 19: 25. 26. Quia ἐν λόγῳ *vita*, ideo promisit, *ego Dominus, sanator tuus, omnem morbum, quem posui in Ægyptiis, non ponam in te*. En *morbos* aufert, hoc est, mortem ipsam æternam, qui ultimus obstinati Pharaonis morbus fuit, è quo non resurrexit. Exod. 15: 26. Quia *in Sermone vita erat*, ideo sancti morientes, *carne pulveri, ex qua erat*, redditâ, *Spiritu ad Deum*, qui *dederat illum, accesserunt*, Ecclesi. 12: 7. & *introducti fuerunt in gloriam*. Hebr. 2: 10.

Et fidei finis est.

§. 90. Hæc *vita*, quæ in Sermone erat, *fidei* nostræ *finis* est. 1 Petr. 1: 9. *Iustus è fide vivet.* Galat. 3: 11. Habac. 2: 4. Scimus certò, fore, ut *sive vigilemus, sive dormiamus*, ἅμα σὺν αὐτῷ ζήσωμεν. 1 Thess. 5: 10. Qui in sermonem credit, *è morte μεταβέβηκεν εἰς ζωὴν* Joh. 5: 24. *Beati, qui thesaurizant sibimetipsis fundamentum bonum*, εἰς τὸ μέλλον, ἵνα ἐπιλάβωνται τῆς αἰωνίου ζωῆς. 1 Tim. 6: 19. quam Paulus tanto studio commendat Timotheo, Ἀγωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως, ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς, εἰς ἣν καὶ ἐκλήθης. 1 Tim. 6: 12.

Concluditur ἡ μεγαλειότης τοῦ λόγου; ex eo, quod in illo vita erat.

§. 91. Igitur verè dictum. *In illo vita erat. Sermo*, Deus noster, vitam habet in se. Vitam dedit omnibus. Vita spiritualis & æterna abscondita est in illo. Non est *Sermo*, Deus noster, ut *dii argentei, aurei, anei, ferrei, lapidei, lignei* Beltazaris, qui *non cognoscebant, non videbant, non audiebant*. Noster Θεὸς ὁ λόγος *vivit*, cognoscit, videt, audit; *Et vita nostra in manu illius est*. Dan. cap. 5: vers. 23. *Sermo*, Deus noster, non est *ut Baal*, qui *dormiebat*, qui exiverat, qui non audiebat, ut Elias ludebat. 1 Reg. 18: 27. Est Sermo *vita*, *semper vivens*, ut nos audiat, ferat, & *pro nobis intercedat*. Hebr. 7: ✠. 25. Quantus ὁ λόγος; non vitam tantùm dedit nobis animalem; nec illam tantùm conservat, nutrit, fovet, protegit; sed vocavit nos & regeneravit nos *ad spem vivam εἰς κληρονομίαν ἄφθαρτον καὶ ἀμίαντον, καὶ ἀμάραντον*. 1 Petr. 1: 3. 4. Mortuos in lapsibus vivificat, οἱ νεκροὶ vocem illius audiunt Illi *viventes vivimus*; *morientes morimur*. Illius *sumus*, *sive vivamus*, *sive moriamur*. Rom. 14: 8.

Socini aberratio.

§. 92. Sed quid ad hæc Socinus? *Non hic intelligi debet*, inquit, *vita animantium*, *sed vita, quam homines consequuntur.* Atqui *vita*, quâ homines, imprimis sancti, vocati, electi gaudent, infinito excellentior est vitâ animantium, hæc excellentior Christi χάρισμα est,

inferior

inferior autem illa non illius opus? si animantia fecit; omnia enim per ipsum facta sunt; certè vitam animantibus dedit, illaque illi debetur, hinc *oves, pecudes, boves, volucres, pisces* dicuntur *opera manuum ejus*. Psalm. 8:6.7.8.9. In quo *vita* est æterna, indissolubilis, efficacissima, ille omnis vitæ fons & origo est.

§. 93. Schlichtingius. *Hoc loco vita per metonymiam pro vita æternæ clarissimo nuncio accipitur. Primus vitam æternam clarissimo nuncio prædicavit.* Atqui aliud planè est. *In ipso vita erat.* Aliud *vita nuncium primus attulit.* Vita etiam nota veteribus fuit. confer §. 89. De *vita* sæpe locutus Moses. Deut. 30:6. *Circumcidet cor tuum*; לְמַעַן חַיֶּיךָ *propter vitam tuam.* vers. 15. *Ecce dedi coram te hodie vitam & bonum.* Vita longa, in terra Canaan, promissa in quinto præcepto, Symbolum fuit vitæ æternæ & cœlestis, ut terra Canaan pignus supernæ Canaan. Ante Christum Johannes prædicaverat μετάνοιαν, atqui illa est ad ζωὴν, Actor. 11:18 *regnum cœlorum*, atqui illud est *vita*, justitia, pax. Dicitur quidem Christus *illuminasse vitam & incorruptionem per Evangelium.* 2 Tim. 1:℣. 10. Sed inde non sequitur vitam illam antiquis non fuisse notificatam; nedum, ab illis non acceptam. *Vita nostra* dicitur *abscondita in Deo*, Col. 3:3. num & inde sequitur, vitam nobis haut illuminatam esse? Christus *vitam illuminavit*, eo ferè modo, quo Paulus dicit, *se illuminare omnes, quæ sit communio mysterii olim absconditi.* Ephes. 3:10. & tamen notificati. confer vers. 5. *Illuminavit* Christus *vitam*, adducta causa vitæ, exhibito merito & pretio *vitæ*, quod est mors & sanguis ipsius. Mortem abolens, *illuminavit vitam*, hoc est, causam vitæ in aprico posuit. Luceque clarius fecit, vitam justè datam esse olim, & dari nunc. Ita illuminavit non tantùm *vitam* nostrám, sed & *vitam* ipsam Sanctorum πάλαι *olim.* Illuminavit vitam *per Evangelium*, quia in Evangelio, vitæ hujus, morte Christi acquisitæ, prærogativæ, excellentiæ, bona, clarissimè exponuntur.

E. Schlichtingio.

Locus 2 Tim. 1:10.

§. 94. Septimum pro divinitate τοῦ λόγου argumentum est, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. *Et vita erat Lux hominum.* Joh. 1:4.

7. Ab eo, quod vita erat Lux hominum.

§. 95. Is, *in quo est vita*, qui est ἡ ζωὴ etiam erat τὸ φῶς *Lux*. Deus dicitur *Lux*. 1 Joh. 1:5. ὁ Θεὸς φῶς ἐστι, *& tenebræ in illo nullæ.* Imò & πατὴρ τῶν φώτων, Jac. 1: vers. 17. & *inhabitare lucem inaccessam.* 1 Tim. cap. 6: vers. 16. ὁ λόγος, Filius Dei, genitus à Deo, pariter *Lux* est; φῶς ἐκ φωτὸς *lux è luce*, aut, *lumen de lumine*: sed Johannes nuncillum dicit τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων; ut doceat illum etiam respectu hominum Lucem esse, non lucem tantùm in se, sed & *lucem hominum*; hoc est, hominibus usum præstare, & beneficia, quæ Lux exhibere solet. Inter prima creata *Lux* est, quam *Deus dixit*, ἐκ σκότους λάμψαι. 2 Cor. cap. 4: vers. 6. Genes. cap. 1: vers. 3. Ante omnia creata hic est, in quo erat *vita*, quique erat *Lux hominum.* Vocat illum Johannes deinceps τὸ φῶς, & τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν. Joh. 1:8.9. 3:19. 1 Joh. 2:18. Et ipse *in mundum veniens*, (Joh. cap. 3: vers. 19.) de se, *Ego*, inquit, *sum* τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Joh. cap. 8: vers. 12. Ἕως τὸ φῶς ἔχετε, πιστεύετε εἰς τὸ φῶς. Joh. cap. 12: vers. 36. Vocatur etiam φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν. Luc. cap. 2: vers. 32. גּוֹיִם Es. 49:6. quia *primus nunciavit lucem gentibus.* Actor. 26:23. Comparatur etiam cum *sole.* Mal. 4:2. *Et orietur vobis Sol justitiæ.* adde 2 Sam. 23:4. Sol est *luminare illud magnum, in dominium diei*, Gen. 1: vers. 17. unde & hic noster *Sol* אוֹר גָּדוֹל *Lux magna* dicitur. Es. 9:1.

Sermo Lux in se, & etiam hominum.

§. 96. Est autem *Lux hominum.* Primi homines, Adam & Eva, *in luce* erant conditi. Erant enim facti *ad imaginem* Dei, qui *Lux* est. Agnitio veritatis, sanctitas, obedientia & sanctum studium veritatis, integritas passionum, rectus motus membrorum, *Lux* certè est, tum in animo lucens, tum in corpore. Omnis hæc *Lux*, quam primi hi homines ace-

Etiam Adami & Evæ.

cepe-

ceperunt, donum æternæ lucis, τοῦ λόγου *conditoris* omnium fuit. Ita & illorum duorum *hominum* φῶς *Lux* erat, sed per peccatum exstinxerunt illi *lucem*, quæ in illis erat, & amiserunt. Inde *tenebræ* & ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους *potestas tenebrarum*, Col. 1:℣.13. & dici potuit, *tenebræ texerunt terram, & caligo nationes.* Es. 60: 2. Omnes homines, ut naturaliter *abalienati* fuerunt *à vita Dei*, ita & *mente* ἐσκοτισμένοι *obtenebrati* à veritate Dei. Ephes. 4: 18. Cerne autem hîc opus gratiæ, & beneficium illius, in quo data est *vita* ante tempora secularia, ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. *Vita erat*, cœpitque esse *Lux hominum*, mente obtenebratorum, à luce, vita, veritate, rectitudine, justitia, salute abalienatorum.

Imprimis lapsorum.

Usus lucis materialis.

§. 97. Lux mundana & terrestris ostendit viam, quâ eundum est; monstrat, quid cavendum, quid fugiendum. Joh. 11:9. *Annon duodecim sunt horæ diei? Si quis in die ambulat, non offendit*, ὅτι τὸ φῶς τοῦ κόσμου τούτου βλέπει. confer Joh. 12:35. *qui ambulat in tenebris*, οὐκ οἶδε ποῦ ὑπάγει. Ergo qui ambulat ἐν φωτὶ, οἶδε ποῦ ὑπάγει, *novit, quo eundum est.* Deinde & calefacit. In omni enim luce ut splendor est, ita & calor. Denique exhilarat, recreat, reficit, grata est oculis.

Usus lucis spiritualis, & illius efficax operatio.

§. 98. Ὁ λόγος, in quo vita, erat *Lux hominum* lapsorum & deperditorum 1. Quatenus illos *docuit viam. Bonus & rectus Jehova. Ideò docet peccatores viam.* Psalm. 25: vers. 8. exposuit & notificavit *fœdus vitæ, testamentum gratiæ, consilium pacis, propositum seculorum* de danda gratia. Id fecit statim in Paradiso post lapsum; & deinceps toties, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *multis modis & vicibus.* Hebr. cap. 1: vers. 1. Ita errantibus comiter viam monstravit; & in tenebris palpantibus ostendit, quæ ratio, quis modus sit salutis, & quomodo Deus *justus justificare* velit, & decenter possit τὸν ἀσεβῆ. 2. Non tantum verbis id fecit & præconio, sed etiam ἔλαμψεν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν *splenduit in cordibus illorum* (2 Cor. cap. 4: vers. 6.) illa sanctificando, purgando; fidem in illis operando, ut viam, quam monstraverat, ingrederentur; in fœdus intrarent vitæ, arcemque salutis amplecterentur; Inde fides sanctorum Adami, Evæ, Abelis, Sethi, Enochi, Noachi, Abrahami, &c. de quibus lege Hebr. cap. 11: vers. 4–39. Ita miseri hi naturâ, liberati à tenebris, desierunt ambulare ἐν τῇ σκοτίᾳ, & cœperunt *ambulare ut Filii lucis* (1 Thes. 5: 5. Ephes. 5: 8.) & habere τὸ φῶς τῆς ζωῆς, Joh. 8: 12. 3. Corda illorum etiam recreavit, refocillavit, & implevit gaudio ac tranquillitate, orta è sensu ac perceptione & certitudine justitiæ & salutis. Ita de Abraamo dicitur, *credidit, & reputatum id illi in justitiam.* Genes. 15: 6. Et Joh. 8: 56. *Abraam* ἠγαλλιάσατο *exultavit ut videret diem meum.* Inde & Lamech Filium suum נֹחַ appellavit *tranquillum, quietum,* in spe & fide consummandæ *consolationis*, unde tranquillitas oritur. Genes. 5: 29. Ita variis modis Sermo Lux hominum erat.

Hæc lux in tenebris luxit.

§. 99. Ut ne igitur putemus, sanctos ab initio luce caruisse & notitia viæ salutis; & fide ac spe vitæ æternæ, quibus Christus *Lux* fuit, quos *illuminavit*, quibus *à morte peccatorum resuscitatis* ἐπέφαυσε *illuxit.* Ephes. 5: 14. Quinimo expresse addit Johannes, *& Lux in tenebris lucet*, vers. 5. docens, τὸν λόγον fuisse *lucem* non ratione tantùm aptitudinis & sufficientiæ, sed actualis exhibitionis lucis, non erat *Lux*, quæ splendere posset, sed quæ *splendebat* in tenebris reipsa. *In tenebris* inquam. Ita notatur differentia hujus lucis à luce terrestri, & excellentia illius præ hac. Lux mundana non in tenebris, sed post tenebras lucet. Tenebræ, non exstante sed occidente luce, oriuntur, nam non est κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος. 2 Cor. 6: 14. Sed hæc Lux mediis luxit in tenebris; erant αἱ γενεαὶ αἱ παρῳχημέναι, & pristina illa mundi ætas certè σκοτία. Unde *populus* prior dicitur

citur *ambulâsse in tenebris, sedisse in terra umbra mortis*, Es. cap. 9: vers. 1. *non fuisse auroram*. Es. cap. 8: vers. 20. confer Rom. cap. 13: vers. 12. Es. cap. 5: vers. 30. 21: 11. 12. Nondum tunc *illuxerat* ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις. Tit. cap. 2: ℣. 11. Non tunc *mysterium Christi* ita ἐγνωρίσθη τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη τοῖς ἁγίοις. Ephes. 3: 5. non tunc *annunciatus* ὁ ἀνεξιχνίαστος πλοῦτος τοῦ χριστοῦ, Ephes. 3:8. nec tunc *manifestata gratia secularis* διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. 2 Tim. 1:9.10. Gentes autem miseræ, propriis in viis ambulantes, *fuerunt sine omni luce*, sine spe, sine vita, in plenissima potestate tenebrarum. In hisce tamen tenebris non cohibuit, nec contraxit lucem ὁ λόγος, sed *luxit*, fide suorum corda purificavit, amore veritatis animos illorum implevit: Spiritu suo in veritatem duxit: Eximiis virtutibus & dotibus illos instruxit. Mirabilia etiam operatus est, judicia exercuit, puniendo malos, eripiendo bonos, ut in diluvio, confusione linguarum, eversione Sodomæ & Gomorrhæ, plagis Ægypti, excisione septem gentium, castigationibus Israëlitarum, eversionibus imperiorum videre fuit, & in Ecclesiæ suæ stabilitione & eductione ac miraculosa liberatione. Sæpissime locutus est, & ipse, & per Prophetas, fœdus promulgavit, descripsit, confirmavit, sanctosque deposita carne mortali in æternam introduxit lucem. Itaque verè *Lux in tenebris luxit*. Imò & adde, gentibus ipsis sese non reliquit *intestatam*. Act. 14: 17.

§. 100. Igitur *Lux in tenebris lucens* fuit quidem φῶς τῶν ἀνθρώπων, non tamen *omnium*, addit enim Johannes. *Et tenebræ eam non assecutæ sunt*. vers. 5. confer vers. 10. καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. Multi *amarunt magis* τὸ σκότος ἢ τὸ φῶς, Joh. cap. 3: vers. 19. 1 Joh. cap. 2: vers. 8. obtenebrati mente homines lucem spreverunt. Quid cœca gentilitas de Christo aut audivit, aut novit, aut credidit? *Mundus per sapientiam, in sapientia Dei, Deum non agnovit*. 1 Cor. cap. 1: vers. 21. quomodo ergo *Sermonem Dei*? ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Rom. cap. 1: vers. 21. Judæorum multi & plurimi *justitia illius* οὐχ ὑπετάγησαν. Rom. cap. 10: vers. 3. *videntes multa, nec observantes; acuentes aures, nec audientes*. Es. 42: 20. ut & in postremo dierum, ubi *Lux hæc vera in mundum venit*, & quidem *in propria, proprii illum non receperunt*. Joh. cap. 1: 9. 11. Nil minus tamen manet, *& vita erat lux hominum*, & *luxit*, non desinit Sol esse Sol, quàmvis cœcus radios illius non videat, nec ignis ignis, quàmvis paralyticus calorem illius non percipiat; nec aqua aqua, quamvis Æthiops nigredinem abluere non possit. Ita nec desinit ὁ λόγος ἡ ζωὴ *esse Lux*, quàmvis non omnes homines lucem illius viderint, amarint, assecuti sint. Fuit tamen *Lux*, *hominum*; & *multorum* hominum; ut & dicitur πολλοὺς υἱοὺς *multos filios* in lucem & *gloriam introduxisse*. Hebr. cap. 2: vers. 10. Col. cap. 1: 2. ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί.

Tenebræ illam haut sunt assecutæ.

§. 101. Sunt autem hæc connexa. *In illo erat vita, & vita erat Lux*, quia in illo vita destinata, præparata, data, prædefinita, ideo oportuit, ut *luceret*, & *vitam* illuminaret, hoc est, homines illius participes faceret, & notitia ac spe vitæ impleret. Si autem est ὁ λόγος τὸ φῶς *Lux*, quidni sit verus Deus, auctor spiritualis lucis, effector regenerationis, sanctificationis, illuminationis non *hodie* tantùm, sed & *heri*, & *in secula*. Hebr. cap. 13: vers. 8.

§. 102. Hæc κύριος filii θεότης aliis etiam argumentis à Johanne ostenditur, ut cum dicit, *Spectavimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre*; vers. 14. item, *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ille enarravit*. vers. 48. Qui est Filius, & quidem genitus, & unigenitus, eandem oportet ut cum Patre genitore habeat naturam; ejusdem cum illo sit essentiæ; iisdem gaudeat proprietatibus; imago

Alia argumenta pro Deitate Filii.

illius, hæres omnium, quæ sunt Patris, cæli & terra, visibilium & invisibilium. Est enim *Filius* ἐν δυνάμει *in potentia*, & omni emphatico valore, adeo ut, quicquid λογικῶς cogitare possumus de eo, qui est & dicitur *Filius Dei*, id omne in Filio esse, sancta fide credendum sit. Est autem æterna hæc Filii generatio mysterium incomprehensibile; de quo optimè Nazianzenus, ἀκούεις γέννησιν· τὸ πῶς μὴ περιεργάζου. confer, si placet, quæ de filiatione τοῦ λόγου diximus occasione vaticinii, *erit mihi in Filium* 2 Sam. 7: pag. 297 — 299. superioris voluminis. Item, cujus *gloria* tanta est *manifestata*, ut par fuit, ut esset *gloria unigeniti à Patre*, quique adeò πλείονος δόξης παρὰ Μωσῆν, omnesque alios, qui Mose fuere minores omnes, ἠξίωται, Hebr. 3: 3. cujus *gloriam in excelsis* cecinerunt Angeli. Luc. 2: 14. illi non possumus non occinere & acclamare cum *Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehova, Deus exercituum; plena est tota terra gloria ejus.* Es. 6: 3.

Vox ὁμοούσιος explicatur.

§: 103. Ex his Argumentis, quibus addere plura supersedemus, omni conscientiæ satis superque patet, Filium Dei, τὸν λόγον, esse verum, æternum, omnipotentem Deum, creatorem cæli & terræ, Patrique omninò ὁμοούσιον; hoc est, ὁμῆς οὐσίας *ejusdem* cum Patre *essentiæ*. Vox enim Græca ὁμὸς idem valet quod ὁ αὐτός. Iliad. §. 291. ἠὲ γυναῖκ' ἥ κεν τοι ὁμὸν λέχος εἰσαναβαίνοι *aut mulierem, quæ eundem lectum tecum inscendat*. Neque igitur Filius est tantùm Patri ὁμούσιος, hoc est, ὁμοῦ *simul* vel *una cum* Patre *existens*; nec tantùm ὁμοιούσιος, hoc est, ὁμοίας οὐσίας *similis essentiæ*, quod utrumque olim concedebant Arriani, sed, ut dictum, ὁμοούσιος, *ejusdem essentiæ*, quod blasphemè negabant Arriani, credendus & colendus est; cujus cum Patre & Spiritu Sancto ὁμότιμόν τε τὴν ἀξίαν, καὶ ἀμέριστον καὶ συναΐδιον τὴν βασιλείαν, δύναμιν, βουλὴν, ἐνέργειαν, omnis sancta Antiquitas constanter defendit, sanctè credidit, religiosè adoravit.

Smalcius notatus.

§. 104. Tot igitur cum pro Deitate Filii exstent argumenta, clara & insuperabilia, meritò fastidimus *Smalcium*, dicentem *adversus Monstra* pag. 64. *Christum, si Deus fuit, debuisse illud disertè affirmare; ut ita homines, qui hominem esse videbant, ipsius testimonio convicti, crederent id, quod videre non poterant*. Atqui disertè id affirmavit Christus, Judæis in eum sensum verba illius intelligentibus, sed per inobedientiam illi indignantibus. Joh. cap. 5: vers. 18. *Ideò magis quærebant illum Judæi occidere, non tantùm quia solverat Sabbatum, sed & Patrem proprium dixerat Deum, æqualem seipsum faciens Deo.* Joh. 10: 33. *Propter bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, quod tu, homo existens, facis te ipsum Deum.*

Episcopius

§. 105. Nec possumus laudare *Episcopium*, qui ambigit, an satis clarè in sacris sit definitum, an Filius *per generationem processerit a Patre, ut* ὁμοούσιος *coëssentialis; an tanquam creatura, ut* ἑτερούσιος *aliam essentiam habens*, quod ipsum explicatu & creditu haut putat necessarium, idem dicit de æternitate τοῦ λόγου.

Deitas Filii necessaria ad salutem creditu est.

§. 106. Atqui nunc paucis probabimus, omninò necessariam esse creditu *æternam* τοῦ λόγου θεότητα. Adeò ut, nisi quis *Catholicam hanc fidem* ὑγιῆ καὶ ἄμωμον τηρήσειεν *integram & incontaminatam servaverit*, πάσης ἀμφιβολίας ἐκτὸς, *extra omnem dubitationem, in æternum sit interiturus*, ut piè & graviter judicat Athanasius.

Rationes ob quas credenda.

§. 107. Igitur credenda est *infinita Deitas* τοῦ λόγου. 1. Ob tot sacrarum literarum testimonia, uno illam ore constanter docentia. Scriptura, *verbum veritatis*, dicit, τὸν λόγον esse *Deum, magnum, verum, benedictum* illum. Et tu, miser homo, id in dubium vocares? 2. Ob mysterium creationis. Cœlum & terra Creatorem Deum clamat. Homo Dei imago est, non potest homo creatus esse, nisi à Deo uno & solo. Creatura non potest creaturam creare, quæ à creatura crearetur creatura, non esset Dei, sed creaturæ creantis ποίημα.

Crea-

Creatio requirit voluntatem omnipotentem; jussionem efficacem; sufficientiam, quæ exhauriri non potest, qualia in nullam cadere possunt creaturam. Atqui per λόγον facta, condita, creata sunt omnia. Ut igitur solus Deus noster maneat Creator, nosque illius solius simus γένος, Act. 17: vers. 28. oportet ut ὁ λόγος sit Deus, è Deo Deus, cum Deo unum. 3. Ob negocium salutis nostræ, quæ *in nullo est alio* quàm *in nomine* Jesu Christi. Act. 4: 12. Atqui *salus* est *in Domino*, לַיהוָה הַיְשׁוּעָה Psalm. 3: 9. *Ego, ego Jehovah, & non est præter me salvator.* Es. 43: 11. *Israel salvatur in Domino salute æterna.* Es. 45: 17. *Certè in vanum est à collibus, multitudine montium. Certè in Domino Deo nostro salus Israelis.* Jerem. 3: 23. *Salutem tuam exspecto, Domine.* Genes. 49: 18. Quia autem ad *salutem* pertinet *justitia, redemtio, sanctificatio, vivificatio*, omnia illa etiam *Deo Servatori* attribuuntur. 1: Justitia. Es. 45: vers. 24. 25. *Tantùm in Domino justitia & robur. In Domino justificabuntur omne semen Israel.* Jerem. 23: 6. *Jehovah justitia nostra.* 2. Redemtio. Es. 43: vers. 1. *Sic dicit Dominus creator tuus, Jacob, & formator tuus Israel, ne time*, כִּי גְאַלְתִּיךָ *nam redemi te, meus tu.* vers. 14. *Sic dicit Dominus*, גֹּאַלְכֶם *Redemtor vester.* Es. 47: 4. *Redemtor noster, Dominus Deus exercituum, Sanctus Israel.* Hinc *redemti* dicuntur פְּדוּיֵי יְיָ Es. 51: 10. 11. Es. 54: vers. 5. *Redemtor tuus Sanctus Israel, Dominus totius terræ vocabitur.* Hinc Hiob, quem dixerat *Redemtorem suum*, paulò post nominat אֱלוֹהַּ *Deum, è carne videndum.* Job. 19: 25. 26. 3. Sanctificatio, hinc toties vocatur קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל *Sanctus Israelis*, non tantùm, quia in se Sanctus est, sed & quia *sanctificat*. *Non est sanctus, ut Dominus, nam non est præter te.* 1 Sam. 2: 2. confer Exod. 31: 13. Ezech. cap. 20: 12. Levit. 20: ỷ. 8. Ezech. cap. 37: 28. *Ego Jehova sanctificator vester, sanctificans Israelem.* Hinc *creatio novi cordis*, Psalm. 51: vers. 12. *inscriptio legis in cor*, Jer. cap. 31: vers. 33. *datio Spiritus*, Zach. cap. 12: vers. 10. *impletio voluntatis Dei*, Psalm. 143: vers. 10. aliaque Deo ut sanctificatori unico adscribuntur. 4. Vivificatio. *Ego occido & vivifico.* Deut. cap. 32: vers. 39. 1 Sam. cap. 2: vers. 6. Hinc dicitur *vita nostra*, introducere *in gloriam*. Psalm. 73: vers. 24. mortuos resuscitare. Es. cap. 26: vers. 19. *Vivent mortui tui, cadaver meum? resurgent.* Nunc autem Christus dicitur *servare, salutem dare*. Matt. cap. 1: vers. 21. Luc. cap. 1: vers. 77. *justitia nostra, sanctificatio, redemtio*, 1 Cor. cap. 1: vers. 30. Hebr. cap. 2: vers. 11. 1 Cor. cap. 6: vers. 11. *Vita, resurrectio*, Joh. cap. 11: vers. 25. *resuscitare ultimo die*, Joh. 6: 54. adde Joh. 5: 28. 29. Si Christus autem non est Deus, quomodo manet *Deus, Redemtor, Sanctificator, Salvator*, &c.

§. 108. Qui nos *sanguine purgat*, oportet, ut *per Spiritum æternum se obtulerit inculpatum Deo.* Hebr. 9: 14. si non est *Deus* Jesus Salvator noster, habemus Redemtorem non-Deum. Et cùm *redemtio* sit majus beneficium creatione. Per hanc enim sumus homines; sed non obstante illâ mali, & naturâ filii iræ. Per illam autem simus sancti, Filii Dei, & aliquando ἰσάγγελοι; majus beneficium homini, minus tribuetur Deo, nosque magis debebimus homini redemtori, quàm Deo Creatori. Qui nos *redemit*, fecit nos suos. Ideò Christus dicitur *sibi purgasse* λαὸν περιούσιον, Tit. 2: 14. si autem nos homo tantùm redemit, facti sumus mancipium hominis. Atqui *hominis* esse nec redemtio, nec libertas est. Qui Dei sunt, Deo vivunt, illi demum verè liberi sunt. Christus Redemtor *mortem* pro nobis gustavit, *sanguinem* fudit, è *cruce* pependit; sed nec mors, nec sanguis, nec crux illius idoneum possunt esse redemtionis nostræ precium, nisi Deus est. Dona & sacrificia sanctificabantur olim *in altari*. Ideo altare donis & oblationibus majus dicitur, quia illa ἁγιάζει. Atqui quodnam est in Christo *Altare*, oblato sanguine & fracto corpore illius majus, utriusque oblationem sanctificans, si divinitas Christo non est propria & essentialis? Quia is, qui

Ecclesiam sanguine acquisivit, *Deus* est Actor. 20: 28. & qui crucifixus est, *Dominus gloriæ* est, 1 Cor. 2: 8. & qui occisus est, *Princeps vitæ est* Actor. 3: 15. & cujus *nos* sanguis purgat, *Filius Dei* est. 1 Joh. 1: vers. 7. Ideò mors, crux, sanguis illius sunt *lytrum* condignum, *piamentum, satisfactionis pretium, oblatio, in odorem fragrantiæ, pro peccatis nostris & totius mundi.* Quanti enim valoris est *sanguis* unigeniti; *maledictio* benedicti; *peccatum* justissimi, *crux* gloriosissimi, *mors* viventis in secula? si homo tantum est, qui nos redemit, utique in illo fidendum, ille adorandus, invocandus, animæque illi committendæ erunt. Atqui *maledictus, qui fidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino aufert cor suum.* Jerem. 17: 5. 6. 7. 8. Scriptum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Matt. 4: 10. Denique *animæ nulli commendandæ*, quàm *Deo* ὡς πιστῷ κτίστῃ *ut fideli creatori.* 1 Petr. 4: 19. Dixit Deus, *Gloriam meam non dabo alii, nec laudem meam sculptilibus*; Es. 42: 8. & gloriam redemtionis incomparabilem daret *alii*, naturâ & essentiâ a se diverso, mero homini, meræ creaturæ? Si Christus tantùm homo est, non est Servator veterum, antequam enim exstitit, servare non potuit, & quem scierunt non-esse, per illum haud credere potuerunt se salvatos iri. Atqui *Patres* salvati sunt *gratiâ Christi.* Actor. 15: 10. Si Christus tantùm homo est, quomodo verum est, quod promisit, *ego vobiscum sum ad finem usque mundi?* Si Christus tantùm homo est, quomodo potuit *emittere Spiritum Dei in corda nostra?* Galat. 4: vers. 6. Num Spiritum Dei mittere potest, qui Deus non est? si tantùm est homo, quomodo victor Diaboli, mortis, tenebrarum, inferni? finita potestas carnis non suffecit *abolitioni* tantorum inimicorum. *A morte fuisset detentus*, nisi fuisset Deus; qui homo *mortificatus carne, vivificaretur Spiritu.* 1 Petr. 3: 18. Actor. 2: 24.? Si Redemtor noster merus est homo, falsum est, quod dicitur. Psalm. 49: 9. 10. *Frater non redimendo redimet virum, non dabit Deo pretium ipsius, nam pretiosum est lytrum animarum & deficiet in seculum.* vers. 16. *Tantum Deus redimet animam meam e manu orci.* Igitur oportuit, qui nos redimeret, Deus esse; ut & est, benedictus in secula.

§. 109. Nec igitur certa erit fides & spes redemtionis nostræ, non sarta & integra gloria Dei inalienabilis, non firma consolatio nostra, nisi credamus, Jesum Redemtorem nostrum esse verum, magnum & æternum Deum. Id ergo, quod *non revelavit nobis* σὰρξ & αἷμα, sed *Pater* qui *est in cælis*, sancta fide teneamus; nec *a portis inferni* extorqueri nobis sinamus. Matt. 16: 17.

§. 110. Neque tollimus, Christi credendo Deitatem & divinam sublimitatem, Dei ἑνότητα & μοναρχίαν, fatemur enim τὴν πολυθεότητα ἀθεότητα εἶναι, & τὴν πολυαρχίαν ἀναρχίαν εἶναι, sed unum credimus Deum, tres unum, μονάδα ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι, μίαν θεότητα πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος. Quod mysterium ὑπερέχει πάντα νοῦν; cujus profunditates absconditæ in Deo; sitque hæc humanæ infirmitatis religiosa confessio, ex Deo Triuno hoc solum nosse, quod Deus Triunus est.

§. 111. Verus igitur Deus est nostra salus. Æterna vita pro nobis gustavit mortem. Dominus gloriæ maximâ ob peccata nostra ignominiâ crucis adfectus est. Nosque sumus Jesu duplici jure. 1. Quâ Creatoris. 2. Quâ Redemtoris. Redemtor enim creatorum est & Creator Redemtorum. Quâ Creator fecit nos incolas mundi, qua Redemtor constituit nos hæredes cæli. Qua Creator *benefacit* nobis οὐρανόθεν, Actor. 14: 17. quâ Redemtor descendit ipse venitque ad nos ἄνωθεν. Joh. 3: 31. Quâ Creator dat nobis cibum & potum. Quâ Redemtor se nobis dat ipsum in cibum & potum. Qua Creator fert nos potenter. Qua Redemtor salvat decenter. Qua Creator debuisset nos condemnare; quia omnes peccavimus.

Qua Redemtor decet illum nos justificare & à condemnatione absoluere, & pro nobis intercedere. Quâ Creator potuisset à nobis ignorari, ut à multis, quos creavit, ignoratur & abnegatur. Quâ Redemtor non potest non à nobis agnosci, amari, glorificari, ad id enim redemit, ut *à vana conversatione liberaremur*, & viveremus illi, qui pro nobis mortuus est. Qua Creator habuisset nos suos, ut creaturas suas. Qua Redemtor habet nos suos, ut λαὸν περιούσιον, ut סְגֻלָּה *peculium*, *thesaurum* pretiosè acquisitum.

§. 112. Huic *Sermoni Dei*, æterno omnipotenti Deo, Creatori, Redemtori, sit δόξα καὶ μεγαλωσύνης εἰς τὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

CAPUT IV.

De manifestatione τȣ λόγȣ in carne.

§. 1. Ὁ Λόγος *Sermo Dei, verus* ille & *magnus Deus*, Conditor *omnium*, *Vita* & *Lux* hominum, *venit in mundum. Erat Lux vera*, quæ illuminat omnem hominem, *veniens in mundum*, Joh. 1: 9. hoc est, veniebat in mundum; usitato Græcis loquendi modo. Marc. 10: vers. 32. ἦν προάγων. Luc. cap. 5: vers. 6. ἦν ἀποχωρῶν. 15: 1. ἦσαν ἐγγίζοντες. Act. 8: 28. ἦν ὑποστρέφων *Fidelis sermo, & omni dignus receptione*, ὅτι χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸ κόσμον. 1 Tim. 1: vers. 15. Sermo venit in mundum.

§. 2. *Erat in mundo*, nam *mundus per illum factus erat*, Joh. 1: 10. *verboque potentiæ suæ portavit illum omnibus diebus seculi.* Hebr. 1: 3. Es. 63: 9. Sæpe in mundo apparuerat; Abraamo sub *quercubus Mamre*, in forma *hominis*. Genes. 18. Jacobo in specie *viri colluctantis*. Genes. 32: 24 -- 31. *Invisibilis* hic à Mose *quasi visus*. Hebr. 11: vers. 27. in *rubo* ardente, nec consumta. Exod. 3. à septuaginta senioribus Israël spectatus, habens *sub pedibus pavimentum sapphireum* Exod. 24: 10. 11. à Jehosua, apud Jericho, ense stricto armatus Jos. 5: 13. 14. à Gideone, sub *quercu*, quæ *in Ophrah*. Jud. 6: 11 -- 24. à Manoah & uxore Jud. 13: 3 -- 24. ab Esaia, *sedens in solio sublimi & excelso*, indutus *togâ & fimbriis* Es. 6: 1. ab Ezechiele in *similitudine formæ hominis*, *super similitudinem solii*. Ezech. 1: 26. Nil minus tamen venit in mundum, quem totum fecerat; quem totum implebat, in quo toties se manifestaverat, *in illum venit. A Patre exivi, & veni in mundum.* Joh. 16: 28. confer Hebr. 10: 5. εἰσερχόμενος εἰς τὸ κόσμον. Fuerat in mundo, & visus in mundo.

§. 3. Nimirum tali *formâ* in mundum intravit, quali nunquam antea; *caro* scilicet *factus* Joh. 1: 4. *è muliere natus*, Gal. 4: 4. *carnis & sanguinis particeps.* Hebr. 2: 14. ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, Phil. 2: 7. *in similitudine carnis peccati missus*, Rom. 8: ℣. 3. *Puer natus*, Es. 9: 5. unde conjunctim dicit, γεγέννημαι καὶ ἐλήλυθα εἰς κόσμον, *natus sum, & veni in mundum.* Joh. 18: 37. Sed in forma planè singulari nunc intravit in mundum.

§. 4. Speciem illam, quâ olim, ut *vir*, ut *homo*, visibiliter spectatus erat, subitò assumsit; subitò deposuit; subitò induit; subitò exuit. Nunc venit in mundum, conceptus, natus, homo factus, semen mulieris, filius hominis, frater hominum, *secundùm omnia illis similis*, χωρὶς ἁμαρτίας. Hebr. 4: 15. Carnemque in talem gloriosissimæ personæ assumsit unitatem, quæ non dissolvitur in omnem æternitatem. Quam non exuit sed servat in æternum.

§. 5. Hæc tanta res est, ut Paulus alta pronunciet voce, *& citra controversiam magnum est pietatis Mysterium. Deus manifestatus est in carne.* 1 Tim. 3: 16. Quanta enim res! Creator fit creatura. Deus, homo. Spiritus æternus, caro. Pater omnium, filius. Dominus, Magnitudo hujus mysterii.

minus, servus, ὁ ἀγενεαλόγητος γενεαλογεῖται, qui est ἀμήτωρ, è matre nascitur, qui ἀπάτωρ, Patrem, utut consiliis tantùm Patrem, accipit, qui *non habet initium dierum*, nunc incipit esse, quod non erat, qui est *primogenitus omnis creaturæ*, fit primogenitus creaturæ, Mariæ genitricis, qui *vita* est, in utero puellæ vitam accipit, qui est semper *idem* (וְאַתָּה הוּא Psalm. 102: vers. 28.) homo natus non mansit semper idem, prius fuit in utero, paulo post exivit ex utero, infans fuit, puer evasit, vir exstitit, cognitus *secundum carnem*, sed *nunc non* amplius. 2 Cor. cap. 5: vers. 16. ante *humiliatus*, dein supra modum *exaltatus*, è vivente *mortuus*, è mortuo factus *vivus*; *& ecce ζῶν εἰμι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Apoc. 1: 18.

Ordo tractationis. §. 6. De hoc mysterio ἔστι νῦν λέγειν κατὰ μέρος, *particulatim* nunc dicendum est; & eo quidem ordine, quem Euangelica servavit historia.

Angelus Gabriel mittitur à Deo. §. 7. *Mense sexto*, à nunciata nativitate & conceptione Johannis Baptistæ, *missus est Angelus Gabriel, a Deo, in civitatem Galilea, cui nomen Nazaret.* Luc. 1: 26. Idem Angelus, qui nunciaverat nativitatem Johannis, Luc. 1: 19. missus est, ut nunciaret nativitatem Filii Dei. Idem apparuerat longè ante Danieli Prophetæ, & vaticinatus est illi de *septuaginta septimanis*, de adventu *Messiæ*, *excisione* illius & *Principatu*. Dan. 9: ꝟ. 25. Ita Angelus hic hujus ἠξιώθη δόξης, ut Euangelista exstiterit rei, olim promissæ, avidissimè speratæ, salutariter exhibitæ.

§. 8. Præter Baptistæ & Christi, aliorum etiam invenimus prænunciatam nativitatem. Isaaci, Genes. 18. Simsonis, Jud. 13: 3. Josiæ Regis, 1 Reg. 13: 2. quorum aut nativitas fuit miraculosa, præter naturæ ordinem; aut qui nati sunt ad gerendas res maximas & illustres. Nativitas Isaaci, Simsonis, Johannis, est memoranda, quia nati sunt è sterilibus, ad generandum & pariendum inidoneis; Christi imprimis, quia natus est è Virgine. Josiæ Regis nativitas nil in se habuit extraordinarii; sed vita illius & res gestæ exstitere illustres & imprimis memorandæ; eò quod exstitit restaurator cultus divini, destructor Altaris, præter voluntatem Dei, à Jeroboamo exstructi; & excisor Sacerdotum, qui in illo adoleverant. 2 Reg. cap. 13: vers. 2. Præter miraculosam Simsonis, Baptistæ, Christi nativitatem, etiam mirabilia illorum animadvertantur opera; majora quibus à nemine unquam acta sunt. Igitur duplici nomine illorum meruit nativitas prædici; & quia in se fuit extraordinaria; & quia illam secuta sunt maxima & admiranda opera, peracta à sic mirabiliter natis.

§. 9. Nomen nuncii & legati hujus est *Gabriel.* Persona, *Angelus*; ex illorum nimirum numero, qui *initium tenuerunt*, *proprium domicilium* non *dereliquerunt*, & *in veritate perstiterunt.* Jud. vers. 6. Joh. cap. 8: vers. 44. Dan. cap. 9: vers. 21. dicitur וְהָאִישׁ גַּבְרִיאֵל *& vir Gabriel*, & Dan. cap. 8: vers. 15. dicitur *stetisse ex adverso* Danielis כְּמַרְאֵה גָבֶר *aspectu viri*; ob virilem nimirum formam, σωματικὸν εἶδος, in quo apparuit.

Nomen Gabriel. §. 10. Nomen גַּבְרִיאֵל γαβριήλ compositum est ex גָּבַר, *prævaluit, robustus fuit*, (unde גֶּבֶר *vir*, גְּבִיר *Dominus, Herus*, & גִּבּוֹר *prævalens, præpotens*) & אֵל *Deus potens*, qui & dicitur אֵל גִּבּוֹר *Deus potens & victor.* Es. 10: 20. Nam in אֵל est notio *potentiæ*; in גִּבּוֹר *κράτους* & *victoriæ.* Igitur ex etymo significat, *Herus meus Deus*; vel *victor meus, superior, Deus.* Hieronymus. *Gabriel in linguam nostram vertitur, Fortitudo, vel, robustus Dei.* Alii transtulerunt, *vir Deus*, hoc est, Deus est Vir, aut *vir Dei*; quia Angeli, jubente Deo, in virili specie apparuerunt. Notatur hoc nomine dependentia à Deo; & dominium ac superioritas Dei.

Non uni soli proprium. §. 11. Nominatur hic Angelus, *Gabriel*; non quod nomen hoc sit illi soli proprium; nam uni-

unicuique Angelo suum inditum esse nomen, nec Scriptura docet; nec ulla statuere necessitas cogit. Angeli sunt Spiritus, loquela non utuntur. Deo creatori sunt optimè noti; & sibimetipsis; neque adeo indigent *Nominibus*; audiunt sine auribus; vident sine oculis; tenent sine manibus; intelligunt sine ore & loquela. Etiam sine appellatione externa, aut nomine externo conveniri, advocari, ablegari possunt. Omnis Angelus est *Gabriel*, omnibus id nomen competit; omnes cùm mittuntur, dicere ex æquo possunt: *Ego sum Gabriel, stans coram Deo.* Luc. 1: 19. Et quamvis ex eo, quod dicitur, *Mense sexto* missus est ὁ ἄγγελος γαβριὴλ *Angelus ille Gabriel*, videri possit individuum certum & signatum notari, tamen non inde sequetur, nomen Gabriel uni huic Angelo, non autem aliis convenire, sed tantùm, Deum unius & ejusdem Angeli opera usum esse, ad nunciandum Johannis, & nunc Christi nativitatem.

§. 12. Angelus Gabriel, *missus est, à Deo.* ἀπεστάλη ὑπὸ τοῦ θεοῦ. Mittuntur Angeli à Deo. *Nonne sunt omnes πνεύματα, εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα?* Hebr. 1: 14. *Mittam ante te Angelum* Exod. 33: 2. *Deus misit Angelum suum, & eripuit servos suos*, inquit, Nebucadnezar Dan. 3: 28. *Deus misit Angelum suum, & occlusit os Leonum.* Dan. 6: 23. *Misit Dominus Angelum suum, & eripuit me è manu Herodis*, dicit Petrus Act. 12: 11. Mittuntur à Deo Angeli, cum ablegantur, ut in terra, in hominibus, opus aliquod efficiant; sive exponant voluntatem Dei, sive exerceant judicia Dei, sive succurrant filiis Dei.

§. 13. Qua forma, quo habitu Gabriel missus sit, non opus est inquirere. Apparuit sine dubio in forma humana; nec videtur induisse habitum inusitatum & terribilem, qui horrorem incuteret: nam Maria dicitur quidem turbata fuisse ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ Luc. 1: 29. non verò ἐπὶ τῇ μορφῇ αὐτοῦ. Habitum, quem in apparitione accepit, finita illa rursum deposuit.

§. 14. Locus, quo missus est, fuit *civitas Galilea, Nazaret.* Galilæa.

§. 15. Duplex erat Galilæa. גלילאה עלאה, sive גליל העליון *Galilea superior*, & גלילאה תתאה *inferior.* ἡ ἄνω, καὶ ἡ κάτω γαλιλαία. Superior, ut tradunt historici, juxta Tyrum, Sydonem, & Cæsaream Philippi sita est; dicta *Galilea gentium*: Matt. 4: 15. vel quia illic gentes ad Salomonis usque tempora habitarunt; vel quia Hiram Regi Tyriorum donata est; 1 Reg. 9: 11. vel, quia fuit maximè populosa inferior circa Tiberiadem & stagnum Genesareth, quod *mare Galilea* dici videtur Marc. 1: 16. In hac fuit *Capharnaum*, ἡ παραθαλασσία Matt. 4: vers. 13. Superior fuit in sorte tribus Nephtali. Inferior, in sorte tribus Zabulon.

§. 16. Ναζαρὲθ, seu Ναζαρὲτ (Luc. 1: vers. 26. Matt. 2: 23.) in Galilæa inferiore fuit. Nazaret.
A Matthæo & Luca dicitur fuisse πόλις *civitas*, à Syro interprete מדינא *urbs.* Ab aliis *vicus*; forsan ex eo genere, qui κωμοπόλεις dicuntur, Marc. 1: 38. distitit *Hierosolymis* דרך שלשת ימים *itinere tridui*; fuitque *subjacens Capernaumo.*

§. 17. In hac civitate erat *Virgo, nomine Maria*, ad hanc missus est Gabriel. Luc. 1: 27. Virgo hæc erat *desponsata viro.* μεμνηστευμένη ἀνδρί. ibid. Sponsione erat promissa viro, cui nuptura erat. confer Matth. 1: 18. Errant, qui dicunt, verbum μνηστεύεσθαι significare *sponsam proco tradere.* Certè Maria necdum proco suo tradita erat: nam paulo post dicit, *Virum non agnosco* Luc. 1: 34. & deinde Elisabetam visitat, sola ac sine viro, Luc. 1: 39. 56. & Matth. 1: vers. 18. dicitur fuisse *desponsata*, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, *antequam convenirent illi*, hoc est, antequam cohabitatum unà secessissent, & invicem juncti fuissent. Virgo Maria desponsata viro.

Cui nomen Joseph & genus è Davide.

§. 18. *Nomen* viri fuit Ἰωσὴφ Luc. 1: verſ. 27. Matth. 1: 18. 19. 20. 24. quod nomen etiam aliis fuit. Act. 7: 9. Luc. 23: 50. Act. 1: 23. Genus ducebat è David. ἐξ οἴκου Δαβὶδ *è domo David*, Luc. 1: 27. nonnulli codices addunt καὶ πατριᾶς *& familia*, ut eſt Luc. 2: 4. Non tantùm è *domo* Davidis, quales omnes fuerunt, qui è fratribus Davidis deſcenderunt, & nexu quodam cognationis Davidem attigerunt, fuit *Joſeph*, ſed & *è familia Davidis*, hoc eſt, ex ipſis poſteris filiiſque Davidis natus: hinc & dicitur υἱὸς Δαβὶδ Matth. 1: 20. & genealogia ejus aſcendit ad Davidem ipſum. Matth. 1: 6 – 16.

Pater illius, Jacob & Eli.

§. 19. Pater viri fuit *Jacob*, ſecundùm Matthæum. cap. 1: 15. Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσὴφ: ſecundùm Lucam autem ἠλὶ *Eli*. Luc. 3: 23. Inde ſcrupulus, quomodo ſimul duorum poſſit eſſe filius? Auguſt. libr. 3. contra Fauſtum, cap. 3. *Tota*, inquit, *in hoc quæſtio eſt, quomodo potuerit duos Patres habere Joſeph?* Alii ſtatuunt, Patrem Joſephi fuiſſe binominem, *Jacob & Eli* vocatum. Alii, *Jacobum* naturalem fuiſſe Joſephi Patrem; *Eli* autem Joſephum adoptaſſe; ut ita Jacob per *naturam*, Heli autem per *adoptionem* Pater illius fuerit. Alii, Jacobum fuiſſe Patrem Joſephi κατὰ φύσιν, Heli κατὰ νόμον, hoc eſt, per legem, qua frater tenebatur demortuo fratri excitare ſemen; adeoque Jacobum, fratrem Heli, ſemen hoc, Joſephum, fratri ſuo Heli ſuſcitaſſe. Illis dicuntur ὁμομήτριοι ἀδελφοὶ ἠλὶ καὶ Ἰακὼβ, hoc eſt, *fratres eſſe ex eadem matre Eli & Jacob*, diverſos autem *Patres* habere. *Mattan*, qui è familia fuit *Salomonis*, genuiſſe τὸν Ἰακὼβ. Matt. 1: 6. 15. Mattane mortuo, τὸν Ματθατ, qui e familia fuit *Natanis*, etiam filii Davidis, ex ipſa & eadem fœmina genuiſſe τὸν ἠλὶ. Luc 3: 23. 24. 31. De hiſce duobus fratribus ὁμομητρίοις ita tradidit Euſebius. ἠλὶ ἀτέκνου ἀποθανόντος, ὁ Ἰακὼβ ἀνέστησεν αὐτῷ σπέρμα, γεννήσας τὸν Ἰωσὴφ, κατὰ φύσιν μὲν ἑαυτῷ, κατὰ νόμον δὲ τῷ ἠλὶ. οὕτως ἀμφοτέρων υἱὸς ἦν ὁ Ἰωσὴφ. Alii, *Iacob* fuiſſe verum & naturalem Patrem Joſephi; *Heli* verò fuiſſe Patrem naturalem Mariæ, & *civilem* Joſephi; qua generi. Ita Geneſ. 37: 35. dicuntur *filiæ* Jacobi ſurrexiſſe *ad conſolandum illum*, non naturales, quam unam tantùm habebat, *Dinam*, ſed civiles, hoc eſt, uxores filiorum. Poteſt *gener* vocari *Filius*, & *nurus Filia*. Ita Noëmi in libro Ruth nurus ſuas ſæpe vocat. Alii denique ita rem expediunt; fingunt parenthesin Luc. 3: 23. talem; ὢν (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ confer Luc. 4: 22.) τοῦ ἠλὶ; ut ita Lucas doceat, *Chriſtum* (*qui putabatur filius eſſe Ioſephi*) *filium fuiſſe* τοῦ *Heli*, hoc eſt, nepotem è Maria filia.

Joſeph Faber.

§. 20. Hic Joſeph, licèt è Davide Rege genus duceret, nil tamen regii tenuit ſplendoris, fuit infimæ ferè ſortis Vir, *faber*. Matt. 13: 55. *Nonne hic eſt filius* τοῦ τέκτονος; unde & ipſe Chriſtus audiit τέκτων. Marc. 6: 3. Ecce, quo delapſa fuerit poſteritas Davidis. Regii ſanguinis poſteri fabrilia tractant. Hæc eſt verè סֻכַּת דָּוִיד הַנֹּפֶלֶת *caſa Davidis jacens* ſeu collapſa. Amos 9: 11. *domus* Davidis *non* amplius *germinans*. 2 Sam. 23: 5. Hic eſt גֶּזַע *ſtipes Ieſſe* Eſ. 11: verſ 1. ramis, frondibus, flore, ornatu carens. De Jechonia Rege dixerat *Dominus*, *Non proſperabitur de ſemine ejus Vir*, hoc eſt, quiſquam, *qui ſedeat in ſolio David, & dominetur*, &c. Jerem. 22: 30. Eventus docuit, quàm procul à communione ſolii Regii omnes illius poſteri paulatim abducti ſint. Joſephus è ſanguine illius & Davidis, *faber exſtitit*. Sententia eſt in Euripide, τέκτων γὰρ ὢν ἔπρασσες οὐ ξυλουργικά, *tractaſti, qui faber eſſes, haut fabrilia*; de Joſepho verè dici poteſt, τέκτων ὢν ἔπρασσε ξυλουργικά.

Fabula de priore illius conjuge.

§. 21. Qui dicunt, Joſephum ante Mariam aliam habuiſse conjugem, & ex illa ſuſcepiſse quatuor filios, imò & filias, qui nuncupentur *fratres Domini* & *ſorores*, Matt. 12: 46. 47. 13: 55. 56. Et admodùm ſenem fuiſse, cum deſponſavit ſibi Mariam, indeque eſſe, quod Maria uterum ex illo haut geſſit, fabulantur certè & putida loquuntur.

§. 22. No-

Nomen Μαριὰμ, quibus datum?

§. 22. Nomen desponsatæ virginis dicitur Μαριὰμ Luc. 1:27. 34. 38. 39. 46. 56. 2: 19. 34. nonnunquam tamen Μαρία. Matth. 1: 16. 18. 2: 11. Marc. 6: 3. Luc. 1: 41. Act. 1: 14. Hoc Græcæ, illud Hebraicæ est terminationis, & ἄκλιτον. Fuerunt & aliæ fœminæ ita dictæ. 1. Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ μήτηρ Matth. 27: 56. Marc. 16: 1. 15: 47. quæ videtur fuisse *soror Matris* Domini Joh. 19: 25. & dicitur ἡ ἄλλη Μαρία. Matth. 27: 61. 28: 1. 2. Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, oriunda è *Magdalis* (Matth. 15: 39.) Matt. 27: 56. 61. 28: 1. Marc. 15: 40. 16: 1. Joh. 19: 25. A qua ejecerat Dominus ἑπτὰ δαιμόνια. Marc. 16: 9. Luc. 8: 2. 3. Maria, soror Lazari, *Bethaniensis*; unde ἡ βηθανία, κώμη Μαρίας dicitur. Joh. 11: 1. 2: 5. 4. Μαρία, ἡ μήτηρ Ἰωάννου, τοῦ ἐπικαλουμένου Μάρκου. Act. 12: 12. 5. *Maria*, Romæ degens; de qua Rom. 16: vers. 6. Ἀσπάσασθε Μαριὰμ, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν εἰς ἡμᾶς.

Quid significet?

§. 23. Nominis significatio alia allegatur ab aliis. Moschopolus περὶ σχεδῶν; Μαρία, ὄνομα Ἑβραϊκὸν; καὶ ἑρμηνεύεται κυρία. *Maria nomen Ebraicum est, & vertitur Domina.* Sed fallitur. Hebræi pronunciant מִרְיָם; id nullatenus *Dominam* significat. Alii ad *Syros* confugiunt. Atqui Syris מרא est *Dominus*, מריא *Domina*; non autem Μαριάμ. Alii dicunt *Mariam* notare *stillam maris*; quia nim. מר *stillam*, & ים *mare* notat. Atqui nomen Hebræum est *Mirjam*; non, *Morjam*. Alii, *Myrrham maris*, quia מר σμύρναν significat; aiunt, *Amarum mare*, quia מר *amarum* notat. Aut, *illuminatrix illorum*, quia אור *Lux* dicitur, & הֵאִיר *lucere fecit*. Alii; *Maria* est *exaltata*, quia רום est *altum esse*. Alii. *Magistra seu Doctrix maris*; quia מוֹרֶה *Doctorem* notat. Sed hæc omnia diluta & incerta sunt. Simili ratione dici posset, Μαριὰμ notare *rebellionem* & inobedientiam: nam מְרִיָם significat *rebellionem illorum*, Nehem. 9: 17. etiam soror Mosis מִרְיָם μαριὰμ nominata fuit. Exod. 15: 20.

Pater Mariæ.

§. 24. Mariæ Pater fuit ἡλὶ *Heli*. Luc. 3: 23. Alii dicunt *Ioachim*: sed extra Scripturam, neque enim *Eli* idem est, quod *Iehojakim*. Jehojakim, Eli, Eliakim distincta sunt nomina. Et unde constat, *proprium* nomen Patris Mariæ fuisse *Heli*, *vulgare*, *Iehojakim*? ut & matrem Mariæ fuisse *Annam*? Ab hoc *Heli* orditur Lucas genealogiam Christi; ut supra monuimus.

Maria è familia fuit Davidis.

§. 25. Ut Josephus *filius* David, ita Maria *filia* David fuit; è tribu, domo, & familia ejus. Quod dicitur Luc. 1: 27. ἐξ οἴκου Δαβὶδ, ex æquo ad Mariam desponsatam referri potest. Christus Filius Mariæ est υἱὸς Δαβὶδ Matt. 1: 1. & Mater illius non sit Filia David; Mater, inquam, quam solam habuit, cum natura Patrem nullum habeat? Paulus dicit, *Manifestum est, quod è Iuda exortus est Dominus.* Hebr. 7: 14. Quomodo è Juda exortus, si Mater ipsius è Juda non fuit? Quomodo *e fructu lumborum Davidis excitatus* Christus τὸ κατὰ σάρκα Act. 2: 30. si Mater Christi è visceribus lumbisque David non exiit? Mariam fuisse æquè ac Josephum *è domo & familia David*, etiam inde apparet, quod unà cum Josepho sistere se debuit *censendam*, *in civitate David*, Luc. 2: 4. 5. si non ad Davidem pertinuisset, in civitate David ἀπογράφεσθαι necessum haut habuisset. Videtur Maria fuisse caput familiæ paternæ, hæres omnium, caruisse fratre. hærede (qualis vocatur in sacris בַּת יֹרֶשֶׁת נַחֲלָה, θυγάτηρ ἀγχιστεύουσα κληρονομίαν; cui, è quacunque tribuum Israël esset, necessitas imposita erat, nubere viro, qui ex eadem tribu esset; eum nimirum in finem, ut *hæreditent filii Israël unusquisque hæreditatem Patrum suorum, & non circumagatur hæreditas à tribu ad tribum aliam.* Num. 36: 7. 8.) ideoque ratione familiæ suæ debuisse se sistere describendam. Neque enim gravida ut erat, videtur tam molestum & difficile iter susceptura fuisse, nisi necessitate & mandato summi Imperatoris con-

stricta parere debuisset. Neque dicere tutum est, uxores omnes debuisse unà cum viris ascendere, ut describerentur: sufficit enim, ut Vir, caput uxoris & familiæ, nomine omnium se sisteret. Neque Josephum noluisse iter facere sine μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικὶ, si enim illa sola profecta est εἰς τὴν ὀρεινὴν, non assumpto sponso Luc. 1:39. cur non ascenderit Joseph solus in Betleem relicta domi sponsa? Sed & hic agnoscatur digitus Dei. In Betleem nasci debuit Immanuel. Mich. 5: 1. Cœlestis providentia ita totum direxit, ut Maria aliunde coacta Betleemum peteret; & insimul voluntati Dei satisfieret. Apage ergo illos, qui dicere non verentur, *Convinci haut posse, Mariam Deiparam ad domum & familiam Davidis pertinuisse, & è tribu Iuda ortam esse. Scripturam expreßis verbis id nullibi pronunciare*, &c. Nam & hic error inde refutatur, quod Lucas stemma genealogicum Christi, qui citra controversiam è Juda & Davide est, per Mariæ Virginis majores contexere haut dubitavit.

Non casu desponsata est Viro.

§. 26. Neque casu factum est, ut Maria, conceptura Messiam, desponsaretur Viro, è domo David, antequam conciperet & pareret. Conjugia in cœlis dicimus componi. Etiam hæc Mariæ cum Josepho desponsatio cœli opus est. Necessum fuit, Deiparam virum non cognoscere; nec tamen ab re fuit, Deiparam viro desponderi. Ita illa habuit solatium custodis, & curam mariti, & auxilium protectoris. Ipse Christus, è desponsata natus, habuit & invenit in ætate tenera tutorem & susceptorem. Nec potuit pro spurio haberi & blasphemari ab improbis, nec matris intemerata virginitas in dubium vocari; cum Josephus matrem Mariam assumeret, & illam ut suam aleret; quod non fecisset, si suspectam illam habuisset. In Maria desponsa sanctificavit Deus & virginitatem & conjugium; noluit Christum nasci ex matrimonio, nec tamen sine matrimonio. Christus non inconjugatorum tantum, sed & conjugatorum frater ac servator est, qui conjugatæ filius factus est. Maria desponsata typus Ecclesiæ exstitit, quæ Virgo est, & tamen desponsata viro est. Ita denique nunc exstant omnis generis nativitates, generationes & ortus. Ortus sine viro & fœmina; Adami. Ortus è viro, sine fœmina; Evæ. Ortus è viro & fœmina: communis omnibus nobis. Ortus è fœmina, sine Viro; Christi. Ortus è fœmina desponsa & assumpta à Viro, nec tamen cognita à viro; qualis rursum Christi est.

Angeli introitus ad Mariam.

§. 27. Angelus missus ad Mariam statim *intravit ad illam*, Luc. 1:28. non rogavit, ubi est, ubi habitat Maria? ut Magi, *ubi est natus Rex?* Matt. 2: 2. non pulsavit τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος, ut Petrus, liberatus è carcere. Act. 12: 13. Nam & scivit, ubi habitaret Maria, luce gratiæ divinæ plenus. Et fores ac januæ, & quicquid fuit obstaculorum sponte cedere debuit *valido potentique viribus*. Psal. 103: 21. Ad voluntatem Angeli catenæ ferreæ deciderunt de manibus Petri. Act. 12:7. Ad voluntatem Angeli devolutus est lapis ponderosus de monumento Christi. Matt. 28: 2. Ad voluntatem fortis hujus Gabrielis, janua domus, ubi sancta Maria habitabat, incunctanter se ipsam aperuit.

Alloquium. χαῖρε.

§. 28. Comi & gratiosa voce virginem allocutus est Angelus. χαῖρε, inquit, Luc. 1:28. non eo id dixit animo, quo proditor Iudas, χαῖρε ῥαββί Matt. 26: 49. Et milites; χαῖρε ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων Matt. 27: 29. sed sancto ore & animo: χαῖρε tantundem est, ac *gaude*. In hac compellandi ratione notat *salvum* seu *prosperum* esse. Prosperitas gaudium parit. *Gaudere* jubet Angelus virginem. *Regnum* enim *Dei* est *gaudium in Spiritu Sancto*, Rom. 14: 17. χαίρετε *semper, rursum dico*, χαίρετε. Phil. 4: vers. 4. Communis est græcis salutandi formula, χαῖρε & χαίρειν. Act. 23: 26. κλαύδιος φήλικι χαίρειν. Christus mulieribus dicebat, χαίρετε Matth. 28: vers. 9. Apostoli Antiochenis scribunt, χαίρειν. Actor. 15: vers. 23. confer Jacob. 1: vers. 1. Falsam doctrinam afferentibus vetamur *dicere*,

χαίρειν.

χαίρειν. 2 Joh. verſ. 10. Adeò Sancta hæc vox eſt, quæ non niſi ſanctis dici debet. Hebræi pro χαῖρε dicunt שָׁלוֹם: Syrus Gabriëlis χαῖρε tranſtulit שלם לכי *Pax tibi*. Ita & Chriſtus, Luc. 24: 36. Εἰρήνη ὑμῖν. Igitur apprecatur Angelus Mariæ gaudium, proſperitatem, pacem, bonum.

§. 29. Χαῖρε, inquit, κεχαριτωμένη. Verbum hoc Græcis inuſitatum eſt autoribus, qui de χάριτι & χαριτώσει θεοῦ nihil olim crediderunt. Activum reperitur, Epheſ. 1: 6. ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς. Paſſivum apud Syrach. cap. 18: 17: οὐκ ἰδοὺ λόγος ὑπὲρ δόμα ἀγαθόν, καὶ ἀμφότερα παρὰ ἀνδρὶ κεχαριτωμένῳ. Derivatur à χάρις, ut τὸ χρυσοῦν à χρυσὸς, & τὸ κηλιδοῦν à κηλὶς. Syrus verit מלית טיבותא; Vulgata, *plena gratia*. Eraſmus, *gratioſa*. Caſtellio, *accepta*. Alii, *gratificata*, ſeu *gratiam conſequuta*. Mens Angeli clara eſt. Docet, χάριν θεοῦ *gratiam Dei* Mariæ *illuxiſſe*, illamque χάριτι θεοῦ *eſſe, quod eſt*. 1 Cor. 15: 10. Salve κεχαριτωμένη, tu, gratiæ divinæ hæres, in quam *gratia* Dei ἐπερίσσευσεν *redundavit*, Rom. cap. 5: verſ. 15. quæ *gratiam inveniſti apud Dominum*, Luc. cap. 1: verſ. 30. quæ *gratia ſalvata es*, Epheſ. cap. 2: verſ. 6. *juſtificata*, Rom. cap. 3: verſ. 24. *vivificata*, 1 Petr. cap. 3: verſ. 7. Tit. cap. 3: verſ. 7. *confirmata*, Hebr. cap. 13: verſ. 9. quæ hac jam jam afficieris gratia, ut fias mater illius, in quo accipitur *gratia, pro gratia*. Joh. cap. 1: verſ. 16. Eant ergo, qui hic de *gratia gratum faciente*, de *gratia inhærente* ſomniant, Mariamque ſtatui putant *fontem, cauſam*, & datricem gratiæ.

κεχαριτωμένη.

§. 30. Pergit. ὁ κύριος μετὰ σοῦ. *Dominus tecum*. Indicat Angelus, Dominum eſſe & fore cum ſua κεχαριτωμένῃ; ab illa non receſſurum; illam non derelicturum, nec deſerturum. Hoc ſolatium eſt Sanctorum, יְהוָה עִמְּךָ *Dominus tecum*. Ita *Gideoni* dicebat *Angelus*. Jud. cap. 6: verſ. 12. *Davidi, Natan*. 2 Sam. cap. 7: verſ. 3. *Dominus* ipſe *Paulo*: Act. 18: verſ. 10. ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ, καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε. confer Eſ. 41: 10. Jerem. 1: verſ. 8. Hag. cap. 1: verſ. 13. Eſt Deus cum omnibus, ratione eſſentiæ & potentiæ infinitæ. Act. 17: 27. 28. Jerem. 23: 23. 24. Pſalm. 139: 6 -- 10. Eſt ſpecialiter cum ſanctis ſuis, ratione favoris, auxilii, benedictionis, amoris, curæ. Eventus docuit, verè dixiſſe Angelum, *Dominus tecum*, nam gravidam tulit Dominus Mariam, & bajulavit. Joſephum, relinquere illam meditantem, retroegit; per manum Magorum munera ad ſuſtentationem adduxit; in fuga in Ægyptum comitatus eſt, ut & in reditu; ſecuram habitationem conceſſit, ubicunque habitaret, ſive in Ægypto, ſive in Judæa, ſive in Galilæa; denique è maximis illam periculis eripuit.

ὁ κύριος μετὰ σοῦ.

§. 31. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, *benedicta tu in mulieribus*, ita & Eliſabet poſtea exclamat. Luc. cap. 1: verſ. 42. Dum vocat *benedictam*, notat, Deum illi *benedixiſſe in omni benedictione*. Epheſ. cap. 1: verſ. 3. Dum benedictam *in mulieribus*, illam in ſpecie innuit benedictionem, quâ venter illius poſtea benedictus eſt, ut in illo conceperit *benedictum fructum*. Luc. cap. 1: verſ. 42. Nulli mulierum hæc benedictio obtigit. Eva putabat ſe in Kaino *acquiſiviſſe Virum Dominum*, Geneſ. cap. 4: 1. & fallebatur. Hæc benedicta in mulieribus concepit & peperit *Virum illum Dominum*, & exſtitit factaque eſt ἡ μήτηρ τοῦ κυρίου, *Mater Domini*. Luc. 1: verſ. 43. Peperit Eva *Setum* quem *ſemen* vocat, nimirum ſanctum ſemen. Geneſ. cap. 4: verſ. 25. Sara *Iſaacum* de quo promiſſum, *in Iſaac vocabitur tibi ſemen*. Geneſ. 21: 11. Hanna *Samuelem*, qui *bonus exſtitit cum Deo & cum hominibus*. 1 Sam. 2: 26. Sed Maria concepit & peperit *Filium*, qui eſt *filius Altiſſimi*, & *Semen promiſſionis* benedictum. Conceperunt illæ è *voluntate carnis & Viri*. Maria concepit è *Spiritu Sancto*. Igitur illa *benedicta in mulieribus*, & præ mulieribus, תְּבֹרַךְ מִנָּשִׁים יָעֵל *benedicatur præ mulieribus Iael, uxor Cheber*; dixit olim Debora. Jud. 5: 24. Id nos nunc potiori ratione

εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν.

 tione

tione de benedicta Maria dicemus. Fuerint mulieres Mariæ pares, aut illâ etiam majores, ratione aliorum donorum; majores robore & fortitudine animi; Maria in hoc certè major est omnibus, & benedicta præ omnibus, quod peperit illum, in quo & ipsa est salvata, & salvantur mulieres & viri, & extra quem salus non est.

Ex alloquio Angeli patet, quanta sit Maria.

§. 32. Ex hac salutatione Angeli apparet, quanta sit Maria; organum electum, filia Dei, gratiâ divinâ perfusa, benedictionum divinarum compos, & ad hanc benedictionem elata, quæ illi priva est & propria, quod Domini genitrix exstitit. Ecclesia Veteris Testamenti, cujus Maria civis fuit, depingitur in figura *mulieris gravidæ*, quæ *parturiens clamavit*, & tandem *peperit* υἱὸν ἄῤῥενα. Apoc. 12: 1-5. Spirituali ratione fuit prægnans Ecclesia Vetus; spe nimirum. Spirituali etiam ratione peperit. Id Maria cum omnibus Sanctis habuit commune, sed hoc præ omnibus sola accepit, quod in utero ipsum concepit Servatorem, & corporaliter illum enisa est, & mammillas sugendas illi præbuit. *Beatus uterus, qui te gessit; & mammilla, quas suxisti.* Luc. 11: 27.

Quæ tamen non facta est Domina nostra; nec à nobis adoranda.

§. 33. Est igitur Maria quidem κεχαριτωμένη & εὐλογημένη, id encomium illi debemus, non autem est, nec facta est *Advocata nostra*, nec *Propitiatorium universæ terræ, Dei & hominum Mediatrix, porta cœli*; imò nec *veneranda est à nobis maximo devotionis affectu*, quod seriora secula introduxerunt. Sit certè in honore Maria, at nemo illam adoret. Deo hoc debetur ministerium. *Et si pulcherrima est Maria, & sancta & honorata; at non ad adorationem.* Peperit illa Dominum nostrum; non tamen ipsa Domina facta est nostra. Post acceptum de nativitate nuncium ipsa se dicit *servam humilem Dei Servatoris.* Luc. 1: 47. 48. Quæ utut beata sit, quod enixa est Altissimum, tamen magis beata est, quod credidit in Altissimum, καὶ μακαρία ἡ πιστεύσασα. Luc. 1: 45. & *audivit sermonem* Altissimi, *& servavit illum.* Luc. 11: 28. Amanda est propter Filium, quæ amata est in Filio; non autem adoranda est cum Filio; *Dominum* enim *Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Matth. 4: 9.

Quomodo Maria sermonem Angeli exceperit.

§. 34. Sed quid ad hæc Maria? *Illa cum vidisset, perturbata est super ejus sermone.* Luc. 1: 29. Quæ præter spem oculis & auribus objiciuntur, aliquo modo perturbare solent. Nil minus forsan cogitavit Maria, quàm illo se momento à tali hospite compellandam. Et sermo illius nimis magna ac ampla promittebat; quæ sortem Mariæ humilem & abjectam longissimè excedebant. Ideo & διελογίζετο *disceptabat secum*, cogitando volvebat & expendebat, (confer Matt. 16: 7. 8.) ποταπὸς εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος, *qualis esset salutatio ista*, quis illius sensus, quæ significatio. Luc. 1: 29.

Angeli continuata ad Mariam oratio. Invenisti gratiam apud Deum.

§. 35. Angelus facile habens hos illius διαλογισμοὺς conjicere, ita pergit. Μὴ φοβοῦ *ne time, Maria.* Luc. 1: 30. ne turbetur cor tuum. *Invenisti enim gratiam apud Deum*, eo minus decet te timere. confer phrasin. Genes. 6: 7. *Et Noah invenit gratiam in oculis Domini.* Heb. 4: 16. ἵνα χάριν εὕρωμεν, ita explicat, quid sit κεχαριτωμένη, nimirum quæ *gratiam invenit apud Deum.* Invenire gratiam apud Deum, nil aliud est, quàm amari à Deo, gratia & favore divino perfundi, esse in gratia apud Deum, habere accessum ad Deum, & thronum gratiæ, quæ quia citra meritum nostrum dantur, & *non ex operibus*; alias enim *gratia non esset gratia*, Rom. 11: 6. dicitur gratia *inveniri.* Invenitur non quæsita, datur non petita. Es. 65: 1.

συλλήψῃ ἐν γαστρί, καὶ τέξῃ υἱόν.

§. 36. Dein ipsum *mysterium* aperit, è cujus revelatione intellectura Virgo erat, cur illam *benedictam in mulieribus dixerit. Ecce*, inquit, *concipies in utero, & paries filium.* Conceptio præcedit, partus sequitur, *& vocabis nomen illius Jesum.* Luc. cap. 1: vers. 31. Quanta gratia! quanta benedictio! Virgo concipit, parit, Filium, Jesum, ne nunc am-

amplius miremur, sterilem Saram, decrepitam Elisabetam concepisse ac peperisse, hic majus miraculum est.

§. 37. De divino hoc fœtu ita porro Angelus. *Hic erit magnus.* Luc. 1:32. Est hoc encomium vere divinum. Deus ipse vocatur אֵל גָּדוֹל *Deus magnus.* Deut. 7:21. כִּי אֵל גָּדוֹל יְהוָה Psalm. 95:3. *Magnus est Dominus, & laudatus valdè,* וְלִגְדֻלָּתוֹ אֵין חֵקֶר *& magnitudinis ejus non est perscrutatio.* Psalm. 145: vers. 3. Est גְּדֹל הָעֵצָה *magnus consilio*, & כֹּחוֹ *potentia ejus magna est*, Jerem. cap. 32: vers. 17. 19. Etiam *nomen* ejus *magnum* est. Mal. cap. 1: vers. 11. Magnus est Deus, ratione *essentiæ*, quam cæli cælorum non capiunt, *potentiæ*, quâ omnia sunt possibilia illi, *sufficientiæ*, quâ nil illi deest, & habet, ut largiter queat dare omnibus, *sapientiæ*, quâ omnia facit benè, & ordinat decenter. *Sanctitatis*, quâ amat bonum & veritatem, & mentiri, peccare, ac se ipsum abnegare non potest. Hic Filius Mariæ, nascendus, quatenus est Deus, est etiam *magnus Deus*, Tit. 2:13. Nunc autem Angelus dicit, ἔσται μέγας *erit magnus*, quod naturâ est, & semper, id *erit*. Ita & Filius est Dei, & Deus Pater illius, naturâ, & ante secula omnia, nil minus tamen dicitur, *ego ero illi in p .trem, & ille* ἔσται *erit mihi in Filium*. Heb. 1:5. *Erit* magnus, hoc est, magnitudo illius reipsa & opere ipso patefiet & demonstrabitur, ut *omnis lingua* confiteatur, quod *Magnus* est Filius datus, puer natus nobis. Etiam de Baptista dictum erit. *Erit magnus coram Domino.* Luc. 1: 15. servus *magnus* exstitit, quanto magis Dominus. Servus exstitit magnus, magnitudine servi. Dominus exstitit magnus, magnitudine Domini. Deus hic magnus, caro factus, homo natus, omninò debuit esse *magnus* homo, quàmvis ad tempus *parvus* apparuit, humilis & spretus, unde & dicitur ὁ μικρότερος *minimus in regno calorum*, Matt. 11: vers. 11. *minor factus pra Diis*, hoc est, Angelis, Psalm. 8:6. Hebr. 2:7. tamen in ipsa parvitate *magnus* fuit, *major magno Iohanne* Baptista Matt. 11:11. in ipsa humilitate altus, & in ipsa ignominia gloriosus, *vidimus* enim *gloriam illius*. Joh. 1:14. *Dies* illius fuit יוֹם הַגָּדוֹל וְהַנּוֹרָא *magnus & terribilis*, Mal. 4: vers. 6. μεγάλη καὶ ἐπιφανής. Actor. 2: 20. *Gaudium*, quod peperit, est χαρὰ μεγάλη, Luc. 2: vers. 10. *Lux*, quam lucere fecit, est φῶς μέγα, Matt. 4: vers. 16. *fides*, quam dat, auget, servat, est πίστις μεγάλη. Matt. 15: vers. 28. *Opera* illius sunt opera *magna* & maxima. Marc. 7: vers. 37. Matt. 11: 5. הִגְדִּיל יְהוָה לַעֲשׂוֹת עִמָּנוּ הָיִינוּ שְׂמֵחִים *magnificavit Dominus facere nobiscum, exstitimus hilares.* Psalm. 126: ℣. 3. Hinc dixit populus, προφήτης μέγας ἐγήγερται ἐν ἡμῖν. Luc. 7: 16. *Verba*, quæ locutus est, sunt *magna* verba, *Verba Dei.* Ioh. 3: vers. 34. Et ut *Dominum & Christum illum Deus fecit*, Actor. cap. 2: vers. 36. ita & *magnum* illum fecit. *posuit majestatem ejus supra calos*, Psalm. 8: vers. 2. collocavit illum *in dextra magnitudinis in sublimibus.* Hebr. cap. 1: vers. 3. *Altior calis factus est.* Hebr. cap. 7: 26. *exaltavit illum supra omnem modum, & dedit illi nomen super omne nomen.* Phil. cap. 2: vers. 10. 11. Adeoque nunc *habemus* ἱερέα μέγαν ἐπὶ τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ. Hebr. cap. 10: vers. 21. imò ἀρχιερέα μέγαν, Hebr. cap. 4: vers. 14. & ποιμένα τῶν προβάτων τὸν μέγαν. Hebr. cap. 13: vers. 20. Imò ita verè & potenter μέγας *magnus* exstitit, ut omne, quod in mundo *magnum* fuit; coram illo ceciderit, ὁ δράκων ὁ μέγας ἐβλήθη εἰς γῆν. Apoc. cap. 19: vers. 9! ἡ μεγάλη θεά, ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων, ἣν ὅλη ἡ Ἀσία καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται, & quicquid numinum cœca olim gentilitas magni fecit, occidit. Actor. cap. 19: vers. 27. 28. 34. 35. βαβυλὼν ἡ μεγάλη, ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ἡ πόλις ἡ ἰσχυρά, ἐν μιᾷ ὥρᾳ *collapsa est.* Apoc. cap. 18: vers. 2. 10. Igitur *magnus* exstitit Jesus, & faciens *mirabilia.* Psalm. 86: 10. *Rex magnus super omnes Deos.* Psalm. 95:3.

§. 38. Pergit Angelus. *Et Filius Altissimi vocabitur.* Luc. 1: 32. Erit Filius Virginis, quatenus è te nascetur, sed & Filius Altissimi vocabitur. Ita idem est Filius Dei, & fiet Filius

Οὗτος ἔσται μέγας.

καὶ υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται.

homi-

hominis. Filius *Altißimi*, ὑψίστου. (Dei hic titulus est, est ὁ ὕψιστος, Actor. 7: vers. 48. 16: 17. עֶלְיוֹן Psalm. 9: 3. Genes. 14: 18. Psalm. 97: 9. *Tu Domine* עֶלְיוֹן עַל־כָּל־הָאָרֶץ *celsißimus es in tota terra*) est Filius natus è Virgine. *Filius meus tu.* Psalm. 2: 7. Hebr. 1: 5. hinc junguntur hæc duo יֶלֶד *puer natus*, & בֵּן *Filius datus.* Es. 9: 5. Igitur, quod est φύσει *naturâ*, id κληθήσεται *vocabitur*, publico præconio, & communi omnium voce pronunciabitur, declarabitur, nec ullus erit qui id diffiteri possit, & ausit. Ita à *Deo* ipso vocatus est, voce è cælo delata. *Tu es Filius meus dilectus.* Luc. cap. 3: vers. 22. 9: 35. Ita vocatus est à *suis*, à *Baptista.* Joh. cap. 1: vers. 34. *Ego testatus sum, quod hic est Filius Dei*, à Natanaele. Joh. cap. 1: vers. 50. *Rabbi, tu es Filius Dei*, à Petro. Matt. 16: 16. *Tu es Filius Dei vivi*; confer Joh. 6: 9. ab Eunucho. Actor. 8: 37. *Credo, Filium Dei esse Jesum*; imò ab ipsis *Spiritibus immundis.* Marc. 5: v. 7. *quid mihi tecum, Jesu, Fili Dei Altißimi?* confer Luc. 8: 28. & ab ipso *Diabolo.* Matt. 4: 6. *Si Filius Dei es, dejice te ipsum.* Christus denique idem de se testatus est; tum sæpius, tum insigniter coram Pontifice summo; cui dicenti, *adjuro te, ut dicas nobis, num tu es Christus, Filius Dei*, respondit, σὺ εἶπας. Matth. 26: 63. Sique & *opera* Christi *de illo testantur*, Joh. 5: vers. 36. utique & ab illis vocatus, & per illa declaratus est *Filius Altißimi. Opera, quæ ego facio, testantur de me, quod Pater misit me.* Joh. cap. 5: vers. 36. *E resurrectione mortuorum definitus est Filius Dei, in potentia, secundùm Spiritum Sanctitatis.* Rom. cap. 1: 4. Itaque ut sæpe vocatus est *filius David*, quia natus erat è Filia David, Matt. cap. 9: vers. 27. ἐλέησον ἡμᾶς υἱὲ Δαβίδ confer Matt. cap. 20: vers. 30. cap. 21: vers. 9. ita sæpissimè etiam vocatus est, & deprædicatus, ac demonstratus *Filius Dei*, sine matre, *hodie genitus à Deo* Patre. Nec tantùm; ut & id moneamus, sed & *vocatum est nomen ejus, mirabilis, Consiliarius, Deus potens*, Heros, Pater æternitatis, Princeps pacis. Es. 9: 5. *Et hoc nomen ejus, quo vocabit illum* quivis, *Iehovah justitia nostra.* Jerem. 23: 6.

καὶ δώσει αὐτῷ κύριος τὸν θρόνον Δαυίδ.

§. 39. Addit Angelus, *Et dabit ipsi Dominus Deus thronum Davidis Patris ipsius.* Luc. cap. 1: vers. 32. David Rex, singulari Dei gratia in regnum elatus (Psalm. 89: vers. 20. 21. *Extuli juvenem è populo, inveni Davidem servum meum, oleo sanctitatis meo unxi illum*) dicitur *Pater* ejus, quem Maria peperit; quique *Filius Altißimi* vocatur; cujus etiam dicitur υἱός. Matt. cap. 1: vers. 1. Et rectè quidem, *nam è fructu lumbi Davidis, quantum ad carnem, excitatus est.* Actor. cap. 2: vers. 30. *est natus è semine David* κατὰ σάρκα, Rom. cap. 1: vers. 3. *& exivit è Davidis visceribus*, 2 Sam. cap. 7: vers. 12. & *exstitit è filiis ejus*, hoc est, posteris, 1 Chron. cap. 17: vers. 11 *ortus è Iuda*, Hebr. cap. 7: vers. 14. ad quam φυλὴν pertinebat David. Nec tantùm carnali hâc ratione Pater illius est David; sed etiam Spirituali modo, virtute nimirum *promissionis*, quæ, ut Abraamo, ita & Davidi, de Semine hoc benedicto *dicta est*; & *fidei*, quâ promissioni credidit, illamque acceptavit & ratam fecit.

§. 40. David Pater tenuit θρόνον, regnum & imperium. Solus toti imperavit Israëli Regnum hoc reliquit Salomoni filio, quô mortuo illud divisum est, & pars tantum remansit Rehabeamo; quæ & ipsa tandem à Babyloniis ablata & exstirpata est. Jechonias, Regum ultimus, in manus se conjecit Victoris. *Ab illius semine*, hoc est, posteris, *non prosperatus est vir sedens super solio Davidis, & imperans adhuc in Iuda.* Jerem. 22: vers. 30. Post captivitatem Babel *Zorobabel*, nepos Jechoniæ, fuit *præses Iudæ*, non Rex Hag 2: vers. 2. Imò posteri ejus paulatim ad infimam delapsi sunt conditionem, ita Joseph fuit τέκτων; Maria *serva humillima*, Fabro desponsata.

§. 41. *Thronus* Davidis promittitur Filio è virgine nascendo, sed non thronus terrestris, mundanus

danus & visibilis, id quod docuit eventus, & ipse testimonio suo approbavit, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Agnoscit *regnum*, sibi datum, de quo confer Luc. cap. 22: vers. 29. sed non ἐντεῦθεν. Joh. 18: 36. Ideo &, cum populus illum vellet *facere Regem*, *secessit* Joh. 6: 15. Diabolum, offerentem ipsi τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου, sprevit. Matth. 4: 8. & vitam in terris egit alienissimam à splendore majestatis terrenæ, & à pompa mundana. Venit *Zioni Rex*, sed *pauper*, & *equitans in Asino.* Zach. 9: 9.

§. 42. Igitur cogitandum, qua ratione *datus* illi sit *thronus Davidis.* David Pater non fuit tantùm Rex mundanus & politicus, gladio cinctus carnali, sed & fuit *Propheta*, Act. 2: 30. *suavis in cantilenis Israël*, 2 Sam. 23: 1. ingens Doctor, columna, lumen, qui fide, sanctitate, donisque spiritualibus omni populo præluxit, & in his dotibus ducatum quasi gessit. Ita Spiritualis illorum fuit Rex; spiritualis Doctor, & regnum in sanctos habuit spirituale. Legem cœlestem illis promulgavit; vias Dei illos docuit, contra spirituales hostes spiritualia arma suppeditavit.

§. 43. Thronus Davidis, qui Filio Davidis, Immanueli, datur, est thronus hic spiritualis. Spirituale Davidis regnum obtinuit, in spiritualem sanctumque populum regnum adeptus est; cui declaratus est Rex, Dominus, Lux, Redemptor, Assertor, Salvator. Ita hunc *thronum* conscendit Patris sui David, ut demonstratus sit *Dominus* Patris sui. Psal. 110: 1. Davidque cum omnibus sanctis sint servi, subjecti τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου; quæ maxima illorum libertas, gloria, & prærogativa est. Tenuit David thronum hunc; sed infinitè gloriosius tenet illum Filius David. Tenuit David in infirmitate; hic in potentia. Tenuit David, & agnovit superiorem; hic ipse est superior ille, quo nullus superior; thronusque, in quo sedet, est verè ὁ θρόνος τῆς χάριτος.

§. 44. Deinde & ita dici potest. Quem thronum Pater David tenuit, eundem Filius Messias occupavit; nam & Hierosolyma, regia Davidis sedes fuit כִּסֵּא יְהוָה *solium Domini*, Jer. 3: 17. illam *mediam pede suo perambulavit*, *illius filios voluit*, quæsivit ἐπισυναγαγεῖν. Matt. 23: 37. *In Sion monte unctus est Rex* Psal. 2: 6. *E Sion prodiit Lex ipsius.* Es. 2: 3. Et ad idem *templum venit* Mal. 3: 3. eandemque *domum gloria implevit*, Hag. 2: 7. *in qua sedere omnibus diebus vitæ*, Pater David, tanto ardore *à Domino petierat*, Psalm. 27: 4. Porro, in quem populum parens David, in eundem Filius exercet Regnum; in Israëlitas; *in domum Iacob* Luc. 1: 33. & est verè βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. Matt. 2: 2. Subest tamen differentia. Quem thronum David tenuit carnaliter, hic merè tenet spiritualiter. Hierosolymam terrestrem *reliquit.* ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος, Matth. 23: 38. & cum cœlesti ac libera commutavit, quæ proinde nunc *est* μήτηρ πάντων ἡμῶν. Gal. 4: 26. Montem Zion visibilem & palpabilem deseruit; impalpabilem autem, invisibilem & incorruptibilem occupavit. προσεληλύθατε σιὼν ὄρει, καὶ πόλει θεοῦ ζῶντος. Hebr. 12: 22. In quem populum David mundanum dominatus est in morem; in illum hic regnat spiritualem & cœlestem in morem; estque certè Rex *Israël*, sed τοῦ Ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ, Gal. 6: 16. & *Iudæorum*; sed eorum, qui sunt ἐν τῷ κρυπτῷ, ἐν πνεύματι, Rom. 2: 28. 29. quorum πολίτευμα, non in terra, ut olim erat Canaan, sed ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει Phil. 3: 20. quique *accesserunt* Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ. Hebr. 12: 22. Davidis thronus terminabatur intra Israëlem, plurimas enim gentes non habuit sibi subjectas. Messiæ thronus patet quia cœlum; *hæreditas illius* sunt *gentes*; *possessio*, *fines terræ.* Psal. 2: 8.

§. 45. Hunc thronum dedit illi κύριος ὁ θεός. *Pete à me*, *& dabo*, Psal. 2: 8. *posuit illum heredem omnium.* Hebr. 1: 2. *disposuit illi Regnum*, & *testamento legavit*, Luc. 2: 29. *fecit illum Dominum & Christum* Act. 2: 36. confer Psal. 2: 6. *Et ego unxi Regem meum.*

§. 46. Dicit Angelus, δώσει *dabit*; de futuro loquens; nam quamvis Filius Messias thronum & regnum in omnes sanctos ab initio habeat & semper; tamen homo natus, publicè unctus ac declaratus Rex est: unde & tunc *Regnum cœlorum venisse* dicitur. Datus est tunc illi *thronus*: nam exuit ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, & ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ. Col. 2:15. *Excidit currum ab Ephraim, & equum à Ierusalem, excisus est arcus belli, & locutus est pacem gentibus.* Zach. 9:10.

Καὶ βασιλεύσει. §. 47. Eorum, qui in thronis sedent, est regnare. Ideo docet Angelus, καὶ βασιλεύσει *& regnabit.* Luc. 1:33. Regnantium est, leges dare, tueri, felicem facere populum, punire rebelles, domare hostes, accipere tributa. Omnia hæc munia excellentissimè peragit ὁ καθήμενος *sedens in solio David.* Ad *legem* ejus *præstolantur Insulæ.* Es. 42:4. confer Jerem. 31:33. *Dabo legem meam in medio illorum.* Tuetur suos, protegit & defendit. *Ne time Abraam. Ego clipeus tuus.* Genes. 15:1. *Ero illi, inquit Dominus, murus igneus undiquaque.* Zach. 2:5. confer Rom. 8:31. *Benedicit* illis, *omni benedictione* Ephes. 1:3. ut *non destituantur* ulla re. Psal. 23:1. *Percellit in æstu hostes, ut vas figuli frangit illos.* Psal. 2:5.9. Accipit à suis: & dat suis. Totos illos cupit, & totum illis relinquit; quo magis dant, eo magis habent: nam & quod dant, ab illo acceperunt; & quod acceperunt, cottidie per illius gratiam augent.

Ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακώβ. §. 48. Regnabit *in domum Iacob*, inquit. Domus Jacob sunt subditi hujus Regis. Sed ut *non omnes ex Israël sunt Israël* Rom. 9: vers. 6. ita non omnes è domo Jacob, sunt hæc domus Jacob. Illi qui obediunt Puero nato hujus domus membra sunt. Igitur & *populi*, qui obedientiam *Siloni* exhibuerunt, Genes. 49: vers. 10. ad hanc domum Jacob pertinent; nimirum omnes illi, *multique populi*, qui *dixerunt, Ascendamus ad montem Domini, ad domum Dei Iacob* Es. 2:3. quique se mutuò adhortantur, dicentes: *Domus Iacob, ite, & eamus in luce Domini.* Es. 2:5. Non igitur regnat carnali domui Jacob, imò ab illa rejectus est; dixit enim, *non habemus Regem, nisi Cæsarem*, Ioh. 19:15. sed spirituali; ad quam, ut dictum, pertinent non illi tantùm, qui è Iacobo sunt, etiam quoad carnem; sed & qui è gentibus sunt, & familiis terræ. Ut enim è *lapidibus excitavit Abraamo Dominus filios* Matt. 3:9, ita & *domui Iacob* cives ac incolas. Adeò regnum hoc universale est, & lata habet pomœria, & est *ex omni tribu, & lingua, & populo, & gente*, Apoc. 5:11. secundùm prophetiam, *Et dominari ejus à mari ad mare, & à fluvio ad fines usque terræ.* Zach. 9:10.

Εἰς τοὺς αἰῶνας. §. 49. Regnabit, inquit, super domum Iacob, *in seculum, & Regni illius non erit finis.* Luc. 1:33. Ergo erit regnum permanens in omnia secula. Florentissima hujus mundi regna non manent, sed perpetuæ obnoxia sunt mutationi; incipiunt, desinunt; crescunt, decrescunt. Hoc autem regnum, quod tenet υἱὸς ὑψίστου, omnia videt interire, imò & facit interire (Dan. 2:44. תַּדִּק וְתָסֵף כָּל־ אִלֵּין מַלְכְוָתָא) nec unquam interit. Non enim est de hoc mundo. Ergo nec præterit cum hoc mundo. Imò cum mundus non erit, hoc regnum erit; & gloriosius erit, quàm unquam fuit; nam nunc *regnat Gratia per justitiam in vitam* æternam, Rom. 5:21. tunc autem regnabit cum gratia per justitiam *Gloria* in vita æterna.

Angelus conformiter dixit Prophetiis. §. 50. Et hæc quidem omnia locutus est Angelus conformiter Mosi & Prophetis; qui sæpissimè vaticinati sunt de *throno* Davidis, qui *datur* Filio ipsius & Altissimi, Psal. 132:11. *Juravit Dominus Davidi, Veritatem, non redibit ab illa. A fructu ventris tui ponam in solio Tibi.* 2 Sam. 7:11.12. *Excitabo semen tuum, post te, & stabiliam thronum regni ejus*, confer Es. 9:5. imò & de *æternitate throni*; Psal. 89:30. *Et ponam in seculum semen ejus, & thronum ejus* כִּימֵי שָׁמָיִם *ut dies cœli.* ℣. 37. *Thronus ejus, ut Sol, coram me, ut*

Luna

Luna יִכּוֹן לְעוֹלָם *stabilietur in seculum.* Dan. 2:44. *Regnum, quod in seculum non corrumpitur, & populo alteri non relinquetur, & stabit in secula,* confer Dan. 7: 14. *imperium ejus, imperium seculi, quod non mutabitur:* imò & quod *regnaturus esset.* Zach. 6: 13. *Et ille accipiet majestatem, & sedebit,* וּמָשַׁל עַל כִּסְאוֹ *& regnabit in solio suo.* Ierem. 23:5. *Excitabo Davidi Germen justum, & regnabit Rex.* confer Ierem. 33:15. 16. 17. 21. Imò &, quia *Vir sedens* in seculum *super throno domus Israël,* est Davidis *Filius,* & David *Pater* ipsius, ideo & ipsum nomine Patris nonnunquam insigniunt. Ier. 30: 9. *Servient Domino Deo suo, & Davidi Regi suo, quem excitabo illis.* confer Ezech. 34: 23. 24. 37: vers. 24. Hos. 3: vers. 5. *Quarent Iehovam Deum suum,* וְאֵת דָּוִד מַלְכָּם *& Davidem Regem suum.*

Et illustre de Christo testimonium tulit.

§. 51. Eximius hic sermo Angeli illustre exhibet testimonium 1. Divinitatis. 2. Humanitatis. 3. Operum & gloriarum Domini nostri. Dum dicit, *Filius Altissimi vocabitur,* Deitatem illius docet. Dum dicit, *in ventre* virginis illum *concipiendum, enitendum, Patrem* illius fore *Davidem,* assumptam illius humanitatem. Dum dicit, *nomen illius* fore *Iesum,* officium illius, quod est *servare populum à peccatis.* Dum addit, *magnum* illum fore, opera ab illo edenda subinnuit. Dum denique ait, illum *thronum* habiturum, *regnaturum, regni* ipsius *non fore finem,* æternas illius glorias, victorias, triumphos clare deprædicat.

Quæstio Mariæ.

§. 52. Hucusque audivit loquentem Angelum, nunc & ipsa incipit loqui; πῶς ἔσαι τοῦτο, *quomodo erit hoc?* inquit; ἐπεὶ ἄνδρα ὀ γινώσκω. Luc. 1: 34. Dixerat Angelus, illam concepturam, & gravidam futuram & in mundum edituram *Magnum* illum, *Filium Altissimi.* Quanta nova! *Filius Dei,* æternus & immensus Spiritus, nascetur. *Virgo,* concipiet & pariet. Non rogat Virgo, ac si dubitaret, aut incredula esset; neque ridet, ut olim *Abraam* Genes. 17: 17. & *Sarah* Genes. 18: 12. 15. sed rogat perculsa magnitudine rei, petens erudiri, instructionem sancta subjectione acceptura, ut & dixit paulò pòst, *Ecce serva Domini, Fiat mihi* &c. Luc. 1: vers. 38.

§. 53. Extabant Promissiones. *Semen mulieris contriturum caput serpentis. Siloh venturum. Deum excitaturum Prophetam, instar Mosis. Virginem concepturam Immanuel. Filium nobis datum, natum iri. Fœminam circumdaturam Virum.* Gen. 3: 15. 49: 10. Deut. 18: 18. Es. 7: 14. 9: 5. Ierem. 31: 22. Certè Maria fidelis illas haut ignoravit promissiones, illis fidem habuit, & unà cum aliis Sanctis implementum illarum, & παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ, & λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλὴμ, sine dubio præstolata est. Quamvis igitur diu sciverit; Messiam, Dei Filium, nascendum, & è Virgine quidem; tamen se à Deo ad id electam, vocatam, descriptam, nominatam, id hactenus non audiverat; nec ex Scripturis Propheticis didicerat. Itaque ubi Angelus nunc ad illam, insperatò, accedit, & hunc nuncium affert, non potuit non moveri, & admiratione impleri, & reverenter rogare, quomodo res tam admiranda futura esset. Certè cum ipsa Scriptura rem hanc אוֹת *signum* Es. 7: 14. & חֲדָשָׁה בָּאָרֶץ *novum in terra* Ierem. 31: 22. appellet, sine dubio sancta hæc & illuminata jam antea sæpius secum de magno hoc cogitaverat mysterio. Ideo nunc eo magis festinat, ut ab Angelo, nuncio hujus rei, erudiatur.

§. 54. Non quærit Maria, quod quærere congruè potuisset, qua ratione futurum sit, ut Deus fiat creatura; Spiritus æternus, Caro, &c. Id quod se proximè tangit, de eo quæstionem movet. *Quomodo erit hoc,* inquit, ut concipiam ego & pariam, *quandoquidem Virum non cognosco.* Est in sacris usitata loquendi formula, *Virum cognoscere fœminam.* Genes. 4: vers. 1. *Et Adam cognovit uxorem suam.* Item, *Fœminam cognoscere Virum.*

Genes.

Genes. 19: vers. 8. dicit Lot. *Ecce mihi duæ Filiæ*, אֲשֶׁר לֹא יָדְעוּ אִישׁ *quæ non cognoverunt Virum*. Idem dicitur de *Filia Iephte* Jud. 11: vers. 39. & Jud. 21: vers. 12. dicuntur inventæ in Jabes Gilead *quadringentæ puellæ virgines, quæ non noverant Virum*; & additur, לְמִשְׁכַּב זָכָר *ad concubitum Viri*. Eadem mens Mariæ, *Virum non cognosco*; licet desponsata sim Viro Joseph, tamen nondum illi sum tradita, nec illius passa sum συνουσιασμόν.

§. 55. Maria audita voce Angeli, συλλήψη ἐν γαστρὶ, conjecit, se ab illo momento concepturam. Ideo sine mora rogat, *quomodo fiet hoc, siquidem non cognosco virum*; & ut nec decet me Virum cognoscere, ad tantam gratiam, ita nec tempus relinquitur, ut cognoscere possim; dicis enim, συλλήψη *concipies*; illicò concipies, verbum meum hoc ipso momento in te incipiet impleri. Maria certè non dubitavit, virginem enisuram Immanuel; imò nec, se ipsam nunc ad id vocatam: sed quia id erat planè novum, scire sanctè cupit, quomodo Deus miraculum hoc effecturus sit: neque enim majus est, hominem creari è pulvere, ut *Adam*; aut è costa Viri, ut *Eva*, quàm virginem castam & integram uterum ferre & parere; qua in re non est accusanda Mariæ illicita curiositas, quæ potius in verbo Angeli debuisset acquiescere, sed laudanda potius sincera & innocens illius cupiditas, qua de opere & miraculo Dei sanctè erudiri petiit.

Sententia Pontificiorum.

§. 56. Quidam Romanæ Ecclesiæ Doctorum hæc Mariæ verba, *Quomodo erit hoc* &c. ita παραφράζουσι. *Non soleo cognoscere virum, nec possum, & quidem non natura, aut lege prohibente, sed voto*: ita Maldonatus. *Quamvis desponsata sim, deliberavi tamen apud me, nullius viri copulæ adhærere*: ita Johannes Gagnæus, Parisiensis. Dicuntur nonnulli veterum, inter quos *Gregorius Nyssenus*, *ita* statuisse; quinimo & Augustini citantur verba, è libro de sancta virginitate, cap. 4. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset*. Sed si tale *virginitatis* votum fecit Maria, vel id fecit ante desponsationem, vel post illam. Si *ante*, cur ergo voluit desponsari? cur viro tradi? annon gnara fuit, uxorem carnis suæ potestatem non habere? cum in finem conjugium institutum, ut duo sint in unam carnem? annon decuisset solam illam manere, ut sanctius, & citra discrimen ac periculum, votum virginitatis solveret? Si *post*. non potuit id sine consensu viri; cui certè imposuit, si ejus consensum hanc in rem non impetravit. Nam quod Maldonatus affert, *Non lusit virum; cui, declarato voto, consentientique in illius observationem nupsit*, extra Scripturam fingitur. Proteuangelium, quod illum in finem adducunt, fabula est. Concludamus verbis sanctissimi nostri *Calvini*, in Harmonia Euangelica; *Perfidè passa fuisset, se marito collocari; sanctumque conjugii fœdus non sine Dei ludibrio sprevisset*.

Responsio Angeli. Spiritus S. superveniet super te.

§. 57. Angelus Mariæ ita respondit. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, *Spiritus Sanctus superveniet super te*. Luc. 1:35. ὅλον τὸ θεῖον, sive, ut ita loquar, *tota Deitas* est πνεῦμα. *Pater*. Ioh. 4:24. πνεῦμα ὁ θεός. *Sermo*, 1 Cor 15:45. dicitur *Spiritus vivificans*. Hebr. 9:14. *Spiritus æternus*. *Tertia* etiam *Persona* est Spiritus. Sed ut personale nomen primæ ὑποστάσεως est *Pater*, secundæ *Filius*, ita tertiæ πνεῦμα *Spiritus*, 1 Ioh. 5: vers. 7. adeoque tertia non tantùm est *Spiritus*, ratione φύσεως *naturæ*, sed & dicitur πνεῦμα, ratione ὑποστάσεως *personæ*, quo nomine à duabus primis personis τῆς θεότητος distinguitur. 1 Tim. 4: vers. 1. Matt. 3:16. Actor. 5:3. 2 Cor. 3:17. Ephes. 4:30. Actor. 19: vers. 2. Et nominis ratio hæc est. Spiritus seu venti (nam & *ventus* Græcis dicitur πνεῦμα) est *flare*, ac alicunde *venire* & exire, licet nescias, πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει Ioh. 3:8. Ideo tertia Persona dicitur πνεῦμα, communi cum vento appellatione, quia illius est *exire*, *egredi*, à Patre &

Filio;

Filio; & ab illis quasi efflatur. confer Joh. 20:22. ἐνεφύσησε, καὶ λέγει, λάβετε πνεῦμα ἅγιον. Imò & quia πνεῖ ὅπου θέλει. Joh. 3:8. Sed cautè balbutiendum est de mysterio, quod ὑπερέχει πάντα νοῦν. Phil. 4:7.

§. 58. Possunt verba Angeli commodè accipi de tertia Deitatis persona, quæ certè πνεῦμα est, & πνεῦμα ἅγιον, eritque tunc hæc illius mens; *Spiritus Sanctus*, hoc est, tertia persona S. Triados, *superveniet super te.* Spiritus Dei est ubique, infinitæ ratione essentiæ, Psalm. 139:7. tamen dicitur *descendere*, Matt. 3: 16. *mitti.* Joh. 15:26. *effundi* Actor. 2: vers. 33. *venire* Joh. 15:26. 16:7. imò & *supervenire*, ut hîc, & Act. 1:8. habito nimirum respectu operum, quæ in Ecclesia edit, & ἐνεργειῶν, quas operatur. Omnes Sancti *habent* Spiritum Dei, Rom. 8:9. per illum Sancti sunt: illo *aguntur*, Rom. 8:v. 14. in illis *habitat*, Rom. 8:11. 1 Cor. 3:16. *Corpora* illorum sunt *templum illius*, 1 Cor. 6: 19. in *corda* illorum *emittitur* Galat. 4:6. & *in illis datur, ut pignus.* 2 Cor. 1:22. Igitur & Maria Sancta illius fuit particeps, & Spiritus hic Sanctus jamdudum in illa fuit. Nunc autem nunciat Angelus, fore, ut ἐπελεύσηται ἐφ' αὐτήν, *superveniat super illam*, eo nimirum fine, ut, quemadmodum dixerat, *concipiat illa in ventre, & pariat.*

§. 59. Hoc *supervenire* est intelligendum ἀξιοπρεπῶς, & ut decet majestatem ac sanctitatem æterni & Omnipotentis Spiritûs, non in visibili forma supervenit super illam, ut deinde *descendit super Iesum ὡσεὶ περιστερά.* Matt. cap. 3: vers. 16. σωματικῷ εἴδει Luc. 3:22. Neque ita supervenit, ut Abraam dicitur *venisse ad Hagar*, וַיָּבֹא אֶל־הָגָר וַתַּהַר Genes. 16: vers. 4. & Jacob ad *Bilhah.* Genes. cap. 30:4. Sed ut dicitur *incubuisse super facies aquarum*, Genes. cap. 1: vers. 2. quatenus per suam omnipotentiam illas motu implevit, & belluas, ac pisces, & quicquid in illis produxit, & ut in Festo Pentecostes dicitur *supervenisse*, imo & *supercecidisse* super Apostolos, Actor. 1:8. 10: vers. 44. quatenus illos fecit λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, Actor. cap. 2: vers. 4. ita & hic, *superveniet super te*, notabit, insignem illum omnipotentiæ effectum, quem in Maria editurus erat. *Superveniet super te*, in utero tuo, è substantia tua exstruet, aptabitque corpus & σκήνωμα, in quo habitet Filius Altissimi, nascendus à te. *Superveniet*; ut fœcundum faciat uterum tuum per potentiam suam, ut formet omnia ossa pueri nascendi, ut cute & carne illa tegat, ut animam illius humanam cum corpore uniat; adeoque faciat in te & ex te oriri promissum *semen.* Qui dicunt, Spiritum Sanctum *loco virilis seminis supervenisse & illapsum in Mariam*, nimis carnaliter loquuntur. *Spiritus Omnipotentis fecit nos* omnes, sed peculiari ratione fecit corpus *Benedicti* in utero Matris. Nos fecit, mediante generatione: semen benedictum, sine generatione. Id quod in Maria ad generationem aptum erat, adhibuit. Id quod illi deerat, per potentiam suam addidit, ut nec defectum ullum sancta genitrix senserit; nec defectu ejus, quod viri addunt, sanctissimi fœtus incrementum impeditum fuerit. Non tamen dicendum est, Spiritum Sanctum *genuisse* Filium Mariæ; nedum è substantia sua divina produxisse; ut multi blasphemant, nam tunc Spiritus S. esset Pater Christi, qui quà homo ἀπάτωρ est, & humana Christi natura esset divina essentia; aut essentia divina, quæ immutabilis, in humanam naturam mutata esset, qualia referre mens horret. Ex hoc *superventu* Spiritus Sancti super Mariam, est, quod Maria dicitur *habuisse in utero è Spiritu S.* quodque *in illa natum est*, fuisse *è Spiritu S.* Matt. 1:18. 20. id quod symbolica & ecclesiastica phrasi dicitur, *conceptus è Spiritu Sancto.*

§. 60. Pergit. καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. *Et virtus* seu *potentia Altissimi obumbrabit te.* Luc. 1:35. Sanctum, quod nascitur, est Filius Altissimi. Spiritus S. è quo conceptus est, est *potentia* Altissimi, est πνεῦμα παντοδύναμον. confer Luc. 24:49. ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους. Et virtus Altissimi obumbrabit te.

K confer

confer Act. 1:8. 10:38. Rom. 15:19. ἐν δυνάμει πνεύματος θεοῦ. Igitur Spiritus S. Altissimi Dei Potentia *obumbravit*, super quam venit, Deiparam.

§. 61. Verbum ἐπισκιάζειν significat *umbram* facere, *umbra* tegere, ac occultare. Matt. 17:5. νεφέλη ἐπεσκίασεν αὐτούς. confer Luc. 9: vers. 34. Actor. cap. 5: vers. 15. *Obumbrare* Latinis sæpe est *defendere*. Virgil. *Et magnum Reginæ nomen obumbrat*; Servius, *subaudi, Turnum, tuetur, defendit, & est translatio ab arboribus*. Umbra tegit, recreat, refocillat. *Umbra* super capite Jonæ, *exhilaravit* illum & *eripuit* ‏פְּרָצֵהוּ‎ Jon. 4: vers. 6. 8. Deus dicitur ‏צֵל מֵחֹרֶב‎ *umbra ab æstu*. Es. 25: vers. 4. *In umbra illius vivemus inter gentes*. Thren. 4:20. adde Dan. 4: ℣. 12. *sub ea arbore*, nimirum Nebucadnezare, *bestiæ umbram captant*. Notat Angelus, *potentiam* Spiritus S. umbram exhibituram Mariæ concipienti, ut citra noxam & sui discrimen concipere, ac justo tempore sanctissimum fœtum eniti possit. Fuit Maria tuta in umbra Altissimi, feliciter concepit, feliciter uterum gestavit, feliciter peperit; læta in Domino; magnificans Dominum.

Ideo & Sanctum quod nascitur, Filius Dei vocabitur.

§. 62. *Ideo & τὸ γεννώμενον ἅγιον, quod nascitur Sanctum* (NB. Alii codices habent, τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον *Sanctum, quod* ex te *nascitur*, è substantia nimirum tua & sanguine tuo.) κληθήσεται υἱὸς θεοῦ, *vocabitur Filius Dei*. Luc. 1: ℣. 35. Id quod nasciturum erat, est ἅγιον, tum respectu ejus naturæ, quæ æterna est, hoc est, divinæ, & non nascitur, unde dicitur *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Es. 6:3. *Sanctum Domini* Malach. 2:11. *Sanctum Sanctorum*. Dan. 9:24. tum respectu illius naturæ, cujus ex Maria μετέσχε, hoc est, humanæ, quæ est *ad similitudinem* nostram, sed *sine peccato*. Hebr. 4:15. confer Hebr. 7:26. & Actor. 4:27. τὸν ἅγιον παῖδά σου Ἰησοῦν *Sanctum puerum tuum Iesum*. Hoc ἅγιον *Sanctum*, sive Sancta persona divina; sive factus *Sanctus puer*, servus, homo, *vocabitur*, una omnium voce deprædicabitur, & communi confessione agnoscetur esse *Filius Dei*. Et meritò, nonne enim *Filius Dei* est, qui est è Spiritu S. superveniente? qui in mundum intravit, tam novo & inaudito modo? unde & ‏פֶּלֶא‎ *mirabilis* dicitur.

Alia verborum Angeli expositio.

§. 63. Allatâ Catholica hâc expositione afferatur & altera, quæ nec ipsa acatholica est. Potest scilicet per πνεῦμα ἅγιον intelligi ipsa persona *Filii Dei*; qui, quà *Deus*, est πνεῦμα; & quà *Filius*, est Filius κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης *secundùm Spiritum Sanctitatis*. Rom. 1:4. Ἁγιωσύνη non est *sanctificatio*, id enim est ἁγιασμὸς, sed *sanctitas*, ut δικαιοσύνη non est *justificatio*, sed *justitia*. Adeoque πνεῦμα ἁγιωσύνης erit idem quod πνεῦμα ἅγιον. Secundum hæc hic erit sensus & mens Angeli. *Spiritus Sanctus superveniet super te*, hoc est, persona divina, Spiritus potens ac omnipotens veniet super te; in ventrem tuum quasi intrabit; teque, haut per congressum ullum, sed per potentiam, constituet gravidam. Spiritus hic Sanctus creavit cælos. *Sermone* enim *Dei facti sunt*, Psalm. 33: vers. 6. *per illum facta sunt omnia*. Joh. 1: vers. 2. *in illo condita omnia*. Col. 1:16. Is nunc etiam super te veniet, ossa, carnem, cutem sibi in ventre tuo formabit, *templum* sibi in te ædificabit, *corpus* aptabit, *formam servi* accipiet. Huic expositioni robur addit, quod Christus vocatur in sacris *Spiritus vivificans*. 1 Cor. 15:45. *æternus*. Hebr. 9:14. Imò quod illi πνεῦμα attribuitur. 1 Tim. 3:16. *justificatus in Spiritu*. 1 Petr. 3: ℣. 16. *vivificatus Spiritu*. Nec minus conveniunt Christo sequentia. *Et potentia Altissimi*, hoc est, Altissimus hic, qui est δύναμις θεοῦ, 1 Cor. 1:24. *obumbrabit te*, umbra refocillante & recreante te proteget, ut *sub umbra alarum* illius securè habites, concipias, parias. Et tunc imprimis quadrat, quod Angelus addit, *ideo & Sanctum, quod nascitur, vocabitur Filius Dei*. Ita docet, id quod *nascitur*, seu jam jam è Maria nascendum erat, esse τὸ ἅγιον *Sanctum illud*, nimirum *Spiritus* ille *Sanctus*, super Mariam venturus, dein id *Sanctum* vocatum iri *Filium Dei*.

Dei. Sanctum enim, *Spiritus Sanctus*, persona sancta, divina, quæ κατὰ σάρκα concipitur, nascitur, est certè Filius Dei, neque enim *Pater*, neque tertia persona, *Spiritus S.* conceptus aut natus dici potest.

§. 64. Neque magni momenti est dicere, si per πνεῦμα ἅγιον ipsa persona *Filii* sit accipienda, Angelum in brevi hac & emphatica oratione, idem dicere pluries & repetere, nam jam ante dixerat, *Concipies, paries filium, & Filius Altissimi vocabitur.* Luc. 1:℣. 31. 32. Nam quod dixerat Angelus, explicando & repetendo nunc illustrat. Monstrat, quâ ratione puer Mariæ sit υἱὸς ὑψίστου, nimirum quatenus est πνεῦμα ἅγιον; neque adeò κατὰ φύσιν seu χάριν, sed κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης. Hunc *Spiritum*, hoc est, hanc personam, quæ Spiritus est, nunc super illam venturam, & vocandam *Filium Dei.* Ita simul cavit Angelus, ne quis verba ipsius, paries *filium*, vocabitur *Filius Altissimi* accipiat infra emphasin; aut ad eum modum putet intelligenda, quo sunt capienda, cum David vocatur aut alius Sanctus *primogenitus*, aut *filius* Dei. Psal. 89:26. 27.

§. 65. Angelus, ut Mariæ fidem omni modo confirmet, exemplum petit ab homine, *Elisabet*, inquit, *cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi, quæ dicitur sterilis.* Luc. 1:36. Ne mirare, te, nulli viro cognitam, concepturam. Elisabet *vetula*, ætate confecta; Imò & στεῖρα *sterilis*, per omnem vitam (Luc. 1:7.) concepit, & à πρεσβύτῃ quidem. Luc. 1:18. (Tria, à naturæ consuetudine perquam aliena) ita voluit Deus, ita effecit. Idem Deus, qui *corpus* Zachariæ *mortificatum*, & *emortuum uterum* Elisabetæ vivificavit, in te, quod dixi, efficiet. **Elisabet concepit in senecta filium.**

§. 66. Vocat Elisabetam *cognatam* Mariæ. Ἐλισάβετ ἡ συγγενής σου. Id & inde conjicere est, quod Maria paulo post *domum* illius petiit, & *cum illa mansit tres menses.* Luc. 1:℣. 56. Sed cum Elisabet fuerit ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρὼν *è filiabus Aaron.* Luc. 1:5. adeoque è tribu *Levi*, quomodo potuit esse *cognata Mariæ*, quæ fuit ex οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβίδ; adeoque è tribu *Iuda*? confer §. 25. Certe enim cognatio non datur inter illos, qui è diversa sunt domo, familia, tribu. **Quomodo illa fuerit cognata Mariæ.**

§. 67. Non respondebimus, Elisabetam dici *cognatam* Mariæ, generali illa significatione, qua Paulus, qui erat *è tribu Benjamin*, Phil. 3:5. omnes Judæos *fratres suos* vocat, & συγγενεῖς *cognatos suos secundum carnem.* Rom. 9:3. Nam cum in populo Israël fuerint indubiè multæ plurimæque, dictæ *Elisabet*, in omnibus tribubus, quæ omnes in hac significationis latitudine fuere *cognatæ* Mariæ, quomodo potuisset Maria hariolari, de qua præcisè *Elisabeta* Angelus loqueretur? præsertim cum nil addat Angelus, unde hæc in specie agnosci potuerit; imò nec maritum illius nominet nec habitationis locum designet; sed tantùm dicat, *Elisabet, cognata tua*, de persona Mariæ optimè nota loquens.

§. 68. Res enim ita facile componitur. Potuit *Mater* Mariæ esse è tribu Levi, è familia Aaron. Imò ab antiquis illa creditur fuisse *Soror* hujus Elisabet. Igitur Elisabet fuit συγγενὴς Mariæ κατὰ θηλυγονίαν, hoc est, non absolutè, sed relatè ad Matrem, sive maternum genus Mariæ. Neque enim verum est, quod nonnulli volunt, non licuisse Judæis nubere aut uxorem ducere extra tribum. Viros de tribu Juda debuisse ducere filias ex eadem tribu, & sic porro; ac vice versa, adeoque si Maria, quoad Matrem, fuit è familia Aaron, etiam illam ex eadem familia fuisse, quoad Patrem, quod minimè concedendum est. Nam & *Michlal, filia Sauli*, è tribu Benjamin, nupsit *Davidi*, è tribu Juda. *Aharon* Levita duxit sororem *Nachschon*, qui fuit *princeps filiorum Iuda.* Exod. cap. 6: vers. 22. 1 Chron. cap. 2: vers. 10. *Iehojadah* Sacerdos duxit in uxorem *Iehoschabatam filiam Regis Iehoram.* 2 Chron. cap. 22: vers. 11. Eadem ratione licuit *Heli* Patri Mariæ,

qui fuit è tribu Juda, ducere uxorem è tribu Levi; cujus respectu Elisabet fuit συγγενὴς, Mariæ cognata.

§. 69. Nec juvat contrarium sentientes provocare ad cap. 36. Numerorum. Ibi enim præcipitur, ut *omnis filia* יֹרֶשֶׁת נַחֲלָה ἐπίκληρος, *hæreditans hæreditatem*, hoc est, ad quam devolvitur hæreditas, mortuo virili stemmate omni, *uni è tribu Patris sui* nubat, & non extra tribum, *ut ne hæreditas à tribu ad tribum devolvatur*, sed unicuique tribui maneat hæreditas, quæ in terræ distributione בְּגוֹרָל *per sortem* data illi erat vers. 7. 8. 9. Igitur & *filiæ Zelopehad*, quæ *hæreditatem* Patris sui acceperant; aut quia fratres omnino nullos habuerant; aut quia, quos habuerant, omnes mortui erant, poterant quidem *fieri in uxores* לַטּוֹב בְּעֵינֵיהֶם omnibus iis, qui *oculis illarum boni* videbantur, sed qui essent, *è familia tribus patris eorum.* אַךְ לְמִשְׁפַּחַת מַטֵּה אֲבִיהֶם תִּהְיֶינָה לְנָשִׁים Unde & *filiis* דֹּדֵיהֶן *Patruorum suorum* exstiterunt לְנָשִׁים *in uxores.* Num. 36:6. 11. Non autem interdicitur, ne Filiæ, quæ non erant ἐπίκληροι, promiscuè per omnes tribus nuberent.

Non impossibile Deo ullum verbum. §. 70. Ita denique finit Angelus Sermonem. οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα. Luc. cap. 1: vers. 37. *non erit impossibile Deo ullum verbum*, hoc est, omne verbum, quod *exit ex ore Dei*, Matt. cap. 4: vers. 4. quod promittit, quod pronunciat, possibile est illi, verbum illius *manet in seculum.* Es. cap. 40: vers. 8. Imò & omnis *res* possibilis Deo, nam & ῥῆμα *rem* notat. Luc. 8: 15. Nam πάντα δυνατά ἐστι παρὰ τῷ Θεῷ Marc. cap. 10: vers. 27. Luc. 18: 27. Job 42: 2. *Novi*, כִּי כֹל תּוּכָל *quod omnia potes.* וְלֹא יִבָּצֵר מִמְּךָ מְזִמָּה *& non est tibi difficilis ulla cogitatio*, quæ cogitas, facis.

Mariæ sancta obedientia. §. 71. His argumentis Angeli, (quorum postremum ductum est ab *omnipotentia divina*; secundum *à prægnantia* sterilis & decrepitæ Elisabet; primum à persona & excellentia personæ nascendæ, sive etiam ab operatione Spiritûs S. extraordinaria) Sancta Virgo convicta, *dicit*, Ἰδοὺ ἡ δούλη κυρίου, *ecce serva Domini*, illius voluntatem parata implere, *fiat mihi juxta verbum tuum.* Luc. 1: vers. 38. O Sancta ὑποταγή! ô magna fides! Totam se committit Deo Domino suo, non moratur difficultates, quas caro movere poterat, non sollicitam illam habent diversa de futura illius prægnantia judicia, non possibilis derelictio Josephi sponsi, non pœnæ legalis horror. Deut. 22: 23. 24. non cogitatio de difficili educatione pueri nascendi, ut se Deo, ita & hæc omnia committit Deo; *fide roborata* δοῦσα δόξαν τῷ Θεῷ; securè exspectans *diem illum magnum & terribilem Domini.* Mal. 4: 4. *Beata*, Maria, *quæ credidit.* Luc. 1: 45.

Mariæ iter. §. 72. Ita *discessit ab illa Angelus.* Luc. cap. 1: vers. 38. Illa autem *surrexit in diebus illis*, & iter iniit μετὰ σπουδῆς *cum diligentia.* Luc. cap. 1: vers. 39. non fuit illa σπουδὴ νεανικὴ, sed sancta & seria, Spiritu S. agebatur. Spiritus illam quiescere non sinebat. Gloria divina etiam hac ratione debebat manifestari. Mater hæc Domini ab alio fœtu materno salutari, jam complures menses gravidæ Elisabetæ elapsi erant. Appropinquabat paulatim partus, igitur cessandum non erat. Ideò & ἐπορεύθη μετὰ σπουδῆς. Philippus Melanchton ad *animum* refert, ac interpretatur μετὰ σπουδῆς *magnâ cum animi intentione & desiderio*, nec id malè, desideravit enim & omnibus sine dubio votis expetivit Maria videre *aniculam*, & *sterilem*, prægnantem factam. Angelus miram hanc rem allegaverat. Imò desideravit convenire cognatam suam, collocutura cum illa de μεγαλείοις, quæ ὁ δυνατὸς facturus in illa erat; & desideria sua sancta in sinum illius effusura. Neque putemus fortè factum, ut convenerint duæ illæ matres, utræque gravidæ; (nam ab abitu Angeli Maria confestim cœpit esse gravida, inde & Elisabet, *benedictus fructus ventris tui*,) quæ pepererunt Filios omnium maximos, quibus pares in mundo non fuerunt, nec erunt.

§. 73. Pro-

§. 73. Profecta autem est εἰς τὴν ὀρεινὴν, εἰς πόλιν Ἰούδα *in montana, in civitatem Juda,* Luc. 1: 39. non certè *in Hierosolymam*, quamvis situs ejus fuerit in monte: nam Zacharias, Sacerdos, non habitavit in civitate, quæ civitas Sacerdotum non erat; sed *in Hebron*, quæ fuit *urbs* Sacerdotum, sita בְּהַר יְהוּדָה *in monte Juda*, Jos. 21: 11. dicta etiam *Kirjat-arbah. Novem oppida* de tribu Juda & Simeon filiis Aaronis data fuerunt; inter quæ prima fuit קִרְיַת אַרְבַּע: de qua statim additur, הִיא חֶבְרוֹן, & una hæc tantùm describitur fuisse in montibus Juda; lege. Jos. 14: 13. 14. 15.

In montana.

§. 74. Ut venit illuc Virgo, *intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabetam.* Luc. 1: 40. Eum enim in finem illuc venerat. Prout audivit Elisabet salutationem Mariæ, ἐσκίρτησε τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς; *saltavit fœtus*, seu infans, *in ventre ejus*, Luc. 1:41. βρέφος dicitur de partu recens edito; sed & de necdum edito, qui alias ἔμβρυον. Dioscorides. τοῦτο καὶ τὰ βρέφη ἐκπτερώσηται. Apud Phocyliden junctim legitur. Μηδὲ γυνὴ φθείρῃ βρέφος ἔμβρυον ἔνδοθι γαστρός. Elisabet jam sextum, & quod excurrebat, mensem, gerebat uterum, vivebat jam in illo fœtus. Vivus hic *saltavit*, imò ἐν ἀγαλλιάσει (Luc. 1: 44.) *saltavit*, intimo gaudio & sancta affectus hilaritate. Saltatio hæc non fuit naturæ opus, sed Spiritus Sancti, in fœtu necdum nato jam habitantis, & in cor illius effusi. Quid enim alias scivisset fœtus de Maria, ut saltu gratularetur, cui viva necdum voce gratulari poterat? confer cap. 2. §. 7.

Ad Elisabetam. In cujus ventre fœtus saltavit.

§. 75. Nec saltavit tantum fœtus, sed & *Elisabet impletur Spiritu Sancto.* Luc. 1: vers. 41. Spiritus Sanctus etiam datur mulieribus, imò & ἐμβρύοις. Tunc dicuntur Sancti sanctæque *Spiritu Sancto* impleri, quum in illis dona operatur extraordinaria & insignia. Ita hic de *Elisabeta* prophetante, & de *Zacharia* vaticinante Luc. 1: vers. 67. & de *Apostolis*, loquentibus *aliis linguis*, Actor. 2: vers. 4. & de *Petro*, in medio τῶν ἀρχόντων ἀρχιερατικοῦ perorante Actor. 4: 6. 7. 8. & de *Stephano*, cœlesti quasi voce, mundo valedicente, Act. 7: 55. aliisque alibi usurpatur.

Et ipsa impletur Spiritu Sancto.

§. 76. Impleta Spiritu Elisabet *clamat voce magna.* Luc. 1: vers. 42. *Benedicta*, inquit, *tu in mulieribus.* Ita & Angelus, non audiverat id dicentem Angelum, & tamen idem dicit, eodem enim Spiritu acta loquitur. Erat & Elisabet benedicta in mulieribus; *Angelum Domini Eliam Prophetam* enitura. Magis tamen Maria; quæ ipsum *Dominum*, ideo benedicta *in* & *præ* mulieribus. Etiam *fructum ventris* Mariæ *benedictum* dicit. καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου. Luc. 1: 42. Benedictus certè fructus est, qui omnis benedictionis causa est, in quo *omnes gentes* benedicuntur; Dei Filius. Mulieris semen. Sanctus, non inquinatus, omnis mali expers.

Clamat voce magna.

§. 77. *Et unde mihi hoc, ut Mater Domini mei veniat ad me?* Luc. 1: 43. *Dominum* agnoscit Elisabet illum, qui è Maria venturus erat; imò Dominum *suum*; non potuit non honori ducere, quod à Matre hujus Domini visitaretur. Si autem tanti *id* æstimavit, quidni majori jure postmodum filius illius *Johannes* id *gaudium magnum* duxerit, quod *stetit & audivit vocem* Domini ipsius Joh. 3: 29. imò &, ubi venientem illum ad se vidit, dixerit, καὶ σὺ ἔρχῃ πρός με? Matt. 3: 14.

§. 78. *Et beata, quæ credidit*: Spiritu prophetico norat, Mariam ab Angelo salutatam: norat, qualia, quæve Angelus illi dixerat; norat, Mariam illis *credidisse*; ideò *beatam* illam dicit, beatitudinis compotem à nunc in secula: *nam*, inquit, *consummatio erit eis, quæ dicta sunt illi à Domino*, Luc. 1: 45. per Angelum nim. missum. Igitur & Elisabet vaticinatur, fore ut Maria *pariat, Filium, Jesum, Filium Altissimi*, futurum *magnum, Regem in throno Davidis* εἰς τοὺς αἰῶνας.

Mariæ Canticum.

§. 79. Ut absolvit Elisabet loqui, etiam Maria incipit vaticinari & canere. Μεγαλύνει *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum*, Luc. 1: vers. 46. magnis laudibus & gratiarum actionibus illum extollit: confer Psalm. 103: 1. 2. καὶ ἠγαλλίασε *& exsultavit Spiritus meus super Deo* τῷ σωτῆρί μου. *Servatore meo.* Luc. 1: vers. 47. Hæc indoles est sanctorum ἀγαλλιᾶσθαι χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ. 1 Petr. 1:8. Ipse Christus ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι. Luc. 10: vers. 21. Etiam Abraam. Joh. 8: 56. Monet Christus. χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε. Matth. 5: 12. confer Apoc. 19:7. Phil. 4: 4. Joel 2: 23. Es. 61: 10. Psalm. 16: 9. Actor. 2: 26. Sed exsultant ἐπὶ τῷ Θεῷ, בַּיהוָה: בֵּאלֹהִים: ἐν κυρίῳ. Omnis exsultatio, quæ non est *super Deo & in Deo*, vana est, perit, exitque in fletum. *Exsultavit*, inquit Maria, indicans, hanc exsultationem in Spiritu illius jam fuisse χθὲς *heri*; nec tantùm cœpisse σήμερον *hodie.* A quo Angelum audivit, ἠγαλλίασε. *Anima* magnificat. *Spiritus* exsultat; ita τὸ ὁλόκληρον αὐτῆς in laude Domini occupatum fuit. (1 Thes. 5: 23.) Dicit Deum *Dominum*, & *Servatorem* suum. Fatetur se indigam σωτηρίας: nec illam in alio esse, quàm *in Domino.* Illum dicit *Deum Servatorem suum*, de quo Angelus, Luc. 2: vers. 11. *Natus est vobis* σωτὴρ: & Samaritani Joh. 4: vers. 42. hic est verè ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου, ὁ χριστὸς: & rursum Angelus Matth. 1: 21. ille σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ, quem Paulus vocat *Magnum Deum & Servatorem* Tit. 2: 13. Ita Filium à se nascendum, etiam Deum suum & Servatorem suum agnovit. Si autem *Servatorem* fatetur, etiam *peccata* sua fatetur. Servator enim σώζει ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν, Matth. 1: 11. venitque ἁμαρτωλοὺς σῶσαι. 1 Tim. 1: 15.

§. 80. Quæ tantæ exsultationis causa sit, pluribus exponit: *nam inspexit* ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν *in humiliationem servæ suæ.* Luc. 1:48. Humiliata erat familia Davidis, è qua erat, ipsa humilis, pauper, vilis, spreta. Lea nato Rubene dicebat רָאָה יְהֹ בְּעָנְיִי *vidit Dominus miseriam* & afflictionem *meam.* LXX. τὴν ταπείνωσιν. Genes. 29: 32. Dominus humillimi status sanctæ virginis misertus, gratiosissimè illam aspexit. Monachi planè abs re de humilitate animi ac singulari modestia Mariæ hic agunt, ac si illa meritum esset & causa exaltationis Mariæ, cum Maria ipsa omne suum meritum excludat appellando *Deum Servatorem suum*, & laudando ἔλεος αὐτοῦ. vers. 51. Dum suam fatetur ταπείνωσιν etiam cogitavit de corpore ταπεινώσεως *humilitatis* suo. Phil. 3: 21. Id eatenus *aspexit* Dominus, ut id voluerit primum suum in terris esse domicilium, in quo ipse carnem assumeret, *formamque* humilem *servi* acciperet: nam accipiens illam, ἑαυτὸν ἐκένωσε καὶ ἐταπείνωσεν. Phil. 2: 7. 8. Gratiosissimus certè aspectus! Virginem, humillimæ conditionis servam, peccatricem, facere *matrem Domini. Ecce*, inquit, *a nunc omnes me* μακαριοῦσιν *familiæ*; vers. 48. dicent cum Elisabeta. *benedicta in mulieribus*, Maria, *benedictus fructus ventris ejus.* Non dicit, adorabunt me; divino honore colent me, sed, μακαριοῦσι *beatam prædicabunt*; tum ob *gratiam*, quam mihi fecit Deus, mittendo ad me Angelum suum, mittendo Filium suum in uterum meum; tum ob *fidem*, qua cor meum purgavit & sanctificavit, ut quæ mihi locutus est, utut carni & mundo adversa, sancta subjectione crediderim. Cum Silpah secundum filium pareret, dicebat Leah, אִשְּׁרוּנִי בָּנוֹת *Filiæ me beatam dicent.* Genes. 30: 12. Quanto potiori jure Virgo Dei-para id de se statuit?

§. 81. *Nam fecit mihi* μεγαλεῖα *magna*, magnalia (confer hanc vocem Act. 2: 11.) ὁ δυνατὸς *Potens*, Luc. 1: 49. *fecit*, inquit, quia jam ex parte fecerat, & jam jam reliqua facturus erat. Quanta hæc sunt? Virgo parit. Virginitas illi manet. Fœcunditas partum format, fit gravida, nec jugum viri sensit. Creator in medio illius fit creatura. Circumdat

illa

illa *Virum*, qui totum implet mundum. Parit illum, qui Redemptor est omnium. Quem illa Redemptorem, Deum, Servatorem credidit, is illam matrem suam agnovit. Non potuit Major nasci, quàm ex illa natus est; nec humano utilior generi in mundum intrare, quàm ὁ δυνατὸς ex utero ejus fecit exire. Mammas *illi* præbuit, qui mundo vitam dat, & electos satiat. Hæc fecit illi *Potens*; *promißione* primum: dein *impletione*. Promissioni tam securè fidelis hæc credidit, ac si jam impletam habuisset; πληροφορηθεῖσα, ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐστι ὁ Δυνατὸς καὶ ποιῆσαι. Rom. 4:21.

§. 82. Dein laudat *Sanctum Nomen* Potentis, vers. 49. & ἔλεος αὐτοῦ vers. 50. & *robur brachii ipsius* vers. 51. cujus effecta narrat, *dispersit superbos*, *semovit potentes a thronis*, *exaltavit humiles* vers. 51. 52. utitur verbis *Aoristi* temporis, & *solitam* Dei *actionem* indicat. Ita nimirum ab initio fecit, & nunc facit, & faciet. Superbum Nebucadnezarem in nihilum redegit. Potentem & vanum Saulum regno exuit. Humilem familiam Jesse exaltavit, & illam ipsam exaltatam *corruptum*, *corruptum*, *corruptum posuit*. Imò & superbos *Legislatores* sedentes *in cathedra Mosis*, *Principatus* & *Potestates* prioris populi *ostentui habuit* & *abolevit* humiles autem servos & servas fecit sedere *in thronis*; & constituit *columnas* in domo sua. Æsopus rogatus, quid Deus in cœlo faceret, respondit, τὰ ταπεινὰ ὑψοῖ, τὰ δὲ ὑπερέχοντα κολούει, adde 1 Petr 5:5. & 1 Sam. 2:6.7.8. *Esurientes implevit bonis.* confer Matt. 5: vers. 6. *Et divites dimisit inanes* vers. 53. opinione propriæ justitiæ & potentiæ divites rejecit, & quam sint inanes ac vacui omni bono toti orbi testatum fecit. *Suscepit*, apprehendit, asseruit *Israëlem puerum suum*, (confer Es. 41:8.9. 10.) *ut recordaretur misericordiæ* vers. 54. *Pax super illos* καὶ ἔλεος *& misericordia, & super Israëlem Dei.* Gal. 6:16.

§. 83. Mansit Maria cum Elisabet *tres menses, & rediit ad domum suam.* Luc. 1:56. Ibi dum est, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα *deprehensa est gravida* Matth. 1:18. haut tamen, ut *Tamar*, Genes. 38:24. *Scortata est Tamar*, וְגַם הִנֵּה הָרָה לִזְנוּנִים *& etiam ecce concepit de scortationibus*. Ideò cautè additur ab Euangelista, *inventa est gravida* ἐκ πνεύματος ἁγίου *è Spiritu Sancto*, Matth. 1: vers. 18. ut sciamus, illam nulli cognitam viro, è potenti operatione Spiritus Sancti concepisse, & uterum gestisse; convenienter verbo Angeli Luc. 1:35. Mariæ ad domum reditus: deprehenditus gravida.

§. 84. Sponsus Josephus non id initio habuit perspectum. Aut Maria non narravit illi, quæ divinitus cum illa acta essent; aut si narravit, Josephus narratis fidem non habuit. Nam ἐβουλήθη λάθρα ἀπολῦσαι αὐτὴν *voluit clam illam dimittere*, Matt. 1: 19. neque adeò matrimonium cum illa consummare. Id Latinis dicitur *abdicare*, & repudium mittere, quod propriè inter sponsum & sponsam est; cum divortium fiat inter virum & uxorem, ἀπολῦσαι mollius est, quam ἀποπέμπεσθαι vel ἐκβάλλειν. Voluit autem Josephus id facere λάθρα *clanculum*, nemine animadvertente. Dicitur fuisse δίκαιος *justus*, justi bonique sectator: quare non putavit cohabitandum sibi esse cum uxore, ab alio, ut suspicabatur, compressa ac impregnata. Simul tamen affectu in sponsam, ut ut nunc suspectam, sincero ferebatur; ideo illam voluit λάθρα ἀπολῦσαι; nec παραδειγματίσαι *publicare*, *traducere*, revelare; & in publicam proferre turpitudinem, nedum in illa *statuere exemplum*, illamque *exemplare*, &, ut Chrysostomus interpretatur, ἐκπομπεύειν καὶ εἰς δικαστήριον ἄγειν *publicè ostentui habere, & ad tribunal rapere.* Lex erat. *Cum erit Virgo, desponsata viro, & invenerit illam vir aliquis in civitate, & concubuerit cum illa, & educetis ambos illos ad portam civitatis, & lapidabitis illos, & morientur.* Deut. 22:23.24. Ex hac lege, gravida & suspecta Maria potuisset accusari. Sed id noluit Joseph, contentus illam λάθρα ἀπολῦσαι. Joseph cogitat illam dimittere.

§. 85. O

§. 85. O autem sanctissima Virgo! quantus hic sine dubio cordis tui dolor fuit! su pectam te videri illi, quem sincerè amaveras, à quo sincerè amata eras, cui fidem inviolatam servaveras? quanta hic in te oboriri lucta potuit? Te uterum gestantem è Spiritu Sancto, nil minus ita contumeliosè tractari. Umbram Potentiæ Altissimi promissam Tibi: te nunc autem illa desertam videri. Sed ecce ut omnia illi *cooperantur in bonum*; ut te ipsa deprehendit, *Misericordiam Dei esse timentibus illum*; ut ipsa cecinerat. Luc. 1: 50.

Ab Angelo in somnio monetur.

§. 86. Josepho enim talia *cogitante, ecce Angelus Domini apparet illi in somnio*, jubet, *ne timeat* παραλαβεῖν *assumere Mariam uxorem suam.* Matt. 1: 20. Hactenus nondum assumpserat desponsatam suam Josephus, nec in domum suam deduxerat, & πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, *antequam convenirent illi*, in unam nim. domum & familiam, deprehensa est, uterum ferre. Matt. 1: 18.

Somnia sanctorum.

§. 87. In *somnio* apparuit Angelus Josepho, & locutus est illi. Ita olim frequenter fecit Deus sanctis, Num. 12: 6. dicit se *loqui ad Prophetas* בַּחֲלוֹם *in somnio.* In somnio locutus est ad Abrahamum. Genes. 15: 12. 13. In somnio vidit Jacob mirabilem illam *scalam*, de qua Dominus loquebatur. Genes. 28: 11. 12. In Gibeon apparuit Dominus Salomoni בַּחֲלוֹם הַלָּיְלָה *in somnio nocturno.* 2 Reg. 4: 5 – 15. Talia somnia Sancti à vulgaribus & naturalibus somniis, quæ ut plurimum fallacia sunt, & illudunt, distinguere certo & vero indicio potuerunt. Nam sine dubio lux divina somniantium animos implevit, illosque de veritate & divinitate rerum in somniis exhibitarum, seu visarum, seu auditarum, πληροφόρους *certos & persuasissimos* reddidit. Imò & res somniantibus exhibitæ se ipsas natura sua à communi rerum genere exemerunt, & differentiam ostenderunt; eventu etiam stipatæ nullatenus de cœlesti sua origine dubitare siverunt. confer de apparitionibus in somnio Matt. 2: 12. 22.

Angeli ratio.

§. 88. Angelus somnianti exponit Josepho, cur non debeat timere παραλαβεῖν Μαριάμ. *Quod enim in ea natum est*, inquit, *è Spiritu Sancto est*, illius quasi partus & δημιούργημα Matt. 1: 20. Pergit. *Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum*, Matt. 1: 21. confer Luc. 1: 31. Addit rationem & significationem nominis *Iesu. Ille enim salvabit populum à peccatis ipsorum.* Matt. 1: 21. Salvabit *à peccatis*, ut nec ob illa condemnentur, *stipendio* illorum, quod *mors* est, affecti; Rom. 6: 23. nec peccati amplius *dominio* subsint; Genes. 4: 7. Rom. 5: 21. 6: 12. 14. 20. nec ἀνάμνησιν illius ferre opus habeant. Hebr. 10: 3. salvabit *populum suum*; natura *peccatorem* 1 Tim. 1: 15. *deperditum* Luc. 19: 10. sed nunc *pretio emptum* 1 Cor. 6: 20. & *purgatum*, ut sit *ipsi* λαὸς περιούσιος, *populus peculii* Tit. 2: 14. λαὸς εἰς περιποίησιν 1 Petr. 2: 9. qui cum esset ποτὲ οὐ λαὸς, νῦν *nunc* per salvationem exstitit λαὸς Θεοῦ; olim οὐκ ἠλεημένος, *nunc verò* ἐλεηθέντες 1 Petr. 2: 10. confer Luc. 1: 77. *dare cognitionem salutis* τῷ λαῷ αὐτοῦ, *in remissione peccatorum.* Estque hic Populus è Judæis & Gentibus.

Citatur Oraculum vetus.

§. 89. Et ut dictis magis adhuc fides fiat, adducitur Oraculum vetus. Perinde est, sive statuamus Angelum illud citasse, ut ad rem præsentem maximè faciens; aut ab Euangelista illud additum ut vicem expleat commentarii dictorum ab Angelo. Certè si parenthesis, cui apud Matthæum verba hæc inclusa sunt, vera est, (vide Matt. 1: 22. 23.) videbuntur à Matthæo adjecta, qui etiam interpretationem vocis *Emmanuel* addidit, quomodo illa *græcè* sonat, quod ab Angelo, qui græca non allocutus est Josephum lingua, haut factum, nisi dicas, Angelum, in illa, qua locutus est, lingua, nomen Emmanuel etiam interpretatum fuisse. Matthæum autem, Græcè scribentem, illam ipsam interpretationem Angelicam Græcè, ut omnia alia illius verba, transtulisse. Sed nunc ponamus, Angelum hoc oracu-

oraculum allegâsse, nunquam id magis ad rem fieri poterat. Narrat Josepho mira, sed authoritate antiqui vaticinii, quæ narrat, comprobat, non debebant igitur Josepho nova videri, quæ tanto intervallo ante divinitus revelata, & à sanctis expectata erant. Etiam alibi usus est Angelus *verbis* Prophetarum, nullâ Prophetæ speciali mentione facta, ut *suis* vide sis locis. Luc. 1:16.17.31.32.33. adeò nil novum Angelos è Prophetis loqui, nam & illi ἐπιθυμοῦσι παρακύψαι in illa, de quibus Prophetæ ἐξεζήτησαν & ἐξηρεύνησαν. 1 Petr. 1: 10. 11. 12. Neque possunt, nec debent alia loqui. Si enim *quis*, etiamsi sit *Angelus è cælo annunciet, παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω*. Gal. 1: 8. 9. Hic nunc utitur verbis Prophetæ, & simul indicat, verba illa esse Prophetæ. *Hoc autem*, inquit, *totum factum est, ut impleatur, quod dictum est a Domino per Prophetam.* Matt. 1:22. Exemplaria nonnulla nomen *Esaiæ* dicuntur expressum habere.

§. 90. *Factum hoc*, inquit, *ut impleatur*, non debebat carere implemento *sermo propheticus*. Est enim βεβαιότερος. 2 Petr. 1:19. Ideo & hoc factum, ut à Domino prædictum. Debebat certè hoc fieri, ut æternum Dei consilium de pace nostra esset firmum, ut reconciliaretur mundus Deo, ut *Princeps salutis per passiones* consummaretur; quas ni natus esset, subire non potuisset; & ut proponeretur ἱλαστήριον διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων. Hebr. 2:10. Rom. 3:25.26. Sed & debuit fieri, ut, quod dictum erat à Prophetis, impleretur. Ita sunt sæpe unius ejusdemque rei distincti fines, qui non opponendi, sed componendi sunt.

§. 91. Verba Prophetæ exstant, Es. 7:14. הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן וְקָרָאת שְׁמוֹ עִמָּנוּאֵל *Ecce Adolescentula gravida est, & parit Filium, & vocabit nomen ejus Immanuel.* Conferamus hæc nunc cum traductione Angeli; & brevi explicatione illustremus. Exstat Es. 7: 14.

§. 92. *Ecce*, inquit Propheta. Angelus ἰδού. Ita solent Prophetæ loqui, & res futuras digito quasi præmonstrare. Es. 40:9. *Ecce Deus vester.* vers. 10. *Ecce Dominus venit.* Ecce Id explicatur.
הָעַלְמָה *Adolescentula.* Angelus ἡ παρθένος *Virgo* ה præfixum, quod in scholis dicitur הֵ הַיְדִיעָה *h notificationis*, notat certam aliquam virginem; à Deo scilicet nominatam, vocatam, ordinatam; & ante Prophetiæ implementum illi soli notam. Vox עַלְמָה derivatur à radice עלם, sive, quod usitatius, נֶעְלָם *ignotum, occultum esse, ignorari, λανθάνειν*. Igitur notat *Adolescentulam* seu *puellam*, quæ hactenus latuit, nec in publicum prodiit, domi detenta, innupta, viro haut cognita, quales κατάκλειστοι Græcis dicuntur. Ita sumitur Gen. 24:43. הָעַלְמָה *puella; quæ prodibit*, innupta certè, virgo certe: neque enim aliam, quàm virginem Isaaco petere debebat, unde & quam adduxit, *Rebecca*, fuisse dicitur, בְּתוּלָה *Virgo.* Genes. 24:16. confer Cantic. 1:3. עֲלָמוֹת *virgines dilexerunt te*, ubi tamen non tam ætas, nec corporis virginitas, quàm animi castitas & puritas notatur. adde Cant. 6; 8. Abenesra ad Cant. cap. 1. עלמה explicat בְּתוּלָה קְטַנָּה: & certè עֶלֶם notat *Adolescentem*, μειράκιον, νεανίσκον, qui in publico nondum comparet cœtu. 1 Sam. 17:56. 20:22. Igitur nec עַלְמָה aliud quàm *Adolescentulam* notat, seu virginem, & puellam innuptam. Neque secus nos sentire cogit locus, Prov. cap. 30: vers. 19. ubi Agur inter *mirabilia quatuor* ultimo recenset loco, דֶּרֶךְ גֶּבֶר בְּעַלְמָה *viam viri in Adolescentula* seu Puella; notans, castum illum & secretum amorem, qui in animo viri juvenis subito accenditur, ut serio & vehementer incipiat amare & deperire Puellam, quam nec antea novit, nec habuit, ut putet vitæ suæ male fore, nisi ingrediatur *viam*, qua illius fiat compos; illaque illi jungatur in societatem vitæ, & unitatem carnis, & arctitudinem fœderis, quæ res certè mira est, si in mundo & natura alias ulla. Taceo multos Antiquorum per גֶּבֶר intellexisse *ipsum Messiam*, ita dictum Jerem. 31:22. & per עַלְמָה ipsam *sanctam virginem Mariam*, quæ Jeremiæ in citato loco dicitur נְקֵבָה & per דֶּרֶךְ *viam in*

vir-

virgine, *conceptionem* Messiæ, seu ingressum & superventum illius in sanctum uterum castissimæ Virginis, id quod exprimit Jeremias voce תְּסוֹבֵב: quare frustra sunt Judæi, dum hoc loco abutuntur in præjudicium catholicæ veritatis.

§. 93. De hac עַלְמָה ita vaticinatur Propheta. הָרָה *gravida est.* Loquitur ac si jam gravida esset, cum tamen necdum *ipsa* esset, rursum è more Prophetarum, futura ut præsentia sibi sistentium. confer Es. 9: 5. *Puer natus est nobis.* Angelus ἐν γαστρὶ ἕξει *gravida erit*, seu in utero concipiet. Pergit Propheta, וְיֹלֶדֶת בֵּן *Et parit Filium.* Angelus. τέξεται υἱὸν *pariet filium.* Ita Es. 9: 5. *Filius, nobis datus*, dicitur *natus.*

§. 94. Nomen hujus Filii dicit Propheta עִמָּנוּאֵל de quo ita Angelus, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός, *quod est per interpretationem, Nobiscum Deus.* Matth. cap. 1: vers. 23. Docet Propheta, Filium concipiendum & nascendum ab Adolescentula, *Deum* fore; illoque nato, Deum fore *nobiscum*, in medio nostri, *habitare in nobis, stare in cœtu nostro, manifestatum in carne, fratrem nostrum* factum. Est Deus *nobiscum*, quatenus omnia implens, non abest procul ab unoquoque nostrûm. Act. 17:27. Est *nobiscum*, quatenus gratia sua & auxilio nos prosequitur. Sed hic Filius natus est *Immanuel, nobiscum Deus*, per nativitatem, per ἐνσάρκωσιν *incarnationem*, per ἐνανθρώπησιν. Est *nobiscum Deus*, quem *oculis nostris vidimus, contemplati sumus, & manibus nostris attrectavimus.* 1 Joh. 1: 1.

§. 95. Unde autem habebit Filius natus hoc nomen? dicit, וְקָרָאת שְׁמוֹ *& vocabit nomen ejus*, Virgo nimirum Θεοτόκος. Vox קָרָאת est tertia fœminina præteriti singularis, aut contractè pro קָרְאָה; aut ad formam Chaldaismi; imo nec Hebræis inusitatum est dicere הַבָּאת Genes. 23: vers. 11. pro הַבָּאָה: & נִפְלָאת Psalm. 118: vers. 23. pro נִפְלָאָה *Vocabit* igitur Virgo parturiens *filium* nascendum *Immanuel*, hoc est, illum agnoscet, credet, confitebitur, prædicabit esse verè Immanuelem, nam apud circumcisionem non vocavit nomen ejus *Immanuel*, sed ut jussa erat Ἰησοῦς. Luc. cap. 1: vers. 31. 2: vers. 21. Eundem in sensum dicitur Jerem. cap. 23: 6. *Et hoc est nomen, quo vocabit illum*, Jehudah & Israel, *Dominus justitia nostra.* Omnis Israel fatebitur, illum esse *Dominum & justitiam nostram.* adde Es. cap. 9: vers. 5. *Et vocabit nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Victor*, &c. Pro verbis *& vocabit*, &c. habet Angelus, καὶ καλέσουσι *& vocabunt*, nam nec Maria tantùm, sed & Joseph, & omnis multitudo Sanctorum, & *omnis lingua* confitetur, quod Jesus est *Immanuel.* Non mutat Angelus textum, sed explicatione illustrat, dum dicit *vocabunt*, utique affirmat, *virginem* genitricem illum ita vocaturum. Sed & docet, non virginem tantùm, sed & complures alios id illi nomen daturos, adeoque dicendum illum omnibus ἘΜΜΑΝΟΥΉΛ. Chrysostomus. οὐκ εἶπεν καλέσεις (NB. unum exemplar manuscriptum Henrici Stephani ita dicitur habuisse) ἀλλὰ καλέσουσι; οἱ ὄχλοι, τοῦτ' ἔστι, καὶ ἡ ἔκβασις τῶν πραγμάτων, hoc est, *turba & eventus rerum.*

§. 96. Quæ Judæi huic interpretationi opponunt, sunt frivola. Ipsa verba, resque ipsa, eventus, Euangelii testimonium, & alia plura fidei nostræ confirmandæ serviunt. *Signum* promittit Propheta. *Ideo dabit Dominus ipse vobis* אוֹת *signum.* Ergo *novum* aliquid, & inusitatum, & antea non factum. confer Jerem. cap. 31: vers. 22. Hoc signum est *virgo gravida & pariens*, hoc certè ingens signum, & *in terra novum* est; quod inde à condito mundo non exstitit; nec quamdiu mundus est, erit. Sed majus hoc; quod Virgo parit *filium*, eum nempe, cui *Dominus dixit, filius meus tu.* Psalm. 2:7. Hic Filius, *nobis datus* ante secula, *nascitur puer*, fit homo. Et ad utilitatem Sanctorum maximum est, quod Filius hic natus, fuit *Immanuel, Deus nobiscum*, manifestatus in carne, Spiritu justificatus, Angelis visus,

sus, in gentibus annunciatus, in mundo creditus. 1 Tim. 3: vers. 16. De quo puero potest dici, *Immanuel, nobiscum Deus*, is certè Deus est. *Immanuel* est Deus, omnium Dominus; Judæi fuerunt ipsius ἴδιοι; cumque natus est ad τὰ ἴδια ἦλθε. Joh. 1: 11. Id quoque patet ex iis, quæ dicuntur de *Rege Assur*, Judæorum captivatore Es. cap. 8: v. 8. וְהָיָה מֻטּוֹת כְּנָפָיו מְלֹא רֹחַב אַרְצְךָ עִמָּנוּאֵל *Et fuit expansio alarum ejus*, Regis Assur, *plenitudo latitudinis terræ tuæ Immanuel.*

§. 97. *A somno expergefactus* Josephus *fecit, ut præceperat Angelus, & assumsit uxorem suam.* Matt. 1: 24. Ita deinceps habuit Sancta hæc maritum, tutorem, defensorem, curatorem, nec subiit amplius periculum, ut à quoquam stupri rea ageretur. Josepho enim integritatem illius agnoscente, nemini integrum fuit, molestiam facere uxori, aut suspectam illam habere. Joseph assumit uxorem suam.

§. 98. Castissimè autem cum sanctissima cohabitavit, nec ἐγίνωσκεν αὐτὴν *cognovit illam.* Matt. 1: vers. 25. ab officio tori & consuetudine conjugali omninò abstinuit. Ita Maria, quæ Angelo dixerat, *Virum non cognosco*, Luc. cap. 1: vers. 34. nec tunc, cùm à viro assumta est, cognovit virum, aut à viro cognita est, sed intacta & illibata mansit virgo. Non tamen illam cognovit.

§. 99. Et par erat, ita ut faceret Josephus. Audiverat enim, *Virgo concipiet & pariet Immanuel.* Si illam cognovisset, haut Virgo peperisset. Postulabat id eminentia illius, qui è Virgine nasci debebat. Erat τὸ ἅγιον *Sanctum, Filius Altissimi, Deus nobiscum.* Non polluendum erat tabernaculum, in quo ad tempus habitare, & unde egredi & in mundum prodire debebat. Dictum erat Josepho, Mariam *uterum ferre è Spiritu Sancto*, haut ergo debuit committere, ut illa simul uterum ferret è viro. Spiritus Sanctus, qui *venit super Mariam*, ut est omnis sanctitatis author, sanctificavit Josephum, ut nulla tangendi uxorem cupiditate flagraret; & Mariam, ut viri congressum non desideraret, sed illius abstinentiam sanctissimè collaudaret. Ut nec par fuit.

§. 100. Igitur *non cognovit illam*, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς *usque dum peperit filium suum primogenitum.* Matt. cap. 1: vers. 25. An autem, postquam peperit, cognovit illam? Sanctissimaque hæc, quæ & in partu & in conceptione Immanuelis Virgo exstitit, num post partum Virginitatem suam Josepho tradidit? Ita quidem olim senserunt nonnulli, *Antidicomarianitæ* dicti; inter quos Romæ *Helvidius* quidam fuit. Nobis tamen non videtur. Et licet id è sacris literis expresso probare non possimus testimonio, non improbabiliter tamen id concludimus. Imo nec cognovit illam post partum.

§. 101. Postulabat reverentia, debita Filio dato, puero nobis nato; ut uterus, in quo conceptus erat, ipsi quasi Sanctus maneret; nec alio aut virili semine humectaretur. Qui totum suum corpus tradidit pro hominibus, potuit optimo jure unius virginis corpus sibi postulare, ut nullius esset aut fieret domicilium, quàm suum. Si è Josepho suscepisset Maria filios, hostibus Christi eo proclivius esset dicere, nec Christum è virgine natum, sed ut alios Mariæ filios è Josepho susceptum esse. Ita plenissimè *virgo* peperit Immanuelem, quæ virgo semper mansit, & virgo mortua est. Quem ventrem Spiritus Sanctus semel impleverat, à viro illum secundò aut pluries impleri non decebat.

§. 102. Hanc perpetuam Mariæ virginitatem, etiam post partum, nonnulli putant definitam. Ezec. cap. 44: vers. 2. *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non intrabit per illam. Nam Dominus Deus Israel intravit per illam, & erit clausa*, ad quæ verba ita Hieronymus. *Pulchrè quidam portam clausam semper, virginem Mariam intelligunt, quæ & ante partum & post partum virgo permansit.* Et hoc quidem bonâ mente,

 imò

imò & salvâ ac illæsâ veritate, non firmâ tamen satis consequentia, nec irrefragabili demonstratione.

Argumenta Helvidii contraria.

§. 103. Lubet etiam narrare argumenta *Helvidii.* Dicit. Maria *uxor* Josephi vocatur. Matt. 1:vers. 20. 24. Fuit certè uxor, sed non ad concubitum. Omnia alia, quæ sunt uxoris, illi præstitit. A concubitu, non invito Josepho, abstinuit. Addit. *Non cognovit eam usque dum peperit.* Matt. 1:vers. 25. *Ergo cognovit, postquam peperit.* At sciat, particulam ἕως οὗ *usque dum*, non semper determinare de consequenti. Id exempla ostendunt. *Michal, filia Saul, non fuit illi* ילד *proles*, ad יום מותה *usque in diem mortis.* 2 Sam. 6:23. num ergo post mortem exstitit illi proles? *Nemo novit sepulchrum Mosis, usque in diem hunc.* Deut. 34:6. an ergo postea id quisquam novit? *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Matt. cap. 28:vers. 20. an igitur post consummationem seculi non erit nobiscum Christus? Ἕως ἔρχομαι. *Quousque venero, lectioni attende.* 1 Tim. 4:vers. 13. An ergo postquam venit Paulus, non amplius attendere debuit Timotheus? Pergit. Christus est Mariæ *primogenitus.* Matt. 1:vers. 25. *Ergo post illum genuit alios.* Respondeo. Primogenitus excludit antecedentem, non necessario post se trahit sequentem, nam & *unigenitus* primogenitus est. Instat. Scriptura Christo *fratres* tribuit. Matt. cap. 12:vers. 46. Actor. 1:vers. 14. quorum etiam nomina recensentur Galat. 1:vers. 19. Matt. 13:vers. 55. *Jacobus, Ioses, Simon, Iudas.* Imò & *sorores* ibid. ℣. 56. *Sorores ipsius nonne omnes apud nos sunt?* confer Marc. 6:vers. 3. Sed in promtu est dicere, ut Jesus ἐνομίζετο *æstimabatur* vulgi sententiâ *filius Ioseph.* Luc. 3:23. Ita hi æstimati sunt à vulgo fratres illius, æstimati sunt, non autem fuerunt. Et quid vulgarius est, quàm *cognatos* fratres dici? *Quatuor modis*, docente Hieronymo, *in scripturis divinis, fratres dicuntur, natura, gente, cognatione, affectu.* Ita *Lot*, *filius fratris* Abrahami Genes. 12:5. illius *frater* dicitur. Genes. cap. 13: 8. 14: vers. 14. Laban *Iacobum* nominat *fratrem* suum, Genes. 29:15. cum tamen sororius esset. Etiam Jacob cognatos, *fratres* suos vocat. Genes. 31:37.

Fratres Christi.

§: 104. Et ut de his ita dictis fratribus Christi obiter moneamus, sciendum, non illos fuisse filios Josephi, è priore ipsius conjuge genitos, ut Epiphanius statuit, nam de hac è sacris nil constat conjuge. Deinde *Iacobus*, unus horum fratrum, dicitur τοῦ Ἀλφαίου *filius Alphæi.* Matt. cap. 10:vers. 3. non ergo Josephi fuit. Igitur sciendum Patrem horum filiorum fuisse *Alphæum*; imò & quorundam forsan *Clopam.* Matrem autem fuisse *Mariam* Marc. 15:40. Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ μήτηρ. confer Matt. 27:56. quæ *Maria* statuitur fuisse *soror Mariæ* matris Jesu. Joh. 19:25. ubi & dicitur Μαρία ἡ τοῦ κλωπᾶ *Maria Clopæ*; uxor nimirum: unde conjicitur, duos illam habuisse conjuges, *Alphæum* primo, deinde *Clopam.*

§. 105. Quod autem attinet quatuor illos fratres, *Iacobus*, ut dictum, dicitur ὁ τοῦ Ἀλφαίου, etiam ὁ μικρὸς *Minor*, Marc. 15:40. ut distinguatur à *Iacobo Zebedæi.* Matt. 10:2. Actor. 1: 10. Hicque Jacobus Alphæi seu Minor est ille, quem nominat Paulus τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου, Galat. 1:19. *Simon* autem cognominatur ὁ κανανίτης *Cananita*, Matt. 10:℣. 4. & ὁ ζηλωτὴς *Zelotes*, Actor. 1:13. quô distinguitur *à Simone Petro.* Matt. 10: 2. *Iudas* autem dicitur & λεββαῖος ac θαδδαῖος, Matt. 10:3. & *Iudas Iacobi*, frater nimirum Judæ vers. 1. Luc. 6: 16. quo distinguitur à *Juda Iscariote.* Horum fratrum *tres*, hucusque nominati, *Jacobus*, *Simon*, *Iudas*, ad Apostolatus dignitatem evecti sunt. De quarto autem fratre *Iose* non legitur, num Christum secutus sit, certè Apostolus factus non est, lege Matt. 10:3. 4. Luc. 6:15. 16. Act. 1: 13.

§. 106. Præ-

§. 106. Præter hos quatuor alios adhuc habuit *fratres*, Ioh. 7: 3. *dixerunt igitur ad illum οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ fratres ipsius*, de quibus paulò post dicitur vers. 5. *neque fratres ipsius credebant in illum.* Ut igitur quatuor illi fratres fuerunt cognati proximiore, ita hi cæteri remotiore forsan gradu.

§. 107. His diebus *edictum exiit à Cæsare Augusto.* Luc. 2: 1. *Cajus Cæsar Octavianus*, successor *Iulii Cæsaris*, qui principatum Imperii Romani accepit, & finem civilibus bellis fecit, appellatus AUGUSTUS est; de qua appellatione ita Dion. Cassius Libr. LIII. ἀλλὰ, inquit, Αὔγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὢν, ἐπεκλήθη, πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ τὰ ἱερώτατα, αὔγουστα προσαγορεύεται. AUGUSTUS, quasi *hominis sortem excedens, cognominatus est.* AUGUSTA *enim ea, quæ honore dignissima ac sanctissima sunt, dicuntur.* Florus Libr. IV. *Tractatum etiam in Senatu, an quia condidisset imperium,* ROMULUS *vocaretur; sed sanctius ac venerabilius visum est nomen* AUGUSTI; *ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur:* adeò superbum hoc nomen fuit. Edictum à Cæsare Augusto.

§. 108. Δόγμα *decretum* hoc jussit ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, *describi totam habitabilem.* Romani *Dominos terrarum orbis* se jactabant, quem tamen totum non tenebant. Ita fastuosa Roma Ethnica fuit, quam modernæ Romæ Præsul imitari haut erubescit, *œcumenicum* se dicens *Episcopum.* Voluit Augustus, *totam habitabilem*, quatenus ipsius imperio subjecta fuit, *describi.* Ut tota describetur habitabilis.

§. 109. Hæc *descriptio* eum in finem facta est, ut, descriptis omnium civitatum capitibus, constaret, quæ cujusque regionis, urbis, familiæ, domus, facultates, fundi & reditus essent. Non fuit hæc *descriptio* exactio tributi; sed consignatio tantùm Personarum & facultatum, à quibus Tributum exigi posset. Hac ratione totius latissimi Imperii copias, vires & proventus intelligere potuit. Narrat Dion. libr. 56. quum Augustus alendis exercitibus vicesimam instituisset, idque tributum Populus constanter recusaret, decrevisse illum tributum ex agris & ædibus colligere; statim igitur, inquit Dion. μηδὲν εἰπὼν, μηθ᾽ ὅσον μηθ᾽ ὅπως αὐτὸ δώσουσι, ἔπεμψεν ἄλλους ἄλλῃ, τά τε τῶν ἰδιωτῶν καὶ τὰ τῶν πόλεων κτήματα ἀπογραψομένους, *nil dicens, nec quantum, nec quomodo illud,* tributum, *daturi essent, alios alio misit, qui privatorum & civitatum possessiones,* seu bona *describerent* ac consignarent. Id anno Imperii penultimo Augustum fecisse Dion refert. Ita & nunc hac ἀπογραφῇ intendit, ut cognosceret τὰ κτήματα divitiasque Imperii sui & subditorum suorum. Sunt qui τὸ ἀπογράφεσθαι vertunt, *ut censeretur*: non malè quidem; nam ut habet Vetus Gloss. *Census* est ἀπογραφὴ οὐσίας. Sed *censeri* est propriè τιμᾶσθαι, & *census* dicitur ἀποτίμησις, & *censor* dicitur τιμητής. *Censum* autem, ut id obiter addam, ita actum scribit Dionys. Halicarn. libr. IV. cap. 19. Quivis civis profitebatur genus, nomen, annos, de se, uxore, liberis & servis, atque in his officia & artes; dein pecunias suas & prædia. Agri ita deferebantur, ut nomen fundi, tum civitas pagusque, quo pertineret, vicini præterea, deinde arva, vineæ, prata, silvæ, pascua deferrentur. Atque hæc omnia edebantur juratò, & si quis detrectaret aut falleret, mulctabatur amissione bonorum & civitatis, antiquitus etiam virgis cædebatur. Institutus Romæ primùm & ordinatus census à Servio Tullio Rege fuit, ut docet Livius: observant nonnulli, *censum*, qui diceretur, propriè ad urbem Romam pertinere: in provinciis autem eam rem ἀπογραφὴν appellari, quod discrimen tamen non omnes cū cura attenderunt.

§. 110. Cum igitur vellet Augustus *omnem habitabilem*, sive, ut alii reddunt, *totum orbem habitatum describi*, idem etiam in Iudæa fieri debuit. A quo Pompejus Hierosolymam cepit, amiserunt libertatem Iudæi, & Romanorum imperio subjecti fuerunt. Erat quidem, quum Adeoque & Judæa.

hæc fieret ἀπογραφὴ, *Herodes* Rex Judææ, Matt. 2: 1. 22. sed Regnum id à Romanis dono acceperat. *Regnum ab Antonio Herodi datum, victor Augustus auxit.* Tacitus libr. 1. Hist. cap. 5. Ideo semper placere Augusto, & gratiam illius conciliare sibi studuit. Regnabat igitur Herodes quidem in Judæa, sed precariò tantùm, & ἐπὶ φόροις τεταγμένοις, ut Appiani utar verbis; neque adeo Judæa a descriptione hac eximi potuit.

Descriptio illa qualis fuerit. §. 111. Ut autem constet, qualis hæc fuerit ἀπογραφὴ, utque ab omni alia probè discernatur, addit Lucas. "Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς συρίας κυρηνίου. Luc. 2: 2. In nonnullis codicibus est *comma* post πρώτη; ac si Lucæ mens esset, hanc descriptionem dicere *primam*, ante quam nulla facta sit. Sed si id voluisset dicere, scribendum fuisset, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ ἡ πρώτη: deinde, tunc sequeretur, hanc primam descriptionem factam esse, *quum Cyrenius Syriæ præsideret*, id quod cum historia non convenit, quam paucis narrare, forsan non abs re erit.

§. 112. Κυρήνιος *Cyrenius*, Romanis dictus *Cajus*, seu ut est in Latino Coss. catalogo *Publius Sulpicius Quirinius* fuit ἀνὴρ ὑπατικὸς *vir consularis*, & à Cæsare Augusto missus est in Syriam & Judæam, illo tempore, quo *Archelaus*, Herodis filius, qui consensu Cæsaris *regnabat in Iudæa post Herodem Patrem suum* Matth. 2: 22. accusatus à primoribus Judæorum & Samaritanorum, ægrè ferentibus τὴν ὠμότητα αὐτοῦ καὶ τυραννίδα, à regno depositus, & in exilium à Cæsare missus est; de qua re ita Josephus: καὶ ἐκεῖνον μὲν, Archelaum nimirum, φυγάδα ἐλαύνει, Cæsar Augustus, δοὺς οἰκητήριον αὐτῷ βίενναν πόλιν τῆς γαλατίας, τὰ δὲ χρήματα ἀπηνέγκατο. Factum id δεκάτῳ ἔτει τῆς ἀρχῆς ἀρχελάου, *decimo anno Imperii Archelai.* Regiones subjectas Archelao attribuit Cæsar *Syriæ*: ita ipsa *Iudæa* προσθήκη τῆς συρίας ἐγένετο *additamentum Syriæ facta est.* Illo tempore in *Syria aderat* Cyrenius hic, à Cæsare missus, ut esset δικαιοδότης τοῦ ἔθνους *gentis Præsul*, & simul τιμητὴς τῶν οὐσιῶν *censor facultatum.* Ideò & in *Iudæam* intravit, attributam nunc Syriæ, ἀποτιμησόμενός τε αὐτῶν οὐσίας, *illorum etiam descripturus* & censurus *facultates* seu substantias, καὶ ἀποδωσόμενος τὰ ἀρχελάου χρήματα καὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ, ac simul *venditurus domum & opes Archelai*, in exilio nunc agentis. Hunc censum autem cum indiceret Cyrenius, ecce *Iudas* quidam, γαυλανίτης ἀνὴρ, ἐκ πόλεως, ὄνομα γαμάλα, adjuncto sibi *Zadoko Pharisæo*, ἠπείγετο ἐπὶ ἀποστάσει, *ad defectionem sollicitat* populum, suadetque ne censeri se sinat & libertate exui; sed periit Judas, & omnes, qui consiliis illius favebant; & αἱ ἀποτιμήσεις πέρας εἶχον *descriptiones terminum suum obtinuerunt*: hac de re loquitur Gamaliel Actor. 5: 37. *surrexit Iudas Galilæus*, ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς, *in diebus descriptionis, & deficere fecit populum multum post se; sed & ille periit, & omnes, quotquot obediverant illi, dispersi sunt.* Hactenus Josephus ἀρχαιολογ, libr. 17. cap. ultimo. & libr. 18. cap. 1. & cap. 3. in initio capitis.

§. 113. Ex hac narratione apparet, *Quirinium* seu κυρήνιον semoto & relegato demum Archelao Syriæ præsidium accepisse, & in Judæam intrasse; censumque egisse, non, cum Christus nasceretur, sed jam decennio, & quod excurrit, a nativitate ejus elapso. Imò & census à Quirinio actus planè alius est ab illa descriptione, quæ in diebus nativitatis Christi acta est. Christo nascente tota habitabilis est descripta. Cyrenius Judæam tantùm & Syriam censuit. Descriptio Christo nascente nullas turbas dedit. Census Cyrenii magnas excitavit. Denique constat, *Quintilium Varum*, qui postea infeliciter periit in Germania, Syriæ præsidem fuisse ultimis annis Herodis Regis, adeoque & tempore nascentis Christi.

§. 114. Igitur cum Cyrenius Syriæ necdum præsederit in diebus illis, quibus *exiit edictum à Cæsare*, de quo Lucas scribit, certum est, nec *hanc descriptionem* factam *præsidente Syriæ Quirinio.*

§. 115. Ne-

§. 115. Neque igitur fingere opus est, Cyrenium ab Augusto ad perficiendam universalem hanc ἀπογραφὴν ablegatum fuisse, ut coadjutor esset Præsidis Quintilii Vari; & ut hac in re, non autem absolutè, Syriæ præsideret; illumque etiam deinceps secundam illam specialem egisse descriptionem, pulso Archelao: nam id cum historia non convenit.

§. 116. Ut autem Lucas ostendatur à veritate haut aberrasse, sciendum verba illius ita optimè verti posse; & quia possunt, debere. *Hæc descriptio ante facta est, quam præsideret Syriæ Quirinius.* Ita πρώτη idem erit, quod προτέρα. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ, πρώτη, hoc est, προτέρα ἐγένετο *prior exstitit præsidente Quirinio.* Et quid usitatius, quàm adjectivum πρῶτος *comparativè* significare Apoc. 2:4. τὴν ἀγάπην σου τὴν πρώτην ἀφῆκας. *Charitatem tuam primam*, hoc est, priorem *dereliquisti*. confer vers. 5. Matth. 21:36. 27:64. Luc. 11:26. Joh. 20:4.8. Actor. 1:1. Rom. 10:19. Hebr. 8:7. 9:1.2.15.18. 2 Pet. 2:20. 1 Joh. 4: vers. 19. His omnibus adde Joh. 1:15. ὅτι πρῶτός μου ἦν *nam prior me est.* πρότερός μου ἦν.

§. 117. Docet igitur Lucas, Hanc *descriptionem*, quæ facta est nascente Christo, antecedere ἡγεμονίαν & ἀπογραφὴν Cyrenii; cujus memoria ob excitatas turbas & multorum cædem infausta exstitit. Neque adeò adjectivum πρώτη notat *ordinem* ἀπογραφῶν; ac si hæc esset prima *ordine*, quam Quirinius egit; quia, ut dictum, è nulla historia constat, Quirinium duplicem egisse; sed notat *tempus* ἀπογραφῆς hujus; quod nim. facta est ante ἡγεμονίαν Cyrenii, decem circiter annos.

§. 118. Nec sine causa notavit Lucas factam descriptionem hanc, antequam Cyrenius Syriæ præses esset; ita enim approbatur veritas vaticinii Es. cap. 7. de Immanuele nascendo; usque quo *Damascus* esse debebat *caput Syriæ* tantùm, vers. 8. non autem *Iudææ*. Cyrenio autem præside facto, Judæa Syriæ προσθήκη facta est; & *Damascus* ab illo exstitit tempore *caput* & metropolis, & *Syriæ* totius, quod semper fuerat; & *Iudææ* totius, quod non fuerat, nec esse debuerat, antequam *natus* apparuisset *Immanuel*; certissimo argumento, jam *datum* à *Domino* esse promissum illud *signum. Virgo concipiet, & pariet Filium, Immanuel.* Es. 7. 14.

§. 119. Ut autem edicto Cæsaris Augusti satisfieret, *profecti sunt omnes ut describerentur, unusquisque in propriam civitatem.* Luc. 2:3. In illa quivis describi debebat civitate, ex qua genus ducebat & familiam. Profecti sunt *omnes*, qui nim. capita erant familiarum, & ad quos paterna devoluta erat hæreditas.

Vi edicti omnes profecti sunt, unusquisque in propriam civitatem.

§. 120. Ita & *ascendit Ioseph à Galilæa, ex civitate Nazaret*, ubi habitabat, *in Iudæam*; (erat enim Judæus.) *in civitatem David, dictam Betleem: quia erat è domo & familia David.* Luc. 2:4. *Ascendit*, inquam. Iudæa altior Galilæa dicitur, qui è profundiore Galilæa altiorem petit Iudæam, is ascendit; sursum proficiscitur, *in civitatem David*; in qua natus est & educatus 1 Sam. 16:1.18. *dictam* Βηθλεὲμ, ob agrorum fertilitatem: (*Betlehem* enim *domum patris* notat) & vetustiori nomine *Ephratah*, id est, fructiferam à פרה Genes. 35:18. ubi *Rahel* mortua & sepulta, confer Rut. 4:11. unde David dicitur בֶּן אִישׁ אֶפְרָתִי *filius viri Ephratæi.* 1 Sam. 17:12. Aberat autem *Nazaret*, unde Ioseph ascendebat, à *Betleem*, quo ascendebat, itinere quatridui.

Etiam Joseph in Betleem.

§. 121. Nec solus ascendit, sed cum *Maria.* Maria filia ἐπίκληρος, unica paternæ familiæ hæres, etiam describi debebat. Nisi fuisset ἐπίκληρος, non opus habuisset ἀπογράφεσθαι, numquid enim putabimus, omnes uxores unà cum maritis suis ivisse, ut describerentur? annon maritus, caput familiæ, sufficit? sed filia, ad quam hæreditas erat devoluta, etiamsi maritata, adesse descriptioni debuit; ut ne fraus quædam intercederet, & hæreditas descri-

Cum Maria desponsata uxore.

ptioni

ptioni ac censui subſtraheretur. Igitur *aſcendit* Joſeph, *ut deſcriberetur cum Maria deſponſa ſibi uxore.* Luc. 2:5. adhuc dicitur Maria *deſponſa*, quæ jam erat à Joſepho aſſumta, ut certa maneat fides, Joſephum ſemper cum illa vixiſſe, ut cum *deſponſa* vivitur; hoc eſt, *non cognoviſſe*, & à congreſſu conjugali ſanctè, caſtè, ac reverenter abſtinuiſſe.

Ubi complentur dies ut pareret.

§. 122. *In Betleem* cum eſſent, *completi ſunt dies, quibus illa pareret.* Luc. 2:6. Ita juſto tempore illuc pervenerat. Illam enim civitatem nominaverat Dominus, *è qua exiret ipſi Dominator in Iſrael.* Mich. 5:1. Auguſti indicta ἀπογραφῇ, occultè, ipſo neſciente Auguſto, & nil minus intendente, rem hanc promovit. Ita Reges & principes hujus mundi, dum mundana quærunt, & ſuis tantùm rebus intenti ſunt, voluntatem ſæpe Dei & conſilium procurant. Deus illorum conſilia moderatur. Eo tempore deſcriptionem indicit Auguſtus, quo Immanuel naſci, & Dominator è Betleem exire debebat. Maria iter facit Betleemum, ut deſcribatur, ad id illuc vocata erat ab Auguſto, ſed debuit ibi adeſſe ob veritatem Dei, ideo illuc incolumis ducta eſt à Deo. Mirum, ni Maria hilaris difficile hoc iter, tum reſpectu conditionis ſuæ; erat enim ἔγκυος; tum temporis, quod dicitur fuiſſe brumale, iniverit, benè gnara, ſe hac ratione duplex exſolvere officium; ſimul implens voluntatem terreſtris Domini, Cæſaris; ſimul ipſo facto voluntati Domini Dominorum, & Regis Regum ſatisfaciens, & complacentiam ſeu εὐδοκίαν Altiſſimi adimplens. Sciebant Judæi omnes, *Chriſtum naſcendum in Betleem.* Matt. 2:4.5. Joh. 7:42. Et Maria Sancta, benedicta, gratia cumulata ſola id ignoraverit?

Imò & peperit Filium.

§. 123. *Peperit*, igitur ibi *filium ſuum primogenitum*, ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον. Luc. 2:7. confer Matt. 1:25. Primogenitus dicitur Hebræis פֶּטֶר רֶחֶם τὸ διανοῖγον μήτραν *aperiens vulvam.* Exod. 13:2. Igitur hic duplici nomine eſt *Primogenitus*, & quà *filius Dei.* Col. 1:15. *Primogenitus omnis creaturæ*, hoc eſt, genitus ante omnem creaturam, Ioh. 1:18. Apoc. 1:5. Col. 1:18. Zach. 12:10. & quà *filius hominis*, eſt enim primus fructus ſancti ventris Mariæ, ante illum non tulit alium: imò nec poſt illum; neque igitur tantùm eſt *Primogenitus* Matris Mariæ, ſed & υἱὸς μονογενὴς τῇ μητρὶ αὐτοῦ, ut ita loquar è Luc. verſ. 7:12. nam אֵין לָהּ מִמֶּנָּה בֵּן אוֹ בַת *non fuit illi ex ipſa Filius aut Filia*, præter unicum hunc Filium; liceat ita imitari phraſin Iud. 11:34.

Myſterium conceptionis & partus Domini propius conſideratur.

§. 124. Duo dixerat Angelus Mariæ, συλλήψῃ καὶ τέξῃ *concipies & paries.* Luc. 1:31. *Concepit*: nam deprehenſa fuit ἐν γαστρὶ ἔχουσα Matt. 1:18. ἔγκυος. Luc. 2: verſ. 5. Eliſabet agnovit τὸν καρπὸν τῆς κοιλίας αὐτῆς. Luc. 1:42. Nunc, quod conceperat, *peperit.* καὶ ἔτεκε. Figamus hic pedem, ſiſtatur cogitatio. Ita meretur res hæc, ὁμολογουμένως *magna, nova, portentoſa.*

Concepit Maria per potentiam Spiritus.

§. 125. *Concepit* Virgo *in Ventre*, hoc primum eſt, è ſanguine & ſemine Virginis exſtitit & ortus eſt in utero illius. *benedictus hic fructus.* Cumque Virgo naturaliter non haberet δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος *potentiam ad dejectionem ſeminis* in uterum, (Heb. 11:11.) nec ſemen in uterum dejectum ſolum ſufficeret ad ſuſceptionem prolis, effecit *Spiritus Sanctus* per potentiam ſuam divinam, ut ſemen in uterum illius dejiceretur, dejectum fœcundaretur, utque ſemen fœcundatum in corpus humanum, oſſa humana, carnem humanam conformaretur. Ita potentia Spiritus fecit, ut cum ſola ad procreationem prolis Virgo non ſufficeret, in hac divina prole concipienda haut tamen deficeret. Et numquid hoc difficile fuit Spiritui omnipotenti & æterno, qui è nihilo creavit omnia; ex humo condidit Adamum; è coſta Adami Evam; quique *omnia* poteſt; & ea tantùm non poteſt, quæ adverſa ſunt aut æternæ *veritati*, quale eſt *mentiri*; aut æternæ *bonitati*, quale eſt *fallere*; aut æternæ *beatitudinis*, quale eſt *pœnitere*; aut æternæ *vita*, quale eſt *mori*; aut æternæ

ſan-

sanctitati & justitiæ, quale est *peccare*; aut *constantiæ*, quale est *mutari*; quæ *posse* non est potentiæ, sed extremæ impotentiæ; adeò ut dum hæc *prædicatur non-posse*, agnosci debeat *omnia posse*. Hic ergo δυνατὸς fœcundum fecit Mariæ semen, formavit illud in corpus humanum, & cum illo corpore junxit ac copulavit animam humanam; quæ non est è potentia materiæ, sed immediatè creatur à Spiritu æterno & omnipotente.

§. 126. Idem Spiritus sanctificavit *semen* Mariæ, ut inde nasceretur ille, qui debebat esse ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, Hebr. 7:26. *sanctificavit*, ut sine labe is, qui ex illo ortus est, nasceretur. Maria non erat φύσει labis & mali expers, imò ut omnes *filia iræ*, *conceptam in peccato, genita in pravitate*. Tamen quod ex illa natum est, est *sanctum, sine vitio, non inquinatum*. Quod è voluntate & concupiscentia carnis, & congressu viri & fœminæ suscipitur & generatur, simile est generanti, adeoque *impurum ex impuro*, malum è malo. Sed *Sanctum* hoc non è voluntate Mariæ, quàmvis nec contra illius voluntatem; dixit enim, *ecce serva Domini fiat mihi*, &c. Luc. 1:38. nec è concupiscentia carnali; quâ virum necdum cognoscens & sanctificata haurire hebatur, neque adeò è congressu viri; sed per voluntatem & potentiam Altissimi, in illa & ex illa natum est; cœpitque adeò *carnis* quidem illius esse particeps, peccati haut-quaquam. Peccatum primariam in *anima* habet sedem & *corde*, cujus *cogitationes malæ tantùm sunt omni die*. Genes. 6: vers. 4. Hæc immissa in corpus *membris* illius abutitur illaque *sistit arma injustitiæ peccato*; adeoque *peccatum in mortali corpore regnat*, ut *illi obediatur in concupiscentiis*. Rom. cap. 6: ṽ. 12. Si anima corrupta in corpore non habitaret, illud à plurimis concupiscentiis & passionibus ac malitiis vacuum esset. Quid quæso mali est in *manu*, aut *pede*, aut *lingua*; nisi à concupiscentia cordis *manus* extendatur ad illicita, per innoxias ducatur semitas, & è *lingua* emittantur verba scandalosa? Quid mali inest in nuda materia aut *sanguinis* aut *seminis*, nisi concupiscentia cordis, corruptio voluntatis, libido animi id, quod è sanguine & semine oritur, impurum redderet, & peccaminosum? *Semen* virginis, & *materia*, è qua formatus est sanctissimus ventris ipsius fructus, per se peccati malique expers fuit, nisi voluntate impurâ corrumperetur. Sed nulla hic fuit voluntas impura, nulla animi libido. Ideò & quod inde natum est, sanctum fuit, vitii expers, & haut maculatum. Fuit tamen verè *caro*, quia è materia carnea ortum est, verè *corpus* humanum, quia è semine humano, quàmvis muliebri, formatum est; verus *homo*, quia in utero hominis conceptum est. Attamen *sancta* caro, *sanctum* corpus, *sanctus* homo, quia sine libidine, concupiscentia & carnali impulsu genitricis enatum est. Hic fructus ventris Mariæ è semine & substantia illius genitus, inde exstitit *semen mulieris, filius hominis, puer, particeps carnis & sanguinis, in forma servi, caro, in similitudine carnis peccati*, hominibus *similis* κατὰ πάντα, χωρὶς ἁμαρτίας. Gen. 3:16. Gal. 4:4. Es. 9:5. Hebr. 2:14. Phil. 2:6. Joh. 1:14. Rom. 8:3. Hebr. 4:15.

Id, quod concepit, peccati expers est.

§. 127. Conceptio hæc facta est sine dubio *successive*; hoc est, ad eundem modum, quo nostra corpora in utero materno concipiuntur, quorum partes primùm principales, cor, epar, jecur, cerebrum formantur; dein venæ, sanguis, ossa, caro, cutis; quæ quinto demum conceptionis mense incipiunt κινεῖσθαι. Nam ut conceptionem Christi statuamus *momentaneam*, hoc est, ut Christus à primo statim conceptionis momento fuerit perfectus fœtus, vivens, se movens, animam rationalem habens inhabitantem, id hactenus persuaderi non potuimus. Nam ut Christus *natus* non statim fuit perfectus vir, sed primum infans, dein puer & adolescens, denique juvenis; ita certè *conceptus* non statim perfectus fuit fœtus, sed primo imperfectus, dein perfectus factus. Qui si statim perfectus fuit fœtus,

Concepit successive; non momentaneè.

cur non statim ex utero materno exiit, cur non statim in lucem prodiit, cur tamdiu ibi latuit, justumque tempus mensium, quod conceptioni datur, implevit? Non puduit illum, quo minus esset infantulus; neque etiam, quo minus embryo, hoc est, fœtus imperfectus. Quia *pueri*, ipsi *dati*, κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, *etiam ille similiter illorum* μετέσχε. Hebr. 2:14. quidni ergo & παραπλησίως, simili, quo illi, modo & ratione illorum particeps factus sit, hoc est, per successivam conceptionem, & justam nativitatem?

Solvuntur argumenta contraria.

§. 128. Neque momenti ullius sunt, quæ pro *momentanea conceptione* allegantur. *Sermo*, inquiunt, *caro factus est*. Joh. 1:14. Atqui *caro perfectum hominem* significat. Sed sciant boni *carnem* notare ibi *naturam* τοῦ λόγου *humanam*; ut & Rom. 1:4. 9:v. 5. 1 Tim. 3:16. 1 Petr. 3:18. *factus est caro*, hoc est, naturæ humanæ particeps esse cœpit, quid hoc pro momentanea facit conceptione. Pergunt. Jerem. 31:22. *Fœmina circumdabit* גֶּבֶר *Virum*. Ergo, inquiunt, *non imperfectum fœtum*. Atqui Jeremias non hic constituit definire modum conceptionis; sed docere, illum, quem fœmina *circumdedit*, in ventre nimirum suo, esse גֶּבֶר *virum* illum, fortem, Heroem, *Robustum Iacobi*, גִּבּוֹר *prapotentem* illum, cujus nomen est אֵל Es. cap. 9: vers. 5. *Circumdabit* גֶּבֶר, hoc est, illum, qui est & comprobabitur ipso facto & opere *Robustissimus victor*, in utero concipiet, & conceptum pariet.

Error Anabaptistarum.

§. 129. *Manichæi, Valentiniani, Marcionitæ, Cerdoniani, Anabaptistæ*, negant, τὸν λόγον è *Maria* aut è substantia carnis illius ortum esse; statuunt, Christi *carnem è substantia Spiritus sancti* genitam; *è substantia Patris cœlestis*; illamque *è cœlo* allatam, & per virginis uterum, velut canalem quendam, traductam.

§. 130. Quibus opponimus. 1. *Quicquid genitum est à carne, caro est, & quod genitum est à Spiritu, Spiritus est*. Joh. 3:6. Igitur si è substantia Spiritus genitus est Christus, non est factus caro, sed exstitit Spiritus. 2. *Spiritus ossa & carnem non habet, ut* Christus *habuit*. Luc. 24:39. Ergo ossa illius & caro è substantia Spiritus non sunt genita, nam quod Spiritus non habet, è Spiritu gigni non potuit. 3. Si homo Christus est genitus è substantia Spiritus, certè Spiritus Pater illius est. Atqui ἀπάτωρ est. Heb. 7:3. 4. Si Spiritus ex substantia sua carnem Christi genuit, oportet, ut aut Spiritus sit caro, h. e. substantia corporea, aut mutatus in substantiam corpoream. Atqui Spiritus *Dominus* est, qui dixit, *non mutor*. confer Jac. 1:17. 5. Si Christus ex substantia Spiritus est genitus, non est verus homo, non frater noster, non nobis secundùm omnia similis, non Filius Davidis & Abrahæ, non semen mulieris, neque adeò redemtor noster, quos enim non assumsit, non redemit. *Angelos non assumsit*, nam & Angelos non redimit. Hebr. cap. 2: vers. 16. 6. Quid ergo vult Scriptura, quæ docet illum *natum è muliere*, Galat. cap. 4: vers. 4. natum in *muliere*. Matt. 1:20. Nos nascimur è muliere, & carnem habemus è muliere. Christus natus è muliere, carnem non habebit è muliere, nam secundùm hos errantes è substantia Spiritus. *Natus est Christus è semine David secundum carnem*. Rom. 1:3. est *è Patribus, quantum ad carnem*. Rom. 9:5. Atqui non id verum, si è substantia est Spiritus. Quomodo erit Maria *Mater* illius? nam quod illum in utero aliquamdiu fovit, nutrivit, gessit, illud veram non exhaurit maternitatem. Cur dicit Angelus, τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ, Luc. 1:35. ut codices habent antiquissimi, imò & Epiphanius, imò & Athanasius, qui ita ad hæc annotavit verba, ὁ γαβριὴλ ἀσφαλῶς διηγγελίζετο τῇ Μαρίᾳ, λέγων, οὐχ ἁπλῶς τὸ γεννώμενον ἐν σοὶ, ἵνα μὴ ἔξωθεν ἐπεισαγόμενον αὐτῷ σῶμα νομισθείη, ἀλλ', ἐκ σοῦ, ἵνα φύσει τὸ γεννώμενον ἐξ αὐτῆς εἶναι πιστευθείη. In eundem sensum Syrus transtulit, דמתילד מנכי *quod nascitur ex te*.

Sociní.

§. 131. Nil melius sentit *Socinus*, qui quidem fatetur, *Christum hominem, in virginis utero*,

utero, ex ipsa Dei substantia non esse genitum; negat tamen, *illum ex sola virginis substantia fuisse generatum. Non minus quidem Christum hominem ex virgine matre sumsisse, quam alii homines ex suis matribus sumant*, tamen *non negandum esse, Dei virtutem in virginis uterum substantiam aliquam creatam immisisse, aut ibi creasse; ex qua Christus, juncto eo, quod ex ipsius virginis substantia sumsit, verus homo generatus fuerit; qui propterea ut homo, non matrem tantum, nempe virginem ipsam habuerit; sed patrem etiam, nempe ipsum Deum.* contra Wiekum de divinitate Filii & Spiritus Sancti. Si autem Christus homo non ex sola Mariæ substantia natus est, non erit vere *Mariæ, & mulieris semen.* Imò & substantia illa, quam Deus in uterum virginis immisit, qualis erit? num corporalis, aut spiritualis? si corporalis, quomodo & quando ingressa est in uterum? quomodo est illa à virginis materia diversa? si Spiritualis, quomodo ex illa corpus nasci potuit?

§. 132. Nec concepit tantùm Maria, sed & *peperit*, hoc secundum est. Ut in conceptione hoc habuit peculiare & extraordinarium, quod sine vito concepit, ita in partu putant multi illam hoc habuisse singulare, quod non in *dolore* peperit, & *clauso utero*. Id tamen non certum, nec firmum est. Peperit Maria & in dolore & aperto utero.

§. 133. Evæ promissio erat facta de *semine mulieris*, sed tamen audire debuit, *in dolore paries liberos.* Genes. 3. In Maria promissio hæc impleta est, enisa enim illa est *semen* hoc, quare & ipsa sine dubio in dolore peperit. Debuit in partu dolorem sentire, quia semen promissum non debuit sine dolore in mundum intrare, debuit enim *tentari secundùm omnia juxta similitudinem.* Hebr. 4: vers. 15. Et qui *dolores* omnes *nostros bajulavit, & infirmitates tulit*, Es. 53: 4. 5. 6. quidni & dolores partus communes nobiscum habuerit? Quicquid est à peccato, debuit gustare, qui factus est pro nobis peccatum. Atqui quod in dolore nascimur, à peccato est. Sint certè tormina parturientium in regionibus illis calidis minus acuta, sensit tamen tormina Maria pariens; sensit *puer natus.* Neque ergo stringit ratio. Maria dolori partus non fuit obnoxia; eò quod concepit *sine culpa*; nec concepit *peccatorem.* Fuit enim *peccatrix* Maria; & *puer*, quem peperit, sponsor & vas peccatorum; ideo omnes peccati fructus gustare debuit. Rationes.

§. 134. Et quidni fuerit *vulva* reserata Sanctissimæ? Non datur utique penetratio dimensionum. Corpus per corpus penetrare non potest. Sol fenestras penetrat, sed fenestræ sunt corpora porosa, & radii solis subtiles, ut poros illos penetrare optimè possint. Atqui uterus Mariæ diversæ fuit indolis & substantiæ. Et caro Christi, ossibus incumbens, carne tecta nimium quantum à radiis Solis differt. Et quid opus multis? Dicitur Maria *implevisse dies purificationis suæ secundùm legem Mosis.* Luc. 2: vers. 22. Quinam sunt hi dies purificationis? ii, quibus elapsis, mulier, quæ pepererat, *à fonte & profluvio sanguinis*, quem in partu & post partum profuderat, purgabatur. Implevit hos dies purificationis Maria, & tum purgata est à fluxu sanguinis & menstruorum. Si autem uterus illius non apertus fuit, quomodo *sedere* potuit בִּדְמֵי טָהֳרָה, & *purgari*, מִמְּקֹור דָּמֶיהָ Levit. 12: vers. 4. 7.? Neque enim sanguinem profudit, si pariens uterum non aperuit. Deinde & *Filium suum primogenitum deduxit Hierosolymam, ut sisteret illum Domino, ut scriptum est*, πᾶν ἄρσεν διανοῖγον μήτραν *aperiens matricem, sanctum Domino vocabitur.* Luc. 2: vers. 23. Cur stitit Filium suum Maria? quia tenebatur lege; *Omne aperiens vulvam è maribus*, &c. Fuit ergo aperiens matricem. Si non aperuit matricem, non opus fuit, ut sisteretur Domino.

§. 135. Et ita quidem visum est antiquissimis etiam scriptoribus. Origenes in Lucam Hom. 14. *Matris Domini*, inquit, *eo tempore vulva reserata est, quo & partus editus.* Ambros. Testimonia Patrum.

broſ. *Hic eſt, qui aperuit Matris ſuæ vulvam, ut immaculatus exiret.* Hieron. *Cruentus egreditur*, Chriſtus nimirum *pannis involvitur.* Idem lib. 2. adverſus Pelagian. *Solus Chriſtus portas vulvæ virginalis aperuit; quæ tamen clauſæ jugiter permanſerunt*, non enim ſecundà vice apertæ ſunt. Theophylactus in hunc locum, αὐτὸς γὰρ διήνοιξε τὴν μήτραν τῆς παρθένου. *Ipſe enim adaperuit matricem virginis.*

§. 136. Fuere tamen, quibus ſecus viſum, nam, ut monet Eraſmus, *jam olim pia credulitas omnium animis infixit; Chriſtum ſine ſordibus, ſine nixu, ac labore parturientis, clauſo virginis utero prodiiſſe.* Eadem ſtat adhuc hodie ſententia Pontificiis, & illis, qui ubiquetatem propugnant, ſed addamus judicium Eraſmi, *quæ ſanè*, inquit, *ut ſunt dictu plauſibilia nec irreligioſa; ita certis ſcripturarum teſtimoniis doceri non poſſunt*, neque enim ſolidum eſt, quod de *Mem clauſo* adducunt ex. Eſ. 9:6. לְםַרְבֵּה.

Filius Dei hominibus ſimilis, ſecundum omnia.

§. 137. Ex quo ita conceptus & natus eſt ὁ λόγος, omnia τὰ τοῦ ἀνθρώπου accepit & poſſedit, fuitque adeo *homo*, nec quicquam humani ab illo alienum fuit. Habuit ψυχὴν λογικὴν *animam rationalem*, & πνεῦμα *Spiritum*, quem occidere mundus non potuit, id quod olim negavit *Apollinarius* ſtatuens λόγον fuiſſe vice animæ. Matt. cap. 26: verſ. 38. *Triſtis eſt anima mea.* Luc. 23:46. *In manus tuas commendo Spiritum meum*, cujus reſpectu Latroni dixerat, *hodie mecum eris in paradiſo.* ibid. verſ. 43. Habuit σῶμα *corpus.* Hebr. cap. 10: verſ. 5. 1 Petr. 2: verſ. 24. Matt. 26: 26. σάρκα καὶ ὀστέα, Luc. 24: verſ. 39. κεφαλὴν Joh. 19:30. σκέλη Joh. 19:33. πλευρὰν. ibid. verſ. 34. χεῖρας Joh. 20:27. αἷμα Joh. 19:34. πόδας. Luc. 24:39. Inde teſtimonium eſt Sanctorum, *audivimus, vidimus oculis noſtris, contemplati ſumus, & manus noſtræ* ἐψηλάφησαν *palparunt de Sermone vitæ.* 1 Joh. 1: 1. Ita Chriſtus ipſe ψηλαφήσατέ με. Luc. 24:39. Joh. 20: verſ. 27. Omnes etiam humanæ vitæ gradus emenſus eſt, fuit παιδίον *puerulus*, Luc. 2: verſ. 21. *mamillas ſuxit.* Luc. 11:27. *crevit & profecit*, Luc. 2:40. 52. evaſit denique Ἀνήρ. Nec anima ipſius ſuis caruit facultatibus & proprietatibus, ad quas pertinet *in ſapientia proficere.* Luc. 2:40. 52. *Velle.* Luc. 22: 42. *non mea, ſed tua fiat voluntas.* Matt. 26: 39. πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ. Nec corpus ipſius ſuis affectionibus. *Edit & bibit*, Matt. cap. 11: verſ. 19. *eſurivit & ſitiit.* Matt. cap. 4: verſ. 2. Joh. cap. 19: verſ. 28. *vigilavit & dormivit*, Matt. 8: verſ. 24. *flevit* Joh. 11: verſ. 35. Luc. 19: verſ. 41. *gaviſus* eſt. Joh. 11: 15. Imò & ἀπέθανε *mortuus eſt.* Rom. 14: verſ. 9. ἐξέπνευσε, Luc. 23: verſ. 46. ἀφῆκε τὸ πνεῦμα. Matt. 27: ✠. 50. παρέδωκε τὸ πνεῦμα. Joh. 19: verſ. 30. Ita nec naturalium noſtrorum defectuum expers fuit; illorum nimirum qui *miſerabiles* dicuntur Auguſtino, at illorum, qui ſunt *damnabiles*, Damaſceno dicti Ἀδιάβλητοι *deteſtabiles*, omninò expers fuit. Eſt enim *tentatus ſecundum omnia, juxta ſimilitudinem; at ſine peccato.* Hebr. 4: verſ. 15. Denique vocatur ὁ λόγος, *homo* 1 Tim. 2: ✠. 5. Rom. 5:15. *filius hominis*, Joh. 3:13. *filius Davidis, filius Abraam.* Matt. 1: verſ. 1. *ſemen* Galat. 3:19. *frater* noſter Heb. 2:11. Rom. 8:29. imò & ille & nos ἐξ ἑνὸς πάντες. Heb. 2:11. *ſecundus Adam.* 1 Cor. 15:45.

Eſt in illo ἄλλο καὶ ἄλλο.

§. 138. Eſtque adeò à nunc in λόγῳ incarnato ἄλλο καὶ ἄλλο *aliud & aliud*, hoc eſt, conſtat ὁ λόγος è duabus naturis, divina & humana, ſive è tribus ſubſtantiis, Deitate, anima, & corpore, quæ in ſacris junctim ſæpe proponuntur, ut ubi dicitur θεὸς & σάρξ 1 Tim. 3:16. πνεῦμα & σάρξ, 1 Petr. 3: ✠. 18. Rom. 1:3. verſ. 4. *Ultimus Adam, & Spiritus vivificans.* 1 Cor. 15:45. *Secundus homo*, & *Dominus è cælo.* ibid. verſ. 47. Item, ubi dicitur *eſſe in forma Dei, & accepiſſe formam ſervi.* Phil. 2:6. verſ. 7. Item, ubi junguntur *Deus & ſanguis.* Act. 20:28. *Filius & ſanguis*, 1 Joh. 1:7. *Spiritus æternus & ſanguis.* Heb. 9:14. Humana hæc natura, aliàs ἀνυπόστατος, aſſumta à λόγῳ, facta eſt ἐνυπόστατος.

§. 139. Non

§. 139. Non tamen est ὁ λόγος ἄλλος καὶ ἄλλος *alius atque alius*, hoc est, non alia persona est, quæ dicitur *Filius hominis*, alia, quæ *Filius Dei*: sed una eademque Persona est *Deus* & *Homo*. Caret enim humanitas Christi propria personalitate; neque enim se ipsa subsistit, sed in λόγῳ, à quo assumpta, cujusque πρόσλημμα & ἀνθρώπινον ὄργανον *humanum instrumentum* facta est. Est autem *Personalitas* propriè *subsistentia*, seu *vis subsistendi per se, sine alio, & extra aliud suppositum sustentans, natura rationalis*, quam vim humanitas τοῦ λόγου nec habet nec habuit. Si duplex in Christo est persona, nec *Deus* nos redemit, nec *Princeps vitæ* pro nobis occisus, nec *Dominus gloriæ* crucifixus est, sed illa tantùm Persona, quæ *Homo* exstitit. Ut enim, quæ Persona *Petri* agit & patitur, Persona *Pauli* hautquaquam egisse aut passa esse dicenda est; ita quæ Persona humana Christi, si talis fuisset, egisset, illa Personam divinam egisse minimè dici potuisset. Neque tunc nobis esset εἷς μεσίτης *unus Mediator*, sed duplex. 1 Tim. 2: 5. Ita *Nestorius*, Episcopus Constantinopolitanus, homo vafer, & naturali facundia præditus, damnatus in Concilio Ephesino, anno Christi 431. prior dicitur errasse; qui negavit Mariam esse θεοτόκον, sed χριστοτόκον tantùm; imò & *Deum*, à Judæis crucifixum. Fassus quidem est, duas has personas inseparabiliter sibi adesse, & Filium Dei *hominis Filio* se adjunxisse κατὰ χάριν καὶ σχέσιν καὶ ἀγάπην, *secundum gratiam & habitudinem & dilectionem*; sed unionem illam Personalem, sive duarum naturarum conjunctionem *in unitate Personæ* apertè negavit. Id quod liquet ex actis Concilii Ephesini, quod tertium est œcumenicum, & Chalcedonensis, tum ex Cyrillo, tum ex Socratis historia, aliisque: adeò ut mirum sit, adhuc esse, qui statuant, *Nestorium unam singularem Personam confessum esse*. Quanto rectius Nestorio sensit *Augustinus*, libr. 3. cap. 10. contra Maxentium. *Christus*, inquit, *una Persona est, geminæ substantiæ: quia Deus & homo est*. Addit. *Nec tamen Deus vel homo pars hujus Personæ dici potest, alioqui Filius Dei, Deus, antequam acciperet formam servi, non erat totus; & crevit, cum homo Divinitati ejus accessit.*

Non tamen est ἄλλος καὶ ἄλλος.

Nestorius.

§. 140. Hæc admirabilis unio, qua carnem assumpsit ὁ λόγος in Personæ unitatem, nil in rebus humanis simile habet. Usi quidem sunt Veteres ad explicandum illius mysterium simili *Ferri igniti*, *Ligni & Cauterii igniti*, *Carbonis igniti*, *Gladii igniti*, *Corporis Solaris & Luminis*: nonnulli *unionem* hanc *velut animæ cum corpore* mente complexi sunt, tamen in his omnibus plurima sunt manentque dissimilia. Nam duas naturas in unam uniri personam; animam humanam & corpus fieri organum & domicilium Altissimi Dei; cumque ex anima & corpore constet homo, qui propria gaudet personalitate, tamen hæc in λόγῳ propria personalitate carere, id omnes res creatas longissimè excedit.

Unio personalis duarum naturarum nulli rei plenè assimilari potest.

§. 141. Hæc unio proximius multo humanitatem Christi cum divinitate junxit, quàm nos per gratiam illi conjungimur, unimur, desponsamur; nam *Formam* seu naturam *servi* in suam Deus ὁ λόγος assumpsit personam. Sique corpus nostrum à generosa, quæ id inhabitat, mente, decus & splendorem accipit; quis non splendor, quæ non lux & abundantia beatitudinis obtigisse censenda est humanæ naturæ Christi, personaliter cum Deo λόγῳ unitæ? Id nos nec mente assequi, nec verbis valemus exprimere. Ipsa Divinitas per admirabilem συγκατάβασιν accommodavit se assumptæ humanitati; ita ut illam inhabitarit sine externa pompa in humilitate & exinanitione; ut jam inhabitat maxima cum gloria in æterna exaltatione. Cum *puer* fuit Christus, divinitas pueritiam illius non contempsit, cum *Vir* factus est, in virilibus ipsius operibus robur suum & potentiam singulariter demonstravit. Imò nec *mortem* illius fastidivit: nec à mortuo separata est. In morte facta est separatio animæ & corporis Christi. At nec anima nec corpus à Deitate separata est;

Est unio multo arctior, quàm Sanctorum cum Deo.

In illa cernitur admirabilis συγκατάβασις.

nec rupta est personalis unio. Queritur Christus se *desertum à Deo*, cum pateretur, quod non in illam accipiendum mentem, ac si personalis unio soluta aut laxata esset; sed gratia, luce, consolatione, sensuque amoris se quodammodo destitutum fatetur; adeoque se quasi desertum à semet ipso dicit.

§. 142. Neque igitur satis cautè dicitur, *Christum hominem hoc habere commune cum omnibus Sanctis, quod cum eo Deus personaliter fuit unitus. Interque inhabitationem Dei in Sanctis & in Christo hoc unum esse discrimen, quod Sanctis distribuat sua dona dimensa, Christo autem immensa.* Ita enim loquentes tollere videbimur *unionem* illam *hypostaticam*, qua humanitas assumpta est in Deum, & facta est ipsissimum divinitatis organum, in quo visus est in terra; & attrectatus manibus Deus, & mortuus est, & resurrexit & ascendit in altum. Quali unione nec Homines nec Angeli cum Altissimo uniti sunt. Et quamvis essentiæ ratione & gratiæ operatione etiam inhabitet Deus Petrum & Paulum; tamen non fecit Pauli corpus *suum* corpus; nec animam Pauli *suam* animam, nec in personæ suæ assumpsit unitatem.

Et salvæ manent utriusque naturæ proprietates.

§. 143. Et quamvis caro in intimam & penitissimam τοῦ λόγου assumpta sit ὑπόστασιν, adeò ut eandem cum λόγῳ ipsa habeat subsistentiam, tamen id omne factum est ἀσυγχύτως *inconfusè*, ἀτρέπτως *sine mutatione*, ut & ἀχωρίστως *inseparabiliter*; nec *differentia naturarum propter unionem est sublata: sed potius utriusque naturæ, in unam personam & in unam hypostasin concurrentis, proprietas servata est*, ut piè olim Chalcedoniensis statuit Synodus: nam *nec possibile est, unam & eandem naturam simul contrariarum proprietatum vel affectionum susceptricem esse*; ut cum Damasceno rectè loquitur Theodoretus; aut proprietates subjecta sua egredi.

Ubiquitas carnis Christi non est forma unionis hypostaticæ.

§. 144. Cavemus igitur dicere, *ubiquitatem carnis* Christi esse unionis hypostaticæ *formam & differentiam specificam*; aut, ut alii mollius, *effectum & consequens. λόγον totum carnem totam sic assumpsisse, ut sicut caro nusquam est extra λόγον*, sic λόγος *nusquam sit extra carnem*; puta extra carnis dimensiones. *In illocali hypostasi τοῦ λόγου. Carnem omnem localitatem altissimè transcendisse, & illocalem existendi modum verè sortitam esse.*

§. 145. Nec pigebit illorum, qui hæc mordicùs tuentur, dicta quædam ascribere. Brentius, *in recognitione prophetica & Apostolica doctrinæ de vera Majestate Jesu Christi*, asserit, *Carnem* Christi *verè & re ipsa simul & eodem momento fuisse in utero Virginis, in Betleem, in sepulchro, & in cælis.* Idem in eodem libro: *Humanitatem Christi exæquamus Divinitati non* οὐσίᾳ, sed ἐξουσίᾳ, *non essentia, sed potentia; non natura, sed gloria; non substantia, sed Majestate.* Jacobus Andreæ in colloquio Montispelgardensi ita fatus est. *Caro Christi est hypostaticæ unionis virtute facta Omnipræsens, Omnipotens, Omniscia, non quidem subjectivè sive in sese, sed in Verbo; neque ex sese, suapte natura vel virtute, sed Verbi, cui personaliter & inseparabiliter unita est.* Item. *Qui separat naturæ divinæ proprietates,* (puta *Omnipotentiam, Omniscientiam, Omnipræsentiam*, & *vim* seu *virtutem vivificandi,*) *à Christi Humanitate, Deitatem quoque ab eadem separat.* Ægydius Hunnius in thesibus de unione hypostatica; *Finita*, inquit, *humanitas per unionem in infinitam Filii Dei hypostasin evehitur, transfertur, attollitur, ita ut* ὁ λόγος *à sua carne nusquam absit, nusquam ab ea distet, nusquam extra illam subsistat; sed* ἀδιαστάτως *cum ea supra universam creati mundi localitatem maneat ineffabiliter ac præsentissimè unitus.* Item, *Quanquam Filius Dei carnem suam tempore exinanitionis localitati subjectam esse voluit; & quanquam adhuc, quando & ubi vult, in loco, visibiliter apparere potest, tamen*

non

non locus aliquis, sed illocalis Unigeniti Verbi hypostasis est divinissima hujus assumptionis terminus, in quem per unionem caro salvatoris est translata.

§. 146. Qui autores non satis videntur cogitasse de simplicitate infinita τ λόγου, deque Natura corporis, quod si verum est, *quantum & dimensum* esse debet; neque adeò invisibile & illocale esse potest. Putant, si Deitas sit extra carnem, hanc cum illa non verè unitam esse, nec totam Deitatem in carne habitare. Cum tamen ἡ θεότης sit ἀμερής; *& ubi est, tota est.* August. libr. 2. de Incarnat. *In corpore totus, & ubique totus aderat Filius Dei.* Hieron. ad Marcel. *Qui infinitus erat, etiam in filio hominis totus erat.* Athanas. de incarnat. verbi. λόγος *est in corpore, & extra omnia.* Et quid opus multis? Credimus τ λόγον verum esse Deum, & verum hominem factum, non phantasma corporis; sed corpus solidum & verum, quod carne & ossibus & sanguine constat, assumpsisse; quod in ipsa gloria & exaltatione verum corpus mansit; cui corpora glorificandorum substantiæ & qualitatum ratione erunt conformia. Phil. 3:21. Qui hæc duo tenet, sponte deseret τὸ πανταχοῦ εἶναι τὸ σῶμα, nec carni tribuet ea, quæ sunt propria Dei, quod qui faciunt, videant, annon ex illorum sententia fiet ἐξ ἀνθρώπου θεὸς κτ προκοπὴν *ex homine Deus per profectum, & ἐκ Θεοῦ ἄνθρωπος κτ ἔκπτωσιν è Deo homo per emissionem.*

§. 147. Et ut ex unione hypostatica non sequitur carnis *ubiquitas*, ita nec *Omniscientia*: quare non credimus, Christum, è quo conceptus est in utero Mariæ, *secundùm humanam naturam, omnia, quæ fuerunt, quæ sunt, quæ futura sunt, perfectissimè scire & novisse.* Themistius olim statuebat, *divinam Christi naturam* quædam ignorasse, abusus loco Matth. 24:36. Marc. 13:32. cujus sequaces *Themistiani*, ab Auctore; & *Agnoëtæ*, ab errore dicti sunt. Hanc sententiam meritò abominamur. At Christum Hominem non omnis in his terris, & in diebus carnis ac humiliationis, ignorantiæ expertem fuisse, è Scripturis docemur, dicentibus, illum *ignorasse diem* judicii, Matt. 24:36. sepulchrum Lazari Joh. 11:34. ficus in proferendis fructibus tarditatem Matt. 21:19. Marc. 11:13. & *profecisse*, ut *statura*, ita & *sapientia* ac *gratia*. Luc. 2:40. 52. Nec illius consequens est Omniscientia.

§. 148. Nec contra nos facit locus Joh. 3:34. *Quem misit Deus, verba Dei loquitur, non enim è mensura dat Deus Spiritum*; non enim dicitur, Christum à conceptione scivisse omnia, etiam secundùm carnem; sed *Spiritum dari* à Deo *non è mensura*, hoc est, non parca manu, ut ita loquar, sed abundantissima copia, nulla quasi mensura servata: unde dicitur *effundi.* Joël 2:28. Notandum, non cogi nos, ut hæc verba, *Non è mensura dat Deus Spiritum*, accipiamus de Christo: nam tunc debuisset addi pronomen *illi*; sed in genere declaratur, quæ nunc sit ratio dandi Spiritus; nimirum non è mensura & parcè, ut olim, sed sine mensura & abundantissimè, ita ut deinceps *fluant fluvii aquæ vivæ è ventre* credentium, qui *Spiritum promissionis Sanctum* acceperunt. Joh. 7: vers. 38. 39. Imo nec, quod Christus in statu exinanitionis dicitur *novisse cogitationes Pharisæorum.* Luc. 5:22. Nam & erat *in forma Dei, Deus, scrutans corda & renes*, cujus *oculis omnia sunt nuda &* τετραχηλισμένα Hebr. 4:13. Imò nec, quod dicitur Col. 2:3. *In quo sunt omnes thesauri cognitionis & sapientiæ absconditi:* nam præter ea, quod dicere possimus, Paulum hæc enunciare de *mysterio Dei, & Patris & Christi*, ut patet è vers. 2. non autem de Christo exinanito; nihilominus libentes fatemur, de Christo hoc verissimè dici; de *Christo* autem inquam, hoc est, de persona τ λόγου, non de carne exinanita tantùm. Denique nec ex eo sequitur, Christum, *filium hominis, omnia* scivisse, quia futurus erat *judex* vivorum & mortuorum Joh. 5: vers. 27. nam & omnes judicabit κτ ἀλήθειαν, qui in diebus exinanitionis non omnino fastidivit ferre nostram ἄγνοιαν. Imò nec probamus hanc glossam,

Quod

Quod diem judicii ante passionem suam ignorabat, non simpliciter ad humanitatem ejus sed ad formam servi, quam deposuit, referendum est: hactenus enim nondum didicimus *formam servi* aliud quid notare quàm *humanitatem*, & eam quidem *servientem*; quemadmodum *forma Dei* notat illius *divinitatem*.

Sententia Pontificiorum de scientia animæ Christi.

§. 149. Non quidem ex unione hypostatica cogit carnis omniscientiam Romana Ecclesia; nec tamen ipsa de *scientia animæ* Christi rectè sentit, id quod liquet è Bellarm. libr. 4. de Christo, cap. 5. *Catholicorum*, inquit, *sententia communis semper fuit, Christi animam, ab ipsa sui creatione, repletam fuisse scientia, ita ut nil postea didicerit, quod antea nesciret.* Absurdum enim esse, *animam Dei & Sapientiæ* ullo tempore *non esse sapientissimam.* Thomas Aquinas hoc utitur argumento. *Quanto aliquid receptivum est propinquius causæ influenti, tanto abundantius recipit. Atqui anima Christi reliquis creaturis rationabilibus propinquius conjungitur Deo, gratiæ fonti. Ergo maximam recipit influentiam.*

Examinatur & refellitur.

§. 150. Sed quo Scripturæ loco probabunt, Christum in diebus carnis nihil *nescivisse*? Num Joh. 8: vers. 55. ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτὸν *Ego autem novi illum*, Patrem? Atqui *novit*, non qua humilis & exinanitus, sed qua *Filius Dei*, ὁ ὢν εἰς τὸ κόλπον τοῦ πατρός. Joh. 1: 18. confer Matt. 11: 27. Num Joh. 2: 25. *Ille enim noverat, quid esset in homine, nec opus habebat, ut quis testaretur de homine*, διὰ τὸ γινώσκειν αὐτὸν πάντας. ibid. vers. 24. Sed his verbis non animæ humanæ, sed divinitatis τοῦ λόγου omniscientia astruitur. Ratio Thomæ non evincit, Christum in statu exinanitionis omnia scivisse, sed abundantiori tantum gratia affectum esse, præ omnibus aliis.

§. 151. Quidquod Luc. 2: 40. dicitur, *Puerulus autem crescebat, & roborabatur Spiritu*, πληρούμενον σοφίας, quod non vertendum, *plenum sapientiæ*, ut vulgata habet, & Bellarminus laudat; sed, *implebatur Sapientia. Qua autem implebatur, erat non Dei, sed nostra sapientia*, inquit Ambrosius. Et Luc. 2: 52. *Et Jesus proficiebat sapientia & ætate*: ad quæ verba ita Athanasius. *Non dicit*, λόγος *profecit, sed Jesus, quo nomine homo factus Dominus vocatus fuit*, ὡς εἶναι τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τὴν προκοπήν, *ut notetur humanæ naturæ profectus.* Qui *sapientia* proficit, illi adhuc de sapientia, ita ut loquar, deficit. Nec valet glossa Bellarmini. *Profecit opinione hominum Christus, quibus indies magis aperiebat suam sapientiam.* Nam ut *ætate* profecit verè & actu, non tantùm opinione hominum, ita & *sapientia.* Denique ipse Christus Marc. 13: 22. *de qua die nemo novit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*, confer Matt. 24: 36. *nisi Pater meus solus*: ubi non dicemus cum *Hilario*, libro 9. de Trinitate, *in eo, quod nescit, dispensatio potius est abscondita scientiæ, quam natura nesciendi.* Item, *scienter nescit.* Item, *Filius nescire se dicit, ne & alii sciant.* Ac si *nescire* esset *nolle revelare*: nam & sic Pater posset dici *nescire*, quia diem illum non indicat, nec scire vult quemquam; & Angeli *scire*: nam qui eatenus dicitur quid *nescire*, quatenus id non vult indicare, is re ipsa dicitur *scire*. Sed dicemus cum Gregorio Nazianzeno, *Novit quidem ut Deus; ignoravit autem ut homo.*

§. 152. Sanctè tamen & reverenter hac de re cogitandum est, juxta illud Cyrilli libr. 9. thesauri, cap. 4. *Non oportet ignorationem* seu *ignorantiam Dei Verbo inurere, sed potius misericordiam ejus adorare, qui non recusavit propter nos ad tantam humilitatem descendere, ut omnia nostra, & etiam ignorantiam humanam susciperet.* Item. *Verè se dixit, ut hominem ignorare, infirmitates enim nostras omnes accepit, hac de causa ignorare se dixit.*

§. 153. Igi-

§. 153. Igitur crevit Christus, pro ætatis & officii ratione, revera ac successivè, scientiâ, cum revelatâ, tum *acquisitâ*, reliquorum hominum instar. Sed observandæ sunt probe hæ differentiæ. Scientiam numero & gradu præstantiorem longè accepit. Spiritu scientiæ donatus est ab utero matris tantâ mensurâ, quantâ pro ratione muneris opus fuit. Nec ab externo principio, aut extrinseca revelatione, sed internâ, propriæ Deitatis patefactione, & naturæ divinæ communicatione profecit, ita *quievit super illum Spiritus sapientiæ, consilii, cognitionis*. Es. cap. 11: vers. 2. Neque fuit illa, quæ in Christo homine fuit ignorantia, crassâ & præjudiciis onerata, & profunda, ut in nobis, sed talis, qualem sentire poterat is, qui *tentatus est* quidem *secundum omnia*, sed *sine peccato*. Heb. 4. vers. 15.

§. 154. Sunt, qui concedunt, in Christi humana natura, ab initio conceptionis atque unionis hypostaticæ, fuisse scientiam illam beatificam & infusam, modo tam perfecto, ut proficere vel augeri non posset; in sola acquisita profecisse, quod aliis examinandum relinquimus. Aliorum nonnullorum sententia.

§. 155. Et in his consistit *magnum* hoc *mysterium, Deus manifestatus est in carne. Sermo caro factus est, & habitavit in nobis*; ac carne indutus carnalibus carnaliter apparuit; conceptus natus è virgine, non sine partus doloribus, utero aperto, sine peccato; infans primùm, dein puer, tum adolescens, denique vir visus & agnitus. Mysterium incarnationis.

§. 156. Hoc mysterium non obscurè olim in multis diversisque apparitionibus adumbratum fuit, ut ubi Dominus visus est *in rubo ardente*. Exod. 3. ubi *Manna* pluit *è cælo*. Exod. cap. 16. ubi Dominus ambulavit coram Israële *in columna nubis & ignis*, Exod. 13: vers. 20. ubi visus est septuaginta è senioribus Israël, *sub pedibus habens pavimentum Sapphiri, & ut substantia cæli in puritate*. Exod. 24: 10. ubi *in nube* apparuit *super propitiatorio*. Lev. 16: 2. ubi Esaiæ visus est *sedens in solio excelso, fimbriis ipsius implentibus templum*. Es. cap. 6: vers. 1. & Ezechieli *in solio è lapide Sapphir*. Ezechiel. cap. 1: vers. 26. confer cap. 10: vers. 1—5. Variè olim adumbratum.

§. 157. Imò & evidentissimis verbis prædictum. Gen. 3: vers. 16. *Semen mulieris conteret tibi caput*. Genes. 22: vers. 18. *Et benedicentur in semine tuo gentes*. Genes. 9: vers. 28. *Habitabit in tentoriis Sem*, Deus alliciens Japhet. Genes. 49: vers. 10. *Veniet Siloh*. Levit. 26: vers. 12. *Ambulabo in medio vestri*. Num. cap. 24: vers. 17. *Et surget Sceptrum ex Israele*. Deuteron. cap. 18: vers. 18. *Prophetam excitabo illis è medio fratrum ipsorum*. Deut. cap. 33: vers. 3. *Et illi medii perambulati sunt pedi tuo*. 2 Sam. cap. 7: vers. 12. *Excitabo semen tuum post te, quod exibit è visceribus tuis*. 2 Sam. cap. 23: vers. 4. *Et ut lucente matutino orietur Sol*. Es. cap. 8: vers. 14. *Erit Dominus in sanctuarium*. vers. 18. *Ecce ego & pueri*. Es. cap. 11: vers. 1. *Et exibit virga è trunco Jesse*. Es. cap. 53: vers. 2. *Et ascendit ut stolo coram ipso*. Jerem. cap. 23: vers. 5. *Excitabo Davidi Germen*. Jerem. cap. 30: vers. 21. *Et exibit Magnificus ejus è medio ejus*. Ezech. cap. 21: vers. 27. *Usque dum venias, cujus est judicium*. Mich. cap. 5: vers. 1. *Ex te exibit mihi Dominator in Israel*. Habac. cap. 2: vers. 3. [illegible] *Præco, qui non mentitur, veniendo veniet*. Zach. cap. 2: ỽ. 14. *Ecce ego venio & habitabo in medio tui*. Psalm. 40: vers. 7. 8. *Aures perforasti mihi. Ecce veni*. His adde clarissima loca, quorum aliquoties mentio facta. Es. 7: vers. 14. *Ecce virgo gravida, & pariet Filium*. Es. 9: 6. *Puer natus nobis*. Jerem. 31: ỽ. 22. *Mulier circumdabit virum*. Et multis vicibus prædictum.

§. 158. Et in Euangelio ita descriptum est. *Natus est*, Filius Dei in potentia, *è semine David quoad carnem*. Rom. 1: 3. *misit filium suum in similitudine carnis peccati* Rom. 8: vers. 3. Et significanter in Euangelio descriptum.

emisit filium suum, natum è muliere. Galat. 4: 4. *formam servi accepit, in similitudine hominum factus.* Philip. 2: vers. 7. *Carnis & sanguinis cœpit esse particeps.* Hebr. 2: 14. *è Juda progerminavit Dominus.* Hebr. 7: vers. 14. *Intrans in mundum dicit, Corpus aptasti mihi.* Hebr. 10: 5. *Jesus Christus in carne venit.* 1 Joh. 4: 2: 3. adde, quæ supra citavimus loca. Joh. 1: 14. 1 Tim. 3: 16. Idem indicatur per *venisse in mundum.* Joh. 1: vers. 9. 1 Tim. 1: vers. 15. *descendisse è cœlo.* Joh. 3: 13. 6: 51. Ephes. 4: 9. *exivisse à Patre.* Joh. 16: 28. *missum esse a Deo.* Joh. 3: 34. 10: 36. Imò & dicitur *visitatio.* Luc. 1: vers. 78. *apparitio.* 2 Tim. cap. 1: vers. 10. & Ecclesiastico vocabulo, ἐνσάρκωσις, ἐνανθρώπησις, ἔνσαρκος ἐπιδημία.

Possibilitas incarnationis. §. 159. Et quamvis sit μυστήριον μέγα haut tamen absurdum creditu cogitantibus, illum, qui cœlum & terram fecit, implet & inhabitat; qui in nube habitavit olim, illamque quasi habuit pro vehiculo; qui toties in forma humana sanctis visus est; qui in homine junxit duas substantias, toto genere diversas, facile habuisse *aptare* sibi *corpus*, quod propius sibi uniret; & in illo formare *os*, quo loqueretur; *manus*, quibus palparet; *aures*, quibus audiret; *oculos*, quibus videret; *pedes*, quibus ambularet; & in id immittere *animam*, quà diligeret & obediret; adeoque participem fieri *carnis*, quam pro mundi vita daret; & *sanguinis*, quem in remissionem peccatorum profunderet; *tergi*, quem percussoribus; *maxillarum*, quas cædentibus; *faciei*, quam exspuentibus, miro patientiæ exemplo daret ac offerret. Ita is, qui in templo Hierosolymitano olim habitavit, nunc *templum corporis* sibi fabricavit, & *in Sanctuarium exstitit*, Esaiæ cap. 8: vers. 14. quod *solutum* reædificavit, Johan. cap. 2: vers. 19. & in æternitatem omnem inhabitabit. In quo cum visus est, tunc verè *dici* potuit *civitatibus Juda*, הִנֵּה אֱלֹהֵיכֶם *ecce Deus vester*, Es. cap. 40: vers. 9. in quo *Speculatores oculo ad oculum* illum *viderunt venire Zion*, Esaiæ cap. 52: vers. 8. quo veniente, *Hierusalem* facta est כִּסֵּא יְהוָה *Solium Domini*, Jerem. cap. 3: vers. 17. à quo tempore *non dixerunt amplius Arca fœderis Domini, nec ascendit in cor, nec meminerunt illius, nec visitarunt illam, nec fecerunt* עוֹד *adhuc.* Jerem. 3: vers. 16. E quo cum locutus est, tum verè factum, ut est. Mich. cap. 6: 9. *Vox Domini*, quæ *civitatem vocat. Audite ò tribus*, & Es. 40: 5. *Manifestata est gloria Domini, & vidit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*, & Psalm. 82: 5. *Deus stat in cœtu Dei; in medio Deorum judicat.*

Necessitas illius. §. 160. Debuit autem omninò ita fieri, & ὁ λόγος *nasci*, ac *Deus in carne manifestari. Consilium pacis*, quod inter illum est & Patrem, Zach. cap. 6: vers. 13. non potuit ratum esse, nisi *sanguinis* fieret particeps, *per quem pacem faceret.* Col. 1: vers. 20. Obtulerat se *per Spiritum æternum.* Hebr. cap. 9: vers. 14. & ut *faceret voluntatem Dei.* Psalm. 40. vers. 9. Ideo debuit *intrare in mundum*, ut *diceret, ecce veni facere voluntatem tuam.* Hebr. cap. 10: vers. 5. 7. & *corpus illi aptari*, in quo *peccata in crucem portaret.* 1 Petr. cap. 2: vers. 24. Non esset noster *Sanctificator*, ni particeps factus esset nostræ carnis, ὅτε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες. Hebr. 2: vers. 11. Non noster גּוֹאֵל *assertor, redemtor, vindex.* nam ut esset ipsi גְּאֻלָּה *assertio*, hoc est, jus asserendi nos *suos*, debuit esse cognatus noster, consanguineus noster, caro de carne nostra, os de ossibus nostris. Neque noster magis fuisset, quàm Angelorum, si non ut unus è nobis factus fuisset. Atqui οὐκ ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. Hebr. cap. 2: vers. 16. Potuisset nos *docere*, nec tamen in carne venire, potuisset nos *regere*, nec tamen caro fieri, non potuit *Sacerdos* esse, & *Sacerdotio* defungi, nisi homo factus se ipsum traderet *oblationem & sacrificium Deo.* Ephes. cap. 5: vers. 2. Caro

eo factus *non pudori duxit Fratres nos vocare.* Hebr. cap. 2: vers. 11. quod non potuisset, ni caro extitisset, imò potuit dicere, *ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus.* Hebr. 2: vers. 13. Adamo illudens dicebat olim Deus, *ecce Adam factus est, ut unus è nobis.* Genes. cap. 3: vers. 21. Nobis dicere nunc licet. Ecce Deus factus est, ut unus è nobis, nam quemadmodum *pueri sanguinis & carnis participes sunt, ita ille similiter illorum factus est particeps.* Hebr. cap. 2: vers. 14. Ita nunc habemus Mediatorem, qui *Deus* est, & *Homo* est, ne igitur terreat nos *Majestas divina*, quæ in illo, quia & similitudo carnis nostræ in illo. Nec à spe nos dejiciat *humilitas carnis* in illo, nam & est æqualitas Dei in illo, accepit enim *formam servi*, qui erat *in forma Dei.* Hic nunc verè factus est עִמָּנוּאֵל *nobiscum Deus.*

§. 161. Nec debuit tantùm nasci, sed & *è virgine* nasci, nam *Sacerdos* secundùm ordinem *Melchisedek* debuit esse ἀπάτωρ. Id *dicebatur* Melchisedek; nec tamen *erat.* Hebr. cap. 7: vers. 23. Immanuel non id *dicitur* tantùm, sed reverà est, ὁ λόγος potuit μετέχειν σαρκὸς, sed non ἁμαρτίας. Potuit mitti *in similitudine carnis peccati*, hoc est, in tali carne, qualis est caro peccatorum, Rom. cap. 8: vers. 3. sed non potuit mitti, ut conceptus aut genitus in pravitate & peccato. Sanctus Deus debuit etiam esse *Sanctus homo, mali expers, non inquinatus, à peccatoribus separatus.* Hebr. cap. 7: vers. 26. Igitur ut sine peccato nasceretur, qui *peccatum non novit.* 2 Cor. cap. 5: vers. 21. à virgine nasci oportuit, quæ ipsa quidem peccatrix, ex se, sanctificante Spiritu, gigneret Spiritu, gigneret *Sanctum Domini*, nam qui è nuda illius substantia; non è voluntate virginis, ut causa principali, nec è concupiscentia aut libidine ulla matris, nedum è consilio carnis, sed per potentiam æterni sanctissimique Spiritus formatus est, carnis quidem revera ex illa μετέσχε, non tamen ullius peccati aut corruptionis κεκοινώνηκε. Denique non abs re fuit, ut qui in mundo fecit & perfecit opus, omni humana potentia majus, in mundum intraret illustri & novo quodam modo; essetque verè natus homo, sed non natus sine miraculo; adeoque verè לְאוֹת וּלְמוֹפֵת בְּיִשְׂרָאֵל *in signum & prodigium in Israel.* Es. cap. 8: vers. 18. & meritò vocaretur פֶּלֶא *Admirabilis.* Es. 9: 5. Decuit Immanuelem nasci è virgine.

§. 162. An, si non peccasset homo & lapsus fuisset, etiam ὁ λόγος *caro* factus fuisset, disputatur inter Scholasticos, sed nullo bono, nec ulla urgente necessitate. Docet Scriptura, Christum *venisse in mundum, ut peccatores salvaret.* 1 Tim. cap. 1: vers. 15. Si non fuissent *peccatores*, qui salvandi essent, ut in mundum veniret, opus non fuisset. Natus est *nobis.* Es. 9: 5. Luc. 2: ỳ. 11. Si ergo non fuissemus, nec tales, ut sumus, peccatores & miseri, haut natus fuisset. Neque enim id requirebatur ad perfectionem & consummationem *gloriæ*, quam *habuit apud Patrem, antequam mundus esset.* Joh. cap. 17: vers. 5. nam *hominem* fieri, non est gloria divinitatis, sed gloria humanitatis. *Caro* maximè honoratur, quæ εἰς λόγον assumitur. Non per assumtionem carnis fit beatior ὁ λόγος, sed per illam conjunctionem beatitudine perfunditur ἡ σάρξ. An, si non peccasset homo, Christus caro factus fuisset?

§. 163. Estque hoc τοῦ λόγου, seu secundæ personæ sanctissimæ Triados, carnem fieri, nam etsi *Pater, Sermo, & Spiritus S.* sint *unum*, 1 Joh. 5: 7. imò & *Pater* Filio aptarit *corpus*, Heb. cap. 10: vers. 5. & è *Spiritu S. conceptus* sit Christus, tamen non Pater est natus & homo factus, nec Spiritus S. sed ὁ λόγος, *Filius* tantùm. Persona Filii assumsit formam servi. In illius persona terminatur immediatè unio hypostatica. Assumsit carnem ad personam, non ad naturam. Neque natura dici potest assumsisse naturam, nisi *relate*; quatenus nimirum persona, quæ assumsit, ὁ λόγος, naturæ divinæ particeps est, si enim natura divina absolutè dicatur assumsisse humanam, jam & Pater dicendus est illam assumsisse; imò Non aliæ Trinitatis persona facta est caro, quàm λόγος.

 & Spi-

& Spiritus Sanctus. Hinc scholæ malunt dicere, personam λόγου naturam, quam naturam naturam assumsisse. Damascenus aliique veteres *divinam* docent *naturam assumsisse carnem in una sui ὑποστάσει*; seu in ὑποστάσει τοῦ λόγου.

Maria filium natum fasciis involvit.

§.164. Sed redeamus ad τὴν θεοτόκον. Illa natum filium suum ἐσπαργάνωσε *fasciis involvit.* Luc.2:7. Nimirum, necessum est τὰ μέλη τοῦ σώματος εὐθὺς ἀπὸ γενέσεως πλάττειν τῶν τικτῶν, ἵνα ταῦτα ὀρθὰ καὶ ἀστραφῆ φύηται. Ideo cauta mater infantulum suum fasciis ligavit, ut & calorem inde perciperet, & membra illius tenera ritè locarentur. Non excepit infantulum ἅμα τῷ τῆς γαστρὸς προελθεῖν ἡ βασίλειος πορφύρα, *statim ut ex utero prodiit Regia purpura,* quamvis è semine Davidis Regis natus esset, *non* enim tunc *germinabat* amplius domus Davidis, *tugurium illius collapsum jacebat.* Ideò & hic puerulus, quem ὁμοῦ εἶδεν ἥλιος ἄνθρωπον καὶ βασιλέα *simul Sol hominem vidit & Regem,* quamvis *haut ex hoc mundo* Regem (Joh. 18:36.37.) περιεθεὶς ἰδιωτικῶν σπαργάνων *privatis* ac vulgaribus *tectus fasciis,* non ἐν τοῖς βασιλείοις ἀπεκυήθη *in aula regia natus est,* sed in abjecto stabulo; ubi non mollia illum exceperunt cunabula, sed positus est à matre sua *in præsepi,* καὶ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν τῇ φάτνῃ. Luc.2:7.

Et in præsepi posuit.

Diversorium alii jam occupaverant. Pauperi Mariæ non id amplius patebat. Stabulum sufficiebat illi; & puerulo nato ἡ φάτνη *præsepe.* Nugantur, qui exinde, quod scriptum est ἐν τῇ φάτνῃ, cum atticulo, conjiciunt notari certum diversorium, cujus insigne fuerit *præsepe.* Quanta autem *exinanitio*? Cujus est cælum & terra, is è diversorio excluditur. Qui nobis paravit locum in cælo, vix invenit locum in terra. Qui venit hominum bono, ab hominum separatur consortio, ablegatus in stabulum, ad præsepe, locum non hominum, sed pecudum. Non puduit ipsum cubare inter pecudes, qui ipse *ut pecus ad mactationem* deinceps *ductus est.* Es.53:7. cujus & *sub pedibus posita sunt omnia,* צֹנֶה וַאֲלָפִים כֻּלָּם *oves & boves omnes, & pecudes agri.* Psalm. 8:7.8.

Gloria, quæ comitata est nativitatem Christi. Pastores rei excubabant. Illis apparuit Angelus Domini, cum gloria fulgente.

§.165. Utut autem obscuro loco natus est, tamen non sine gloria natus est. Præterquam enim, quod fuit *gloria,* & *signum* & *nova* planè res, nasci *è virgine,* nasci *sine peccato,* tamen alia adhuc gloriæ exstitit manifestatio. Erant sc. *pastores in eadem regione ἀγραυλοῦντες in agris sub dio degentes,* (Ἀγραυλεῖν est ἐν ἀγρῷ αὐλὴν ἔχειν, seu ἐν ἀγροῖς αὐλίζεσθαι), h.e. *in agro stabulari, ruri pernoctare, rusticari.* Inde dicuntur ποιμένες ἄγραυλοι, & βόες ἄγραυλοι) & φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν *custodientes custodias noctis* (nocturnas (sunt enim φυλακαὶ ἡμεριναὶ καὶ νυκτεριναὶ juxta Xenophontem) *super gregem illorum.* Luc.2:8. Ita dum rebus suis intenti sunt, *ecce Angelus Domini* ἐπέστη αὐτοῖς *subito illis astitit, & gloria Domini circumfulsit eos.* Luc.2:9. *Gloria* Domini hic ita dicitur ut. Exod.24:16.17. *Et habitavit gloria Domini super Sinai. Et aspectus gloriæ Domini, ut ignis comedens.* confer Exod.40:34. Matt.17:5. dicitur *nubes lucida* Christum *in monte obumbrasse, ex qua exiit vox, hic est Filius meus.* Id interpretatur Petrus 2.Ep.1:17. *vocem* hanc *allatam à magnifica gloria;* nubem illam luminosam vocans μεγαλοπρεπῆ δόξαν. Ita & hic dicere possumus, *gloriam Domini,* quæ pastores circumfulsit, fuisse *nubem lucidam,* quæ media nocte jucundam & amœnam lucem attulit, & profundas tenebras illustravit. Angelus Domini, non sine *gloria Domini,* ut signo divinæ suæ missionis, apparere pastoribus debuit. Miseri hi *timuerunt valde,* Luc.2:9. non assueti angelicis colloquiis, & cœlestibus visionibus, nec id mirum, cum nec sanctissimi Deoque amicissimi, sine timore & metu apparitiones divinas intueri potuerint. Exemplo est *Moses* Exod.3:6. *Esaias* Es.6:5. *Daniel.* Dan. 10:5.9. *Discipuli Christi* Matt.17:6.7. *Johannes.* Apoc.1:17. Nec apparuit Angelus pastoribus *in somnio,* ut *Joseph.* Matt.1:20. nam cum greges pascerent, somnus procul debebat esse ab oculis illorum. Ita Jacobus de se dicit, *fugit somnus meus ab oculis meis.* Gen.31:40. sed apparuit vigilantibus, & vigilias noctu agen-

agentibus. Timentes ita mox alloquitur. *Ne timete*, ut & fecerat *Zachariæ*, Luc. 1: 13. & *Mariæ* Luc. 1: 30. Spiritus hi famulatorii, Sanctorum conservi, nolunt illis horrori esse. *Ecce enim*, inquit, *annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Luc. 2: 10. Ideo cum tanti gaudii nuncium afferret, metus utique cessare debuit.

§. 166. Εὐαγγελίζομαι inquit Angelus. Vox hæc significat, lætum quid bonumque & exoptatum annunciare. Neque enim tantùm usurpatur in *genere* pro cujusvis rei & sermonis nuncio ac præconio, confer Luc. 1: 19. 1 Thess. 3:6. 1 Petr. 4: 6. sed in *specie* notat annunciationem ingentium illorum beneficiorum, quæ Christus, Mediator melioris Testamenti, adduxit & rata fecit; qualia sunt, imprimis *Jesus Christus* ipse, donum donorum, omnium donorum Autor, *Impletio promissionum Patribus factarum*; *Regnum Dei, Pax, Divitiæ Christi* &c. quæ sunt summa Euangelii. confer Luc. 4: 43. Ephes. 2: 17. Act. 5: 42. 8: 12. 13: 32. 17: 18. Ephes. 3: vers. 18. Igitur cum pastoribus Angelus dicit, ecce εὐαγγελίζομαι ὑμῖν, id in hac emphasi accipiendum est; lætissimum nuncium maximæ rei, maximique beneficii, olim promissi & exspectati, nunc vobis affero: nam & addit, annuncio vobis *gaudium magnum.* Ita Angelus exstitit *Euangelista*, potestque de hoc Angelo, & de *multitudine* illum mox subsequente dici, *quàm suaves sunt* seu fuerunt, non, *in montibus*, sed in nubibus *voces Euangelizantium pacem, bonum, salutem*, Es. 52: 7. & è Psal. 68: 12. *Euangelizantium* Angelorum *turba magna.* — *Angeli sermo. Εὐαγγελίζομαι ὑμῖν.*

§. 167. Annuncio, inquit, vobis *gaudium magnum*, hoc est, rem, quæ sit causa effectrix gaudii magni. Hoc magnum gaudium in sacris dicitur χαρὰ ἀνεκλάλητος καὶ δεδοξασμένη 1 Petr. 1: 18. χαρὰ πεπληρωμένη 1 Joh. 1: 4. Hinc Baptista, αὕτη ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπλήρωται. Joh. 3: 29. unde & Sancti monentur χαίρειν gaudere. Phil. 4: 4. *Gaude valdè filia Zion, jubila filia Ierusalem.* Zach. 9: 9. — *Χαρὰν μεγάλην.*

§. 168. Magnum hoc gaudium, inquit, *fore omni* seu toti *populo*. Ut in se magnum id & diffusum est, ita & multi plurimique illo perfundentur. *Omnis populus.* Judæi & gentes. *Omnes familiæ terræ, gentes & fines terræ*, Psal. 2: 8. *à mari ad mare, & à fluvio usque ad terminos terræ*; Zach. 9: 10. *Vobis est promissio, & filiis vestris, & omnibus, qui procul sunt.* Act. 2: 39. Illum autem intelligit *populum*, qui est λαὸς θεοῦ, λαὸς εἰς περιποίησιν 1 Petr. 2: 9. 10. Vocati enim Sancti sunt *populus*, & οἱ ἐλεηθέντες, cæteri sunt οὐ λαὸς *non populus*, 1 Petr. 2: 10. adeoque docet, gaudium hoc fore omnibus vocatis & electis ex omnibus tribubus Israël, & ex omnibus gentibus. — *Ἥτις ἔσαι παντὶ τῷ λαῷ.*

§. 168. Gaudii hujus causam addit; *nam natus est vobis hodie Servator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Luc. 2: 11. *Natus* est; confer Es. 9: 5. è vestro ordine factus est, carnis vestræ particeps, frater vester. Natus est *vobis*, non Angelorum bono, sed vestro. Natus est vobis σήμερον *hodie*, hac nim. nocte: nam eadem nocte est natus, qua pastoribus est annunciatus. Etiam σήμερον de *nocte* dicitur. Matt. 27: 19. Natus est vobis hodie *Servator*, σωτὴρ, qui *servat à peccatis populum*, Matt. 1: 21. *peccatores.* 1 Tim. 1: 15. *Qui est* χριστὸς unctus & ungens; κύριος *Dominus*, qui περιποιεῖται *acquirit, purgatque sibi populum peculii. In civitate David*, quæ Betleem. confer Luc. 2: 4. — *Continuatio sermonis Angeli.*

§. 169. Et ut pastoribus omninò fides confirmetur, dat illis σημεῖον *signum. Invenietis infantem fasciis involutum, jacentem* ἐν τῇ φάτνῃ *in præsepi.* Luc. 2: 13. Ita Angelus optimè noverat, ubi infans cum matre esset; ubi illa illum posuisset. Non nominat domum, aut nomen hospitii, ubi erat, nec id opus. Betleemum ingressi pastores, divina manu ducti sunt illuc, ubi erat. Forsan & in parva Betleem non nisi unum fuit diversorium, quod ita magnum esset & amplum, ut stabulum haberet & præsepia. Ita nec hic locus favet errori, quo statuitur *præsepe* fuisse insigne diversorii.

§. 170. Et hæc quidem *nativitas* ſufficiens *gaudii* maximi cauſa eſt; ratione habita 1. Perſonæ, de qua Sermo eſt, nimirum eſt *Chriſtus, Dominus.* 2. Officii, quo fungitur; eſt *Servator.* 3. Formæ, in qua apparuit; eſt *natus.* 4. Illorum, quorum bono natus eſt, *vobis*, hominibus, miſeris, peccatoribus, improbis, filiis iræ, damnatis, impotentibus. Quis non gaudeat, Dominum Dominorum, Chriſtum Domini, germen ex alto deſcendere & venire in mundum? Imò venire ut *Servatorem*, non qui *mundum judicet*, ſed *per quem mundus ſervetur.* Joh. 3: verſ. 17. Imò *naſci*, adeoque haut apparere in forma terribili, inſtar ignis conſumentis, ſed in *forma ſervi*, fratriſque, fratres aſſerentis. Imò naſci *nobis*, qui eramus perditi, mortui, ab omnipotente Deo abalienati; adeoque nos *ſervare*, ſalvos facere, & à profundiſſima miſeria ad excelſiſſimam evehere felicitatem. Non eſt Servator, ut Moſes, qui ex Ægypto; aut ut Judices Iſraëlis, qui è manu incircumciſarum gentium populum liberarunt; ſed cui convenit dicere, *E manu inferni redimo illos; E morte aſſero illos: ubi ſtimulus tuus, mors? excidium tuum, inferne?* Hoſ. 13: 13. *Si ſuper nativitate* Johannis *gaviſi ſunt multi*, Luc. 1: 14. qui præcurſor tantùm hujus fuit Domini, amicus hujus ſponſi, cætera *non dignus ſolvere ipſi calceos*, quidni gaudium concipiat magnum & ineffabile populus omnis ſuper nativitate hujus Servatoris, Chriſti, Domini? confer. Eſ. 9: 2. *Multiplicaſti gentem; illi magnificaſti lætitiam, læti ſunt coram te, ut lætitia in meſſe; quemadmodum gaudent, cum dividunt ſpolium.* Cur autem? *Nam puer natus eſt nobis.* Eſ. 9: 5.

Cum Angelo apparuit multitudo cœleſtis exercitus.

§. 171. Angelo ita loquenti ἐξαίφνης *repentè adfuit* πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου *multitudo cœleſtis exercitus.* Luc. 2: 13. *Exercitus cæleſtis* fuerunt *Angeli*; dicti στρατιὰ; quia bella Jehovæ, Domini ſui, gerunt; illiuſque comites ſunt & ſatellites, ut milites Imperatoris. Imò, quia ſunt *potentes viribus* ad faciendum omnia, & perrumpendum omnia, ut armati ſolent exercitus. Et στρατιὰ οὐράνιος, quia *cœlum* eſt *domicilium* illorum *proprium*; quia cœleſtibus armis pugnant, non arcu, nec miſſilibus. Potentia illorum externis armis non indiget. Igitur ubi ſermo eſt de *exercitibus* Dei Zebaot, ut Pſalm. 103: 21. *Laudate Dominum omnes exercitus ejus*, confer Joſ. 5: 14. *Angeli* intelligendi ſunt; haut tamen ſoli: nam & alios habet Dominus exercitus, *Iſraëlis* nim. & *gentium* Exod. 12: 40. Jerem. 3: 19. Dicitur autem *multitudo exercitus*, multi enim ſunt Angeli, *myriades* Deut. 33: 2. imò *myriades myriadum.* Dan. 7: 10. Iſraëlitæ dicuntur ſerviiſſe τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ *exercitui cœli*, Actor. 7: 42. hoc eſt, *Angelis*; quorum vehicula ſeu corpora *ſtellæ* gentilibus viſæ ſunt.

Quæ laudavit Deum.

§. 172. Hæc multitudo cœleſtis exercitus cœpit *laudare Deum.* Luc. 2: 13. Quamvis *Servator* non natus eſſet *illis*; dixerat enim Angelus paſtoribus, ἐτέχθη ὑμῖν, confer Hebr. 2: 16. tamen ſuper nativitate illius gaviſi ſunt: ideo laudarunt. Neque terra eſt fundata propter illos, & tamen, cum fundaretur, jubilarunt. Job 38: 7. Scilicet gloriam Dei & Domini ac Creatoris ſui curæ habent; & gaudent ſuper operibus, in quibus illa inſigniter pateſcit. Laudarunt Deum ſonora & humana voce: quamvis nec os, nec linguam haberent, ſunt enim *Spiritus.* In aëre, è repercuſſione, ſæpè exiſtunt humanæ voces. Ne ergo mireris, Angelos, potentes creaturas, in aëre humanos ſonitus formaſſe, dulceſque fudiſſe; & ſine organo linguæ ſonoras & diſtinctas voces emiſiſſe.

Canticum Angelorum.

§. 173. Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Luc. 2: 14. Hoc totum illorum canticum eſt; verbis breve, ſenſu prolixum. De *Deo*, de *Terra* [illegible] de *hominibus* canunt. Deo gratulantur *gloriam.* Terræ *Pacem.* Hominibus *complac*[illegible]*m.* A Deo incipiunt, terram ſecundo loco ponunt, in hominibus deſinunt. De *exc*[illegible] *profundis* [illegible] loquun-

loquuntur. Deus in excelsis est. Terra in profundis. Achaso dicebat Esaias. הַעְמֵק שְׁאָלָה אוֹ הַגְבֵּהַּ לְמָעְלָה *profunda petitionem*, aut *exalta sursum*. Es. 7:11. Sancti hi Angeli, nunc Cantores, & exaltant canticum suum, & profundant.

§. 174. *Gloria*, inquiunt, *in excelsis* seu *altissimis Deo*. מֵאֵת יְהוָה הָיְתָה זֹּאת *A Domino factum hoc*, Psal. 118:24. quod Angelus nunciaverat. Ab illo datus Filius, qui nunc Puer est natus. *Zelus Domini Dei exercituum fecit hoc*. Es. 9:6. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret & mitteret*. Joh. 3: vers. 16. Gal. 4: vers. 4. Ideo *gloria Deo*. Gloria Deo.

§. 175. Deo, qui est *Deus gloriæ* Actor. 7:2. *Rex gloriæ* Psalm. 24:10. *Dominus gloriæ* 1 Cor. 2: 8. qui est ἐν δόξῃ *in gloria* 1 Tim. 3: 16. cujus *gloriam* Moses optabat videre Exod. 33:8. qui *gloriam suam alteri non dat* Esaiæ 42:8. illi, inquam, Deo gratulantur Angeli *gloriam*. *Cæli* dicuntur *enarrare gloriam Dei*. Psalm. 19: 1. confer Rom. 1:20. Hanc autem *gloriam*, de qua hîc Angeli canunt, est illa propriè *gloria*, quam enarrat *nativitas Salvatoris, Christi, Domini, in civitate David*: quia enim ille ἐτέχθη σήμερον, ideo dicunt, *Gloria Deo*. Quare de illa imprimis hic cogitandum est *gloria*, quæ in nativitate Domini insigniter patefacta est. Hæc enim conjunctam habet singularem manifestationem *gloriæ* Domini. Ideò &, cum Esaias videret *Dominum, sedentem in excelso solio, & Fimbriis* implentem *templum*, quod erat videre *gloriam Iesu* Joh. 12:41. hoc est, *Dei manifestati in carne* 1 Tim. 3. 16. audivit vocem, *plena tota terra Gloria ejus*, Esaiæ 6: 1–3. & Es. 40:3. 5. ubi *clamasset Vox in deserto, parate viam Domino*, quæ fuit vox Johannis Baptistæ, dicitur *manifestanda gloria Domini*, & *os Domini locuturum, spectandum omni carni*. Ita & Hag. 2. ubi dictum erat, *Venturum* חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם *desiderium omnium populorum*, quo adventus Christi notatur, statim additur, *Et implebo domum hanc gloria* vers. 7. & *Gloria domus secundæ major exstitit præ primæ* domus gloria.

Quæ autem sit illa gloria, quæ in missione Filii, nati è muliere, tam illustri manifestata est modo, ut ad imitationem Pauli dicere liceat, *Neque enim gloriosum fuit, quod gloriosum fuit* olim, ἕνεκεν τῆς ὑπερβαλλούσης δόξης *ob præcellentem gloriam*, quæ in incarnatione Domini apparuit, 2 Cor. 3: 10. paucis enarremus.

§. 176. Igitur Nativitas Filii Dei enarrat *gloriam*. 1. Divinæ *veritatis*. *Promissiones patribus factas implevit Deus, excitans Jesum*. Actor. 13: 22. Et in hoc Jesu, in carne manifestato, omnes aliæ *promissiones Dei facta sunt Na & Amen*. 2. Cor. 1: 20. Ita in ipso apparuit, quod *Deus verus est*. Joh. 3: 33. 2. *Gratia* divinæ amoris ac benevolentiæ; tum illius, qua *Filium dedit* Joh. 3: 16. nec illius *pepercit* Rom. 8: 32. qua in re ineffabiliter *commendat charitatem Deus in nos suam* Rom. 5: 8. tum illius, qua *cum* Filio *omnia donavit* Rom. 8: 32. τὰ μέγιστα καὶ τίμια ἐπαγγέλματα 2 Petr. 1: 4. nosque adeo *in Dilecto* ἐχαρίτωσε Ephes. 1: 6. quæ tanta sunt, ut de illis Scriptura testetur, *oculus non vidit* &c. 1 Cor. 2: 9. 3. Divinæ *sanctitatis* & *justitiæ*. Ut *justus* esset Deus, qui *justificat impios* Rom. 4: 5. mittit Filium, quem *tradidit pro impiis* Rom. 8: 32. & *ob lapsus* illorum. Rom. 4: 25. *In judicio*, cui subjecit Filium, *est exaltatus*; & *in justitia*, quam *adduxit* Filius, *sanctificatus*. Es. 5: 16. 53: 8. Dan. 9: 24. Mirare justitiam, ut *condemnaretur peccatum*, quod *legi* erat *impossibile, mittit Deus Filium in similitudine carnis peccati, & pro peccato* Rom. 8: 3. *faciens illum pro nobis peccatum, qui non noverat peccatum, ut nos fieremus justitia Dei in ipso*. 2 Cor. 5: 21. Ne peccatum dimitteretur impunitum, punit illud in Filio proprio, facitque illum *reddere* & restituere, *quod non rapuit*, Ps. 69: 4. 4. Divinæ *potentiæ*; à qua δυνατὸς audit. *Fecit mihi* μεγαλεῖα ὁ δυνατός.

Luc..

Luc. 1: verſ. 49. Quanta potentia! *Dat Dominus ſignum. Ecce Virgo gravida, & parit Filium* Eſ. 7: 14. *creat novum in Terra. Fœmina circumdat Virum.* Jer. 31: 22. Facit *ſuper illum quieſcere Spiritum potentiæ*, Eſ. 11: 2. *unxit* illum *potentia* Actor. 10: 38. qua fecit magna illa & mirabilia in terris, Matt. 11: 5. *abolevit Diabolum* Heb. 2: 14. *mortem* 2 Tim. 1: 10. τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου effecit ὁ δυνατὸς *Potens* hic, Rom. 8: 3. 5. Divinæ *ſapientiæ.* Solus Deus *ſapiens* fuit, & *novit* remittere peccatum decenter & punire; parcere peccatoribus, non parcere peccatis; pœnam pro peccatis exigere, nec à peccatoribus exigere; ſatisfacere juſtitiæ, nec obliviſci miſericordiæ; nil de jure cedere, & veniam injuſtis concedere; impium juſtificare, nec condemnare, imò juſtè juſtificare, ut ipſum τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου *in illo impleatur.* Rom. 8: 4. Hæc πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ Epheſ. 3: 10. manifeſtata eſt in miſſione Filii. 6. Divinarum *divitiarum.* Solvit pro nobis ἀντίλυτρον *redemptionis pretium, poſuit* אָשָׁם *ſatisfactionem*, eſt *Dominus omnium* πλουτῶν εἰς πάντας Rom. 10: 12. & πλουσίως *ſuppeditat introitum in Regnum Domini & ſervatoris Jeſu Chriſti.* 2 Pet. 1: 11. Omnis hic πλοῦτος collatus eſt in miſſo Jeſu, unde & appellat illum Paulus τὸ ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον τοῦ χριστοῦ Epheſ. 3: 8..

§. 177. De omnibus his μεγαλείοις liceat exclamare cum Paulo. *O profunditas ſapientiæ, divitiarum & cognitionis Domini!* Rom. 11: 33.

§. 178. *Gloria Deo*, inquiunt Angeli, ſubintellige ἐστὶ *eſt*, hoc eſt, competit jure, & tribuitur actu, *dignus* eſt *accipere gloriam & honorem.* Qui *gloriam*, mittendo Filium, ita πολυτελῶς demonſtravit, illi *gloria* eſt, dicitur, attribuitur. Ubi autem? *In altiſſimis. Cæli*, quos *replet* Dominus, qui ſunt *thronus* illius Eſ. 66: 1. & מְכוֹן שִׁבְתּוֹ 1 Reg. 8: 49. ſunt *altiſſimi. Altiores* enim *ſunt terra*, Eſ. 55: 9. aëre, ſideribus, ſole; qui altiſſimi cœli dicuntur *cœli cælorum*, 1 Reg. 8: 27. & *cœlum tertium.* 2 Cor. 12: 2. In *altiſſimis* his cœlis gloria canitur *Deo, Altiſſimo.* Quæris, à quibus? 1. Ab *Angelis*, qui in nubibus illam decantarunt, num in cœlis, domicilio illorum proprio, ſilere illos & mutere putabimus? *Laudate Dominum Angeli ejus*, Pſalm. 103: verſ. 20. 2. A *Spiritibus juſtorum conſummatorum, & Eccleſia primogenitorum, in cœlis* agentium. Hebr. 12: 23. Abraam *vidit diem Domini, & gaviſus eſt*, Joh. 8: 56. *notificatur nunc principatibus & poteſtatibus, in ſupercæleſtibus, per Eccleſiam, multivaria Dei ſapientia.* Epheſ. 3: 10. Num putabimus hæc ſine cantu & glorificatione Dei ab illis percipi? quinimo *canunt canticum novum Deo & Agno.* Apoc. 5: 8. 9. 11. 12. 14. Gratias agunt, quod venit is, cujus *gratia ſunt ſalvati*, Actor. 15: 11. ut *conſummaretur per paſſiones Princeps ſalutis ipſorum.* Heb. 2: 10. Ita *gloria Deo* in cœlis dicitur ſemper & perpetuum. Si autem ita agunt *cœleſtes*, quidni idem facient *terreſtres*, hoc eſt, in terra agentes? Timentes Dominum laudate illum. *Omne ſemen Jacobi glorificate illum.* Pſalm. 22: 24. *Omnes gentes, quas feciſti, Domine venient,* וִיכַבְּדוּ לִשְׁמֶךָ *& gloriam dicent Nomini tuo*, Pſal. 86: 9. dicent, Gloria Domino. confer Pſalm. 72: 19. *Benedictum Nomen gloriæ ſuum in ſeculum, & impleatur Gloria ejus tota Terra. Amen & Amen.* Ita & cœlum & terra uno ore *dant magnitudinem Deo noſtro.* Deut. 32: 3.

§. 179. Poteſt hæc periodus & ita accipi. *Gloria in excelſis Deo*, hoc eſt, Deo, qui eſt in excelſis, cujus *thronus* ibi eſt, Eſ. 66: verſ. 1. ut ita notetur, ubi ſit Deus, cui canenda gloria eſt; *in excelſis* nimirum, ἐν ὑψηλοῖς Hebr. 1: verſ. 3. בַּמְּרוֹמִים Job 25: 1. Et hoc ad gloriam Dei facit, quod ὁ ὕψιστος κατοικεῖ ἐν ὑψίστοις *Altiſſimus habitat in altiſſimis*; non amplius ἐν χειροποιήτοις ναοῖς Actor. 7: 48. unde & in Prophetis. *Exaltatus eſt Dominus*, כִּי שֹׁכֵן מָרוֹם *nam inhabitat excelſum.* Eſaiæ 33: 5. *Sic dicit Altus & Elatus,*

Elatus, habitans æternitatem, cujus nomen Sanctus. מָרוֹם קָדוֹשׁ אֶשְׁכּוֹן *Excelsum & Sanctum inhabito.* Es.57:15. Nosque oramus, *Pater noster*, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Matt.6:9. Ita tamen habitat in excelsis, ut nec excelsa, nec *cæli cælorum illum contineant.* 1 Reg.8: ℣.27. Ita est *solium illius cælum*, ut & *terra sit scabellum pedum ipsius*, Es.66:1. illeque *non procul ab unoquoque nostrum absit.* Act.17:27.

§. 180. *Gloria* Deo, qui cum sit *invisibilis*, Filium dando, se ipsum quasi videndum & enarrandum exhibuit. Joh.1:vers.18. confer Joh.14:vers.9. *Philippe, qui me vidit, vidit Patrem, & quomodo tu dices, monstra nobis patrem.* Imò & *aspectavimus gloriam* τοῦ λόγου, *gloriam ut unigeniti.* Joh.1:14.

§. 181. A *Deo* pergunt Angeli ad *terram. Et in terra Pax. Terra* in sacris sæpe notat ipsam hanc *creaturam*, quam *ad habitandum formavit* Dominus, Es.45:17. quam *super maria fundavit, & super fluvios stabilivit.* Psalm.24:2. quæ est domicilium hominum & pecudum. *Domini est terra & plenitudo ejus; habitabilis, & habitantes in illa.* Psal.24:1. Sæpe *homines* habitantes in terra; ut *mundus* sæpe pro *hominibus* mundum incolentibus venit. Joh.1:10. vide Deut.32:1. *Audiat terra verba oris mei.* Es.1:vers.2. *Auribus percipe terra, nam Dominus loquitur.* Jerem.22:29. *Terra, terra, terra, audi verbum Domini.* Hic ubi Angeli dicunt, *in terra*, non intelligimus *homines*, nam de illis statim addunt, *in hominibus beneplacitum*; sed ipsam hanc massam terrestrem. *In terra*, hoc est, in inferiori hac mundi parte; in nostra, quoad carnem, patria; ex qua facti sumus, in quam redibimus, *pax* est, videtur, conspicitur. *In terra Pax.*

§. 182. *Pax* in sacris sæpe venit pro autore & causa ac adductore; ut *salus* pro autore salutis. *Salutem tuam exspecto*, Genes.49:18. hoc est, *Salvatorem* à te datum, quem ℣. 10. appellaverat *Siloh.* confer 2 Sam.23.5. *Salus mea erit, cum non germinabit domus mea*, hoc est, Salvator meus tunc exorietur. Ita & Luc.2:30. σωτήριόν σου pro σωτῆρά σου confer Luc.3:6. Ita, inquam, & *pax* sumitur. Ephes.2:14. *Ipse est* ἡ εἰρήνη ἡμῶν. *Pax nostra.* Quid obstat, ne verba Angelorum eundem in sensum accipiamus, *in terra pax*, hoc est, pacis autor in terram & mundum nunc venit, nunc in terra est, natus homo, factus caro. Igitur quem Angelus σωτῆρα χριστὸν, κύριον dixerat, illum nunc Angeli εἰρήνην *pacem* nominant, qui alibi dicitur *Princeps pacis.* Es.9:5. *Rex pacis* Heb. 7:2. שִׁילֹה *Tranquillator, Pacificator.* Genes.49:10. *Et in terra pax*, non nunc in cælis tantùm, in sinu Patris est *pax vestra*, Pacificator vester, sed & *in terra* est, descendit è cælo. *Lux hac vera*, pax hæc vera, *venit in mundum*, Joh.1:9.

§. 183. *Pax* inter insignia dona, quæ Servator natus adduxit & accepit in hominibus, excellentissimum est, quam reliquit, quasi Testamento legatam Sanctis. Joh.14:27. *Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis.* Novi Testamenti bonum. *Regnum* enim *Dei* est *justitia & pax, & gaudium in Spiritu S.* Rom. 14:17. *Creans fructum labiorum, pax, pax, longinquo & propinquo, dicit Dominus*, Es.57:vers.19. suavissima longè res. *Quam amœni sunt in montibus pedes Euangelizantis, promulgantis pacem.* Es.52:7. Rom.10:15. confer Psalm.72:3. *Ferent montes pacem populo.* Es.54:13. *Et multa pax Filiorum tuorum.* Hag.2:9. *Et in hoc loco dabo pacem.* Cujus impii participes haut fiunt. Es.57:21. *Non est pax, dicit Deus meus improbis.* Hinc dicitur *fecisse pacem*; Ephes.2:15. Col.1:15. εἰρηνοποιήσας; *annunciasse*, Ephes.2: 17. confer Zach.9:10. *Et loquetur pacem gentibus.* Quid ergo mirum, si ab excellentissimo hoc dono, Εἰρήνη *pax* nominetur? quemadmodum non tantùm *salus* vocatur, sed & *justitia* dicitur, Jerem.23:6. *Hoc nomen ejus Iehova, justitia nostra.* Imò à quo & dicitur ὁ κύριος τῆς εἰρήνης. 2 Thess.3:16. & ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης. 1 Thess.5:23.

§. 183. Hæc autem si minus placent, hic erit sensus verborum. *Pax in terra*, hoc est, cum in terra multiplex esset *inimicitia*, nunc *pax* erit. A nunc καταργεῖται ἡ ἔχθρα, & incipit βραβεύειν ἡ εἰρήνη. Cum autem hæc *pax* non sit una; *pax cum Deo*. Rom.5:1. seu *pax Dei*, Phil.4:7. Col.3:15. *pax Israëlis & gentium*, Ephes.2:vers.14.15. illa imprimis *Pax* intelligenda est, quæ facta est & adducta per *Servatorem Christum natum nobis*. Pacem cum Deo habuerunt omnes Sancti ab initio, nec illam primùm adduxit *Christus natus*, quia jam ante Christum fuit, nisi quod adventu suo, morte sua, sanguine suo illam ratam firmamque fecit. Col.1:20. Sed pacem Israël cum gentibus non habuit ἐν τῷ παρακεχωρισμένῳ φυλαῖς, in quibus miseræ illæ fuerunt *sine Christo, abalienatæ à politia Israelis, hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, sine Deo in mundo*. Actor. 14:16. Ephes.2:vers.12. In Christo autem nato, illæ *olim procul existentes, prope factæ sunt in sanguine illius, soluto pariete intergerino, lege præceptorum in placitis, inimicitiâ in carne Christi abolitâ, & duobus his* Israële & gentibus, *creatis in unum novum hominem, ac utrisque reconciliatis Deo per crucem*, ut deinceps τὰ ἀμφότερα sint ἕν, Ephes.2:13 – 17. & Θεὸς εἷς, Galat.3:vers.20. Igitur nunc *pax in terra*, quia adest Servator, qui pacem dabit mundo, Judæos & gentes uniet, *Iaphetum alliciet, ut in tentoriis Sem habitet*. Genes.9: vers.27. *populosque* ad *obedientiam* adducet. Genes.49:10. ut *ad legem ipsius* ipsæ *insulæ præstolentur*. Es.42:4.

§. 184. Eximia certe pax! monstrat illa, quod Deus factus est non *Judæorum tantùm, sed & Gentium Deus justificans circumcisionem è fide, & præputium per fidem*. Rom.3: vers.29.30. Per illam *hereditas Christi* dilatatur, & pomœria regni ipsius extenduntur, & solium ejus sublimè fertur. *Dabo gentes hæreditatem tuam; possessionem tuam fines terræ*, Psalm.2:vers.8. *& dominari ejus à mari ad mare, & à fluvio ad fines terræ*. Zach.9: vers. 10. confer Psalm.72:vers.8. – 11. Per illam promissiones factæ Abrahamo, fore illum *heredem mundi, Patrem multarum gentium; gentes & familias terræ in semine ipsius benedicendas*, consummatius implentur. Per illam *gratia salutaris* etiam nobis *apparuit*, Tit.2:11. nosque *habemus* τὴν προσαγωγὴν πρὸς τὸν πατέρα, *nec amplius sumus* ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ. Ephes.2:19. Neque nunc est *Iudæus aut Græcus; non servus aut libertus; non mas & fœmina. Omnes enim unum sunt in Christo Iesu*. Gal.3:28. Est enim *pax in terra*.

§. 185. Imò & hoc non inutiliter monebimus, fuisse pacem profundam in tota habitabili, cum nasceretur *Christus Dominus*. Uni enim Augusto omnis mundus subjectus erat, sublatis omnibus imperii æmulis, unde & in signum universalis hujus pacis templum *Iani* ab Augusto ter clausum fuisse dicitur. Fuit autem id templum Romæ, pacis index & belli, inde à Numæ tempore. Tempore pacis erat clausum; belli, apertum, unde & *Patulcius* à patendo, & *Clusius* à claudendo *Ianus* dictus est. Neque à solo Augusto ter hoc templum clausum fuit, sed jam bis ante, & aliquoties post eum clausum fuisse historiæ docent, quare largiter errant illi, qui id ab omni ævo ter tantùm clausum fuisse contendunt. Scilicet non incongruum erat, ut mundus gauderet pace sub adventum illius, qui pacem daturus erat veram & æternam *terræ*, hoc est, Ecclesiæ.

§. 186. Etiam hujus *pacis*, cujus natus servator auctor & adductor est, sequela est id, quod legitur Es.2:vers.4. *Contundent gentes gladios suos in ligones, & hastas suas in falces putatorias, non feret gens in gentem gladium, & non discent adhuc bellum*. confer Mich.4:vers.3. Es.11:6. *Et commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hædo cubabit, & vitulus & catulus leonis & saginatum pariter*, &c. confer 6.7.8. Hos.2:17. *Et pangam illis*

illis fœdus die illo cum bestia agri, & volucre cœli, & reptili terræ. Et arcum & gladium & bellum frangam è terra, & faciam illos cubare securè.

§. 187. *Pax hæc cœlum & terram* implet, nam non tantùm est ἐπὶ γῆς εἰρήνη, sed & εἰρήνη ἐν οὐρανῷ, Luc. 19:38. confer Job 25:2. *faciens pacem in sublimibus suis.* Col. 1:20. εἰρηνοποιήσας, εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Nam quod cœlestes & in gloriam introducti alta gaudent pace triumphantes de mundo, peccato, Satana, unicè debent pacis adductori, Christo Domino. Incipit *pax* Christi in terra, consummatur in cælo, hìc illius tantùm primitiæ, ibi plenus est eritque fructus.

§. 188. Pax hæc *abolevit inimicitiam*, non tamen sustulit illam; de qua Genes. cap. 3: vers. 16. *Et ponam inimicitiam*, quinimo auxit illam. Neque enim salva est pax Christi & integra, nisi maneat antiqui serpentis & seminis illius odium & inimicitia. Odisse Diabolum, est pace frui in Deo.

§. 189. Nec contradicit Angelis *pacem* nunciantibus Christus Matt. 10:34.35.36. ***Ne putetis, quod veni* βαλεῖν εἰρήνην ἐπὶ τὴν γῆν *mittere pacem in terram, non veni mittere pacem,* ἀλλὰ μάχαιραν *sed gladium. Veni enim, ut dissideat homo contra Patrem suum, & Filia adversus Matrem suam, & sponsa adversus socrum suam. Et inimici hominis, domestici illius.*** confer Mich. 7:5.6. Luc. 12:51.52.53. Affert revera Christus *pacem*, ut Angeli testantur, nec tamen aufert *gladium*, ut ipse dicit. Pacem internam, spiritualem, divinam dat & relinquit Christus. Pacem externam, terrestrem, mundanam non semper dat, nec fovet. Mittit sæpè *gladium*, ut castigentur sui, *dissensiones*, ut manifesti fiant *probi*. Est pacis cum Deo causa *per se*, dissidii verò hominum causa *per accidens*, qui suo vitio bonum vertunt in amarum, pacem in bellum, amorem in odium, lucem in tenebras. Per *legem fidei*, quam Christus *ponit in medio omnium*, Jerem. 31:33. fit tale *dissidium*, talisque διαμερισμὸς *divisio*, ut Pater credat, Filius non; Filia credat, Mater non, &c. *Fides* enim *Dei donum*, Ephes. 2:8. *non est omnium*, 2 Thes. 3:2. Neque enim est μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου. 2 Cor. 6:15. Fides separat, nec admittit alii adhærescere, quàm Christo, confer 2 Cor. 6: vers. 14.15.16. Talisque *divisio* Sanctis est salutaris; impiis verò exitialis.

§. 190. Tandem ita desinunt Angeli. *In hominibus beneplacitum.* Trajectio copulæ καὶ, quæ secundo cantici membro adest; tertio deest, non insolita est sacris autoribus. vide Psal. 45: vers. 5.9. Job cap. 42: vers. 9. Psalm. 18: vers. 3. Prov. cap. 2: vers. 9. 8:16. Eccles. 7:25. Es. 8.22. **In hominibus beneplacitum.**

§. 191. Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, inquiunt. Angelus antea, *Gaudium erit omni populo.* Luc. 2:10. Pro eo hic est, *in hominibus.* In omni populo, in hominibus εὐδοκία. Non est εὐδοκία unius hominis, sed *hominum*, in hominibus, ita & Christus dicitur *Mediator hominum.* 1 Tim. cap. 2: vers. 5. In hominibus ex *omni lingua, gente, populo, tribu.* Apoc. cap. 5: vers. 9.

§. 192. Ἐν præpositio non hîc est capienda *subjectivè*, ac si essent homines *subjectum*, in quo hæc εὐδοκία resideat, ex quo procedat; sed *objectivè*, ut homines intelligantur esse *objectum*, in quod hæc εὐδοκία fertur & terminatur. Omnis εὐδοκία vergit in rem, in qua quis εὐδοκεῖ. *Homines* sunt res illa, in quam hæc, de qua Angeli loquuntur, εὐδοκία fertur. Ideò nonnulli verterunt, *in homines* εὐδοκία, nam ἐν sæpe venit pro εἰς, 1 Thes. 4:7. *vocavit nos Deus* ἐν ἁγιασμῷ, hoc est, εἰς ἁγιασμὸν, Hebr. 4:11. *ne cadat* ἐν τῷ αὐτῷ τις ὑποδείγματι τῆς ἀπειθείας, h.e. εἰς τὸ αὐτὸ ὑπόδειγμα. confer 2 Tim. 1:13. Et verbum εὐδοκέω, unde εὐδοκία, nunc cum εἰς, nunc cum ἐν jungitur, diciturque εὐδοκεῖν ἔν τινι, Matt. 3:17. 17:5. Marc. 1:11. Luc. 3:22. & εἴς τινα Matt. 12:18. 2 Petr. 1:17.

§. 193. Εὐδοκία notat *propensam voluntatem, complacentiam, beneplacitum, voluntatem acquiescentem.* In hominibus est εὐδοκία, hoc est, homines accepti sunt, grati, amati; in illis voluntas acquiescit. Εὐδοκία hæc, quæ in homines, est εὐδοκία θεοῦ, cui δόξα ἐν ὑψίστοις. Ergo in illis εὐδοκεῖ ὁ θεός. Habent & homines suam εὐδοκίαν. Ita Paulus, Rom. 10:1. ἡ μὲν εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας. Phil. 1:15. τινὲς δὲ καὶ δι' εὐδοκίαν τὸν χριστὸν κηρύσσουσιν. Sed non de hominum εὐδοκίᾳ agunt Angeli, loquuntur enim de εὐδοκίᾳ, quæ est ἐν ἀνθρώποις. Ergo de sola Dei in hominibus seu in homines & εὐδοκίᾳ & beneplacito.

§. 194. Etiam de *Filio* testatus est Deus, ἐν ᾧ εὐδόκησα, Matt. 3:17. 17:℣. 5. confer 2 Petr. 1:17. εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα. Gratum enim Pater habuit Filium, in illo acquievit, illumque dignum habuit, ut daret *in lucem gentium, & in gloriam populi Israel.* Luc. 2: 32. Es. 49:6. confer Es. 42:1. *Ecce Electus meus* רָצְתָה נַפְשִׁי *quem gratum habet* & acceptum *anima mea*, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. Matt. 12:18. Nunc Angeli testantur, etiam *in hominibus* esse εὐδοκίαν. Igitur εὐδοκεῖ ἡ ψυχὴ τοῦ θεοῦ, & in Filio, & in hominibus. Sed in Filio, ut *Filio*; in hominibus, ut *datis Filio. Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus.* Es. 8:17. Filius *dignus* erat εὐδοκίᾳ Dei. Homines autem *indigni.* Sunt enim *peccatores, infirmi, impii, inimici, filii iræ.* Rom. 5:6.7.8.10. Ephes. 2:3. Eò magis admiranda & laudanda hæc in hominibus est εὐδοκία, nam εὐδοκεῖν ἐν οἷς οὐδὲν ἄξιόν ἐστιν εὐδοκίας, id demum est eminentissimè & gratiosissimè εὐδοκεῖν. Estque adeò hæc in homines εὐδοκία non ex ullo illorum merito aut opere, sed è mera gratia & purissima ac perfectissima εὐδοκία. Ἐξ εὐδοκίας ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. *Non est currentis, neque volentis,* ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος καὶ εὐδοκοῦντος θεοῦ. Rom. 9:16.

§. 195. Εὐδοκία hæc Dei in homines æterna est, fuit in hominibus, antequam essent homines μήπω γεννηθέντων. Rom. 9:℣. 11. Secundùm hanc data sunt hominibus, quæ *data sunt ante tempora secularia.* 2 Tim. 1:9. *Elegit nos ante fundationem mundi, Prædestinans* εἰς υἱοθεσίαν, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, Ephes. 1:℣. 4.5. Secundùm hanc dantur, quæ dantur in temporibus. *Operatur in illis & velle & perficere* ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Phil. 2: vers. 13. *notificat illis mysterium voluntatis suæ* κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ. Ephes. 1:9. & *implet* πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης. 2 Thess. 1:11. Imò Deus, cujus ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, εὐδόκησε *dare illis Regnum.* Luc. 12:32. εὐδόκησε *salvare ipsos*, 1 Cor. 1:21. εὐδόκησε *Filium suum manifestare in ipsis.* Galat. 1:15. Imò οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθεν αὐτοῦ, ut *vocaret non multos sapientes, potentes, nobiles,* sed *infantes, stulta mundi, infirma, ignobilia & spreta.* Matt. 11:25.26. Luc. 10:21. 1 Cor. 1:26.27.28. Itaque & illi *homines,* ἐν οἷς εὐδοκία, ex horum numero habendi sunt. Adeoque est εὐδοκία θεοῦ ἐν ἀνθρώποις, ἐν οἷς homines ipsi οὐκ εὐδοκοῦσι sed quorum illi sunt מוּמָם *labes*, Deut. 32:5. abominatio, risus & fastidium.

§. 196. Sed propius animadvertenda mens Angelorum est. De illa canunt εὐδοκίᾳ, quæ exstitit *in hominibus,* nato Servatore, Christo, Domino ut & de illa cecinerunt *pace*, quæ post natum Christum demum in terra cœpit. Quanquàm Deus, qui ante tempora εὐδόκεσεν ἐν ἀνθρώποις, omni tempore in hominibus habuit εὐδοκίαν, adeoque & in hominibus ante natum Christum verè εὐδόκησεν, (quod tamen ita verum est, ut & verum sit, quod est 1 Cor. 10:5. ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ θεός, κατεστρώθησαν γὰρ ἐν τῇ ἐρήμῳ) nil minus tamen excellentiori modo & abundantiore mensura est εὐδοκία illius ἐν ἀνθρώποις illis, qui fuerunt & sunt nato Christo & post natum Christum. Ideò hoc tempore valde è re canunt Angeli, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.

§. 197. Fuit igitur certè in hominibus ante natum Christum εὐδοκία. *Salvati* enim sunt

Act. 15: vers. 10. Sed & illi in hac vita certo modo senserunt זַעַם *severitatem quandam* Dan. 8: 19. Esaiæ 10: 24. שֶׁצֶף קֶצֶף *pauxillum iræ* Esaiæ 54: 7. בְּעִלָּה *rigidiorem dominationem* Jerem. 31: 32. ἀμέλειαν *neglectum* quendam, Heb. 8: 9. tulerunt ζυγὸν Act. 15: vers. 10. fuerunt κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι Matth. 11: 28. δεδουλωμένοι Gal. 4: 3. 9. 5: 1. Atque adeo videbatur Deus *parvo momento deseruisse illos* quasi, *& faciem suam ab illis occultasse* Es. 54: 7. 8. habebantque illi speciem אִשָּׁה עֲזוּבָה וַעֲצוּבַת רוּחַ *mulieris derelictæ, & dolentis Spiritu* Es. 54: 6. comparanturque cum *fractis corde, captivis, lugentibus.* Es. 61: vers. 1. 2. Ideò εὐδοκία, quæ in illis, non fuit omni cum plenitudine consummata. Complacuit in illis Deo. Sed & placuit Deo בָּעַל בָּם *dominari in illos* & ἀμελῆσαι αὐτῶν *neglectius habere illos.* Jerem. 31: 32. Hebr. 8: 9.

§. 198. Sed nunc meliora Angeli canunt. Natus est Servator. Ideò εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις. Non amplius est tempus *iræ & severitatis*, sed plenissimæ gratiæ & amoris. Est שְׁנַת רָצוֹן *annus* εὐδοκίας *acceptationis Domini*, Es. 61: 2. quo *fracti corde obligantur, captivis libertas promulgatur, vinctis apertio, lugentibus solatium, ornatus pro pulvere, hilaritas pro luctu, amictus laudis pro Spiritu hebete*, Es. 61: 1. 2. 3. quo *misericordiis magnis colligitur* Zion, & *gratia seculi*, Es. 54: 7. 8. quo *jugum oneris, & virga humeri, & baculus Exactoris frangitur*, Es. 9: 3. quo *novum* meliusque *Testamentum pangitur*, Jerem. 31: 33. quo *justitia æterna adducitur, visio obsignatur, Sanctum Sanctorum ungitur* Dan. 9: 24. quo dicimur *Filii Dei vivi* Hos. 2: 1. & Deus *nominatur* אָבִי *Pater mi*, Jerem. 3: 19. quo *sanguine fœderis vincti dimittuntur è fovea, in qua non aqua, & index alter datur* Zach. 9: 11. 12. & *peccatum totius terræ aboletur*, Zach. 3: 9. quo רְצוֹן שֹׁכְנִי סְנֶה εὐδοκία *benevolentia* illius, qui olim *habitavit* & apparuit in *rubo*; nunc autem natus est è muliere, & venit in mundum, *venit in caput Iosephi, & in cervicem Nasiræi fratris ejus.* Deut. 33: 16.

§. 199. Est verè nunc εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις, utpote *sanguine Filii Dei purgatis* 1 Joh. 1: 7. Heb. 9: 13. *redemptis* 1 Petr. 1: 18. 19. *acquisitis* Act. 20: 28. *reconciliatis* Col. 1: 20. *lotis, sanctificatis, justificatis*, 1 Cor. 6: 11. *convivificatis, consuscitatis, coëxaltatis*, Ephes. 2: 5. 6. *liberatis* Act. 13: 38. 39. Galat. 5: 1. & *in unum novum hominem conditis.* Ephes. 2: 15. Fuit εὐδοκία θεοῦ ἐν ἀνθρώποις cum adhuc essent ἁμαρτωλοὶ, quanto magis erit, ubi *nunc in sanguine justificati servantur ab ira*? Rom. 5: 8. 9. 10. Cum adhuc essent χωρὶς χριστοῦ, εὐδόκησεν inserere illos Christo, quanto magis nunc in illis, Christo insertis, incorporatis, implantatis, εὐδοκήσει?

§. 200. De his hominibus dici potest è Psal. 16: 3. כָּל־חֶפְצִי בָם *Omnis voluptas mea in illis*, & Es. 62: 3. 4. *Exstitisti, ô Zion, corona decoris in manu Domini, & cidaris regni in palma Dei tui. Non diceris amplius, Derelicta, sed vocaberis,* חֶפְצִי בָהּ *Voluptas mea in illa.* כִּי חָפֵץ יְהוָה בָּךְ *nam voluptatem habet Dominus in te.* Psal. 149: 5. כִּי רוֹצֶה יְהוָה בְּעַמּוֹ *nam beneplacitum habet Dominus in populo suo, condecorabit mansuetos in salute, exsultent pii in gloria, jubilent in lectis suis.*

§. 201. Improbant nonnulli hanc lectionem, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Maldonatus; *non dubito*, inquit, *multis fretus autoribus, affirmare, Græcos nunc codices corruptos esse, legendumque esse* εὐδοκίας *bonæ voluntatis. Non erit*, addit, *commodus sensus, si legatur, in hominibus bona voluntas.* Vulgata habet, *in hominibus bonæ voluntatis*; sed vide, quid falsi inde emergat, ex Ambrosii ad hunc locum annotatione. *Videte, quid dicat ipsa sententia, Pax in hominibus bonæ voluntatis, non in quibuscunque hominibus, sed bonæ voluntatis hominibus, ut intelligas, pacem Christi non debiti esse, sed meriti.* Ita falsa meriti proprii spes homi-

hominibus propinatur. Plurimi codices & Patres legunt εὐδοκία: nec fortè nisi unum exemplar antiquum monstrabitur, in quo est, εὐδοκίας. Et cur nostrum desereremus textum, qui sensum exhibet verbis aptum, Vero analogum?

§. 202. Alii totum hunc Angelicum cantum putant *optativè* accipiendum. *Gloria sit in excelsis* &c. Sed docet Lucas, *laudasse* Angelos *Deum*. αἰνούντων τὸν θεὸν. Luc. 2: 13. Cur? non certè ob rem, quæ necdum exstabat, quam in votis tantùm habebant; sed ob rem jam exstantem, brevi plenius perficiendam.

§. 203. Adeò eximia haut caruit gloria nativitas Christi, è Virgine humili, in obscuro loco. *Gloria* enim fuit, quod *claritas* Domini fulsit; quod *Angelus* natum Dominum nunciavit, quod *turba* Angelica mysterium hoc cantando celebravit.

§. 204. Pastores, homines tenuioris conditionis, primi hunc nuncium acceperunt; non magnates aut divites populi, planè ut Christus postmodum confessus est, *Confiteor tibi, Pater, quod occultasti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti illa infantibus.* Matt. 11: vers. 25. Scilicet *Mundus per sapientiam suam cognoscere Deum*, & mysteria ejus, capax non est. 1 Cor. 1: 21. Præcipua pars Pauperibus in Christo est, ideò & illis prius annunciatus est. Matt. 11: 5.

§. 205. Inter Judæos pastoribus, ex infima sorte, Christus primum manifestatus est. Inter gentes *Magis*, è superiore & lautiore sorte ac conditione. Ita & pauperum est Christus & divitum.

Pastores tendunt Betleemum. §. 206. Finito cantico *abeunt Angeli in cælum*, unde venerant. *Pastores* autem rectà tendunt Betleemum, quo Angeli illos invitaverant; ibi omnia ita invenerunt, ut ab Angelo acceperant. Luc. 2: vers. 15. 16. Nec fuere κωφὰ πρόσωπα, sed locuti sunt & narrarunt, quæ ipsis περὶ τοῦ παιδὸς τούτου dicta erant. Luc. 2: 17. Ita admiratio cepit *audientes.* vers. 18. Maria verò συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς, *omnia illorum verba* diligenter *observavit.* vers. 19. Ita rescivit, Angelum eadem verè sibi, & pastoribus nunciasse. Luc. 1: vers. 31. 32. 33.

Circumcisio Pueri, & nomen Jesus. §. 207. Octavo à nativitate die *circumcisus* est *Puer* natus, & *nomen ejus vocatum Jesus.* Luc. 2: 21.

§. 208. Circumcisio è *Patribus* est. Abrahamo enim *dedit Deus* διαθήκην περιτομῆς Actor. 7: vers. 8. à *Mose* autem *data* & præcepta Israëli Joh. 7: 22. de illa vide libr. 1. cap. 7. §. 27 -- 35.

De voce ἀκροβυστία. §. 209. Circumcisio fiebat צר *lapide*. Exod. 4: 25. חַרְבוֹת צֻרִים *cultris lapideis*. Jos. 5: vers. 3. Id quod circumcidebatur, dicitur עָרְלָה *preputium* Exod. 4: 25. Genes. 17: 11. Græcè ἀκροβυστία, voce significanti, quæ non tantùm à LXX. interpretibus adhibita est, sed & in sacris usurpatur. Actor. 11: 3. Rom. 2: 25. 26. 27. Galat. 5: 6. 6: 15. Ἀκρόβυστος *preputiatus*, unde ἀκροβυστία, dicitur ὁ τὸ ἄκρον βεβυσμένον ἔχων, *qui summum*, membri nim. virilis, *tectum habet.* Βύω enim est *tego*. Ideò ἀκροβυστία notat id, quod τὸ ἄκρον βύει *extremum* membri seu τῆς βαλάνου *glandis*, *tegit*. Neque putandum est, vocem ἀκροβυστία corruptam esse; & Græcam puram ac antiquam, apud Aristotelem, esse ἀκροποσθία. Græci enim antiqui caruerunt nomine, quo *solum* præputium seu pellicula, quæ glandem tegit, notaretur, teste Aristotele de hist. Animal. libr. 1. cap. 13. ubi de βαλάνῳ *glande* agens, ait, τὸ δὲ περὶ αὐτὴν ἀνώνυμον δέρμα, *quam quæ integit cutis, caret nomine.* Quid autem per ἀκροποσθίαν intelligat Aristoteles, ipse citato loco explicat. κοινὸν τούτῳ (scilicet δέρματι *cuti*, quæ *glandem* tegit) καὶ τῇ βαλάνῳ ἀκροποσθία, hoc est, *commune huic* (scilicet cuti) *& glandi* nomen ἀκροποσθία. Inde apparet, & *glandem* & *preputium*

uno

uno hoc nomine olim notata esse. Posteriores Græci, cutem illam, quæ vivente Aristotele, proprio carebat nomine, πόσθην vocarunt.

§. 210. Judæi circumcisi Romanis per contemptum dicebantur *Apellæ*, quasi, pelle carentes; & *Recutiti*, cute truncati. Multæ tamen gentes per κακοζηλίαν Judæos imitatæ circumcisionem subierunt. Herodotus in Euterpe, *Ægyptii circumcidunt*, & paulò post. *Virilia circumcidunt munditiei gratia, pluris facientes se mundos esse, quam decoros.* Deinde. *Soli omnium hominum Colchi & Ægyptii & Æthiopes, ab initio statim pudenda circumcidunt.* Josephus contra Appionem libr. 2. de Sacerdotibus refert Ægyptiis, *Circumciduntur omnes & à porcinis carnibus abstinent.* Ambrosius Tom. 4. de Abrahamo Patriarcha libr. 2. cap. 11. *Ægyptii*, inquit, *quarto decimo anno circumcidunt mares. Fœminæ apud eos, eodem anno, circumciduntur, quod eo scilicet anno incipiat flagrare passio virilis, & fœminarum menstrua sumant exordia.* N B. quod de *Fœminis* scribit, multis videtur esse ἀδέσποτον καὶ πεπλασμένον. Idem epist. 77. contra *gentiles*, circumcisionem Israëlitarum contemnentes, docet, *Gentilium sapientissimos, electos suos, erga cognoscenda & celebranda mysteria, circumcidendos putasse. Ægyptios impium judicasse Sacerdotem, qui nequaquam habeat circumcisionis insigne. Nam neque magici carminis sapientiam, neque Geometriam, neque Astronomiam, judicarunt viam suam obtinere, sine circumcisionis signaculo*, &c.

Judæi Apellæ & Recutiti dicti.

Etiam gentes olim circumcisionem subierunt.

§. 211. Imò & hoc referre non pigebit; Judæos Apostatas, tempore *Antiochi Epiphanis*, præputia sibi fecisse, quæ formarunt per attractionem, sectionem & emplastra. Ita circumcisi qui fuerant rursum præputiati fiebant. Adhibebatur *instrumentum* quoddam *attractorium*, quod σπαθιστῆρα sive σπαστῆρα, à σπάω *traho*, appellabant, illo internam membrorum cuticulam attrahebant, suturamque adhibentes, & glutinatoriis circumdantes, præputium rursus inducebant; de qua Judæorum impietate lege 1 Maccab. 1: 16. & Joseph. ἀρχαιολ. libr. 12. cap. 6. τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπεκάλυψαν, ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν Ἕλληνες. Huc collimare videtur Paulus 1 Cor. 7: 18. περιτετμημένος τις ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω *ne attrahat*, præputium scilicet.

De reductione præputiorum.

§. 212. Christus subiit circumcisionem non absque ratione. Misit Deus Filium, *natum è muliere, factum sub legem* Galat. 4: 4. Ideò & hoc primum, quod lex ab iis, qui erant ἐν τῷ νόμῳ, exigebat, præceptum implere debuit. *Decens* erat, *ut impleret* πᾶσαν δικαιοσύνην *omnem justitiam*, Matt. 3: vers. 15. adeoque & omnia δικαιώματα σαρκὸς Hebr. 9: 10. quæ inter erat σημεῖον περιτομῆς. Rom. 4: 11. *Propter veritatem Dei, ad stabiliendum promissiones Patrum* debuit *fieri* διάκονος περιτομῆς *minister circumcisionis*. Rom. 15: 8. Promiserat illis Deus *semen*, quod *caput serpentis* contereret, in quo *benedicerentur*, quod *in tentoriis illorum* habitaret: quomodo rata hæc fuissent, nisi fuisset natus, Legi subjectus, omniaque Legis implevisset? Debuit & propter nostram consolationem circumcidi, ut in ipsius externa circumcisione nobis obsignaretur interna & spiritualis circumcisio. *In quo etiam circumcisi estis, circumcisione non manuali, in circumcisione Christi* Col. 2: 11. Debuit circumcidi, ut fratribus suis, Israëlitis, esset secundùm omnia similis, & ab illis excludi è cœtibus, Synagogis ac templo, esuque Paschatis, à quo *præputiato comedere* haut licebat Exod. 12: 44. 48. nulla plausibili ratione posset. Neque venerat καταλῦσαι τὸν νόμον *solvere legem*, & præter ordinem intermittere, ἀλλὰ πληρῶσαι, *sed implere*, Matt. 5: vers. 17. quo facto lex & ceremoniæ illius sponte desituræ erant.

Cur Christus circumcisus?

§. 213. Nomen Ἰησοῦς, quod in circumcisione accepit, jussu Angeli, Matt. 1: vers. 21.

Luc.

Nomen Jesus, non est origine Græcum sed Hebræum.

Luc. 1:31. 2:21. non est origine *Græcum* ex ἰάομαι *medeor, sano*; cujus Futurum ἰάσομαι, Jonicè, ἰήσομαι, unde ὁ Ἰάσων, Ἰήσων *Medicus*, ἡ Ἰασώ, Ἰησώ *Medica*: quorum utrumque etiam *propriè* usurpatur, ut ita ὁ Ἰησοῦς sit *sanator*, Medicus spiritualis, quæ *Moschopuli* sententia est. Sed est *Hebræum*, à radice יָשַׁע *salvum esse*. Ita significabit *Iesus* σωτῆρα, quam vocem *Cicero* Actor. 1v. in *Verrem* ait, latinè reddi non posse; sacri tamen scriptores *Salvatorem* seu *Servatorem* reddiderunt, hancque esse hujus nominis significationem ipse docet Angelus Matt. 1: vers. 21. Hebræis effertur hoc nomen יֵשׁוּעַ; quod & *urbis* nomen est Nehem. 11: vers. 26. & *Persona* 1 Chron. 24: 11. Controvertitur autem, num sit *simplex* aut *compositum*. Quidam *simplex* esse statuunt; aut per *apocopen* litteræ ה è voce יְשׁוּעָה *salus*; ut Christus vocatur יְשׁוּעָתִי *Salus mea* Es. 49: vers. 6. pro *Autore salutis*; aut per *Syncopen* ex יְהוֹשֻׁעַ, sive ut sæpius occurrit יְהוֹשׁוּעַ. Hoc nomen & *Hoseæ* filio *Nun* Moses dedit Num. cap. 13. vers. 17. fuit etiam *Sacerdotis summi*, qui cum Serubabele è Babel ascendit. Hag. cap. 1: vers. 1. 12. 14. 2: vers. 3. 5. Hoc contractè sonat יֵשׁוּעַ Nehem. cap. 8: vers. 18. Esr. cap. 3: vers. 2. 5: 2. cap. 10: vers. 18. & Ἰησοῦς Actor. cap. 7: 45. Hebræor. cap. 4: vers. 8. Eritque formatum ex יְהוֹשִׁיעַ *servabit*, quod legitur Psalm. 116: vers. 6. & notabit, ut dictum, *Servatorem*. Qui autem id *compositum* esse statuunt, illorum alii dicunt, id compositum esse ex יְהוָה & litera ש; ac significare θεάνθρωπον. ש esse notam humanæ naturæ; quia nimirum אִישׁ *virum* notat, & אֱנוֹשׁ *hominem*, ubi utrobique ש occurrit, quod contortum valdè est. Alii autem ex יְהוָה & יְשׁוּעָה, quemadmodum יְהוֹנָתָן compositum est ex יְהוָה & נָתַן, & יְהוֹצָדָק ex *Iehova* & צֶדֶק. Ita nomen *Iehosuah*, *Iesus*, notabit *Deum servatorem*, aut *Deum salutem*, aut *Domini salutem*; quem in sensum Eusebius exponit Ἰησοῦς, σωτήριον θεοῦ, *salutare Dei*, & Ἰώσουε, Ἰαὼ σωτηρίαν. Ἰαὼ apud Diodorum Siculum & Macrobium pro יְהוָה venit. Hieron. in Hag. cap. 1: vers. 1. יְהוֹשֻׁעַ exponit *Domino salus*. Certè nomen יְהוֹשֻׁעַ plus significare quàm *salutem* inde apparet, quod, cum *filius Nun* antea diceretur הוֹשֵׁעַ, quod *Servatorem* significat, Moses non sine ratione & ampliori significatione illum יְהוֹשֻׁעַ dici voluerit. Num. 3:17. Ita igitur nomen *Iesus* inditum Mariæ filio notabit *Deum servatorem*, *Iehovam salutem*, habuitque ille non tantùm *nomen*, sed & ipsum *omen*, hoc est, non tantùm nominetenus est Ἰησοῦς, Ἰαὼ σωτήρ, sed & re ipsa ac veritate. Filius Nun dictus fuit *Iehosuah*, nec tamen fuit, licet & ipse aliquo modo populum κατέπαυσε Hebr. 4: 8. Filius Mariæ & dicitur *Iesus*, & est *Iesus*. Est ut יְהוָה צִדְקֵנוּ *Dominus justitia nostra*, ita & יְהוָה יְשׁוּעָתֵנוּ *Dominus salus nostra*. Certè, qui verè à peccatis salvat, *Deus est*. Nam *salus* est *Domini*. Psalm. 3: 9. *In Domino Deo nostro est salus Israëlis*. Jer. 3:24. confer Es. 45:16.

§. 214. Rabbinis vocatur *Mariæ Filius Immanuel*, per contemptum & indignationem ישו. In Alcorano עִיסָא. *Irenæum* de nomine ישו alii narrant ita commentatum esse. *Iesus secundùm propriam Ebræorum linguam literarum est duarum & dimidiæ, sicut periti eorum dicunt, significans Dominum eum, qui continet cælum & terram.* Obscurus certè commentarius.

Magi veniunt non biennio post natum Christum, sed necdum impletis diebus purificationis Mariæ.

§. 215. Per idem tempus veniunt *Magi* Hierosolymam, adoraturi Servatorem natum. Venerunt, inquam, necdum impletis *diebus purificationis* Mariæ: nam si post illos venissent, Mariam cum puerulo in Betleem non amplius invenissent, impletis enim illis *deduxerunt illum Hierosolymam* Luc. 2: 22. & inde *reversi sunt*, non ad Betleem, sed *in Galilæam, in civitatem illorum Nazaret*. Luc. 2: 39. Neque enim probari potest, Mariam inde rursum in Betleem profectam. Quare incertum est, quod tradit Epiphanius κατ' ἀλόγων *biennio post natum Christum venisse Magos*. Interfecit quidem Herodes *omnes infantes*

in

in Betleem, quæ biennium & minus attigerant, secundùm tempus, quod exquisiverat à magis. Matt. 2:16. Sed inde non sequitur, Christum biennium tunc fuisse; tantùm, *tempus* τῦ φαινομένυ ἀστέρ☉ non multo infra biennium consistere. Opinatus est olim Nicephorus, *stellam hanc biennio ante nativitatem Christi Magis apparuisse.* Id si audax nimis effatum, tamen haut incredibile est, illos sidus hoc jam ab aliquanto tempore observasse, nec tamen à primo illius aspectu intellexisse, quid illud portenderet; sed postmodum, cum id sæpius vidissent, accedente divino χρηματισμῷ, sub tempus nativitatis Christi, & tunc itineri se accinxisse. Certè è Matthæo satis apparet, Magos non ita diù post natum Jesum adfuisse, dicit enim; *Jesu verò nato in Betleem, ecce, Magi aderant.* Matt. 2:1. Prout natus fuit, etiam illi adfuerunt. Neque opus est dicere, illos decimo tertio à nativitate die adfuisse. Iter enim ex oriente longum & difficile, tempore brumali, tam exiguo spatio non potuit confici, ex. gr. si è Susis, Persiæ civitate, quæ 216. milliaribus distitisse scribitur Hierosolyma, venissent. Aut dici debet, illos iter iniisse, etiam antequam nasceretur Jesus; natumque Jesum, cum illi jam fuerunt in via; aut fingi debet, Dromedarios, quibus vecti sunt, insolita & præternaturali celeritate progressos fuisse, quorum illud incertum, hoc verò ridiculum est. Id tutò autem dici potest, illos sub finem dierum purificationis, qui quinque circiter faciunt septimanas, advenisse. Ita enim interjacet tempus itineri tam longinquo absolvendo sufficiens & idoneum. Certè ubi Magi venerunt, Herodes & Hierosolymitani super nuncio illorum valde perturbati fuerunt, non improbabili indico, nativitatem Christi recenter factam nondum famâ procul extra Betleemi ambitum divulgatam ac delatam fuisse.

§. 216. Viri, qui venerunt, vocantur Μάγοι *Magi*. Origo hujus nominis incerta est, nam nec à μάττω *pinso, subigo*, unde μαγὶς coquinarii instrumenti genus; nec ab Hebræo מַהְגֶה *mussitans*, quod magi incantationes mussitando peragant, nec à עשׁשׁ *robur*; nec à μέγας *magnus*, quia se μέγά τι jactarent, ut Simon ille, Actor. 8:9. nec à גשׁ, quod Syris & Arabibus est *scrutari, explorare*, ut *Magi* quasi מגשׁא sint גשׁשׁא *exploratores* & scrutatores rerum sublimium, ulla cum certitudine derivari potest. Nominis enim, quod nec Græcis, nec Hebræis, nec Syris naturale est, sed *Persis* proprium, origo non nisi à Persis petenda videtur, si modo & ibi inveniri possit. Porphyrius l. 4. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, *Persæ, inquit, eos, qui circa divina occupantur, Magos vocant, quod sua patria lingua idem sonat, quod apud nos, sapientes.* Cicero de Divin. *Sapientum & doctorum genus Magorum habetur in Persis.* Igitur secundùm hos autores Μάγ☉ significabit *Sapientem & Doctorem*, præcellentem in *Theologia*, (unde Plato Alcib. 1. τὴν Μαγείαν vocat θεῶν θεραπείαν) in *Astronomia*, imò & in *Medicina* (ut scribit Plinius libr. 30: cap. 1.) in *scientia physica* (unde Philo in libro, quod *omnis probus sit liber*, appellat *Magos*, τὲς τὰ φύσεως ἔργα διερευνωμένυς) denique & in *rebus Politicis*, unde & Cicero testatur libr. 1. de Divin. τὲς Μάγυς olim in Persia regno ascitos fuisse; ex ipsorum Collegiis Reges electos, nec quenquam Regem Persarum esse potuisse, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque percepisset. Præstiterunt etiam οἱ Μάγοι *somniorum interpretatione*, teste Herodoto, in Clione. Adeoque οἱ Μάγοι totius naturæ cultores fuerunt & contemplatores; &, ut scribit Suidas, φιλόσοφοι καὶ φιλόθεοι. Idem refert, *Astrologiam*, in qua tractanda insigniter seduli fuerunt, dictam olim fuisse Μαγείαν, ἀπὸ τῶν Μαγεσαίων, quo nomine Persæ olim fuerint vocati. Unde conjicimus τὸ Μάγ☉ esse & *gentilitium* nomen, nec *artis* tantùm, sed & *gentis*, ut & Cicero de *Chaldæis* refert libr. 1. de Divin. cap. 1. *Magorum* autem gentem non in *Perside*, sed in *Media* plerique collocant. Fuerint igitur οἱ Μάγοι gens quædam peculiaris, Persis

Magi quinam.

P olim

olim subjecta & Medis; ab æstimatione sapientiæ & eruditionis ac morum imprimis celebris, unde omnes *sapientes & doctores* Persis Medisque Μάγοι dicti sunt. Lucianus in Μακροβίοις, τοὺς Μάγους dicit esse γένος μαντικὸν, καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, παρά τε Πέρσαις, καὶ Πάρθοις, καὶ Μήδοις, καὶ παρὰ πολλοῖς ἄλλοις βαρβάροις. Sicut apud *Ægyptios* fuerunt Ἱερογραμματεῖς seu Ἱεροφάνται; apud *Assyrios & Arabes* Ἐξηγηταὶ τῶν μύθων seu μυθολόγοι; apud *Indos* βραχμᾶνες; qui dicuntur fuisse ἄνδρες ἀκριβῶς τῇ φιλοσοφίᾳ σχολάζοντες; apud *Gallos*, *Druides*; & in *Sicilia*, *Galeotæ*, qui portentorum potissimum fuerunt interpretes, de quibus Cicero libr. 1. de Divin.

Abusus hujus nominis. §. 217. Quamvis autem οἱ Μάγοι olim in Persis fuerint viri adeò eximii; hocque *gentibus in honoris nomen cessit*, tamen apud Græcos, & tandem quoque apud Latinos *Magorum* nomen in vitio poni cœpit, & malè audire, ac notare illos nequam homines, qui cultui & commercio dæmoniorum intenti, turpibus præstigiis mira opera efficiunt, & cæcas mortalium mentes fascinant. Qui cum propriè sint γόητες, ut est ars illorum, non Μαγεία, sed γοητεία & περιεργεία vocari meretur, ipsi, quo honestiore titulo venirent, Μάγους se, & artem suam Μαγείαν falsò dixerunt, unde quod τοῖς σοφισταῖς, idem τοῖς Μάγοις obtigit fatum.

§. 218. Non tamen ex horum ψευδομάγων numero fuerunt, qui venere εἰς Ἱεροσόλυμα, sed tales, quales antiquitus in oriente, Persis & Medis fuere; viri non tantùm sapientes, sed & divites ac opulenti, ut liquet è δώροις quæ obtulerunt.

De numero Magorum. §. 219. Quot fuerint hi Magi, non additur. In genere tantùm dicitur advenisse Magos, fuere certè plures, nec refert scire determinatum illorum & definitum numerum. Ludunt, qui dicunt fuisse *tres*, nec plures nec pauciores; imò fuisse illos *Reges*; hac forsan moti ratione, quod olim unus alterve Magorum regium in Persis conscendit solium. Et nomina illorum fingunt fuisse Ebraicè *Apellius*, hoc est, ut illi interpretantur *fidelis*; *Amerus*, hoc est, *humilis*; *Damascus*, hoc est, *misericors*; Græcè autem, *Magalath*, hoc est, *nuncius*; *Galgalath*, hoc est, *devotus*; *Sarachin*, hoc est, *gratia*; Latinè autem, *Caspar*, *Melchior*, *Balthasar*, quæ nimis omnia absurda, & imperitiam autorum suorum produnt. Et ne quid temeritati desit, audi porrò. *Caspar*, inquiunt, *erat Rex Sabæ. Balthasar* erat *Rex de Tharsis. Melchior, Rex Arabiæ.* Atqui *Saba*, urbs & Regio Æthiopiæ, à Hierosolyma versus Meridiem, & nonnihil in Occasum distitit. *Arabia* itidem illi meridionalis est. *Tharsis* autem ab Hierosolyma occidentalis est. Nostri autem Magi non à Meridie, aut Occidente, nec alii ex aliis angulis mundi, sed ex Oriente omnes advenerunt. Nugantur porro, *Deum ea, qua Christus natus est nocte, unicuique miraculum exhibuisse. Caspari Struthiocamelum duo ova peperisse; è quorum uno Agnus*; altero autem *Leo* exiverit. In Balthasaris horto fuisse *frondosam arborem*, è qua *Avicula rubra, nocte nativitatis Christi* clamârit, *natus est infans, creator cœli & terræ, verus Deus & homo.* Melchiori autem *eadem nocte filium natum fuisse, qui statim salutaverit homines, & elevatis in cælum manibus*, dixerit, *Hodie virgo Filium peperit, quem concepit de ore Angeli & de Spiritu Sancto. Vivet ille puer triginta tres annos. Ego autem triginta tantùm & tres dies vivam.* Sed fabularum satis.

Magi unde venerint? §. 220. Venerunt hi Magi ἀπὸ ἀνατολῶν *ab oriente*, Matt. 2: 1. hoc est, à plaga seu regione mundi orientali, ubi Sol exoriri conspicitur, seu à loco apparentis ortus Solis. Dicitur ἀπὸ ἀνατολῶν, pluraliter, non quod hi Magi ex diversis Regnis orientalibus venerint; id quod probabile non est; sed communi loquendi modo, dicitur promiscuè in *singulari* ἀπὸ ἀνατολῆς, ut Matt. cap. 2: vers. 2. de iisdem hisce Magis, & Apoc. 7: vers. 12. 21: 13. & in *plurali* ἀπὸ ἀνατολῶν. Matt. 8: 11. 24: 22. Luc. 13: 29. Apoc. 16: 12. Monemus obiter,

ter, Aristotelem cap. 4. de mundo facere triplices ἀνατολάς; θερινάς, ἰσημερινάς, & χειμερινάς. Talis orientalis Regio fuit *Persia*; unde & Magos venisse, & Persas fuisse, non autem Arabes, nec ex Mesopotamia, nec Chaldæos, docet 1. Nomen Persicum, Μάγοι. 2. Situs Persiæ, est orientalis Judææ. 3. Phrasis Euangelistæ: ἀπὸ ἀνατολῶν inquit, innuens regionem remotam à Judæa; orientalem tamen, qualis penitior Mediæ vel Persiæ regio fuit.

§. 221. Venerunt εἰς Ἱεροσόλυμα, *in diebus Herodis Regis.* Matt. 2: vers. 1. Dictus etiam fuit hic Herodes, *Ascalonita*, ab Ascalone, urbe Idumææ, patria sua; fuit Filius *Antipatri* Idumæi, quem Julius Cæsar *Procuratorem* Judææ fecit, & *Cypridis* Arabissæ: à Patre Antipatro accepit primum *Galilææ* curationem, deinde à *Cassio* & *Murco*, Romanis præsidibus, totius *Calesyriæ* dux factus est, postea constitutus est à Magno Antonio *Tetrarcha*, totiusque Judææ *Procurator*. Denique urgentibus Antonio & Octaviano Cæsare, *Regium nomen* totius Senatus Romani suffragiis accepit, à quo tempore *Rex Judææ* vocatus est. Luc. 1: vers. 5. Potuissent Magi rectâ duci *Betleemum*, sed divina voluit providentia, ut prius *Hierosolymam* ingrederentur. Illa alto torpore soporata parum sollicita erat de Messia & adventu illius, *confidebant* miseri Judæi *in carne*, *Salutare Dei* non exspectabant. Magi hi ipsis exstiterunt Judæis in Jerusalem primi Euangelistæ. Ita mirâ dispensatione illi, quorum gens tota & natio hucusque *sine Christo* fuerat, & *abalienata a politia Israelis*, *hospes promissionis*, ipsis illis, quorum erant αἱ ἐπαγγελίαι; nuncii fiunt *impletæ promissionis.* Ephes. 2: vers. 12. Rom. 9: vers. 4. Actor. 13: vers. 32. Ita *inexcusabilis* facta est *Hierosolyma*, quæ nec *Prophetis* credidit, de Messia & adventu illius vaticinantibus, nec *Angelo* ipsi, & *exercitui Angelorum*, Messiam natum nunciantibus; imò nec exteris his *Magis*, qui inter muros Hierosolymitanos alta voce clamarunt, *Natus est Rex Judæorum.* Si enim credidisset, una cum Magis Betleemum festinâsset, Servatorem adorasset, nec deinceps rejectum flagitiosissimè tractâsset. Hunc insignem usum habuit adventus Magorum in Jerusalem, quod ipsi forsan haut intellexerunt; sed eâ tantùm mente Hierosolymam petierunt, Regem Judæorum in capitali Judææ civitate omnino quærendum esse. Tanto altiores sunt cogitationes Dei; qui voluntates humanas, volentes, nolentes, in suum trahit obsequium.

Venerunt in Hierosolymam in diebus Herodis.

§. 222. Hierosolymam ingressi, rogant, *ubi est ille Rex Judæorum, qui natus est*? Matt. 2: 2. de nativitate Regis non inquirunt, de illa certi erant, tantùm, ubi sit, quonam in loco agat, quos inter muros contineatur. *Regem* illum vocant *Judæorum*, non per ludibrium, ut milites Romani, Matt. 27: 29. & Pilatus Matt. 27: 37. sed sanctâ subjectione & fide, edocti divinitus, *Dominum Deum daturum illi thronum Davidis, ut regnet super domum Iacob in seculum, & regni ejus non sit finis.* Luc. 1: 32. 33. Dum ita illum nominant, simul agnoscunt esse illum etiam אור גוים *Lucem gentium*, Es. 49: 6. נָגִיד וּמְצַוֵּה לְאֻמִּים *Principem & Præceptorem nationum*, Es. 55: 4. *hæredemque*, Psalm. 2: 8. aliàs enim non venissent προσκυνῆσαι αὐτῷ. Sed & innuunt, *Regnum* esse *e Judæis*, ut & *salus ex illis*, Joh. 4: 22. *Ex Israele sceptrum hoc surgere*, Num. 24: 17. & *advenientes radicandos Iacobo*, hoc est, in radicem Jacobi esse implantandos & inserendos, Es. 27: 6. illique incorporandos, super quos *sceptrum hoc rectitudinis* quiesceret. Psal. 45: 7.

Rogant, ubi Rex Judæorum.

§. 223. Regem Judæorum *natum* quærunt. Ita subindicant fidem, illum, qui esset Rex Judæorum, debuisse *nasci*; ut ita homo factus, *frater* fieret illorum, quorum definitus erat *Rex*, & illorum causa serviret, in quos deinceps in secula regnaret.

§. 224. *Vidimus enim stellam illius in oriente*, inquiunt. Matt. 2: 2. Illa de nativitate

Dicunt, se vidisse

Stellam illius in oriente. Regis certos nos fecit. Putant quidam, verba ἐν τῇ ἀνατολῇ referenda esse ad verbum Εἴδομεν; ut sensus sit, cum adhuc in Oriente essemus, vidimus stellam Regis; super illum nimirum locum, qui nativitati illius destinatus erat, *Iudæam* nimirum. Alii jungunt illa cum voce *stella*. Vidimus *stellam in oriente*, ut sensus sit, stellam hanc in plaga orientali visam esse, & in Horizonte ipsorum, quo facere videtur vers. 9. ὃν εἶδον ἐν τῇ ἀνατολῇ. Hi putant stellam in initio in oriente tantùm, non ubique, nec in Judæa visam, quia enim in infima aëris regione videtur fuisse, non potuisse simul in Judæa, simul in Persia, & vicinis locis orientalibus conspici, ob altitudinem tumoris terræ interjecti. Humilitas autem stellæ inde concluditur, quod situ suo deinceps certam in Betleem domum notavit. Matt. 2: vers. 9. Altior enim domum à domo statione sua distinguere haut potuisset. Quod enim quidam dicunt de ἀκτινοβολίᾳ, hoc est, stellam ex alto demisisse radios ad culmen domus, item de καθέσει, hoc est, stellam ex alto in profundum quasi descendisse, ubi id in Betleem ad monstrandam *domum*, οὗ ἦν τὸ παιδίον, opus fuit; id omne incertum est, & cum sacris non convenit, quæ διαῤῥήδην dicunt, quod stella ipsa ἔστη *stetit*, *constitit*, Matt. 2:9. nulla facta mentione descensus, aut demissionis radiorum.

§. 225. De ipsa autem *stella* variè sentiunt. Non dicam de illis, qui *stellam* statuunt fuisse *increatum* quid; ipsum nimirum *Spiritum Sanctum*; aut *virtutem* quandam *divini numinis*, Magis certâ formâ, in modum stellæ apparentem; sed de illis tantùm, qui *creatum* quid fuisse asserunt; vel *Angelum*, inter quos dicitur fuisse *Chrysostomus*; vel *Elementare* aliquod Μετέωρον, fortè aërem condensatum, & luce perfusum; vel *Cometam* insignem & peculiarem; vel *ætheriam* quandam *materiam*, adeoque *veram stellam*, dici enim, Magos vidisse ἀστέρα; quâ voce non ἔμφασις aliqua, aut φάσμα τι, nec aliud μετέωρον, sed vera stella Græcis notari solet, quod autem dicitur vers. 7. ὁ φαινόμενος ἀστὴρ esse idem ac ὁ φανεὶς ἀστὴρ *visa stella*, ne quis numeret stellam hanc inter τὰ φαινόμενα seu φάσματα.

Variæ de stella sententiæ. §. 226. Stellam autem hanc, quam *veram* fuisse dicunt; fatentur à reliquis diversam fuisse 1. *Ortu & interitu*, non fuisse *in initio* creationis, sed tempore nascentis Christi, in singularem hunc usum conditam; & ut miraculosè fuit exorta, ita rursum miraculosè fuisse ablatam. *Danæus* autem affirmat, Tract. 4. Phys. cap. 10. *fuisse eam unam ex ordinariis stellis, quæ singularem tunc cursum tenuerit. Beda* autem fabulatur, *stellam hanc, post inventum puerum, in puteum quendam Betleemiticum cecidisse; ibique postea miraculosè à Virginibus quibusdam sacris visam.* 2. *Motu*; dicitur enim *præcessisse* Magos; & itineris quasi dux fuisse à Jerusalem ad Betleem, ibique super domum constitisse, Matt. cap. 2: vers. 9. quod reliquis inusitatum astris. 3. *Situ & distantia à terra*, non tenuisse æthereas vias; nec extra elementarem tractum in æthere constitisse, sed in aëre; & quidem regione ejus infima. 4. *Apparitione*. Apparuisse in oriente, deinde ad tempus rursum occultatam; postea in via ad Bethlehem iterum visam; apparuisse & diurno & nocturno tempore, non enim noctu, sed interdiu iter Betlehemum fecerunt Magi. Scribit Plinius de *cometa*, qui non multò post obitum Julii Cæsaris conspectus fuerit, & integra hora καιρικῇ ante occasum solis sese ostenderit. Narrat & Herodianus, tempore Commodi Imperatoris συνεχῶς *continuò* apparuisse ἀστέρας ἡμερινὰς *stellas diurnas*, seu per diem. 5. *Officio*, non futurum aliquid significasse; non discrevisse *tempora*, *dies*, *annos*, Genes. 1: 14. sed Magis viam tantùm ostendisse. 6. *Magnitudine*, ob humilitatem enim, quâ consistens inter contigua ædificia, unicam illam domum, in qua puer Jesus, præcisè notavit, necessum esse ut statuatur, haut majorem illam fuisse *in se*, quàm reliquæ stellæ *apparent*; quarum

rum multæ grande hoc terræ corpus longè superant mole. 7. *Luce & figura.* Chrysostomum enim super *Matthæum* è libris quibusdam apocryphis annotasse, *stellam hanc fuisse præfulgidam; & in summitate ejus, imaginem Pueruli fuisse, super cujus capite Lux splenduerit*, à qua narratione non multum differt illud *Plinii* libr. 2. cap. 25. *apparuisse aliquando Cometam candidum, argenteo crine ita refulgentem, ut vix contueri liceuerit; specieque humana Dei effigiem in se ostendentem.*

§. 227. De hac *stella* ita Magi, εἴδομεν *vidimus*, oculis nostris spectavimus, ut enim non imperiti fuerunt astrologicæ scientiæ, ita novam hanc lucem, fulgorem, & facem hanc lucentem facilè observarunt. *Quando* viderint & *quoties*, non dicunt. Neque opus est dicere, stellam hanc post natum Jesum demum apparuisse; ut nec integro biennio ante natum Jesum. Viderunt, & forsan pluries, qui si semel tantùm vidissent, forsan non adeo curassent illam; sed sæpius visa, attentionem Magorum dormire non sivit. Imò si post nativitatem tantùm vidissent, non videntur tam subitò se in iter conferre potuisse, ut adessent ante dies purificationis Mariæ. Ideò statuemus sine ullo periculo, visam stellam *aliquoties*, & *aliquamdiu* ante natum Judæorum Regem. Quando visa stella & quoties?

§. 228. Stellam *illius*, inquiunt, Stellam nati Regis, id enim ut indicaret, apparuerat; nec forsan ullum alium usum præterea exhibuit: stellam *illius*; ab ipso Rege nato factam, & per potentiam illius, hunc in finem, in æthere collocatam. Ita ille, qui est ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς καὶ ὀρθρινός Apoc. 22:16. ὁ ἀστὴρ ὁ πρωϊνός Apoc. 2:28. qui visus est Johanni ἔχων ἐν τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ χειρὶ ἀστέρας ἑπτά Apoc. 1:16. hic, ubi natus, per ἀστέρα Magis notificatus est.

§. 229. Placuit divinæ sapientiæ *stella* in vocandis Magis uti servitio: nam neć inconveniens erat, cœlestem Regem per cœleste aliquod indicium manifestari, & ipsis hic modus convenientissimus Magis fuit, viris, siderum non imperitis, & in contemplandis cœlis sedulis ac exercitatis. Observemus, cœlum & quicquid in cœlo exhibuisse testimonium Christo θεανθρώπῳ. Deus Pater è cœlo testatus est, *Hic est Filius meus.* Spiritus Sanctus è cœlo columbæ instar super illum descendit. Angelus clamavit, *Ecce natus est.* Multitudo cœlestis cecinit, *Gloria Deo.* Apparuit *stella*, Magistra Magorum, *Regem natum* docens. *Sol* ipse in gratiam patientis Regis *obtenebratus est.* Luc. 23:45. confer Joël 3:4. Ita quicquid est בשמים ממעל *in cælis supernè*, gloriam dedit Immanueli. Cur stella usus Deus?

§. 230. Sed cum *stella*, visa Magis, fuerit creatura *muta*, de qua idem dici potest, quod de totis *cælis & expanso.* Psal. 19: 4. אֵין אֹמֶר וְאֵין דְּבָרִים בְּלִי נִשְׁמָע קוֹלָם *Non est dictum, neque verba, non auditur vox illorum*, non immeritò occurrit cogitatio, unde Magi sciverint, esse illam *stellam nati Regis*? quodque non illa visa aliud quid cogitarint & conjecerint? Videntur adhuc sæpè stellæ peregrinæ; sed quid velint, oportet ut manifestet dies: ubi videmus *cometas*, bella, tumultus, rerum mutationes timemus: quia experientia ita edocti sumus: neque tamen scimus, ubi & qualia illa futura sint, usque dum eventus accedat. Quomodo ergo stella hæc potuit in specie docere Magos *nativitatem Regis Judæorum*? Quomodo stella docere potuerit Magos?

§. 231. Respondet *Augustinus*, Serm. de Epiphan. *Angelum eis mysterium stellæ significasse. Chrysostomus* verò super Matthæum dicit, *se invenisse in quibusdam libris Apocryphis, fuisse in Oriente, qui Prophetiam Bileami* Num. 24. *de stella ex Jacob oritura, acceperant. Ex qua tenebant, quod nascente Christo stella quadam inusitata appiritura esset; ideoque duodecim electos viros, qui stellæ hujus ortum observarent. Illis eadem, qua natus est Christus nocte, apparuisse stellam, in cujus summitate erat Imago Pueri, dicentis,* Sententia Patrum.

Ite ocyus in terram Juda; invenietis ibi Regem, Christum, Deum & hominem, natum. Ita statim tres missos. Origenes crassè judicavit, Dæmonum revelatione Magis mysterium hoc innotuisse. Alii *Sibyllas*, *Erythræam* potissimum, Magos de signo & tempore adventus Messiæ erudivisse dicunt.

Verior responsio.

§. 232. Verisimillimum autem est, fuisse inter Magos reliquias disciplinæ Danielis, qui in aula Chaldæorum, dein Persarum magnus & honoratus fuit; imò illos è Daniele didicisse, nascendum *Messiam*, *exscindendum*, 70. *Septimanas* illi rei *decisas* esse, *Regnum* habiturum Messiam, *nulli alii populo relinquendum.* Dan. 2. & 9. Nec improbabile est, illos hisce Prophetiis excitatos fuisse ad exspectationem Messiæ & supputationem temporum. Cum igitur inde scirent, ad finem labi 70. hebdomadas, non potuerunt non colligere, adventum Messiæ propè esse; & cum ipso illo tempore stella appareret insigniter miraculosa, potuerunt in hanc incidere cogitationem, hanc stellam, Regis promissi, nunc exhibiti, notam esse. Tutissimum autem est dicere, ut stella foris, ita *Spiritum* Dei in cordibus luxisse Magorum; & ut *divinitus in somnio* deinceps *moniti sunt*, qua via redirent Matt. 2: 12. Ita &, antequam venirent, visa stella, de significatione illius divinitus admonitos fuisse, & actos, ut in Judæa *Regem* natum quærerent. Inde πληροφορηθέντες statim iter suscipiunt, intrepidè perficiunt, asseveranter rogant, *ubi est Rex Iudæorum?* Optimè igitur *Leo* Serm. 1 v. de Epiphan. Dom. *Præter illam*, inquit, *stellæ speciem, quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit.*

Magi venerunt adorare Regem natum.

§. 233. Indicant Magi, cur venerint. *Et venimus adorare eum* Matt. 2: 2. Non de civili adoratione & externa loquuntur reverentia, (Matt. 18: 26. 20: 20. Genes. 33: 3. 6. 7.) sed de *religiosa* imprimis, quæ cultum divinum, animi fiduciam, invocationem & gratiarum actionem complectitur. Venerunt enim adoraturi *Regem Iudæorum*, *Iesum Christum.* Nec ob externam venerationem tantùm iter suscepissent, nisi sublimiorem hujus Regis dignitatem agnovissent, eumque ut Deum & Hominem cultu profundissimæ adorationis afficiendum judicassent. Errant, qui dicunt, Magos Christum pro politico tantùm habuisse Rege Orientem subacturo, quem expediret maturè obsequio civili, & muneribus sibi devincire. Nam nulla politici Regis Majestas cum inveniretur, nullusque splendor in Christo humili, è serva humillima nato, certè pedem retulissent ad aspectum illius, nec muneribus affecissent. Sed nunc aliam in illo majestatem agnoscunt, internam, non externam; cœlestem, non terrestrem; divinam, non humanam; ideo non moventur externa illius & contemtibili forma, exili habitu, specie vili; sed accedunt, adorant, munera offerunt.

Herodes super Sermone Magorum turbatur.

§. 234. Hic Magorum Sermo *turbavit Herodem*, & *totam Hierosolymam.* Matt. 2: 3. Debuissent maximo cum gaudio illum excipere. Zach. 9: 9. Luc. 2: 10. 11. Sed turbantur & commoventur. *Herodes* quidem, metuens sibi de regno suo, ignarus, hujus nati Regis *regnum de hoc mundo non esse.* Joh. 18: 36. *Hierosolyma*; quia alios elegerat *Amasios, post quos ibat* Hos. 2: 8. quæ & postea hoc rejecto Rege, dicere non erubuit, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Joh. 19: 15.

Convocat & rogat Pontifices, ubi Christus nasceretur. Respondent in Betleem.

§. 235. Herodes illicò convocat *Pontifices omnes & Scribas*, *ac percunctatus est ab illis*, (memor dicti Malach. 2: 6.) ποῦ ὁ χριστὸς γεννᾶται *ubi Christus nasceretur*, seu debuerit nasci. Matt. 2: 4. Illi rectè respondent, *In Betleem Iudææ.* Matt. 2: 5. Id & vulgo notum erat. Joh. 7: 42. Hæc Betleem dicitur τῆς Ἰουδαίας, quia erat γῆ Ἰούδα *terra Iuda*, & ad illam tribum pertinebat; distinguenda ab alia *Betleem*, *in tribu Zabulon*, in Galilæa inferiore, Jos. 19: 15. dicta etiam *Ephrata.* Mich. 5: 1. Genes. 35: 19. Duobus vix milliaribus

ab

ab Hierosolyma in meridiem, & ex parte in occasum distabat. Igitur hucusque integra in populo spes fuit, venturum *Christum è Betleem*: quo major illorum culpa, quod Jesum, qui prodiit è Betleem, rejecerunt.

§. 236. Pontifices, quod dixerant, è Scriptura probant. *Sic enim*, inquiunt, *scriptum est per Prophetam.* Matt. 2: 5. nim. *Micham Moraschteum.* Mich. 1: 1. oraculum, quod citant, est cap. 5: 1. quod explicare operæ pretium est. Probant è Mich. 5. vers. 1.

§. 237. Sermo dirigitur ad *Betlehem, civitatem David.* Luc. 2:4. וְאַתָּה בֵּית-לֶחֶם אֶפְרָתָה *Et tu Betleem Ephrata*: ita fuit dicta ob fœcunditatem loci, & fertilitatem soli. צָעִיר ὀλιγοστὸς *parva*, nec magnitudine, nec civibus, nec opulentia præstans. Dicitur hæc vox 1. De *minoribus natu*, tum filiis tum filiabus. Gen. 19: 31. 25: 23. 29: 26. Job 32: 6. 1 Reg. 16: 34. 2. De hominibus *exilibus*, parum honoratis, invalidis. Zach. 13: 7. *Reducam manum meam* הַצֹּעֲרִים in *exiles* Esaiæ 60: 22. וְהַצָּעִיר *& parvus*, hoc est, debilis, infirmus, *erit in gentem validam.* Ita verbum צָעַר est oppositum τῷ הכביד *gloriosum facere.* Jerem. cap. 30: vers. 19. הִכְבַּדְתִּים וְלֹא יִצְעָרוּ *gloriosos faciam illos, nec vilescent.* confer Job 14: 21. Oraculum illud explicatur.

§. 238. *Parvitatis* Betleem hoc additur argumentum צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה *Parva, ut sis in familiis Juda*, hoc est, nimis exilis & vilis, ut familia honorata & spectabilis, cujus ratio habeatur, in te inveniri & monstrari posset; olim cum familia Davidis floreret, domusque illius germinaret, Betleem, patria illius, non debebat dici *parva* & exilis *in familiis Juda.* Familia enim regia, omnium familiarum maxima ex illa ortum habebat. Poterat tunc dici, *Magna in* familiis Juda. Sed nunc, collapsa hac domo, & ad summam vilitatem redacta, parva facta erat, ut esset inter familias Juda, hoc est, ut, cum familiæ Judæ honoratæ & eminentes recenseantur, illius mentio fieri non debeat. אֶלֶף notat 1. *Familiam*, πλῆθος γνωστῶν multitudinem hominum, ob sanguinis conjunctionem sibi invicem notorum, Jud. capite 6: vers. 5. אַלְפִּי *familia mea est infima in Menasse.* 2. *Chiliadem* seu *mille*, fortè, quia familia millenarium non egreditur numerum. Inde factum, quod Hieronymus vertit. *Parvula es in millibus Iuda*, hoc est, parva nimis es, ut *millia*, quibus Jehudah abundat, ex te cogi possint. Tu ad numerum millium, qui è Juda componitur, parum addere potes aut contribuere.

§. 239. Non obstante tamen Betleemi parvitate, inquit, Dominus מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל *Ex te exibit mihi, qui sit Dominator in Israël. Exibit ex te*; quia in te nascetur, & ex puella nascetur, quæ ex te ortum habet, cujus familia ex te prodiit. Nativitas Messiæ cum *exitu* comparatur, & hic & Jerem. cap. 30: vers. 20. *Et dominator exibit è medio ejus*, Jacobi. Exibit *Mihi*, ut impleatur æternum meum consilium, & promissio facta olim, & gloria mea manifestetur: utrumque verum; exibit *Mihi*, & datus est *nobis*, natus est *nobis* Es. cap. 9. *Prophetam excitabo illis.* Deut. cap. 18. Exibit, ut sit *Dominator in Israël*, ut ungatur *Rex in Zion*, Psalm. 2: vers. 6. ut sit *Principatus super humerum illius* Esaiæ cap. 9: vers. 5. ut *sedeat ad dextram meam.* Psal. 110: 1. confer Jerem. 30: vers. 20. ומשלו: Est Dominator *in Israël*: nam βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακώβ Luc. 1: 33. Dominium illius *magnum* est. Zach. 9: vers. 10. *Et Dominari ejus a mari ad mare, & a fluvio ad fines terræ.* confer. Psalm. 72: 8. *Fit Dominator*, postquam fuit עֶבֶד מֹשְׁלִים *servus Dominatorum.* Es. 49: vers. 7. Ita fit *Dominator*, ut exuat מֹשְׁלָיו *dominatores* populi sui. Es. 52: 5. Col. 2: 15. *Non exibit super illos amplius Exactor* Zach. 9: 8. ut hic vocatur מושל ita Dan. 9. מָשִׁיחַ נָגִיד *Messias Princeps*, & Mich. 2: 12. *Rex illorum, Iehova*, & Mich. 4: 13. *Index Israël.*

§. 240. Hic

§. 240. Hic *Dominator*, *egrediens* è Betleem, alias etiam habet egressiones, de his ita Prophetia. וּמוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם *Et egreßiones ejus ab ante, à diebus seculi.* E Betleem exivit in *temporis plenitudine* Galat. cap. 4: vers. 4. *in postremo dierum.* Esaiæ cap. 2: vers. 2. Sed hæ *egreßiones* sunt מִקֶּדֶם *ab ante.* קֶדֶם מִפְעָלָיו *ante molimina* & decreta Dei, ante *abyssos*, unò *montes & colles*, *ante factam terram.* Proverbiorum cap. 8: vers. 22: 24. Sunt à *diebus seculi* מֵעוֹלָם *à seculo* Proverb. cap. 8: vers. 23. *a seculo in seculum* Psalm. 90: vers. 2. Dicuntur *egresiones*, ἐκπορεύσεις, notaturque generatio illius æterna, qua *genitus est hodie ab illo*, qui *unxit* illum *Regem*, Dominatorem, Psalm. 2: 6. 7. qua gignitur in secula omnia, sine accessione, sine mutatione; adeò ut verè dicatur, *hodie te genui.* Certè Dominator in Israël, qui, antequam exivit è Betlehem, alias egressiones habet, fuit, antequam è Betleemo ortus est, estque adeò non tantùm *natus* Rex, sed *aternus* Rex, *Pater aeternitatis* Es. 9: vers. 6. neque *initium dierum*, neque *finem vita* & regni *habens.* Hebr. 7: 3. Hic, cujus *egresiones* sunt *ab ante*, & qui exivit è Betlehem, qui est ab æterno genitus à Deo, in tempore natus è Betlehemitica, verè de se dicere potest, *exivi à Patre, & veni in mundum.* Joh. 16: 28.

§. 241. Magna certè *gratia*, quæ facta est *Betleemo.* Patria exstitit ejus, è quo omnis πατριὰ vocatur in cœlo & in terra. Illa parva in familiis Mater facta est illius, qui Pater est omnium familiarum, triumphantium in cœlo, militantium in terra. Magna potensque Hierusalem vocata est *solium Domini.* Jerem. 3: 17. Humilis Betleem præbuit incunabula Domino. Sed major *gratia*, quæ *Betlehemitis* facta est. Betlehemitica peperit illum, in quo salvata est. E Betlehemitis est, qui Betlehemitas *fratres* suos appellare non erubescit. Betlehemitica facta est *Mater* illius, cujus illa se *servam* humillimè professa est. *Gratis*, quam adduxit hic, qui exivit è Betleem, non propriè tangit Betlehemum; quod post exitum & nativitatem illius non ad majorem splendorem & externam potentiam, & fastigium sublimius evectum est; quinimo nunc dudum cecidit, collapsum est, & ruinis insepultum. Sed est bonum & prærogativa sanctis Betlehemi *filiis*, *Rahelique* matri, quæ deinde *flevit filios suos* Jerem. 31: 15. collata ac donata.

§. 242. Quidam hæc verba ita traducunt. *Et tu Betlehem parvane es, ut sis inter familias?* interrogativè, ut sensus sit, *minimè parva es.* Alii. *Et tu Betlehem, parum est*, seu *parva res est, ut sis inter familias.* Id leve tibi est, & parum nimis, nec dignum tua æstimatione. Major tua est prærogativa & excellentia. *Ex te exibit Dominator*, hæc dignatio major est, quàm si prima esses inter omnes familias, hoc carnis beneficium, illa cœli; hoc periit & periit, illa in æternum manet.

§. 243. Sed videamus, quomodo Pontifices & Scribæ verba Prophetæ protulerint. Igitur 1. Pro *Betlehem Ephratah*, illi dixerunt, *Et tu Betleem, terra Iuda:* utrumque cognomen Betleemo convenit. 2. Pro *parva es*, illi, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ *nequaquam minima es*, hoc speciem habet contradictionis; contradictionem tamen nullam. Micha dicit *parvam*, habito respectu ad statum ejus externum & politicum. Scribæ dicunt, *nequaquam minimam*, habito respectu ad statum ejus internum, & spiritualem. Mundo videbatur parva. Cœlo *nequaquam minima.* Erat *parva*; quia de nulla carnali præcellentia gloriari amplius poterat. *Est haut quaquam minima*; quia maximum illius est axioma, ob prodeuntem ex illa Dominatorem. Dum dicitur οὐδαμῶς ἐλαχίστη, indicatur esse ἀληθῶς μεγίστη. Hanc *magnitudinem* Micha non negat, sed statim subindicat, dicens, *ex te exibit*, dum *parvam* illam dicit, & confestim, ex illa *Dominatorem exire*, addit, haut obscurè ostendit, *parvam* hanc esse *nequaquam minimam.* Nec peccarunt Scribæ, quod verbum de

verbo

verbo non extulerunt expressum, nam licuit illis ita efferre locum, ut simul illustrarent, simul explicarent illum. Sin verò ita vertamus verba, ut §. 242. ostendimus, etiam propius ad verba Michæ accedere, & minus à litera recedere videbuntur. 3. Pro, *in familiis* seu *millibus Juda*, illi, *in Principibus Juda*. *Millium* capita sunt *Principes*, quæ *parva* est, nec tamen *minima in millibus, illa parva* est, & *nequaquam minima est in Principibus*. 4. Pro, *Dominator in Israel*, illi, *Dux, qui pascet populum meum Israel*. Dominatoris enim est *pascere* populum. Reges sunt ποιμένες λαῶν. Scribit Xenophon, dixisse *Cyrum* libr. 8. παιδ. Παραπλήσια ἔργα εἶναι Νομέως ἀγαθοῦ, καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ. Sed & hoc ipsum, ποιμανεῖ, quo usi Scribæ, sumtum est ex eodem 5. cap. Mich. vers. 3. *Et stabit*, nimirum Dominator in Israel, רעה *& pascet in robore Domini*, & convenit cum Es. 40: 11. *ut Pastor oves suas pascet, brachio suo colliget agnos, & in sinu suo feret*, &c. Hoc *pascere* est gratiæ & amoris. Aliud autem, de quo Apoc. 12: ℣. 5. ὃς μέλλει ποιμαίνειν πάντα τὰ ἔθνη ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. confer Apoc. 2: 27. 19: 15. est iræ & rigoris. 5. Ultima verba de *egressionibus* non allegant scribæ, satis habentes respondisse ad id, quod rogati erant, nimirum ποῦ ὁ χριστὸς γεννᾶται. Ex his nunc apparet, idem Pontifices dixisse sensu, quod *Michas*, licet aliquantulum verbis varient. vide Matt. 2: 6.

§. 244. Auditis sacerdotibus *advocat Magos* Herodes, sed λάθρα *clam*. Matt. 2: 7. noluit videri cum illis communicare, aut sermones illorum curare, aut de Rege, quem *natum* dixerant, valdè sollicitus esse. *Exquirit ab illis tempus visæ stellæ*, quando nimirum & quoties illa ab illis visa esset. Visus est sibi inde proximè colligere posse ætatem nati Regis; quem ea ratione facilius se tollere posse speravit, cognita nimirum illius ætate, & cognito nativitatis loco. Matt. 2: 7. Auditis scribis, clam rursus accersit Magos.

§. 245. Ita *mittit illos Betleemum* Matt. 2: 8. Mirare hîc Tyranni, callidè agere volentis, perplexam simplicitatem. Potuisset unà cum Magis satellites mittere, qui illicò, in ipso Magorum conspectu, infantulum trucidarent, nunc mitius agere volens, facit, ut à Magis illudatur, & infantulus evadat. Blandè autem Magos dimittit. *Ite*, inquit, *accuratè inquirite de puerulo; & nunciate, ut & ego veniens adorem illum*. Matt. 2: 8. Fatetur *adorandum* puerulum, conformiter Scripturæ. Psalm. 2: versf. 12. 45: 12. 72: 11. 95: 6. 97: 7. Nil minus tamen facere cogitavit. Cogitavit enim illum è medio tollere. O impie Herodes! cui adorationem deberi fassus es, illi necem intentare violenta mente ausus es, de quo mentitus dixisti, προσκυνήσω αὐτῷ; de illo subdolè cogitâsti, Ἀποκτενῶ αὐτό. Ita nihil melior fuit Tyrannus majoribus suis, Amos. 1: 11. *Persecutus est Edom gladio fratrem suum, & corrupit miserationes suas, & laniavit in perpetuum ira ejus, & excandescentia ejus observat in perpetuum.* Et blandè mittit.

§. 246. Sed quid mirum, hominem Idumæum, ἀλλόφυλον, οὐ προσήκοντα Ἰουδαίοις τὸ γένος, fœderis divini exsortem ita egisse? Id autem maximè mirum, Hierosolymam adhuc torpere, nec petiisse unà cum Magis Betleemum. Humiles pastores, auditis Angelis, se invicem excitaverant, Διέλθωμεν δὴ ἕως Βηθλεὲμ. Luc. 2: 15. Hierosolymitanorum nemo est, qui id ausit aut conetur. Magi ex Oriente venerunt, ut adorent. Judæi ne ex Hierosolyma quidem adfuerunt. Ita ab initio cœpit fieri, quod est Joh. 1: 11. εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. Videntur Hierosolymitani præ metu Herodis pedem non movisse; ne criminis politici rei acti, ac si alium quærerent Regem, in periculum adducerent rempublicam. Accessit securitas carnalis, non *sitiebant*, proinde nec *quærebant Regnum Dei & justitiam illius*. Pinguis, obesus Jeschurun *oblitus* est *petræ suæ, omisit Deum factorem suum*, & *floccifecit rupem salutis suæ* Deut. 32.

In itinere rursum vident stellam quæ stetit super domum ubi erat puer.

§. 247. Magi, de blandiente nil mali suspicantes Tyranno, ἐπορεύθησαν *abierunt.* Matt. 2:9. Soli venerant. Soli abeunt, haut tamen soli, nam *stella, quam in Oriente viderant,* προῆγεν αὐτοὺς *præcessit illos.* Matt. 2:9. In oriente visa stella postmodum disapparuerat, nunc in Judæa rursum apparet. Qui stellam Magis ducem ex oriente Hierosolymam usque præviam fuisse volunt, hic impingunt. Non dicitur, ὁ ἀστὴρ, ὃς προῆγεν αὐτοὺς ἐν τῇ ὁδῷ, *nunc &* προῆγεν αὐτοὺς, sed tantùm, εἶδον ἐν τῇ ἀνατολῇ. Viderant in oriente, in itinere non viderant, nunc in via, à Jerusalem ad Betleem, rursum vident, inde maximum illorum *gaudium.* Matt. 2:10. Ita enim nunc certi erant, Deum, stellæ hujus formatorem, esse cum illis, nec frustra fore iter illorum. Stella hæc tamdiu *præcessit*, donec *venit ubi erat* τὸ παιδίον ibique ἔστη *stetit, constitit*, nec ulterius processit. Matt. 2:9. Non igitur in Betleemo opus habebant rogare, ut in Hierosolyma, ποῦ ἐστιν. Stella enim stans clamabat, sine voce, sine sono, Ἰδοὺ ὧδε ἐστι. *Ecce hic est.*

Quam ingressi, inveniunt illum.

§. 248. *Ingressi in domum*, super quam stella constitit, *inveniunt puerulum.* Matt. 2:11. Non amplius erat nunc ἐν τῇ φάτνῃ, exclusus *diversorio.* Luc. 2:7. sed *descriptione* absoluta, multitudo & turba abierat, ita puerulo factus *locus* ἐν τῷ καταλύματι. Aut etiam, famâ in Betleem percrebescente, ut non potuit aliter, post apparitionem Angeli, & canticum Angelorum, ac præconium pastorum, quantus esset, qui *natus erat in civitate David, Servator* nimirum *Christus, Dominus*, Betleemitæ turpe ducentes, Servatorem populi in stabulo latere, in honestam quandam & accommodam domum illum deduxerunt. Certe id non indignum fuit amore Betleemitarum, quo natum Servatorem complexi sunt; quem publicis testati sunt lacrymis, ubi Herodes infantes cædi jussit. *Flevit* enim tunc *Rahel*, hoc est, fideles filii Rahel, non *super filiis suis* tantùm, sed imprimis, כִּי אֵינֶנּוּ *quod non ille.* Jerem. 31:15. quod ille natus Servator coactus fuerat aufugere *in terram inimici*, Ægypti; atque ita τὰ ἴδια derelinquere, id ipsis ægrè faciebat; ut & quod ipse periculum gladii subiret, & hinc illæ lacrumæ.

Et adorant.

§. 249. Ibi πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ *procidentes adoraverunt illum.* Matt. 2:℣. 11. gratulati beatum illius in mundum adventum; laudantes ingentem illius φιλανθρωπίαν & χρηστότητα; animas & corpora sua gratiæ ipsius commendantes; divinitatem illius profundo cordis affectu venerantes; carnem, secundùm quam *frater* noster factus est ὁ Ἄγιος, lætis oculis spectantes, sanctisque manibus attrectantes. Nec tantùm; sed & *apertis thesauris*, seu thecis, *obtulerunt illi* δῶρα *dona* & munera.

Et munera offerunt.

Illi, qui πλουτεῖ εἰς πάντας, sed nunc ἐπτώχευσε πλούσιος ὢν, δι' ἡμᾶς, Rom. 10:12. 2 Cor. 8:9. dona offerunt. Divinitas non indigebat illis, nec id Magi ignorabant. Assumta humanitas, tenera hucusque & infirma, poterat refocillari illis. Ideo Magi offerunt. Offerunt in signum gaudii, amoris, gratitudinis. Illi, qui se ipsum, imò se totum, pro ipsis, & pro mundo daturus erat, de suo dant, & simul se totos ipsi dant, hæc munera volunt subjectionis suæ arrham esse. Mos erat orientalibus, haut sine munere Regum faciem videre. Vulgatum erat. Δῶρα θεοὺς πείθει, καὶ αἰδοίους βασιλῆας, *cum divis flectunt venerandos munera Reges.* Ideò nec Regem cœlestem sine muneribus accedere volunt; procul tamen ab errore, flecti illum muneribus, admirari dona externa, aut omnium dulcissimum ipsi esse *accipere*, ut hominibus solet, nam quid munera nostra curat, cujus cœlum est & terra; cujus munus sumus nos; cujus sunt munera omnia nostra; qui est *Rex*, imò Regum Rex? munera autem hæc viatici instar fuerunt Parentibus puerili, paulò post fugientibus in Ægyptum. Id quod Magi quidem, cum offerrent, nesciverunt, ideoque nec eum præcise in finem obtulerunt. Imò nec parentes, cum acciperent, sciverunt. Eventus tamen docuit. Ita prudenter agit Deus in omnibus, & sapienter disponit de omnibus.

§. 250. Do-

§. 250. Dona, quæ obtulerunt, fuêre, *Aurum*, *Thus* & *Myrrha*. Matt. 2: 11. Pretiosissima munera, & offerri magnatibus solita. Regina Sabæ *aurum* obtulit Salomoni, & *aromata*, 1 Reg. 10: 10. 2 Paral. 9: 1. quæ inter מר *myrrha* est, Exod. cap. 30: vers. 23. Alexander Magnus multa myrrhæ talenta dari jussit *Leonidæ*, ne parcius rem divinam faceret.

§. 251. De his muneribus multum rhetoricati, multum etiam philosophati sunt veteres & recentiores. Numerum *ternarium* primò mirantur. Convenire illum inquiunt 1. Cum mysterio Trinitatis. 2. Cum substantia triplici, quæ est in una ὑποστάσει τοῦ λόγου. 3. Cum fide, spe, charitate, tribus Sanctorum virtutibus, quibus & ipsi instructi Magi munera obtulerint. Imò docere, tria offerenda Deo, corpus, animam, bona. De ipsis autem muneribus ita dicunt. *Aurum* oblatum Christo, ut *Regi*; *Thus*, ut *Deo*; *Myrrham* ut *homini* morituro: corpora enim defunctorum in oriente *Myrrha* condiri consuevisse. confer Joh. 19: 39. Adeoque in his muneribus majestatem, divinitatem & mortalitatem Domini præfiguratam. Alii; munera illa respondere triplici Christi officio; *Aurum* regio; *Thus* sacerdotali; *Myrrham* prophetico. Tria inesse myrrhæ; amarorem, suavem odorem, & vim arcendi putredinem. Ita Christi Prophetæ doctrinam esse amaram carni; suavem autem Spiritui regenito, & præservare à peccati corruptione. Alii ad παιδείαν applicant. *Aurum* offerendum Deo, hoc est, eleemosynas. Hebr. cap. 13: vers. 16. *Thus*, hoc est, preces. Psalm. 141: vers. 2. *Stabiliatur oratio mea suffitus coram te. Myrrham*, hoc est, *Spiritum contritum*, cor *fractum*. Psalm. 51: 19. Quæ omnia ut citra impietatem dicuntur, ita tamen haut facile evincitur, ipsos Magos hæc intendisse, aut cum offerrent cogitasse, & tali cogitatione ad offerendum munera talia motos esse.

§. 252. Qui autem è ternario munerum numero ternarium Magorum numerum cogere nituntur, ac si singula munera oblata sint à singulis, illi certè ludere putandi sunt.

§. 253. His actis ad abitum se componunt Magi; cumque cogitarent de reditu in Hierosolymam, de quo Herodi petenti spem fecisse videntur, ecce *in somnio admonentur divinitus, ne ad Herodem revertantur*. Ideò *per aliam viam regressi sunt in terram suam*. Matt. 2: 12. Magorum abitus.

§. 254. Egit autem cum illis Deus mirabiliter admodum. Docuit illos per *stellam* in oriente; per *Scripturam* in Jerusalem; per *revelationem* in somnio in Betleem. Sed nec *stella* illis profuisset, nec *Scriptura* credidissent, nec nocturnæ *admonitioni* obedivissent, nisi *docuisset* illos Dominus *facere beneplacitum suum*, & *Spiritus Dei bonus illos duxisset in terra rectitudinis*. Psalm. 143: 10.

§. 255. Dixerat Noah. *Alliciet Deus Iaphetum*. Genes. 9: 28. Hi Magi primitiæ alliciendorum extiterunt. Vaticinatus erat Psaltes. *Reges Tarsis & insularum munus afferent. Reges Scheba & Seba donum offerent.* Horum quasi præcursores hi Magi facti sunt, non ipsi Reges; sed Regibus olim proximi.

§. 256. Per hosce Magos propinavit Deus doctrinam de Servatore orienti & gentibus, neque enim tacuerunt Magi, ubi reversi sunt. Miseri pastores non tacuerunt, Luc. 2: 17, & Magi hi tacuerint? quinimo videor mihi audire illos clamantes & dicentes, *quod fuit ab initio, de Sermone vitæ*, id *audivimus, oculis vidimus, contemplati sumus, manibus palpavimus*. 1 Joh. cap. 1: vers. 1. *Eamus, ascendamus ad montem Domini, ad domum Dei Iacob, ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in semitis ejus, nam è Zione exibit Lex, & verbum Domini è Jerusalem.*

§. 257. A Magis, nunc ad iter accinctis, redeundum ad Mariam est & Primogenitum illius.

illius. Illis debebat fieri, ut *in Lege* præceptum erat. Adhuc enim erat *Lex*, & Jesus *natus, factus sub legem erat*. Gal. 4: 4.

Lex de puerperiis. §. 258. De *puerperis* ita statutum erat. *Mulier, cum seminificasset, & peperisset filium, impura erat septem dies,* כִּימֵי נִדַּת דְּוֺתָהּ *juxta dies fœditatis languoris sui*, h. e. dies menstrui. Lev. 12:2. Omne, in quo cubabat & sedebat, impurum erat. Omnis, qui illam, aut lectum illius, aut quod attigerat illa, attingebat, impurus erat usque ad vesperam; lavare vestes & se ipsum debebat, Levit. 15: vers. 19 -- 25. septem diebus elapsis *circumcidebatur octavo* Filius. Levit. 12: 3. Ab illo octavo die numerabantur *triginta & tres dies*, quibus puerpera adhuc debuit *sedere* בִּדְמֵי טָהֳרָה *in sanguinibus purificationis*, h.e. à quibus purificanda erat. Levit. 12: 4. Igitur labentibus his 33. diebus illa *impura* habebatur; non tamen ita impura, ut primis *septem*, nativitati seu partui proximis, sed eatenus, ut *omne Sanctum non attingeret, & ad Sanctuarium haut accederet*. Levit. 12: vers. 4. *Impletis* autem *diebus purificationis* בִּמְלֹאת יְמֵי טָהֳרָה, triginta nimirum tribus diebus à circumcisione, adeoque quadraginta à partu, ita purificabatur. Adducebat *agnum anniculum in holocaustum*, & *pullum columbinum, aut turturem in propeccato; ad ostium tentorii conventus, ad Sacerdotem*. Hic *offerebat* dona hæc *coram Domino, & expiabat illam*, puerperam. Ita tunc *pura* rursum habebatur מִמְּקֹר דָּמֶיהָ *à fonte sanguinum suorum*, & poterat tangere omnia, & tangi ab omnibus, quibus id licebat, citra attractionem legalis impuritatis; & licebat illi ire, quo vellet, imò & ad sacra ac sanctuarium venire. Lev. 12:6. Si autem puerpera *pauperior* esset, quàm ut *agnum* offerre posset, satis erat, si offerret *duos turtures*, aut *duos pullos columbinos, unum in holocaustum, & alterum in pro peccato*. Levit. 12:7.

§. 259. Si autem peperisset *Filiam*, idem debebat pro purificatione sua offerre; sed debebat duplum tempus *impura* esse, שְׁבֻעַיִם *duas septimanas*, & duplum tempus *sedere in sanguinibus purgationis* שִׁשִּׁים יוֹם וְשֵׁשֶׁת יָמִים *sexaginta dies & sex dies*. Levit. 12. vers. 5.

§. 260. Infantem autem, qui nascebatur, quod attinet, nec ille nisi impurus haberi poterat.
Habet etiam respectum ad infantem. Etsi enim purificationis Lex ad solam matrem expressè respiceret, tamen & infans eâ comprehensus fuit. Si enim immundus erat, qui immundam attingebat, quidni immundus fuerit infans, qui in sinu immundæ matris portabatur, & mammillis illius nutriebatur, quamdiu mater immunda erat? Et quamvis octavo die infans circumcideretur, quo communio fœderis Dei illi obsignabatur, atque ab inde certa ratione purus haberetur, tamen sicut mater toto immunditiei suæ tempore, 40 scilicet diebus, si enisa esset Filium, à Sanctuario exclusa erat, ita & quilibet Filius primogenitus non sistebatur Domino, nisi effluxis istis diebus, eodemque adeò tempore, quo munus purificationis exhibebatur. Imò & è verbis, Lev. 12: vers. 6. וּבִמְלֹאת יְמֵי טָהֳרָהּ לְבֵן אוֹ לְבַת *& cum impleti fuerint dies purificationis ejus pro Filio aut pro Filia, adferet agnum*, &c. cernere est, tempus purificationis etiam respectum habuisse ad infantem; adeoque infantem ipsum tunc plenius & legaliter in matre & cum matre purificatum.

§. 261. In hoc ritu & ceremoniali placito fuit admonitio, & commemoratio *impuritatis*; tum originalis, in qua nascebantur omnes; tum actualis, quæ adultis inest, victima mediatoris ac Sponsoris meliore adhuc purificandæ & expiandæ; quà oblatâ, mulier puerpera nec impura haberi, nec à consortio hominum excludi, nec à communione Sacrorum arceri amplius potest aut debet.

Lex de primogenitis. §. 262. De *primogenitis* autem ita se res habet. In Ægypto jam præceperat Dominus, *facietis transire omne aperiens vulvam, mascu[illegible] Domino*. Exod. 13: 12. h.e. tradetis &

con-

consecrabitis omnes primogenitos. Primogenitus enim aperit vulvam. Hoc præceptum pertinebat 1. Ad primogenita *pecudum*, tum *purarum*, quæ *sacrificabantur Domino*; tum *impurarum*, quæ aut *redimebantur per agnum*, aut quibus *cervix frangebatur*. 2. Ad primogenita *hominum*, quæ ne *mactarentur*, *redimi* debebant, *quinque siclis argenteis*. Ita redempti, non quidem mactabantur, sed *Domini* tamen erant perpetuo; & ita quidem *initio*, ut sacra facere deberent, & expiare super filios Israël: *deinde* autem, assumptis in illorum locum *Levitis*, à Sacrorum officio & munere erant quidem immunes; sed tamen semper *Sancti* Domino, illi quasi consecrati & addicti, illius propria pars, portio, peculium. *Omnis mas, aperiens matricem, Sanctum Domino vocabitur.* Luc. 2:23. קֹדֶשׁ הֵם *Sanctum illi* sunt. Ita & gentilibus vox hæc venit. *Sacrum est, quicquid est, quod Deorum habetur.* Macrob. Saturnal. libr. 3: cap. 3. & cap. 7. *Quicquid destinatum est Diis, Sacrum vocatur.* Et apud Massilienses olim in usu fuit. Quum peste laborarent, solebat se unus ex gentibus offerre, qui publicis cibis & purioribus annum unum alebatur; deinde autem verbenis vestibusque sacris indutus, per urbem circumducebatur. Ibi precabantur, ut omnia civitatis mala in illum incumberent & inruerent, & ita projiciebatur ac mactabatur. Talis homo nominabatur *Sacer*. de quo ita Macrob. libr. 3. cap. 7. *Quum enim Diis dicatus esset, pervenire autem ad eos non posset, nisi libera ab onere corporis fieret Anima, morte id præstandum fuit.* Talium Sacrorum *Animæ*, quas Diis debitas existimabant, Græci ζωάνας vocarunt. Et hæc obiter de hac Gentium κακοζηλίᾳ. Primogeniti Israëlitarum *Sancti* Domino erant. Ritus ita observabatur, adducebantur ad tentorium conventus. Ibi sistebantur, & tradebantur quasi Domino: Ibi pretium, quinque nim. sicli, pro redemptione illorum solvebantur. Adducebantur autem eodem tempore quo Matres puerperæ accedebant, ut purificarentur, quod tempus in genere חֹדֶשׁ *mensis* vocatur. Num. 18:16. וּפְדוּיָו *& redempti ejus* seu redimendi, מִבֶּן חֹדֶשׁ תִּפְדֶּה *à filio mensis redimes*, hoc est, redemptionis pretium pro illis solves, ubi mensem impleverint, ultra tamen mensis spatium id fiebat, nim. die purificationis maternæ, adeoque quadragesimo die à partu. Et de hac consecratione Primogenitorum, & significatione illius typica, vide, si placet, *librum secundum*. cap. IV. §. 23 -- 30.

§. 263. Ad hanc Legem obligata Maria fuit. Ideò narrat Lucas, quod, *quum dies* καθαρισμοῦ αὐτῆς *purgationis illius impleti essent*, ascenderit, τοῦ δοῦναι θυσίαν, *ut daret* solitam *victimam*; *juxta id quod dictum erat in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Luc. 2:22. 24. Victima hæc erat *pauperiorum*. Pauper erat Maria, ideò & *munus* pauperum obtulit. Levit. 12:6. 8. Acceperat dona à Magis, potuisset liberaliorem se exhibere, & *agnum* emere. Sed noluit se supra sortem suam efferre; nec statim ostentare, quod Magorum liberalitate ditior facta esset. Secundùm hæc Maria purificata est.

§. 264. Ita igitur Maria purificata est & expiata Domino per hostias ordinarias. Quamvis enim partu suo, nim. Christi, potius sanctificata esset, tamen oportuit impleri legem. Purificata autem est *a profluvio sanguinum*, qui in partu effluxerant, in quibus hactenus sederat. Si enim non *in sanguinibus purgationis sedisset*, nec ab illis sanguinibus purgari necessum habuisset. Nunc cum se purgandam stitit, à sanguinibus effluxis & profusis purgari voluit. Si autem à sanguinibus purgata est, falsum est, clauso illam utero, nec aperta matrice peperisse. confer §. 132 -- 136. Si enim uterus clausus mansisset, nec sanguines exiissent; nec Maria ab illis sanguinibus purgari opus habuisset. Maria in hac sua purificatione legali confessionem publicè edidit, se natura impuram, καθαρισμοῦ indigere, velioremque exspectare *a Deo Servatore suo*, quæ si labis originalis fuisset expers, nec secundùm legem debuisset καθαρίζεσθαι.

 §. 265. Sunt

§. 265. Sunt autem codices, in quibus ita legitur. *Et quum impleti essent* αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν *dies purgationis eorum*: nimirum Matris Mariæ, & Filii Jesu. Num ergo & Jesus *purificatus* est, qui purus erat, & impurus non erat? justum erat Mariam, natura impuram, purgari. Ad quid opus fuit, Jesum Sanctum purgari? Respondeo. Jesus circumcisus est; nec circumcisione indiguit. Etiam legaliter purgatus est; nec purgatione indiguit. Circumcisus nostri causa, etiam purgatus nostri causa. Factus sub legem, omnia Legis subiit, ut & Autor Euangelii factus, omnia Euangelii; Baptismum & Cœnam. Neque crimen est, si dicamus Servatorem nostrum unà cum matre sua ad quadragesimum usque diem juxta legem ceremonialem immundum fuisse *habitum*; *quin & mirifice id nos impuros peccatores solatur*, ut verbis magni Viri, *Ludovici de Dieu* utar.

Et Filius ejus consecratus Domino.

§. 266. Deinde narrat Euangelista, quod *Puerum Jesum*, Mariæ primogenitum, *adduxerunt Hierosolymam*, Maria & Joseph (Luc. 2: 27. οἱ γονεῖς αὐτοῦ) παραστῆσαι τῷ κυρίῳ *ad sistendum eum Domino*, Luc. 2: 22. hoc est, ut traderent illum, & sacrum facerent Domino, & redemptionis pretium, quinque siclos pro illo solverent. Qui vertunt, *ut commendarent illum Domino*, minus propriè vertunt. Quanta συγκατάβασις! *Primogenitus omnis creaturæ*, cujus typi fuerunt & umbræ primogeniti olim consecrati, hîc quasi unus ex illorum grege sistitur, redimitur, Domino traditur; fitque quasi sui ipsius typus, sui ipsius umbra, sui ipsius figura. Ita idem ille typus, umbra, figura, qui est corpus, veritas, imago ipsa.

Dum introducitur in templum, occurrit Simeon.

§. 267. Hoc dum agunt parentes, dumque *introducunt Jesum in templum*, *ut facerent* κατὰ τὸ εἰθισμένον τοῦ νόμου, ecce occurrit illis homo, qui infantem *in ulnas suas accepit*. Luc. 2: 27. 28. Homo hic *erat* seu habitabat *in Ierusalem*; *nomen illius Simeon. Iustus* erat *& pius*. Luc. 2: 25. Non est confundendus cum alio quodam, qui dictus fuit שמעון הצדיק *Simeon Iustus*; quem ex viris Synagogæ magnæ ajunt fuisse. Ille enim Alexandri ævo vixit. Porrò hic Simeon dicitur *exspectasse consolationem Israëlis*, Luc. 2: 25. fuitque adeo unus ex illis, qui describuntur Actor. 26: 6. 7. confer Actor. 13: 32. qui in sacris vocantur צֹפִים *Speculatores* Es. 52: 8. Mich. 7: 4. *Christus Domini*, quem *videre* desideravit Simeon, omnis consolationis fons & origo est, Es. 40: 1. 61: 2. *ad consolandum lugentes*. Es. 51: 12. *Ego, Ego ipse consolator vester*. Est verè נֹחַ *Noach*, qui *consolatur nos ab operibus nostris*. Genes. 5: 29. Imò & *Spiritus Sanctus erat super illum* Simeonem. Luc. 2: 25. Adeò verum est, quod exstat Hag. 2: 5. *Spiritus meus stat in medio vestri*. Eidem Simeoni *divinitus nuntiatum erat à Spiritu Sancto*, qui super illum, ipsum *non visurum mortem*, non excessurum ex hac vita, πρὶν ἢ ἴδῃ τὸν χριστὸν κυρίου *antequam vidisset Christum illum Domini* Luc. 2: 26. promissum ab initio, de quo Moses & Prophetæ scrutati fuerant 1 Pet. 1: 10. 11. præfiguratum in plurimis typis, & umbris legalibus; *vidisset*; non *in Spiritu*, ut David Matt. 22: 43. nec ut Abraam Joh. 8: 56. nec ut Hiob Job 19: 27. sed ante gustatam mortem, *oculis suis*. Luc. 2: 30. *Viderunt oculi mei salutare tuum*, עַיִן בְּעַיִן *oculo in oculum*, Es. 52: 8. ut in carne adhuc existens, necdum solutus à corpore mortis dicere posset, ὃ ἑωράκαμεν, ὃ ἐθεασάμεθα τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. 1 Joh. 1: 1.

§. 268. Non *venit in templum* Simeon fortè fortuitò, sed ἐν πνεύματι *in Spiritu*, Luc. cap. 2: vers. 27. actus & monitus à Spiritu, promissi sui memore. Ut amplexus est Puerum, cœpit *gratias agere Deo*, & *loqui*. Luc. cap. 2: vers. 28. Locutus est certè φερόμενος ὑπὸ πνεύματος ἁγίου. 2 Petr. 1: vers. 21. *Spiritus Domini*, qui super illum, qui divinitus admonuerat illum, *locutus est per illum*, *& verbum illius super lingua*

ejus. 2 Samuel. cap. 23: vers. 2. Ideò eo majori attentione, quæ locutus est, legenda sunt.

§. 269. Νῦν ἀπολύεις, *nunc dimittis,* inquit, *servum tuum, Here, secundùm verbum tuum, in pace.* Luc. 2: 29. Vox ἀπολύω varia significat 1. *Repudium,* quod Sponsus sponsæ remittit. Matt. 1: 19. 2. *Divortium,* quod vir cum uxore facit. Matt. 19: 3. 3. *Dimissionem* aliorum à te, ne tecum diutius sint. Luc. 8: 38. 39. *Vir orabat Iesum,* εἶναι σὺν αὐτῷ *esse* seu manere *cum illo,* ἀπέλυσε δὲ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς, *dimisit autem illum Iesus, dicens, revertere in domum tuam.* Matt. 14: 15. Marc. 8: 3. 4. *Dimissionem debitorum,* ut debitum ab illis non exigatur. Luc. 6: 37. ἀπολύετε καὶ ἀπολυθήσεσθε. Matt. 18: 27. 5. *Dimissionem vinctorum,* & reorum, ne pœnam capitis sufferant, nec in carcere deliteant. Matt. 27: 15. *Solebat Præses* ἀπολύειν ἕνα τῷ ὄχλῳ δέσμιον vers. 17. τίνα θέλετε ἀπολύσω ὑμῖν. Luc. 23: 20. Joh. 19: 12. 6. Qui ab infirmitate seu morbo liberatur, dicitur ἀπολελυμένος. Luc. 13: 11. 12. *Mulier,* ἀπολέλυσαι τῆς ἀσθενείας σου.

Canticum Simeonis.

§. 270. De qua autem Simeon ἀπολύσει loquatur, facile est dicere. Non de illa, quæ *infamiæ* est, ut in repudio ac divortio: nec de illa, quæ separationis ac mutuæ sejunctionis est; ut quum quis alterum dimittit à se; nam absit, ut propterea *benedicat Deum.* Luc. 2: 28. Maxima enim & ineffabilis est miseria, nullis lacrymis deploranda satis, si quem ita dimittat Dominus. Sed hæc Simeonis mens est. Scit se multis oneratum infirmitatibus, debitorem, in carne peccati & corpore, seu carcere quodam, vinctum & detentum. Dimissionem ab infirmitatibus multiplicibus; à debitis cottidie per impotentiam carnis accrescentibus; à vinculis terrestris carceris anxiè expetit, clamans quasi cum Paulo, *Miser ego homo,* τίς με ῥύσεται. Rom. 7: 24. Divinitus certior factus erat, se non visurum mortem ante visum Christum Domini. Hunc nunc viderat: ideò mortem brevi exspectat, dierum & desideriorum satur, qua de re ita certus, ac si jam præsens instaret & immineret ipsi mors, dicit, Νῦν ἀπολύεις *servum tuum*; quasi dicat. Dixisti, Domine, me non moriturum, antequam viderim Christum tuum. Vidi jam illum; nec nunc aliud magis in votis habeo, quàm citò mori. Imò scio, me tua gratia mox, mox moriturum: nam *nunc juxta verbum tuum dimittis servum tuum*; dimittis è carcere corporis, è vinculis carnis, à crebris inhærentibus mihi infirmitatibus, & ab omni peccatorum tentamine, & debitorum adanctione. Non poterat ita *dimitti,* nisi per mortem. Qui moritur in Domino, illum dimittit Dominus. Est certè *mors* ἀπόλυσις *dimissio*: quia morientes dimittuntur ab infirmitatibus, à servitute peccati, à vinculis terreni domicilii; & ita liberantur ab omni, quod illos angebat & premebat, onere. Eadem etiam est ἀνάλυσις *resolutio* seu *reditus,* 2 Tim. 4: 6. *tempus* τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε, Phil. 1: 23. *desiderium habens* εἰς τὸ ἀναλῦσαι *reverti* seu *redire, & cum Christo esse.* (ἀναλύειν enim est *reverti* Luc. 12: 36. πότε ἀναλύσει ἐκ τῶν γάμων: *quando revertetur à nuptiis.*) confer Eccl. 12: 7. *Spiritus redit ad Deum.* Ita igitur pius Simeon *verbo* Dei & promissioni sibi factæ confisus, fidenter dicit; *Nunc dimittis servum tuum*: nunc quovis momento, die, hora spero, te, Domine, per tranquillam mortem, me, servum tuum dimissurum ex hoc corporis mei carcere, ab his vinculis, ab his infirmitatibus: imò ita de eo certus sum, ac si id jam faceres, ideoque ita fiducialiter locutus sum.

§. 271. *Nunc dimittis,* seu jam in eo es, ut dimittas; seu jam instas, ut dimittas *servum tuum.* Non alio magis titulo gaudent sancti. Excellentissima est prærogativa, *servum* esse *Domini.* Christus ipse ita dici non erubuit. Esaiæ 42: 1. *Ecce servus meus.* Esaiæ 49: 5. *Dominus, qui formavit me in servum sibi.* Nil majus de Mose dici potuit, quàm *Ecce servus meus, Moses, in tota domo mea fidelis ille.* Num. 12: 7. *Et mortuus est ibi Moses, servus*

Domi-

Domini. Deut. 34: 5. Nec quicquam majus habuerunt dicere Apostoli, quàm, *Paulus, servus Iesu Christi* Rom. 1: 1. Phil. 1: 1. Tit. 1: 1. *Iacobus Dei & Domini Iesu Christi servus* Jacob. 1: 1. confer 2 Petr. 1: 1. Judæ vers. 1. Apoc. 1: 1. Dum se Sancti *servos* Dei dicunt, non tantùm promptam serviendi Deo Domino voluntatem exponunt; sed se formatos, emptos, missos à Deo altissimo fatentur.

§. 272. Nunc dimittis, inquit, servum tuum, *in pace*, ut pacata mente & tranquillo corde ex hoc mundo & hoc corpore exire possit: nil timens, de salute sua certus, lætusque ob visum Servatorem, qui est *Pax* Sanctorum. Ephes. 2: 14. Jacobus metuens de Benjamine, dicebat, *Si evenerit illi malum, facietis descendere canitiem meam* בְּיָגוֹן *in molestia*, dolore & perturbatione, *in sepulchrum.* Genes. 42: 38. Hic noster Simeon nullam amplius molestiam timet. Quicquid etiam ipsi eveniat, certus est, illum dimittendum *in pace.* Sanctorum proprium est, *mori in pace.* Hæc est *mors rectorum.* Num. 23: 14. *Pax enim sublimis Dei servat corda illorum & mentes illorum.* Phil. 4: 7. Hanc *in pace dimissionem*, mortem beatam, tranquillumque obitum, promittit sibi κατὰ τὸ ῥῆμα *secundum verbum Domini:* dixerat enim ipsi Dominus; *ipsum non moriturum, priusquam vidisset Christum Domini.* Nunc autem viderat illum; quid ergo propinquius erat, quam ut mox moreretur in pace? Deum vocat δεσπότην *Herum*: ita & vocatur Actor. 4: 24. 2 Petr. 2: 1. Jud. vers. 4. Apoc. 6: 10. ὁ δεσπότης, ὁ ἅγιος, καὶ ὁ ἀληθινὸς, vertimus *Herum*, ut distinguatur à κύριος *Dominus.* Est Deus ὁ κύριος, hanc imprimis ob causam, quod nos emit pretio & acquisivit. Est ὁ δεσπότης, quia jure Majestatis & universalis in omnia Dominii ac potestatis nobis imperat.

§. 273. Rationem spei de beata sua dimissione hanc addit. *Nam viderunt oculi mei* τὸ σωτήριόν σου, *salutare tuum.* Luc. 2: 29. Quod *multi justi & Prophetæ optarunt videre, & non viderunt* Matt. 13: 17. ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε 1 Cor. 2: 9. viderunt oculi mei. Quid autem? *salutare tuum.* Ita etiam Christus dicitur Luc. 3: 6. Act. 28: 28. τὸ σωτήριόν σου est idem, quod τὸν σωτῆρά σου. Emphaticum est, Christum dici *Servatorem Dei*; ut & dicitur *agnus Dei*: quia scilicet à Deo est vocatus, missus, Deo dignus, Deumque decens. Viderunt oculi *Servatorem tuum*, è muliere natum, forma servi indutum, fratribus suis similem. Per omnem vitam oculi illius nil viderant eximium magis, & unde majus animæ gaudium oriri potuit. Viderant hactenus templum & sanctuarium manu factum: nunc viderunt *Dominum* ipsum *sanctuarium* factum, templum corporis ingressum. Viderant hactenus *umbras, figuras, imagines*; nunc ipsam *veritatem & corpus.* Viderant hactenus *cœlum, lunam, stellas* Psalm. 8: 4. nunc *filium hominis visitatum*, & *miserum hominem* assumptum, cujus *majestas* paulò post *danda erat super cœlos.* Psal. 8: 2. Esaias olim exclamaverat: *Væ mihi. Perii: nam oculi mei viderunt Regem Deum exercituum.* Es. 6: 5. Simeon non clamavit, sed in *pace* vidit: nam vidit Regem Zebaot puerum natum, hominibus assimilatum. Cum videret Esaias, aderat gloria quædam terribilis. Hic ubi Simeon videt, apparuit Servator totus comis, humilis, suavis & amabilis.

§. 274. De hoc *salutari* vaticinatur denique, *Paratum esse illud coram facie omnium populorum.* Luc. 2: 31. confer Luc. 2: 10. παντὶ τῷ λαῷ; ita ut futurum sit *Lux gentium*, hactenus sine Deo & Christo, propriis in viis ambulantium; & *Gloria Populi Israël*, Luc. 2: 31. 32. Rom. 9: 4. dicit de Israëlitis Paulus, ὧν ἡ δόξα. Sed omnis alia *gloria*, gloria templi, gloria Arcæ (1 Sam. 4: 22.) *Cherubim gloriæ* Hebr. 9: 5. *gloria faciei* Mosaicæ & quæ olim gloria in Israële fuit, umbratilis tantùm fuit; *non fuit gloriosum, quicquid fuit gloriosum, hac in parte.* 2 Cor. 3: 7. 10. Salutare Dei, ab oculis Simeonis visum, est verè uniceque *gloria Israël*; quo in Israël gloriatur, glorificatur, in gloriam evehitur.

§. 275. Et

§. 275. Et ita quidem Simeon benedixit Deo, ubi vidit Servatorem *natum*, quanto magis convenit nobis benedicere, & gratias agere, qui non tantùm natum vidimus, sed virum factum, mirabilia facientem, verba Dei loquentem, in mortem traditum, è morte resuscitatum, Spiritu justificatum, per passiones consummatum, in gentibus prædicatum, in mundo creditum, in gloriam assumtum? Quis nostrum nunc non dicet, Νῦν ἀπολύεις τὸ δοῦλόν σε, δέσποτα?

§. 276. Ita nunc Jesus natus testimonium accepit 1. Ab Angelis cœlestibus. 2. A Pastoribus Betleemiticis. 3. A Magis orientalibus. 4. A Simeone Hierosolymitano, ubi tamen observandum. Pastores monitu Angelorum accesserunt. Magi aspectu stellæ commoti sunt. Simeon sola interna revelatione actus accessit. Igitur quod in pastoribus effecit Spiritus S. mediante Angelorum præconio; in Magis mediante stellæ visu; id in Simeone immediata operatione intrinseca effecit; illumque egit, ut veniret; & commodè veniret, ipsâ horâ, ipsô momento, in eodem temporis articulo, quo Servator in templum introducebatur. Non nunciatum erat Simeoni Christum venire. Non præcedebat præco, clamans, *ecce Servator venit.* Et tamen, tota id ignorante Hierosolyma, Simeon adventum illius perspectum habuit, advenienti occurrit, & Sancto osculo sanctaque laudatione venientem excepit.

§. 277. Et ita quidem Simeon εὐλόγησε τὸ Θεόν. A Deo conversus ad *Iosephum & Mariam*, & illos εὐλόγησεν, Luc. 2: 34. Deum εὐλόγησε ut boni omnis autorem, promissorum suorum adductorem αὐτὸ γονεῖς, ut vasa gratiæ, Deo dilecta, benedictione illius cumulata. Deo benedixit benedictione eucharistica. Parentibus benedictione gratulatoria. Ita & Melchisedek. *Benedictus Abraam Deo excelso. Et benedictus Deus excelsus.* Gen. 14: vers. 19. 20. Benedixit etiam Simeon parentibus Jesu.

§. 278. Ad Mariam autem plenus Spiritu prophetico ita in specie fatus est. *Ecce hic positus est in casum & resurrectionem multorum in Israel, & in signum contradictum.* Luc. 2: vers. 34. De quo tot bona dixerat, illum esse *salutare Dei*, *lucem gentium, gloriam Israelis*, eundem nunc dicit κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ εἰς σημεῖον. Neque προφήτης ὑπάρχων hæc ἐκτὸς τῶν προφητῶν dixit, nam & Esaias prædixerat, *Dominum* futurum לְאֶבֶן נֶגֶף *in lapidem offensionis* (1 Petr. 2: 7. λίθος προσκόμματος) וּלְצוּר מִכְשׁוֹל *& in petram scandali* (1 Pet. 2: 7. καὶ πέτρα σκανδάλου) לְפַח וּלְמוֹקֵשׁ *in laqueum & tendiculam* seu decipulam *duabus domibus Israel, & habitanti Hierosolymam*, ita ut *in illis multi offendant, cadant, frangantur, illaqueentur, capiantur*, Es. 8: 14. 15. & ipse *Dominus* paulò post ita introducitur dicens ℣. 19. *Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Iehovah,* לְאֹתוֹת וּלְמוֹפְתִים *in signa* sumus *& prodigia in Israel, à Domino Deo exercituum, qui habitat in monte Zion.* Simeonis Sermo ad Mariam.

§. 279. Οὗτος κεῖται, inquit Simeon; εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραήλ. Positus est, *a Deo.* Es. 8: 19. מֵעִם יְהוָה צְבָאוֹת, confer Es. 28: 16. Rom. 9: 33. *Ecce, pono in Zione lapidem offendiculi & petram scandali*, ut à Deo positus est in *resurrectionem*; ita & in *casum*. Quod in *casum* fuit multorum, non factum est casû sive fortuitò, sed à *positione Dei*, hoc est, æterna Dei destinatione, consilio imperscrutabili; judicio tamen justissimo. Hæc non capimus, sed miramur, profundo silentio veneramur, nec audemus ἀνταποκρίνεσθαι τῷ Θεῷ, dicentes, *justus est Dominus*, *recta sunt viæ illius*; *justa judicia illius*. Positus est *in casum*, non *corporalem*, qualis est *domus*, in quam *inruunt venti*, cujus πτῶσις μεγάλη *casus magnus* est. Matt. 7: 27. & *Eutichi*, qui ἔπεσεν ἀπὸ τοῦ τριστέγου κάτω, καὶ ἤρθη νεκρός, Act. 20: 9. sed *Spiritualem*, quo fit ut delabantur à Deo, & præcipitentur in æternum exitium animæ & corporis. Sed & positus est *in resurrectionem*.

Est enim ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή. Joh. 11:25. Ideò missus est, ut in ipso multi in Israële & è gentibus resurgant, hic primarius missionis illius scopus fuit. Ob casum multorum non venisset, nec missus fuisset. Est ita positus à Deo in casum, ut appareat justissimè id à Deo factum, nec ulla sit ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ. Justissimè posuit illum illis Deus in casum, qui illum *reprobarunt, dereliquerunt, spreverunt, profanarunt, faciem ab illo absconderunt, pro scelerato habuerunt*, quales imprimis fuerunt הַבּוֹנִים *Architecti*, אִישִׁים *Viri*, שָׂרִים ἄρχοντες *Principes populi*, Ps. 118:22. Esaiæ 1:4. Mal. 2:11. Es. 53:3. Deut. 32:15. qui cum *Monte* comparantur. Dan. 2:45. Quod illum rejecerunt, & sanctum Domini spreverunt, & in Filium Dei missum non crediderunt, id Deo imputare non possunt. *Corruptio tua Israel*, à te est, *nam in me*, h.e. contra me, *in auxilium tuum*, h. e. contra versus es. Hos. 13:9. Nec ullâ ratione dicere possunt, *positus est in casum*, ergo non nostra culpa cecidimus, nec immeritò lapsi sumus. Ita enim positus est, ut & tu sponte caderes, & à propria præcipitatus malitia rueres ac offenderes; & simul judicium Dei justum impleretur. Sed quicquid tandem dicamus, semper fatendum est, ὦ βάθος. Rom. 11:33. Cum phrasi οὗτος κεῖται εἰς confer Phil. 1:17. εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι, 1 Thess. 3:3. ὅτι εἰς τοῦτο κείμεθα. Quid etiam moverit Judæos ut in Christum impegerint, & in petram scandali habuerint, de eo multus sermo haberi potest; quem hic locus haut capit.

§. 280. Porro dicit Simeon illum positum εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον *in signum cui contradicitur*, innuens, fore, ut omnium contradictiones, mendacia, blasphemiæ ita in illum irruant & impetum faciant, ut sagittæ in scopum & signum præfixum irruere & ingruere solent. Ita fore, ut ἐκ πολλῶν καρδιῶν ἀποκαλυφθῶσιν διαλογισμοί, *ut è multis cordibus cogitationes manifestentur*, Luc. 2:35. & omnibus pateat, quid multi quæsiverint, sitiverint, ambiverint; non justitiam Dei & regnum illius, non veram cum Deo reconciliationem per sacrificium justitiæ, non sanguinem Testamenti; sed quod plurimi *confisi fuerint in carne, & propriam statuere justitiam quæsiverint*, & anhelarint ad regnum terrestre, ad potentiam secularem, ad honores mundanos, ad otium pingue, ad dies bonos & obesos, quæ cum in Christo non invenirent, ideò illi contradixerunt, & fuit illis σκάνδαλον. 1 Cor. 1:23. Neque ita tantùm cogitationes illorum sunt manifestatæ, sed simul quales illi sint & haberi debeant, palam factum est, nimirum tales ut describuntur, Phil. 3:2. βλέπετε τοὺς κύνας, βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας, βλέπετε τὴν κατατομήν.

§. 281. Quæ autem Mariæ hæc inter sors futura esset, ita prædixit Simeon. *Et tuam ipsius animam pertransibit* ῥομφαία *gladius* seu hasta. Luc. 2:35. ῥομφαῖα, ut notant Docti, θρᾴκιον fuit ἀμυντήριον *Thracium tutamentum*, μάχαιρα *machera* ξίφος *gladius*, ἢ ἀκόντιον μακρὸν *aut spiculum longum*. Gellius libr. 10. cap. 25. *Romphaa genus teli est Thraca nationis.* Mens Simeonis. Ita acutum & vehementem fore dolorem, ac si hasta cor illius penetraret, & penitissima perforaret. Sensit sanè vehementes dolores Maria, ubi spectavit Filii persecutiones; convicia, vincula, accusationes, condemnationes, martyria. Sed nunc præmonita, pectus patientia præmunire potuit.

§. 282. Et ita quidem Simeon omnem Christi Domini sortem & conditionem prædixit; πατήματα illius & δόξας, honorem & ignominiam, *bona* denique, quæ ex ipso percepturi erant credentes; & *mala*, quæ per ἀπιστίαν accumulaturi sibi erant οἱ ἀπειθοῦντες.

Anna προφῆτις. §. 283. *Eadem horâ*, eodemque tempore accessit *Anna Prophetissa, Filia Phanuel, è tribu Aser, vidua, anicula*, quæ cottidie tenebat *templum*, νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν, Luc. 2:36. 37. confer Actor. 26:7. Et ipsa ἀνθωμολογεῖτο τῷ κυρίῳ *confessa est Domino* & laudavit, & de hoc Domino nato *locuta est omnibus redemtionem ex-*

spectan-

spectantibus in Ierusalem. Luc. 2: 38. Illam nimirum λύτρωσιν, de qua est, Tit. 2: ℣. 14. 1 Petr. 1: 18. 19. Luc. 1: 68. Igitur natum Mariæ puerum Anna ut *Dominum* suum amplexa est. confer Luc. 2: 11. ὅς ἐστι χριστὸς κύριος.

§. 284. Ita non sine gratulationibus in templum Hierosolymitanum introductus est Jesus; non magnorum quidem & Principum; sed Sanctorum, qui erant ἔντιμοι τῷ κυρίῳ. Ita Deus *fundavit* sibi laudem ex ore tenuium & pauperum ac decrepitorum, ut deinde *infantium & sugentium.* Psalm. 8: 3.

§. 285. *Ut perfecerunt omnia, secundum legem*, Maria & Joseph, *reversi sunt*, non ad Betleem, sed *in Galilæam, in civitatem ipsorum Nazaret.* Luc. 2: 39. Videtur iter Hierosolymitanum confectum fuisse eodem tempore, quo Magi discessum pararunt de Betleem. Certè illo id factum tempore, quo Herodes adhuc confidebat quietus, exspectans Magorum reditum. Ideò & Hierosolymitanum iter sine discrimine peractum est, divina curante providentia, ut Filius Hierosolymam veniret, & salvus ac integer rursum abiret, nec à Tyranno interciperetur, hic intentus aliis rebus, non sciscitatus est ea, quæ in templo agerentur, & confisus Magorum promissis, nullum movere lapidem constituit, antequam ab illis plenius informaretur. Ita verè *sedens in cœlis risit, Dominus subsannavit illum.* Psal. 2: vers. 4. Reditus Mariæ in Nazareth.

§. 286. Non diu autem manserunt in *Nazaret.* Nam cum *Magi recessissent, apparuit Angelus Domini Iosepho in somnio dicens. Fuge in Ægyptum nam futurum est, ut Herodes quærat puerulum, ad perdendum eum.* Matt. 2: 13. Noverat Dominus, Herodem, ubi Magorum abitum rescivisset, promiscuis in omnes cædibus grassaturum. Et quàmvis dicatur Herodes tantùm sævijsse *in Betlehem, & finibus ejus*, Christus autem nunc non amplius Betleemi fuerit, sed jam in Nazaret Galilææ, ubi videtur securè agere potuisse, ut & postea Josepho visum, fugienti illuc præ *Archelao*, Matt. 2: ℣. 22. tamen voluit Dominus Filium suum longius abscedere, & ἐν τοῖς ὑστέροις τῆς Ἰουδαίας τόποις διατρίβειν, & in specie in *Ægypto*, quam πάλαι in Prophetis sedem exilii ac fugientis Filii nominaverat. Sed & alias ob rationes fugit aut secessit Joseph postea εἰς τὰ μέρη τῆς Γαλιλαίας. de quibus infra. §. 313. Fuga in Ægyptum.

§. 287. Nec cunctatus Joseph, assumsit illicò τὸ παιδίον *& Matrem* illius, & ἀνεχώρησεν εἰς Αἴγυπτον. Matt. 2: 14. Ita Ægyptus, in qua olim fuerat *primogenitus* Dei *Filius, Israel*, Exod. 4: 22. sed vexatus & durè habitus, nunc fit hospitium & receptaculum illius, qui est *primogenitus omnis creaturæ.* Col. 1: 15.

§. 288. In hac fuga fingunt multi *miracula* multa accidisse. Arborem se inclinasse Christo transeunti, depressis ramis, & curvato trunco, Hermopoli, civitate Thebaidos. Christum in fuga à prædonibus prehensum, per Latronem, illum cum quo deinde crucifixus est, cuique in cruce Paradisum promisit, liberatum esse. Idola in fanis Ægyptiorum ad ingressum Christi in Ægyptum corruisse, & Majestatem illius enarrasse. Sed omnia hæc sunt ἄγραφα.

§. 289. Alii fugam hanc in risum verterunt, absurdum judicantes, Dominum potentissimum fuga sibi consulere coactum. Servatorem, hominum opera, salvatum; inque terram impuram intrasse; cui facile fuit, Herodis impetus coërcere, carnifices emissos aut occidere, aut cœcitate percutere, ut olim *Sodomitas*, Gen. 19. & *Syros* 2 Reg. 6: 15 - 24. Quibus pulchrè respondit Fulgentius Serm. 5. *Fugit*, Christus, *non formidine humana, sed dispensatione divina; non necessitate, sed potestate*, & Chrysostomus Serm. 150. *Bellicosus, quod in bello fugit, artis est, non timoris. Deus, quando fugit hominem, Sacramenti est, non pavoris.*

Item. *Christus fugit, ut cedat tempori, non Herodi. Si mactatus fuisset in grege lactentium, mors ei casus fuerat, non voluntas: non virtus, sed infirmitas; necessitas, non potestas.* Item, *Christus fugit, ut staret legis veritas, Prophetiæ fides, Psalmistæ testimonium. Fugit nobis, non sibi.*

Ab Hosea prædicta. §. 290. Ita cœpit *impleri id quod dictum erat à Domino*, per Hoseam 11: 1. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* confer Matt. 2: 15. Si ex Ægypto vocatus est Filius, oportet ut Ægyptum ingressus sit. Igitur fugiente illo hoc oraculum cœpit impleri, redeunte verò illo plenè & omnino impletum est. Et quidem hanc mentem Prophetæ esse, patet è re ipsa & verbis ipsis; ut ne quis dicat, Matthæum præter mentem Prophetæ verba illius allegasse. Agit Propheta de Israële. *Cum puer Israel.* Hos. 11: 1. Israëlem *puerum* dicit, ut & Paulus, Galat. 4: 3. *Pueritia* Israëlis exegit, ut *sub servitutem elementorum mundi* redigeretur. Omnis enim puer *pædagogo* indiget, & *œconomis ac tutoribus.* Gal. 3: 24. 4: 1. 2. Hæc *pueritia* Israëlis non est parvi temporis, sed extendit se ad omnia illa tempora, quibus *Lex* Pædagogus incubuit, nam qui sub Pædagogo sunt, pueri sunt. Ideò & Paulus se suique temporis homines cum νηπίοις comparat. Gal. 4: 1. 2. 3. 4. Ideò ad regnum usque Christi, & tempora finitæ legis hæc νηπιότης duravit. Hunc puerum Israëlem *amavit* Deus. Cum puer Israël וָאֹהֲבֵהוּ *dilexi eum*, copula hic abundat, ut alibi sæpè. Amor hic suas habet partes, suosque gradus, continet in se omnia beneficia, quæ accepit puer Israël, quæque sunt totidem amoris testimonia & argumenta. Igitur & eductio ex Ægypto, circumductio in deserto, introductio in Canaan, & promulgatio fœderis gratuiti, & alia plura hujus dilectionis seu amoris effecta sunt. Imprimis autem ad hanc dilectionem referendum est, quod Deus *in postremo dierum misit* Israëli *Filium suum, natum & sub legem factum*, quod maximi amoris opus ipse Christus deprædicat. Joh. 3: 16. & Paulus Rom. 5: v. 8. Etiamsi priora beneficia amorem Dei abundè testentur, hoc tamen beneficium, ut est omnium maximum, ita eundem maximè testatur, ideò & illius mentionem facit Hoseas. *Cum puer Israel, dilexi eum, & ex Ægypto vocavi Filium meum*, quasi dicat, amorem meum hoc imprimis argumento demonstravi, quod *Filium*, à me genitum, *meum*, unigenitum & primogenitum meum, *ex Ægypto*, quo fugerat, *vocavi* seu redire feci, quam vocationem antecedit illius nativitas & adventus in mundum. Non meminit expressè Hoseas *nativitatis*; sed *evocationis* tantùm *ex Ægypto*; quia Immanuelis nativitatem Israël ignorare non poterat, & quia illa includitur in vocatione ex Ægypto, neque enim inde potuisset *vocari*, si non ante contigisset illum *nasci*. Neminem moveat, Hoseam de hac re loqui, ac si jam facta esset, *vocavi*. Mos enim Prophetarum est, de *futuris* loqui, ut de præsentibus & præteritis. confer Es. 9: 5. *Puer natus est nobis.* Si quis autem putet, Hoseæ verba *literaliter* de Israële agere; *mysticè* autem de Christo tantùm, illi respondebimus, Israëlis eductionem contineri & indicatam esse in verbo, *dilexi illum*, deinde nec gravabimur concedere, eductionem Israëlis ex Ægypto fuisse typum evocationis Filii unigeniti ex Ægypto. Vera tamen hæc mens Prophetæ est; Israëlem, puerum dilectum esse à Deo; hancque divinam dilectionem, post alia multa, insigni hoc longèque maximo beneficio comprobatam, quod Deus *Filium suum ex Ægypto revocavit*, in bonum Israëlis, adeoque jam ante in mundum fecit venire, nasci, & ad evitandum periculum in Ægyptum fugere, quam Prophetæ mentem esse ipsa ostendit verborum emphasis, & Matthæus Euangelista, qui ab eodem Spiritu actus oraculum exposuit de Christo, quo Hoseas idem prædixit de Christo, ubi & hoc observandum, quod, cum LXX interpretes hæc Hoseæ verba, præter illius mentem ita traduxissent, ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα

κάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ, Matthæus, derelictâ vitiosâ hâc translatione, veram, & Hoseæ verbis ac scopo conformem exhibuit, Ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.

§. 291. Frustra igitur est *Eusebius Cæsariensis*, qui putat, Matthæum non citare *Hosea*, sed *Bileami*, (quem Petrus *Prophetam* vocat 2 Epist. 2: ℣. 16.) verba Num. cap. 24. vers. 8. אֵל מוֹצִיאוֹ מִמִּצְרַיִם כְּתוֹעֲפֹת רְאֵם לוֹ *Deus, qui eduxit illum ex Ægypto, (Jacobum* nimirum & *Israelem*, ut est vers. 5.) *cornua monocerotis illi*. Neque enim nominat hic Bileam *Filium*. Neque loquitur de *vocatione* Filii. Neque adeo conveniunt verba Matthæi cum verbis *Bileami*; optimè autem cum *Hosea*; cujus oraculum de verbo ad verbum expressit.

§. 292. Vix aufugit Josephus; & Herodes videns, non redire Magos; frustra illos exspectatos, seque, ut quidem putabat, valdè ab illis *delusum*, *excanduit valde*, *misitque*, qui *interficerent omnes pueros, in Betleem*, *& in omnibus finibus ejus* ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω *à bimulis & inferioribus*. Matt. 2: 16. Infantes intra bimatum jussit cædi. Non quod hæc παιδοκτονία facta sit biennio post natum Jesum. Non enim tamdiu Herodes vindictam distulit, nec sævitiam continuit. Sed fecit id κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν μάγων *secundum tempus quod exquisiverat a Magis*. Matt. 2: 16. Viderant illi stellam aliquanto tempore ante nativitatem Christi Regis. Herodes cautè agere volens, ipsos *bimulos* interfici jussit, ne ulla ratione evaderet ille, cujus causâ cædem instituerat. Potuit excedere ipsum temporis à Magis exquisiti modum. Cædes puerorum in Betleem.

§. 293, Nec labefactabit hujus historiæ fidem, quod Matthæus *solus* illam retulit. Nam & alii scripserunt Euangelistæ, imprimis Johannes, multa de dictis & factis Christi, quæ Matthæus præteriit. Adeo nil de fide & veracitate Euangelistarum derogabit, quod non omnes omnia & singula prodiderunt. Nec ad rem facit, quod *Flavius Josephus*, qui Herodis, cui dicit fuisse πονηρὸν ἦθος, ἐπὶ τιμωρίαν ἀπότομον, καὶ κατὰ τῶν ἀπηχθημένων ἀζημίωτον. Antiquit libr. 19. cap. 13. res gestas fusissimè descripsit, hujus cædis haut meminit. Nam ille in rebus Christum concernentibus describendis parcissimus fuit. Raro, & ferè semel aut bis tantùm ipsius Christi meminit. Et jam olim illum *Ægesippus* perstrinxit, quod resurrectionem Christi, & pleraque illius opera sciens volensque prætermisit.

§. 294. Insignis autem est locus *Macrobii*, viri in loquendo curiosissimi, qui sacri cubiculi præpositus fuit sub *Honorio* & *Theodosio* Imperatoribus, libr. 2. Saturn. cap. 4. *quum audisset*, inquit, Augustus, *inter pueros*, *quos in Syria* (Judæa Syriæ proxima erat, & jussû Augusti Syriæ contributa) *Herodes Rex Iudæorum intra bimatum jussit interfici*, *filium quoque ejus occisum*, *ait*, *melius est Herodis porcum esse*, *quàm Filium*. En clarissimum testimonium, ab homine edito Ethnico, Herodem pueros intra bimatum jussisse interfici. Quod autem addit de *Filio* Herodis simul *occiso*, id multis occasionem dedit conjiciendi, aliquem ex Herodis filiis, ætatis teneræ, Betleemi, vel natum, vel educatum, unà cum reliquis fuisse jugulatum. Sed haut verisimile est, Herodi, cum hanc cædem fecit, propè septuagenario, filium bimulum fuisse. Eundemque in ignobili vico, Betleem natum, & hucusque extra regiam educatum; aut metuisse Herodem, Filium, ut regni æmulum & sceptri competitorem; quum senecta illum moneret, id brevi uni Filiorum relinquendum esse. Ideò proclive est, ut dicamus, Macrobium duas historias distinctas, & diversis temporibus factas miscuisse & confudisse; & quod ab Herode, ante hoc infanticidium & post illud in propriis liberis statutum est, hac cum cæde conjunxisse. Nam quod attinet Herodis filios, tres illorum jussu Herodis Patris interfecti sunt. *Alexander* Testimonium Macrobii.

 & *Ari-*

& *Aristobulus* strangulati sunt in Sebaste, ante cædem Betleemiticam. *Antipater* jugulatus est Hierosolymis, paulo post infanticidium illud, paucis diebus ante mortem Herodis. Qui autem potuit tale dictum *Augusto* excidere, quum sententiam capitis in tres hosce Herodis filios latam ipse judicio suo comprobarit? Certè potuit ita dicere Augustus, nam reliquerat optionem Herodi, an se *regem* vellet Antipatro exhibere, an verò *Patrem*; an vellet ipsum *exilio*, an verò *capite* plectere. Potuit & ita ludere Augustus, gnarus, Herodem à suibus, juxta Judaicum ritum, abstinere; adeoque si filii ab illo occisi *sues* seu porci fuissent, non cruentâsset domum suam iteratis illorum cædibus.

§. 295. Numerus cæsorum in Betleem puerorum haut parvus fuit, nam non intra muros Betleemiticos tantùm, si ignobilis tunc vicus muros habuit, sed & extra illos sævitum est, ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, unde & cæsorum numerus major exstitit. *Quatuordecim millia* interfectorum ex *Æthiopum Missa* à Pontificiis censentur. Sed incerta hæc. Iidem pari levitate, inani pompa ostendunt reliquias ossium puerorum horum.

§. 296. O infelix Betleem, cujus parvuli tam crudeliter cæsi sunt! ô infausta tibi Immanuelis incunabula, tot puerorum cæde piata! Is qui venit servare pereuntes, illius causâ parvuli tui pereunt. Sed pone querelas. Interfecti sunt parvuli tui illius causâ, qui potestatem summam in illos habebat. Creator enim illorum est, potuit pro jure suo permittere, ut Herodes sine jure filios tuos juberet interficere, de suo egit, quod libuit. Jugulari voluit illos, propter quos & ipse statuto die jugulandus erat. Fecit è parvulis tuis Martyres, qui maturè sublati non evaserunt scelerati peccatores. Corpus illorum Tyrannus occidit. Animam occidere non potuit. Occidit Herodes parvulos tuos, sed se ipsum magis. Exscindendo illos è mundo, se ipsum longissimè abalienavit à cælo. Illi luerunt innocenter. Ipse luit nocenter, & nunc & in secula. Herodes paulò post Betleemiticam cædem miserè periit, à nimio sanguinis fervore tostus, intus exustis visceribus, vexatus intestinorum exulceratione & vehementibus passionibus colicis.

Cædes Betleemitica prædicta à Jeremia.

§. 297. Habet cædes Betleemitica in Prophetia testimonium, τότε ἐπληρώθη *tunc impletum est, quod dictum est à Jeremia Propheta.* Matt. cap. 2: vers. 17. confer Jerem. cap. 31: vers. 15. קוֹל בְּרָמָה נִשְׁמָע נְהִי בְּכִי תַמְרוּרִים רָחֵל מְבַכָּה עַל בָּנֶיהָ מֵאֲנָה לְהִנָּחֵם עַל בָּנֶיהָ כִּי אֵינֶנּוּ.

Locus Jeremiæ explicatur.

§. 298. Vaticinatur Jeremias de *Ramah* & *Rahel*. De Rama. *Vox in Rama audita est.* Non venit hic vox רָמָה appellativè: ut sit tantundem ac בְּרָמָה *in celso*, seu *edito*, loco nimirum aut colle, ut sensus sit. In omnibus celsis seu editis publicisque locis hæc *vox* personat, unica hæc ubique loquendi & dicendi materia est. Nam Matthæus, secutus LXX. interpretes, vertit φωνὴ ἐν ῥαμᾷ ἠκούσθη, docens, Jeremiam de urbe *Ramah* locutum esse. Aliàs רָמָה *celsum* significat Ezech. 16: 24. 25. & adjectivè dicitur יָד רָמָה *manus excelsa.* Exod. 14: 8.

§. 299. Ut non una fuit *Betleem*, Betleem Judææ, & *Betleem* Galilææ, inferioris nimirum in tribu Zabulon, Jos. 19: 15. ita nec una *Ramah* fuit, una, ut docet Borchardus, dummodo non fallat, juxta *Thecuam*, altera in tribu Nephtali, tertia juxta *Sephron*, quarta in *Siloh*, & quinta propè *Gibea*, quæ dicitur *Ramah Benjamin*, & à Betleem abfuit quatuor parasangis, & in septimo lapide à Hierosolymis sita fuit, docente Hieronymo ad Hos. 5: 9. Fuit certè *Ramah* in *monte Ephraim*. 1 Sam. 1: 1. ubi dicitur in duali מִן הָרָמָתַיִם unde conjectura, fuisse urbem hanc divisam in duas partes, quæ quia se invicem velut respiciebant & speculabantur, ideò dici מִן הָרָמָתַיִם צוֹפִים. Nam צֹפִים *speculantes* notat. Sed Jeremias loquitur de *Rama* Benjamin, addit enim, *Rahel* flet, Rahel inquam, mater

Ben

Benjamin. de qua, Jos. 18: 25. quæ quia propè *Gibeah* erat, ideò junguntur *Gibeah* & *Ramah.* Jud. 19: 13. *Pernoctabimus* בְּגִבְעָה אוֹ בָרָמָה *in Gibeah aut in Ramah.* adde Hos. 5. 8. *clangite tuba in Gibeah, buccinâ in Ramah.*

§. 300. In hac Ramah Benjamin *vox audita* est, certè non קוֹל שָׁרִים *vox canentium*, 2 Sam. 19: 36. קוֹל לְשִׂמְחָה *vox ad letitiam*, 1 Chron. 15: 16. קוֹל עֱנוֹת גְּבוּרָה *vox respondentium robur*, nec קוֹל עַנּוֹת *vox concentus*, Exod. 32: 18. Sed vox *ejulatus, fletus, amaritudinum*, קוֹל בְּכִי *vox lacrumarum*, & ut ita loquar è Genes. 4: 10. קוֹל דְּמֵי *vox sanguinum*, crudeliter effusorum. Vox hæc *audita* est *in Ramah*, in medio Ramæ, ipsa Ramah vocem hanc edidit, & ut imiter phrasin Genes. 45: vers. 2. וַיִּתֵּן אֶת קֹלוֹ בִּבְכִי *& dedit vocem suam in ploratum.* Sed cur extulit vocem *Ramah*? cædes non *Betleemum* tantùm tetigit, sed & τὰ ὅρια αὐτῆς. Matt. 2: 16. ideò & in Ramah, viciná Betleemo cædes hæc grassata est, ac propterea in Ramah vox fletus & ejulatus audita est. Ideò non est opus, ut verba, *vox in Ramah audita est*, interpretemur, *vox* in Ramam usque resonavit, adeò valida & ingens vox fuit, ut in Ramah etiam audiri potuerit, ut sonus illius Ramam usque penetrârit, nam sic pariter dici potuisset, vox *in Ierusalem* audita est, nam vox Betleemitarum omnes Judææ urbes famâ suâ implevit. Igitur vox fletus in ipsa Ramah audita est, fuitque קוֹל שָׁאוֹן מֵעִיר *vox vastationis è civitate.* (Es. 66: 6.) vox fletus & clamoris in Ramah, ex ipsa Ramah exiit, & procul ab urbe ipsa audita est.

§. 301. De *Rahel* autem ita inquit. *Rahel flet.* Rahel mater fuit Josephi & Benjamin, mortua in partu Benjamin, & sepulta *in via Ephratah.* Hæc *Betlehem* est, Genes. cap. 35: vers. 15. 18. Igitur Betleem locus *sepulturæ* Rahel fuit, & quia Betleem vicina erat terræ Benjamin, ideò hæc ipsa sepultura dicitur fuisse בִּגְבוּל בִּנְיָמִן *in termino Benjamin.* 1 Sam. cap. 10: vers. 2. Potest esse, ut tractus ille Betleemiticus, ubi sepulta Rahel, à sepulta nomen *Rahel* obtinuerit, quemadmodum à *Cajeta*, nutrice Æneæ, defunctâ & sepulta in Italia, civitas, ubi sepulta est, dicitur *Cajeta* nominata esse. Virg. 7. Æn. 2. Igitur, *Rahel flet*, erit, Betleemitæ, in loco sepulturæ Rahel habitantes, flent. Sed de *Rahel* ipsa flet, hoc est, filii Rahel. Nam cædes puerorum, facta in finibus Betleem, sine dubio etiam in Benjaminitis, Rahelæ filiis, facta est. Quare rectè ploratus Racheli attribuitur. Flet *Rahel.* Quæ, quàmvis ex illa Betleemitæ non sunt procreati, tamen ob arctam etiam cognationem, magnum dolorem è cæde cognatorum sensit. Imò uxores Jacobi, honore & dignitate, *matres* esse censendæ sunt *totius* Israëlis. Quid igitur mirum, Rachelem flere, ubi vidit Betleemitas cædi? Dicitur *Rachel* flere; non ipsa, sed in posteris. Cum posteri Rachel flent, ipsa Rachel flere putanda est. Aut sic etiam, *Rachel flet*, hoc est, si Rachel fletus adhuc esset capax; si ipsa adhuc flere posset, si oculis cædem hanc aspiceret, in ingentem erumperet fletum.

§. 302. Potuisset Jeremiah dicere, *vox in Betleem audita est.* ut Mich. cap. 5: vers. 1. *Ex Betleem prodibit*, ita minori prætextu negare potuissent Judæi, Jeremiam loqui de cæde Betleemitica; quia de Rama & Rahele loquitur; non de *Betleemo*, & *Leah*, quæ mater Judæ, adeoque Betlehemitarum fuit. Sed ostensum est, Prophetam ita merito locutum esse. Cædes enim hæc à Betleem incepit, ad Ramah usque pervasit. Et Rahelem, hoc est, posteros illius tetigit. Loqui ita amavit Propheta, ut fides inveniret, in quod diligentius inquireret.

§. 303. Sed quæ causa fletus Raheli? flet *super filiis suis*; immani cæde interfectis. Deflet innocentem illorum sanguinem, vulnera, mortem. Tam acerbè flet, ut *recusarit consolationem admittere super filiis suis.* Numquid enim *obliviscetur mulier infantis sui,*

ne-

ne misereatur filii ventris sui? Esai. 49:15. Et major adhuc est ratio ac gravior amarissimi ploratus Rahelis, כִּי אֵינֶנּוּ *nam non* ILLE *est*. Hæc cura illam coxit sub pectore fixa, ILLUM (δεικτικῶς) *non* esse. Potuit tandem Rahel dedolere filios suos; interfectos quidem, sed in tenera ætate, ubi sensus miseriæ è defectu rationis & infantili inscitia levior fuit, ac maturè afflictionibus, quæ indivulsi vitæ humanæ comites sunt, ereptos; hoc unum dedolere non potest, *quod non* ILLE, nimirum ille גֶּבֶר *vir, quem fœmina circumdedit*, Jerem. 31:22. *Magnificus, Dominator*, Jerem. 30:20. qui *exivit è Betleem*, Mich. 5:1. hac cæde fugere coactus erat, & τὰ ἴδια, *in qua venerat*, (Joh. 1:11.) relinquere, & in terram alienam, *terram inimici*, Ægyptum, cujus inimicitia in Israëlem inde ab initio cognita est, se conferre. Hoc Rahelem, matresque Betlehemiticas malè habet. Propterea anguntur; *non* esse nunc *illum*, quem tamdiu exspectaverant; non nunc videri, quem *justi* omnes tanto tempore *videre desideraverant*. Quique nunc momentum vix unum visus erat. Flet Rahel, *quod non* ILLE, nec in Betleemo natali suo vico, nec in Jerusalem, nec in Judæa, imò ne in Nazaret quidem nunc inveniri possit. Timet sævas Herodis manus, ne in via fugæ illum assecutæ sint, aut ex fuga retraxerint, & simul interfecerint. Brevi, *quia non* ILLE nunc in propinquo aderat.

§. 304. Cumque hæc tristitia Rahelis non contemnenda sit (quis enim indignabitur, matres Betleemiticas deflevisse abitum nati Immanuelis, aut metuisse etiam illius cædem? quis illis exprobrabit, quod non præsenti mente cogitarint, inanem talem metum esse; nec dum adesse tempus, quo *deceat pati* Christum?) ideò solatium affundit Deus mœrentibus, apud eundem Prophetam vers. 16. *Cohibe vocem tuam à fletu; & oculos tuos à lacrymis, nam est merces pro opera tua*, pro mœrore & tristitia tua, *inquit Dominus*, quæ autem merces? שָׁבוּ מֵאֶרֶץ אוֹיֵב *revertentur è terra inimici*, de quo tu mœsta conquereris, אֵינֶנּוּ *non* ILLE, abiit, fugit, deseruit nos, subduxit se oculis nostris, ille *revertetur*, redibit *è terra inimici*, salvus, integer, incolumis, in Ægypto nil quicquam mali illi fiet. Dicitur, *revertentur*, nam non solus ILLE fugit, fugæ comites habuit, parentes suos, Mariam & Josephum, & hi etiam cum illo redibunt, deduxerunt ILLUM illuc; etiam reducent ILLUM inde.

§. 305. Cum igitur hic sensus sit illustris hujus vaticinii, Religio nobis est statuere, illud *in literali sensu* agere de tristitia & ploratu Rahelis, ob abductos in captivitatem Babylonicam filios suos; ac si hæc Jeremiæ mens esset, cum Juda abiit in captivitatem & Babelem abductus est, & per urbem Ramam deductus est, tunc audita est in Ramah vox, &c. In *sensu* autem *accommodativo & per transsumptionem* oraculum hoc à Matthæo applicari in cædem Betleemiticam, & ploratum illam insequentem. Huic enim sententiæ valde obstare videtur, quod Matthæus post narratam cædem puerorum in Betleem, statim & expressissimis verbis addit, *tunc* nimirum cum cæsi sunt pueri, *impletum est id, quod dictum est per Prophetam Ieremiam.* Matt. 2:17. quasi dicat, hactenus verbum hoc Jeremiæ impletum non fuit; hucusque implemento caruit, nunc autem impletum, & re ipsa verificatum est. Si impletum est τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Ἰερεμίου τοῦ προφήτου τότε *tunc*, cum Herodes jussit cædi infantes, certè non id impletum est tunc, cum Juda & Benjamin abducti sunt in Babel. Atqui secundum Matthæum τότε impletum est Jeremiæ oraculum, cum infantes interfecti sunt. Ergo. Quinimo constat è toto capite 31. Jeremiæ, ibi non agi de captivitate Babylonica, sed de Christi 1. *nativitate* vers. 22. *Creabit Dominus novum, fœmina circumdabit virum.* 2. *Morte & resurrectione.* vers. 27. *Expergefactus sum & vidi, & somnus meus dulcis mihi fuit.* 3. *Bonis*, quæ adduxit. ℣. 14. *Irrigabo animam Sacerdotum pin-*

pinguedine, & populus meus bonis meis saturabuntur אֶת טוּבִי יִשְׂבָּעוּ vers. 26. *Irrigabo omnem animam lassam, & implebo.* 4. De *Testamento novo*, quod sanguine suo ratificavit. vers. 33. 34. Quid igitur convenientius, quàm & hoc oraculum accipere de cæde Betleemitica; imprimis Matthæo Euangelista id docente? Deinde nec conveniunt verba captivitati Babylonicæ. Cui subjecto applicabimus כי איננו *nam non* ILLE? In captivitate ipsa *Rahel* abducta est, tota quippe politia ablata est, tota Ecclesia turbata, nec superfuit, ut fleret super filiis. Hic, in oraculo de quo agimus, manet Rahel, & *filiis* tantùm infertur malum, quod illa defler. Denique si de captivitate Babylonica Jeremias loquitur, cur *Ramæ* meminit, civitatis parvæ, cujus in captivatione non fuit pejor sors, quàm aliarum civitatum? cur non mentio fit *Hierosolymæ*, cujus sors omnium exstitit miserrima; in qua indubiè plurimæ tunc profusæ fuerunt lacrimæ; imò plures quàm in Ramah?

§. 306. Neque etiam rectè loquuntur, qui putant Jeremiam loqui de excidio ultimo Hierosolymitano, quod sub Vespasiano & Tito misera urbs experta est, nam Propheta agit de re, quam secuta est consolatio, & reditus ejus quod lugebatur. Atqui destructâ Hierosolyma nec redibit, nec restituetur, nec instaurabitur, ut iterum talis sit, qualis olim fuit. Neque illi, qui Jeremiæ verba referunt ad internecionem illam, quam Benjaminitæ passi leguntur, Jud. 20. ob stuprum vimque illatam Gibeæ uxori Levitæ. Jud. 19. Jeremias enim non de illo, quod dudum actum erat, sed vaticinatur de futuro, dicit quidem נִשְׁמָע *audita est.* Sed id usitatum Prophetis, de futuris, ut de præteritis & præsentibus loqui. Mitto Judæorum circa hoc oraculum errores.

§. 307. Superest, ut videamus, an hoc oraculum à Matthæo satis benè translatum sit. Et quidem omnia conveniunt, nisi quod Matthæus habet ὀδυρμὸς πολὺς *ejulatio multa*, pro voce תַמְרוּרִים, quâ Jeremias usus, & in secundo membro tantùm habet, οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, ubi Jeremias repetit עַל בָּנֶיהָ, quæ differentia valdè exigua est, & nil veritati rei aufert; sed in eo major est, quod verba כִּי אֵינֶנּוּ *nam non ille*, ita traduxit, ὅτι οὐκ εἰσί, secutus LXX interpretes, *nam non sunt.* Jeremias loquitur de *uno*. Matthæus de *pluribus*. Sed abbreviavit Jeremiam Matthæus, & è vers. 17. Jeremiæ, qui est proximus oraculo huic, *& redibunt ex terra inimici*, puer nimirum Immanuel, & οἱ γονεῖς αὐτοῦ, desumsit, quæ enunciat, *nam non sunt*, nec Filius natus; nec Mater, è qua est natus; nec Pater, cujus curæ commissus est. Ita nil contrarium Jeremiæ dicit Euangelista.

§. 308. Redeamus nunc ad infantes cæsos in Betleem. Illi *martyres* sunt facti Domini Immanuelis; *martyres*, inquam, non *voluntate*, sed *opere*, nam cæsi sunt non-volentes, nec cæsi sunt nolentes, in illa enim ætate cæsi sunt, quâ rationis & voluntatis usus illis adhuc defuit. Non habuerunt illi *ætatem*, quâ in Christum Immanuelem crederent, habuere tamen *carnem*, in qua pro Christo Domino passionem & mortem sustinerent, quique non potuerunt perhibere Christo testimonium *voce*, fecerunt id *sanguine*: *loquitur* enim & *clamat* sanguis illorum, non vindictam tantùm, ut *Abelis*, Hebr. 12: 24. sed *meliora* illa, natum nimirum illum esse, & in illius gratiam effusum illorum sanguinem, qui ut *pretiosum* suum pro omnibus effunderet, venerat in mundum.

§. 309. Mansit autem Josephus cum puero & matre ipsius in Ægypto ad mortem usque *Herodis*, qui cædibus totus immersus post infanticidium Betleemiticum alias adhuc cædes peregit. Cum audivisset *aquilam auream*, quam supra majorem Templi portam posuerat, a juvenibus quibusdam, instinctu nonnullorum Judæorum, dejectam claro meridie, & securibus concisam esse, multos illorum vivos exuri jussit. Imò & quinta ante mortem die, *filium Antipatrum*, ut supra visum, per satellitem interfecit. Mortuus est autem Herodes,

Aliæ cædes Herodis, illiusque mors.

S post-

postquam lentis & acutis doloribus diu excruciatus fuisset; quos tantos dicitur sensisse, ut cultello se ipsum ferire voluerit. Mortuus est anno secundo ætatis Christi, (unde conjicere est, Christum in Ægypto latuisse ultra anni spatium) Anno autem 37. ex quo à Romanis Rex declaratus est. Dies *mortis* illius diu à Judæis lætus & festivus celebratus fuit; quòd in eo *Herodes, qui sapientes odio prosecutus est, mortem obierit.*

Joseph redit in terram Israel, jussu Angeli.

§. 310. *Defuncto Herode* jussit *Angelus Domini* Josephum cum *puero & matre illius redire in terram Israel, mortui enim sunt*, dicebat, *qui quærebant animam pueruli.* Matt. 2: vers. 20. Eadem ferè verba legimus dicta ad Mosen. Exod. 4: 19. Loquitur Angelus de pluribus, *οἱ ζητοῦντες*, notans, Herode hujus sævitiæ capite sublato, omnium etiam aliorum rabiem exstinctam esse, adeò ut illo mortuo etiam hæc persecutionis organa videantur quasi mortua, sublata & exstincta, neque enim probari potest, omnes satellites, quibus Herodes in persequendo puerulo usus est, divina quâdam Nemesi, unà cum Herode omnes exstinctos esse, quæ quorundam conjectura est.

Sed mox inde secedit in Galilæam.

§. 311. Ita *redit* Joseph *in terram Israel.* Matt. 2: 21. & impletum est verbum Domini apud Jerem. 31: 16. ישׁבו & Hoseam. 11: 1. Ubi autem audivit, *Archelaum*, Herodis filium, successorem illi datum, timuit *in Judæam* abire. Matt. 2: 22. Fuerat hactenus in terra Israël. *Judæam* autem nondum intraverat. *Terra Israel* est omnis terra, quæ duodecim tribubus data est. *Judæa* autem illa pars, quæ tribui Judæ. Hinc *monitus in somnio, secessit in partes Galilææ.* Matt. 2: 22.

Et habitavit in Nazaret.

§. 312. Fixit autem domicilium *in urbe Nazareth*, Matt. 2: 23. veteri suo domicilio ac hospitio; & unde venerat, cum Ægyptum peteret. Luc. 2: 39.

§. 313. Sed cur metuit Joseph adire *Judæam*, & non metuit adire *Galilæam*, cum idem utrobique imminuerit periculum. Regnabat quidem *Archelaus*, Herodis filius, in Judæa, sed *Galilæam* tenebat, sub titulo τετράρχου, *Herodes Antipas*, ejusdem Herodis Filius, qui non minori, ut videtur, in Jesum puerum ferebatur odio. Matt. 14: 1. Luc. 3: 1. 9: 7. Sed respondere in promtu est. Etiamsi Archelaus & Herodes, fratres, odio paterno prosecuti sint natum Jesum, potiores tamen metuendi à Jesu causas habuit Archelaus, quàm Herodes; adeoque pronior fuit & proclivior ad tollendum *puerum.* Magi illum dixerant *Regem Judæorum.* Judæam autem tenebat Archelaus, ne ipsa illi auferretur, cavere necessum habuit. Ideò videbatur citius etiam & prior infestaturus *natum Judæorum Regem*, quare sævitia illius metuenda & fugienda erat. Cum autem *Galilææ* principatus non fuerit ipsi ab iisdem Magis prænunciatus seu prædictus, Herodes tetrarcha, nil à puero sibi metuens, securius degere, & de illo tollendo minus sollicitus, probabili ratione, esse potuit, fuitque adeo *Galilæa* Josepho haut ita metuenda, ideò & in illam se contulit.

§. 314. Et ita quidem respondere est κατὰ ἄνθρωπον. Si autem respondere velimus κατὰ θεὸν, hoc est, habitâ ratione viarum Dei, inveniemus, causam, cur in *Galilæam* secesserit Joseph, & in *Nazareth* consederit, esse occultam & sapientem Dei Providentiam, quæ ita statuerat, ut Filius natus *Nazaræus* vocaretur, idemque *per Prophetas* diu ante prædixerat. Ut determinationi huic divinæ satisfieret, & verbum Prophetarum impleretur, oportuit Jesum in Galilæa & Nazareth habitare. Ut autem parentes illius impellerentur, domicilium ibi de novo, post reditum ex Ægypto, figendi, natumque Immanuelem illuc deducendi, providentia divina ita disposuit omnia, ut & Josephus inveniret causas non manendi in Judæa, & haberet rationes petendi Galilæam; adeoq; spontè & rationibus ductus illam peteret; quam ut peteret divina dudum providentia destinaverat. Sed nec *solis* rationibus ductus id egit Joseph, nam & χρηματισθεὶς κατ' ὄναρ, adeoque accedente speciali revelatione divina, ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη τῆς Γαλιλαίας. Matt. 2: 22.

§. 315. Ubi-

§. 315. Ubinam autem exstat τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται? Matt. 2:23. Dictum hoc est, non διὰ τοῦ προφήτου per *unum* aliquem Prophetam. Sed διὰ τῶν προφητῶν per *plures* Prophetas. Quinam igitur hi Prophetæ sint, in quibus hoc dictum, videndum est. Certè ergo, quum in Euangelio vocatus est Ναζαρηνός & Ναζωραῖος, confer Marc. 1:24. 14:67. 16:6. Luc. 4:34. 18:37. 24:19. ut & cruci illius inscriptum fuit, Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος, Joh. 19:19. id factum convenienter Prophetiis cogitandum est. Inde Christus Nazarenus dictus, secundùm prophetias.

§. 316. Cæterum in nullo Prophetarum totidem hoc literis & verbis reperitur, neque enim ullibi exstat, *& vocabitur nomen ejus, Nazarenus*, ut exstat, *& vocabitur nomen ejus* ADMIRABILIS Esaiæ 9. *& vocabis nomen ejus* IMMANUEL. Es. 7. Hinc ortæ sunt diversæ interpretum sententiæ, ut nil dicam de cavillis Judæorum, sancto Matthæi Euangelio illudentium, rogantiumque, apud quem hoc Prophetarum legerit Matthæus. Ubi hoc in Prophetis dictum sit. Sententiæ variorum. Quidam putant, Matthæum hoc hausisse è traditione antiqua Prophetarum, quæ oretenus tradita sit Judæis, non autem scripto literisque consignata, quem in sensum Theophylactus de hoc loco Matthæi ait, Ἀγράφως δὲ τυχὸν ἐλέγετο παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, Jesus nim. *Nazarenus* Ita mens Matthæi erit, *ut impleatur, quod dictum est per Prophetas.* Nota, *quod dictum*, non, *quod scriptum*, quod non scripto, sed verbo & sermone majoribus tradiderunt. Sed unde fides nobis fiet, Prophetas docuisse quædam oretenus, quæ in literas non retulerint? & duplex illorum esse verbum, scriptum & non-scriptum? Matthæus certè hac loquendi formula, τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, aut διὰ τοῦ προφήτου ubique utitur, ubi loca citat, quæ in scriptis Prophetarum inveniuntur de verbo ad verbum. Matt. 1:22. 2:15. 17. Igitur inde nihil pro orali traditione concludi potest. Alii putant desumtum esse hoc allegatum è scripturis Prophetarum, quæ interierunt. Multa Prophetarum amissa esse & abjecta ignaviâ & perfidiâ Judæorum. Ita Chrysostomus, Hom. 9. in Matthæum, super hunc locum, καὶ ποῖος προφήτης τοῦτο εἶπε, μὴ περιεργάζου, μηδὲ πολυπραγμόνει· πολλὰ γὰρ τῶν προφητικῶν ἠφάνισται βιβλίων, καὶ ταῦτα ἐκ τῆς ἱστορίας τῶν παραλειπομένων ἴδοι τις ἄν, ῥᾴθυμοι γὰρ ὄντες, καὶ εἰς ἀσέβειαν συνεχῶς ἐμπίπτοντες, τὰ μὲν ἠφίεσαν ἀπόλλυσθαι, τὰ δὲ αὐτοὶ κατέκαιον καὶ κατέκοπτον. Eodem ferè modo Theophylactus, διὰ γὰρ τὴν ἀμέλειαν τῶν ἱερέων πολλὰ βιβλία ἀπώλοντο καὶ ἀπὸ τῶν συνεχῶν αἰχμαλωσιῶν. Atqui probari nequit, libros θεοπνεύστους periisse, nec ulli concedi debet. Neque etiam Judæi citra culpam culpandi sunt, utpote qui ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ. Rom. 3:2. quorum verborum hæc vis ac significatio est, ita Judæis *concredita esse oracula Dei*, ut ipsis à Deo simul datum sit, hac in parte *fideliter* fungi officio, nec per ullam infidelitatem & perfidiam illud polluere. Taceo libros Prophetarum, ex quibus Matthæus hoc hausit, illo tempore adhuc exstitisse. Si enim non exstitere, quomodo potuere à Matthæo in testimonium citari? Atqui ab illo tempore non amplius fuit in potestate Judæorum, etiamsi voluissent, libros Propheticos falsare aut mutilare, nam id ad curam Apostolorum & Christianorum maximè pertinuit, ne fieret. Alii putant, Matthæum respexisse ad illa Prophetarum loca, in quibus ii, qui insigniter fuere typi Christi Domini, dicuntur fuisse נְזִירִים *Nasirei*, ut putant dici de Josepho Gen. 49:26. *Sint benedictiones* Patris tui, *in caput Josephi, & in cervicem* נְזִיר אֶחָיו *Nasirei fratrum ejus*. confer Deut. 33:16. & ut Angelus dixit de Simsone נְזִיר אֱלֹהִים יִהְיֶה הַנַּעַר מִן הַבָּטֶן: quod ita verterunt LXX. ὅτι Ναζιραῖον τῷ θεῷ ἔσται τὸ παιδάριον ἐκ τῆς γαστρός. Ut hæc sit mens Euangelistæ, dum Christus in Nazaret habitavit & educatus est, unde audit *Nazarenus*, impletæ sunt simul prophetiæ, quæ dixerunt, Jesum fore נָזִיר *Nasiræum*, ita locus educationis Jesu dedit occasionem nomini, quod ipsi competit, etiamsi in Nazaret nunquam habitasset. Ita

Rupertus, Abbas Tutiensis, & *Leo* à Castro in cap. Esaiæ 11. Ναζωραῖον titulum deducunt à נָזִיר. Atqui quid commune habet Ναζωραῖος, sive *Nazarenus* cum *Nasiræo*. Sunt enim diversa elementa; in altero ז, in alter צ. Alii denique putant, respexisse Matthæum ad illa Prophetarum loca, ubi Messias dictus est נֵצֶר *surculus*, ut Es. 11: 1. *Et* נֵצֶר *surculus è radicibus ejus* Jesse *fructificabit*, ubi sic Hieronymus: *Illud, quod in Evangelio Matthæi omnes Ecclesiastici quærunt, & non inveniunt, ubi scriptum sit*, Nazaræus vocabitur, *eruditi Hebræi de loco*, Es. 11: 1. *assumtum putant*. Adducunt etiam locum, Es. 60: ℣. 21. נֵצֶר מַטָּעַי *surculus plantationum ejus*. Certè ipsa *Nazareth* à Judæis dicitur נצר, & *Nazareni* נצרים: unde & Christianos, in *Nazarenum* credentes, vocare solent נצרים. Item אומה הנצרית *natio Nazarena*. Sed necdum ita omnis res explicatur. Dicit Matthæus, à Prophetis dictum, Christum *vocandum Nazaræum*, ob habitationem & conversationem in urbe Nazareth, ideò talia quærenda sunt loca Prophetarum, in quibus hæc illius conversatio prædicta est, unde nomen Ναζωραῖος originem traxit. Neque enim dubitari amplius poterit, illum Nazarenum vocandum fuisse secundum Prophetias, qui in Nazaret, juxta illorum prophetias, conversari debuit; & ut eventus docuit, diu multumque conversatus est.

Verior explicatio.

§. 317. Docent Prophetiæ, Christum in terris manifestatum debuisse primò apparere, & cum verbo ac operibus salutaribus revelari, in genere quidem extra *Hierosolymam*; in specie verò in *Galilæa*.

§. 318. Extra Hierosolymam debuisse prius manifestari τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, dictum est Zach. 12: 7. *Et salvabit Iehovah tentoria Iudæ* בָּרִאשֹׁנָה *primò*, hoc est, Jehova caro factus, salutem nunciabit, notificabit, applicabit, *tentoriis Iudæ*, in vicis, in pagis, antequam pedem inferat in urbes, aut Hierosolymam adeat idque eâ fine, *ut ne magnificetur decus Domûs Davidis, & decus habitantis Ierusalem super Iudam*, hoc est, ne majestas terrena, quam domus David super Jehudam olim habuit, ulla ratione super Judam iterum extollatur; aut carnalis illius domus concipiat spem, missum Dominum ad se, & sui causa, ad reddendum illi pristinum decus, sceptrum, coronam, regnum. Et ne cives Hierosolymitani, præ aliis, de Messia prærogativas præstolentur, sibique promittant.

§. 319. In *Galilæa* autem speciatim debuisse manifestari prædixit Esaias cap. 8. 23. 9: 1. ubi postquam dixisset גְּלִיל הַגּוֹיִם *Galilæa gentium*, immediatè adjungit, *Populus sedentes in tenebris, viderunt Lucem magnam*, &c. quasi dicat, populus Galilææ, Galilæi, viderunt *lucem*, veram nimirum illam, quæ *in mundum venit*. Joh. 1. vers. 9. Hæc Lux in populis Galilææ orta est, in illis prius eluxit, ab illis primo conspecta est. Ita Matthæus, ubi dixisset, Christum *relicta Nazareth, habitatum concessisse in Capernaum maritimam*, etiam Galilææ urbem, vicinam Nazareth, adducit hunc Esaiæ locum, ut probet, Christum secundùm Prophetias in Galilæa apparere & ambulare debuisse. Matt. cap. 4: vers. 13 - 16.

§. 320. Hæc cum ita sint, quis negabit, Christum, secundùm Prophetas *Galilæum* dicendum fuisse; adeòque & *Nazarenum*. Nazareth enim in Galilæa est; & in illa diutius mansit. Quamvis igitur haut totidem verbis & syllabis Prophetæ *Immanuelem* dixerint *Galilæum* aut *Nazarenum*, tamen ita de conversatione & habitatione Christi in Galilæa vaticinati sunt, ut immediatè id ex verbis illorum sequatur. Ad has Zachariæ & Esaiæ prophetias respexit Matthæus, dicens, *ut impleatur, quod dictum est per Prophetas*, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται.

§. 321. Imò & hoc non inutiliter addetur, locum Jerem. 31: 6. *Vocant* נֹצְרִים *custodientes*

tes in monte Ephraim surgite, ascendamus Zionem, explicari ab Abarbanel de *Nazarenis*, hoc est, de Christi Nazareni discipulis & Apostolis, adeò ut & inde nomen Nazareni colligi possit.

§. 322. Has aliasque Prophetias non intellexerunt Judæi, ideò absurdum illis visum, Christum dici *Messiam*, eam ob causam, quod è *Galilæa* veneràt. *Dicebant, num è Galilæa Christus venit? nonne Scriptura dicit, quod à semine David, & à Betleem Christus venit?* Joh. 7:41.42. qui debebant è Prophetis didicisse, Christum & à Betleem venire, hoc est ibi nasci; & in Galilæa primum apparere, & habitare debuisse, ac inde prodire ad *accendendam lucem habitantibus in terra umbra mortis*. Es. 9:1.

Cur Deus Christum in Nazareth habitare, & Nazarenum vocari voluerit.

§. 323. Fuit autem Galilæa, ut & Nazareth, contemta olim & vilis, inde proverbium. Ἐκ Ναζαρὲθ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι. Joh. 1:47. προφήτης ἐκ τῆς γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται. Joh. 7: vers. 52. Voluit tamen Deus, ut Messias, Christus Domini solus ille *bonus*, Prophetarum omnium maximus, ibi habitaret & educaretur, & inde prodiret in publicum, utque id esset quasi pars ac initium humilitatis & miseriæ, in qua apparere debuit *justus* ille Dei *servus*, *spretus & derelictus à Viris*. Es. 53:3. & ut, ne Judæi soli Christum sibi vendicarent, aut in Christo gloriarentur, sed ut Galilæi, exteræque gentes haberent ad illum accessum; convenienter verbo Simeonis, Luc. 2:32. φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν.

In Nazareth Christus dies transegit infantiæ, felici incremento.

§. 324. In hac *Nazaret*, in qua è voluntate Dei habitare debuit, Christus, puer natus, transegit ille pueritiæ ac infantiæ dies; ibique sancta & felicia incrementa cepit. *Crevit puer, & roborabatur Spiritu, implebatur sapientiâ, & gratia Dei erat super illum*. Luc. 2:40. *Crevit* staturâ, viribus, robore, *confortabatur Spiritu*, qui indies robur induebat & heroicam fortitudinem, ut muneri gravissimo ferendo par evaderet. *Implebatur sapientia*, cœlesti illa & pacifica, quæ *desuper venit*, cujus encomia lege Jacob 3:15, 17. *Gratia Dei super illum*, 2 Sam. 7:15. *Et gratia mea non recedet ab illo*. Ita factus est *pulcherrimus filiorum hominis*. Psal. 45:3. *Super quem quievit Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, prudentiæ, consilii, roboris, agnitionis, & timoris*. Es. 11:2.

Quotannis Hierosolymam deductus est ad comedendum Paschah.

§. 325. Parentes Jesu *festo paschatis*, quotannis *proficiscebantur Hierosolymam*. Luc. 2: vers. 41. Pascha enim debebat *mactari in loco, quem elegerat Dominus ad collocandum nomen suum ibi*. Deut. 16:6. Is locus erat Hierosolyma. In illo loco, ubi verum *nostrum Pascha* debebat mactari, voluit Dominus Pascha typicum, ceremoniale, at umbratile sacrificari. Ita non dabatur Paschatis esus extra terrestrem Hierosolymam, *non poteris sacrificare* seu mactare *Pascha in una portarum tuarum*, hoc est, urbium, *quas Dominus Deus dat tibi*. Deut. 16:5. ut & nos moneamur, extra spiritualem Hierosolymam veri Paschatis communionem nullam esse. Comederunt autem Pascha omnes, Patres, matres, liberi. Exod. 12:7.27.47. Ideò & parentes pii, Jesum, puerum duxerunt Hierosolymam, ut comederet; qui & vir factus id minimè neglexit. Luc. 24: v. 15. Ita ille, qui est τὸ πάσχα ἡμῶν, 1 Cor. 5:7. terrestre & corruptibile pascha gustare haut dedignatus est. Cum autem *duodecimo* ætatis *anno* illuc eam ob causam ductus esset, singulare quid evenit, quod ita notavit *Lucas* Evangelista.

Ibi duodecimo ætatis anno mansit, & inventus est in templo, in medio Doctorum.

§. 326. Nimirum finito festo domum repetunt parentes; *puer* autem *Iesus mansit in Ierusalem*, nesciis parentibus. Luc. 2:43. cumque putarent illum esse ἐν τῇ συνοδίᾳ *in comitatu*, securè *diem* unum pergunt, nil de puero soliciti. Sed cum deinde illum *inter cognatos & familiares* quæsitum non invenirent, curarum pleni *reversi sunt in Hierusalem*. Luc. 2: 43–45. Ibi tandem, μεθ' ἡμέρας τρεῖς *post dies tres*, hoc est, currente die tertio, *invenerunt*. Luc. 2: vers. 46. primò enim die perrexerunt in itinere, & confecerunt ἡμέρας ὁδόν.

ὁδὸν. vers. 44. Secundo redierunt Hierosolymam. Tertiò demum invenerunt. confer loquendi modum. Matt. 27: 63. μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι, cum tamen *excitatus sit* τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ Matt. 17: 23. Marc. 9: 31. Luc. 9: 22. 24:7. Igitur *post tres dies*, est, *labente die tertio*. Invenerunt autem puerum, non in diversorio, non in plateis oberrantem, non parentes suos quærentem, non puerilia tractantem, sed *in templo sedentem, in medio Doctorum, audientem illos, & rogantem illos*. Luc. 2: 46. Ibi edidit specimina *sapientiæ*, eaque tam luculenta & eximia, ut *omnes audientes obstupescerent super intelligentia & responsis ejus*, Luc. 2: 47. qui non stupuissent, si cognovissent illum, quem audiebant. Nam non potuit non sapienter loqui, & sapientius multo, quam in puerilem cadebat ætatem, is, super quem quievit *Spiritus sapientiæ*, *super cujus labia gratia effusa fuit*. Psalm. 45. 3. cuique *Dominus dedit* לְשׁוֹן לִמּוּדִים *linguam Doctorum*. Esaiæ 50: 4. Non potuit non, quamvis puer existens ἀκούειν τῶν διδασκάλων, is, cui *excitavit* בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר *in manè & manè*, hoc est, continuis matutinis, & *aperuit Dominus* אֹזֶן *aurem* לִשְׁמֹעַ כַּלִּמּוּדִים *ad audiendum ut discipuli*. Es. 50:4. Quàm culpanda est Israëlis negligentia. Natus erat illis Servator. Id Angeli nunciaverant. Pastores divulgaverant. Magi confirmaverant. Idem Immanuel ex Ægypto nunc revocatus erat. Sed illi οὐκ ἐδοκίμασαν, Deum hunc, in carne manifestatum, ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, qui debuissent oculos cordaque habere jugiter in illum defixa, & attenti observare בּוֹאוֹ וְצֵאתוֹ *venire ejus, & exire ejus*, illi non curantes, nec *dies visitationis* suæ æstimantes, *spreverunt Sanctum Israelis, & videntes multa* ac *audientes, non observarunt*, nec *auscultarunt*. Es. 1:4. 42: 20. Inde *stupor* illorum, quem nunc in ipso initio, ubi prima vice audiunt *os Domini loquens*, Es. 40: 5. testantur ac ostendunt, ἐξίσαντο δὲ πάντες. confer Es. 52: 14. *stupuerunt super te multi*.

§. 327. Parentes videntes puerum tam illustri cinctum coronâ ἐξεπλάγησαν, Luc. 2:48. perculit illos rei novitas. Sed & hoc infirmitatis fuit. Si enim memores fuissent dictorum *Angeli* Matt. 1: 20. 21. Luc. 1:30 - 33. 2: 11, 14. & *Simeonis* senis Luc. 2: 28 - 36. non invenissent causas ἐκπλήξεως *consternationis*, sed admirationis potentiæ ac veritatis divinæ, & profundissimæ gratiarum actionis.

Mariæ invectiva in puerum. §. 328. Mater, aliquantulum ut videtur commota, *dixit ad illum, Fili, quid fecisti nobis ita?* num ita te decuit agere, & nos deserere nec nos observare? *Ecce Pater tuus* (in honorem matrimonii, & reverentiam mariti, & ob curam, quam de puero habuerat & habebat Josephus, hoc illum nomine dignatur) *& ego* ὀδυνώμενοι *cruciati quæsivimus te*. Luc. 2:48. Ita Maria in Sanctum suum invehitur puerum, quæ in se ipsam potius debuisset invehi, & securitatem suam ac negligentiam & ineptam confidentiam culpare? fuitne justum, ut pueri curam eousque deponeret, ut integrum diem ex oculis illum amitteret, ut non ante vesperam de illo sollicita esset? Num adhuc dicemus Mariam ἀναμάρτητον, quæ τοῦτον ἡμάρτε τοῦ δέοντος?

Pueri responsio. §. 329. Suavissimus puer modestè respondit, *quid est, quod me quærebatis?* cur tanto cum cruciatu & angore me quæsivistis, per multa loca, multasque domos, sursum deorsum cursitando? non opus fuisset tanto labore, compendiosiore via me invenire potuissetis, οὐκ ᾔδειτε ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με; *nonne sciebatis, quod in locis Patris mei*, seu in æde & domo illius, *oportet me esse?* Luc. 2:49. nec alibi me esse decuit, nec alibi me quærere vestrum fuit. Si venissetis huc, ubi Pater meus est, & hactenus habitat; ubi ego non potui non esse, minus operæ habuissetis.

§. 330. Puer *Patrem* nominat, non Josephum putans, de quo ante Maria, ὁ πατήρ σου κἀγώ, nam is locus, *templum*, ubi erat, non poterat dici Josephi; sed Patrem suum ἴδιον, cujus erat do-

erat domus & templum, ubi erat. Joh. 2: 16. ne facite *domum Patris mei, domum mercatus*, à quo *exiverat & venerat in mundum; ad quem rursus abiturus erat.* Joh. 16: 28. à quo erat *sanctificatus, & missus in mundum*, Joh. 10: 36. à quo erat *hodie genitus secundum sanctitatis Spiritum.* Psalm. 2: 7. Rom. 1: vers. 4. quem Angelus vocaverat *Altissimum.* Luc. 1: 32. Ita ὁμολόγησε puer, quis esset, & unde esset; secundùm carnem è Maria; secundùm æternum Spiritum è Deo, ἀπάτωρ, quatenus è Maria, ἀμήτωρ quatenus è Deo, nullum habens in terris; unum habens in cælis Patrem, nam qui in terra Patres illius dicti sunt, id fuere non naturâ, sed consiliis, ut *Ioseph*, aut respectu cognationis & originis assumtæ carnis, ut *David* & *Abraam.* Matt. 1: 1. Luc. 1: 32. *Caro enim Christi, non tantùm Mariæ, sed & David per Mariam adhæret, & Iesse per David*, inquit Tertullianus libro de carne Christi.

§. 331. Sunt, qui hæc Christi verba ita amant vertere, *nonne sciebatis in negociis patris mei me esse oportere.* Sed Christus non dicit, *decet me esse* ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου πράγμασι; sed tantùm, ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου. Neque enim εἶναι ἐν τοῖς valet, *negocia alicujus obire.* Neque, si id dicere voluisset, ita aptè Mariæ respondisset. Conquerebatur illa, se & Patrem ὀδυνωμένους illum quæsivisse, multis in locis, domibus, plateis. Christus optimè ad rem respondet, & exprobrat, quod non in loco se decente, sibique proprio quæsivissent, quærendum illum fuisse ἐν τοῖς τοῦ πατρός σου, in Patris sui sede & habitaculo, hoc est, in templo. In hunc sensum *Syrus* vertit, ut doctissimo *Fullero* observatum in miscellaneis; ubi ex Chrysostomo locutionis Græcæ simile exemplum adducit, nimirum è Sermon. in Genes. 52. τοῦ ἀπελαύνεις τὸ δίκαιον, οὐκ οἶδα, ὅτι ὅπως ἂν αὐτὸν ἀπελθεῖν συμβαίνῃ, ἐν τοῖς τοῦ δεσπότου τοῦ ἑαυτοῦ εἶναι αὐτὸν ἀνάγκη.

§. 332. Parentes *non intellexerunt verbum hoc, quod illis loquebatur.* Luc. 2: 50. Ita grave est cor hominis nec potest δέχεσθαι τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ. 1 Cor. 1: 14. Est in omnibus φύσει natura καρδία ἀσύνετος. Rom. 1: 21. Parentum ἀσυνεσία.

§. 333. *Descendit* autem puer cum parentibus, & *rediit in Nazareth*, Luc. 2: ✝. 51. ubi vixit sub illorum cura & gubernatione; καὶ ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς *& erat subjectus illis.* Ibidem sponte se illis in sanctam legitimamque subjiciens obedientiam. Ita implevit legis præceptum, quam πάλαι, ut Angelus fœderis, *in die comitii tulerat, honora patrem tuum, & matrem tuam.* Exod. 20: 11.

§. 334. Ita dum vixit, προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ καὶ χάριτι παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις, Luc. 2: 52. προέκοπτε *proficiebat*, successivè nimirum & labente tempore, fuitque illius προκοπὴ φανερὰ ἐν πᾶσιν, ut ita loquar è 1 Tim. 4: 15. Non ita autem *profecit*, ut illi, de quibus 2 Tim. 2: 16. ἐπὶ πλεῖον προκόψουσιν ἀσεβείας & 2 Tim. 3: 13. προκόψουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον, aut ut Paulus Galat. 1: 14. προέκοπτον ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ ὑπὲρ πολλοὺς, quem profectum deinde inter σκύβαλα reputavit, & ζημίαν æstimavit. Phil. 3: 7. 8. Sed profecit Jesus noster 1. Σοφίᾳ *sapientia*, in omni sapientia, divina & humana, profectum egit, ita ut factus sit *sapientissimus* omnium creaturarum, & præ Angelis & præ hominibus; quemadmodum exstitit *pulcherrimus præ filiis hominum.* De illo verè dici potuit, *ecce sapiens es tu præ Daniele, omne absconditum non celarunt te.* Ezech. 28: 3. Ad illam profecit sapientiam, quæ in naturam creatam cadere potest. Par enim fuit, ut is, qui est ἡ σοφία, Matt. 11: vers. 19. Prov. 8: 13. 9: 1. & ἐγενήθη σοφία 1 Cor. 1: 30. esset sapientissimus. Hujus sapientiæ imprimis fuit nosse τὴν πολυποίκιλον σοφίαν Θεοῦ. Ephes. 3: ✝. 10. & perspectissima habere omnia illa mysteria, ad quæ exclamant sancti ὧδε ἡ σοφία ἐστίν. Apoc. 13: 18. Ita profecit sapientiâ, ut infans existens sapientior exstiterit omnibus infantibus, quibus maturè

Προκοπὴ Jesu pueri.

In sapientia.

sapere rarò contingit, ut juvenis factus sapientiâ omnes juvenes antecelluerit; & vir factu omnes viros; & in gloriam assumtus omnes glorificatos & glorificandos. Laudat Scriptura σοφίαν Σολομῶντος. Sed ecce, πλεῖον Σολομῶντος ὧδε. Matt. 12:42. Luc. 11:31. σοφώτερος Σολομῶντος ὧδε. Salomoh *in omni gloria sua* cedere debuit *liliis agri*, Luc. 12: vers. 27. quantò magis in omni sapientia sua cedere debet sapientissimo *homini Christo Jesu*? Si autem homo Jesus sapientiâ profecit, utique errant, qui docent, ab ipsa conceptione animam Christi ita impletam fuisse sapientiâ, ut proficere nil potuerit; & naturam Christi humanam fuisse omniscìam, ob unionem hypostaticam. confer §. 147 -- 154. Sapientiam, quâ profecit, non didicit ab hominibus, non hausit à magistris, sed manifestata ac notificata illi est בַּסָּתֻם *in occulto*. Psalm. 51:8. *Plenitudo Deitatis habitans in illo corporaliter*, fecit in humanitate illius *habitare omnem plenitudinem* sapientiæ & prudentiæ copiosissimè & abundanter. Col. 1:19. 2:9. Ita de se dicere potuit, *non didici sapientiam, & scientiam Sanctorum novi*, Prov. 30:3. neque enim ad ullius sedit pedes Magistri, & tamen ita profecit, ut scientiam noverit Sanctorum.

Ætate, 2. Ἡλικίᾳ *ætate*, dictum enim vitæ numerus felici accessione cottidie auctus fuit, quos sine infirmitatibus, in incolumitate; sine defectibus ac turbis, in tranquillitate ac pace egit & transegit in infantia. *Butyrum & mel comedit*, infans Immanuel, *usque ad scire illum rejicere malum, & eligere bonum*. Es. 7:15.

seu statura. Potest & verti *statura*, ἡλικία enim utrumque significat. Illud Hebr. 11:11. Joh. 9:21.23. Hoc Matt. 6:27. Luc. 12:25. Ita notabitur corpus benedictum Jesu crevisse in pulchram proceritatem, elegantem formam, & decentem omnium membrorum proportionem; adeò ut sancta illius anima pulchro gavisa sit domicilio; pulcherrimusque hic polluerit ingenii dotibus, & corporis bonis. Id in genere de statura Jesu & externa illius forma dici potest, quod non fuit illa ejusmodi, quæ risum parit & contemtum, ut illa fuit *Zachei*, qui dicitur fuisse τῇ ἡλικίᾳ μικρός, Luc. 19:℣. 2. 3. & *uxoris* Archidami, Regis Lacedæmoniorum, quæ fuit ita μικρὰ τὸ μέγεθος, ut Lacedæmonii pecunia mulctarint Regem, ob ductam tam parvæ staturæ mulierem, ὑπειπόντες, ὡς οὐ βασιλέας ἀλλὰ βασιλίσκους παρέχειν αὐτοῖς διανοοῦντα, referente Plutarcho περὶ ἀγωγῆς. Nec ejusmodi, quæ metum ac horrorem incutit spectantibus, ut *Goliati*, ad cujus aspectum *timebant* Israelitæ *valdè & fugiebant*. 1 Sam. 17:24. Sed, ut dictum, proportionata, decora & amabilis. In Sacris laudatur eximia forma *Sauli*, 1 Sam. 10:23.24. & *Eljabi*, fratris Davidis, quâ captus Samuel, dicebat, *certè coram Domino unctus ejus hic*, ubi tamen Dominus, *ne aspicias formam ejus, nec altitudinem staturæ ejus*. 1 Sam. 16:6.7. De *Xerxe* scribit Herodotus, quod habuerit εἶδος ἄξιον τυραννίδος, quodque nullus specie contendere cum illo potuerit. De *Commodo* Herodianus, quod fuerit τὴν ὄψιν ἀξιοθέατος, σώματός τε συμμετρίᾳ καὶ κάλλει συνσώντε. De nostro Immanuele sentiemus, quod habuerit εἶδος ἄξιον τῆς διακονίας, & τοῦ ἔργου, quod ut perficeret, venit in mundum. Quare quod dicitur Psal. 45:3. יָפְיָפִיתָ מִבְּנֵי אָדָם *pulcerrimus es præ filiis hominum*, etiam de externa corporis forma accipi potest, quæ hautquaquam negatur, ubi dicitur *corruptus præ viro aspectus ejus, & forma illius præ filiis hominum*, Esaiæ 52:14. confer Es. 53:2. *non forma illi, nec Majestas*, nam hæc tantùm de externa Christi conditione, de humili illius statu, de terrestri vilitate, infra mundi splendores & æstimationes dicuntur. Ita *accepit formam servi*, ut & *pulcher* esset servus; & tamen humilis ac contemtibilis servus, *pauper*, cui אֵין לוֹ *nil erat*. Præterea & hoc referri potest ad felicem profectum ætatis & staturæ Christi, quod corpus habuit vegetum, temperamentum solidum, viresque robustas; quod tot malis, & symtomasi, & passionibus non fuit exercitum, ut nostra exercentur. Non constat, Christum unquam morbo laborasse, aut cum ad-

adversa valetudine conflictatum esse, licet verum sit; *Morbos nostros tulit, & dolores bajulavit* Es. 53:4. Id enim impletum est in sanatione plurimorum ægrotorum. Matt. 8: ✠. 16. 17. Imprimis autem in bajulatione nostrorum peccatorum illorumque ablatione & expiatione. *Tulit peccata nostra in corpore suo.* 1 Petr. 2:24. 3. Χάριτι *gratiâ*, intelliguntur gratiæ divinæ dona, quæ gratiam pariunt, & gratos reddunt, qualia sunt continentia, temperantia, vitæ sanctitas, morum integritas, passionum rectitudo, oris puritas, sermonum suavitas, cogitationum æquitas & sinceritas, his virtutibus & donis omnibus largissimè profecit Jesus natus, inde & exstitit ὅσιος, ἄκακος, ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν κεχωρισμένος. Hebr. 7:26. ἄμωμος καὶ ἄσπιλος, 1 Pet. 1:19. nec *mentitus est*, Habac. 2:4. nec *injuriam fecit, nec fraus in ore ipsius fuit.* Es. 53:9. nec *peccatum novit*, 2 Cor. 5: ✠. 21. nec ullius peccati *convinci* potuit. Joh. 8:46. Aut ne hac explicatione putes juvari illos, qui de *gratia gratum faciente*, in præjudicium gratuiti Dei amoris, quo *justificamur, gratis, per redemtionem quæ in Christo*, Rom. 3:24. multa erroneè fingunt, ita verba hæc capi possunt: *Profecit gratiâ*, hoc est, majorem amorem & benevolentiam obtinuit cottidie παρὰ θεῷ καὶ ἀνθρώποις *apud Deum, & apud homines. Apud Deum*, qui cœlesti voce testatus est, *Hic est Filius meus dilectus, in quo acquievi*, qui non tantùm ab æterno à me fuit amatus, sed quem cottidie novo quasi amore prosequor. Apud *homines*, qui adventu Christi, ut promissi Messiæ, delectati, cottidie chariorem habuerunt, quibusque fuit חֶמְדָּה *desiderium* maximè desiderabilis. Hag. 2:8. Certè Simeon, Anna Prophetis, omnesque illi, qui exspectabant *redemtionem in Ierusalem*, sunt de illis ἀνθρώποις, παρ' οἷς Ἰησοῦς προέκοπτε χάριτι. Ita dum profecit gratia apud Deum, hoc est, dum Deus de die in diem gratiorem & chariorem Jesum habuit, recentique cottidie gratia amplexus est, verè apparuit, quod *gratia Dei super illum.* Luc. 2:40. Et gratia. Apud Deum & homines.

§. 335. Cætera acta pueritiæ & adolescentiæ Christi, ad annum ætatis usque trigesimum, tacuit Scriptura, ideò & nobis tacendum. Narrant veteres multa de manuaria opera, quam Josepho præstitit, & fabrili arte, quam exercuit; unde dictus sit τέκτων *faber.* Marc. 6:3. Testatur *Iustinus*; scriptor antiquissimus, *Iesum, antequam ministerium obiisset, fabrum lignarium fuisse, & aratra ac juga, cæteraque ejusmodi fabricasse.* Imò & exstat liber fabulosus *de infantia Salvatoris.* Sed non libet nobis φρονεῖν ὑπὲρ ὃ γέγραπται. 1 Cor. 4:6. Id certum est; ut virilis Christi ætas fuit sanctissima, ita & puerilis illius ætas. *Plenus* fuit Baptista *ab utero matris Spiritu S.* Luc. cap. 1: vers. 15. quanto plenior Christus, super quem totus *quievit Spiritus?* Es. cap. 11: vers. 2. Est Christus nobis factus *similis* κατὰ πάντα, Hebr. 4: vers 15. Ideò & cum *infans* esset, sine dubio *ut infans locutus est, sapuit & cogitavit.* 1 Cor. 13: vers. 11. tamen quia similis factus est χωρὶς ἁμαρτίας, omnes impetus pueriles, stultitiæ, ignorantiæ, præjudicia procul ab illo absfuerunt, non de illo dici debet, *nam antea, qui sciret posse, aut ingenium noscere, dum ætas, metus, magister prohibebant?* Non fecit, quod plerique omnes faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad Philosophos, nam præterea, quod à pauperibus natus & educatus ipso facto edocebatur μετριοφρονεῖν, parentesque illius necessum habebant, περὶ τοῦ βίου καθ' ἑκάστην ἀγωνίζεσθαι τὴν ἡμέραν, neq; adeo poterant multos in illum impendere sumtus, ille è Spiritu ita sanctificatus fuit, & ductus בְּאֶרֶץ מִישׁוֹר *in terra planitiei*, ut ab omnibus vanitatibus & mundanis deliciis alienissimus fuerit. Minima hæc fuerunt in illo, quæ vulgo inter laudes recensentur adolescentum, omnes perferre; cum quibus sis, iis se dedere, eorum obsequi studiis; adversum nemini, nec se aliis præponere. Majora longè de illo cogitanda sunt. Fuit puer & adolescens sanctissimus, castissimus, constantissimus, Reliqua acta pueritiæ Christi Scriptura tacuit.

mitiſſimus, ſapientiſſimus, pientiſſimus, & interdiu & noctu *erudiverunt illum renes ipſius, conſuluit ipſi Dominus*, & fuit ſemper *à dextra ejus.* Pſal. 16: 7. 8. Ita non potuit non λογίζεσθαι, ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνά, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνά, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, εἴ τις ἀρετὴ καὶ εἴ τις ἔπαινος. Phil. 4: verſ. 8. nec λογίζεσθαι tantùm, ſed & facere, ac opere ipſo præſtare.

Et cur? §. 336. Neque accuſandi ſunt Euangeliſtæ, quod ſilentio prætererunt ea, quæ longiſſimo vitæ Chriſti in terris ſpacio acta ſunt. Nam ut illi non ſcripſere θελήματι ἀνθρώπου, ita nec hæc omiſere θελήματι ἀνθρώπου. Spiritus, à quo acti fuerunt, hæc & non alia, nec plura ſcribi ab illis voluit. Judicavit ſufficere ad fidem noſtram, & ædificationem, & ſpem & ſolatium, ut fusè haberemus hiſtoriam ortus Jeſu; hiſtoriam virilis vitæ Jeſu; hiſtoriam παθημάτων, hiſtoriam denique τῶν μυστηρίων αὐτοῦ δόξων. Pueritiæ autem & adoleſcentiæ illius compendioſam pertexuit narrationem; ut nec illius planè ignari, ſciremus, pueritiam illius fuiſſe reliquæ vitæ conformem in ſanctitate & præcellentia. Nec opus fuit, ut omnia quæque & minima infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæ acta in literas referrentur, neque enim ſunt ſcitu neceſſaria illa omnia, nec ad ſalutem faciunt. Conſuluit Spiritus non curioſitati noſtræ, ſed utilitati; non vanitati, ſed neceſſitati. Illa imprimis notavit tempora, quæ nobis impenſa, quæ in munere conſumta; quæ Chriſtum exhibent clauſum in utero, & exeuntem ex utero; quæ illum oſtendunt in cathedra collocatum, in ligno ſuſpenſum, in cælos aſſumtum, & in throno exaltatum. Reliqua omnia, ſi debuiſſent ſcribi, nec ipſe mundus potuiſſet χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. Joh. 21: 25: confer Joh. 20: 30.

Liber ortus Jeſu Chriſti. §. 337. Supereſt, ut accedamus ad βίβλον γενέσεως *librum ortus Ieſu Chriſti*, quem Matthæus & Lucas conſignarunt; ut majores ejus, *quoad carnem*, cognoſcentes, in fide catholica confirmemur, *Dominum è Juda progerminaſſe*, Hebr. 7: 14. *è fructu lumborum Davidis excitatum eſſe*, Actor. cap. 2: verſ. 30. verèque eſſe *Filium Davidis, & Abrahami*, Matt. 1: 1. cui ἐρρήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, Galat. 3: 16. Neque enim moramur *Fauſtum Manichæum*, qui dicere olim non erubuit, *genealogiam Chriſti nec Euangelium eſſe, nec ad Euangelium pertinere; adeoque ſalva Euangelii authoritate a ſe rejici poſſe*, cui ſententiæ anſam dedit noxius, quem fovebat, error, Chriſtum non eſſe verum hominem, è Davide patribuſque γενόμενον κατὰ σάρκα. Quidni enim pertineat ad Euangelium deſcriptio ortus Chriſti; cum hoc primum ſit in Euangelio, noſſe, Chriſtum natum, & ex Iſraële natum, & è Juda prodiiſſe?

Deſcriptus diverſimodè à Matthæo & Luca. §. 338. Licet autem hic βίβλος γενέσεως aliter à Matthæo, aliter à Luca recenſeatur, eò tamen omnis res redit, Chriſtum, Filium Dei, eſſe natum hominem è ſemine David. Matthæus in tres indiculum ſeu Catalogum hunc diſpertitur teſſaradecades, incipit ab *Abraamo*, & deſcendit ad *Joſephum* uſque, virum Mariæ. Lucas à *Chriſto* incipit, & inde aſcendit, non ad Abraamum tantùm, ſed ad *Adamum* ipſum. Differunt igitur genealogiæ hæ. 1. *Methodo.* Matthæus *deſcendendo* à majoribus ad poſteros; Lucas *aſcendendo* à poſteris ad majores rem perficit. 2. *Terminis intermediis.* Matthæus per *Salomonem*; Lucas per *Nathanem*, qui etiam filius Davidis fuit, natus illi in Jeruſalem. 1 Chron. 3: 5. Chriſti genus è Davide deducit. 3. *Terminis extremis.* Finis Genealogiæ apud Matthæum eſt in *Abrahamo*, apud Lucam in *Adamo*, utut autem duo hi Euangeliſtæ videantur ſibimet invicem contrariari, tamen nulla inter illos eſt lis & contrarietas; ſed diverſimodè eadem de re ſcribentes, eandem veritatem diverſis modis illuſtrant & confirmant.

Matthæus Chriſtum vocat Fi- §. 339. Initio nominat Matthæus Jeſum Chriſtum *Filium David, Filium Abraam* Matt. 1: 1. Merentur enim imprimis illi *Patres* Chriſti vocari; tum ob *promiſſionem*, quæ utri-

que

que illorum insigniter de Christo facta est. Genes. 22: ℣. 18. 2 Sam. 7: 5 – 17. tum ob eximiam *fidem*, quâ ἐπαγγελίαν Θεοῦ acceptantes ratam fecerunt illam & firmam; quæ & ipsa in se firma & irrevocabilis erat; ob æternitatem nimirum consilii, & constantiam ac veritatem Dei. Nec est, ut inquiramus, cur Matthæus *Davidem* ponat ante *Abraamum*. Voluit enim ostendere, Christum Abraami semen esse per Davidem; voluitque ponere posteriore seu secundo loco Abraamum, cui in Genealogiæ subsequentis recensione dedit primum. lium David & Abraam.

§. 340. Vocem γεννᾷν *gignere* usurpavit Matthæus non de proxima tantùm, sed & de remotiore generatione. Proximior generatio est, qua Pater Filium gignit. Ita genuit Abraam Isaacum, Isaac Jacobum, Jacobus Judam, &c. Remotior generatio est, quâ avus nepotem, proavus pronepotem, abavus abnepotem dicitur genuisse. Ita genuit *Ioram Usiam*, quem inter & Joramum tres intercesserunt Reges, quique à Joramo quartus, & illius abnepos fuit. Ita & *Josias* dicitur genuisse *Iechoniam*, cujus fuit avus. Pater enim Jechoniæ est *Iehojakim*. Matt. 1: 9. 11. De usu vocis γεννᾷν apud Matthæum.

§. 341. Tessaradecades tres, in quas totam Jesu Christi γένεσιν distribuit Matthæus, quod attinet, illarum *primâ* ab *Abraamo* incipit, & ad *Davidem Regem* pergit. Matt. 1: 17. Hæc complectitur in ambitu suo *nongentos*, & quod excurrit, annos. Ab Abraamo enim usque ad exitum ex Ægypto sunt anni 430. Genes. 15: 13. Exod. 12: 40. Galat. 3: 17. Itinera in deserto absumserunt annos 40. Deut. 29: 5. Regimen Judicum, usque ad Samuelem Prophetam, & Davidem Regem duravit annos 450. Actor. 13: 20. 21. Igitur quatuordecim illi homines primæ tessaradecadis fuere μακρόβιοι longævi, bonumque impleverunt annorum numerum. *Secunda* à *Salomone* incipit, & ad *transportationem Babylonicam procedit.* Matt. 1: 17. Hæc annos absolvit *quingentos*, ut è Chronologia Regum Israël & Juda constat. Simul apparet, homines secundæ tessaradecados fuisse μικροβιωτέρους hominibus primæ, & brevius vixisse. *Tertia*, à transportatione Babylonica *ad Christum natum* progreditur. Matt. 1: 17. & absolvit 70. *septimanas* Danielis, quæ faciunt annos 490. Dan. cap. 9: vers. 24. Tessaradecades tres.

§. 342. Homines primæ tessaradecados sunt 1. *Abraam*, filius *Terach*, decimus à *Semo*. Genes. 11: 10. 1 Chron. 1: 24. 2. *Isaac*, natus è *Sarah*. 3. *Jacob*, natus è *Rebecca*. 4. *Iudas* & *fratres* illius. *Iudas* fuit *Lea* filius, quartus illius fœtus, peperit enim illa *Ruben*, *Simeon*, *Levi*, *Iuda*, *Issachar*, *Sebulon*. Genes. 35: 21. *Fratres* Judæ fuere præter hos quinque, *duo* è *Rahel*, *Ioseph* & *Benjamin*, *duo* è *Bilhah*, ancilla Rahel, *Dan* & *Naphthali*; *duo* è *Silpah*, ancilla Leæ, *Gad* & *Aschur*; adeoque in universum *undecim*. Genes. 35: 21-25. 5. *Phares* & *Sara* è *Thamar*. Hi duo fuere *gemelli*. *Thamar* autem fuit *nurus* Judæ. Genes. 38: 15-30. 6. *Esrom*. חֶצְרוֹן 1 Chron. 2: 5. 7. *Aram*, רָם 1 Chron. 2: 9. 8. *Aminadab*. עַמִּינָדָב 1 Chron. 2: 10. 9. *Naasson* נַחְשׁוֹן qui fuit נשׂיא *Princeps filiorum Iudah* 1 Chron. 2: 10. 10. *Salmon* שַׂלְמוֹן: dicitur & שַׂלְמָא item שַׂלְמָה 1 Chron. 2: ℣. 11. Rut. 4: 20. 21. 11. *Boos*, בֹּעַז 1 Chron. 2: 11. Rut. 4: 21. natus è *Rachab*. Illâ sine dubio; de qua est Jos. 2: 1. quæ exploratores, inter quos à nonnullis fingitur fuisse *Salmon*, Pater Boosi, hospitio excepit, & fuit πόρνη, Heb. 11: 31. Jacob. 2: 25. Qui hic aliam fingunt *Rachab*, quàm Hierichuntinam illam, merâ nituntur conjecturâ. Sed cum Veteris Testamenti tabulæ hic nihil definiant, unde hausit Matthæus relationem hanc? Sine dubio è fide digna traditione; è quali etiam Paulus Magos Ægyptiacos dicit vocatos *Iannem* & *Jambrem*. 2 Tim. cap. 3: vers. 8. Matthæus loquitur, ut de re omnibus nota. *Genuit Booz è Rachab.* Certum id notumque fuisse videtur inter Judæos, omnesque coætaneos, Matthæi. 12. *Obed*, עֹבֵד 1 Chron. cap. 2: vers. 12. è *Ruth*, quæ erat *Moabitis*. Rut. cap. 4: vers. 10. Homines primæ tessaradecados.

vers. 5. רות הַמּוֹאֲבִיָּה: 13. *Jesse*, אֲבִי דָוִד *Pater Davidis*. Ruth 4: ℣. 22. 14. *David*, qui Rex factus est, inde Δαβὶδ τὸν βασιλέα. Matt. 1:6. id eum in finem addidit Matthæus, ut doceret, illum, cujus hic genealogiam nectit, esse *filium Regis Davidis*, imò & *Regem*, cui datus est ὁ θρόνος Δαβὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Luc. 1:32. *Regnum* autem *Davidicum* non fuisse ἀσάλευτον, simul innuit Matthæus, ubi paulò post loquitur de μετοικεσίας Βαβυλῶνος, in qua *recessit sceptrum à Juda*, & domo Davidis, nec unquam rediit. Notetur inter majores Davidis fuisse viros *Principes*, ut vidimus de Naasson.

Cur Matthæus meminerit fœminarum peccatricium? §. 343. In hac tessaradecade fit mentio fœminarum, sed non illustrium illarum, qualis Sarah fuit, Rebecca & Rahel, sed obscurarum & peccatricium, incestuosæ *Thamar*. Matt. 1: ℣. 3. & meretriciæ *Rahab* vers. 5. & extraneæ *Ruth*, vers. 5. quæ fuit è filiis *Moab*, de quibus Lex, *non veniet Moabita in cœtum Domini*. Deut. 23: vers. 3. Imò & in secunda tessaradecade additur adultera *Batsebah*, Uriæ olim fœmina, postea, post adulterium commissum, Davidis facta. Matt. cap. 1: vers. 6. Id non sine gravi causa factum esse censendum est; nimirum ut appareret, *Christum de peccatricibus nascentem omnium peccata delere*, ut Hieronymus loquitur, adde Ambros. in cap. 3. Lucæ, *Matthæum*, inquit, *putâsse*, *Christum ne hujus quidem exortem asserendum esse pietatis*, *ut maculatæ quoque originis non recusaret injuriam*. Idem. *Ne pudeat Ecclesiam ex peccatoribus congregari, cùm Dominus de peccatoribus nasceretur*. Augustinus observat, *verissimum & veracissimum Salvatorem, non solum loquendo, sed etiam nascendo magistrum exstitisse, & parentes bonos & malos propter convenientiam humanitatis non sprevisse*. Chrysost. Homil. 3. in Matthæum. Διὰ τοῦτο καὶ τῆς Ῥοὺθ καὶ τῆς Ῥαχὰβ μέμνηται, τῆς μὲν ἀλλοφύλου, τῆς δὲ πόρνης, ἵνα μάθῃς, ὅτι πάντα ἦλθε τὰ κακὰ λύσων τὰ ἡμέτερα. Gentiles fœminas non dedignatus est Dominus, qui venit, ut esset in *lucem gentium*. Luc. 2: 32. Es. 49: ℣. 6. Genes. 49: vers. 10. Hæc approbamus præ ratione *Lyrani*, dicentis, *fœminas has ob id expressas esse, quia fuerant viris suis, è quibus conceperant, accidentaliter conjunctæ*, & *Maldonati*; propterea harum mulierum mentionem factam, ut constaret, Filios, quos Euangelista recenset, ex illis legitimè procreatos fuisse. Potuisse enim dubitari de *Rachab*, utpote quæ meretrix fuerat & alienigena; de *Batsebah*, quia adultera; de *Ruth*, quia Moabitis; de *Thamar*, quia flagitio incesto se polluerat.

Difficultas de Booz. §. 344. Sed major in hoc est difficultas, quod *Boos* dicitur esse *genitus è Rachab*; quodque idem deinde genuit *Obed è Ruth*. Matt. 1: 5. quæ etiam augetur, si vera est hypothesis, *Ruth*, Boosi conjugem vixisse circa tempora *Eli* Sacerdotis. Si enim *Boos* est è *Rahab*, natus est ille circa tempora Josuæ, oportet igitur, ut ad ætatem longè maximam profecerit, longiorem præ mensura ordinaria humanæ vitæ; utpote, qui tempore Josuæ natus, Eli vivente adhuc genuit; qui duo quatuor centum annis ab invicem distant.

Solvitur. §. 345. Hinc multi eo confugiunt, ut dicant fuisse tres Boozos, filium Salmonis, Nepotem, & Pronepotem, cognomines, hunc ultimum vixisse tempore Heli, & duxisse Ruth. Duos priores à Matthæo prætermissos esse. Sed unius tantùm Boozi Scriptura ubique meminit. Ruth. 4: vers. 20. 21. 1 Chron. 2: 11, 12. Luc. 3: 32. Ideò alii dicunt, vetustiorem esse historiam Ruth ætate Eli, & referri debere ad tempora *Deboræ*, aut *Gideonis*, aut *Ehudi*. Certè quia dicitur exstitisse *in diebus, quo judicarunt Judices*, Ruth. 1: 1. probabile est, illam vixisse, quum *Judicatus* adhuc in flore fuit, qui sub Heli & post illum sensim defecit, remque ita declarant. Salmonem è Rachab genuisse ætate inclinante Boozum. Boosum rursum ætate provecta Obedum, Obedum Jesse, ita ut intervallum temporis, quo gubernarunt Judices, quod annorum est 400, & quod excurrit, quatuor horum hominum ætate sufficienter

ficienter compleatur. Nec mirum, in ætate decrepita illos homines genuisse, fuisse illo tempore senectam magis vegetam. Ita generavit Abraam centenario major è Cethura juvene. Moses attigit annos centum & viginti. Calebus filius 85. annorum adhuc in viribus suis gloriabatur. Ios. 14: 11. Phineas Eleazari filius videtur annos attigisse 340. Iud. 20: 28. Iojada Pontifex centum vixit & triginta annos. 1 Paral. 24: 15.

§. 346. Secunda Tessaradecas incipit à *Salomone*, genito ἐκ τῆς Οὐρίου *ex illa, quæ Uriæ fuerat* uxor nim. & conjux. 2 Sam. 11: 3. Maluit Matthæus *Uriæ* mentionem facere, quàm *nominis* Batsebæ; tacitè quasi Davidis lapsum commemorans. In hac tessaradecade *quatuordecim* numerantur Reges; quorum unus toti Israëli præfuit, *Salomoh*; tredecim autem soli tribui Iudæ. Hi reges fuere partim boni, optimi, & sanctissimi, suis tamen lapsibus notabiles, *Salomoh*, *Asah*, *Iosaphat*, *Usiah*, *Iotam*, *Ezechias*, *Iosias*. 1 Reg. 3: 3. 11: 4–10. 15: 10–15. 2 Chron. 17: 1. 6. 2 Reg. 15: 2. 5. 2 Chron. 26: 16. 2 Chron. 27: 6. 2 Reg. 18: 5. 6. Esa. 39: 1–13. 2 Reg. 23: 25. 29. 30. 2 Chron. 35: 20–24. Partim mali, improbi, pessimi, *Rehabeam* 2 Chron. 12: vers. 1. *Abijah* 1 Reg. 15: 3. *Ioram* 2 Chron. 21: 9. 11. *Achas*. 2 Reg. 16: 2. 3. 4. *Menasseh*. 2 Reg. 23: vers. 5. qui tamen *humiliavit se* tandem *coram Deo*. 2 Chron. 33: vers. 11. *Amon*. 2 Chron. 33: vers. 20–23. *Jechoniah*, qui captus & in Babel abductus est. 2 Chron. 36: vers. 10. Secunda tessaradecas.

§. 347. Occurrunt autem hic nonnullæ difficultates, quarum prima est Matt. 1: 8. *Ioram genuit Usiam*: Atqui inter Joramum & Ussiam tres intercedunt Reges. 1. *Achasjah*, 2 Reg. 8: 25. filius Jorami הַקָּטֹן *minor natu*, 2 Chron. 22: vers. 1. etiam dictus *Iehoachas* 2 Chron. 21: 17. & *Azariah* 2 Chron. 22: 6. qui *ambulavit in viis domus Achab*, cujus erat חתן *gener*, 2 Reg. 8: 27. *unum* tantùm regnavit *annum* 2 Reg. 8: 26. Mater illius fuit *Ataliah*, *filia Omri*, *Regis Israël*. ibid. Hic Achasjah dicitur 2 Reg. 8: 26. fuisse *filius* 22. *annorum*, בְּמָלְכוֹ *cum regnum capesseret*. Sed 2 Chron. 22: 2. dicitur fuisse *filius* 42. *annorum*, cum regnare inciperet, quæ differentia haut difficultate caret. 2. *Ioasch*, *filius* Achasiæ & successor; furtim subductus ex aliis filiis Regis, interfectis ab Ataliah, beneficio *Iehoschabath*, *filiæ Regis Ieboram*, *sororis Achasiæ*, *uxoris Iehojadæ Sacerdotis*. 2 Chron. 22: 11. Fuit certè *filius Achasiæ*, genitus ab illo; dicitur enim בֶּן אֲחַזְיָה, & *è medio filiorum Regis*, 1 Reg. 11: vers. 2. 2 Chron. 22: 11. imò & בֶּן הַמֶּלֶךְ *filius Regis*. 2 Chron. 23: 11. Quare qui dicunt *Ioasum* fuisse è linea *Natanis*, qui etiam fuit *filius David*, 1 Chron. 3: 5. cujusque in genealogia Christi facta mentio. Luc. 3: 31. Patremque *Ioasi* fuisse *Simeonem* quendam; dici autem Achasiæ *filium*, non ob generationem, sed ob successionem. Item, posteritatem Salomonis in Achasia defecisse, quamvis autoritate *Philonis* & *Annii* nitantur, hic videntur impingere. Ideò & id, quod conformiter huic errori diximus, libr. 2. cap. 16. §. 161. haut nunc volumus dictum; hoc imprimis ducti argumento, quod Lucas, qui in Genealogia sua *Natanis* posteros describit, hujus Ioasi haut meminit; cujus certè meminisse debuisset, utpote Regis, & viri primarii, si è Natane fuisset. Ioasus hic dicitur *fecisse rectum*. 2 Reg. 12: 3. Sed postmodum lapsus est. 2 Chron. 24: 17, 18. tandem interfectus à servis conjuratis; 2 Chron. 24: 25. regnavit annos 40. 2 Chron. 24: vers. 1. 3. *Amaziah*, *filius Ioasi*, 2 Reg. 14: vers. 1. qui fecit *rectum*, *non* tamen *ut David*. vers. 3. regnavit annos 29. 2 Chron. 25: vers. 1. Huic demum successit *Azarias*, alias *Usiah*, filius illius 2 Reg. 14: 21. quem Matthæus à Joramo dicit genitum. Prima difficultas.

§. 348. Neque in hoc sita difficultas est, quomodo *Ioram* potuit dici *genuisse Usiam*.

Antea enim ostensum, vocem *gignere* etiam de remotiore usurpari generatione. Et ut *nepotes* Hebræis *filii* dicuntur, sic *avi* & proavi *Patres*. Abraam dicitur *Pater* Judæorum Joh. 8:33.39. Elisabet, *è filiabus Aaron*. Luc. 1:1.. Sed hic omnis latet 1. Quid causæ sit, cur tres hi Reges fuerint omissi. 2. Quomodo Matthæus potuerit dicere salva veritate, à *Davide ad transportationem usque Babylonicam* esse γενεὰς δεκατέσσαρες cum secundùm hunc calculum sint ἑπτὰ καὶ δέκα. Taceo, quod inter *Iosiam* & *Iechoniam* intercedat *Jehojakim*, Pater Jechoniæ; cujus etiam Matthæus non meminit. Matt. 1:11. 2 Chron. 36:9.

§. 349. Sunt qui putant tres hos Reges negligentia Librariorum omissos. Alii oblivionem Matthæi culpant, in quo Spiritus Sanctus humanæ voluerit exstare infirmitatis Sacramentum. Ita ab eodem *Ieremiam* nominari prò *Zacharia* Matt. 27:9. Alii dicunt, Spiritum S. noluisse in re exigua, quæ fundamentum non tangit, admodùm accuratum esse. Sunt qui causam omissionis hanc fingunt, quod tres hi Reges in Prophetas fuerint iniquiores, Joas in *Zachariam*, filium Jehojadæ. 2 Chron. 24:21. Amazias in Prophetam, qui illum monebat, ne sectaretur *Deos Edom*. 2 Chron. 25:14.15.16. Alii enormia illorum peccata & insigniora obtendunt crimina; Hieronymus & Hilarius hanc allegant causam: Joramum cum impio Achabo & Isabele, ducta Athalia filia ejus, affinitatem junxisse; *idcirco ad tertiam usque generationem ejus memoriam tolli, ne in sancta nativitatis ordine ponatur*. Alii, tres hos Reges violenta morte obiisse; breve illorum fuisse regnum, & memoriam inauspicatam. Alii, inter quos *Iacobus Faber*, *Stapulensis*, piam fatentur ignorantiam dicentes, *nosse illum, qui omnia novit, & profunda Dei scrutatur, qua ratione Spiritus Euangelistæ* hos tres Reges *hac generationum serie excluserit, indignosve censuerit*. Nulla autem id *ignorantia aut dormitatione Euangelistæ accidisse*.

§. 350. Quod autem Matthæus à Salomone ad Jechoniam dicit esse *generationes quatuordecim*, cum sint septendecim, & quod excurrit, in eo non meretur reprehensionem. Non enim scopus illius fuit, omnium Regum nomina referre, aut justum illorum texere catalogum, de quo è tabulis Vet. Test. constabat omnibus, sed constituere certas tessaradecadas, *opportuno ad memoriam in illarum concinnitate juvandam compendio*, ut verbis utar celeberrimi Gomari; & secundam finire & terminare cum Regni Judaici fine & termino.

Secunda difficultas. §. 351. Secunda difficultas est Matt. 1:9. Ἄχαζ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἐζεκίαν. Idem dicitur 2 Reg. 16:20. 18:1. Atqui *Achas*, Hiskiæ genitor, dicitur fuisse *viginti annorum*, cum regnum obtinuit; idque tenuisse *sedecim annos* 2 Reg. 16:2. unde sequitur illum 36. ætatis anno diem obiisse suum. At 2 Reg. 18:2. dicitur *Hiskias*, filius & successor Achasi, fuisse *viginti & quinque annorum*, cum suscepit regnum. Si id ita est, oportet, ut Achas, puer *undecim* annorum, genuerit Hiskiam, quæ tamen ætas ad generandum immatura esse solet.

§. 352. Hæc difficultas jam olim mota fuit Hieronymò, ita ad *Vitalem* scribenti; *Inter cætera deprecaris, ut tibi exponam causas, quare Salomon & Achas undecim annorum filios genuisse dicantur.* Idem Hieronymus narrat, Hebræos tradere, *Ezechiam non statim post mortem patris* Achasi *imperio subrogatum; sed vel seditionibus populi; vel quibusdam prementibus malis, & hinc inde consurgentibus bellis regnum ejus fuisse dilatum.* Sed de hoc quasi interregno nil sacræ literæ. Alii fingunt, Ezechiam fuisse fratrem aut privignum Achazi; aut etiam fuisse illius Filium, non genitum, sed adoptatum. Sed & id gratis dicitur. Alii denique statuunt, cum non desint exempla illorum, qui admodùm

pueri

pueri genuerunt, idem de Achazo statui posse. In multis vigorem antevertere annos. Veteres pubertatem non ex annis solùm, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari voluisse. Ætatem undecim annorum fœturæ haut inhabilem aliquando deprehensam fuisse, serioribus hisce seculis.

§. 353. Tertia difficultas est Matt. 1:11. *Iosias autem genuit Iechoniam.* Atqui Josias fuit avus Jechoniæ, nec proximus genitor. 2 Chron. 36:8. Ad hæc responsum pete è §. 340. & 348. Qui putant ita legendum esse, Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακείμ, vel Ἰωακείμ; Ἰακείμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν; id quod Robertus Stephanus in vetusto quodam codice reperiri asserit; ii nil quidem dicunt à vero dissentaneum; tamen, præterea quod antiquissimi quique codices aliter habent, hac ratione secunda tessaradecas in pentadecadem mutabitur. Qui autem putant ita supplendum, Ἰεχονίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν, ut factum ab *Epiphanio*; aut qui per Ἰεχονίαν, de quo Matthæus vers. 11. intelligunt filium Josiæ *Iehojakim*, quem dicunt fuisse binominem, dictumque *Iehojakim* & *Iechoniam*; per Ἰεχονίαν autem, de quo vers. 12. demum intelligi volunt *Filium* Jehojakimi, ii quamvis bona id faciant intentione, tamen nec id supplementum in plurimis codicibus invenitur; nec hæc interpretatio firma probatione constat. Aliud enim nomen est, & ex aliis compositum elementis, יְהוֹיָקִים Ἰωακείμ; aliud יְהוֹיָכִין Ἰεχονίας. Omnia hæc tentantur à piis doctisque viris, ut & sequenti tertiæ tessaradecadi suus constet numerus.

Tertia difficultas.

§. 354. Jechoniæ adjungit Matthæus *fratres*, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. vers. 11. Habuit enim *fratrem* unum. 1 Paral. 3:16. *Et filii Iehojakim, Iechonias filius ejus, Zedekias filius ejus.* Deinde & sub nomine *fratrum* comprehenduntur *Patrui* illius, quos tres habuit; *Iochanam, Zedekiam, Sallum* 1 Paral. 3:15. unde & *Zedekias*, Patruus Jechoniæ, vocatur אָחִיו *Frater illius.* 2 Paral. 36:10. *Fratrum* enim nomen latè patet. confer §. 103.

§. 355. Docet Matthæus genitum Jechoniam ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος; id vertendum est, *Imminente Babylonica transportatione*, seu *circa illam.* vers. 11. genitus enim est ante μετοικεσίαν; ipseque pars magna illius fuit.

§. 356. Tertia tessaradecas incipit μετὰ τὴν μετοικεσίαν Βαβυλῶνος. Matt. 1:12. In illa primus est σαλαθιὴλ *Salatiel*, genitus à Jechonia in vinculis. 1 Chron. 3:16. Salatielem excipit *Zerubabel.* σαλαθιὴλ δὲ ἐγέννησε τὸν ζοροβάβελ. Matt. 1:12. Ita secundùm Matthæum *Sealtiel* genitor est *Zorobabelus*, qui tamen 1 Chron. 3:18. dicitur *filius Pedajæ*, fratris Sealtiel. Adeoque filius est Sealtielis gradu remotiore, sive ab illo adoptatus; sive illi à Pedajah fratre excitatus. Mos enim erat, ut frater improli fratri excitaret semen. Fuit autem *Zerubabel* פֶּחָה *præses* populi Judaici. Esr. 5:14. נָשִׂיא *Princeps Iudæ.* Esr. 1:8. Ita paulatim defecit domus Davidis, è qua ante μετοικεσίαν *Reges* erant, ex illa post μετοικεσίαν tantùm *Præsides* exstiterunt: nec id diu. Nam tandem illius posteri ad infimam delapsi sunt sortem: *Iosephus* fuit faber. *Maria*, paupercula.

Tertia tessaradecas.

§. 357. Post Zerubabel narrantur nomina, quæ in Vet. Test. libris non inveniuntur: nam 1 Chron. 3:19. 20. 21. dicitur *Filius Zerubabel* מְשֻׁלָּם חֲנַנְיָה *Meschullam & Chananjah. Filius* autem *Chananiæ, Pelatjah* &c. Matthæus autem dicit, *Zorobabel* genuit *Abiud.* Abiud, *Eljakeim*, tunc *Azor*, tunc *Sadok*, &c. Matt. 1:13. 16. Certum est, Matthæum vera loqui, nec contraria dicere Veteribus tabulis. Habuit sine dubio Zerubabel, præter filios, in Paralipomenis nominatos, hunc *Abiud.* Cur autem hujus *Abiud* nulla in Vet. Test. libris facta sit mentio, definiri haut potest. Unde autem Matthæus suam hausit relationem? Non est dubium, quin quæ scripsit è dictamine Spiritus Sancti scripserit. Forsan & illa descripsit è tabulis genealogicis Judæorum, qui sedulò olim observarunt omnes tribuum series;

In illa nominantur nomina peregrina.

ries; imprimis tribus *Iudæ*, ob promissum ex illa Messiam, & ob datum ex illa regnum Davidicum, & *Levi*, ob collatum in illam sacerdotium. Cumque probabile sit, Matthæum in Judæorum gratiam suum exarasse Euangelium; quem in finem tot è Prophetis testimonia citasse videtur; nec hoc ipsum improbabile est, genealogiam ab ipso petitam esse ex authoritate Judæis nec ignota, nec suspecta; unde potuit etiam haurire, quod vers. 5. de *Booz è Rachab* tradidit.

In illa videtur deficere una γενεά.

§. 358. Sed in hac tessaradecade una videtur deesse γενεά. Recensetur 1. *Sealtiel.* 2. *Serubabel.* 3. *Abiud.* 4. *Eljakeim.* 5. *Azor.* 6. *Sadok.* 7. *Acheim.* 8. *Eliud.* 9. *Eleazar.* 10. *Mattan.* 11. *Iacob.* 12. *Ioseph, vir Mariæ.* 13. *Jesus, dictus Christus, natus è Maria.* Euangelium Hebræum Matthæi, Lutetiæ excusum, ut numerum suppleret, inseruit post Abiud, *Abner.* אביהוד הוליד את אבנר אבנר הוליד את אליקים. Sed hæc lectio nulla Græcorum exemplarium, aliarumque versionum auctoritate comprobata est. Alii putant, in hac tessaradecade *Iechoniam* primo esse numerandum, præcedentem claudere *fratres illius.* Atqui ut in prima *Iudas & fratres illius* ponuntur pro una γενεᾷ; item *Phares & Sarah è Thamar*, Matt. 1: 2. 3. ita & de *Iechonia & fratribus illius* statui meritò potest. Quid alii ad tollendum hunc defectum moliantur, attigimus §. 353. Alii denique ita difficultatem solvunt. Etsi tredecim tantùm recenseantur viri, Virginem Mariam iis accenseri, tanquam peculiarem generationem; idque quia Virgo peperit, recenseri Josephum, non ut Patrem, sed tantùm ut sponsum; Mariam autem, quæ sola fuit Mater Christi absque viro, inter Josephum & Christum speciatim memorari; ac de ea expressè dici, *è qua natus est Christus*, ut ita Mariæ generationem penultimam, & ex ea Christo ultimam tribuendam esse, constet. Ita sensit laudatissimus vir *Antonius Thysius*, referente Ludovico de Dieu in append. ad Euangel. Matt. cap. 1.

Cur genealogia Christi ad Josephum ducatur.

§. 359. Duxit Matthæus genealogiam Christi ad *Josephum*; nec fecit id, ut gratificaretur Judæis, opinantibus Christum esse filium Iosephi, & sic ex ipsa illorum convinceret hypothesi, Jesum esse ortum *è semine Davidis*, quam sententiam Chrysostomus refert fuisse multorum θαυμαστῶν καὶ ἐπισήμων ἀνδρῶν; dicentium, *noluisse* Deum τοῖς Ἰουδαίοις εἶναι δῆλον κατὰ τὸν τῶν ὠδίνων καιρὸν, ὅτι ἐκ παρθένου γεγέννηται ὁ χριστὸς; & id spectasse, ut *servaretur virgo* Maria, & *immunis esset* ab omni ὑποψίας πονηρᾶς. Nam in ipso primo Euangelii sui capite docet, Iesum è virgine natum esse, & secundùm Scripturam nasci debuisse. Sed secutus est sui temporis morem, ubi catalogus generationum per fœminas non solebat texi, sed virorum plerumque scribebantur genealogiæ, docente id Chrysostomo Homil. 11. in Matt. οὐκ ἦν νόμος παρὰ Ἰουδαίοις γενεαλογεῖσθαι γυναῖκας. Adde Hieronymum in cap. 1. Matthæi. *Quærat*, inquit, *Lector*, *Quum Ioseph non sit Pater Domini Salvatoris*, *quid pertinet ad Dominum generationis ordo deductus usque ad Joseph? Cui respondebimus primùm, non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde, ex una tribu fuisse Ioseph & Mariam.* Innuptarum puellarum genealogiæ ducebantur à Patribus; nuptarum à maritis, imò & desponsarum. Probato genere Iosephi probatum erat genus Christi, propter cognationem Iosephi & Mariæ; quæ ut ἐπίκληρος *hæres*, quod liquet ex eo, quod *recenseri* debuit, non potuit nubere extra tribum, imò nec extra familiam. Num. 36: 3. 6. 7. 8. 9. 11. Hinc & genus Christi olim fuit extra controversiam; adeò ut in ipso Talmud, in tractatu *Sanhedrin*, editionis Venetæ, cap. נִגְמַר הַדִּין dicatur fuisse *propinquus regiæ prosapiæ.* קריב למלכות.

§. 360. Si quem denique juvat inquirere, an quid subsit mysterii in partitione in tres tessaradecadas, & in *quadraginta duas generationes*, consulat dubium xv. dubior. Euangel. Partis 1. summi Viri Fr. Spanhemii.

§. 361. A

§. 361. A Matthæo nunc transeundum ad *Lucam* est. Is numerat non 42, sed *septuaginta sex generationes*. Luc. 3:23-38. In illius genealogia eadem occurrunt nomina pluries, quatuor nominat *Iosephos*. vers. 23. 24. 26. 30. duos *Mattat* vers. 24. 29. duos *Levi* vers. 24. 29. duos Ματταθίας vers. 25. 26. duos *Juda*. vers. 26. 30. duos *Cainan* vers. 36. 37. Genealogia Lucæ.

§. 362. Dicit, *Iosephum*, qui ἐνομίζετο Pater Christi, fuisse *filium* τοῦ Ἡλί. Luc. 3:23. Matthæus dixerat *Iacobi*. confer §. 19. Tutissimum est dicere, *Heli* fuisse Patrem Mariæ, & socerum Josephi; adeoque & *Iosephi* Patrem dici; cujus ob cognationem bona Josephus hæreditasset, nisi Maria exstitisset, undè omnes illi, quos post hunc *Heli* Lucas nominat, fuere Mariæ majores. Matthæus igitur Josephi, Lucas Mariæ enarrat προγόνους. Majores utrique è *Davide* genus ducunt. Sed Josephi, per *Salomonem*, Matt. 1:7. Mariæ per *Natanem*. Luc. 3:31. utrumque Davidis Regis Filium.

§. 363. Lucas Filium Sorobabelis facit τὸν Ῥησά vers. 27. Matthæus τὸν Ἀβιούδ. vers. 12. Sed an *Sorobabel* Lucæ idem est, qui Matthæi? si idem, quomodo simul genus habet è Natane, simul è Salomone? num in Zorobabel forsan linea utraque, Salomonis & Natanis coaluit, sive per nuptias, sive alia aliqua ratione legali? quæ post illum rursum bivaricata & decussata est. Si non idem, ut multi putant, duos esse Zerubabeles; unum è Salomone, de quo Matthæus; unum è Natane, de quo Lucas; unde & è qua Scriptura id probabimus? Eadem difficultas & conjectura est de *Salatiel*, quem Lucas dicit esse τοῦ Νηρί vers. 27. Matthæus *Iechoniæ*. Sed hæc & alia non vacat nunc exsequi. Magna hic cum utilitate legentur Clarissimi Spanhemii *Dubia Euangelica*, part. 1. & summi Gomari tractatus de *genealogia Christi*.

§. 364. Lucas ad ipsum usque *Adamum* suam extendit genealogiam, ut constet, *ex uno esse Sanctificantem & sanctificatos omnes*, inde ab initio. Ita *Adamus secundus* ex Adamo *primo* quasi genus ducit; non tamen ordinario modo, ex filio & filia Adami, sed è Filia tantùm, unde nec in primo peccâsse putandus est.

§. 365. Et hæc de genealogia Christi sufficient, quam legere decet non hæretico animo, unde rixere; sed fideli pioque corde, unde ædificere. Certum est, Euangelistas consignasse exploratissima suo tempore & certissima. Hic si ignorare quædam detur, id citra dispendium salutis fiet, interierunt enim nunc genealogiæ, nec omninò patet amplius, qualis tunc earum fuerit ratio. Denique nec immemores simus monelæ Apostolicæ. 1 Tim. 1: vers. 4.

§. 366. Hactenus de magno pietatis mysterio, de Deo in carne manifestato, prolixè satis, utinam & clarè satis & benè! Quibus nil addimus, nisi unum hoc, quod refert Suidas in voce Αὔγουστος, Niceph. Callistus lib. 1. Instit. Ecclesiast. cap. 17. Georgius Cedrenus in Annalibus ex Eusebii Chronico; Cæsar Augustus circa tempus nativitatis Jesu consuluit Pythium Apollinem de successore Imperii; tumque hoc à Dæmone fertur editum fuisse oraculum. Conclusio capitis.

Me puer Hebræus jubet hoc discedere templo,
Rex divûm, & stygium rursum remeare sub Orcum.
Tu tacitus nostra hæc jam nunc altaria linque.

Caput V.

De operibus, quæ fecit ὁ λόγος in carne manifestatus, habitans in nobis, usque ad παθήματα illius.

§. 1. Dicturi de iis, quæ Jesus Christus, ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, in terra, *ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ* (Hebr. 5:7.) egit fecitque, id initio monemus, non posse nec debere nos instituere sermonem *περὶ πάντων de omnibus* & singulis, *ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν*, Act. 1:1. quodnam enim illis sufficeret volumen? sed capita tantùm rerum, & quantum ad scopum nostrum satis, attingemus.

§. 2. Omnia hæc Johannes paucis eximiè complexus est verbis cap. 1:14. *Sermo caro factus est, & habitavit in nobis, & spectavimus gloriam illius, gloriam ut unigeniti a Patre, plenus gratiæ & veritatis.* confer 1 Joh. 1:1. *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod contemplati sumus, & manus nostræ attrectaverunt, de sermone vitæ.*

Christus ad Joannis venit baptismum.

§. 3. Antequam publicè quicquam ageret Jesus, *venit ad Ioannem* Baptistam, *ut ab ipso baptizaretur*, Matt. 3:13. *Venientem* ut vidit Joannes, dixit, Ἴδε ὁ *ἀμνὸς τοῦ θεοῦ* Joh. 1:29. imò & διεκώλυεν *obnixè prohibuit illum*, Christi fassus excellentiam, suamque humilitatem & indigentiam, *ego necessum habeo a te baptizari, & tu venis ad me?* Matt. 3:14. Baptizans omnes ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν Johannes, & sine dubio ipse baptizatus, alio se adhuc egere baptismo, indicat, illo nimirum qui est ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Matt. 3:11. simul humillima hac & reverentiæ plena prohibitione effecit, ἵνα μὴ νομίσωσιν οἱ ὁρῶντες, καὶ αὐτὸν, Jesum nimirum ὡς ἕνα τῶν πολλῶν εἰς μετάνοιαν βαπτιζόμενον, ut annotavit Theophylactus.

Cur voluerit baptizari.

§. 4. Prohibenti respondit Jesus, ἄφες ἄρτι, *ita enim decens est nobis implere omnem justitiam*, Matt. 3:15. *Nobis*, inquit, & tibi & mihi. *Tibi*, ut Præcursori meo & Angelo, viæ Paratori, regnique cælorum Præconi. *Mihi*, ut Servatori, Fratri, Homini, in forma servi apparenti, fratribusque secundùm omnia simili. Τὸ *πρέπον decentiam* inculcat; quæ est regula omnium actionum *divinarum*, Hebr. 2:10. ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ. Hebr. 7:26. *τοιοῦτος ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεύς*, contra quam Deus haut potest agere, ut *se ipsum haut potest abnegare.* 2 Tim. 2:13. Imò & esse debet *nostrarum*, Ephes. 5:3. *καθὼς πρέπει ἁγίοις*, 1 Tim. 2:10. ὃ πρέπει γυναιξίν. Tit. 2:1. λάλει ἃ πρέπει. Fuitque & *Christi*, in carne manifestati. Nimirum quod veritas Dei, justitia, sanctitas, sapientia, Lex requirit, id maximè πρέπον ἐστίν, contra id agere, est ἀπρεπές. *Decens* erat, ut Jesus *impleret*, facto ipso & opere, *omnem justitiam*, hoc est, omne id, quod rectum justumque erat, ut *baptizaretur*, *justitia* erat, hoc est, rectum & justum. Obedire Patris præcepto, suscipere *baptisma*, quod *erat è cælo.* Matt. 21:25. honorare hoc sigillum fœderis, accipere eadem communia cum populo Dei, cujus caput erat Jesus, omninò decebat illum. Ita in ipso, ut capite, accepit populus Altissimi signaculum justitiæ & purgationis à peccato, quemadmodum *in circumcisione illius circumcisus est περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ*, Col. 2:11. Non quidem baptizatus est, ut alii, qui *confitebantur τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν* Matt. 3:6. nam ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνω, 2 Cor. 5:21. nec ut facturus μετάνοιαν, *in* quam *baptizabat* Johannes Matt. 3:11. Luc. 3:3. nam *resipiscere* est τῶν ἁμαρτωλῶν Luc. 15:7. Sed ut Agnus Dei, plenam Patri præstare volens obedientiam, & peccata nostra bajulans, à quibus *justificandus* (Matt. 11:19. 1 Tim. 3:16.) & absol-

vendus

vendus erat. Ita in suo ipsius corpore consecravit Baptismum, illumque exemplo suo sanctificavit; ut ne nos gravemur venire ad baptismum *Domini*, qui non dedignatus est venire ad baptismum *servi*. Ita exstitit baptizatorum Caput, ita doctrinæ Johannis & baptismati auctoritatem conciliavit. Etiam occasione suscepti baptismi turbæ videndum se publicè exhibuit, quare *justitia* fuit, baptismum subire. Imò & *justitia* Johanni fuit, Christum tingere baptismo, neque enim detrectare debuit officium, cui inerat tam varium pietatis, veritatis, ac sanctitatis documentum.

§. 5. Triginta circiter annorum vir fuit Jesus, cum baptizaretur. Luc. 3:23. καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, *& ipse erat Jesus circiter annorum triginta incipiens*, hoc est, cum inciperet prodire in publicum, & accingere se muneri, imò & cum veniret ad *baptismum*, cujus paulo ante recitata historia, Luc.2:21.22. Ita simplicius hæc capiuntur verba, quàm si cum aliis, sublatâ distinctione, conjungas, ἦν ἀρχόμενος ὤν. Scilicet non ante baptismum potuit suscipere, quàm inciperet baptismus, non admodum diu ante cœperat Johannis præconium & Baptisma. Neque ante Baptismus potuit institui, quàm *impletum esset tempus, & appropinquasset regnum cœlorum*, Marc.1:15. cujus accessio & signaculum Baptismus exstitit, cujusque adeò cum promulgatione unà cœpit; ut ne quis ex exemplo Christi, in ætate provectiore baptizati, concludat, adultos tantùm baptizandos. Adultæ tunc fuit ætatis.

§. 6. Baptizatus est Jesus, cum maxima turba baptizaretur. Luc. 3:21. ἐγένετο δὲ ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν, καὶ Ἰησοῦ βαπτισθέντος. Nimirum, qui factus erat ut unus illorum, non baptizari tantùm voluit ut unus illorum, sed & in medio illorum, ut ab illis pro fratre haberetur, concive & domestico; nec ullo ab illis repudiari jure posset.

§. 7. Dixit autem Johannes *populo*, qui baptizabatur, *ut crederent in Christum Jesum*, Act. 19:4. Num id ipsum etiam Christo dixit, adeoque illum, in semet ipsum credere jussit? Certè baptismum accepit Jesus, in signum, se esse illum, in quo, ut capite, est purgatio vera & ablutio. Et ipsi Christo homini baptismus acceptus signaculum fuit, se esse illum, in quem, ut Christum & purgatorem credendum sit.

§. 8. Apud baptismum *oravit* Jesus, Luc. 3:21. Ἰησοῦ βαπτισθέντος καὶ προσευχομένου. quod & aliàs fecit; sive stans, *erectis oculis* ἄνω Joh. 11:v.41. sive *prolapsus in faciem*. Matt. 26:39. Argumentum orationis apud baptismum forsan fuit, ut daret ipsi Pater munus, in quod nunc consecrabatur, subire alacriter; *nomenque*, in quod baptizatus erat, *manifestare* intrepidè, & propositum certamen decurrere sanctè.

§. 9. Baptismus Christi triplici signo memorabilis est. 1. Apertione cœlorum. 2. Descensu Spiritus Dei. 3. Voce delatâ cælitus. Triplex signum.

§. 10. De primo ita scriptum est, ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί. Matt.3:16. Luc.3:21. Marcus dicit σχιζομένους τοὺς οὐρανούς. 1:10. *Aperti* sunt *cœli*, & *fissi* seu scissi; visibili nim. scissurâ, & propriâ apertione; adeò *ut aliquid planetis & astris superius perspici potuerit*. nam τὸ σχίζεσθαι realem notat scissionem. Matt.27:51. Marc.15:38. Luc. 23:45. *Subtilius autem inquirere, qualis fuerit scissura, neque ad rem multum pertinet, neque etiam expedit*, inquit rursum Calvinus noster. Mittimus igitur, qui negantes physicam ἄνοιξιν, & σχισμὸν, dicunt fuisse apparentem tantùm, & κατ' οἰκονομίαν, ὡς ἐν ὁράματι, ut *in visione*, spiritualibus oculis exhibitam, licet verum sit, in sacris nonnunquam dici *apertos* fuisse *cœlos*, ubi tamen propriè aperti non fuerunt. Ezec. 1:1. נִפְתְּחוּ הַשָּׁמַיִם *aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei*. Joh. 1:52. *A nunc videbitis* τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα, *& Angelos ascendentes & descendentes*. Act.7:56. *Ecce video* τοὺς οὐρανοὺς ἀνεῳγμένους, *& filium hominis è dextra stantem Dei*. Id autem quod dicitur Genes.7:11. וַאֲרֻבֹּת הַשָּׁמַיִם נִפְתָּחוּ *& fenestræ cœli apertæ sunt*, aliud planè est. Apertio cælorum.

§. 11. *Cui* autem sunt aperti, & in cujus gratiam? αὐτῷ *illi*, non *Johanni* tantùm, ac si ille tantùm apertos illos vidisset; sed & *Christo*, baptizato & oranti. Luc. 3:21. Matt. 3:16. confer Marc. 1: 10. *Et statim ascendens ab aqua, vidit scissos cælos.* Certè Christus, quatenus homo erat, *hoc ipso redditus est vocationis suæ certior*, ut benè Calvinus. Testimonium autem aperti hi cæli tulerunt 1. Jesum esse *Dominum cæli*, & è cælo 1 Cor. 15: 47. *venisse è cælo.* Joh. 3: 31. 2. Illum dicturum non ἐπίγεια tantùm, sed & τὰ ἐπουράνια Joh. 3: ℣. 12. 3. Illum cælos placaturum, & *viam initiaturum* πρόσφατον καὶ ζῶσαν. Hebr. 10: 20. 4. Illum *reconciliaturum* τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Col. 1: 20. Ephes. 1: 10. 5. Cælos ipsius usibus patere; ut dum in terra agit, *Angeli cæli* frequenter illi *ministrent* Matt. 4: 11. & ubi opus in terra egisset, *sursum recipiatur* εἰς τὸν οὐρανόν. Act. 1: 11.

§. 12. An etiam turba circumstans signum hoc viderit, non scimus certò. Potuit fieri, ut populus audiverit vocem cælestem, nec tamen viderit, neque apertos cælos, neque descendentem columbam; ut factum τοῖς συνοδεύουσι τῷ Σαύλ. Act. 9: 7. sed & potuit secus fieri.

Descensus Spiritus. §. 13. De secundo ita, *& vidit Spiritum Dei descendentem tanquam columbam, & venientem* ἐπ' αὐτὸν *super ipsum*, vel *super se*, ut ἐπ' αὐτὸν idem sit quod ἐφ' αὑτόν. Matt. cap. 3: vers. 16. Relativum enim cum reciproco sæpe commutatur. Joh. cap. 1: vers. 47. *vidit Natanaelem venientem* πρὸς αὐτὸν *ad ipsum*, hoc est, ad se πρὸς ἑαυτόν. Hebr. cap. 6. vers. 7. γῆ γὰρ ἡ πιοῦσα τὸν ἐπ' αὐτῆς ἐρχόμενον ὑετὸν pro ἐπ' αὐτῆς. Ita & apud LXX. interpretes. 1 Sam. cap. 17: vers. 40. ἔλαβε τὴν βακτηρίαν αὐτοῦ ἐν χειρὶ αὐτοῦ, *accepit baculum ipsius in manum ipsius*, hoc est, suum in suam. Es. cap. 49: vers. 15. μὴ ἐπιλήσεται γυνὴ τοῦ παιδίου αὐτῆς, pro αὑτῆς. Ita & Clemens Alexandr. Pædag. libr. 2. ὁ γὰρ ἁμαρτάνων, παρ' ὅσον ἁμαρτάνει, χείρων καὶ ἀτιμότερος αὐτὸς αὐτοῦ, pro αὑτοῦ. Addatur Palæphatus, Ἀργεῖοι πολιοῦχον αὐτοῖς τὴν ἡγοῦντο, hoc est, *Argivi tutricem civitatis Junonem sibi ducebant*, αὐτοῖς pro σφίσιν αὐτοῖς sive ἑαυτοῖς.

§. 14. Igitur non *Johannes* tantùm, Joh. 1: 32. τεθέαμαι τὸ πνεῦμα καταβαῖνον, sed & ipse *Christus* vidit. Marc. 1: 10. *vidit findi cælos, & Spiritum, ut columbam.* confer Luc. 3: 21. 22. Neque enim congruum est dicere, Spiritum venisse super Christum, nec Christum vidisse venientem super se; sed Johannem tantùm. Cur major hic Johannis prærogativa, ut viderit, quod Christus non vidit, nec Christus viderit, quod Johannes vidit? In festo Pentecostes *visæ sunt* Apostolis *divisæ illæ linguæ, ut ignis, sedens super unumquemque illorum.* Act. 2: 3. Et Christo non sit visus Spiritus, columbæ instar super ipsum descendens?

§. 15. Quid autem? τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ. Matt. 3: 16. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, Luc. 3: 22. *Spiritum*, tertiam sanctissimæ Triados personam, viderunt *descendentem.* In sacris *Deus* dicitur *descendere.* Genes. 11: 7. *Descendamus & confundamus labium illorum*, nimirum quum aliquid in terra facit, quod extraordinarium & mirabile ac inusitatum est. Alio sensu dicitur *Filius Dei descendisse*, Ioh. 3: 13. 6: 51. Ephes. 4: 9. 10. quatenus nimirum in carne apparuit ἐν τοῖς κατωτέροις μέρεσι τῆς γῆς. Peculiari nunc modo *descendit* Spiritus Dei, quatenus *in Specie* visibili apparuit, & visibile præsentiæ suæ signum ostendit, aliàs Spiritus hic infinitus propriè nec descendit, nec ascendit, est enim ubique & implet omnia. Psalm. 139: 7. Viderunt descendentem *ut columbam*, Matt. 3: 16. Marc. 1: 10. Ioh. 1: 32. σωματικῷ εἴδει *corporali specie*, Luc. 3: 22. adeoque hæc columba non fuit spectrum, nec similitudo tantùm quædam, sed solidum corpus, veraque columba, è nihilo à Spiritu S. formata ad præsentem usum, id quod B. Calvinus *in medio relinquit*, dicitur enim *species*; quia vi-

visui fuit objecta; & *corporalis*; ut distinguatur à spectro seu phantasmate. *Tam verè*, inquit Tertullianus, *fuit columba, quàm verè erat Spiritus.* Igitur Spiritus sanctus vera & visibili columba usus est, quam fecit, animavit, descendere fecit & venire ac manere super Christum. Si autem quæras, *corpus columbæ ubi sit, resumto in cœlum Spiritu*, respondeat idem Tertullianus. *Eâdem ratione interceptum est, quâ & editum fuerat. Si vidisses cum de nihilo proferebatur, scisses, cum in nihilum subducebatur. Si non fuit initium visibile, nec finis.* Neque opus est dicere, Spiritum eadem ratione assumsisse columbam, qua Filius carnem, id enim non esse exinde etiam apparet, quod carnem assumtam Filius inhabitat in æternum; columbæ autem speciem Spiritus tenuit tantùm ad parvum intervallum.

§. 16. Descendit autem instar columbæ Spiritus *ἐξ οὐρανοῦ è cœlo.* Joh. 1: 32. quod *apertum* fuit; ut ita constet, illum Spiritum, qui creavit *omnem cœli exercitum* Psal. 33: 6. descendisse, & *columbam*, qua usus est in descendendo, non fuisse vulgarem, non agrestem, non domesticam, non miscellam, sed cælitus quasi delatam, & in hunc tantùm usum à Spiritu formatam. Instar Columbæ.

§. 17 Descendens Spiritus instar columbæ *venit super* Jesum Matt. 3: 16. Marc. 1: 10. Luc. 3: 22. *& mansit super illum* Ioh. 1: 32. Columba ipsa, symbolum descendentis Spiritus, descendit venitque super Jesum, non ac si capiti illius insederit, aut in humeros illius se demiserit; ut in festo Pentecostes *ignis* dicitur *sedisse super* Apostolos, Actor. cap. 2: vers. 4. sed forsan alas suas super illum expandendo, cumque alis tegendo & obumbrando, & crebro ac diuturno circa caput Servatoris volatu sese agitando. Ipse autem Spiritus, revera descendit, venit, mansitque super Jesum baptizatum, nec ab illo recessit unquam. Quinimo ut Apostoli, visis linguis divisis, *impleti* dicuntur *Spiritu sancto*, eatenus ut *inceperint* protinus *loqui linguis aliis, & enarrare magnalia Dei*, Actor. 2: 3. 11. ita sine dubio post visibilem hunc columbæ descensum, Jesus homo, majore, quam antea, Spiritus sancti mensura impletus fuit; notante id Luca cap. 4: 1. *Jesus autem πνεύματος ἁγίου πλήρης reversus est à Iordane.* confer vers. 14. ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος. Imò ab hoc tempore potissimum de illo verum fuit, οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα. Ioh. 3: 34. Jesus quidem, etiamnum *Puer*, dicitur *crevisse & robobatus fuisse Spiritu; & gratia Dei super illum.* Luc. 2: 40. Imò omni gratia Spiritus à primo vitæ momento ad miraculum usque excelluit, tamen post visibilem hunc descensum Spiritus, nova quasi Spiritus virtute indutus est; & plenissimè in illo impletum, quod erat prædictum Es. 11: 1. *Et quiescet super illum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & prudentiæ, Spiritus consilii & roboris, Spiritus agnitionis & timoris Domini.* Es. 42: 1. *Ecce electus meus, Dabo Spiritum meum super ipsum*, Es. 61: 1. *Spiritus Domini Dei super me.* Igitur quæcunque egit magna & mirabilia, egit in hoc Spiritu. In illo tentantem in deserto repulit Diabolum, Matt. 4: vers. 1. in illo *dæmonia ejecit*, Matt. 12: vers. 28. in illo cogitationes cordium *recognovit.* Marc. 2: 8. *in illo justificatus.* 1 Tim. 3: 16. illo *vivificatus* est. Rom. 8: 11. 1 Petr. 3: 18.

§. 18. Quamdiu, & an pluries, etiam post baptismum, columba hæc visa sit super Jesum, haut est scriptum, igitur nec divinandum. Evanuerit mox columbina species. Spiritus nec abiit, nec recessit à Jesu unquam. Id utilius inquiretur, cur in specie *columbæ* descendit Spiritus, non *ignis*, aut *flammæ*? certè ad notandum Christi *mansuetudinem*, ut ne metuamus ad illum venire, qui *non formidabili Spiritus potentia, sed amabili & placida gratia indutus nobis occurrit*, ut pulchrè Calvinus.

§. 19. Columba animal *simplex* est. Matt. 10: vers. 16. ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. Mite

& mansuetum, hinc proverbium. *Columba mitior.* Felle dicitur carere, est avis pudica, quam unam unus masculus novit: munda. Theophyl. καθαρώτατόν ἐστιν ἡ περιστερὰ, καὶ ἔνθα δυσωδία ἐστὶν, οὐ παραμένει, *ubi malus odor est, non permanet.* Huc facit illud Ovidii.

Aspicis ut veniant ad candida tecta columbæ,
Suscipiat nullas sordida turris aves.

Fœcunditas illarum mira est, ordinaria illarum vox gemitus, sunt trepidæ. Δειλαί τοι δειλοῖσιν ἐφεδρεύουσι πελειαί, *trepidæ trepidis assident columbæ.* Nec *imbellem feroces progenerant aquilæ columbam.*

§. 20. His donis, puritatis, mansuetudinis, innocentiæ, integritatis, gemituum sacrorum, patientiæ, castitatis, fœcunditatis in omne bonum, abundare Christum, beneficio inhabitantis Spiritus Sancti, descensus illius columbinus figuravit.

§. 21. Voluit autem tanto miraculo insignem esse baptismum Jesu Dominus, ut ita omni turbæ constaret, ὅτι μείζων ὁ βαπτιζόμενος ἢ ὁ βαπτίζων, & ut ex evidenti hoc signo intelligerent, Jesum esse *Christum*, unctum Spiritu S. Spiritus super me, *ideo unxit me*, Es. 61: 1. licet enim omnis turba hoc forsan σημεῖον non viderit, Johannes tamen id omnibus ἐμαρτύρησε *testatus est.* Joh. 1: 32.

§. 22. Sed unde ipsi constitit Iohanni, *columbam* hanc fuisse Spiritus Sancti symbolum? Idem qui Spiritum specie columbina fecit in Jesum descendere, per eundem Spiritum dedit Iohanni hoc mysterium intelligere: sine dubio etiam memor fuit insignium illarum promissionum de Spiritu dando Messiæ. Columba autem hæc è cœlo descendens vix aliud potuit facere in mentem spectatoribus venire, quam illam esse symbolum supervenientis Spiritus, qui omnibus columbis purior, castior, mansuetior est; qui etiam fœcundissimus bonorum donorum auctor est. 1 Cor. 12: 6.

§. 23. Muhammedes impostor, ut persuaderet vulgo, Spiritum Sanctum familiarem sibi esse, illiusque se regi afflatu, dicitur columbam frequenti domestico pastu ita assuefecisse, ut crebro volatu frumenti grana ex aure sua peteret; quodque illa caput illius cum stupore miseræ plebis circumvolare sæpè visa est.

Vox cœlestis. §. 24. De tertio, nimirum voce, quæ ex illa cœlorum scissura personuit, ita habetur. *Et ecce vox è cœlis, dicens, Hic est Filius meus, dilectus ille,* ἐν ᾧ εὐδόκησα, *in quo mihi complacuit.* Matt. 3: 17. confer Es. 42: 1. *Electus meus,* רָצְתָה נַפְשִׁי *quem gratiosè acceptat anima mea.* Matt. 12: 18. 17: 5. 2 Petr. 1: 17. *Vox è cœlis* fuit Dei Patris, dicit enim, *Filius meus.* Fecit Deus sæpè audire *vocem suam.* Israëli de monte Sina. Mosi, cum *proclamavit nomen Jehovæ* Exod. 34: 5. 6. Etiam Adam & Eva audiverunt *vocem Jehovæ, ambulantis in horto.* Genes. 3: 8. Hic nunc cœlestis vox de illo, qui in mundum venit, Servatore, testimonium fert, ut ita verè dixerit Joh. 5: 37. *Et qui misit me Pater,* αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ. Joh. 5: 37. *Hic est Filius meus*, inquit, Filius ἐν δυνάμει Rom. 1: 4. ὁ μονογενὴς υἱὸς Joh. 1: 18. πρωτότοκος πάσης κτίσεως Col. 1: vers. 15. *Cui unquam dixit Angelorum*, υἱός μου εἶ σύ. Hebr. 1: 5. ὁ ἀγαπητὸς *dilectus ille.* ὁ γὰρ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱόν Joh. 3: 35. Est υἱὸς τῆς ἀγάπης αὐτοῦ Col. 1: 13. confer Ephel. 1: 6 ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Est יְדִיד יְהוָה *Dilectus Iehovæ* Deut. 33: 12. יְהוָה אֲהֵבוֹ *quem Deus diligit,* Es. 48: 14. adde Es. 5: 1. *Canam* לִידִידִי. Et Jerem. 11: 15. מֶה לִּידִידִי בְּבֵיתִי: Etiam *Sancti vocati* nominantur ἀγαπητοὶ θεοῦ Rom. 1: 7. sunt κατὰ τὴν ἐκλογὴν, ἀγαπητοί. Rom. 11: 28. Deusque διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ ἠγάπησεν αὐτοὺς Ephes. 2: 4. Sed hi *natura* sunt exosi & inimici; è *gratia* autem, & propter dilectum Christum dilecti. Hic *natura* dilectus

dilectus est Deo, omni dilectione dignissimus, παρὰ θεῷ ἐκλεκτὸς, ἔντιμος. 1 Petr. 2:4. In hoc Filio dilecto εὐδόκησε. In illo εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι Col. 1:19. αὐτῷ εὐδόκησεν ὁ πατὴρ δοῦναι τὴν βασιλείαν Luc. 12: 32. 22: 29. illumque *ponere heredem omnium* Hebr. 1:2. & *facere accedere ad* Jerem. 30:20. ut Sponsorem, Mediatorem, Sacerdotem; cumque illo *facere consilium Pacis* Zach. 6: 13. *in illo facere* προέθετο τ῀ αἰώνων Ephes. 3:11. *in illo nos eligere* Ephes. 1: 4. *& gratiam dare* 2 Tim. 2:9. Marcus & Lucas vocem hanc ita referunt, *Tu es Filius meus, dilectus ille,* ἐν ᾧ εὐδόκησα Marc. 1:11. ἐν σοὶ ηὐδόκησα Luc. 3:22. Attica Dialecto seu consuetudine, qua εὐ diphtongus, communiter immutabilis, eleganter mutatur in ηὐ.

§. 25. Apud gloriosissimum hunc Christi baptismum tota se manifestavit sanctissima Trinitas. *Pater auditur in voce. Filius manifestatur in homine. Spiritus Sanctus dignoscitur in ave*, ut pulchrè Augustinus; aut ut alii, *Voce Pater, Natus corpore, Flamen ave.* Athanasius negantibus Trinitatem fertur dixisse, *Abi ad Iordanem, & videbis.*

Christus baptizatus à Spiritu in desertum ductus est.

§. 26. Baptizatus Jesus *reversus est a Iordane.* Luc. 4: vers. 1. καὶ εὐθὺς τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει εἰς τὴν ἔρημον Marc. 1: 12. Τὸ πνεῦμα non hîc notat *animam* Christi, quæ πνεῦμα est, Luc. 23: vers. 46. Joh. 13: vers. 21. neque etiam πνεῦμα ἀκάθαρτον, *Spiritum malum*, Diabolum; sed τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον *Spiritum sanctum*, qui in baptizatum visibiliter descenderat Jesum. Id liquet è Luc. 4: 1. *Et Iesus plenus Spiritu Sancto reversus est à Iordane,* καὶ ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι *& ducebatur in Spiritu*, nimirum illo, quo *plenus* erat, *in desertum*, & Marc. 1:12. *& statim ejicit illum* τὸ πνεῦμα, nimirum id πνεῦμα, quod paulo ante κατιὸν ἐπ' αὐτὸν, & Matt. 4: 1. τότε, *tunc*, post susceptum baptismum, & apertos cœlos, & descensum Spiritus, *ductus est in desertum* ὑπὸ τοῦ πνεύματος *à Spiritu*, eodem nimirum Spiritu, cujus nunc virtute de novo indutus erat: neque enim intelligi *Diabolum* liquet è Matt. 4: 1. *ductus est à Spiritu*, ut tentaretur *à Diabolo.* En dinstinguitur Diabolus à Spiritu illo. Si secus, ita sonarent verba, *Ductus est à Spiritu*, hoc est, Diabolo, ut tentaretur *a Diabolo*, potius dixisset, *ab illo.* Igitur non ἰδίῳ tantùm θελήματι, ultraneo motu, proprioque impulsu, actus est Jesus, sed φερόμενος ὑπὸ πνεύματος ἁγίου. Sanctissimi Spiritus hoc fuit opus: ille voluit, Jesum salutis nostræ Principem, hunc subire πειρασμόν.

§. 27. Ab hoc Spiritu ἀνήχθη *subductus est* Jesus *in desertum* Matt. 4: 1. ἤγετο *ducebatur.* Luc. 4: 1. Marcus, ἐκβάλλει *ejicit illum.* cap. 1: 12. *Ductus* est à Spiritu, movente & impellente. Imò ἀνήχθη *sursum ductus est.* Putant nonnulli *præpositione notari deserti situm, quod altiore loco situm est, quam Iordanes fluvius.* Alii *externum* inde *raptum* concludunt; nimirum Iesum sursum per aërem abreptum, per Spiritus potentiam: quemadmodum πνεῦμα κυρίου ἥρπασε τ' Φίλιππον, καὶ οὐκ εἶδεν αὐτὸν οὐκέτι ὁ εὐνοῦχος. Actor. 8: 39. Idem è voce ἐκβάλλει, qua Marcus usus, concludunt, ac si subitum innuat raptum. Sed vox ἐκβάλλω etiam mitius venit. Matt. 9: 25. ἐξεβλήθη ὁ ὄχλος. ibid. vers. 38. *rogate Dominum messis,* ὅπως ἐκβάλῃ ἐργάτας *in messem suam.* Ioh. 10: 4. Pastor ovium dicitur ἐκβάλλειν τὰ ἴδια πρόβατα. Ideo rectius forsan dicemus, non quidem subito & externo raptu abductum Iesum; impulsu tamen extraordinario, & inspiratione singulari.

§. 28. Ἡ ἔρημος *desertum*, quo ductus Iesus, non est ἔρημος τ' Ἰουδαίας, ubi Iohannes fuit κηρύσσων Matt. 3: 1. Tractus Iudææ, montanus quidem & asper, sex tamen urbes cum suis pagis continens Ios. 15: 61. 62. Sed aliud quoddam incultum, horridum saxis, montibus, silvis, non habitatum, feris infestatum, Marc. 1: 13. ubi nulla victus aut alimenti copia; cujus nomen situmque tacuit Scriptura. Temere nonnulli dicunt, fuisse id

Quodnam id desertum?

inter

inter Jericho & Hierosolymam; item, qui allegoricè intelligi putant Hierosolymam, *domum* illam *desertam*. Matt. 23:38. Luc. 13:35. Nec frustra videtur Spiritus sanctus hujus *deserti* nomen tacuisse, ne superstitiosus mundus locum illum veneraretur, & in ipso illo tentationibus se temerè exponeret.

Ductus est illuc ut tentaretur.

§. 29. Ductus autem est illuc, *τοῦ πειρασθῆναι ut tentaretur* Matt. 4: 1. non à *Deo*, qui *πειράζει οὐδένα* Jac. 1:13. & ubi *tentat*, ut fecit *Abraamo* Genes. 22:1. *Israeli* Exod. 15:25. 16:4. 20:20. & *Hiskia* 2 Chron. 32:31. in bonum tentat, fideique nostræ *πεῖραν λαμβάνει experimentum facit*, qualis tentatio gratia est & *χαρά* Iacob. 1:2.3.12. confer Psalm. 26:2. בְּחָנֵנִי וְנַסֵּנִי *proba me, & tenta me*, experire fidem meam & charitatem; nec ab *hominibus*, ut postmodum sæpè tentatus est Matt. 16:1. 19:3. 22:18.35. sed *ὑπὸ τοῦ Διαβόλου a Diabolo*, qui rectè *ὁ πειράζων* dicitur Matt. 4:1.3. à *Satana*. Marc. 1: vers. 13. Luc. 4: vers. 2. Apparuit Tentator Christo in forma visibili: dicitur enim *accessisse ad Christum, locutus cum Christo, sumpsisse Christum*, ac duxisse quasi manu: cum tentaret Evam, serpentis induit corpus: qualem hic mutuatus sit formam, Scriptura tacuit.

A Diabolo.

§. 30. Igitur à *Satana tentari* illum Spiritus sanctus voluit, cum Satana confligere, illius artes, *fraudes*, dolos & nequitias experiri, vincere, & ex illis feliciter emergere. Scilicet, qui in mundum venerat, ut *opera Diaboli solveret* 1 Ioh. 3:8. ut *serpentis caput contereret* Genes. 3:16. ut *principem hujus mundi foras ejiceret* Ioh. 12:31. is ut tentaretur à Diabolo omni modo, & operta arte, & aperto Marte, & per organa, & per ipsum illum, & usque ad sanguinem, & non usque ad sanguinem, non incongruens erat; ut ita omni modo victor evaderet, & nullis Satanæ telis penetrabilis ostenderetur. Primum Adamum tentavit Satan, & vicit; secundum etiam tentare ausus est, sed victus est & succubuit.

§. 31. Tentavit Satanas Jesum, permittente Deo & Spiritu, imò volente, ductus enim est à Spiritu, ut *tentaretur*. Sollicitavit forsan Satanas Deum, ut copiam acciperet experiendi Jesum, & fidem, constantiam ac pietatem illius; ut ita omni modo *pungeret calcaneum* benedicti *seminis*, Genes. 3:16. quemadmodum de Iobo fecit. Iob 1:11.12. 2:4--7. Et licet Satanas tentavit ad malum Servatorem; nam *malus* hic non nisi malum suadere potest; tamen haut *malè* egit Deus, quod justum & sanctum Servatorem Satanæ quasi tentandum commisit. Ita enim patefactum est, *Principem hujus mundi nihil in illum habere* Joh. 14: vers. 30. Jesum esse *ὅσιον, ἄκακον, ἄμωμον*, omnique infernali tentatione longè superiorem. Fuit igitur *Tentatio* respectu Satanæ tentantis peccatum: respectu autem Jesu tentati bonum, & occasio probandæ maximæ illius sanctitatis & constantiæ. Imò & ex hoc certamine apparuit, quàm infensus Satan sit humanæ saluti. Illo tempore acerrimè Servatorem impetit, quo se ad perficiendum salutis nostræ opus accingit.

§. 32. Tentationi aptum erat *desertum*; quod ipsum tentationem auget; imò mora in solitudine tentationis species est. Nullus hic accursus populi; nullum amicorum consilium aut auxilium: non hic communio precum, quas Sancti jungere solent efficaciter in maximis tentationibus. Solus cum solo hìc acerrimè congredi potuit. Etiam nos doceamur, ubi maximè expositi simus tentationibus Satanæ, in *deserto*. Igitur vitemus solitudines asperas & incultas, colamus communionem Sanctorum, exeamus è *mundo*, qui horribilissimum desertum est. Rusticæ plebi in silvis Satanam ut plurimum occurrere & insidiari, è multis novimus.

§. 33. In

§. 33. In hoc deserto fuit Jesus *quadraginta dies*, & totidem *noctes*, jugiter πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ, Matt. 4:2. Marc. 1:13. Luc. 4:2. Ita rectè statuit Hieronymus in Comment. Habac. cap. 3. *Diabolus quadraginta diebus tentavit Jesum in solitudine*, haut forsan perpetuò, sine intervallo, sed per intervalla & vices. Cyprianus secus statuit; quievisse Satanam toto jejunii tempore, & orta demum è longo jejunio fame, Christum aggressum fuisse. *Non edit Jesus quicquam* ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις. Luc. 4:2. An etiam non dormiverit, latet; ut &, quâ ratione prima fronte Jesum Satanas adortus sit, & quomodo in illum omni illo tempore insultarit, quibusque tentationibus vexarit. Elapsis quadraginta diebus blandius egit, & è Scriptura disputavit, potuit labentibus illis violenter agere, & horribilibus verbis, an forsan terrorem Jesu incuteret; potuit & è natura & ratione argutare. Sed quid juvat conjicere? Numerus dierum in deserto transactorum.

§. 34. Fuit etiam μετὰ τῶν θηρίων *cum* immanibus *belluis*, Marc. 1:13. quales gaudent in desertis habitare, quemadmodum *gaudet in effossis habitare cuniculus antris*. Martial. libr. 13. Nebucadnezar *ex hominibus expulsus mansionem suam habuit* עִם חֵיוַת בָּרָא *cum bestiis agri, septem tempora*, hoc est, annos; ipse ut bellua factus, *gramen comedens ut boves*, Dan. 4:25. omnemque adeò humanitatis sensum exuens. Jesus noster fuit cum bestiis, non tamen factus, ut bestia, nec edens ut bestia, sed omnis cibi parusque abstemius. Fuit Jesus ibi cum bestiis.

§. 35. *Absolutis* 40. diebus ἐπείνασε *esurivit*. Matth. 4:2. Luc. 4:℣. 2. *jejunaverat* hactenus; nec senserat famem, totidem dies jejunavit *Moses*, Exod. 34:28. imò & *Elias*. 1 Reg. 19:5–8. jejunium tum Mosis, tum Eliæ, tum Christi naturam excessit. In futura vita jejunabimus semper. Sed corpus tunc habebimus πνευματικόν, quod cibo nullo eget. 1 Cor. 15:44. 50. Ad jejuniū, quod Christus egit, imitationem perversè institutum est *jejunium quadragesimæ*, seu τεσσαρακονθήμερον, si illud etiam jejunare est, in prandio benè farcire ventrem, ut cœna sine incommodo carere possis. Esuries Domini, longum illud insecuta jejunium, non tantum docet verum illum hominem factum, qui naturales etiam nostros defectus sensit, sed & fuit occasio ulterioris tentationis. Etiam alias *esurivit* Jesus, Matt. 21:18. ut & *sitiit*. Joh. 4:7. 19:28. Esurivit.

§. 36. Esurientem adortus tentator, *si Filius Dei es*, inquit, *dic*, ἵνα οἱ λίθοι οὗτοι ἄρτοι γένωνται. Matt. 4:3. Luc. 4:3. Jesum hominem *Filium* esse *Dei* non ignorat, conscius *vocis e cælo delatæ, hic est Filius meus*. Inde è Paradiso sciverat, *semen mulieris* fore contritorem capitis sui. Ideò & fecit clamare τοὺς δαιμονιζομένους, τί ἡμῖν καὶ σοί, Ἰησοῦ υἱὲ τοῦ θεοῦ. Matt. 8:29. confer Marc. 1:24. & nunc dicit, *si es filius Dei*. Abs re putavit Cyprianus, *Diabolum ignorasse, Christum esse Dei filium, & eum in finem tentasse, ut certitudinem illius inquireret*. Loquitur autem dubitantis instar, *si es*, invidet hanc gloriam Filio hominis, maximè vellet hominem Jesum non esse *Filium Dei*, unde id omni tempore in dubium vocare annisus est. Est autem hæc illius mens, *si es Filius Dei*, si vera est vox ἐρήμου, si omnis Deitas corporaliter in te habitat, ede illius specimen, & luculento id potentiæ exemplo demonstra, nec patere te, quâ hominem, diutius fame, & necessitate, durissimo telo, angi premique. Indecens enim, naturam humanam Filii Dei inedia laborare, illumque, qui omnibus suppeditat alimenta, ipsum illis carere. Tentatio de lapidibus mutandis in panem.

§. 37. *Lapides* vult *panes* fieri. Ferunt deserta lapides, quæ frugem aliam non ferunt. Lapides vertere in panes haut impossibile Deo magis, quam *è lapidibus excitare Abrahamo filios*, Matt. 3:9. & *petram mutare in stagnum aquarum*. Psalm. 114:8. Sed advertenda fraus & malitia Diaboli. Simulat curæ sibi esse Christum, ut ne fame pereat. Ideò suadet, ut panem faciat è lapidibus, id ipsi, ut Filio Dei, esse facile. Ita fore, ut inedia humani-

tas non consumatur, & divinitas simul eximiè demonstretur. Pariter docet, substantias mutare, & unam in aliam convertere, non esse hominis opus, sed Filii Dei. Sed nequitiam clausam habet in pectore, & nefanda tentat. Hoc unum venatur, ut Jesus deinceps audiat ἄνθρωπος φάγος *homo edax*, qui, antequam famem sustineret, lapides jussit panes fieri, quo convicio à Satanæ filiis affectus est, Matt. 11: 19. ut videatur passionibus suis & appetitu inferior, & ut victor serpentis à fame videatur victus; qui naturam ipsam mutârit, ut ruentem stomachum fulciret. Et quo non impulisset mundum, quas non fraudes, rapinas, violentias, victus quærendi causâ, licitas ipsi persuaderet si Christi gloriari exemplo potuisset?

§. 38. Jesus, haut ignorans Satanæ artes, è *Scriptura* solidè respondit, propositum habens, humilitate vincere Diabolum & rationibus, non potentia & severitate. Iisdem armis & nos pugnare decet adversus Satanam. *Sermo Dei est efficax, & acutior omni gladio.* Heb. 4: 12. Ephes. 6: 17. Hæc *arma* sunt δυνατὰ πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων. 2 Cor 10:4. Locus exstat Deut. 8:3. לֹא עַל הַלֶּחֶם לְבַדּוֹ יִחְיֶה הָאָדָם *non in pane solo vivit homo*, כִּי עַל כָּל-מוֹצָא פִי יְהוָה יִחְיֶה הָאָדָם *sed in omni quod exit ex ore Jehovæ vivit homo*, hoc est, in omni quod jubet adesse & comedere Deus, imò vitæ conservandæ gratia facere. Id ut *demonstraret* Dominus Israëli, ideo illum *fecit esurire*, & postea *comedere Man.* ibid. Sensus est, hominem *non solo pane vivere*, nec ordinaria vivendi ratione semper subsistere, sed miraculosè à Deo posse sustentari, & per media extraordinaria; quæ largiri in Dei manu sit, quæque loquente ac jubente Deo se sistant. Sunt qui hæc verba de spirituali vita accipiunt, ac si dictum esset, animas non ali visibili pane, sed Dei verbo. At non ea mens dicti; sed datione Mannæ constare, hominum vitam in pane haut inclusam esse, sed pendere à beneplacito & jussu Dei. Neque hic *verbum*, ἐπὶ παντὶ ῥήματι, Matt. 4:4. Luc. 4:4. pro *doctrina* capiendum est; sed pro *decreto* Dei & *præcepto*.

§. 39. Ita optimè refutatus Satanas. Tu suades, ut ad conservandam vitam, lapides *dicam*, hoc est, jubeam, panes fieri. Sed scire debes, *hominem non vivere solo pane*, etiam sine pane vivere posse. Alia enim est & potior vivendi, vitamque fovendi ratio, *verbum Dei*, mandatum, jussio illus, estque vita humana sarta & integra in omni, quod dicit jubetque Deus. Ideò etiamsi nunc *verbum Dei* & jussio & voluntas sit, ut *esuriam*, & fame exercear diutius, scito me & in hoc verbo Dei victurum, vitamque incolumem servaturum.

Tentatio secunda.

§. 40. Diabolus ita depulsus aliam ingreditur rationem, παραλαμβάνει *assumit* & transfert Jesum (confer Matt. 17: 1.) εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν Matt. 4: 5. Luc. 4: 9. & ἤγαγεν αὐτὸν εἰς Ἱερουσαλήμ. Jerusalem *civitas sancta* dicitur, confer Matt. 27: 53. Psal. 48: 2. *Civitas Dei nostri, mons sanctus ejus*, quia sita fuit in Canaan, *terra sanctitatis*, ut ita loquar ex Exod. 3: 5. quia in illa habitavit *semen sanctitatis*. Es. 6: 13. & in illa fuere *viri sanctitatis* Exod. 22. 30. imò & *Sanctum*. Ps. 134: 2. שְׂאוּ יְדֵכֶם קֹדֶשׁ *tollite manus vestras ad Sanctum.* Dan. 8: 14. וְנִצְדַּק קֹדֶשׁ *& justificabitur Sanctum*, quia in illa oblata בְּשַׂר קֹדֶשׁ *caro sancta* sacrificiorum Jer. 11: 15. & in illa promulgatum שֵׁם קָדְשׁ *nomen sanctum Dei*; Lev. 20: 3. denique quia in illa apparuit קֹדֶשׁ יְהוָה *Sanctum Domini*, dilectum *Deo*, à *Juda* profanatum, Mal. 2: 11. & in *cives* illius effusus est רוּחַ קֹדֶשׁ *Spiritus sanctitatis* Psal. 51: 13. Zach. 12: 10. Eadem dicitur πόλις τοῦ μεγάλου βασιλέως, hoc est, Dei. Matt. 5: 35. *Assumsit* autem & *duxit* in civitatem hanc Jesum Satanas. Multi putant vectum & raptum per aërem à Diabolo Christum; celerrimo motu, aliàs enim non potuisse illuc venire videtur, nisi post longum & prolixum iter. Alii metaphoricam statuunt assumtionem & translationem, quæ non sit facta loci mutatione, sed per visionem; occupata scilicet phantasiâ & imaginatione Domini, ut putaret se transferri,

ri, cum tamen haut transferretur, quo pertinet exemplum, Ezech. 40: v. 2. qui se dicit *in visionibus Dei ductum in terram Israel, & collocatum* אֶל הַר גָּבֹהַּ מְאֹד *in monte alto valde*, confer Ezech. cap. 43: vers. 5. Sed num satis decuit Dominum, ut phantasia illius ficta cogitatione à Satana occuparetur, illeque præstigiis illius quasi obnoxius redderetur? Alii denique putant, Christum Diabolo petenti obsecundasse, & sponte ipsum in Hierosolymam secutum esse, & in πτερύγιον ascendisse, eodem Spiritu, à quo ductus erat in desertum, autore & instigatore, quem in sensum Cyprianus; *suo itaque Spiritu*, inquit, *eum credendum est ductum & in desertum, & super pinnam templi.* Secundùm hos igitur assumsit & transtulit Dominum Diabolus, quo ad petitionem Diaboli ivit sponte, motus à Spiritu S.

§. 41. Assumtum in Sanctam civitatem ἔστησεν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ. Matt. 4:5. Luc. 4: vers. 9. πτερύγιον nonnulli interpretantur *pinnam*, ambitum templi, στεφάνην ac loricam tecti, qualis dicitur מַעֲקֶה debuitque fieri in omnibus olim Judæorum *tectis*, è mandato Deut. 22:8. Alii *tectum planum*, in medio aliquantulum elevatum, & sic duarum alarum speciem habens, quòd & notari videtur per כְּנָפַיִם Prov. 9: 3. עַל גַּפֵּי מְרוֹמֵי קָרֶת *in alis celsorum civitatis*, quod & δῶμα appellatur, in quo ambulare solebant, imò & inde populum buccinâ convocare. Alii denique id notari putant, quod in ædificiis flatum venti solet indicare, & nonnullis *vertumnus* dicitur. Sed hoc parum probabile, in templo enim Hierosolymitano, & in orientalibus ædificiis nil tale fuit. Igitur putemus, aut in summum tectum templi, aut in loricam tecti Christum à Diabolo translatum; aut urgente Diabolo conscendisse, & pedem ibi fixisse.

§. 42. Ibique ita allocutus est illum, *si filius es Dei*, βάλε σεαυτὸν κάτω Matt. 4: 6. Luc. 4: 9. Rursus divinam filiationem allegat, cur Jesus cupito suo obsequi debeat; innuens, Filium Dei, Deum potentem omnia ossa sua servare posse, unum ex illis ne frangatur. Imò & Scripturam rursus citat, Psalm. 91: 11. 12. cujus hæc verba mutilat, *ad servandum te* בְּכָל־דְּרָכֶיךָ *in omnibus viis tuis.* vide Matt. 4: 6. Luc. 4: 10. 11. unde docemur, ambulantes *in viis suis*, decentibus & ordinatis, in vocatione, & opere divinitus injuncto ac imposito Angelos habere custodes & protectores. Atqui quod Satan à Christo postulabat, erat à viis Christi alienum, qui non venerat, ut temerè sibi accerseret periculum, aut stulta & impia temeritate insurgeret in Deum, aut levitatis nos præiret exemplo, aut securitate nos carnali impleret, sed ut doceret nos cautos esse, prudentes, sedatos, & in timore ac circumspectione sollicita facere omnia. Alias verissimum est de Christo, *Angelis suis præcepit super te.* Illi enim in omni vita Christi fuere comites & ministri. Joh. 1: 52. Luc. 22: 43. Potuisset Christus præcipitem se dare de pinnaculo, sine noxa aut læsione, ut & potuit *ambulare super mare*, nec visus est καταποντιζόμενος, Matt. 14: 25. neque enim magis mirum est, præcipitari de tecto, nec cervicem frangere, quam ambulare in fluctibus, nec mergi, tamen Satanæ haut debuit assentiri.

§. 43. Apparet & inde malitia tentatoris, quod in Hierosolymam, ipsumque templum, ubi cotti die multa aderat turba, Dominum transtulit, ut ita Christum ludibrio exponat in oculis totius quasi mundi, isque testis fiat temeritatis haut vulgaris. Sed prudenter vitavit illum saltum Servator, non enim venerat, ut agilitatis & saltationis laudem acquireret Ab omni, quod inanem sapiebat ostentationem, procul decuit illum abesse. Ita saltare athletarum potius est & luctatorum ac scurrarum; gravem, modestum, & mansuetum Servatorem id omninò dedecuit.

§. 44. Christus etiam hunc Satanæ retundens conatum, locum Scripturæ citat. *Non tentabis*

tabis Dominum Deum tuum. Matt. 4:7. Luc. 4:12. confer Deut. 6:16. docens, quoties homo excedit vias suas, seque temerè periculis exponit, & divinæ capere potentiæ experimentum, ubi nulla id flagitat necessitas, appetit *tentari Deum*, illiusque curam, auxilium, protectionem per ludibrium peti, & *promissiones* illius injusto examini subjici.

Tentatio tertia. §. 45. Ita & hoc conatu frustratus Satanas, *rursum assumit* Christum εἰς ὄρος ὑψηλὸν λίαν, Matt. 4:8. Luc. 4:5. & *monstrat illi omnia regna mundi, & gloriam illorum,* Matt. 4:8. ἐν στιγμῇ χρόνου. Luc. 4:5. Num demonstratione forsan verbali? atqui tum non opus habuisset in montem illum deducere. Aut forsan obtulit Christo ideam quandam oculis inspiciendam; ut Mosi *in monte monstratus est* τύπος ædificandi tabernaculi, Heb. 8: vers. 5. Idem Moses de monte Nebo *omnem* spectavit *terram* Canaan. Deut. 34:1. Videtur Satanas Deum imitari voluisse. Ex turri Psephina Hierosolymis pleraque conspici potuit terra Canaan. Non tamen in illam, sed in montem quendam altum, cujus, ut & τῆς ἐρήμου, tacuit Scriptura nomen, deduxit Satanas Servatorem, & ex illo non Canaan tantùm, sed & reliqua regna τῆς οἰκουμένης ostendit, ideam & typum illorum exhibendo. Aut, si nec hoc placet, dicamus, ostendisse Diabolum omnia regna, & digito quasi situm & distantiam illorum notasse, nam ut de uno monte omnia regna mundi oculariter viderit Dominus, possibile haut est.

§. 46. Nec regna tantùm, sed & *gloriam* illorum monstravit, insignia nimirum regia, sceptra, coronas, thronos, purpuram, diademata, palatia, turres, pompam, &c. Non tamen diu idea, quam exhibuit, visa; sed evanuit ἐν στιγμῇ χρόνου *in puncto temporis*, hoc est, brevissimo intervallo, quali formula etiam Plutarchus usus est περὶ ἀγωγῆς, στιγμὴ χρόνου πᾶς ἐστιν ὁ βίος. *Punctum temporis tota vita est*, hoc est, brevissimæ durationis.

§. 47. Hic grandia incipit verba loqui, & aureos montes polliceri. *Hæc omnia dabo tibi.* Matt. 4:9. Luc. 4:6. turpi certè ausu, offert regna fluxa, terrena, instabilia illi, cui *melius disposuit Pater regnum.* Luc. 22:29. βασιλείαν ἀσάλευτον, Heb. 12:28. quod *non est de hoc mundo*, Joh. 18:36. Talibus promissis mundanos miserè sæpe decipit, quibus hæret Euripidis illud in Phœnissis.

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Quod ipse Cicero improbans ita vertit lib. 3. Offic. *Nam si violandum est jus, regnandi gratiâ violandum est, aliis rebus pietatem colas.* Imò & chorus muliercularum Phœnissarum apud eundem Poëtam id judicat οὐ καλὸν, ἀλλὰ τῇ δίκῃ πικρὸν εἶναι.

§. 48. Imò & mentitur, ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται, καὶ ᾧ ἐὰν θέλω, παραδίδωμι αὐτήν. Luc. 4:6. Christi est dicere, πάντα μοι παρεδόθη, Matt. 11:27. confer Matt. 28:18. Diabolo catenæ datæ sunt & vincula 2 Petr. 2:4. Jud. ℣. 6. Nil habet nisi tenebras. Vocatur *Princeps mundi hujus* Joh. 12:31. 14:30. Imò & *Deus hujus seculi* 2 Cor. 4:4. sed his nominibus infideles & reprobi indigitantur, ut & Joh. 1:10. *Mundus illum non cognovit.* 1 Joh. cap. 5: vers. 4. *quod natum est è Deo, vincit mundum*, qui Satanæ & peccati sunt mancipia. Quomodo sunt data omnia Satanæ qui destitutus est omnibus, qui Jobi nec cutem, nec pecora tangere, nec sues invadere Gergesenorum poterat, Matt. cap. 8: vers. 31. sine speciali concessione Dei & Christi? Dei solius est, *dominari in regna hominum, & cui vult, dare illa.* Dan. 2:21. 4:29. 5:21. Hoc imperium Deo ereptum non sine sacrilegio sibi usurpat.

Ingens audacia Diaboli. §. 49. Promittit autem sub conditione, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι, Matt. 4:9. confer Luc. 4:7. Scelerata certè audacia, quem laudaverat *Filium Dei*, ab illo *adorari* cupit, quem

ado-

adorant omnes Dei, hoc est, *Angeli* Psal.97:7. Hebr. 1:6. ab illo defector Angelus *adorari* vult. Simul se prodit profunda illius ignorantia. Filium Dei, Sanctum Israëlis, qui peccatum non novit, ad tantum scelus sollicitare conatur: προσκυνέω, quod vertitur *adoro*, derivatur à verbo κυνέω *osculor*. Nam adorantes solebant *osculari* 1. *Dextram* suam. Plinius. *In adorando dextram ad osculum referimus.* Apulejus in Apolog. *Si fanum aliquod prætereat nefas habet adorandi gratia, manum labris admovere.* Idem de Asino aureo. libr. 4. *Admoventes oribus suis dextram, priori digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus Deam Venerem, religiosis adorationibus venerabantur.* Hier. in Hos. 13: 2. *Qui adorant; solent osculari manum.* Id se Hiob fecisse negat. cap. 31. *Si osculatus sum manum meam, &c.* 2. *Idolum* ipsum. 1 Reg. 19: 18. *Omne os, quod non osculatum est* Baalem. LXX. πᾶν σόμα ὃ ὐ προσεκύνησεν αὐτῷ. Imò *os* Idoli, ut & subindicat Cicero in Verrem, ubi ita de statua Herculis; *Rictus ejus & mentum paulò attritus, quod in precibus ac gratulationibus non solum venerari, sed & osculari solent.*

§. 50. Jesus, ingenti Satanæ offensus temeritate, *abire illum* jubet, ὕπαγε σατανᾶ Matt. 4: 10. Luc. 4: 8. gravi addita ratione, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies,* λατρεύσεις *coles.* Paulo aliter hæc se habent Deut. 6: vers. 13. *Dominum Deum tuum* תִּירָא וְאוֹתוֹ תַעֲבוֹר *timebis, & illi servies*, vox *soli* non exstat, continetur tamen in vi sententiæ, qui enim *serviendum* est, illi *soli* serviendum est; *nemo enim potest* δυσὶ δυλεύειν Matt. 6: vers. 24. Deinde *timere* Dominum est verè *adorare* illum, qui timet, adorat. Externus gestus non prodest, si timor abest; μάτην σέβονται, μάτην προσκυνῦσι, qui non id κατεργάζονται μετὰ φόβου καὶ τρόμου. *Finis enim omnis rei* est. אֶת הָאֱלֹהִים יְרָא Eccles. 12: vers. 13.

§. 51. Ita *dereliquit tunc illum Diabolus.* Matt. 4: 11. Sed ἄχρι καιρῦ *ad tempus* tantùm. Luc. 4: 13. Igitur & deinceps tentavit illum, nec quiescere illum sivit, adeoque extitit vita Christi perpetua quasi cum Diabolo lucta. Tentavit autem non immediatè semper, sed & per organa, Judæos, Pharisæos, Sadducæos.

§. 52. Ablegato Diabolo, venerunt *Angeli*, & *ministrarunt Illi*, Matt. 4: 11. afferentes forsan panem, quo hucusque esuriens caruerat. Ita impletum dictum, quo abusus fuerat Satan, *Angelis suis præcipiet*, &c.

§. 53. Tentator Diabolus id hactenus operam dedit 1. Ut fidem Christi labefactaret. 2. Ut ad totalem Christum defectionem compelleret. *Fidem* duplici modo impugnavit, primo conflictu ad defectum, secundo ad excessum illam provocando. Prima tentatione ad diffidentiam; secunda ad inanem quandam & ventosam confidentiam Christum adigere annisus est: sed in vanum laboravit. Evam vicerat: à Christo victus est, ut *Semen Mulieris* fortius appareat *Muliere*. Ipse Jesus ita tentatus prima quasi militiæ suæ posuit tyrocinia, & ad pugnam ac conflictationem cum Diabolo velut initiatus est. Intentio Diaboli tentantis.

§. 54. Neque peregrinum videri debet, Matthæum & Lucam differre in enarrando ordine τῶ πειρασμῶν. Ita enim rei ipsi nihil decedit, differunt ordine; haut narrationis veritate; non scripserunt ex compacto, ideò variare potuerunt in methodo; nec proposuerunt ita sacræ contexere filum historiæ, ut temporis semper rationem & ordinem eundem exactè servarent. Si tamen rem ipsam inspicimus, eo videntur omnia ordine acta, ut Matthæus notavit: nam ita gradatim pertexisse Dæmonem apparebit, quod levius erat, ab illo orsus est. *Dic lapidi*; inde perrexit ad gravius. *Dejice te ipsum.* Desiit in gravissimo. *Cadens adora me.* Ordo τῶ πειρασμῶν.

§. 55. Facta autem & descripta est hæc tentatio, ut constaret omnibus, *Legem Dei* fuisse *in medio* Christi, Psal. 40. nullam unquam mali cupiditatem sanctissimum illius animum

pupugisse, in spississimis *noctibus renes ipsius* illum *erudivisse*. Psal. 16: vers. 7. Ita & exemplum nobis relictum est, quomodo & quibus armis vincendus Satanas. Hac victoria acquisivit nobis Dominus triumphum, sanctificavit tentationes omnes nostras: imò omnes illæ, quas nos experimur, Christus, caput nostrum, vicit & superavit.

Ecclesia tentata. §. 56. Ecclesia ad similitudinem quasi Christi deinceps variè tentata est. Experta est inopiam in deserto, hoc est, quamdiu sub Gentium vixit imperio & persequutionibus. Ibi sæpè de se actum putavit, ni ex lapidibus panes fierent, hoc est, durissima quæque mollescerent. Etiam tentata est, ut sui meditaretur exaltationem, & regnum quæreret mundanum; adeoque de cœlo, de templo desiliret in terram. Quid fecit illa ita dicta Ecclesia, quæ utriusque gladii gloriatur potestate, nisi saltum è templo in prætorium? Denique, quando Ecclesiæ consilium datum est, ut sese sub Bestia humiliaret, & tyrannidem ejus ferret, nec se ab illa omnino separaret; facilius ita *Regnum*, quod sperat, obtineri posse; quid illi dictum aliud, quàm, *Hæc tibi dabo, si adoraveris me*?

Et Fideles singuli. §. 57. Nec universum tantùm corpus fidelium, sed singula ejus membra ita sæpè tentantur. Tentantur enim vel *penuria*, & inde exorta diffidentia, vel *periculis*, & inde emergendi, per illicita sæpè media, & inanis gloriolæ captationem studio vel *superbia*, ut statum quærant altiorem, suis haut contenti rebus. Imò docet & Johannes, tria *esse in mundo*, quæ *non sunt è Patre sed è mundo*, cum quibus graviter sanctis luctandum est, ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου. 1 Joh. 2:16.

§. 58. Jejunum est, quod nonnulli dicunt, Jesum hac victoria expiasse in specie tres tentationes, quibus Israëlitæ offenderunt Deum in deserto 1. De panibus. Exod. 16. 2. De aquis. Exod. 17. 3. De vitulo aureo. Exod. 32.

Jesu munus publicum. §. 59. Ab hoc tempore cœpit Jesus prodire in publicum, & functiones suas obire, & agere, quæ par erat agere illum, qui *venerat in mundum* ἁμαρτωλοὺς σῶσαι. 1 Tim. 1: vers. 15. καὶ καλέσαι εἰς μετάνοιαν. Matt. 9: 13. Quæ cum longè sint plurima, ad certos, docendi studio, à nobis nunc referentur titulos, quorum prior erit de Christi *praeconio*, *doctrina*, *sermonibus*. Secundus, de Christi *signis*, *prodigiis*, & *variis potentiis*. Tertius, de Christi *institutionibus*, *preceptis*, & *sacramentis*. Quartus, de *discipulis*, quos *fecit*, & *apostolis*. Quintus, varia Christi acta, & μεγαλειότητος illius insigniores demonstrationes, & totius vitæ rationem ac modum, & quæ cum hisce conjuncta sunt, obiter & cursim attinget.

Docuit. §. 60. De priore prius. *Docuit* certè Jesus & *præconiatus est*. Matt. 4: vers. 17. Ἀπὸ τότε ἤρξατο κηρύσσειν, ad id se *exiisse* conscius. Marc. 1: 39. εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα. Totam illum in finem perambulavit terram. Luc. 8: vers. 1. διώδευε κατὰ πόλιν καὶ κώμην, κηρύσσων καὶ εὐαγγελιζόμενος. Matt. 11: 1. μετέβη, τοῦ διδάσκειν καὶ κηρύσσειν ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν. Matt. 4: 23. περιῆγεν ὅλην τὴν Γαλιλαίαν διδάσκων. Marc. 1: 38. Ἄγωμεν εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις, ἵνα κἀκεῖ κηρύξω. confer vers. 39. adde Marc. 6: 6. Luc. 4: 44. Id inter crimina illius narratum à Pontificibus. ἀνασείει τὸν λαὸν, διδάσκων καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε. Luc. 23: 5.

§. 61. Docuit autem in *Synagogis*, quæ in singulis erant urbibus. Unum erat Iudæis templum in Jerusalem; sed in omnibus oppidis erant domicilia, in quibus conveniebant, ad audiendum verbum Dei, & fundendas preces; dicta συναγωγαί. Matt. 4: vers. 23. διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν. Matt. 9: 35. Luc. 4: 15. adde Ioh. 6: 59. ταῦτα εἶπεν ἐν συναγωγῇ, διδάσκων ἐν Καπερναούμ: adde Matt. 13: 54. Has singulis *Sabbatis* frequentabat. Marc. 1: vers. 21. καὶ εὐθέως τοῖς σάββασιν εἰσελθὼν εἰς συναγωγὴν, ἐδίδασκε.

Luc.

Luc. 4: vers. 16. καὶ εἰσῆλθε κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, εἰς τὴν συναγωγήν. confer Luc. 6:6. Ita satisfecit Legi; *sanctifica diem Sabbati*, & multitudinem auditorum invenit. Moris erat, ut doctiores in synagogis textum quendam è sacro legerent codice, & explicarent. Id & narratur de Christo. Luc. 4: 16. 17. ἀνέστη ἀναγνῶναι: ubi ἐπεδόθη αὐτῷ βιβλίον Ἡσαΐου, quod ἀναπτύξας, *invenit locum*, *Spiritus Domini super me* Es. 61: 1. 2. in quem ita eximiè concionatus est, ut *omnes mirarentur* ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος; imò & dixit; *Hodie impleta est Scriptura hæc in auribus vestris.* Luc. 4: 16–22.

§. 62. Sæpè etiam ἐν τῷ ἱερῷ *in templo* Hierosolymitano. Matt. 26: 55. *Cottidie vobiscum sedi* διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ. Ioh. 18: 20. ἐγὼ πάντοτε ἐδίδαξα ἐν τῇ συναγωγῇ καὶ ἐν τῷ ἱερῷ, ὅπου πάντοθεν οἱ Ἰουδαῖοι συνέρχονται. confer Marc. 12: 35. 14:49. Luc. 19: 47. 21:37. In festis ascendebat in Hierusalem. Ioh. 2: 13. 5: 1. 7:2. 10. Ioh. 11: 55. 56. 12: 1. 12. Tunc *ingressus in templum, docuit.* Ioh. 7:14. confer vers. 28. ἔκραξεν ἐν τῷ ἱερῷ διδάσκων. adde vers. 37. *Noctu* solebat αὐλίζεσθαι εἰς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον Ἐλαιῶν. *Interdiu* autem πάλιν παρεγένετο εἰς τὸ ἱερόν. Luc. 21: vers. 37. Ioh. 8: 1. 2. Ita ἐν τοῖς τοῦ πατρός αὐτοῦ ἔδει εἶναι αὐτόν. Luc. 2: 49. Commodè autem docuit in templo, *domo Patris sui*, Ioh. 2: 16. imò *domo sua*, *domo orationis.* Matt. 21: 13. Illuc enim, præcipuè in festis, totus confluebat Israël, omnesque proselyti. Luc. 2: 41. Ioh. 4:45. *Etiam* Galilæi *venerant in festum* Ioh. 11: 55. καὶ ἀνέβησαν πολλοὶ εἰς Ἱεροσόλυμα ἐκ τῆς χώρας πρὸ τοῦ πάσχα. Etiam Ἕλληνες venire solebant. Ioh. 12: 20. 21. confer Ioh. 12: 12. ὄχλος πολὺς ὁ ἐλθὼν εἰς τὴν ἑορτήν. adde Ioh. 7: vers. 8. 10. Ita impletæ Prophetiæ. Mal. 3: vers. 3. *Veniet ad templum suum Dominus.* Es. 40: vers. 5. *Et videbit omnis caro, quod os Domini loquitur.* Es. 52: vers. 8. *Viderunt oculo ad oculum, Domino redeunte ad Zion.*

In templo.

§. 63. Sæpè etiam docuit in *montibus*, Matt. 5: 1. 2. 7: 28. imò & *è navigiis*, *in mari*, *populo stante* ἐπὶ τὸν αἰγιαλόν, Matt. 13: 1. 2. 3. Luc. 5: 3. imò & παρὰ τὴν θάλασσαν Marc. 2: 13. Ita sanctificavit locos omnes, & ostendit, verbum Dei, utut *exiverit è Zion* Es. 2: 3. ad Zionis templum & montem illum palpabilem alligatum non esse; quinimo, ut nunc neque *in monte* Garizim, neque *in Ierusalem adoratur Pater* Joh. 4: 21. ita nec verbum illius nunc ibi κατακλείεται.

In montibus.

§. 64. Docuit autem τὸν ὄχλον. Marc. 2: 13. καὶ πᾶς ὁ ὄχλος [illegible]το, καὶ ἐδίδασκεν αὐτούς. confer. 6: 34. *Et vidit Iesus* πολὺν ὄχλον, καὶ ἤρξατο διδάσκειν αὐτοὺς πολλά. Marc. 10: 1. συμπορεύονται πάλιν ὄχλοι πρὸς αὐτόν; καὶ, ὡς εἰώθει, πάλιν ἐδίδασκεν αὐτούς. adde Joh. 8: 2. Privatim verò docuit τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ Matt. 5: 1. 2. 13: 10. 36. 15: 12. 13. Marc. 8: vers. 31.

Populum & discipulos.

§. 65. Ab officio docendi audiit διδάσκαλος *Doctor*; quo nomine nominavit ipse se Joh. 13: 13. 14. Matt. 26: 18. & Discipuli illum Marc. 13: 1. Joh. 1: 39. imò & Nicodemus Joh. 3: 2. εἷς γραμματεὺς Matt. 8: 19. Pharisæi. Matt. 9: 11. 12: 38. 22: versl. 1. 6. διδάσκαλε ἀγαθέ. Matt. 19: 16.

Inde audit Doctor.

§. 66. De *doctrina* sua ipse testatus est Christus. Ioh. 7: 16. ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔστιν ἐμή, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με, *de qua cupit cognosci*, πότερον ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν, aut num *à se ipso loquatur.* vers. 17. Ioh. 14: 10. τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ. Ioh. 12: 49. ἐγὼ ἐξ ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλάλησα, ἀλλ' ὁ πέμψας με πατήρ, αὐτός μοι ἐντολὴν ἔδωκε τί εἴπω καὶ τί λαλήσω. vers. 50. ἃ οὖν λαλῶ ἐγώ, καθὼς εἴρηκέ μοι ὁ πατήρ, οὕτω λαλῶ. Ioh. 8: 28. καθὼς ἐδίδαξέ με ὁ πατήρ μου, ταῦτα λαλῶ, ut enim *non potest Filius ποιεῖν*

Doctrina ipsius Testimonium.

ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν Joh. 5: vers. 19. ita nec λαλεῖν. *Narrare* debuit אל חק *ad id, quod præscriptum erat*, Psalm. 2:7. ut *credentes* Mosi, etiam crederent ipsi; quique fidem haberent τοῖς ἐκείνου γράμμασιν, nec eandem negare possent Domini ῥήμασι. Joh. cap. 5: vers. 46. 47.

§. 67. Imò & jam antea Johannes Baptista. ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, τοῦτο μαρτυρεῖ. Joh. 3: 32. assentitur Christus Ioh. 8:26. κἀγὼ ἃ ἤκουσα παρ' αὐτοῦ, ταῦτα λέγω εἰς τὸν κόσμον. adde Joh. 3:11. ὃ οἴδαμεν λαλοῦμεν, καὶ ὃ ἑωράκαμεν μαρτυροῦμεν, loquitur in plurali, se innuens & alium illum παράκλητον Ioh. 16:13. οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει, qui unà quasi cum Filio missus est. Ioh. 3: vers. 34. Es. 48:16. *Et nunc misit me Dominus, & Spiritum suum.*

De illa etiam testatus est Baptista.

§. 68. Idem Iohannes de ipso ἐμαρτύρησε, τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ *Verba Dei loquitur.* Ioh. 3:34. ut & ipse, *Qui est è Deo*, τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ ἀκούει. Subintellige, *quæ ego* λέγω. Ioh. 8:46. 47. Igitur quod Herodi acclamabatur per adulationem, Θεοῦ φωνή, καὶ οὐκ ἀνθρώπου Act. 12:22. id de Christo loquente verissimè dici potuit, *Vox Dei, non hominis.* Verba enim Dei locutus est, hoc est, talia verba, quæ non potest, nec debet loqui, aut sibi tribuere, qui non est Deus benedictus super omnes in secula. Et ut, qui Christum *vidit, Patrem vidit*, ita qui Christum audivit, Patrem audivit. Ioh. 14:9. Ita invisibilis visus oculis, & auditus auribus est.

§. 69. Denique Johannes dum docuit, *Qui est è terra, è terra est, & è terra loquitur*, innuit illum, qui non est è terra, sed venit ἄνωθεν, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, non *è terra* locutum esse, sed ut ita dicam, *è cœlo*, hoc est, non ministerialiter, sed magistraliter, non in qualitate servi, sed in potestate Domini. Ioh. 3:31. Ideò & *Præceptum*, quod dicit *datum* sibi à *Patre, quid dicere* deberet & *quid loqui* Ioh. 12:49. non in contemptum aut minoritatem illius debet intelligi, sed ut testimonium excellentiæ illius & singularis prærogativæ haberi. Nulli enim Angelorum, aut hominum hoc *præceptum* datum est, solus Ille dignus fuit id accipere, qui & hoc Præceptum, ut & *alia Patris* sui τετήρηκε Ioh. cap. 15: vers. 10. & καθὼς ἐνετείλατο αὐτῷ ὁ πατὴρ οὕτω πεποίηκε καὶ λελάληκε. Ioh. cap. 14: vers. 31. ut è vero gloriari potuerit. *Euangelizavi justitiam in Ecclesia magna, ecce labia mea non cohibui. Domine tu nosti.* Psal. 40: 10: 11.

§. 70. Id etiam ad eximietatem doctrinæ illius facit, quod dicitur *enarrasse Patrem. Deum nemo vidit* [illegible]*am. Filius unigenitus* ἐκεῖνος ἐξηγήσατο, Joh. 1:18. & *manifestasse nomen Patris.* καὶ ἐγνώρισα αὐτοῖς τὸ ὄνομά σου, καὶ γνωρίσω, Joh. 17:6. 26. & nunciasse, quæ oculus olim non vidit, nec auris audivit; unde *beatæ* audientium *aures, beati oculi* dicuntur Matt. 13:16. Luc. 10:23:24.

Doctrina Jesu auditores vehementer perculit.

§. 71. Qui docentem Jesum audiverunt, ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ. Matt. 7: 28. 22:33. Marc. 1:22. 11:18. Luc. 4:32. Pontificum ὑπηρέται, *Nunquam*, dicunt, *ita locutus est homo, ut hic Homo*, Ioh. 7:46. cumque nonnulli dicerent, Δαιμόνιον ἔχει καὶ μαίνεται; τί αὐτοῦ ἀκούετε, *respondent alii*, ταῦτα τὰ ῥήματα οὐκ ἔστι δαιμονιζομένου. Ioh. 10: vers. 21. Scilicet animadvertit populus quod esset ἐν ἐξουσίᾳ ὁ λόγος αὐτοῦ, Luc. 4:32. quod *doceret ipsos*, ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς, Matt. 7:29. Marc. 1:22. ideò & fuit δοξαζόμενος ὑπὸ πάντων, Luc. 4:15. imò *verba gratiæ, exeuntia ex ore ejus omnibus* fuere admirationi. Luc. 4:22. Id capere multi non poterant, *quomodo nosset* Iesus γράμματα μὴ μεμαθηκώς. Ioh. 7:15. unde dicunt, πόθεν τούτῳ ἡ σοφία αὕτη. Matt. 13: 54. Marc. 6:2. qui ignorabant, *hac audivisse illum à Patre.* Ioh. 8:26. Eximiè confitebatur Petrus de *verbis* & sermonibus Christi. *Verba vitæ æternæ habes.* Ioh. 6: vers. 68.

Et

Et Christus ipse. *Verba, quæ ego loquor vobis*, πνεῦμά ἐστι, καὶ ζωή ἐστιν. Joh.6:63. *Multi audientes crediderunt* διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ, Joh.4:41. 7:40. 8:30. Sed & alii obstupuerunt dicentes, σκληρός ἐστιν οὗτος ὁ λόγος, τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν. Joh.6:60. τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη. Marc.1:27. Pontifex *rogavit Iesum* διὰ τῆς διδαχῆς αὐτοῦ. Joh.18:19. ac si illa monstri quid aleret.

§.72. Illa, quæ docuit Jesus, sunt vel ἐπίγεια, vel ἐπουράνια. Joh.3:12. Prædicavit *Evangelium regni*, Matt.4:17.23.9:35. *Dei* Luc.8:1. *resipiscentiam*. Matt.4:17. Marc.1:14.15. *impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei, resipiscite, & credite Evangelio.* Matt. 11:5. καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται confer Luc.4:18. εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς, κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, κηρύξαι ἐνιαυτὸν κυρίου δεκτόν. Quænam Jesus docuerit.

§.73. Sermones, in quibus Jesus τὴν διδαχὴν αὐτοῦ exposuit, & quæ à *Patre audiverat, & apud Patrem viderat*, quæque Pater *illum docuerat*, illique *præceperat*, sunt vel *publici* vel *privati*. Sermones Jesu.

§.74. *Publici*, quos publicè, publicis in locis, in templo, in Synagogis, in montibus, in plateis habuit, in maxima audientium frequentia, adeò ut sæpe adessent μυριάδες τοῦ ὄχλου, ὥστε καταπατεῖν ἀλλήλους. Luc.12:1. & Christus sæpe abire necessum haberet, ἵνα μὴ θλίβωσιν αὐτόν. Marc.3:vers.9. Talis publica concio fuit, quæ describitur Matt.5:6:7: in qua egit de vera *beatitudine*, de Sanctorum præstantia, quod scilicet sint *Sal terræ, Lux mundi*: de vero sensu *legis* Dei, quam à παρερμηνείᾳ scribarum vindicavit, de *eleemosynis*, de *precibus*, de *jejuniis*, de *thesauris* manentibus, de *curis* animalis vitæ ponendis, de *justitia Dei & Regno* ejus, &c. Talis fuit, qualem ad Iudæos habuit in templo. Ioh. cap.5. vers.1.17-47. In qua publicè ὡμολόγησε, Deum esse ἴδιον suum πατέρα, se à Patre diligi, *opera Domini* videre & facere; *vitam* habere in se. Imò & multiplex de se *testimonium* enarrat: 1. *Baptistæ*, qui μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ vers.33. 2. *Operum*, quæ *testantur* de ipso. vers.36. 3. *Patris*, ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ. vers.37. 4. *Scripturarum*, ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ vers.39. 5. *Sui ipsius, de se ipso*, quod quidem hîc non urgebat vers.31. alibi tamen citat & adducit, Ioh. cap.8: vers.14. Fuitque adeo Testimonium de illo, quinque testibus firmatum, verissimum & certissimum, cum secundùm *legem* δύο ἀνθρώπων μαρτυρία ἀληθής habeatur. Ioh.8:17.18. Talis etiam concio fuit, quam habuit in *Synagoga Capernaumitica*, ubi docuit, se esse *panem vitæ, descendisse de cælo, carnem suam dare pro mundi vita*, illam *edendam*, sanguinem *bibendum* esse. Ioh.6:51.54.55. Talis denique fuit, quam habuit ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς, ubi dixit, *si quis sitit, veniat ad me*, &c. Ioh.7:37.38. Et talia compluria omnium oculis sunt obvia. Publici.

§.75. *Privati*, quos sæpe privatim habuit cum privatis. 1. Cum *discipulis*, tum *Ioannis* Matt.9: vers.14. 11: vers.2.3. tum *suis*, quos ad frequentissima colloquia admisit; quos indesinenter docuit, imprimis tamen omni studio & efficacia & potentia erudivit sub finem vitæ; quibusque adeò *dedit* γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Matt.13:11. lege Ioh.13. à 31. & cap.14.15.16. 2. Cum *adversariis suis*, qui ipsi infensissimi omni genere conaminum annisi sunt, ut illum *illaquearent in sermone*, Matt.22:15. & *perderent*, Mat.12: vers.14. adde Luc.cap.11: vers.54. ἐνεδρεύοντες αὐτὸν, καὶ ζητοῦντες θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ, quibus tamen omnibus ita respondit, ut abirent πεφιμωμένοι, Matt.22:34. nec possent illi ἀποκριθῆναι λόγον, nec auderent ἐπερωτῆσαι αὐτὸν οὐκέτι. Mat.22:46. 3. Cum *aliis*, non *malè illi volentibus*, ut *Nicodemo*. Ioh.3. cum *Samaritana*, Ioh.4. cum *ægrotis*, quos sanavit, & verbo erudivit, & solatus est sæpissime. Matt.9:2. Privati.

Matt. 15:26. Joh. 5:14. 9:35.37. cum χαμματεῖ uno Matt. 8:19.20. cum *discipulo* quodam, volente *sepelire Patrem suum.* ibidem vers. 21.22. Cum divite illo νεανίσκῳ Matt. 19:16–24. 4. Ad *civitates* incredulas. Matt. 11:20–24. 23:37. 5. Ad *Patrem* suum ἴδιον. Matt. 11:25.26.27. Luc. 10:21. Joh. 12:27.28. Huc imprimis pertinet insignis ille Sermo, quem paulo ante mortem habuit, Joh. 17:1–26. *Pater, venit hora, glorifica Filium tuum,* &c.

Testimonium habent in Mose. §.76. Id etiam in sermonibus Christi observandum est, quod nec ipse locutus est *extra Mosen & Prophetas,* unde majore potuit jure exigere, ut, qui crederent Mosis γράμμασι, etiam suis credant ῥήμασι. Joh. 5:46.47. unde & postulavit *cognosci de doctrina.* Joh. 7: vers. 17. Legem Mosis exactissimè explicuit. Matt. 5:20–48. Matt. 15:4. sæpe citavit Prophetarum oracula. Matt. 9:13. Matt. 11:10. Matt. 13:14.15. Matt. 15:ꝟ.7. Loquutus est nonnunquam de veteribus exemplis. Matt. 12:3.5.40.41.42. confer Matt. 22:31.32.42–45. Matt. 24:15. Joh. 6:45. mitto plura.

Hyperbolæ. §.77. Christus etiam usus est hyperbolicis sermonibus. Matt. 5:29.30. *si te oculus dexter scandalizat, erue illum. Si manus, amputa,* confer Matt. 18:8.9. adde Matt. 5:39. 40.41. Matt. 18:6. Luc. 6:29.30. Matt. 19:24. *Facilius est,* κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, &c.

Parabolæ. §.78. Etiam sæpe παραβολαῖς & παροιμίαις. Matt. 13:3.24.31.33.44.45.47. Matt. 18:23–35. 20:1–16. 21:33–46. 22:2–13. 25:1–13. Joh. 10:6. Matt. 23:24. Id dicitur Matt. 13:3. *Et locutus est illis* πολλὰ ἐν παραβολαῖς. vers. 34. καὶ χωρὶς παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς. Marc. 4:33. τοιαύταις παραβολαῖς πολλαῖς ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον, καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν. confer Marc. 4:2. Quas κατ' ἰδίαν discipulis suis ἐπέλυε. Marc. cap. 4: vers. 34. Cur autem in *Parabolis populo* locutus sit, exposuit. Matt. [illegible]: vers. 10–15.35.

Vaticinia Domini. §.79. Etiam *vaticinia* locutus est Dominus. Prædixit *passiones* suas & *glorias.* Matt. 16: vers. 21. 17:22.23. 20:18.19. Luc. 9:22.44. 18:31–34. Joh. 3:14. 8:28. 12:32.33. Discipulorum sortem, perpessiones & opprobria. Matt. 10:17.18. Joh. 16:2. 21:18. Judæ proditionem. Joh. 6:64.70.71. 13:21. Hierosolymæ interitum. Matt. 23:ꝟ.38. cap. 24:2. Luc. 19:41–45. Ecclesiæ varia ac diversa fata. Matt. 24:4–30. τὴν ἀνομίαν. Matt. 24:12.

§.80. Ita docendo & loquendo ostendit Dominus, se esse verè *Prophetam,* promissum Deut. 18. *Doctorem ad justitiam.* Joel 2. cui Deus *dedit linguam eruditorum, ut tempestivè sciret loqui verbum.* Es. 50. Dixerat Matt. 13:52. *Omnem scribam institutum in regnum cœlorum similem esse Patrifamilias, qui profert è thesauro suo* καινὰ καὶ παλαιά. Id faciendo præ omnibus, ostendit se esse omnium scribarum Principem & Dominum. Veritatem asseruit placidè, mendacium confutavit solidè, superbiam prostravit potenter. Errantes *correxit* decenter. Mœstos suavissimè est solatus. Infirmos amicissimè hortatus. Justitiam docuit, regnum cœlorum nunciavit, viam vitæ monstravit, omnes vocavit, judicium inobedientibus comminatus, vitam credentibus & resipiscentibus pollicitus. Mosen confirmavit. Prophetas explicavit, vetera cum novis comparavit, umbram & corpus, promissionem & euangelium, legem & gratiam conciliavit. Talis igitur διδάσκαλος οὐδέποτε ἐφάνη ἐν τῷ Ἰσραὴλ, cui merito dici potuit, οἴδαμεν ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος. Sique quisquam, ille verè potens fuit καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Tit. 1:9.

In sermonibus §. 81. Si penitius sermones Christi intuemur, deprehendimus, in illis abundè & plenè tradi-

trâditam omnem doctrinam salutarem, omnem agnitionem veritatis, quæ est secundùm pietatem, omnem sapientiam cœlestem & divinam, adeò ut ex solis Christi verbis componi & contexi possit elegantissimum & perfectissimum corpus ac systema doctrinæ Theologicæ, quod hic tentassemus, si per brevitatem licuisset. Doctrinam de Deo Patre, & operibus illius; de Deo Filio, illius cum Patre unitate, & præagnitione; de Deo Spiritu, illiusque æterna processione; de incarnatione τοῦ λόγου, de operibus, passionibus, gloriis illius; de effusione Spiritus S. illiusque varia in Sanctis operatione; de justitia, de regno Dei, de euangelio, de sanctificatione & bonis operibus, de libertate filiorum Dei, de novo testamento, de baptismo, de cœna; de lege, illiusque præceptis, de dilectione, de concupiscentia, de sacrificiis, de sabbato, de circumcisione, de paschate, de altari; de conjugio, de animæ immortalitate, de resurrectione, de judicio novissimo, de interitu mundi, de vita æterna; de vocatione gentium, de Anti-Christo, de apostasia, de peccato irremissibili, de scandalis, de morte, de Diabolo & gehenna, aliaque plurima, ad unguem omnia enarravit exposuit; simplicium se accommodans captui; opinione vanæ scientiæ inflatorum occurrens fastui; de sublimibus loquens humiliter; de invisibilibus palpabiliter; de absconditis intelligibiliter; imò omnibus factus omnia, ut omnes lucraretur, & salvifica cognitione impleret omnes. Ita verè *Deus in ultimo dierum locutus est nobis in Filio.* Hebr. 1: 1. idque ita abundanter, ut nemo unquam Prophetarum plura docuerit & dixerit, unde & quatuor Euangelistæ, divinitus excitati, cum cura illa descripserunt. Hæc, quæ Christus docuit, tenenda nobis sunt. *Tu autem mane* ἐν οἷς ἔμαθες καὶ ἐπιστώθης, εἰδὼς παρὰ τίνος ἔμαθες, 2 Tim. 3: 14. à Christo nimirum, *sapientiâ* Patris, quæ egit ut est Prov. 1: 19. 20. חָכְמוֹת *in platea clamavit, in foris extulit vocem suam, in capite streperarum clamavit, in foribus portarum, in civitate verba sua dixit.* Quare si quis ἑτεροδιδασκαλεῖ, καὶ μὴ προσέρχεται ὑγιαίνουσι λόγοις *Domini nostri Jesu Christi*, ille τετύφωται, μηδὲν ἐπιστάμενος, 1 Tim. 6: 3. 4. ὁ μὴ μένων ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ Χριστοῦ, Θεὸν οὐκ ἔχει. 2 Joh. vers. 9.

§. 82. Cum autem hæc omnia ne in operis quidem justi materia, nedum hujus tam recisi, dignè exprimi possint, haut tamen tempero mihi, quin nonnulla insignia oracula dictaque Salvatoris nostri hìc inseram, & plenius explicem. Primum autem teneat locum oraculum eximium illud verbumque Christi, Matt. 11: 28. 29. 30. quod à nullo alio Euangelistarum notatum est, ubi in ℣. 28. notandum 1. Quid suadeat jubeatque Dominus. Δεῦτε πρός με, in quibus verbis est amica quasi invitatio, ut Matt. 22: 4. δεῦτε εἰς τοὺς γάμους. 2. *Quos* invitet, πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι. 3. Quid venientibus promittat, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. In reliquis versibus rursum videndum 1. Quid exigat, ἄρατε τὸν ζυγόν μου, καὶ μάθετε, &c. 2. Quid promittat, καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν, &c. 3. Quo argumento & ratione tum præceptum tum promissum stabiliat, ὅτι πρᾶός εἰμι, &c. ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστός, &c.

§. 83. Δεῦτε *venite* inquit. Ita & Petro & Andreæ, cum à piscatione illos ad discipulatum vocaret, dixit Δεῦτε ὀπίσω μου, illi *statim* ἀφέντες τὰ δίκτυα ἠκολούθησαν αὐτῷ. Matt. 4: 18. 19. Marc. 1: 17. Igitur hi jussi sunt ita *venire*, ut simul juberentur ordinaria opera & vocationem derelinquere, confer Matt. 19: 27. *Ecce nos dereliquimus omnia, & secuti sumus te.* Quos autem hic monet Dominus, Δεῦτε, ii possunt manere in opere & ordinaria vocatione, & nil minus venire, ut ne putemus, qui ad Dominum veniunt, necessum habere statum externum mutare & civilem, & omnino ἐκ τοῦ κόσμου ἐξελθεῖν. 1 Cor. 5: 10. nec curare amplius τὰ βιωτικά.

§. 84. Dominus, qui venit in mundum, quique venit ad nos, vult venire nos ad se, ut nos

Christi continetur Theologia.

Locus Matth. 11: 28. 29. 30. explicatus.

Venite.

non priores *amavimus Deum*, sed Deus prior *amavit nos*, 1 Joh. 4: 10. ita nec nos priores venimus, sed Dominus prior venit ad nos. Non veniremus nos, nisi venisset ipse, nec venisset quisquam πάλαι, nisi venturus fuit ipse. Imò adhuc venit Dominus. Joh. 14: 23. *Si quis me diligit*,&c. *veniemus ad illum*, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν. Veniente igitur illo, venientibus nobis, certior est & celerior occursus.

§.85. *Venimus* non uno modo, vel adventu *corporali*, quemadmodum *Regina Austri* ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς, Matt. 12:42. & Christus duobus discipulis rogantibus, ποῦ μένεις, dicebat, ἔρχεσθε καὶ ἴδετε Joh. 1:37 - 40. vel *Spirituali*, hoc est, cum cor, vota, desideria, cogitationes aliorsum dirigimus: ut enim hac ratione sæpe sumus ubi non sumus, ita & venimus, quò non venimus, *ubi thesaurus noster, ibi cor nostrum*, Matt. 6: 21. ubi vota nostra & cogitationes, ubi propriè est παρουσία nostra. Ita Apostolus ἀπὼν τῷ σώματι erat παρὼν τῷ πνεύματι Corinthiis & agebat ὡς παρὼν *ut præsens*. 1 Cor. 5:3. confer vers. 4. συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος. confer Coloss. 2: 5.

§.86. Christus, dum dicit *venite*, imprimis cupit, ut cor spiritusque noster veniat. Neque opus est, ut *exeamus è terra Chaldæorum*, *& è terra nostra*, & in aliam migremus terram (Act. 7:3.4.) sed manentes, ubi sumus, possumus venire, & Domino dicenti, *venite*, obedientiam præstare. Nil enim aliud est hoc *venire*, quàm credere, confugere, quærere, respicere ad Dominum, grata facere illi, ambulare coram illo, osculari illum, apprehendere illum, ut alibi Scriptura loquitur. Es. 45:22. פְּנוּ אֵלַי: Psal. 2:11. *Osculamini Filium. Beati confugientes ad illum*. Es. 27: 5. *Apprehendat arcem meam*, Genes. 49: 10. *illi adhæsio populorum*. Es. 55: 1. לְכוּ לַמַּיִם: Apostolo idem est εὐαρεστῆσαι τῷ θεῷ, προσέρχεσθαι, ἐκζητῆσαι τὸν θεόν. Hebr. 11: 5. 6. Igitur *venimus ad* Dominum, cum credimus in illum, amplectimur, confitemur illum, obedimus illi, nosque illi committimus. *Animæ* seu *spiritus* hic sunt primæ partes, καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται, nec *corporis* postremæ, nam & στόματι ὁμολογεῖται, Rom. 10: 10. etiam *corpora* sunt *sistenda Deo* θυσία, Rom. 12: 1. ut ita *glorificetur* ἐν τῷ σώματι ἡμῶν, καὶ ἐν τῷ πνεύματι ἡμῶν. 1 Cor. 6: 20. & *ipsi servetur* τὸ ὁλόκληρον ἡμῶν. 1 Thes. 5: 25. Venit *Dominus totus* ad nos, obtulit se totum pro nobis. Quare & *toti* veniamus ad Dominum.

§.87. De hoc *adventu* Sermo est Es. 45: 24. *In Domino justitia*, עָדָיו יָבוֹא *ad ipsum veniet*, omnis qui venit. Jerem. 16: 19. *Ad te gentes venient*. Psalm. 86: 9. *Omnes gentes, quas fecisti, venient*. confer Apoc. 15:4. Imò & Joh. 6: 35. ὁ ἐρχόμενος πρός με, καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ,&c. pro quo est vers. 40. ὁ θεωρῶν τὸν υἱόν. Imò τρώγειν τὴν σάρκα, καὶ πίνειν τὸ αἷμα, pro illo parallelè ponitur vers. 54. 56. Brevi, totum τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, quod est *ut credamus in illum, quem misit ille*. Joh. 6: ℣. 29. una hàc voce commendatur, Δεῦτε *venite*.

§.88. Hoc *venire* non est nostrarum virium. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxat illum*, hoc est, ni *audiat a Patre*, *& discat*. Joh. 6: 44. 45. confer vers. 65. *nemo potest venire ad me, nisi datum sit illi a Patre meo*, ut *sine* Christo *non possumus* ποιεῖν οὐδὲν. Joh. 15: ℣. 5. ita nec venire. *Trahe nos, post te curremus*. Cantic. 1:4.

§.89. Nil minus verè & congruè dicitur *venite*. Ita enim docemur, quid à nobis *exigat* Dominus, velitque, non θυσίαν, non προσφορὰν, non ὁλοκαυτώματα, sed *venire*. confer Mich. 6:8. Hos. 6:6. Id est τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον. Rom. 12:2. Secundò, quid acquisiverit nobis Dominus, n mirum jus veniendi. Neque enim dicere posset *venite*, nisi παῤῥησίαν in ipso *haberemus* εἰς τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων, neque *nobis initiasse viam recentem & novam*. Heb. 10: 19. 20. προσερχώμεθα οὖν μετὰ παῤῥησίας, Heb. 4: 16. Dominus enim

enim jubet *venire*; nec *absque jure* jubet. Tertiò, quid in nobis velit efficere. Iubet *venire*, quia facit nos venire, quod jubet nos facere, id vult in nobis facere. Est enim ὁ ἐνεργῶν ἐν ἡμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν. Phil. 2: 13. Ut cum dicebat, λάζαρε δεῦρο ἔξω Ioh. 11: 43. & ταλιθὰ κοῦμι Marc. 5: 41. Lazarum fecit & puellam *venire & surgere*, ita dum nobis dicit, *Venite*, facit nos *venire*. Et quia, dum nos facit venire, id non facit citra nostri sensum, sed ita, ut cor, animum, nosque totos sanctificet, & faciat *oblationem spontaneam*, ideò eò magis dicit *venite*; illa enim efficacia operationis suæ divinæ est, ut sponte velint, veniant, accedant, currant, ament, credant, confidant, obediant, quos fecit venire, velle, accedere, currere, amare, credere, confidere, obedire. Denique & hac loquendi ac vocandi ratione efficitur, ut omnis mundus reddatur ἀναπολόγητος, & πᾶν στόμα φραγῇ Rom. 2: 1. 3: 19. jubentur, vocantur, monentur *omnes* venire. Hanc qui χρηστότητα *contemnunt*, πῶς ἐκφεύξονται? Rom. 2:4. Hebr. 2: 3. nec valet. *Non possumus venire*. *Corruptio* enim, *tua est*, *ô Israël*; ex te est, quod non potes. Hos. 13: 8. Ne culpa Iesum: jussit te venire: nec tenetur tibi magis. Ne *sit oculus tuus malus*, nec lingua blasphemet tua, quod *sic bonus* fuit Dominus. Matt. 20: 15.

§. 90. In venientibus animadverti potest, *unde* veniant, & *quo*. Quos Dominus, ut veniant, jubet, ii veniunt *è mundo*, *quos dedisti mihi* ἐκ τοῦ κόσμου *è mundo* Joh. 17: 6. à quo tempore dicuntur, non amplius esse ἐκ τοῦ κόσμου. Joh. 17: 16. *è regno tenebrarum*. Col. 1: 13. A *lege peccati & mortis*. Rom. 8: 2. Imò & à lege veteri, à jugo ceremoniarum, ab oblationibus pecudum, à βρώμασι καὶ πόμασι, καὶ διαφόροις βαπτισμοῖς. Hebr. 9: 10. nam & illis dictum *venite*, ut ex sequentibus mox apparebit.

§. 91. *Quò* venire debeant, dicit, πρός με. *Ad se* jubet venire Dominus: cujus Domini titulos lege Matt. 16: vers. 16. Joh. 6: 35. Joh. 8: 12. 10: 7. 11. 11: 25. 1 Tim. 2: 6. Venite, inquit, *ad me*, *Lucem gentium*, *Gloriam populi Israël* Luc. 2: 32. qui *ante mundi fundationem fuit præcognitus* 1 Petr. 1: 20. ab initio promissus, Patribus olim exspectatus, in ceremoniis adumbratus, nunc in carne manifestatus, paulò post *per passiones consummandus*. Hebr. 2: 10. Ad me.

§. 92. Dum jubet venire *ad se*, jubet simul ne amplius *veniamus* ad altare manu factum, ad sanctuarium terrestre, ad montem palpabilem Sina, nec umbratilem Zion, nec *catedram Mosis* visibilem. Hebr. 12: 18. 19. οὐ προσεληλύθατε ψηλαφωμένῳ ὄρει, καὶ κεκαυμένῳ πυρί, καὶ γνόφῳ καὶ σκότῳ, καὶ θυέλλῃ, &c. Venit enim nunc hora, ut ad *Servatorem*, solum, unicum, Mediatorem, Sacerdotem, Regem, Dominum, veniamus, & dicamus, *Domus Jacob*, *Ite*, *& eamus in luce Domini*. Es. 2: 5. Nec tantùm, sed & jubet *peccato* valedicere, nec illi diutius ἐπιμένειν. Rom. 6: 1. confer vers. 14. ἁμαρτία ὑμῶν οὐ κυριεύσει. Dicit enim *Venite ad me*: vivite mihi: sistite vos Deo, ut è mortuis ζῶντας. Rom. 6: 13. ita in hoc verbo est oblatio *Libertatis* à jugo tum peccati, tum legis. Potestque illis, qui *veniunt*, seu venerunt ad Dominum dicentem, Δεῦτε πρός με, dici, *Venistis ad montem Zion*, *& civitatem Dei vivi*, &c. Hebr. 12: 22. 23. 24. Talis abundat gratia venientibus.

§. 93. Domino dicenti, *Venite*, non respondendum est, רַדְנוּ לֹא נָבוֹא עוֹד אֵלֶיךָ Jerem. 2: 31. sed, *Ecce veni*, *Facere voluntatem tuam*, *Domine*, *delector*. Psal. 40: 9. *Age*, *ascendamus ad montem Domini*. Es. 2: 3. *Age convertamur ad Dominum*. Hos. 6: 1. Etiamsi conjuncta sit durissima conditio, nobisque adhuc dicatur, quod Abrahamo Act. 7: 3. *Exi è cognatione tua*; aut quod dicebat Dominus τῷ ἄρχοντι illi, *Quæ habes*, *vende*, *& veni*, *sequere me* Luc. 18: 18. 22. & discipulo illi, Matt. 8: 22. ἄφες τοὺς νεκροὺς

θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς, aut debeamus cum Apostolis *relinquere omnia* Matt. 19: 27. 29. tamen veniendum est, nec imitandus νεανίσκος ille, ὃς ἀπῆλθε λυπούμενος. Matt. 19: vers. 22. Luc. 18: vers. 23. Imò, etiamsi *anima* sit *ponenda propter Jesum*, veniendum est.

§. 94. Quidni enim *veniendum* sit. 1. *Dominus* est, qui dicit, *venite*, & non venitemus? ὁ ἑκατόνταρχος laudat servos suos: *Dico huic, abi, & abit; & alii, veni, & venit*; Matt. 8: 9. quanto magis Domino id dicente, veniendum est? 2. *Redemptor* est, qui dicit *Venite*, qui *purgavit* nos *sibi* λαὸν περιούσιον. Tit. 2: 14. Mortuus est *pro omnibus, ut ipsi vivant omnes*, 2 Cor. 5: 15. venit ut ad ipsum veniant omnes. 3. Etiam necessitatis nostræ sensus nos monet, ut veniamus. Ægrotus, pauper, reus, cœcus, infirmus, tristis subsidium quærit & accedit. Atqui tales sumus omnes nos, imò pejores. 4. Moveat nos suavis promissio. *Qui ad me venit, non ejiciam extra.* Joh. 6: 37. Imò & *bona*; venientibus parata, κἀγὼ ἀναπαύσω. Joh. 6: 35. *qui venit ad me*, οὐ μὴ πεινάσῃ. confer vers. 39. 40. adde Joh. 10: 28. Qui veniunt, illis dicetur, Δεῦτε, καὶ συνάγεσθε εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ μεγάλου Θεοῦ, Apoc. 19: 17. & tandem, δεῦτε *benedicti Patris mei*. Matt. 25: 34. 5. Non erimus Christi, nisi veniamus ad Christum. Joh. 10: 27. 6: 37. 6. Ad nullum alium venire possumus, ubi nobis benè sit. Act. 4: 12. Es. 45: 23. *Pudefient omnes* הַנֶּחֱרִים בּוֹ: inde Petrus. κύριε. πρὸς τίνα ἀπελευσόμεθα. Joh. 6: 68. *Quis mihi in cœlis, & præter te non est in terra.* Psal. 73: 25. 7. Venit Regina Austri ob Salomonis sapientiam. Et ecce πλεῖον Σολομῶντος ὧδε, Matt. 12: 42.

§. 95. Ii, quos venire ad se jubet Servator, sunt 1. πάντες. 2. οἱ κοπιῶντες. 3. καὶ πεφορτισμένοι.

Omnes. §. 96. *Omnes* vocat. Est enim *lytrum pro omnibus* 1 Tim. 2: vers. 6. *mortem gustavit pro omnibus*, Hebr. 2: 9. 2 Cor. 5: 15. *gratia illius illuxit omnibus* Tit. 2: 11. & *justitia* illius est *in* & *super omnes* Rom. 3: 22. Generalis est hæc particula, universalitatis index; non quidem complectens *sine exceptione* omnes, statim enim restringitur ad τοὺς κοπιῶντας, omnem tamen διαστολὴν *distinctionem* tollens. Venite *omnes*. οὐ γάρ ἐστι διαστολή. Rom. 3: 22. Igitur omnes *nationes, linguas, tribus, populos* (Apoc. 5: 9.) omnem *sexum* & conditionem hæc vox tangit; non est hîc *Judæus nec Græcus*; *non servus*; *nec libertus*; *non mas, nec fœmina*, πάντες *omnes* una voce adesse jubet Dominus. Galat. 3: 28. Vocantur *senes, adolescentes, filii filiæque, servi & ancillæ, adeoque* כָּל־בָּשָׂר *omnis caro*, super quam etiam *Spiritus* effusus est. Joel 3: 1. 2. Ne quis igitur prava sibi præcludat dubitatione viam, neque peculiarem sibi quis tribuat prærogativam. Ex æquo enim jubentur venire *omnes*. *Omnes familiæ* terræ in hoc semine benedicuntur. Omnes familiæ in eodem adesse jubentur. Nec adulti tantùm, sed & *infantes*. Matt. 19: 14. ἄφετε τὰ παιδία, καὶ μὴ κωλύετε αὐτὰ ἐλθεῖν πρός με. Imò & τελῶναι καὶ πόρναι. Matt. 21: 32.

Laborantes. §. 97. Sed τοὺς κοπιῶντας. Vox κοπιάω significat 1. *Laborare*, & quidem *manibus* 1 Cor. 4: vers. 12. Ephes. 4: 28. Actor. 20: 34: 35. ταῖς χρείαις μου ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται ..... οὕτω κοπιῶντας δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων. 2. Molestiam quamlibet subire. 1 Cor. 15: 10. περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα. Apoc. 2: 3. διὰ τὸ ὄνομά μου κεκοπίακας καὶ οὐ κέκμηκας. 1 Tim. 4: 10. Rom. 16: 6. 4. Notat & *defatigationem*. Joh. 4: 6. κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας. 5. Etiam *docentes* dicuntur κοπιᾶν ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ 1 Tim. 5: 17 confer 1 Thess. 5: 12.

§. 98. Igitur hic notabuntur *laborantes* & *defatigati*, non externis manibus, nec externis ambulationibus seu itineribus, sed quibuslibet molestiis & adversitatibus. Omnis nostra

vita

vita est עָמָל, πόνος, κόπος, μόχθος Job 5:7. אָדָם לְעָמָל יוּלָּד Job 3:9. *Et occultasses* עָמָל *ærumnam ab oculis meis*, Psal. 9:10. רָהְבָּם עָמָל וָאָוֶן *exsultatio illorum* LXX. τὸ πλεῖον αὐτῶν *ærumna & vanitas*. Ad hoc labores & ærumnas pertinent non tantùm tristitiæ & ærumnæ, omnibus obviæ cottidie; nec tantùm *sudor faciei*, in quo comeditur panis, Genes. 3. sed Spiritualis imprimis miseria, animi imbecillitas, lucta varia cum *carne & sanguine*, cum *Principibus tenebrarum seculi* Ephes. 6:12. *peccatum inhabitans* Rom. 7:17. *Lex peccati in membris*. ibid. vers. 23. *corpus mortis* vers. 24. fragilitas, corruptio, mors. Hos ita variè laborantes & miserè afflictos venire jubet Dominus ad se.

§. 99. Eosdem dicit πεφορτισμένους *oneratos*, peccati nim. onere. Peccata gravissimum onus sunt. *Magnum est peccatum meum* מִנְּשֹׂא *præ quàm ferre possim*, sentiebat reprobus Cain. Genes. 4.13. כְּמַשָּׂא כָבֵד יִכְבְּדוּ מִמֶּנִּי *ut onus grave graves exstiterunt præ me*, queritur David de *pravitatibus* suis. Psal. 38:5. Peccatum enim cumulat in nos mortem, iram, maledictionem, æterna tormina, terrores, gravat conscientiam, accusat. Neque enim μύλος ὀνικὸς κρεμασθεὶς ἐπὶ τὸν τράχηλον Matt. 18:6. ulla ratione peccati pondus adæquat. Hos nunc *laborantes* & cum cottidianis malis tum animæ, tum corporis, graviter colluctantes. Et hos *oneratos*, qui peccati mole premuntur, & pœnis peccato imminentibus terrentur, ac ira Dei percelluntur, & æterna tormina horrent, Christus ad se venire jubet. Qui tamen nec tales essent, nisi Christus illos tales fecisset. Ex se enim nemo miseriam suam agnoscit, nec defectus suos sentit. Et oneràti.

§. 100. Calvinus noster monet in Harmonia sua, nonnullos *onus & laborem restringere ad legales ceremonias*, quos *nimis extenuare*, ait, *Christi sententiam*; quamvis *fateatur, intolerabile fuisse onus legis, & quod animas obrueret*. Stet igitur expositio allata, sed & addatur altera; nim. intelligit Christus per κοπιῶντας *laborantes* seu *defatigatos* etiam illos, qui ex diuturna latione legalis jugi, & protractione spei *laborem* & insignem defatigationem ac molestiam experti sunt. *Lex* cum *jugo* comparatur. Act. 15:10. Gal. 5:1. Et fuit certè *jugum* Lex præcipiens de sacrificiis, lotionibus, cibis & diebus, imposita sub comminatione maledictionis, exercita magno cum rigore in transgressores, habens instar *chirographi* Col. 2:14. in se *infirma & inutilis*, Hebr. 7:19. quæque planè cultores suos compressisset, nisi insimul habuisset σκιὰν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν Hebr. 10:1. & fuisset παιδαγωγὸς εἰς Χριστὸν Gal. 3:24. & *Sacramentorum* induisset naturam, quæ sub visibili imagine invisibilem repræsentant & obsignant gratiam. Hi ita κοπιῶντες, & cottidie τὰς αὐτὰς θυσίας προσφέροντες Hebr. 10:1. inde magis etiam ἐκοπίασαν & defatigati sunt, quod fuerunt *vincti spe* Zach. 9:12. hoc est, quod cottidie sperarunt gratiam ab initio promissam, & *implementum promissionis Patribus factæ* Actor. 13:32. ad quam τὸ δωδεκάφυλον ἐν ἐκτενείᾳ νύκτα καὶ ἡμέραν λατρεῦον speravit καταντῆσαι Actor. 26:7. quamque ἐπεθύμησαν ἰδεῖν & ἀκούειν, nec tamen εἶδον, nec ἤκουσαν, Matt. 13:17. à qua spe comparantur cum muliere ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, quæ κράζει ὠδίνουσα Apoc. 12:2. Et quidni Legis hujus cultores, & spei hujus adeò tardantis alumni cum κοπιῶσι *defatigatis* comparari possint, qui alibi dicuntur *sitientes* Deut. 29:19. Es. 55:1. *vincti in fovea sine aqua* Zach. 9:11. *fracti corde, captivi, lugentes* Es. 61:1.2. *Speculatores* Mich. 7:4. *parvo momento derelicti*, Es. 54:7. *mulier derelicta, mœsta Spiritu*? Es. 54:6.

§. 101. Nec frustra hi ita κοπιῶντες dicuntur πεφορτισμένοι *onerati*; nam superimpositum illis fuit aliud *onus*, non à Deo, sed ab hominibus, *Scribis*, *Pharisæis*, *Sacerdotibus*; multo gravius & durius illo jugo, quod portabant è præcepto Dei; de quo onere est Matt. 23:4. *ligant* φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων. con-

fer

fer Luc. 11:46. Scilicet onerarunt illi populum multis præceptis, omittentes τὰ βαρύτερα & meliora τοῦ νόμου; ἀποδεκατοῦντες τὸ ἡδύοσμον, καὶ τὸ ἄνηθον, καὶ τὸ κύμινον, Matt.23:23. injungentes βαπτισμοὺς ποτηρίων, καὶ ξεστῶν, καὶ χαλκίων καὶ κλινῶν, Marc.7:4. & talia plurima; sæpe etiam διὰ τὴν παράδοσιν αὐτῶν παραβαίνοντες τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ. Matt. 15: 3 – 6. διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων. ibidem ℣.9. adeò ut & hoc respectu miser populus, tempore inprimis Christi, admodum fuerit πεφορτισμένος; super quos etiam misericordia sæpe Servator commotus fuit, ὅτι ἦσαν ἐκλελυμένοι, ἐρριμμένοι ὡσεὶ πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα Matt, 9:36. Marc. cap. 6:34. Huc accessit onus servitutis *gentium*, quibus suberant, à quibus pro lubitu censebantur, & variè affligebantur, à quarum exercitibus tandem exstitit κυκλουμένη ἡ Ἱερουσαλήμ. Luc. 21: vers. 20. quam ob rem *Dominatores ejulârunt, & jugiter nomen* Dei *spretum* ac *blasphematum* fuit. Es. 52:5. Imò & onus frequentium exiliorum & rapinarum; denique plurimorum scandalorum in doctrina & operibus, ubi *in mendacium mutavit* legem Dei *stylus fallax scribarum*.

§. 102. Hi igitur, ut paucis repetam, dicti sunt à Christo οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι 1. Qui peccati sensu adfecti, & terrore illius perculsi, & onere illius pressi laborarunt. 2. Qui jugum & servitutem legis gestarunt, & longa spe emacerati sunt; imò & varie ab hominibus agitati, castigati, & vanis traditionibus ac institutis, ad superstitionem usque onerati fuerunt. Priori sensu hæc verba Christi conveniunt omni tempori. Posteriori, elapso tantum tempori prioris & Veteris Testamenti.

Et ego refocillabo vos.

§. 103. His venientibus ad se eximii quid promittit Dominus. *Et ego refocillabo vos.* Vox ἀναπαύειν requiem & refocillationem tum *animi*, tum *corporis* notat. 1 Cor. 16: ℣. 18. ἀνέπαυσαν γὰρ τὸ ἐμὸν πνεῦμα. conf. 2 Cor. 7:13. Philem. ℣. 7. 20. Matt. 26:45. καθεύδετε καὶ ἀναπαύεσθε. confer Marc. 6:31. Luc. 12:19. ψυχή, ἀναπαύου, φάγε, πίε εὐφραίνου. Hisce conformiter promittit Servator *requiem* omnem, & externam & internam, corporalem & spiritualem, temporalem & æternam.

§. 104. Si per κοπιῶντας, &c. intelligantur, qui è sensu peccati & iræ divinæ laborant, tunc sensus hujus promissi hic erit. Ego peccata vestra auferam, cum Deo vos reconciliabo, per Spiritum meum sanctificabo, dumque hic in terris agitis, ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον (1 Tim. 2: ℣. 2.) vobis procurabo, & post hanc vitam in veram vos quietem introducam, ut *quiescatis a laboribus vestris*. Apoc. 14:13. *Veniet in pace, requiescent in lectis suis*. Es. 57:1. & *postremo die* vos *resuscitabo*. Joh. 6:39. Gratuita peccatorum remissio, vera cum Deo reconciliatio, sanctificatio per Spiritum S. spes vitæ & salutis, sola tranquillat laborantes & oneratos. Hæc Christus adducit, applicat, donat. Ideò verè ἀναπαύει ἡμᾶς.

§ 105. Si autem intelligamus, sub *lege servientes*, &c. sensus erit, *ego* τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσω Galat. 4: 5. χειρόγραφον *abolebo* & *è medio tollam*. Col. 2:14. *jugum oneris tui, virgam Exactoris frangam* Es. 9:3. *fractos corde obligabo, captivis libertatem, vinctis apertionem promulgabo, annumque beneplaciti Domini, & omnes lugentes consolabor* Es. 61: ℣. 1. 2. confer Dan. 9:24. τὸ μεσότοιχον *solvam, pacemque nunciabo* Ephes. 2:17. Et *verè vos liberabo*. Joh. 8:36. ut *stetis in libertate* Galat. 5:1. & *remissio vobis annuncietur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Mosis justificari*. Act 13:38. 39. faciamque, ut non *destituamini* ulla re Psalm. 23:1. ut *fluvii è ventre vestro fluant aquæ vivæ* Joh. 7:38. & τὸ τῆς δόξης, καὶ τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύηται) in seculum 1 Petr. 4:18. vosque *edatis bonum, vinum & lac, & anima vestra in pinguedine delicietur*. Es. 55: ℣. 1. 2. 3. Libertas à lege, à commemoratione peccati, à scriptione chirographi, à servitute carnali; effusio Spiritus promissionis Sancti, benedictio in supercælestibus, hæreditas mundi, adductio gentium, tranquillavit illos, qui olim de-

defatigati fuerunt, & onerati institutis legalibus. Ita liberati *intrarunt in requiem Dei*, in σαββατισμὸν, qui olim ἀπολείπεται τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ. Hebr.4: 9.10.11. de qua καταπαύσει agitur Psal.95:11.

§. 106. Ita igitur Christus verè ἀναπαύει, unde & dicitur *Pax nostra* Ephes. 2: 14. שילה *Tranquillator*, Genes.49:10. *Rex Pacis* Hebr.7:2. *qui solatur nos ab operibus nostris, & dolore*, Genes. 5:29. παράκλητος 1 Joh.2:℣. 1. de quo Mosi dictum, *facies mea ibunt*, hoc est, Angelus faciei meus, והניחתי לך *& faciam te requiescere*, Exod.33:14. *In mansionibus graminis facit me quiescere*, על מי מנחות *ad aquas quietum ducit me*, Psalm.23: 2. confer Es. 11:10. והיתה מנחתו כבוד *& erit requies ejus gloria*. Psal. 116.7. *Redi anima mea* למנוחיכי *ad requiem tuam*, ut extra arcam Noæ *columba non inveniebat* מנוח LXX. ἀνάπαυσιν *locum quiescendi pedi suo*, Genes.8:9. ita nec extra Christum homo. confer Es.45. *Respicite ad me, & salvamini omnes fines terræ*.

§. 107. Qui *veniunt*, illos refocillabit, πᾶς γὰρ ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόληται Joh.3:16. οἱ ἀκούσαντες τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ Θεοῦ, ζήσονται. Joh.5:25. Igitur qui vult ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθὰς, & tranquillitate frui, & nunc, & in seculum, ἐρχέσθω πρὸς αὐτόν. Etiam qui veniunt, oportet, ut veniant ὡς κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, non enim eget Jesu refocillatore, qui non sentit κόπον & onus, quo premitur.

§. 108. Vocatis ita omnibus ad veniendum, exponit Dominus, quid à refocillatis suis exigat, quôque illos velit στοιχεῖν κανόνι, quidque φρονεῖν. Phil.3:16. Gal.6:16. ut ne gratiam illius ad carnis convertant indulgentiam, aut *libertas* illis sit ἐπικάλυμμα τῆς κακίας 1 Petr. 2:16. Ἄρατε, inquit, τὸν ζυγόν μου ἐφ' ὑμᾶς. *Tollite jugum meum super vos. Jugum* Christi succedit jugo veteri, hoc non consistit cum ἀναπαύσει, illud benè, jugum *meum*, inquit, quod vobis impono pro jure meo, sub quod πρέπει μοι vos mittere, quod decet *meos* subire, quod libertatem, quam peperi, non minuit. *Iugum* in communi usu est, quod boum junctorum collis imponitur. Olim hostes victi *mittebantur sub jugum*, hoc est, duabus hastis humi defixis hasta transversa super eas deligabatur. Has subire inermes cogebantur per ignominiam; & ita confessionem edere, se victos domitosque esse. L. Quinctius Cincinnatus id primus dicitur instituisse. Christi jugum, non est jugum boum, multo minus jugum ignominiæ. Tollite jugum meum.

§. 109. Intelligit Christus per *jugum suum* omne id, quod imponit suis, quodque portari vult à suis & suscipi, 1. *Legem justitiæ fidei*. 2. *Legem charitatis filialis*. 1 Joh.3:23. *Hoc est preceptum ejus*, ut *credamus*, & *amemus*. 3. *Crucem*, & afflictiones, per quas probari vult suos. Illa cum *jugo* comparat, quia illis continentur Sancti in ordine & officio, quia carni jugum videntur, quia sæpe jugi instar premunt, videlicet *crux*. Qui Christi sunt, oportet, ut *ad legem ejus præstolentur*. Es.42: 4. Jerem.31:33. Deut.30: 11.12.13. Rom. 10:6-10. Qui Christi sunt, oportet, ut in *amore ambulent*. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis*, ἐὰν ἀγάπην ἔχετε ἐν ἀλλήλοις. Joh.13:35. Hoc *preceptum novum dedit nobis, ut amemus nos invicem*. Joh. 13:34. 15:12. confer 1 Ioh.2:7.8. 2 Joh.℣.5.6. Qui denique Christi sunt, oportet *crucem* Christi ferant. Matt.16:24.25. Luc.9:23. πάντες οἱ θέλοντες εὐσεβῶς ζῆν ἐν χριστῷ Ἰησοῦ διωχθήσονται. 2 Tim. cap. 3: vers. 12. Actor. 14: vers. 22.

§. 110. *Tollite*, inquit, *super vos*, sponte suscipite, lubentes ferte, cum gaudio subite, carnem cogite in obedientiam. Conveniens est hoc jugum à Christi populo tolli. Credendum est in illum, in quo est justitia. Charitate prosequendus ille, qui infinita charitate nos prosecutus est. Crux ferenda propter illum, qui ob nos cruci adfixus est. Moriendum cum illo, per quem vivemus in futuro seculo.

 §. 111. Se-

Et discite à me. §. 111. Secundò exigit, μάθετε ἀπ' ἐμοῦ *discite à me*, à Christo Doctore discendum est. Debemus esse לִמּוּדֵי יְהוָה *Docti à Domino* in carne manifestato. Es.54: 13. ne simus כְּעֵגֶל לֹא לֻמָּד Jerem.31:18. Docuit Christus *verbo*, & *opere*. ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν 1 Pet. 2:21. *Discimus* à Christo, cum ad verbum & opera illius attendimus. *Didicimus*, cum secundùm verbum ejus ambulamus, & τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ ἐργαζόμεθα. Joh. cap. 6: vers. 28. Cumque multa doceat Christus, multaque discere habeamus à Christo, hic in specie duo commendat discenda, πραότητα καὶ ταπεινότητα. *Discite à me*, ὅτι πρᾶός εἰμι, καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. Τὸ ὅτι accipi potest εἰδικῶς, ut significet, quid à Christo discere debeamus. Sumi etiam potest αἰτιολογικῶς, ut causa indicetur, cur à Christo discere debeamus, nimirum quia *mansuetus* est,&c. ne accedere aut discere vereamur ab illo, qui benignus magister est, cujus nec terribilis vox, nec horribilis forma, nec splendor oculos stringit; qui ipse ἔμαθε ὑπακοήν. Hebr.5.8. Sed nunc primum tenemus. *Mansuetudo* Christi discenda & imitanda est, τὴν πραότητα describunt Ethici μεσότητα περὶ ὀργάς. Aristot. libr. 4. Ethic.cap.4:vers.5. ὁ πρᾶος οὐκ ἔστι τιμωρητικὸς, *non est ad puniendum pronus*, ἀλλὰ μᾶλλον συγγνωμικὸς *sed potius ad ignoscendum*. Habemus Servatorem non τιμωρητικὸν, sed συγγνωμικόν. Ita *mansuetus* fuit, ut nec temerè iras conceperit, nec vindictam ab hostibus ceperit, ὃς λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει,&c. 1 Petr.2:vers.23. confer 2 Cor. 10:1. *Ego Paulus hortor vos* διὰ τῆς πραότητος καὶ ἐπιεικείας τοῦ χριστοῦ. Deinde & *humilitas cordis*, non decet *gestu* tantùm, sed & *corde* humiles esse. Nonne *humilis* fuit Christus, qui *se ipsum* ad ima *humiliavit*; Phil.cap.2.vers.8. confer Hebr.cap.12:vers.2. quique in tota vita sua fuit semper συναπαγόμενος τοῖς ταπεινοῖς. Rom.cap.12:v.16. Extrema πραότητος sunt ὀργιλότης & ἀοργησία, secundùm Aristotelem, seu ἀμότης & ἀναλγησία secundùm Plutarchum. Oppositum ταπεινότητος est ὑπερηφανία (Marc. cap. 7: vers. 22.) πραότης parcit infirmis, condonat lædentibus. Ταπεινότης servit & patitur. Utraque virtus necessaria est *tollentibus jugum Christi*, μετὰ πάσης enim ταπεινοφροσύνης καὶ πραότητος (Ephes.cap.4:vers.2.) credendum est in illum, amandus est ille, crux ferenda est pro illo. Utraque virtus etiam habet promissiones. Matt.cap. 5: vers. 5. *Beati* οἱ πρᾶοι, &c. Galat.cap.5:vers.22. *Fructus Spiritus*, *est* πραότης. Jacob.4:6. 1 Petr.5:5. ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν. 2 Cor.7:6. ὁ παρακαλῶν τοὺς ταπεινοὺς ὁ θεός. Matt.23:12. *Qui* ταπεινώσει ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται.

Et invenietis requiem. §. 112. Tollentibus jugum, & discentibus promittit, καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν. confer Jerem.6:16. *Et invenite requiem animabus vestris*, וּמִצְאוּ מַרְגּוֹעַ לְנַפְשְׁכֶם. Certè qui tenet fidem, charitatem, suffert crucem, id quod est *tollere jugum* Domini, ille demùm in corde tranquillitatem sentit. *Pax Dei* custodit *cogitationes* illius, Phil. cap.4: vers.7. ἀφόβως *servit Deo*. Luc. cap. 1:vers.47. *Cor illius non condemnat illum*. 1 Joh.3: vers.21. Est in illo τὸ ἄφθαρτον τοῦ πραέος καὶ ἡσυχίου πνεύματος. 1 Petr.3: vers.4. Nam qui credit, scit se non periturum. Joh.3:16. 6:40. Qui amat, scit se amatum. *Omnis*, qui *amat, è Deo natus est, & cognoscit Deum*. 1 Joh:4:7.10. Qui *patitur* ἕνεκεν χριστοῦ καὶ δικαιοσύνης (Matt.5:10.) scit, μισθὸν αὐτοῦ fore πολὺν *in cælis*. Matt. 5: 11. εἰ συναπεθάνομεν, καὶ συζήσομεν, εἰ ὑπομένομεν καὶ συμβασιλεύσομεν. 2 Tim. 2: 11. 12. confer Rom. 5: 3.4.5. De his gratiis, qui certus est, quidni sentiat ἀνάπαυσιν ἐν τῇ ψυχῇ? dicens, *confidam, non timebo, nam robur meum Dominus, & exstitit mihi in salutem*. Es.12:2. Pariter qui est πρᾶος καὶ ταπεινὸς non potest non *quiete* gaudere, neque enim sibi conscius est ullius injuriæ illatæ proximo, quæ ταράσσειν solet καρδίαν, neque metuit vindictam hostilem, quæ vim illatam vi, & injuriam injuria repellat, non ὀργίζεται τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῇ,

εἰκῆ, quod *obnoxium facit* τῇ κρίσει, *non dicit illi* ῥακὰ, quod τῷ συνεδρίῳ, non μωρὲ, quod eſt εἰς γέενναν τοῦ πυρός. Matt.5:22. Ita qui facit, is verè ἔμαθε τὸν χριστὸν. Epheſ.4:20. qui ſecus, de illo dicimus cum Apoſtolo, ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως ἐμάθετε τὸν χριστόν.

§. 113. Id denique ad encomium jugi à ſanctis tollendi facit, quod addit Dominus, ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστὸς *jugum enim meum eſt facile*, ſeu *ſuave*, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστιν *& onus meum leve eſt*, dura ſervitutis juga, & verbera, & reliqua mala horreat quis, non ſuave hoc jugum, & leve hoc Chriſti onus. Quid ſuavius, quàm *credere* remiſſionem peccatorum, reconciliationem, redemtionem? quid ſuavius, quam *amare*, quod ipſum maximè ſecundùm naturam eſt? Imò omnis *crux* ſanctorum levis eſt. Chriſtus illam portat in nobis, afflictiones noſtræ ſunt ipſius. Col.1:24. Omnis πειρασμὸς eſt ἀνθρώπινος, & πιστὸς ὁ θεός. 1 Cor.10: 13. καρπὸν εἰρηνικὸν ἀποδίδωσι. Hebr.12:11. confer Rom.8:18. 2 Cor.5:17. adde Tren. 3: ℣. 27. טוב לַגֶּבֶר כִּי־יִשָּׂא עֹל *bonum viro, quod tollit jugum.* Qui hoc jugum tollunt, habent inde ἡδονὰς μάλιστα γνησίως, τὰς τε τέρψεις εἰλικρινεῖς καὶ βεβαιοτέρας; bonam conſcientiam, *laudem è Deo.* Rom.2:29. Non eſt in ſubitione hujus jugi ἁμαρτίας ἀνάμνησις, non ἀσθενὲς quid aut ἀνωφελὲς, ſed multa πληροφορία, ſpei roboratio, fidei confirmatio, charitatis incitatio.

§. 114. Secundum teneat locum memorabilis ſententia Chriſti, Matt.12:31.32. confer Marc.3:℣.28.29. Luc.12:10. Dixerant Phariſæi. *Ejicit dæmonia in Beelzebul.* Matt. 12: verſ.24. πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει. Marc.3:30. Id à ſe Chriſtus maximis amolitur argumentis, Matt.12:25–30. adeoque oſtendit, hoc per malitiam & calumniam ab illis dici, præter ſcientiam & conſcientiam. Denique addit. Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus*, ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται *hominibus*, docens, Phariſæos ita malitioſè de ipſo cogitantes & loquentes reos fieri irremiſſibilis hujus blaſphemiæ. Igitur hoc *verbum* Chriſti non eſt propriè *admonitorium*, ac ſi Chriſtus monere voluerit Phariſæos, ut caveant à peccato hoc, cui valde propè ſint; ſed eſt *indicatorium*, hoc eſt, indicat Chriſtus, Phariſæos peccati illius reos jam eſſe, id liquet è Marc.3: 29.30 *Qui blaſphemaverit* in Spiritum S. *non habet* ἄφεσιν, ὅτι ἔλεγον, &c. quaſi dicat, vos blaſphemaſtis in Spiritum, quia hoc dixiſtis. Certè dicere, Chriſtũ in ſpiritu impuro feciſſe, quæ fecit, eſt blaſphemare in Spiritum. Id dixerunt Phariſæi. Deinde, qui dixit λόγον κατὰ τοῦ πνεύματος, is hujus culpæ reus eſt. Id dixerunt Phariſæi. Non quidem invehitur acrius in illos Chriſtus ſed mitius agit, nam qui hujus peccati rei ſunt, quid in illos multum invehâris? deplorandi potius ſunt, quàm objurgandi, objurgationes illis prodeſſe non poſſunt. Neque omnes hujus culpæ forſan extiterunt rei, certè non illi, qui, quod fecerunt, κατὰ ἄγνοιαν ἔπραξαν. Act.3:17. Attamen omnes illi, qui convicti Chriſtum egiſſe, quæ egit *in Spiritu S.* pertinaciter nil minus dixerunt, *in Beelzebul facit*, imò &, qui cum *agricolis* illis *filium Domini* ſui noſcentes, nil minus dixerunt, δεῦτε ἀποκτείνωμεν αὐτὸν, Matt. 21: 38.45. ab hac noxa excuſari non poſſunt. Locus Matt. 12: 31. 32.

§. 115. Πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία, Marc. 3: 28. πάντα τὰ ἁμαρτήματα καὶ βλασφημίαι, ὅσας ἂν βλασφημήσωσιν. Loquitur *univerſaliter. Omne* peccatum, ita tamen, ut blaſphemia in Spiritum S. excipiatur. Omnis blaſphemia remittitur, ſed Spiritus Sancti non. Ergo *omnis*, & *non-omnis*. Hinc quidam vertunt, *quodvis peccatum*, hoc eſt, omnis generis peccatum. *Peccatum & blaſphemia* differunt. Omnis blaſphemia eſt peccatum, non tamen omne peccatum eſt blaſphemia, φόνοι, μοιχεῖαι, πορνεῖαι, κλοπαί, ψευδομαρτυρίαι ſunt certè peccata; at non βλασφημίαι. Matt.15:19. Igitur vox ἁμαρτία eſt *generalis*, βλασφημία *ſpecialis*, unam peccati ſpeciem notans. Peccatum blaſphemia.

§. 116. *Omne peccatum* inquit, notatur omnis ἀδικία, ἀνομία, ἀπείθεια, omnisque actio mala & vitiosa; *& blasphemia.* Putant nonnulli hæc duo jungi & dici, *pro omne peccatum blasphemiæ*; ut ita genus & species copulentur; sed malumus duo vocabula distinctè accipere, quemadmodum & Marcus distinctè ponit 1. Πάντα τὰ ἁμαρτήματα. 2. Καὶ βλασφημίαι. Βλασφημία derivatur à βλάβη, & φήμη, quasi *noxa famæ* illata, βλάσφημος est, qui βλάπτει τὴν φήμην. Omne verbum contumeliosum, quo honori & famæ ac gloriæ alterius detrahitur, est βλασφημία. Dicitur *Deus nomenque* illius blasphemari. Apoc. cap. 16: vers. 21. καὶ ἐβλασφήμησαν *homines* τὸν Θεόν. Apoc. cap. 13: vers. 6. *Et aperuit bestia os suum*, εἰς βλασφημίαν πρὸς τὸν Θεόν, βλασφημῆσαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ. confer Rom. cap. 2: vers. 24. Actor. cap. 6: vers. 11. Imò & *homo.* 1 Cor. cap. 4: vers. 13. βλασφημούμενοι παρακαλοῦμεν, Tit. cap. 3: vers. 2. μηδένα βλασφημεῖν. adde 2 Petr. cap. 2: vers. 10. Jud. vers. 8. Act. cap. 6: vers. 11. Denique & *aliæ res.* Apoc. cap. 13: vers. 6. βλασφημῆσαι τὴν σκηνὴν αὐτοῦ. Actor. 6: 13. ῥήματα βλάσφημα κατὰ τοῦ τόπου τοῦ ἁγίου τούτου καὶ τοῦ νόμου. 2 Petr. 2: 2. δι' οὓς ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας βλασφημηθήσεται. Jud. vers. 10. ὅσα οὐκ οἴδασι βλασφημοῦσιν. Id Hebræis est גדף & חרף quorum posterius non in verbis tantùm consistit, sed & in factis. Num. 15: 30. *Et anima, quæ fecerit manu elata Dominum illa* מְגַדֵּף *contumelia afficit.* Ezec. 20: 25. *Adhuc* זאת *hac re* גִּדְּפוּ *contumelia me affecerunt Patres vestri.* Ita & forsan 1 Tim. 1: 20. *quos tradidi Satanæ*, ἵνα παιδευθῶσι, μὴ βλασφημεῖν, de *Hymeneo* loquitur & *Alexandro.* Itaque & verbis & factis blasphemamus.

§. 117. Homo blasphemat in *Deum*, cum contumeliosè de Deo, sine honore & reverentia loquitur, & ita cum illo agit, sic *Pharao* Exod. 5: vers. 2. *Quis est Dominus, cui obediam?* sic *Rabseca.* Es. 37: 10. *Ne decipiat te Deus tuus.* confer vers. 23. כִּי חֵרַפְתָּ וְגִדַּפְתָּ Sic *Nebucadnezar.* Dan. 3: vers. 15. *Quis est Deus, qui liberabit vos è manu mea?* Hoc est חָרֵף אֱלֹהִים חַי *blasphemare* seu *contemtim loqui de Deo vivo.* Es. 37: 4. ὀνειδίζειν, ὑβρίζειν. Deinde, cum ea, quæ Dei sunt, sibi attribuit, aut alii creaturæ. Ita Pontifices, quum Christus se *Filium Dei* diceret, judicabant illum βλασφημεῖν, ἠκούσατε τὴν βλασφημίαν αὐτοῦ. Matt. cap. 26: vers. 65. Marc. cap. 14: vers 64. confer Joh. cap. 10: vers. 33. Imò cum diceret, *remissa sint tibi peccata tua*, dicebant οὗτος βλασφημεῖ, Matt. 9: 3. confer Marc. 2: 7. λαλεῖ βλασφημίας. Tertiò, cum *Deo* negat, quæ Deo sunt propria, ut si quis justitiam, sapientiam, potentiam illius vocaret in controversiam. Denique, cum Deo attribuit, quæ cum natura & gloria ejus pugnant; ut si diceret Deum *mortalem*, mutabilem, mendacem, &c.

§. 118. Homo *blasphemat* proximum, cum conviciis & probris illum afficit. Ita Judæi *blasphemabant Iesum in* cruce. Matt. 27: 39. 40. Marc. 15: 29. Luc. 22: 65, καὶ ἕτερα πολλὰ βλασφημοῦντες ἔλεγον εἰς αὐτόν. Etiam unus τῶν κρεμασθέντων ἐβλασφήμει αὐτόν, *si es Christus, serva te & nos.* Luc. 23: 39. Item cum falsa illi affingit, & contraria illis, quàm sentit aut locutus est. Rom. 3: 8. *ut* βλασφημούμεθα, *& ut dicunt quidam nos dicere.* Imò & hoc dicitur βλασφημία, cum quis aliter de se ipso præsumit, quàm re ipsa est Apoc. 2: 9. *Novi blasphemiam dicentium, Judæos esse se ipsos, & non sunt, sed synagoga Satanæ.* Apparet ex dictis blasphemias varias esse & multas. Ideò Marc. 3. 28. βλασφημίαι, ὅσας ἄν, & Matt. 15. 19. βλασφημίαι.

Sermo contra Filium hominis.

§. 119. In specie addit Christus, quod & *omnis sermo dictus contra Filium hominis* sit remissibilis, καὶ ὃς ἂν εἴπῃ λόγον κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἀφεθήσεται αὐτῷ, Matt. 12: 32. confer Luc. 12: 10. Intelligendum hoc cum restrictione. Nam & sunt *verba* contra Filium hominis, quæ non remittentur, ut verbum hoc Pharisæorum. *Spiritum immundum habet, in*

Beel-

Beelzebul,&c. Ergo omne verbum, quod Christum quasi solum tangit, nec simul injurium est in Spiritum S. & immune à blasphemia in illum.

§. 120. Exempli gratiâ, Christus est *Filius Dei & Hominis*, quâ illud, genitus est ab æterno, & unctus, quà hoc, natus est in tempore, factus homo, docuit, mortuus est, sepultus, resurrexit, ascendit, Spiritum effudit, ad dextram consedit. Si quis dicat verbum contra hæc Christi, non rectè sentiens aut de illius genitura & ordinatione, aut de illius incarnatione, operibus, morte, gloriis, aut de illius merito & beneficiis, ille non potest ab omni remissionis spe excludi, dummodò resipiscat, nec errorem suum scienter, volenter, contumaciter, per malitiam, contra conscientiam & lumen Spiritus S. tueatur & foveat. Nam qui ita loquitur contra Filium hominis; nec, utut convictus, desistere vult à tali sermone, certè ille committit βλασφημίας τῦ πνεύματος, & εἰπεῖ λόγον κατ' αὐτεῖ; & sic peccatum, aliàs remissibile, per obstinatam & insuperabilem peccantis malitiam, fit irremissibile.

§. 121. Potest quis etiam *dicere verbum contra Spiritum*, & non rectè loqui de illius divinitate, egressione; aut de illius operibus, puta, sanctificatione nostra, obsignatione, testimonio in cordibus nostris, intercessione, &c. sanè si id faciat per errorem, per infirmitatem, citra obstinationem, pertinaciam & malitiam, remitti id illi possibile est.

§. 122. Id etiam animadverti potest. Filius hominis quædam egit *solus*, quædam in Spiritu Sancto & cum illo. Solus filius est natus, non Spiritus, solus mortuus, solus resurrexit, solus ascendit, quamvis sit conceptus è Spiritu, & vivificatus Spiritu. Ita & *effundi, immitti in corda, clamare Abba*, Spiritui competit, non Filio. Sed quædam egit, quæ Spiritus unà egit cum illo, ex. gr. *locutus est & testatus*, nec solus id, sed Spiritus in illo, ille in Spiritu, hinc dicit Joh. 3: 11. *quod novimus, loquimur, quod vidimus, testamur*, Ego nimirum & Spiritus. Imò miracula fecit *in Spiritu*, hoc est, Spiritu agente & operante in illo & per illum. Matt. 12:28. *Ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia.* Fortè qui dicit verbum contra illa, & blasphemat, quæ Filius Dei in Spiritu Dei fecit, citius reus fit τῆς τοῦ πνεύματος βλασφημίας.

§. 123. Dum autem Christus dicit, *omne peccatum remittetur*, non hæc est illius mens, omnia peccata hominibus remittenda; solo illo in Spiritum S. teneri illos, nam multi pro peccatis aliis & plurimis luent in æternum, qui forsan nunquam rei facti sunt *blasphemiæ in Spiritum*. Sed hoc vult; paratam spem veniæ & remissionis peccantibus quodvis peccatum, præter unum hoc insigne & execrabile. *Remittitur*, inquit, hoc est, remissibile est, & actu remittetur. Si nimirum accedant, quæ accedere oportet, πίστις καὶ μετάνοια. (Actor. 20:21.) Citra μετάνοιαν nulla peccati remissio est, ἀμετανόητος καρδία θησαυρίζει ἑαυτῷ ὀργήν. Rom. cap. 2: vers. 5. Causa remissionis peccatorum est *in sanguine* Jesu. 1 Joh. cap. 1: vers. 7. Ephes. cap. 1: vers. 7. Col. 1: vers. 14. χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις. Hebr. 9:22. Idem sanguis meritus nobis est μετάνοιαν *purgat enim à peccato* 1 Joh. cap. 1: vers. 7. *purgat conscientiam ab operibus mortuis.* Hebr. cap. 9: vers. 14. *lavat* Apoc. 1: 5. Hinc immediatè juncta sunt μετάνοια καὶ ἄφεσις. Actor. 5: 31. δοῦναι μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Luc. 24:47. κηρυχθῆναι μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν. Ideò hic sensus est Christi, *omne peccatum remittetur*, per fidem in sanguine Jesu, & veram resipiscentiam, quæ remissionis consequens, effectus, & σφραγὶς *sigillum* ac obsignatio est. Quis sensus, omne peccatum remittetur.

§. 124. Dum Christus dicit, πᾶσα ἁμαρτία memores simus Psalm. 103: 3. *Remittens* לְכָל־עֲוֹנֵכִי *sanans* לְכָל־תַּחֲלֻאָיְכִי Mich. 7: 19. *Projicies in profunda maris* כָּל־חַטֹּאתָם: Es. 1: 18. *Si sint peccata vestra ut coccinum, ut nix albescent.* 1 Joh. cap. 1: vers. 7. ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας Luc. 7: 47. ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαί. Ne dicas igitur Genes. cap. 4: vers. 12.

 מִנְּשֹׂא

גָּדוֹל עֲוֺנִי מִנְּשֹׂא *magna est pravitas mea præ condonare* (Exod. 34:7. נֹשֵׂא עָוֺן) Christus dixit *Omnia peccata remittentur.*

Blasphemia Spiritus. §. 125. De peccato autem non remittendo ita Christus. ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία. Matt. 12:31. ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου. ibid. vers. 32. ὃς δ' ἂν βλασφημήσῃ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Marc. 3:29. Luc. 12: vers. 10. *Blasphemia Spiritus* est irremissibilis. *Spiritus* non hic est causa efficiens, sed objectum. *Blasphemia Spiritus* & blasphemia in aut contra Spiritum, de quo peccato ita August. Serm. x1. de verbis Domini. *Forte in omnibus Sanctis Scripturis, nulla major quæstio, nulla difficilior invenitur* & Isidorus Pelusiota. libr. 1. epist. 59. ζήτημα πολλοῖς μὲν ἐρευνηθὲν μόνοις δὲ τοῖς θεοπνεύστοις καταληφθέν.

§. 126. *Spiritus*, de cujus βλασφημίᾳ nunc sermo nobis, est tertia Trinitatis Persona, quæ non *essentia* tantùm ratione est πνεῦμα, sed & cujus personale nomen est *Spiritus Sanctus*; id quod liquet è Matt. 12:32. ὃς ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου .... ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ πνεύματος ἁγίου. *Blasphemia* autem *Spiritus* est dictum & factum contumeliosum in Spiritum. Et βλασφημῆσαι εἰς τὸ πνεῦμα, est, dicere & facere contumeliosa, per quæ gloria & veritas Spiritus læditur; & horrenda in Spiritum malitiosè committere, nec à conviciis temperare, irridere Spiritum, quæ Spiritus sunt, tribuere alii, & nihil turpe ducere aut Spiritui injurium. Blasphemia hæc fit *ore*, ὃς ἂν εἴπῃ λόγον, adeoque consistit in sermone. Egreditur è *corde*. Matt. 15: vers. 19. ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχονται βλασφημίαι. *E plenitudine cordis* blasphemantis *loquitur os* ῥήματα βλάσφημα. Demonstratur *opere*; cujus enim cor & os βλασφημίας δρᾶς καὶ πικρίας γέμει, illius opera non possunt non esse illi conformia, & tendere illuc omnia, ut magis blasphemetur, & contumeliis afficiatur, εἰς ὃν καὶ τὸ στόμα καὶ ἡ καρδία ἐβλασφήμησε.

§. 127. Blasphematur autem τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, vel in *Persona* sua, vel in *operationibus* suis. Si quis dicat, Spiritum non esse, aut non esse Deum, nec æternum, nec infinitum, nec bonum, nec sanctum, idque pertinaciter & malevolè, & ex odio, quo in Spiritum fertur, contendat, certè is βλασφημεῖ εἰς τὸ πνεῦμα. *Operationes* Spiritus, pro varietate objectorum, in quibus illas efficit, variæ sunt. In *Christo* θεανθρώπῳ operatus est; dona largitus est illi οὐκ ἐκ μέτρου. In illo locutus est, & miracula fecit. Si quis nunc dicat, Christum locutum esse, & mirabilia egisse in Beelzebul, certè is & Christum blasphemat, & Spiritum in Christo & cum illo. In *Apostolis* operatus est, quibus dedit λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, & ἀποφθέγγεσθαι τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ, Actor. 2:4. 11. quos *docuit omnia* Joh. 14: 26. & *duxit in omnem veritatem* Joh. 16: 13. Si quis dicit, γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί, contra evidentem veritatem, idque pertinaciter tueatur; imò si quis dicat, Spiritum impurum, mendaciorum patrem illa in illis effecisse, certè is blasphemat Spiritum, & è bono facit malum, è vero mendacem, è Sancto impurum ac profanum. In omnibus *Sanctis* operatur; dona enim illa, quibus differenter abundant, acceperunt à Spiritu omnia. 1 Cor. 12:4–11. Si quis hæc dona Spiritus in illis, dona precum, zeli, castitatis, patientiæ, &c. dicit carnis opus, vergere ad ostentationem, esse hypocrisin, &c. næ is insigniter blasphemat Spiritum, horum omnium effectorem, & contumelia hæc recidit in illum. Hoc forsan habuerunt in mente illi è Scholasticis, qui *blasphemiam in Spiritum* dixerunt esse *invidentiam gratiæ*; quo facit illud Anastasii Niceni quæst. LXVIII. in scripturam. *Liquet & hodie blasphemum esse in Spiritum Sanctum, quicunque operationes & fructus, Spiritus Sancti Adversario adscribit, quod plerisque nobis accidit, quando pietatis ac virtutum studiosum plerumque ausu temerario inanis gloriæ cupidum denominamus, &*

bonum

bonum alicujus zelum, iram falso vocamus, & alia similia ex malis suspicionibus mendaciter diffamia reddimus.

§. 128. Τὸ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον βλασφημεῖν distinguendum est ab aliis illis exorbitantiis, quæ in Spiritum committuntur etiam à Sanctis; quale est, de quo dehortatur Paulus 1 Thes. 5: 19. τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε. Ephes. 4: 30. μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα. Gal. 5: 17. *Caro* ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος. Imò & aliud est, quod fecit Ananias Actor. 5: 3. *Cur implevit Satan cor tuum*, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Et quod dicitur Es. 63: 10. וְעִצְּבוּ אֶת רוּחַ קָדְשׁוֹ *& dolore affecerunt Spiritum Sanctum ejus*, Imò &, quod Actor. 7: 51. objicit Stephanus Judæis, ὑμεῖς ἀεὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντιπίπτετε, ὡς οἱ πατέρες ὑμῶν. Nam hæc omnia talia sunt, ut *remittantur*: hæc autem blasphemia *remittitur* nunquam.

§. 129. Igitur inquirendum, unde sic enormis fiat hæc blasphemia, & sic execrabilis sit Unde illius enormitas.
ita blasphemans. Blasphemarunt alii, & ἠλεήθησαν. Paulus dicit se fuisse βλάσφημον, καὶ διώκτην καὶ ὑβριστήν; sed qui id *fecit* ἀγνοῶν ἐν ἀπιστίᾳ 1 Tim. 1: 13. Notantur & alii, quos idem Paulus, περισσῶς ἐμμαινόμενος αὐτοῖς, coëgit βλασφημεῖν Actor. 26: 11. Petrus *abnegavit* Dominum, μεθ᾽ ὅρκου, καταναθεματίζων & ὀμνύων. Matt. 26: 70--75. Sed blasphemans in Spiritum nunquam ἐλεηθήσεται.

§. 130. Certè detestabilis hujus peccati enormitas etiam ex adjunctis illius & circumstantiis magis elucescit, nimirum illi qui βλασφημοῦσιν εἰς τὸ πνεῦμα, *norunt* ὃ βλασφημοῦσι; Spiritum, & ea quæ sunt Spiritus; itaque non βλασφημοῦσι ὅσα οὐκ οἴδασι, Jud. vers. 10. Sed βλασφημοῦσι ἃ οἴδασι. Deinde non faciunt id ἀγνοοῦντες, ut Paulus, nec coacti, nec infirmitate abrepti, ut Petrus; sed scientes, volentes, ex odio destinato, contra scientiam & conscientiam. Denique faciunt id horrendum in modum, abnegant, oppugnant, blasphemant, & in illo pertinaciter perdurant. Notitiam hanc hauserunt, non è nuda hominum institutione; sed *illuminati* sunt à *Spiritu*, qui ut *redarguit mundum de peccato*, ita & convincit *de justitia*, hoc est, de eo quod justum, rectum, verum est. Joh. 16: 8. Hæc omnia inesse τοῖς οὕτως βλασφημοῦσιν, ex ipsis constat Pharisæis. Dicebant: *In Beelzebul ejicit dæmonia.* Atqui convicti erant, *Satanam non ejicere Satanam* Matt. 12: 25. 26. Tamen contra conscientiam, è mera malitia, agnitam veritatem blasphemant & impugnant. Etiam Paulus docet, τοὺς παραπεσόντας, & ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ παραδειγματίζοντας, quosque ἀδύνατον πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, quibus verbis si non præcisè describit *blasphemantes in Spiritum*, certè tamen illos, qui gravissimo peccato tenentur, & proximè accedente ad hoc in Spiritum Sanctum, hos, inquam, docet, *fuisse semel illuminatos, participes factos Spiritus Sancti, gustasse bonum Dei verbum.* Hebr. 6: 4. 5. 6. Et Hebr. 10: 26. 29. illos, qui *conculcant Filium Dei*, qui *sanguinem Testamenti profanum ducunt*, & *Spiritum gratiæ* ἐνυβρίζουσι, docet ἑκουσίως *spontaneè peccare*, μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας.

§. 131. Ex quibus concludere difficile haut est, quænam sit formalis constitutio *peccati*, seu *blasphemiæ*, dictæ *in Spiritum*, nimirum Christum, opera Christi, doctrinam veritatis, dona gratiæ, de quorum bonitate & integritate convictus es, per illuminationem Spiritus Sancti, spontaneè, scienter, volenter, ex odio & malitia, blasphemare, conculcare, ignominia notare, exemplare, id verè est βλασφημεῖν εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Quia autem ita blasphemans, imprimis agit contra Spiritum illuminantem, ideò hoc peccatum non tam contra *veritatem*, quàm contra *Spiritum Sanctum* dicitur. Etiam nemo hujus peccati reus pronunciandus est, qui non antea convictus fuerit per illuminationem Spiritus de veritate

Chri-

Christi & Euangelii; adeoque cum scientia, & libera voluntate, & spontaneo motu, citra coactionem rejicit & contumeliosè prosequitur id quod de Christo, de Euangelio, de Spiritu Christi tenet & agnovit.

§. 132. Et licet vix possibile videatur, ut quis blasphemet id, de cujus veritate plenè est persuasus & convictus; cum voluntas semper sequatur intellectum, & ab eo determinetur; tamen experientia abunde docet, homines sæpissimè agere secus, quàm intelligunt, *videre meliora* cum Medea, *& probare*; *deteriora sequi*; *mortem* quærere, & volentes cæcutire. Solent hic vulgo distinguere inter *judicium* intellectus *theoreticum* & *practicum*; hocque esse vel *absolutum*, vel *relatum* sive *comparatum*. Item, *primum* & *ultimum*; quæ omnia satis benè ad rem faciunt.

§. 133. Dicitur autem hoc peccatum *in Spiritum sanctum*; non quod non sit & in *Patrem* & in *Filium*; qui enim dicit Filium ejicere dæmonia in Beelzebul, non tantùm Spiritum, in quo, sed & ipsum Filium, qui illa ejicit, blasphemat. Pariter, qui dona in Sanctis blasphemat, non *Spiritum* tantùm, sed & Filium, qui *dona accepit in hominibus*, Psal. 68. imò & Patrem, cujus *divina potentia nobis omnia donat* 2 Petr. 1. blasphemat. Ita sunt ὅτι οἱ τρεῖς ἕν 1 Joh. 5: 7. ut qui unum *honorat*, & alium honoret Joh. 5: 23. qui unum blasphemat, omnes tres blasphemet. Attamen, quia in Spiritum Sanctum, ut applicatorem donorum, quæ Pater dat, Filius acquisivit, hoc peccatum insigniter committitur, ideò & ab illo denominatur. Potest quis peccare in Patrem, imò & in Filium, nec tamen directè in Spiritum: non potest quis ita peccare & blasphemare in Spiritum, qui non simul blasphemet Patrem & Filium.

§. 134. Blasphemiæ in Spiritum Sanctum possunt rei fieri, etiam qui sunt extrà Christum. Tales erant Pharisæi, nec baptizati, nec credentes in illum. *Extra Christum* hoc tantùm sensu dico, quatenus nunquam professionem susceperunt Christi. Attamen oportet, ut convicti sint de Christi veritate & operum & doctrinæ ejus. Nec requiritur ad essentiam hujus peccati, ut omnis veritas, & omnia religionis capita blasphementur. Pharisæi Mosen, nec omnem Mosaicæ doctrinæ veritatem non blasphemabant. Satis est, si caput & fundamentum omnis veritatis, Christus Jesus, blasphemè impugnatur.

§. 135. Neque restringendum est hoc peccatum, vel ad tempora Christi in terra agentis tantùm, vel ad tempora Apostolorum; sed ad omnia Novi Testamenti se extendit tempora. Imò in ultima hac hora, ubi tanta vi ἐλέγχῳ Spiritus, ubi tanta est frequentia ἀποστασιῶν, ubi tam pertinax mendacii amor, plurimi forsan cottidie rei illius constituuntur. Fuit & locus crimini *huic* stante Veteri Tabernaculo; ubi nonnulli dicuntur *fecisse malum* בְּיָד רָמָה *manu elata* Num. 15: 30. & immersi sunt illis *contumaciis*, quibus Psalmista se petit subtrahi, quo esset *immunis à defectione magna*; nec videtur potuisse hostibus tanta dira imprecari, nisi certum habuisset, illos θεομαχεῖν contra scientiam suam & conscientiam.

Non remittitur. §. 136. De hac autem blasphemia affirmat Dominus, quod *non remittetur*. οὐκ ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις. Matt. 12: 31. Luc. 12: 10. Est igitur irremissibilis, non quatenus, ut *plurimum non*, aut *difficulter* remittitur, sed quia nunquam à Deo remittitur; justitia illius id postulante. Atrocissimum enim est peccatum, tum *objecti* ratione, quia in totam committitur Trinitatem; tum *subjecti*, quia fit spontaneè, contra illuminationem & mentis convictionem; tum *modi*: quia est plenum malitia, & omni genere indignitatum, est quasi *iterata* Christi *crucifixio*, illius παραδειγματισμός, est ὕβρις, est *conculcatio* Filii Dei, est Spiritus *contumeliosa traductio*. Nec prodest rogare, annon per potentiam suam

Deus

Deus illud abolere possit; an vis mortis Christi & satisfactio illius non sufficiat illius expiationi; an Spiritus Dei blasphemantem in se non possit regenerando convertere. Scimus enim, non velle Deum detestabilem hanc malitiam, in se, in Principem salutis, Christum, in applicatorem, Spiritum perpetratam, remittere unquam. Canibus his & porcis non vult projicere *margaritas*, Matt. 7:6. nec in adeo desperatè corruptis gratiæ suæ prodigere pretium. Est in hoc peccato quasi ὑπερβολὴ τ̃ κακίας, nec ullius peccati intensior est malitia. Peccatum Adami & Evæ plus habuit noxietatis extensivæ. Blasphemia in Spiritum plus habet malitiæ intensivæ. Est verè ἁμαρτία πρὸς θάνατον, 1 Joh. 5:16. mortem enim æternam parit inevitabiliter. Ἀδύνατον est, οὐ̃ ὕτως ἁμαρτάνοντας ἀνακαινίζειν. Heb. 6:6. לֹא־יֹאבֶה יְהוָה סְלֹחַ לָהֶם *non volet Dominus illis remittere.* Deut. 29:20. περὶ ταύτης τ̃ ἁμαρτίας οὐκ ἔτι ἀπολείπεται θυσία. Heb. 10:26.

§. 137. Etiam inde magis constat illius irremissibilitas, quod non remittetur, *neque in hoc seculo, neque in futuro.* Matt. 12:32. οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τ̀ αἰῶνα, ἀλλ' ἔνοχός ἐστιν αἰωνίυ κρίσεως. Marc. 3:29.

§. 138. Et quamvis certum sit, multos hujus peccati esse reos, quinam tamen in individuo illi sint, judicare difficile nobis, quis novit alterius mentem? quis in animum intrare alienum potest, ut videat, quousque de veritate, quam blasphemat, convictus sit? Christus Pharisæos illius redarguere potuit sceleris, probat enim corda & renes, deinde manifestissima etiam erat illorum malitia, & rationes evidentissimæ. Vulgo adducuntur exempla Apostatarum insignium, *Prophyrii*, Philosophi Platonici; *Juliani* Cæsaris, *Francisci Spiræ*, causidici. Ego malo judicium suspendere, & in re obscura tacere.

§. 139. Succedat locus Matt. 15:5. ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ, Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμῦ ὠφεληθῇς, καὶ ὐ μὴ τιμήσῃ τ̀ πατέρα αὐτ̃, ἢ τὴν μητέρα αὐτ̃. confer Marc. 7: 11. 12. Vocabulum Δῶρον respondet Hebræo קָרְבָּן Marc. 7:11. κορβᾶν ὅ ἐστι δῶρον, notatque 1. Sacrificia & munera, quæ offerebantur in altari, Matt. 23:19. τὸ θυσιαστήριον τὸ ἁγιάζον τὸ δῶρον. 2. Omnia, quæ Deo dicabantur & consecrabantur; quæ in gazophylacium seu thesaurum templi in sacros usus deponi solebant. Particula ἐὰν non hîc valet *si*, ut Galat. 1:8. ἐὰν ἡμεῖς, sed venit pro ἂν, Matt. 5:19. ὃς ἐὰν ὖν λύσῃ cap. 8:19. ὅπυ ἐὰν ἀπέρχῃ. 10:14. ὃς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς. 16:19. ὃ ἐὰν δήσῃς. Verbum ὠφεληθῇς jungitur cum *accusativo* ὃ, cum alias gaudeat *dativo*. Ita & Matt. 16: vers. 26. τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος. Marc. 5: vers. 26. μηδὲν ὠφεληθεῖσα. confer 1 Cor. 13: vers. 3. Verbum τιμήσῃ, à τιμᾶν, respondet Hebræo כַּבֵּד *honorare*. Exod. 20: vers. 11. nec complectitur tantùm externam venerationem, animi æstimationem, & obedientiam, sed & præcipit commodis, largitionibus & ἀντιμισθίᾳ prosequi, & ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι. 1 Tim. 5: ℣. 4. Ita & τιμᾶν ad commoda pertinet. 1 Tim. 5: vers. 3. χήρας τίμα, τὰς ὄντως χήρας. confer vers. 17. διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν *duplici honore*, hoc est, remuneratione *digni habeantur*, quum ab inferiori merces superiori debita tribuitur, *honorarium* illud est, non merces. Ἐν τῷ τιμᾶν est πίσις q. d. solutio debiti. Pro ultimis verbis ita Marcus, καὶ ὐκέτι ἀφίετε αὐτὸν ὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτ̃. Hebræis etiam כַּבֵּד significat *munificum* esse Proverbiorum cap. 3: vers. 9. כַּבֵּד אֶת יְהוָה מֵהוֹנֶךָ *honora Jehovam de opibus tuis.* Locus Matth. 15: 5.

§. 140. Sunt, qui hæc verba ita exponunt. *Donum, quod à me*, supple, *offertur*, *tibi proderit*. Ita Δῶρον erit subjectum enunciationis, & verba, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμῦ, ad idem pertinebunt. Hæc verba sunt quasi responsio filii ad petitionem parentum. Pater & mater cupiunt ὠφελεῖσθαι. Id à filio petunt, à quo jure id poterant. Filius respondet, *donum, quod a me of-*

 fer-

fertur, tibi proderit, quasi dicat: ego donum Deo obtuli, aut offeram in tuam & meam salutem ac utilitatem. Inde utilitas tibi cedet, plus à me exigere non debes nec ego plura tibi præstare teneor. Ita deprehenditur filius petitioni patris repulsam dare, *& excusatione hac significare, externo Dei cultu abundè satisfieri Patrio honori, ut qui Deo aliquid obtulerit, nihil amplius parentibus debeat*, ut Tremellius loquitur. Est in hoc responso fraus aperta, & pietatis ac benevolentiæ cujusdam simulatio;non enim ruditer repellit patrem, sed ad *donum* oblatum aut offerendum ablegat, inde jubet Patrem utilitatem sperare ac captare. Sed revera inest in his verbis ingens scelus & detestanda malitia, ac si filius non aliter teneretur prodesse parentibus, quàm oblatione unius aut alterius muneris sacri. Ita Pater opibus non juvatur, nec egens alimoniæ, aut aliorum officiorum sustentatur.

§. 141. Sed Christus narrat, quæ Pharisæi λέγεσι, docent & tradunt, ὑμεῖς ἢ λέγετε. Non invenitur autem ullibi, docuisse illos, filios oblatione sacrorum munerum, ab ulteriori omni officio, parentibus debito, exsolvere se potuisse, adeò ut munus oblatum à filio, & pro se ipso, & pro parentibus, vicem teneat omnimodi filialis debiti. Quare non potest hæc expositio pro certissima haberi, quinimò obstare videntur verba ὃ ἐὰν, quæ non certam rem, sed hypothesin seu conditionem sonant.

§. 142. Hanc sententiam tamen suam facit illustrissimus vir Josephus Scaliger in Elencho Trihæresii Serarii cap. 9. Ita enim verba vertit. *Munus, quodcunque est ex me, tibi proderit.* Addit. *quum quis offerebat munus, dicebat* קרבן הרא יהנא ליולדי לי *hoc Korban, quod ego Deo offero prosit mihi & meis.* Quæro autem. Hoc dictum solisne usurpatum fuit liberis; non autem patribus? Quod si patribus, ut negari non potest, quomodo is illius sensus esse potuit, quem summus vir exponit, *hoc pacto putabat se liberum debita caritate in parentes, & defunctum omni pietatis officio erga ipsos illo dono, &c.* num patres-familias, pro domo sua offerentes, omni ulteriori officio exsoluti fuere, adeò ut nil uxoribus, nil filiis, nil servis amplius deberent? Quod si non, quomodo filius, etiam pro se & suis, adeoque & pro parentibus, Korban offerens id præsumere potuit? Ergo ut patres pro filiis & suis Korban offerentes, hautquaquam fuere defuncti omni pietatis in illos officio, ita nec filii idem pro patribus offerentes, fuere soluti omni pietatis & gratitudinis in illos debito. Ita porro Scaliger verba loci hujus supplet. Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμῦ ὠφεληθῇς, πάσης μὲ περὶ σε τιμῆς καὶ ὑπηρεσίας ἐλευθεροῖ, supplementum certè satis prolixum. Hanc denique suam *interpretationem dicit veram, qua omnes doctos, indoctos, veteres, recentiores fugit.*

§. 143. Alii verba posteriora, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμῦ ὠφεληθῇς dicunt esse *subjectum. Donum* autem *prædicatum*. Solere prædicatum sæpe præcedere subjectum, ut Matth. 5: 3. μακάριοι οἱ πτωχοὶ. confer vers. 4. 5. 6.—11. Matth. 15: 7. *prophetavit de vobis Esaias.* vers. 8. *appropinquat mihi populus hic.* Ita erit sensus, *quo à me juvari possis* seu petis *donum est*, Deo consecratum, quare non licet id tibi, aut in usum tuum & commodum conferre. Chrysostomus, *docuerunt juvenes pietatis simulatione contemnere parentes. Si quis parens diceret filio, da mihi hanc ovem, quam habes, aut vitulum hunc, &c. dicebat*, Δῶρόν ἐστι τῦτο τῷ Θεῷ, ὃ θέλεις ἐξ ἐμῦ ὠφεληθῆναι. Theophylactus ita παραφράζει. *Donum est*, hoc est, *Deo oblatum est, ô Pater, quo à me juvari quaris.* Hanc in mentem vertit Cl. Ludovicus de Dieu, *Corban est id, cujus ex me utilitatem caperes.* Camerarius notat ex Epiphanio legisse aliquos, Δῶρον τῷ Θεῷ, ὃ ἐὰν, &c. Ita si sumantur verba, erit in illis excusatio amica negatæ parentibus petitionis, pietatis simulatione, quod id esset donum Deo consecratum, nec in usus ullius conferendum.

§. 144 Sed

§. 144. Sed num omnes res, quas habebant liberi, erant *Korban*, dicatæ Deo? ut de omnibus, quæ à parentibus petebantur, dicere potuerint, *Korban*. Certè non omnes, potuissent ergo parentes cavere, ut ne peterent id ex bonis filiorum, quod esset *donum*. Aut oportet, ut liberi confestim, ad auditam petitionem parentum, dixerint, *Corban est*, sed tunc non aptum fuit dicere, *est*, id enim indicat statum rei & conditionem, quæ jam est & fuit, non quæ ipso momento introducta est & cœpit. Aut oportet, ut à longo tempore, imò à quo ex ephebis excesserant, omnes suas res *munus* Deo voverint, ut à parentibus rogati quocunque tempore, dicere & respondere haberent in promtu, *munus est*.

§. 145. Ideò commodius ita nonnulli vertunt, *donum* seu *res sacra sit*, seu esto, *quicquid illud sit, quo ego tibi prosim*, aut *quâ tu utilitatem ex me capias*, adeò ut hîc sit aperta beneficii, à parentibus petiti, cum indignatione & ira quadam, negatio, & subsidii conferendi recusatio, quasi filii ægrè ferentes, quod à parentibus molestia afficiantur, & variis petitionibus macerentur, & continuis largitionibus debilitentur, cum ipsi habeant domum & familiam, cui debeant προΐστασθαι, in *votum* ruant præcipites, voventes, *munus sit, quicquid ex rebus meis attigeris utilitatis causâ*. Ubi notandum, Pharisæos *dixisse* & docuisse, valere illa vota, quæ fiebant ex ira, quibus homines irarum pleni omnia sua bona Deo consecrabant secundùm illam partem, quam parentes illorum in usum suum convertissent, posse hominem bona sua *consecrare singulariter*, hoc est, respectu unius personæ tantùm, *ut si quis dicat proximo*, volo seu voveo, quod bona mea consecrata sint, *respectu tui; tunc hujus proximi respectu consecrata esse. Eum tamen, qui vovit, & alios homines illis bonis uti posse*, ut è Talmude notavit Paulus Burgensis. Igitur si filius diceret patri, *munus sit*, &c. tunc nullo modo poterat pater uti aliquo bono filii sui, etiam volente filio, & patre summopere egente; quia nimirum omnia bona filii consecrata sint respectu Patris; & sacrilegium sit rebus sacris frui.

§. 146. Voto tali, *munus sit*, nulla certa res consecrabatur Deo, sed in casum incertum consecrabatur id, quo parentes potuissent juvari. Hoc voto parentes fiebant מֻדָּרִים הֲנָאָה מִן הַבָּנִים, hoc est, *per votum ab utilitate è filiis capienda* arcebantur. Neque illud votum unquam dissolvi poterat; nec poterant miseri parentes ullo deinceps beneficii aut officii genere juvari. Formula autem ita vovendi est in Tractatu Talmudico נדרים, seu de *votis & juramentis*, קָרְבָּן כָּל־מָה דְתֵהֲנֵא מִנִּי. quæ verba Servator noster in suam quasi linguam transtulisse videtur, Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, ubi tantùm deest universalitatis nota כל. Vocatur autem tale votum נדר הנאה *votum utilitatis* aut commoditatis, quo nimirum vovebatur, ne quis, sive amicus, sive pater, sive uxor, sive vir, ab illo, qui vovebat, juvaretur aut commodis ullis afficeretur. Licuisse autem ita vovere illis respectu etiam *parentum*, dudum annotavit Coccejus noster in excerptis Gem. Sanhedrin pag. 273. ubi è codice Nedarim cap. 11. §. 4. citat קונם שאני עשה על פי אבא: quæ ita explicat Maimonides שכל מה שאעשה לא יאכל ממנו אבא כאומה רל שלא יהנא בו *quod quicquid paravero, ex illo non comedet pater meus quicquam*, hoc est, *utilitatem inde non percipiet*. Rabbi Nissim. כל מה שאני עשה לפי אבא כקונם אלנו יכול להפר *quodcunque paro respectu patris mei esto velut sacra oblatio, non potest id facere irritum*, seu revocare votum id. Nota קונם est בינוי לקרבן *Synonimum* τοῦ Κορβᾶν. Adde *Caph nachat*. הקורש יהא כל מה שאני עשה מלבוא על פי אבא hoc est, *Sacrum erit, quicquid paravero in futurum, quantum ad os patris*. Sensus, uti sacrare, ita omnibus meis bonis, quæ ego arte mea acquiro, interdictum patri esto.

§. 147. Huc respexit Dominus in verbis, quæ tractamus. Canonem Judaicum decur-

tatè citavit. Sunt tamen verba Domini plana, parvo addito ſupplemento, *qui dixerit Patri aut Matri, munus ſit, quicquid ex me adjutus fueris*, is tenetur & obligatur; aut, is ἀναίτιος eſt, non peccat. (Matt. 12:5.) *& non honorabit*, commodis nimirum & bonis ſuis *Patrem ſuum*, &c. Ita certè *non ſiverunt* Phariſæi filios deinceps *quicquam facere Patri, aut Matri*, Marc. 7: 12. Eſtque certè hæc παράδοσις apertè contraria τῇ ἐντολῇ τοῦ θεοῦ, de *honorandis*, nec *maledicendis* parentibus. Matt. 15: 3. 4. & labefactavit reverentiam parentibus debitam, quam ipſa natura gentes docuit. Plutarchus περὶ φιλαδελφίας, γονεῦσι τιμὴν μετὰ θεοὺς πρώτην καὶ μεγίστην ἥ τε φύσις σώζων νόμος ἀπέδωκε. Et, οὐδ' ἂν πάλιν μείζων ἐπίδειξις ἀθέου γέγονε τῆς περὶ γονεῖς ὀλιγωρίας καὶ πλημμελείας. Notatum etiam Theophylacto, parentes coactos fuiſſe ex hac traditione bona ſua cum liberis partiri; & ſic remanſiſſe eos ἀγηρωκομήτους *in ſenectute deſertos*, omni cultu deſtitutos.

Locus Matth. 16: 18. §. 148. Addatur denique celebre dictum Chriſti Matt. 16: 18. reſponſum Petro, qui dixerat, *tu es Chriſtus filius Dei vivi*. vers. 17. In quo triplex quaſi teſtimonium conſiderandum venit 1. De *Petro*. 2. De *Petra*. 3. De *Eccleſia*.

Tu es Petrus. §. 149. De primo ita, κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ πέτρος. *Et ego vero tibi dico, quod tu es Petrus*, ac ſi dicat, tu dixiſti me *Chriſtum, Filium Dei*. Ego viciſſim tibi dico, & pro pulchra id tibi confeſſione reddo; eſt & alibi, ubi κἀγὼ *viciſſitatem* notat, ſeu, ἀντάποδοσιν quandam. Matt. 11: 28. *Venite ad me*, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. Matt. 10: 32. *Qui confitebitur in me*, κἀγὼ *confitebor in illo*. Matt. 26: 15. Luc. 22: verſ. 28. 29. Marc. 11: 29. Et ego *dico tibi*, id volo te de te & alios ſentire, talem volo te ab omnibus haberi. Is, qui de ſe dicit Eſ. cap. 45: vers. 18. לִי אָמַר *de me dixit* Dominus, confer Pſalm. cap. 2: 7. *Dominus dixit ad me*, is, inquam, hîc nunc Petro dicit, quid autem? σὺ εἶ πέτρος. *Tu es Petrus*.

§. 150. Cum prima vice *Simon filius Jona*, accederet ad Dominum, dixit illi, σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, Joh. 1: 43. à quo tempore *Cephas* dictus eſt, 1 Cor. 1: 12. 3: 22. 9: 5. 15: 5. Galat. 2: 9. neque enim in his locis alius quidam hoc nomine indigitatur, unus nimirum è LXX. diſcipulis, ut viſum Clementi, & relatum Euſebio, id enim præter ſcripturam fingitur, & ab Ambroſio refutatur, qui in 1 Cor. 9: 5. *Cephas*, inquit, *ipſe eſt Simon Petrus*. Eſt autem κηφᾶς nomen Syriacum, ubi כאפא ſignificat, 1. *Petram* ſeu ſaxum. 2. Perſonam, quæ id *nomen* gerit. Hebræis etiam *Petræ* כֵּפִים dicuntur Jerem. 4: 29. Job. 30: 6. Syriacum autem κηφᾶς, ἑρμηνεύεται πέτρος: *interpretatur Petrus*. Joh. cap. 1: verſ. 43. hoc eſt, qui *Syris* dicitur *Kephas*, is *Græcis* vocatur Petrus. Imò & Græcis hoc nomen *appellativum* eſt, neque adeo ſemper *proprium*; ſed ſæpe idem valet, quod ὁ λᾶας vel ὁ λίθος, *lapis*, *ſaxum*, non quidem in ſacris Novi Teſtamenti libris, ſed apud Poëtas tantum, & Hiſtoricos ac Oratores, qui Attica dialecto uſi ſunt. Homerus Il. verſ. 288. Ἐπεσσυμένον βάλε πέτρῳ *irruentem ſaxo petiit*. Soph. Aja. 3: 3. ὡς οὐκ ἀρκέσοι τὸ μὴ οὐ πέτροισι πᾶς καταξανθεὶς θανεῖν, *ut non prohibere poſſet, ne ſaxis totus laceratus moreretur*. Xenoph. 3. Hell. ἐπὶ τοὺς λοιποὺς ἐπεκυλίνδουν πέτρους ἐς τὸ χάραντες. *Super reliquos ſaxa in occurſum devolvebant*. Ab hac appellatione *filius Jona* deinceps dictus eſt *Simon Petrus*. Luc. cap. 5: verſ. 8. Joh. 6: 68. 13: 6. 9. Matt. 10: 2. σίμων ὁ λεγόμενος πέτρος.

§. 151. Indidit hoc cognomen Simoni Dominus, ad *ſignificandum*, quemadmodum & Abram dictus eſt *Abraham*, Geneſ. cap. 17: 4. Jacob *Iſrael*. Geneſ. 32: ℣. 28. nimirum futurus erat Simon, ut πέτρος *lapis*, firmus, ſolidus, movendus, volvendus in omnes mundi partes; oſtenſurus ἔμπυρον θερμότητα, *igneam* quandam *caliditatem*. Solet enim

ignis

ignis è collisis exire lapidibus. Sed & in nomine Πέτρος est respectus ad Πέτραν, estque quasi denominativum à *Petra*, significans *Petra unitum*. Itaque *Petrus* significat non, *lapidem* tantùm; quâ notione tamen in sacris, ut dictum, non occurrit; sed imprimis Illum qui in Petra est, aut è Petra est, & velut è Petra excisus est. Es. 51: 1. *Aspicite ad rupem ex qua excisi estis.* Neque igitur in hoc loco idem est πέτρος & πέτρα; sed differunt, ut denominans & denominatum; quare nec cum dicitur, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, de eodem sermo est, cui dictum, σὺ εἶ πέτρος: & ut diversa subjecta sunt accipienda, Πέτρος & Πέτρα.

§. 152. *Tu es Petrus*, inquit Dominus, non *vocaris* tantùm, sed *es*, non *nomen* modò, sed & *omen* habes. Ante dixi, *vocaberis Petrus*, nunc dico, *es Petrus*, declaro te id esse, cœpisse esse, factum esse, confessio tua, quam edidisti, palam facit te esse *Petrum*, *lapidem vivum*, 1 Petr. 2: vers. 5. cum vera Petra habere communionem, ædificatum esse in Petra, accessisse ad *Petram*, *lapidem vivum*. 1 Petr. 2: 3. 4. Adeò ingens hoc verbum est, declarans, divinæ gratiæ hæredem esse Petrum, filium lucis, sanctum, vocatum, fidelem, membrum corporis Christi, illi implantatum, insitum, incorporatum. Potuisset Christus aliis verbis laudare Petrum; potuisset dicere, *magna fides tua Petre*, ut Cananææ Matt. 15. vers. 22. aut *ecce verus Israelita*, ut Natanaeli dixerat. Joh. 1: 48. Sed nunc amat dicere, *tu es Petrus*, & certè nil majus dicere poterat; quo aut fides Petri, aut beatitudo illius, aut communio illius cum Deo & Christo clarius laudaretur. Simul hac ratione nactus est occasionem loquendi de vera *Petra*, quemadmodum, Joh. 4. ab aquis putei Sichar ansam nanciscebatur loquendi de vera aqua, & Joh. 6. à panibus quinque progrediebatur ad doctrinam de vero pane.

§. 153. Dicit, *tu es Petrus*, & dicere ita poterat; & verè dicebat. *Poterat*, quia *novit, quid in homine*, Joh. 2: 25. quia illius hoc erat beneficium, illius φάρις χάριτι χριστοῦ εἰμὶ ὅ πέτρος ὅ εἰμι. 1 Cor. 15: 10. Dicebat *vere*. Præclara confessio Petri id docuit, opera confirmant, quæ postmodum fecit, mors, quâ glorificavit Deum, obsignavit.

§. 154. Quod Petro dictum, etiam alii discipuli dictum sibi debebant putare, qui idem cum Petro confitetur, idem dicit, is idem audit, idem est. Non Petrus solus confessus est, *tu es Christus*, sed & alii *Apostoli*, ipso id testante Petro Joh. 6: 69. καὶ ἡμεῖς πεπιστεύκαμεν καὶ ἐγνώκαμεν, ὅτι σὺ εἶ ὁ χριστὸς, &c. Quare nec Petrus solus est *Petrus*, sed & reliqui Apostoli, imò omnes fideles, quos ipse Petrus vocat λίθους ζῶντας 1 Petr. 2: vers. 5. hoc meritò gaudent encomio. Atqui soli hoc Petro dixit Dominus? σοι λέγω. Petrus responderat solus. Ideò & soli dixit, sed non pro se solo respondit, sed nomine quasi omnium. Ideò & in Petro hoc dixit omnibus, ut ne putemus, Petro hic prærogativam tributam præ aliis; aut in majus elatum, & prælatum aliis, aut solum hoc gaudere titulo, quod est *Petrus*, nam & alii Apostoli fuere στύλοι, Galat. 2: vers. 9. & Paulus apertè testatus est, *nil sibi διαφέρειν ἀπὸ τῶν δοκούντων εἶναί τι.* ibid. vers. 6. adeoque nec à Petro, licet illi dictum esset, *tu es Petrus*, quod totidem verbis Paulo dictum haut fuit. Atqui unde constat, Petrum respondisse, & pro se & pro aliis? cum Christus rogaret, *quem me dicunt homines*, *dixerunt*, & responderunt sine discrimine omnes; *alii Johannem*, *alii Eliam*, &c. Hic cum Christus rogat, *vos autem*, *quem me dicitis*, tacent omnes, solus respondet Petrus, nec ab aliis jussus pro aliis, sed proprio motu, pro se respondet, & suam privam, propriamque confessionem edit, Christusque ad illum solum conversus, soli illi respondet, *beatus tu, Simon*; *& ego dico tibi*. Alibi Petrus aliorum nomine dixit, *ecce nos reliquimus omnia*, &c. Christus omnibus respondit, *Amen dico vobis*, &c. Matt. cap. 19: 27. 28. sed licet non disertè exstet, reliquos discipulos jussisse Petrum respondere pro se, tamen Pe-

trum re ipsa pro illis respondisse satis constat. Petrus ut erat celer & promtus præoccupavit alios, & vices respondendi ipse sibi sumsit. Discipuli alii audientes siluerunt, & silentio auditum approbarunt; neque enim hæserunt ipsi, & dubii fuerunt, quid de Jesu confiterentur. Sciverunt æquè, ut Petrus, & crediderunt, Jesum esse *Christum*, *Filium Dei*. Respondit Petrus sufficienter: ideò addiderunt nihil. Sed in ipsius sanctè responso acquieverunt. Neque enim tacuissent, sed loquentem interrupissent Petrum, si aut Petrus non dixisset rectè, aut si ipsi secus sensissent; & aliter se explicuissent. Christus solum alloquutus est Petrum; quia enim solus loquendi partes acceperat, solus etiam responsum accipere debebat, & cæteri id ipsis etiam putare dictum, quemadmodum, quod Petrus dixerat, ut suum dictum omnes approbaverant. Certè Christus dixerat omnibus. *Vos autem, quem me dicitis esse.* Solus Petrus dicit. Reliqui tacent: quia è mente & sententia illorum benè dixerat.

Et super hac Petra. §. 155. A Simone *Petro* digressionem facit Dominus ad *Petram*. καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Neque enim ad Simonem hæc spectare ex ipsa orationis formula satis apparet: magis etiam ex illius sensu. *Tibi dico, Tu es Petrus*, id ad Simonem pertinet: *& super hac Petra ædificabo*: Simoni non convenit, aliud enim est *Petrus*, aliud *Petra*: καὶ capi potest ἀντιθετικῶς *adversativè*, ut fit Matt. 12: 35. 15:4. Actor. 7:43. imprimis 1 Joh. 2:20. καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχητε. Ita sonabunt verba Christi. Dico tibi, Tu es Petrus; *sed super hanc Petram ædificabo*. Ergo non super Petro; quia super Petra. Putant nonnulli, Christum, cum hæc verba prolocutus est, digitum in se intendisse; ut & videtur intento in corpus suum digito dixisse, *destruite hoc Templum, & tertio die excitabo illud*. Joh. 2:19.

§. 156. Πέτρα notat 1. *Lapidem*. Hesiod. Theogn. 675. πέτρας ἠλιβάτους στιβαρῆς ἐν χερσὶν ἔχοντες. *Lapides asperos* sive præaltos & præacutos *densis in manibus habentes*. Plutarchus de defectu oraculorum, πετρῶν ἀναῤῥίψεις lapidum projectiones dixit. 2. *Rupem*. Iliad. ω. 614. ἐν πέτρῃσιν, ἐν οὔρεσιν οἰοπόλοισιν Matt. 27: 51. καὶ αἱ πέτραι ἐσχίσθησαν confer Apoc. 6: 16. Alias significationes mitto.

§. 157. Secundùm hæc, verba ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ verti possunt, *super hanc rupem*, seu super *hunc lapidem*. Hic statim in mentem venire potest illud Pauli. 1 Cor. 10: 4. ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ χριστός. Ad cujus imitationem dicimus. *Petra*, super quam ædificatur Ecclesia, *Christus* est. *Super hac Petra* valet tantundem ac si diceret, *super me ædificabo*. Amavit Dominus παρονομασιάζειν. Σὺ εἶ πέτρος. καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. Voluit ostendere, cur Simonem dixerit *Petrum*, nimirum; quia ipse, qui id dixit, est πέτρα: neque enim Simon esset *Petrus*, ni Christus esset *Petra*. Erit igitur hic sensus. *Dico tibi: Tu es Petrus*, & *super* ipsa ac eadem hac *Petra*, à cujus communione, conjunctione, inædificatione tu *Petrus* audis, quam tu confessione tua glorificasti, *ædificabo*, &c. Ne mirate te nominari & esse πέτρον: nam Ecclesia ædificabitur in hac πέτρᾳ. Sæpissimè Christus dicitur *Petra, Rupes*, Deut. 32:4. 8. 15. Psal. 95: 1. Esa. 51: 1. quod nomen divinæ est eminentiæ Psal. 18: 32. *quæ rupes præter Deum nostrum*? Es. 44: 8. *non est Petra, non novi*. Psal. 73:26. Es. 26:4. Psal. 89: 27. Imo & *Lapis*. Genes. 49: 24. *Lapis Israëlis*. Es. 28: 16. Psal. 118: 22. Zach. 3: 9. Et quia *lapis* in ædificio vel *fundamentum* est, vel *angulus*, qui continet, Christus utrumque dicitur, θεμέλιος 1 Corinth. 3: 11. Ephes. 2: 20. ἀκρογωνιαῖος. Ephes. 2: 20. Confer 1 Petr. 2: 6. Rom. 9: 32. Esai. 8: 14. Matt. 21: 42. 1 Petr. 2: 4. Actor. 4: 11. Dan. 2: 45. Et ratio appellationis manifesta est. *Petra* ac *lapis* solidum quid est. Rupes refugium præ hoste, domus in rupe fundata, tuta est à pluviis, ventis,

ventis, fluviis, Matt. 7: 25. in ædificiis exstruendis imprimis usus lapidum. Ad lapidem etiam pes offenditur. Psalm. 91: 13. Lapides sunt accendis hostibus. *Frusto lapidis molaris confracta cervix* Abimelechi. Jud. 9: 54. *Lapide* è funda prostravit David Goliathum. 1 Sam. 17: 49. Lapis in statua Nebucadnezaris *comminuit ferrum, as, lutum,* &c. Dan. 2: 45. Confer Matt. 21: 44. ἐφ' ὃν δ' ἂν πέσῃ λικμήσει αὐτόν. Igitur cum Jesus sit rupes & lapis; nec nostra rupes, qui non *salus* nostra, & *Redemptor* noster, cur non intelligemus illum, cum dicit ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. imprimis, quia unicè ipsi convenit, *ædificabo Ecclesiam meam super*, &c.

§. 158. Alii per *Petram* metaphoricè intelligunt *confessionem* Petri de Christo, cui confessioni, ceu fundamento *Ecclesia superstructa est.* Et sanè potest sententia, quæ continet summam fidei, *Petra* dici; quemadmodum doctrina de *resurrectione* dicitur στερεὸς θεμέλιος. 2 Tim. 2: 18. 19. & de manifestatione Dei in carne dicitur *firmamentum veritatis & columna.* 1 Tim. 3: 15. 16. Et hæc sententia in primam recidit. Si enim super articulo fidei de Christo fundata est Ecclesia, quid ni & super Christum ipsum?

§. 159. Alii *Petrum* ipsum intelligunt, quem dicunt Ecclesiæ *fundamentum*: quia scilicet omnium primus Apostolorum Ecclesiæ fundamenta jecit, & ut scitè Tertullianus, *primus* hoc pacto *clavem imbuit.* Petrus primus Euangelium Judæis prædicavit. Act. 2. Primus Ecclesiæ gentilis fundamenta jecit; monitus in ecstasi per visionem cœlestem, confer Actor. 15: 7. ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων, &c. Hæc est sententia Cl. viri, Johannis Cameronis in *Myrothecio Euangelico*: ubi verba, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam*, ita παραφράζει. *Tu eris Ecclesiæ meæ fundamentum.* Etiam putat, *Petri* nomen Petri *prærogativæ titulum esse*: unde dignitas illi & authoritas concilietur. Cæterum nomen *fundamenti* non videtur homini convenire, quia id soli Christo tribuit Apostolus. 1 Cor. 3: 11.

§. 160. Etiam Ecclesia Romana, sed alio longè sensu per πέτραν intelligit Petrum Apostolum, idemque applicat, haut sine sacrilegio, Romano Pontifici, ut Petri successori: unde & Bellarminus in præfatione de Pontifice Romano *Papis* applicat dictum Esaiæ cap. 28. *Ecce fundo in Sione lapidem.* Quibus nunc opponimus Alphonsum Tostatum, Episcopum Abulensem in Matt. 16. quæst. 67. *Quæritur cum Christus dicit, super hanc Petram,* &c. *quæ sit Petra ista. Aliqui dicunt, quod sit Petrus, scilicet quod super illum fuerit ædificata Ecclesia, id est, ipse fuerit fundamentum Ecclesiæ,* &c. *sed dicendum, quod accipiendo propriè fundari vel ædificari Ecclesiam, non est verum, quod super Petrum sit ædificata. Nam id super quo ædificatur est fundamentum, & sic Petrus diceretur fundamentum Ecclesiæ. Sed falsum est, quia solus Christus est fundamentum,* 1 Cor. 3. *etiam ipse solus est caput Ecclesiæ. Nos autem omnes sumus membra. Petrus ergo membrum est, & non caput Ecclesiæ, nec fundamentum.*

§. 161. Audiamus autem rursum Dominum. Super hanc Petram, inquit, 1. *Ædificabo.* 2. *Ecclesiam.* 3. *Meam.* In Petra, Christo, ædificata est Ecclesia. Christus enim *positus* est *fundamentum* 1 Cor. 3: 11. idque à *Domino* Es. 28: 16. *Ecce ego, qui fundat.* confer Rom. 9: 33. Quanta hæc Petra! super quam ædificata est Ecclesia, tum quæ est ἐν τοῖς οὐρανοῖς, tum quæ ἐπὶ τῆς γῆς. Ita *fert omnia.* Hebr. 1: 3. *Ædificabo*, inquit. 2 Sam. 7: 12. *Illud*, semen, *ædificabit domum nomini meo.* Zach. 6: 13. *Vir Germen ædificabit Templum Domino.* Prov. 9: vers. 1. *Sapientia ædificavit domum.* Quod Christus *Ecclesiam*, Prophetia *domum, templum* dicit. Ecclesia enim utrumque est. *Domus.* 1 Tim. 3: 15. ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία. confer Hebr. 3: 6. 10: 21 1 Petr. 4: 17. sed *spiritualis.* 1 Petr. 2: 5. *Templum.* 1 Cor. 3: 16. ναὸς θεοῦ ἐστε. v. 17. 1 Cor. 6: 19. Ædificabo.

Ephes.

Ephes. 2: 21. αὔξἑ εἰς ναὸν ἅγιον. 2 Thess. 2: 4. εἰς τὸ ναὸν τοῦ θεοῦ καθίσαι, non tamen χειροποίητον, in quibus οὐ κατοικεῖ *Dominus*. Actor. 17: 24. Omne autem templum, omnisque domus κατασκευάζεται ὑπό τινος. Hebr. 3: 4. Igitur ταῦτα κατασκευάσας, Χριστὸς, dicit enim. *Ædificabo*, adeoque illius δημιουργὸς καὶ τεχνίτης ὁ Χριστός. Hebr. 11: 10. Mira res: est Petra, in qua ædificatur, & est is, qui ædificat, ita simul fundamentum, simul opifex. Quod Christus dicit οἰκοδομήσω, id Paulus dicit impletum. Ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ, &c. Ἐν ᾧ πᾶσα ἡ οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη αὔξει. Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς συνοικοδομεῖσθε εἰς κατοικητήριον τοῦ θεοῦ. Ephes. 2: 20. 21. Et Petrus. καὶ αὐτοὶ ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδομεῖσθε, 1 Petr. 2: 5. adde 1 Cor. 3: 9. θεοῦ οἰκοδομή ἐστε. Super Petram igitur ædificata est Ecclesia: nam in Petra stat, à Petra portatur, à Petra firmitatem habet, à Petra tenetur. Petram tenet, quæ *pluvia*, qui *fluvii*, qui *venti* prosternent domum hanc, quæ τεθεμελίωτο ἐπὶ τὴν πέτραν. Matt. 7: 25. Templum Salomonis ædificatum fuit super montem Zion. Hoc templum super cœlestem Petram, de illo dictum: *quænam est domus, quam ædificabitis mihi? quinam locus requietis meus*? Es. 66. 1. de hac dicitur. *Hic requies mea in æternum*. Nazaret stabat ἐπ' ὄρους, quæ tamen cum monte suo dudum interiit. Luc. 4: 29. Hoc templum stat in *monte*, qui manet in secula. οὐ δύναται πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη. Matt. 5: 14. Est igitur מוסד מוסד *fundatum optimè fundatum* Es. 28: 16. Ecclesia fundata in Petra hac, quæ illius est *fundamentum*, imò & *angularis lapis*. Mirabantur discipuli τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ. Matt. 24: 1. ἴδε ποταποὶ λίθοι, καὶ ποταπαὶ οἰκοδομαί. Marc. 13: 1. Hic mirandi potior materia. Mirabile est fundamentum. צור עלמים *Petra æterna*. ὁ λίθος ὁ ζῶν *lapis ille vivus*. Mirabilis Architectus. *Dominus*, Conditor cœli. Mirabilissima ac pulcherrima denique structura. *Ecclesia Dei vivi*. Qui super Petram hanc ædificat Ecclesiam, idem redemit, justificavit, sanctificavit illam. Id ni fecisset, nec Ecclesiam in se ædificare potuisset. Sanguis, obedientia, Spiritus illius, aptat, lavat, concinnat, jungit, firmat omnes hujus ædificii lapides. Non nunc opus amplius habet *baptizari in Mosem* 1 Cor. 10: 2. quæ ædificata est per illum, & super illum, qui longè majore gloria παρὰ Μωσῆν ἠξίωται Hebr. 3: vers. 3. Nec frustra dicit οἰκοδομήσω *ædificabo*, ab initio super illum ædificata fuit Ecclesia. φέρων τε τὰ πάντα. Hebr. 1: 3. *Et tulit illos ac bajulavit omnibus diebus seculi*. Es. 63: vers. 9. confer Es. 46: vers. 3. הַנְּשֻׂאִים מִנִּי־בֶטֶן *portati à ventre, bajulati ab utero*. Sed loquitur de Ecclesia, quam nunc ædificaturus; de *ovibus*, quas nunc adducturus erat, quæ non erant ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης Joh. 10: 16. de illius *Testamenti* Ecclesia, quod *melius* Scriptura dicit, & est *in sanguine illius*, Hebr. 8: 6. 9: 15. loquitur de σκηνῇ illa ἀληθινῇ, ἣν ἔπηξεν ὁ κύριος, καὶ οὐκ ἄνθρωπος. Hebr. 8: 2. Prior ædificata fuerat super illum. *Salvata* per *illius gratiam* Actor. 15: 11. *ob æterni Spiritus oblationem* Hebr. 9: 14. Ideò nec posterior ædificari super aliam potuit. Petra enim est semper eadem. *Et usque ad senectutem* Ego *idem*. *Et usque ad canitiem Ego* אֶסְבֹּל *portabo*. *Ego feci, & ego feram, & ego portabo & eripiam*. Es. 46: 4. Igitur si super hanc Petram ædificata est Ecclesia, & ædificata manet in æternum; adultera certè rupes est, quæ Ecclesiam ædificari voluit super se ipsam, quam qui acceperunt, illis dicimus, *Non ut Rupes illorum Rupes nostra*. Deuteron. cap. 32: vers. 31.

Ecclesiam meam. §. 162. Est autem ἡ ἐκκλησία, quæ ædificabitur. Id nomen Etymi ratione derivandum est ab ἐκκαλεῖν *evocare*: unde videtur, notari illos, qui quasi è reliqua turba evocati sunt, ad hæreditatem salutis, attamen in sacris occurrit ubique καλεῖν, nullibi ἐκκαλεῖν. Sancti dicuntur κλητοὶ, non ἐκκλητοὶ, illorum vocatio κλῆσις, non ἔκκλησις, utut igitur verissimum sit, fideles esse evocatos & electos ex aliis, imò ἀφωρισμένους, tamen id non est propriè in no-

notione vocis ἐκκλησίας. Solemnes Judæorum conventus, totaque gentis illius multitudo LXX. interpretibus solent nuncupari Ἐκκλησία. Nec veteribus inusitatum Græcis fuit ἐκκλησίας nomen, ita *conventum* populi & *concionem*, quam in civitatibus solebant instituere, cum publica habenda consilia essent, ad quam sine discrimine omnes conveniebant, nobiles, ignobiles; divites, pauperes, nominabant. Imò & ἐκκλησιάζειν illis est *concionari, cum populo agere*. Igitur cum sancti dicuntur ἐκκλησία, id nobis in mentem veniet, illos esse ingentem multitudinem, ex omni gente, ordine, loco in unum collectam, ad communicandum invicem consilia, id quod indicat *communio sanctorum*, quam credimus.

§. 163. Vox ἐκκλησία respondet voci קָהָל quæ notat *multitudinem, concionem*, universim, in comitium congregatam. Ita Act. 7: 38. dicitur Moses fuisse ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν τῇ ἐρήμῳ, μετὰ τοῦ ἀγγέλου τοῦ λαλοῦντος αὐτῷ ἐν τῷ ὄρει Σινᾶ. Idque ex Deut. 9: 10. ubi est, בְּיוֹם הַקָּהָל *in die comitii*, quando totus populus coram Deo suo stetit. LXX. ἡμέρᾳ ἐκκλησίας. Sic Deut. 10: 4. 18: 6. 23: 2. 3. Igitur, ut dictum, per vocem קָהָל designatur collectio generalis populi totius, omniumque reipublicæ civium, vel ad capiendum consilium, vel ad gerendas res (ut Jud. 20: 2. 21: 5. 8.) vel ad videndum faciem Regis, aut ad percipiendam illius voluntatem, aut si alius quis finis ἐκκλησίας seu *concionis* esse potest. Cum ergo, qui ædificati sunt super Petram, vocantur Ἐκκλησία, קָהָל, notatur, ut diximus, esse illos multitudinem magnam, in unum conspirantem, in unum coëuntem. Cumque dicuntur Ἐκκλησία χριστοῦ; μου τὴν ἐκκλησίαν; aut ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, indicatur 1. Quod per vocationem Dei & Christi habent jus conveniendi in unum. 2. Quod comparent coram Deo & Christo, ad videndum illum, & audiendum illum, ut amicum, ut Patrem, ut Regem; ad fruendum bonis illius, & vivendum coram illo. 3. Quod Ecclesia non amplius ad cathedram visibilem Mosis & visibile sanctuarium Aharonis, & τῶν πρεσβυτέρων παραδόσεις necessum habet convenire, quod debebant facere Judæi; utut & illi essent Ecclesia Dei. Sed quod immediatè accedit ad Deum vivum.

§. 164. Ἐκκλησίας nomen in sacris datur nonnunquam cœtibus particularibus, unius aut civitatis aut regionis. Ita Actor. cap. 8: vers. 1. ἐκκλησία ἡ ἐν Ἱεροσολύμοις 1 Cor. cap. 1: vers. 2. *Ecclesia Dei, quæ est in Corintho.* 2 Cor. cap. 8: vers. 1. ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Μακεδονίας. Ita parti datur nomen totius. Sæpius tamen notat universam sanctorum multitudinem, toto orbe terrarum dispersam. Ephes. cap. 1: vers. 22. *Et illum dedit caput super omnia* τῇ ἐκκλησίᾳ Ephes. cap. 5: vers. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum dedit pro illa*, ad hanc pertinent αἱ ἐκκλησίαι τῶν ἐθνῶν. Rom cap. 16: vers. 4. *Judæi & gentes.* 1 Cor. cap. 10: vers. 32. ἀπρόσκοποι γίνεσθε, *Iudæis & Græcis*, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ.

§. 165. Et de hac universali loquitur Dominus, ædificabo *Ecclesiam*, universam, totam, omnem, è Judæis, è gentibus, ex omni tribu, lingua, populo, sexu, conditione. Cujus dicitur κεφαλὴ *caput*. Ephes. cap. 1: vers. 22. 5: vers. 23. Col. cap. 1: vers. 18. Hanc denique vocat *suam*, μου τὴν ἐκκλησίαν, non tantum, quia se *pro illa dedit*, *quia illam sanctificat*, Ephes. cap. 5: vers. 25. 26. 27. quia *illam per sanguinem suum acquisivit* Actor. cap. 20: vers. 28. quia est *corpus* illius. Col. 1: vers. 18. 24. sed &, quia omnis illa ad Christum congregatur, ad videndum illum, audiendum illum, ambulandum coram illo, faciendum voluntatem illius.

§. 166. Succincta paraphrasis totam sententiam faciet clariorem. *Super hanc Petram ædifi-*

ædificabo Ecclesiam meam. Multitudinem universam, colligendam ex omnibus finibus terræ, quæ ad me accedet, & me conveniet, ut me audiat, videat, mandata mea accipiat; quæ erit quasi comitium & concio à me indicta, *ædificabo*, in similitudinem ædificii ac structuræ eveham, ut *crescat benè coaptata in templum sanctum & domum* sanctam; idque faciam 1. Per *sanguinem meum* & mortem, per quam *reconciliabuntur, purgabuntur, justificabuntur*, Rom. 5:19. 1 Joh. 1:vers. 7. 2. Per *verbum meum*, quod *annunciabitur omni creaturæ, potenter, ad salutem.* Rom. 1:16. 3. Per *Spiritum* meum, quo *obsignabuntur, ut arrhabone hæreditatis*, Ephes. 1:13:14. ut stet *super Petra*, immota, inconcussa, tenens Petram, glorificans illam, omneque suum refugium, spem, fiduciam, in illa collocans; portata à Petra, nec derelinquenda unquam.

§. 167. Huic suæ Ecclesiæ, huic universæ multitudini, colligendæ, adducendæ, advocandæ, insigne edit promissum, ϰαὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Videamus 1. Quid sint πύλαι ᾅδου 2. Quomodo illæ οὐ κατισχύσουσιν τῆς ἐκκλησίας.

Et portæ. §. 168. Omnis domus, civitasque *portas* habet, per quas intrant, qui veniunt; exeunt, qui abeunt, quas claudunt de nocte, & ubi imminet periculum. Robur civitatis, vigilum manus, tormenta, & quicquid ad repellendam facit vim, in portis præsto esse solet. Ex portis fiunt irruptiones in hostilia castra, quæ urbem obsident. Olim in portis sedebant Judices, habebant illæ fora, in quibus agebantur comitia, cognoscebantur causæ, dicebantur sententiæ, judicabantur crimina. Et, quia *portæ* sunt obstacula, ne quilibet invadat urbem, inde solet quilibet obex, & quodvis obstrumentum Græcis πύλη dici, ut cum dicunt, *πύλας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις portas*, hoc est, obstrumenta *profanis imponite*, arcete illos. Qui profundè dormiunt, dicuntur *χνώσσειν ἐν ὀνειρείῃσι πύλῃσι stertere in portis somnialibus.*

Inferni. §. 169. Ἄδης, quod *infernum* vertimus, & compositum est ex ἀ privativo & ἰδεῖν, quasi dicas obscurum quid, & sine luce domus, ubi est σκότος ἐξώτερον; Poëtis ὁ Ἀΐδης, & ὁ Ἄϊς, ἄϊδος, unde est per συναίρεσιν, ac inversionem spiritus, ὁ ᾅδης, notat in Sacris 1. *Sepulchrum* mortuorum. Actor. 2:27. 31. 2. *Infernum*, locum damnatorum. Luc. 16:23. ἐν τῷ ᾅδῃ *efferens oculos suos*, & ut nonnullis videtur, Matt. 11:℣. 23. ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ: & secundùm illos, qui statuunt Christi descensum ad inferos post resurrectionem, in his symboli verbis, κατέβη εἰς ᾅδου. 3. *Ænigmaticè* venit. Apoc. 6:vers. 8. ϰαὶ ὁ ᾅδης ἠκολούθει μετ' αὐτοῦ, nimirum θανάτου, ϰαὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἐξουσία ἀποκτεῖναι ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς, ἐν ῥομφαίᾳ ϰαὶ ἐν λιμῷ ϰαὶ ἐν θανάτῳ. Apoc. 20:14. ϰαὶ ὁ θάνατος ϰαὶ ὁ ᾅδης ἐβλήθησαν εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρός, οὗτός ἐστιν ὁ δεύτερος θάνατος. Poëtis, ut & id addam, *Plutus*, Deus ille inferni, frater *Jovis*, cui in divisione hæreditatis Saturninæ *cælum*; & *Neptuni*, cui *maris* sors obtigit; ubi Plutus *inferorum* sortem adeptus est, dicitur ὁ Ἄδης. Ita apud *Homerum* Iliad. O. 188. Neptunus dicit, Ζεύς, ϰαὶ ἐγώ, τρίτατος τ' Ἀΐδης ἐνέροισιν ἀνάσσων. *Jupiter, & ego, tertiusque Pluto manibus imperans.*

§. 170. Πύλαι ᾅδου, שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל (Es. 38:10.) *portæ inferni* (apud Homerum, πύλαι ἀΐδαο; & Euripidem ᾅδου πύλαι) notabunt 1. *Potentiam*, vim & robur inferni, ac Satanæ, in inferno degentis, quia nimirum in portis robur civitatis est. 2. *Technas* ac fraudes Satanæ, & malitiosas artes; quia olim in portis habebantur consilia. 3. Vim mortis & sepulchri in omnes homines, quibus positum est mori, quem in sensum dicitur שַׁעֲרֵי מָוֶת *portæ mortis* Job 38:17. conf. Ps. 9:14. מְרוֹמְמִי מִשַּׁעֲרֵי מָוֶת Ps. 107:18. וַיַּגִּיעוּ עַד שַׁעֲרֵי מָוֶת 4. Ænigmaticè, mortem spiritualem & infernalem potestatem, quæ in regno Anti-Christi obtinet. Patres per *portas inferni* intellexerunt *scandala* doctrinæ, vitæ, hæreticorum, blasphemias, tyrannorum persecutiones, &c.

§. 171. Hæ

§. 171. Hæ πύλαι οὐ κατισχύσουσιν τῆς ἐκκλησίας, non *prævalebunt* Ecclesiæ, non superabunt, non vincent, κατισχύεσθαι est *vinci*, superari, opprimi. Ita Diodor. Siculus libr. 17. de Alexandro Magno dicit in pugna Tyriorum, κατισχυομένους τοὺς Μακεδόνας κατισχύειν, *vincere*. Synesius, μὴ γὰρ δὴ καὶ τῆς γνώμης ἡμῶν ὁ Δαίμων κατισχύσειε. *Ne Dæmon sententiam nostram vicerit*, κατισχῦσαι est velut ἰσχύειν κατά τινος. Ita Actor. 19:16. dicitur homo, *Spiritum malum* habens, in Judæos ἐξορκιστὰς irruisse, καὶ κατακυριεύσας αὐτῶν ἴσχυσε κατ᾽ αὐτῶν, ὥστε γυμνοὺς καὶ τετραυματισμένους ἐκφυγεῖν. Non ita facient portæ inferni Ecclesiæ. Prævidit Christus, cum *portis inferni* multam rem, multam colluctationem fore Ecclesiæ. Prævidit, inquam, Ecclesiam non gavisuram longa pace & quiete. Satanam quæsiturum membra illius σινιάσαι, Luc. 22: vers. 31. circumambulaturum ut Leonem rugientem, ut illa καταπίῃ. 1 Petr. 5:8. Ideò & delineavit illam in similitudine *domus*, in quam *fluvii*, *pluviæ* inruunt. Matt. cap. 7: vers. 25. Imò prævidit ortum novæ cujusdam civitatis; cujus origo est ex *inferis*, quæ intra portas & pomœria sua, ut nova Babylon, & secunda quædam Ægyptus, cinctura erat Ecclesiam, in qua civitate docendæ essent *doctrinæ dæmoniorum*, seu infernales, & via complananda inferni. Hic tamen promittit Dominus, fore ut infernales portæ non prævaleant; sed ut Ecclesia ruptis illis & perfractis victrix, liberata aliquando exeat. Denique ut paucis comprehendam omnia, *à portis inferni non superari*, est, non manere in morte, sed resurgere, non venire in judicium, sed absolvi, non seduci & abduci à Christo, sed manere cum illo in ipsa morte; imò nec manere perpetuò sub sceptro & potestate improborum. Joh. 11:25. Matt. cap. 24: 24. 1 Petr. cap. 1: vers. 5. confer Psalm. 125: 3. *Nam non requiescet sceptrum improbitatis super sorte justorum, ut ne mittant justi ad injustitiam manum suam.* Ita certa stat Ecclesiæ victoria. Portarum infernalium clades, quibus dicetur, ποῦ σου, θάνατε τὸ κέντρον, ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος. 1 Cor. cap. 15: vers. 55. Promisit enim ille, qui habet τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου καὶ τοῦ θανάτου. Apoc. cap. 1: vers. 18.

Non prævalebunt illi.

§. 172. Quod *Ecclesiæ* promisit Christus, idem singulis illius membris promissum est, adeò ut nec Ecclesiæ universæ, nec ulli Ecclesiæ membro portæ infernales prævalere unquam potuerint. Si enim vel uni membro portæ prævalerent, jam certè hoc respectu Ecclesiæ prævalerent: nec verum esset, *non prævalebunt illi*. Igitur ut totius Ecclesiæ hic asserta est constantia, perseverantia, victoria; ita & omnium illorum, qui sunt de Ecclesia. Veræ, sanctæ, Catholicæ Ecclesiæ, nec quoad totum sui; nec quoad membra & partes unquam prævaluerunt, unquam prævalebunt inferorum portæ. Errant itaque, qui negant fidelium constantem ad finem usque victoriam; quique docent, verè fideles, aliquando à fide deficere, & in totalem apostasiam incidere, quod si ita esset, certissimè prævalerent adversus Ecclesiam inferorum portæ. Nec juvat excipere 1. *Portas inferorum significare mortem & damnationem.* Si enim mors & damnatio non prævalebit sanctis; utique nec totalis apostasia; cujus infallibilis est sequela mors æterna & damnatio. 2. *Promissionem hic fieri duntaxat adversus vim externam, non adversus propriam hominis malitiam.* Atqui dicitur *portas inferni non* prævalituras; omnem illarum vim, sive externam, sive internam, frustra consumendam. Si propria malitia prævaleret, utique Diabolus prævaleret, qui omnis nostræ malitiæ autor, fautor & adauctor est. Non limitavit Christus promissionem, sed omnem prævalentiam inferno denegavit. Nec sunt de *Ecclesia*, in quibus eousque regnat propria malitia, *sanctificata* enim illa est, *purgata*, *sistenda sine macula & labe.* Ephes. cap. 5: 26. 27. 3. *Promissionem hanc tantum dirigi ad Ecclesiam Christi, quatenus est talis, & quantisper manet Ecclesia. Promissionem Ecclesiæ factam in sensu*

composito, non in sensu diviso. Atqui non ita docet distinguere Christus, & certè quid hoc est nisi ludere? ut non à nobis est τὸ εἶναι Ἐκκλησίαν, aut de Ecclesia, ita nec manere. Θεοῦ τὸ δῶρον. Tam impossibile est Ecclesiam non manere Ecclesiam, quàm mutari Deum, non exaudiri Christum, pro Ecclesia intercedentem; imò & frustra animam illius laborasse, & vim consumtam. Es. cap. 49: vers. 4. *Firmum stat fundamentum Dei*, Ἔγνω κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ. 2 Tim. 2: 19.

§. 173. Sciendum autem, non hac promissione cautum, ut nunquàm peccet aut erret Ecclesia; sed ut error, mendacium, peccatum non prævaleat illi. Imò nec, ut non sæpe succumbat Ecclesia in terris, expellatur è suis sedibus, detur in necem, variis affligatur cruciatibus & passionibus, id quod avorum nostrorum sæpissimè factum memoria; & etiamnum fit, quod Christus sæpissime prædixit, tum Apostolis, tum communiter omnibus. Sed hæc genuina illius mens, & verissimus sensus est, nunquam ita prævalituras portas, ut ex Ecclesia Dei fiat Synagoga Diaboli; è semine sancto semen serpentis; è veris confessoribus Christi abnegatores; è filiis lucis tenebræ, ex hæredibus Dei, mancipia Satanæ; è membris vivis fœtentia ulcera; ex amicis Dei hostes illius: ut, qui verè in Christum crediderunt, sanctè illum dilexerunt, & ab illo dilecti fuerunt, à dilectione ejus separentur unquam; aut maledicant Christo Domino suo, aut repudium illi mittant in perpetuum. Addo. Licet Ecclesia in terris intercideret, necdum tamen infernales illi prævaluissent portæ, tantùm fieret, ut Ecclesia desineret esse in terris. Atqui desinere esse in terris, non est vinci à portis, sed contra incipere esse in cælis; quod est plenè superiorem fieri infernalibus portis. Sed nunquam ita intercidit, nunquam intercidet in terris sancta Dei Ecclesia, habebit Deus semper in terra Ecclesiam, habebit ἑπτακισχιλίους ἄνδρας, οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ. Rom. cap. 11: vers. 4. Existet semper λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος. Imò si Ecclesia desineret esse in terra, ipsa terra esse desineret; quæ propter Ecclesiam facta est, & conservata hactenus; quæ & ipsa conflagrabit, quando Dominus Ecclesiæ suæ militiam in universalem & perpetuum mutabit triumphum, quod fiet in adventu illius novissimo, ad quem Ecclesia suspirat.

§. 174. Et ita quidem *Ecclesiam* consideravimus ut oppugnatam; *portas*, ut oppugnantes, ingenti quidem animo, magna contentione, plausibili sæpe successu, & apparentia, irrito tamen & frustraneo exitu. Sunt qui paulo aliter hæc accipiunt verba; secundùm quos Ecclesia erit pars oppugnans; portæ pars oppugnata; ac si sensus Christi fuerit, *Ecclesiam* portas inferni impugnaturam, & victuram; portas non substituras, sed coram Ecclesiæ potentia collapsuras. Perpetuum Ecclesiam inferno illaturam bellum: portas inferni dejecturam, rupturam, potentiam murosque inferni prostraturam. Ita portas ad Euangelii præconium collapsuras inferni, ut muri olim Hierichuntini collapsi sunt ad sonitum tubarum populi Israëlitici. Hunc in sensum Hilarius, *quæ*, Ecclesia, *infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret.* Quæ sententia aut explicatio, sano sensu accepta, nec ipsa simpliciter rejicienda est; tumque ita verba Domini vertenda erunt. *Et portæ inferni non valebunt contra illam*, hoc est, non sufficient ad ferendos Ecclesiæ insultus; sed collapsæ præ potentia & viribus illius corruent. Qui urbes impugnant, muros quatere, & portas pulsare solent, illæque maximam sustinere vim.

Miracula Christi.

§. 175. A doctrina Christi progrediendum nunc ad illius *miracula*, quæ Scriptura vocat σημεῖα καὶ τέρατα, καὶ δυνάμεις Joh. 2: 11. 23. 3: 2. 4: 48. Matt. 11: 20. 13: v. 58. Imò & ἔργα. Joh. 13: v. 32. πολλὰ καλὰ ἔργα ἔδειξα ὑμῖν. vers. 38. τοῖς ἔργοις πιστεύσατε. confer Joh. cap. 5: vers. 36. 15: 24. Johannes Prodromus σημεῖον ἐποίησεν οὐδέν. Joh. cap. 10: vers. 41.

Ply-

Plurima autem Christus. οὗτος ὁ ἄνθρωπος πολλὰ σημεῖα ποιεῖ, dicebant *Pharisæi* Joh. 11: 47. & *Turba, Christus, quando veniet, numquid plura signa faciet, quam hic fecit?* Joh. 7: 31. Ita invaluerat sententia, Christum in adventu suo multis fore clarum miraculis. Imò *maxima.* τοσαῦτα δὲ αὐτοῦ σημεῖα πεποιηκότος *Tanta ille cum fecisset signa. Opera feci in illis,* ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν, Joh. 15: 24. de quibus dici potest, ἐξ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη Joh. 9: 32. unde Petrus *Jesum Nazarenum* dicit ἄνδρα ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀποδεδειγμένον δυνάμεσι, καὶ τέρασι καὶ σημείοις Act. 2: 22. Horum σημείων nonnulla recitarunt Evangelistæ, haut tamen omnia. πολλὰ καὶ ἄλλα σημεῖα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἃ οὐκ ἔστι γεγραμμένα. Joh. cap. 20: vers. 30.

§. 176. Σημεῖα autem illa, ut sunt multa, ita & varia; & maximè insignia inter illa, quæ fecit ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων Joh. 6: 2. quos magna copia ad illum adduxerunt. *Obtulerunt illi* πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, ποικίλαις νόσοις καὶ βασάνοις συνεχομένους, Matt. 4: 24. 14: 35. adde Matt. 15: 30. *Venerunt ad illum populi multi,* ἔχοντες μεθ' ἑαυτῶν χωλοὺς, τυφλοὺς, κωφοὺς, κυλλοὺς, καὶ ἑτέρους πολλοὺς, καὶ ἔρριψαν αὐτοὺς παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ. Hi sæpe *irruerunt in Christum.* Marc. 3: 10. ὥστε ἐπιπίπτειν αὐτῷ, ἵνα αὐτοῦ ἅψωνται, ὅσοι εἶχον μάστιγας. Fuere illo tempore plurimi ἀσθενοῦντες in populo. *In porticibus piscinæ Betesda jacebat semper* πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, Joh. 5: 2. 3. divina id ita volente providentia; ut Filius incarnatus inveniret θερισμὸν πολὺν; ut ita loquar; ut haberet, in quo potentia ipsius se exsereret; & ut commodè videretur venisse hic ἰατρὸς in subsidium tot κακῶς ἐχόντων, qui χρείαν ἔχον τοῦ ἰατροῦ. Matt. 9: 12. 36. In ægrotis.

§. 177. Christus Dominus benignum se exhibuit omnibus; nec ullus accessit, qui incuratus abiit. θεραπεύων πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ. Matt. 4: 23. ἐθεράπευσεν πάντας. Matt. 12: 15. *Vidit Jesus* πολὺν ὄχλον, καὶ ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοὺς, καὶ ἐθεράπευσε τοὺς ἀῤῥώστους αὐτῶν. Matt. 14: 14. Sæpè in nonnullos duriora verba locutus; nonnullis etiam se paulo difficiliorem exhibens. Chananææ clamanti, οὐκ ἀπεκρίθη λόγον Matt. 15: 22. 23. 24. 26. Viro, pro filio suo lunatico intercedenti, dicebat, ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη, ἕως πότε ἔσομαι μεθ' ὑμῶν, ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν. Matt. 17: 17. *Regio,* Ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε. Joh. 4: 48. Attamen omne id fecit, ut exploraret illorum fidem, & probaret illorum constantiam, & preces illorum exacueret; tandem verò benignum & exorabilem se exhibuit omnibus. De hisce miraculis ita compendiosè Christus, τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται. Matt. 11: 5. adde, καὶ δαιμόνια ἐκβάλλονται, καὶ πάντες ὑγιεῖς γίνονται, ᾧ δήποτε κατείχοντο νοσήματι, ut ita loquar è Joh. 5: 4.

§. 178. De singulis ferè narrantur exempla. 1 *Cæcorum.* Matt. 9: 27. δύο τυφλοί. Matt. 20: 30. δύο τυφλοὶ, καθήμενοι παρὰ τὴν ὁδόν; quorum unius tantùm meminit Marcus, illumque dictum Βαρτίμαιον, Marc. 10: vers. 46. Luc. 18: 35. adde Marc. 8: 22. τυφλὸς in Betsaidah. Joh. 9: 1. τυφλὸς ἐκ γενετῆς. His omnibus ἐχαρίσατο τὸ βλέπειν Luc. 7: 21. & ἐνέβλεψαν τηλαυγῶς ἅπαντας. Marc. 8: 25. 2. *Claudorum,* horum nullum speciale exstat exemplum; sanatos tamen χωλοὺς, vide Matt. 15: 30. 31. 21: 14. 3. *Leprosorum;* Matt. 8: 2. καὶ ἰδοὺ λεπρὸς confer Marc. 1: 40. Luc. 17: vers. 12. δέκα λεπροί. 4. κωφῶν, hoc est, *mutorum & surdorum;* utrumque significat κωφός; *mutum, & surdum,* παρὰ τὸ κεκῶφθαι τὴν ὄπα, à cæsa scilicet & læsa voce, ut vocem scilicet nec audiat, nec ipsemet eloquatur, Matt. 9: 32. *obtulerunt illi* ἄνθρωπον κωφόν. vers. 33. ἐλάλησεν ὁ κωφός. Matt. 12: 22. oblatus est illi κωφός. ὥστε τὸν κωφὸν λαλεῖν. Marc. 7: 32. καὶ φέρουσιν αὐτῷ κωφὸν, ℣. 35. καὶ διηνοίχθησαν αὐτοῦ αἱ ἀκοαί. 5. *Mortuorum.* Matt. 9: 18. Ἄρχων, seu ἀρχισυνάγωγος, Exempla miraculorum.

nomine Jairus, veniens dicebat. ἡ θυγάτηρ μου ἄρτι ἐτελεύτησεν. vers. 25. καὶ ἠγέρθη τὸ κοράσιον· confer Marc. 5:22. & Luc. 8:41.42. ὅτι θυγάτηρ μονογενὴς ἦν αὐτῷ, καὶ αὕτη ἀπέθνησκεν. Luc. 7:12. *Filius unigenitus viduæ in Nain.* Joh. 11:1. λάζαρος ἀπὸ Βηθανίας. Nota Filia Jairi ἄρτι ἐτελεύτησεν *modò mortua erat.* Matt. 9:18. Filius è Nain ἐξεκομίζετο τεθνηκὼς, *efferebatur* jam, inclusus τῇ σορῷ, ut tegeretur humo. Luc. 7:12.14. Lazarus jam erat sepultus. *Domine*, dicebat Marta, ἤδη ὄζει, τεταρταῖος γάρ ἐστι, *quatriduanus jam est.* Erat ἐν μνημείῳ, ὃ ἦν σπήλαιον, καὶ λίθος ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῷ Joh. 11:38. 39. 6. δαιμονιζομένων. Matt. 8:16. δύο δαιμονιζόμενοι. Marcus *unius* tantùm meminit. cap. 9:2. & Lucas cap. 8:27. Matt. 9:32. *obtulerunt illi hominem* κωφὸν δαιμονιζόμενον. Matt. 12:22. τότε προσηνέχθη αὐτῷ δαιμονιζόμενος. Matt. 15:22. Mulieris Chananææ filia κακῶς ἐδαιμονίζετο, seu ut est Marc. 7:25. εἶχε πνεῦμα ἀκάθαρτον. Marc. 1:23. homo ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ ἐν τῇ συναγωγῇ. Matt. 17:14. *Filius meus* κακῶς πάσχει. vers. 18. καὶ ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ τὸ δαιμόνιον. 7. ἄλλοις κατεχομένων νοσήμασι, quales erant, *Paralytici.* Matt. 8:5.6. *Hecatontarchi* παῖς παραλυτικὸς, Matt. 9:2. *attulerunt illi* παραλυτικὸν ἐπὶ κλίνης βεβλημένον. confer Marc. 4:3. *Febricitantes.* Matt. 8:14. Marc. 2:30. Luc. 4:38. ἡ δὲ πενθερὰ Σίμωνος κατέκειτο πυρέσσουσα. Joh. 4:46. *Filius Regis* seu aulici *cujusdam* in Capernaum confer vers. 52: ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετός. *Lunatici*, σεληνιαζόμενοι. Matt. 17:15. *Domine* ἐλέησόν μου τὸν υἱὸν, ὅτι σεληνιάζεται. Huc referatur *Mulier* αἱμοῤῥοοῦσα δώδεκα ἔτη Matt. 9:20. Marc. 5:25. Luc. 8:43. *Mulier* ἔχουσα πνεῦμα ἀσθενείας ἔτη δέκα καὶ ὀκτὼ, quæ erat συγκύπτουσα, & *non poterat* ἀνακύψαι εἰς τὸ παντελές. Luc. 13:11. *Homo*, τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν ἀσθενείᾳ. Joh. 5:5. *Homo*, τὴν χεῖρα ἔχων ξηράν. Matt. 12:10. Marc. 3:1. Luc. 6:6. Fuere etiam quidam pluribus simul morbis & malis affecti; quales imprimis erant οἱ δαιμονιζόμενοι. Matt. 9:32. *Homo* κωφὸς δαιμονιζόμενος. Matt. 12:22. δαιμονιζόμενος, τυφλὸς, καὶ κωφός. adde Matt. 17:15.18. Marc. 7:32. etiam fit mentio illorum, qui εἶχον μάστιγας. Marc. 3:10. Luc. 7:21. *Ipsa illa hora sanabat multos* ἀπὸ νόσων καὶ μαστίγων καὶ πνευμάτων πονηρῶν. Intelliguntur vehementiores morbi, flagellorum instar, μάστιξ enim flagellum, flabrum, scuticam significat. Ita ῥύσις αἵματος, seu ἡ πηγὴ τοῦ αἵματος dicitur μάστιξ Marc. 5:29. confer vers. 34. ἴσθι ὑγιὴς ἀπὸ τῆς μάστιγός σου.

Δαιμονιζόμενοι. §. 179. Non inutiliter, ὡς ἐν παρόδῳ, monebimus, quid sint δαιμονιζόμενοι, σεληνιαζόμενοι, παραλυτικοὶ, quorum toties in historia Christi mentio fit. οἱ δαιμονιζόμενοι sunt obsessi à Dæmone quopiam, & corporaliter agitati. Matt. 8:16. *obtulerunt* δαιμονιζομένους πολλοὺς & *ejecit* τὰ πνεύματα. Ergo δαιμονιζόμενοι habent πνεῦμα *spiritum*, immundum nimirum, Marc. 1:23.26. τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον. Petrus miseros illos dicit fuisse καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ διαβόλου. Actor. 10:38. Habebant illi nonnunquam δαιμόνια Luc. 8:27. plura dæmonia, à quibus tenebantur, possidebantur & agitabantur. Imò *legionem.* Marc. 5:9. λεγεὼν ὄνομά μοι, ὅτι πολλοί ἐσμεν confer vers. 15. τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα. Luc. 8:30. δαιμόνια πολλὰ εἰσῆλθεν εἰς αὐτόν. Tales obsessi nec *catenis* vinciri, nec πέδαις ligari, nec *domari* poterant, in *montibus*, & *monumentis* agebant; *interdiu & noctu* vociferabantur & *lapidibus* sese feriebant. Marc. 5:3.4.5. ἱμάτιον οὐκ ἐνεδιδύσκοντο, καὶ ἐν οἰκίᾳ οὐκ ἦσαν, Luc. 8:27. agebantur *à Dæmone in deserta.* Luc. 8:29. Erant etiam efferati in alios homines, quos non sinebant se præterire. Matt. 8:28. In multis erat πνεῦμα ἄλαλον καὶ κωφὸν. Marc. 9:17:25. quod solebat certis horis homines καταλαβεῖν, & *rumpere*, ut *dentibus frenderent*, & *spumarent* & *exarescerent.* Marc. cap. 9: vers. 18.

Σεληνιαζόμενοι. imò ita *lacerare*, ut fierent ὡσεὶ νεκροὶ. ibid. vers. 26. οἱ σεληνιαζόμενοι autem sunt *Luna-*

tici,

tici, qui furore laborant, aut morbo comitiali; intervallis quibusdam recurrente. Videtur ita dictus morbus ille, quod Lunæ instar statis vicibus recrudescat: vel quod iis, qui in ipso nati sunt interlunio, familiaris esse consuevit. Lunaticorum proprium erat, dum dormiebant, surgere & tecta ædium, felium instar conscendere: non agebantur extra tecta in deserta; sed extra domorum conclavia in tecta. Dicuntur Syris [illegible] *filii tecti*, ut vertit Cl. L. de Dieu, quia *morbus* seu *spiritus lunaticus tectorum amans sit*. Morbo lunatico frequenter se immiscebant dæmones, Matt. 17: 15. 18. Marc. 9: 17. 20. 22. 25. qui iisdem intervallis & periodis hominem corripiebant, quibus lunaticus illorum morbus incipiebat. Marc. 9: 18. ὅπε ἂν αὐτὸν καταλάβῃ. Differt secundùm nonnullos morbus *lunaticus* à *comitiali*: hic facit homines *cadere in aquam & ignem*, imò *spumare*, imò σπαράσσει. Ille, furore implet, & facit tecta conscendere, Matt. tamen 17: 15. non videtur hæc differentia observari. *Dæmoniacus* autem facit extra tecta per solitudines ambulare. Παραλυτικοί dicuntur *Paralysi* seu *resolutione membrorum laborantes*. Celsus. *Resolutio nervorum frequens ubique morbus est, sed interdum tota corpora, interdum partes infestat.* Veteres illud ἀποπληξίαν; hoc παράλυσιν nominaverunt: nunc utrumque παράλυσις appellatur. Παραλυτικοί.

§. 180. Omnem νόσον καὶ μαλακίαν sanavit ac curavit Dominus verbo potenti & miraculosa manu, nullis adhibitis remediis. Leprosum *attigit, dixitque, volo, purgator*. Matt. 8: ✝. 3. Marc. 1: 41. Luc. 5: 13. Hecatontarcho dicebat, *abi, ut credidisti fiat tibi*. Matt. 8: 13. idem hecatontarchus antea dixerat, μόνον εἰπὲ λόγον. ✝. 8. Paralytico; *surge, tolle lectum tuum*. Matt. 9: ✝. 6. *Mortuæ Iairi* filiæ, *puella surge*. Marc. 5: 41. Filio viduæ de Nain. *Adolescens, tibi dico, suscitator*. Luc. 7: 14. Lazaro *magna voce acclamabat, Lazare*, δεῦρο ἔξω. Joh. 11: 43. ibi tamen *elatis in cælum oculis* dixit, *Pater gratias ago tibi, quod audivisti me*. ✝. 41. Surdo μογιλάλῳ, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, Ἐφφαθὰ, ὅ ἐστι διανοίχθητι. Marc. 7: 34. Homini apud piscinam Betesda cubanti; *surge tolle grabbatum tuum, & ambula*. Joh. 5: 8. Spiritui immundo ἔλεγε, *exi, impure spiritus, ex homine* Marc. 5: 8. *Ego* σοὶ ἐπιτάσσω, *exi ex illo, & nunquam intra in illum*. Marc. 9: 25. Id fuit τὰ πνεύματα ἐκβάλλειν λόγῳ, Matt. 9: 16. Illi autem surdo μογιλάλῳ *jecit digitos in aures*, καὶ πτύσας *& spuens tetigit linguam ejus*. Marc. 7: 33. Cæco è Betsaidah πτύσας εἰς τὰ ὄμματα *spuens in oculos, imposuit manus*, rogavitque, εἴ τι βλέπει illo dicente, *video homines ut arbores ambulantes*, εἶτα πάλιν *imposuit manus super oculos*, fecitque illum ἀναβλέψαι, nimirum perfectè. Marc. 8: 23. 24. 25. Etiam cæco è nativitate *illivit* τὸν πηλὸν *lutum oculis*, postquam *spuisset* χαμαὶ *humi*, & *è sputo fecisset lutum*; ac deinde jussit *lavare in Siloam*. Ita demum ἦλθε βλέπων. Joh. 9: 10. 11. Multi ex *attactu fimbriæ sanati* sunt. Matt. 14: 36. *Rogabant illum, ut tantùm* ἅψωνται τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, καὶ ὅσοι ἥψαντο διεσώθησαν. confer Marc. 6: 56. adde Marc. 3: 10. Hic memorabile est illud τῆς αἱμοῤῥοούσης; quæ *à tergo accedens, tetigit fimbriam*, in se certa, se sanandam, dummodo attigisset. Matt. 9: 20. 21. utut attigit, *profluvium exaruit*; ipsa *novit* τῷ σώματι, ὅτι ἴαται. Marc. 5: 29. Multa misera hæc *passa erat à medicis; omnia sua consumserat*; idque frustra ibidem ✝. 26. nunc solus fimbriæ illam attactus sanat. Christus *statim in se pernovit* τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν ideò rogat, *Quis tetigit vestimenta mea?* Marc. 5: 30. Certè vestibus Christi sanandi vis haut inerat. Sed Dominus veste illa tectus vim illam exercuit. Idem *statim vim ex se exeuntem novit*, hoc est, sciens volensque vim ad sanandum miseram hanc emisit. Idem scivit venturam & tacturam fœminam, antequam illa veniret & tangeret, non enim est *creatura inconspicua coram illo*. Hebr. 4: 13. imò cogitationes mulierculæ hujus omnes maturè perspectas habuit. Etiam *sputum*, quod cæcorum illivit oculis, per se remedium depellendæ cæcitati sufficiens Modus sanandi quo usus Christus.

haut

haut fuit. At potentia divina, quæ nullis alligata est remediis, & sine illis agere potest efficaciter, illa, inquam, potuit inefficaci sputo addere efficaciam; ut per illud fieret, quod fieri per illud naturaliter non poterat; nobis documento, ut nullis fidamus nimium remediis, nec contemnamus tenuia; sed doceamur *potentiam* Dei etiam *in infirmitate consummari.* Si *ossa* Elisæ fecere mortuum revivere, 2 Reg. cap. 13: verſ. 20. 21. quidni fimbria Christi, aut sputum illius fecerit ægrotos reconvaleſcere? Si *pallium* Eliæ fluxum aquarum compescuit, 2 Reg. 2: 14. cur non fimbria Christi fluxum sanguinis sedaverit? Sed ut hæc vis non fuit insita nec pallio, nec ossibus demortuis, corruptioni proximis; ita nec fimbriæ, nec sputo Domini nostri.

§. 181. Omnia hæc σημεῖα fecit Jesus θεάνθρωπος; imò fecit θεὸς δι' αὐτοῦ *Deus per illum* Actor. 2: 22. neque enim *à se ipso Filius facere potest quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæ enim ille facit, hæc & Filius similiter facit.* Johan. 5: 19. Igitur *ut Pater resuscitat & vivificat*, & sanat ægrotos, *ita & Filius, quos vult, vivificat* & sanat. ibid. verſ. 21. Desine ergo mirari, qui homo *Jesus* talia & tanta egit: nam divinitas operata est in Jesu, desine fingere, *omnipotentiam* humanæ communicatam carni; nam divinitas, carnem inhabitans, operata est in carne. Hujus opus est, quod finitæ carnis opus esse non potuit.

Verba ægrotorum ad Christum. §. 182. Etiam hic annotemus nonnulla verba, quæ ægroti accedentes ad Dominum elocuti sunt; ut constet, quo sensu, qua fide, qua fiducia accesserint. Leprosus dicebat, *Domine,* ἐὰν θέλῃς, *si vis, potes me purgare.* Matt. 8: 2. Agnoscit in Domino θέλημα παντοδύναμον. Hecatontarchus. *Non sum dignus, ut sub tectum meum intres,* agnoscit illius ὑπερβάλλουσαν ἀξιότητα. *Tantùm dic verbum*: fatetur ἀΐδιον illius δύναμιν καὶ θεότητα, quæ ῥήματι *fert omnia.* Matt. 8: 8. 9. Jairus. *Mortua est filia mea; veni, impone illi manum, & vivet* Matt. 9: 18. Laudat *manum,* in qua sunt *terræ profunda* Pſalm. 95: 4. quidni mors & vita? Cæci. *Miserere nostri, Fili David.* Matt. 9: 27. confer Matt. 15: 22. 20: 30. Agnoscunt veram illius ἀνθρωπότητα, κοινωνίαν σαρκὸς καὶ αἵματος, fraternitatem, quam inire cum hominibus *non erubuit,* & πολὺ αὐτοῦ ἔλεος: imò & *indignitatem* suam, qui enim ad misericordiam provocat, suum meritum abnegat. Regius; *Domine, descende, antequam moriatur puer meus,* Joh. 4: 49. indicat, mortem ad descensum Victoris mortis fugere; nec mortis imminere periculum, ad quos contingit venire Dominum. Marta, *Domine, si hic fuisses, frater meus non fuisset mortuus.* Doceamur, cum quibus est Dominus, illos à morte tutos esse. *Sed & nunc novi, quod quæcunque petieris Deum, dabit tibi.* Joh. 11: 21. 22. Vim intercessionis Domini laudat, qui, quod petit à Patre, ob meritum infinitum semper impetrat. Ipsa dæmonia clamarunt: *Tu es Christus, Filius Dei.* Luc. 4: 41. *Quid nobis, & Tibi, Jesu Nazarene, novi te, quis es; Sanctus Dei.* Marc. 1: 24. Matt. 8: 29. Ita Diaboli, quod tota mente horrent, fateri necessum habent; æternam Jesu υἱότητα; invincibilem illius θεότητα, excellentissimam illius ἁγιότητα. ἡ αἱμοῤῥοοῦσα. *Si tantum fimbriam tetigero, sanabor.* Matt. 9: 21. Declarat fiduciam divinæ Christi potentiæ, & gratiæ & sanctitatis. Sciens se legaliter impuram, non veretur, ne contaminet Purum, sed sperat, à Puro hoc purgandam se impuram. Scientiam illius divinam non ignorat; ideo sermone palam explicare desideria sua, haut opus judicat. Neque illa fiduciam in opere posuit operato; quia certè non fuit in illius sancto pectore tanta & tam ignara superstitio.

Miracula in rebus elementaribus. §. 183. Nec ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων tantùm, sed & ἐπὶ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου *in rebus elementaribus* multa Jesus fecit σημεῖα & τέρατα. In Cana Galilææ fit *aqua vinum*, & melioris quidem

quidem notæ, ipso Architriclino teste. Hoc miraculum fecit sine voce, sine gestu: fuitque id ἡ ἀρχὴ τῶν σημείων *initium signorum*, seu primum omnium signum. Joh.2:3 – 11. *ventis & mari*, in maxima procella, *interminatur*, & derepente fit γαλήνη μεγάλη. Matt.8:24-26. Marc.4:36 – 41. Luc.8:22 – 25. Cum *contrarius esset ventus*, & *a fluctibus navigium* jactaretur, prout intrat in navem, quiescit siletque vehemens & violentus ventus. Matt. 14: 24-32. Marc.6:48 – 51. Quinque panibus & duobus piscibus cibat viros quinque mille, duodecim cophini fragmentorum tolluntur. Matt.14:15 – 21. Marc.6:35 – 44. Luc.9: 12 – 17. Joh.6:5 – 16. Septem panibus & paucis pisciculis saturat quatuor mille viros,& de fragmentis implet septem corbes. Matt.15:32 – 38. 16:10. Marc.8:2 – 9. *Ficus* ad verbum illius exarescit. Matt.21:19. Marc.11:13.14. Petrum jubet *piscem* capere, & ex *ore piscis* staterem, Matt.cap.17:vers.27. Ita norat, quid esset in pisce, qui *novit, quid erat in homine.* Joh.cap.2: vers.25. Ex Betphage mittit in vicum, quæsitum asinum, antea non visum. Matt.21:1-3. Ipse ambulavit super *mare*; voraxque hoc & rapax elementum sanctissimum hoc corpus debuit bajulare, nec ausum est absorbere. Matt. 14:25.27. Marc. 6:48.49.50. Joh.6:19.

§. 184. Etiam ad signa referantur, quæ in ipsa sanctissimi facta sunt persona. Judæi σημεῖον petebant. Respondet, *solvite templum hoc* Joh.2:18.19. Capernaumitæ dicebant, *quodnam facis signum, quid operaris?* Respondet. *Panis Dei est, qui descendit è cœlo.* Joh.6: 30.32. Pharisæi. *Domine volumus a te signum videre.* Promittit illis *signum Jonæ Prophetæ.* Matt.12:38.39. 16:1.4.

§. 185. Talia faciens, tot tantaque miracula, ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ *manifestavit gloriam suam* Joh.2:11. confer Joh.11:40. *videbis gloriam Dei*, dicebat Marthæ, sorori Lazari jam jam resuscitandi. confer Joh.7:3.4. imò *manifestavit & operatus est opera ejus, qui misit illum.* Joh.9:3.4. Imò per illa ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ Joh.11:4. confer. Actor. 2:22. ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι, &c. Qui ex hominibus miracula viderunt, *mirati*, dixere, ποταπός ἐστιν οὗτος. Matt. 8: 27. ἐδόξασαν τὸν θεὸν, τὸν δόντα ἐξουσίαν τοιαύτην τοῖς ἀνθρώποις. Matt.9:8. ἐξίσταντο πάντες. Matt. 12:23. ἐθαύμασαν, λέγοντες, ὅτι οὐδέποτε οὕτως ἐφάνη ἐν τῷ Ἰσραήλ Matt.9:33. confer Marc. cap.1:vers.27. 2:12. οὐδέποτε οὕτως εἴδομεν. 7:37. ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες, καλῶς πάντα πεποίηκε. Luc. 13:vers.17. καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἔχαιρεν ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἐνδόξοις τοῖς γινομένοις ὑπ᾽ αὐτοῦ. Ideò ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. Joh.cap.2:vers.11. προσεκύνησαν αὐτῷ, dicentes, Ἀληθῶς θεοῦ υἱὸς εἶ Matt. 14.33. Nicodemus. *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi sit Deus cum ipso* Joh.3:2. In Jerusalem *multi crediderunt in illius nomen*, θεωροῦντες αὐτοῦ τὰ σημεῖα, ἃ ἐποίει. Joh. 2: 23. Ob eadem signa *receperunt illum Galilæi.* Joh.4:45. Sequebatur illum ὄχλος πολὺς, ὅτι ἑώρων αὐτοῦ τὰ σημεῖα. Joh. 6:2. confer vers. 14. imò volebant illum *Regem facere.* ibidem vers. 15. Multi tamen secuti sunt, non quod *viderant signa*, sed quia *ederant è panibus*. ib. ṽ. 26. Ob signum in Lazari patratum persona, *occurrit illi populus.* Joh.12: 18. Multi è Judæis θεασάμενοι, ἃ ἐποίησεν Jesus in Lazaro, ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν Joh. cap. 11: vers. 14. confer 12: 11. Multi etiam ex iis, in quibus miracula fecerat Dominus, crediderunt, ὁ βασιλικὸς ἐπίστευσε, καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη. Joh. 4:53. *Cæcus natus*, dicebat πιστεύω κύριε, καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ Joh.9:35.38. vir, ἀφ᾽ οὗ ἐξεληλύθει τὰ δαιμόνια, ἐδέετο εἶναι σὺν αὐτῷ Luc.8:38. Multi etiam beneficii accepti citò immemores facti sunt. E decem leprosis purgatis, unus tantù, & quidem *Samarita*, ἀλλογενὴς, reversus est, δοῦναι δόξαν τῷ θεῷ Luc. 17: 18. homo, quem à diuturna infirmitate sanaverat, abiit, & *nunciavit Judæis*, hostibus Jesu, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ ποιήσας αὐτὸν ὑγιῆ, ita proditor quasi exstitit benefactoris sui.

In miraculis manifestata gloria Domini.

Joh.5:15. Etiam è Judæis quidam, qui miraculum in Lazaro spectaverant, *abierunt ad Pharisæos*, καὶ εἶπον αὐτοῖς, ἃ ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς. Joh.11:46. Multæ civitates, in quibus ἐγένοντο αἱ πλεῖσται δυνάμεις, οὐ μετενόησαν. Matt.11:20. inter quas & *Nazaret* fuit. Matt.13:54.56. 57.58. Imprimis contemtim & malitiosè de illis senserunt *Pharisæi*. Matt.9:34 *dicebant, in Principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. confer Matt.12:24. Marc.3:30. Quod *in Sabbato* ægrotos fecerat ὑγιεῖς, id habebant pro Sabbati dissolutione & profanatione. Joh.9:16. putabant non licere τοῖς σάββασι θεραπεύειν Matt.12:10. quod Christus egregiè sæpe refutavit, docens, licere τοῖς σάββασι καλῶς ποιεῖν Matt.12:11.12. Luc.13:14.15.16. confer Joh.5:9.16. 7:21.22.23. 9:14. Et de hac illorum *incredulitate* lege Joh.12:37.38. τοσαῦτα δὲ αὐτοῦ σημεῖα πεποιηκότος ἔμπροσθεν αὐτῶν οὐκ ἐπίστευον εἰς αὐτόν. Valde verebantur, ne, si Christus ita pergeret, πάντες πιστεύσωσιν εἰς αὐτὸν Joh.10:48. Posteriores Judæi blasphemare non verentur; Jesum propterea à majoribus lapidatum; quod *magiam exercuit*, שכישף & *seduxit*, & *depulit Israëlem*, quod convenit cum calumnia Pharisæorum, *in Beelzebul expellit*, &c. Sane qui est *magus*, & per *magiam* facit mirabilia, in Beelzebul operatur. Paulò honestius Flavius Josephus de Christi miraculis testatur ἀρχαιολ. *in* dicens ἦν, nimirum Jesus, παραδόξων ἔργων ποιητής.

Miracula voluit Christus taceri. §. 186. Miracula sua Christus voluit taceri. Matt.8:4. dicebat leproso, ὅρα μηδενὶ εἴπῃς. Matt.9:30. ἐνεβριμήσατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ὁρᾶτε μηδεὶς γινωσκέτω. Matt.12:15.16. *Sanavit illos omnes*, καὶ ἐπετίμησεν αὐτοῖς, ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσιν. Marc.7:36. καὶ διεστείλατο αὐτοῖς, ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν. Marc.8:26. Cæco in Betsaidah dicebat, μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ. Marc.5:43. καὶ διεστείλατο αὐτοῖς πολλά, ἵνα μηδεὶς γνῷ τοῦτο, quod Jairi filiam excitasset. Ipsis impuris spiritibus præcepit, ἵνα μὴ αὐτὸν φανερὸν ποιήσωσι Marc.3:11.12. confer Marc. 1: vers. 34. καὶ οὐκ ἤφιε λαλεῖν τὰ δαιμόνια, ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν. Ideò autem taceri nec divulgari voluit Dominus facta sua, *ut impleretur, quod dictum est per Esaiam Prophetam, ecce puer meus, non clamabit, nec audiet quis in plateis vocem ejus.* Matt.12:17-21. Es.42:1-4. scilicet ostentatorum est, velle benè facta crepari ab omnibus, & narrari in omnibus biviis. Sufficiebat, Christum hæc facere, multos illa aspicere, miseros levamen inde percipere, non erat è re omnes & singulas actiones inter omnes divulgari.

Christi miracula omnium maxima. §. 187. Fecerunt ante Christum *sancti Dei homines* multa & ingentia miracula, signa, ac portenta. Quæ non fecit *Moses*? quæ non *Elias*? quæ non *Elisa*? sed miracula Christi superant illorum 1. Numero. 2. Magnitudine. 3. Modo patrandi. *Numero*, neque enim illorum quisquam tot mortuos excitavit, tot dæmonia expulit, tot ægrotos sanavit. *Magnitudine*, nemo cibavit tantam multitudinem tam paucis panibus, nemo ambulavit super impetuosum mare. *A seculo non auditum est, quod quis aperuit oculos* τυφλοῦ γεγεννημένου. Joh.9:31. *Modo patrandi*. Nullus ante Christum fecit, quæ fecit, ἰδίᾳ δυνάμει, & ἐξουσίᾳ, fecerunt tantum statis vicibus, certisque temporibus. Christus per Spiritum æternum, secundùm potentiam vitæ indissolubilis, quando voluit, ubi voluit, quoties voluit, mirabilia patravit. Ex Christo ipso exivit ἡ δύναμις, quæ ægrotos sanavit. Marc.5:30.

§. 188. Cum Christo & post Christum fecerunt Apostoli & Discipuli illius miracula, *Dæmonia multa ejecerunt, multos infirmos sanarunt.* Marc.6:13. Septuaginta *reversi cum gaudio, dixerunt, etiam dæmonia nobis subjiciuntur.* Luc.10:17. Sed nec illi *propria potentia & pietate* Act.3:12. sed ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ. Actor.4:10. confer Actor.3:v.16. unde & LXX. dicunt, Dæmonia nobis subjiciuntur ἐν τῷ ὀνόματί σου *in nomine tuo*. Omnem ἐξουσίαν, quam usurparunt, seu in sanandis morbis, seu in expellendis spiritibus impuris, omnem, inquam, illam ἔδωκεν αὐτοῖς *dedit illis* Dominus. Matt.10:1. Neque tamen omnia

nia *ἠδυνήθησαν ἐκβαλεῖν dæmonia.* Matth. cap. 17: vers. 19. Marc. cap. 9: vers. 28.

§. 189. Potuisset Christus nulla facere miracula, & nil minus plenè subire munus & Prophetæ & Sacerdotis, ut & Johannes præcursor nulla fecit. Non erant illa necessaria absolutè. Potuissent peccatores salvari sine illis. Sanctitas vitæ, & excellentia doctrinæ satis erat ad manifestandum, quis esset Christus. Vocat Christus *ætatem malam & adulteram*, quæ *σημεῖον ἐπιζητεῖ.* Exprobrat, quod *non credant*, nisi *videant σημεῖα καὶ τέρατα.* Matt. 12:39. Joh. 4:48. Tamen voluit divina Sapientia, ut multis Servator inclaresceret miraculis. 1. Ut ne minor esset ulla in parte Mose & aliis, sed omni modo major. 2. Ut esset Servator perfectissimus; qui etiam defectibus corporalibus populi sui mederi novit. 3. Ut ex illis appareret, quod sit Filius Dei *ἐν δυνάμει*, qui venit בְּכֹחַ; cujusque nomen est פֶּלֶא. 4. Ut Prophetis, qui id prædixerunt, fides fieret. 5. Ut ætas, quæ illum vidit, ubetrimum præsentiæ ipsius fructum gustaret ac perciperet. 6. Ut videntes excitarentur ad attentionem & inquisitionem. 7. Ut imbecillitas fidei pluribus simul fulcris inniteretur. 8. Ut fortius convincerentur hostes; & auferretur illis *omnis apertio oris.*

Cur Christus tot fecerit miracula?

§. 190. נִפְלָאוֹת *Miracula*, quæ fecit Christus tanto numero, *superattestantur saluti dictæ* ac annunciatæ *per Dominum.* Hebr. 2:3. 4. hoc est, non obscurum ferunt testimonium sanctitatis doctrinæ, promulgatæ per Dominum. Et quamvis fides illius hautquaquam unicè sit suspendenda a miraculis; habet enim illa testimonia alia & majora; Patris, è cælo loquentis; Mosis & Prophetarum; integritatis & innocentiæ vitæ; tamen augeri illa & confirmari potest ex intuitu tot prodigiorum. Vir enim, qui opera divina, omnem creatam & finitam potentiam excedentia, fecit, non potest loqui nisi divina, nam tenebris non est communio cum luce, veritati cum mendacio, virtuti cum fraude. Vice versa; doctrinæ, quam Christus publicavit, eminentia, sanctitas, sublimitas, majestas, maximè confirmat veritatem & integritatem miraculorum, quæ edidit. Neque enim est possibile, ut is, per quem locutus est Spiritus Sanctus, non operatus sit per Spiritum Sanctum, & in cujus verbis vis Spiritus visibiliter apparet, ut in illius operibus vis aliena & impura grassetur. Imò & clarissimum est, miracula Christi non esse miracula *seductionis* & *tentationis:* quia superant vires omnium seductorum, & ipsius Satanæ, quia per illa non abducimur à Deo, sed adducimur ad Deum; non minuitur gloria Dei, sed augetur, & Satanæ regnum profligatur, & malitiæ repagulum ponitur, & Sanctorum bonum salusque quæritur & promovetur, &, quicquid dixerunt Moses & Prophetæ partim impletur, partim confirmatur; imò & quia sunt talia, qualia facturum Messiam, cum veniret, diu prædictum, & a sanctis exspectatum erat. In ore Jesu non fuit dolus aut fraus, neque ergo & in operibus ulla fuit.

§. 191. A miraculis pergimus ad Christi instituta, præcepta, Sacramenta, quæ Dominus dedit *Ecclesiæ suæ, super se ædificandæ*; Moses *dederat circumcisionem* Joh. 7:22. imò & *Pascha*, observanda in omnes generationes Israëlitarum. Non minor Mose Christus etiam Ecclesiæ suæ dedit observanda in secula mundi omnia. Parcior hic Mose Christus, qui pauca dedit, cum Moses multa & plurima dedit. Sed hoc ipso gratiosior; qui noluit ulli jugo Ecclesiam subesse suam.

Christi Sacramenta.

§. 192. Principio occurrit, quod ipse Christus, à Joanne baptizatus, etiam *baptizavit*, non *ipse* quidem sed per *discipulos*, Joh. 4:1. 2. Joannes non diu ministravit baptismum, quia mox traditus & sublatus est, ne autem cum Johanne desineret baptismus, à Christo fuit cœptus & continuatus. Imò &, cum nunc mundum ipse derelicturus esset, seriò jussit discipulos, *πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτούς.* Matt. 28:19. Marc. 16:16. Id quod & sedulò ab illis observatum. *Petrus* in solemni illa concione, Actor. 2:38.

Baptizavit.

monet altâ voce, Βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν. *Philippus* baptizavit *Samaritanos.* Act. 8: 12. *Eunuchum*, ibidem vers. 38. *Saulus* baptizatus est Act. 9. 18. 22:16. *Cornelius* Actor. 10: vers. 47. 48. *Lydia* πορφυρόπωλις. Actor. 14: vers. 16. ὁ δεσμοφύλαξ Actor. cap. 16: vers 33. *multi Corinthiorum*, Actor. 18: vers. 8. *Crispus*, *Gajus*, *Stephani domus.* 1 Cor. cap. 1: 14:16.

Aqua. §. 193. Baptismus fiebat ἐν ὕδατι *aquâ*, ita *Johannes* baptizavit. Matt. cap. 3: vers. 11. ita *Apostoli.* Actor. 10:47. *Num aquam prohibere potest quis*, τοῦ μὴ βαπτισθῆναι τούτους? Eunuchus dicebat Philippo. *Ecce aqua, quid vetat me baptizari.* Actor. 8: v. 36. Inde baptismus dicitur λουτρὸν τοῦ ὕδατος *lavacrum aquæ.* Ephes. 5: 26. Tertullianus *Sacramentum aquæ*, Idem cap. 4. de baptismo. *Nulla distinctio est, mari quis, aut stagno, flumine aut fonte, lacu aut alveo diluatur.* In aquam solebant *descendere.* Philippus & Eunuchus κατέβησαν εἰς τὸ ὕδωρ. Actor. 8: vers. 38. confer vers. 39. ὅτε δὲ ἀνέβησαν ἐκ τοῦ ὕδατος. Etiam Christus baptizatus *ascendit ab aqua.* Matt. 3: 16. Ergo baptizandus descenderat in aquam.

in nomen P. F. S. S. §. 194. Jussit autem Dominus baptizari εἰς τὸ ὄνομα *in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Matt. 28: 19. confer Act. 2: 38. *Baptizetur unusquisque* ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ. Actor. 8: 16. *baptizati erant* εἰς τὸ ὄνομα *Domini Jesu*, Galat. 3: 57. εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε. Rom. 6: 3. ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν. Hoc est, qui baptizantur, non tantum *nomine*, hoc est, jussu & mandato ac auctoritate triunius Dei baptizantur, sed *in nomen* ipsius, adeoque in Deum ipsum, in Christum ipsum; ut nullum aliud nomen, præter hoc unum, nominare & colere debeant unquam. Baptizantur in nomen *Patris*, Creatoris unici, *Filii*, Redemtoris unici, *Spiritus*, Sanctificatoris unici. Vi baptismi suscepti non alium, nec Creatorem, nec Redemtorem, nec Sanctificatorem venerari aut accipere tenentur; qui id facit, Baptismum suum irritum facit & prophanat.

In remissionem peccatorum. §. 195. Nec in *nomen* hoc tantùm, sed & εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν *in remissionem peccatorum.* Act. 2: 38. *Baptizetur quilibet vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Ananias Paulo Act. 22: 16. βάπτισαι καὶ ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας σου *baptizare & abluere peccata tua.* Remissio peccatorum est *in sanguine Jesu* Ephes. 1: 7. Col. 1: vers. 14. Etiam *purgatio* 1 Joh. 1: 7. & *ablutio.* Apoc. 1: 5. Qui baptizantur in nomen Jesu, etiam in illam remissionem & ablutionem baptizantur; hoc est, Baptismus obsignat illis communionem remissionis & ablutionis in sanguine partæ, ut, qui baptizatus est, tam certus sit, remissa sibi peccata, quam certus est, se baptizatum esse.

Baptizamur in mortem Christi imò & sepulturam. §. 296. *Quicunque baptizati sumus in Christum Iesum*, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν *in mortem ejus baptizati sumus.* Rom. 6: v. 3. Adeoque in baptismo est *obsignatio communionis mortis* Domini nostri. Tam verè mors illius facta est nostra, quàm verè baptismus factus est noster. Aqua corpus obruens, suffocans, symbolum mortis seu mortificationis est. Imò & συνετάφημεν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον *consepulti ipsi sumus per Baptisma in mortem.* Rom. 6: 4. Sepultura sequitur mortem. Baptismus obsignat & mortis dominicæ communionem, & *sepulturæ.* Sepultus Dominus à maledictione & peccato, quod in mortem ipsum dederat, plenè absolutus & liberatus est, quemadmodum qui olim suspendebantur de ligno, sepeliri debebant, ut à maledictione, quæ ligni seu crucis atræ titulus erat, immunes redderentur. Nos *consepulti* Domino, in illo ab omni reatu absolvimur. Baptismus noster hujus sepulturæ nos certos facit. Col. 2: 12. συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι. Est in aqua Baptismi sepulturæ symbolum, ut enim aqua corpus tegit, ita mortuos sepultura. Porrò sepultura signum est actualis mortis. Ideò Christus est sepultus, ut osten-

oſtenderetur verè mortuus. Dicimur, *per baptiſma conſepulti in mortem*; ut doceamur, baptiſmum ſepulturæ inſtar, etiam hoc ipſo, quod ſepulturæ ſignificationem habet, nos de vera communione mortis facere certiſſimos.

§. 197. *Quicunque in Chriſtum baptizati eſtis*, χριστὸν ἐνεδύσασθε. *Chriſtum induiſtis* Gal. 3: 27. qui baptizatur, aquam quaſi induit; aqua induitur. Baptiſmus noſter Chriſti indutì nos certos facit. Induendus eſt Chriſtus, ut nuditas noſtra tegatur. Sunt in Chriſto *veſtes ſalutis, pallium juſtitiæ.* Eſ. 61: 10. Hiſce ἐνδυσάμενοι, οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα. 2 Cor. 5: 3. De indutione Chriſti in Baptiſmo ita Auguſtinus libr. 5. de Baptiſmo cap. 25. *Induunt homines Chriſtum aliquando uſque ad Sacramenti perceptionem; aliquando uſque ad vitæ ſanctificationem. Primum poteſt bonis & malis eſſe commune, hoc autem proprium eſt bonorum & piorum.* Baptizati induerunt Chriſtum.

§. 198. Eccleſiæ *purgatio* attribuitur baptiſmo, Epheſ. 5: 26. *ut ſanctificaret illam*, καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι *quam purgavit lavacro aquæ in verbo.* Lavacrum aquæ, hoc eſt, baptiſmus Chriſtianorum, *purgat*, hoc eſt, à peccati reatu abſolvit, & à peccati macula ac labe ſanctificat, quomodo? obſignando; non autem merendo aut infundendo. Solus *ſanguis Filii Dei* purgat, ut cauſa, ut meritum tum abſolutionis, tum ſanctificationis noſtræ. Baptiſmus purgat; non virtute ulla inhærente, non efficacia operante, ſed *in Verbo*; Dei nim. qui baptiſmum juſſit fieri in obſignationem remiſſionis & purgationis à peccato, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Hoc *verbum*, hoc mandatum Dei & Servatoris aquæ lavacrum conſtituit veræ & ſpiritualis noſtræ purgationis ſymbolum & ſigillum. Ideò baptizatus in *verbo*, & fide verbi Servatoris ſui de vera ſua purgatione certus eſt. Verbum enim Dei verum eſt, nec fallere, nec mentiri poteſt. Lavacrum aquæ purgans in verbo.

§. 199. Imò & *ſalvatio*, ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου *ſervavit nos per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus Sancti.* Tit. 3: 5. *Salvat*; quia per lavacrum illud *ſalutem, quæ eſt* in Chriſto, & in nullo alio, Act. 4: 12. neque ergo in baptiſmi aqua, obſignat & applicat. Idem lavacrum eſt lavacrum *regenerationis*; quia qui illo lavacro tinguntur, regenerantur; eſt arrha, & ſymbolum, ſigillumque regenerationis. Per ſe tamen id non poteſt; ſed oportet, ut accedat *renovatio Spiritus S.* 1 Petr. 3: 21. ἡμᾶς νῦν σώζει βάπτισμα *nos nunc ſalvat baptiſmus*, hoc eſt, de ſalute certificat, illiuſque participes facit, quomodo autem *ſalvat*? οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, *non eſt carnis depoſitio ſordidæ*, hoc eſt, non poteſt per ſe aufere carnem ſordidam, hoc eſt, naturæ noſtræ corruptionem, quæ nomine *carnis* paſſim indicatur. Ergo ne putemus, per baptiſmum omnem naturæ noſtræ ſordem & fœtorem deponi, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς τὸν θεὸν *ſed eſt conſcientiæ bonæ reſtipulamentum* ſeu fundamentum ac firmamentum interrogationis *in Deum*, baptiſmus facit bonas conſcientias, ſanguine Chriſti purgatas Hebr. 9: 14. à Deo reſtipulari, jure ſigilli & Sacramenti obſignantis, vitam & ſalutem. Docet porro Petrus, quomodo τὸ βάπτισμα, & per quid *ſervet*, δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ χριστοῦ *per reſurrectionem Jeſu Chriſti.* 1 Petr. 3: 21. Reſurrexit Chriſtus *ob juſtificationem noſtram*, Rom. 4: 25. *quis condemnans? Chriſtus reſurrexit.* Rom. 8: 34. Reſurrectio Chriſti non eſt λύτρον ſeu ἀντίλυτρον, id enim eſt mors & ſanguis. Eſt tamen arrha ſoluti & acceptati lytri, & acquiſitæ nobis juſtificationis & ſalutis. Quia reſurrexit Dominus, à morte teneri non potuit. Ergo mortem vicit, & Satanam, & peccatum. Baptiſmus, ut mortem & ſepulturam, ita & *reſurrectionem* Domini repræſentat, illiuſque communionem obſignat. Ideò & docet Paulus Col. 2: 12. quòd *in baptiſmate ſimus conreſuſcitati.* Aqua enim baptiſmi, quatenus ſuffocat, *mortis*; quatenus *tegit*, *ſepulturæ*; quatenus purificat, Salvat.

resurrectionis perspicuum symbolum est. Igitur servat baptismus *per resurrectionem* quatenus nos de communione resurrectionis, in qua salus nostra est, certos facit. Hoc nostrum βάπτισμα docet denique Petrus esse *ἀντίτυπον ὕδατι per quod pauca olim animæ servatæ sunt*; intelligit aquas diluvii; unde discimus, Baptismum esse *τύπον τινὰ*, qui vim habet significandi, docendi, commemorandi sublimius quicquam & divinius. quænam? lotionem, sepulturam, mortem, resurrectionem, indutionem, purgationem; qualia quia etiam ex parte aquæ diluvii diu ante significarunt, ideò hæc duo, diluvium & baptismus noster, dicuntur *ἀντίτυπα*; hoc est, typum & figuram earundem rerum exhibere; qua de re egimus libro primo capite V. §. 45. 46. 47.

Ex eo regeneramur. §. 200. Si autem & id, quod dicit Dominus Joh. 3: 5. *Nisi quis regeneretur ἐξ ὕδατος ex aqua*, de baptismo accipere velimus, quod tamen, quia hæc verba alium & abundantiorem sensum exhibent, non æquè necessum est, eatenus cogitabimus *ex aqua* nos regenerari, quatenus baptismus Sacramentum est & visibile pignus *regenerationis* & *παλιγγενεσίας* sanctorum. Aqua alias baptismi ex se & in se vim regenerandi non habet, neque enim est σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου; nec omnes, qui baptizantur, actu regenerari, ex multis, qui in adulta ætate baptizantur, veluti in iis, qui ex Judæis nonnunquam Christianismum suscipiunt, apparet, qui, non obstante baptismo, à regeneratione & sanctitate, proh dolor! deprehenduntur esse alienissimi, & longissimè ab illa abesse. *Simon Magus* verè fuit baptizatus; non tamen unquam regeneratus. Act. 8: 13. 21. 22. 23.

§. 201. Ex his nunc Scripturæ verbis facile est *Baptismum* describere, nimirum est *lavacrum aquæ*, in *verbo purgans*, *lavacrum regenerationis*, quo *lavamur* à *peccatis*, in *remissionem peccatorum*, *in mortem*, *sepulturam*, *resurrectionem* Domini; quo *induimus Christum*, & *salvamur*; in quo non quidem est *depositio sordida carnis*, sed *conscientiæ bonæ firmamentum* ad *rogandum* seu stipulandum *a Deo*, quo denique adjuramur *in nomen*; fidem & obedientiam *Patris*, *Filii*, & *Spiritus Sancti*. Denique & est unitatis Christianæ symbolum. 1 Cor. 12: vers. 13. ἐν ἑνὶ πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν.

Resipiscentia necessaria iis qui baptizantur & Fides. §. 202. *Resipiscentia* iis, qui baptizabantur, serio ab Apostolis recommendata fuit; unde & βάπτισμα μετανοίας dicitur. Luc. 3: 3. μετανοήσατε, inquit Petrus, καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος Actor. 2: 28. imò & *fides*, ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς, σωθήσεται. Marc. 16: 16. Corinthii ἐπίστευον καὶ ἐβαπτίζοντο. Actor. 18: 8. Eunucho Baptismum petenti, dicebat Philippus, *si credis è toto corde, licet*. Respondit Eunuchus. *Credo Filium Dei esse Iesum Christum*. Ita *baptizavit illum*. Actor. 9: 37. 38. Denique & non collatus fuit nisi iis, qui discipuli Christi facti, & benè de Christo docti erant, jusserat enim Dominus, *μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς*. Matt. 28: 19. Μαθητεύω significat *esse alicujus*

Et institutio. *discipulum*; seu edoctum, informatum esse ab aliquo, de Josepho ab Arimathia dicitur Matt. 27: 57. καὶ αὐτὸς ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ, *& ipse discipulus fuerat Iesu*; sed cum *accusativo* notat, *docere*, *facere discipulos*; ita sensus erit, *facite*, *colligite mihi discipulos ex omnibus gentibus*, illosque baptizate. Et certè nemo potest credere in Filium, nisi ante didicerit illum. Fides est ex auditu, ut ergo fides necessaria ad Baptismum; ita & discipulatus seu institutio.

Baptizati infantes. §. 203. Baptizatæ fuere ab Apostolis integræ *domus*, *Lydiæ* Actor. 16: 14 & δεσμοφύλακος Actor. 16: 33. *Stephani* 1 Cor 1: 16. adeoque & haud dubie liberi & *infantes*, qui post parentes principalis pars cujusque domus sunt & familiæ. Hinc & Act. 2: 38. cum dixisset Petrus, βαπτισθήτω ἕκαστος, statim addit, ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία καὶ τοῖς

τέκνοις

τέκνοις ὑμῶν. Quorum est *promissio*, illorum & est baptismus. Filiorum est promissio. Ergo & baptismus. Voluit Christus τὰ παιδία ἐλθεῖν *infantes ad se venire, nec arceri* Matt. 19: 14. Marc. 10: 13. 14. 15. Illorum dixit esse *regnum Dei*; quidni ergo & illorum sit *baptismus*, Sacramentum regni cœlorum. Quinimo illi sunt baptizandi, qui *discipuli* sunt faciendi. Atqui à teneris ad discipulatum Christi ducendi sunt infantes. Nec obstat, quod non possint *credere*, nec *resipiscere*, nec in tenella illa ætate institutionis sint capaces. Certè non est in illis *fides*, ut in adultis. Tamen *baptizantur in futuram pœnitentiam & fidem, quæ etsi in illis nondum formata sint, arcana tamen Spiritus operatione utriusque semen in illis latet*; ut benè sentit Calvinus libr. 4. Instit. cap. 16. semen seu Spiritus fidei in eis inest, inde per auditum verbi actualis paulatim fides formatur. Habent fidem radicaliter, hoc est, in parentibus suis credunt, quemadmodum & in illis *sancti* sunt. 1 Cor. 7: 14. August. *Quomodo credunt infantes? fide parentum.* Fidem, quæ in infantibus esse potest, alii *habitum*, alii *inclinationem* dicunt. Lutherani audacius loquuntur. *Infantes vel ante baptismum, vel in ipso potius baptismo fide donari ac regenerari. Posse Deum infantibus fidem interiore afflatu conferre; & facilius, quam adultis, in quibus viget illa intelligentia carnis, & depravatæ rationis repugnantia. Parvulos posse credere, liquere è* Matt. 18: 6. Marc. 9: 42. *etiam ex exemplo Ioannis.* In hunc modum locutus est *Iacobus Andreæ* in colloquio Montispelgardensi. De Johanne Baptista pulchrè Augustinus Epist. 57. *Nec quod factum est in Iohanne contemno; nec inde regulam, quid sentiendum sit de parvulis, figo. Imo id in illo propterea mirabiliter prædico, quia in aliis non invenio.*

§. 204. De baptismo non rectè sentiunt 1. *Mennonitæ*; negantes illum *infantibus*. Errores circa baptismum. 2. *Sociniani*; docentes à Christo non mandatum. *Apostolos sine expresso Dei mandato, consilio & instructione potuisse baptizare*, baptismum esse *jugum*, ad tempus ferendum, tandem intermittendum. Volkelius libr. 4. de vera religione cap. VII. *unum tantummodo*, ceremoniale præceptum, *datum à Christo nobis est. nim. cœnæ ipsius sanctissimæ religiosa celebratio. Unum*, inquit, Baptismum excludit. Libr. 3. cap. 7. obiter de *baptismo Iohannis* agit. Christi, quod sciam, nullibi meminit. 3. *Pontificii*, qui ex baptismo faciunt *signum*; ita continens gratiam regenerationis & justificationis, ut vas medicinam continet, conferre gratiam ex *opere operato*. Et baptismo superaddiderunt *exorcismum*; cujus tres faciunt ceremonias. 1. *Exsufflationem* cum manus impositione & *signo crucis*. 2. *Salis in os immissionem*. 3. *Salivam digito* auribus & naribus impositam. Dicunt, *per exorcismum ab infantibus expelli Dæmonem, ne impediat baptismum*, vel strangulando infantem in ipsa baptismi inchoatione, vel impediendo fructus baptismi. Corporaliter obsideri corpora infantum à diabolo. vide Becanum in Manual. lib. 3. cap. 8. 4. *Lutherani*, statuentes baptismum *ordinarium medium regenerationis in infantibus*, ac proinde eo modo esse *necessarium*. *Aquam* baptismi *esse organum*, instrumentum, *per quod in sanguine Christi, virtute Spiritus Sancti à peccatis abluimur, regeneramur, renovamur.* In Baptismo *non significari tantùm*, nec *repræsentari, sed etiam exhiberi adoptionem*; non *offerri*, sed actu *conferri* omnibus *baptizatis, regenerationem, obsignationem*, & *remissionem peccatorum. Horrendum* esse *dictum* pronunciant, *multos infantes baptizari, qui nunquam regenerantur*, quem in sensum locutus est crudus ille Doctor, *Iacobus Andreæ* in colloquio Montispelgardensi. Ita secundum hos homines *actio Spiritus S.* alligata est ad actum baptismi, & baptismus habebit præstantiam supra Dei *verbum*, & sanctam Domini *Cœnam*. Iidem Lutherani cum baptismo junxere *exorcismum*, *in cujus* tamen *ritus reformationem haut gravatè sint consensuri, modo Calviniani retractarint ea, quæ de peccato originis, Sancta infantum nativitate*,

&

& baptismi efficacia significativa defendunt. Mauritius in Exercitationibus Anti-Calvinisticis cap. 3. de Adiaphoris. Iidem admittunt γυναικοβαπτισμὸν; *in casibus autem tantum extremæ necessitatis*, cum videlicet *in nondum baptizato certissima mortis signa apparent, & verbi Ministri copia nullo modo fieri potest.* Ita rursum Mauritius in citato tractatu; ac si absoluta sit baptismi necessitas: cujus tamen *non privatio*, sed *contemtus damnat*: ubi in mentem venit illud *August.* libr. 4. cap. 22. contra Donatistas. *Dum Latroni voluntas baptismi non abfuit, sed tantùm non accipiendi necessitas adfuit, sola fide salvatus est*, & libr. 4. de Baptis. c. 24. *Tunc Sacramentum baptismi impletur invisibiliter, cum id ipsum non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit*: & *Ambrosii*, de *Valentiniano* Imperatore, ante susceptum baptismum mortuo, cujus tamen accipiendi insigne habuerat desiderium, ad sorores illius, eam ob causam valdè lugentes, ita scribentis. *Non habet ergo gratiam, quam desideravit? non habet, quam poposcit? & quia poposcit, accepit.*

Cœna Domini. §. 205. Illa, qua proditus est nocte Dominus, edit *Pascha* cum discipulis suis, & ἐσθιόντων αὐτῶν *edentibus illis*, cum paschali adhuc mensæ adsiderent, & necdum de cœna paschali surrexissent, *sumsit panem*, & dedit discipulis suis, ac jussit *edere* illum: similiter & *calicem* seu *poculum*. Id ipsum *traditum* est Ecclesiæ, ut idem faciat, ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ, hoc est, usque ad adventum Domini novissimum. 1 Cor. 11: 23. 26. Vocatur actio illa δεῖπνον, quod est ἀπὸ τοῦ δεῖ πανύεσθαι. *Cœna*, quæ illa hora haberi solet, qua quies sumenda est à laboribus, fuit enim habita νυκτὶ *nocte*. Imò δεῖπνον κυριακὸν *dominica cœna* 1 Cor. 11: 20. & instituta à Domino, & ferculis dapibusque instructa Dominicis. Corpus enim & sanguis Domini venit ibi εἰς ἀνάμνησιν. Imò & *mensa*, ad quam habetur, dicitur τράπεζα κυρίου 1 Cor. 10: 21. ob eandem rationem. Et quia in illa frangitur *panis*, appellatur ab hac actione κλάσις τοῦ ἄρτου. Act. 2: 42. confer Act. 2: 46. κλῶντες τὸν ἄρτον. Act. 20: 7. συνηγμένοι τοῦ κλάσαι ἄρτον. Cœna hæc ultima fuit, cujus honore dignatus est Apostolos in exinanitionis statu. *Dico vobis, quod à nunc non amplius bibam.* Matt. 26: 29. Ita institutio illius ipsa quasi Domini morte ratificata est. Notabile. Eadem nocte *Pascha* edit, & *Cœnam* instituit. Edendo Pascha, illud quasi abrogavit. Faciendo *Cœnam*, illam initiavit. Debuit Pascha desinere; postquam *nostrum Pascha* ἐτύθη 1 Cor. 5: 7. *Cœna* debet manere, ut *mors* mactati Paschatis nostri *annuncietur* in perpetuum. 1 Cor. 10: 26.

Sumsit panem. §. 206. Habuit illa cœna omnes partes cœnæ, cibum, *panem*, potum, *vinum*; neque enim qui *edit* tantùm, aut qui *bibit* tantùm, cœnatus esse dici potest. Ad esum quod attinet, de illo ita, ἔλαβεν ἄρτον *sumsit panem.* Matt. 26: 26. Marc. 14: 22. Luc. 22: 19. 1 Cor. 11: 23. Ederant agnum cum pane in paschali cœna. In hac nunc *panis* sufficit. Fuit hic panis ἄζυμος *infermentatus*; talis enim cum paschate comedi debebat, Exod. 12: 8. & *dies azymorum* advenerat. Matt. 26: 17. Est igitur sumendus & nobis *panis*; quia Christus sumsit, non tamen necessariò *azymus*; qualem quidem Christus sumsit, non tamen, ut esset nobis ad imitationem, sed per occasionem, alius panis tunc non aderat, secundùm legem tunc alium comedere non licebat, & hic de convivio paschali supererat; quare ut non obligamur exemplo Christi, ut faciamus cœnam de *nocte*, ita nec, ut edamus in cœna azyma. Essentiale cœnæ imitandum est, non occasionale. Si cujus tamen infirma est conscientia, ut putet, utendum sibi azymis; quia institutor cœnæ illis usus, certè nec illi propterea dica scribenda est. Ecclesia Græca contra Latinam olim defendit, neminem obligari ad azyma, illa tamen ipsa nimis severè obligavit ad fermentata. Usus est Christus *azymis*; verò tamen pane, & usu communi recepto; ne ergo utamur *hostiis*, seu *oblatis*, quæ *nebulæ* potius panis sunt, quàm panis; certè non alimentarius panis, nec nutriens, nec roborans, qualis tamen sumi debet in ἀνάμνησιν σαρκὸς, quæ ἀληθῶς ἐστι βρῶσις. Joh. 6: 55.

§. 207. Ac-

§. 207. Accepto pane *oravit* Christus, καὶ εὐλογήσας. Matt. 26:26. Marc. 14:22. Lucas, εὐχαριστήσας Luc. 22:19. ita & 1 Cor. 11:24. fuit oratio *benedictoria* seu gratiarum actoria, בָּרַךְ *benedicere* Hebræis idem est, quod εὐχαριστεῖν, *gratias agere*, laudare. Omnes ferè illorum preces incipiunt, בָּרוּךְ אַתָּה יי *benedictus tu Domine*, hoc est, laudatus confer Psalm. 103: vers. 1. 2. בָּרְכִי *benedic anima mea*, hoc est, lauda. Ephes. 1: vers. 3. εὐλογητὸς ὁ θεός *benedictus*, hoc est, laudatus *Deus*, Luc. 2:28. dicitur de Simeone, εὐλόγησε τὸν θεὸν *benedixit*, hoc est, laudavit Dominum. Accepto pane etiam Christus *benedixit*, hoc est, laudavit; imò *gratias egit* Domino Patri suo. Ita & cum cibaret πεντακισχιλίους, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐλόγησε Matt. 14: 19. pro quo est Joh. 6: 11. εὐχαριστήσας: confer vers. 23. εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου. Et Matt. 15: 36. cum saturaret τετρακισχιλίους, fuisse dicitur εὐχαριστήσας. Id & aliàs fecit. Joh. 11:41. πάτερ, εὐχαριστῶ σοι. Matt. 11:25. ἐξομολογοῦμαί σοι, πάτερ. Quid autem in cœna laudando & gratias agendo pronunciaverit, divinare haut est arduum. Benedixit, quod *hora* nunc venisset, qua consummandus esset per passiones, in quarum recordationem cœnam hanc instituebat. Benedixit, quod nunc aliud Sacramentum, cujus observatio esset facilior, & significatio dulcior, & obsignandi ratio efficacior, ac recordatio suavior, imponere populo suo bono jure poterat; adeoque hac ipsa ordinatione fieri καταγγελεὺς *liberationis* eximiæ ab omnibus illis, quibus *in lege Mosis non potuerant justificari*. Actor. cap. 13: vers. 38. Benedixit, quod Pater ipsi dederat mensæ hujus suæ convivas, Discipulos suos, sanctos, vocatos, fideles. Tantum absit, ut putemus magicam quandam hic intercessisse εὐλογίαν & consecrationem, qua hodie utuntur, qui sacra symbola in ipsum corpus & sanguinem Domini mutare & transsubstantiare præsumunt. Gratias egit.

§. 208. Benedictione peracta ἔκλασε *fregit panem*, notantibus id tribus unanimiter Euangelistis, & Apostolo Paulo. Has vices sumsit sibi Dominus in omnibus aliis suis conviviis. Matt. 14:19. 15:36. Luc. 24:30. Hic tamen *fregit*, non sine significante mysterio. *Frangit* panem, corporis *fracti* symbolum. Ideò & adhuc in cœna *frangere* panem decet, quia Dominus ipse fregit, quia dixit, τοῦτο ποιεῖτε. 1 Cor. 11:24. quia id ad plenitudinem facit significationis, & obsignationis spiritualis nostræ cum fracto pro nobis corpore communionis. Distinguitur hæc fractio à distributione. *Fregit, & dedit*. Matt. 26:26. Marc. 14:22. Luc. 22: 19. neque igitur fractio ad distributionem tantùm, sed & ad *repræsentationem* pertinet; imò & ad *integritatem* Sacramenti facit; & licet non sit absolutè necessaria ad *esse* hujus Sacramenti, tamen ad illius facit *bene* esse. Non est *fractio* panis res omnino media, & ἀδιάφορον, non est tantùm actio ad cœnam præparatoria, sed est Sacramentalis ritus, & cœnæ pars quædam. Fregit antiquitas certe panem, quæ non frustra olim cecinit, *nulla rei fit scissura, signi tantùm fit ruptura*, &c. Non obstat, quod in altera parte Sacramenti nil respondere videtur; nec Christus ipse effudisse in calicem vinum, sed ab aliis infusum accepisse & distribuisse. Atqui si non infudit ipse Christus liquorem sanctum in calicem, id quod tamen necdum evictum est, certè nec admodum opus fuit, ipse ut infunderet. Ipsa enim bibitio, qua vinum in os bibentis guttatim quasi infunditur, effusionem sanguinis clarè repræsentat. Neque quod in uno symbolo fecit, aut non fecit, alteri quicquam præjudicat. Dicunt. fractionem antecedere dationem; *fregit & dedit*, in Christo autem prius esse *dari*, posterius *frangi*. Quinimo in Christo conjuncta sunt, *frangi*, *dari*, & ferè idem, hinc quod Lucas habet διδόμενον, Paulus enunciat κλώμενον, *datus*, fractus est, & *fractus*, datus est. Denique omnino in cœna *dationem* antecedit *fractio* ut ne confusum quid fiat & inordinatum. Si enim prius daretur, dein frangeretur panis, oporteret ut datus ad frangendum redderetur. Fregit.

Dedit. §. 209. Fractum panem distribuit, ἔκλασε ϗ ἐδωκεν αὐτοῖς Luc. 22:19. ita & Matthæu & Marcus, *dedit*, num in *manum*, aut in *os*, potius videtur in *manum*, sequitur enim λάβετε *sumite*, accipite, manus sumit, sumtum ori admovet. Certè *manus* fidelium æquè sanctæ sunt, quàm *os*, αἱ χεῖρες αὐτῶν ἐψηλάφησαν benedictum Christi corpus. 1 Joh.1:℣.1. Joh.20:27. Luc.24:39. cur non acceperint symbolum corporis.

Sumite Edite. §. 210. Datum jussit *sumere* λάβετε, neque enim accepissent datum, nisi sumsissent, frustra alius dat & offert, si nullus λαμβάνει *sumit* & accipit. Christus, qui hìc symbolum à se institutum jubet *sumere* seu accipere, *ipse* alibi dicitur *accipi* Joh.1:12. ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτόν. Est enim ἡ δωρεὰ ἡ ἐπουράνιος, Hebr.6:4. Judæis exprobrat, οὐ λαμβάνετέ με. Joh.5:43. Imò & *edere*, φάγετε *ore* nimirum. Aliàs est *esus*, qui non fit ore. Es.55:2. אִכְלוּ טוֹב *comedite bonum*, sumendum igitur est *manu*, & edendum ore, quod in cœna datur; non servandum, aut circumgestandum, aut in usus superstitiosos deponendum.

§. 211. De pane, sumto, fracto, dato ad accipiendum & edendum dicit, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, Matt.26:26. Marc.14:22. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, Luc.22:19. κλώμενον. 1 Corinth. 11:24.

Τοῦτο hoc. §. 212. Τοῦτο *hoc*, demonstrativum, *panem* respicit, ac si diceret. Hic panis fractus est corpus meum, &c. De eo dixit Dominus τοῦτο quod sumsit, fregit, dedit, atqui *panem* sumsit, &c. Cum dicit, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου Matt.26:28. vox τοῦτο habet relationem ad τὸ ποτήριον, quod *sumens dedit*, ut sensus sit. *Hoc* ποτήριον *est sanguis meus*, quemadmodum est apud Lucam & Paulum, τοῦτο τὸ ποτήριον, Luc. 22:20. 1 Cor.11:25. Igitur & demonstrativum τοῦτο referendum est ad *panem*. Id sine dubio per τοῦτο intelligendum est, quod *edimus*. Atqui ἐσθιόμενον τὸν ἄρτον 1 Cor.11:26.27.28. confer 1 Cor.10:16. τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, ut ne intelligamus cum Pontificiis Transsubstantiatoribus per *hoc* individuum vagum & evanidum. Rogas, si τοῦτο respicit ad *panem*, cur non dixit Dominus οὗτος, respondebimus forsan non omninò ab te. Panem sumtum jam fregerat Dominus, & in frusta diminuerat, cuique discipulorum frustum unum & particulam porrexit, quodlibet frustum, licet de pane esset, imò suo modo panis esset, tamen panis ille integer, quem acceperat Dominus, haut erat, nam tunc ex uno pane fracto evasissent tot panes integri, in quot fragmenta unus panis divisus erat. Ideo dixit τοῦτο *hoc*, intelligens id quod de uno pane fracto unicuique tradebat frustulum. *Hoc* frustulum panis, quod vobis do sumendum & edendum, *est corpus meum*, quo & Paulus videtur respexisse, dicens, καὶ οὕτως ἐκ τοῦ ἄρτου ἐσθιέτω *& ita è pane edat*. 1 Cor. 11:28. innuens, pane uno in plura frusta fracto, quemlibet edere *è pane*, non autem *panem*; integrum nimirum & totum: quàmvis fatear Paulum non id ubique ita observare. Dixerat enim paulò ante vers.27. ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον τοῦτον & vers.26. ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον.

Corpus meum. §.213. Per σῶμα non intelligit corpus suum mysticum *Ecclesiam*, ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ. Ephes.1:23. 4:12. 5:23.30. Col.1:18.24. Sed τὸ σῶμα τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, Col.1:22. quod Pater ipsi κατηρτίσατο, Hebr. 10:5. *in quo peccata nostra tulit in lignum* 1 Petr.2:24. *per cujus oblationem sanctificati sumus*. Hebr.10:10. Id enim intelligit corpus, quod *pro nobis datum & fractum* est. Id corpus intelligit, cujus θάνατος *mors nuncianda* est, atque is θάνατος est θάνατος τοῦ κυρίου, 1 Cor.11:26. quem ὁ κύριος ἐγεύσατο. Hebr.2:9. Christus *tradidit se ipsum pro Ecclesia*. Ephes.5:25. Non Ecclesia frangitur pro Ecclesia. Hoc suum σῶμα dicit ναὸν Joh.2:19.21. quod quum frangeretur, fuit σῶμα ταπεινώσεως, nunc autem est σῶμα τῆς δόξης. Phil.3:21.

Fractum. §. 214. Dicit id κλώμενον *fractum*, quod jam jam frangendum erat, imò διδόμενον, *datum*,

tum, quod paulò post *dandum* erat. *Fractum* est hoc corpus, quando mortificatum. 1 Pet. 3: 18. Qui moritur, frangitur, ejus vis separatur, ejus membra collapsa ruunt, ejus pedes vacillant, nec corpus sustentare possunt, manus pendulæ lapsantem erigere nequeunt. Vinculum animæ & corporis rumpitur. Nonne fractum est *corpus* Domini, cujus *manus perforata & pedes* Psalm. 22: 17. cujus *ossa omnia* הִתְפָּרְדוּ *separata* & distenta sunt. ibidem vers. 15. cujus *latus lancea confossum*, ex qua fractura *exiit* αἷμα καὶ ὕδωρ, Joh. 19:34. quod denique emisit *sudorem, ut grumos sanguinis*. Luc. 22:44. omnes quasi pori sanctissimi corporis rupti & fracti sunt; unde tam densatus & crassus exiit humor. Imò *fractum* est corpus, quando *cor* ejus exstitit *ut cera, liquefactum in medio viscerum illius*; *visque ejus exaruit ut testa, & lingua ejus adfixa palato*. Psal. 22: 15. 16. & *anima ejus turbata* fuit. Joh. 12:27. David quando considerat נַפְשִׁי נִבְהֲלָה מְאֹד *animam suam perculsam valde*, simul queritur נִבְהֲלוּ עֲצָמָי *ossa sua turbata* ac quasi fracta esse. Ps. 6:3. 4. Hanc corporis sui *fractionem* ipse innuit, cum dicit, λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον. Joh. 2:19. Ædificium enim, quod *solvitur*, frangitur & disrumpitur. Imò hoc *fractum* corpus est διδόμενον *datum*. Filius est *nobis datus*. Es. 9:5. 49:6. Joh. 3:16. 6:32. Sed hic exhibetur *corpus* illius *datum*, *caro* illius *data*, Joh. 6:51. nimirum datum ad sufferendum & patiendum; id quod alibi est *tradi*. Rom. 8:32. ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτόν. Corpus *Filii* datum est, qui *se ipsum* totum *dedit*. Galat. 1:4. τοῦ δόντος ἑαυτόν. 1 Tim. 2:6. ὁ δοὺς ἑαυτὸν Tit. 2:14. ὃς ἔδωκεν ἑαυτόν. In voce *dare*, *tradere* est notio judicialis. Matt. 5:25. *ne te* παραδῷ τῷ κριτῇ. Matt. 18:34. παρέδωκεν αὐτὸν τοῖς βασανισταῖς, ita & Rom. 4:25. ὃς παρεδόθη. Actor. 3:13. ὃν ὑμεῖς παρεδώκατε. Gal. 2:20. παραδόντος ἑαυτόν. confer Ephes. 5:2. 25. Ita & Paulus 2 Cor. 4:11. ἡμεῖς οἱ ζῶντες εἰς θάνατον παραδιδόμεθα διὰ Ἰησοῦν. *Datum* est corpus Domini, judicio, ad capitalem pœnam & supplicium. Datum est *tergum* ejus Es. 50:6. *Tergum meum* נָתַתִּי *dedi percutientibus me*; *& maxillas meas vellentibus*. *Dederunt* illi ῥαπίσματα Joh. 19:3. confer Joh. 18:22. Imò omnis vitalis facultas, quæ voce ψυχῆς indigitatur, *data* est. Matt. 20:28. δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. Es. 53:12. *effudit in mortem* נַפְשׁוֹ: Nec tantùm *corpus*, sed *ipse* totus datus est, ut innuimus. adde Act. 2:23. τοῦτον ἔκδοτον λαβόντες ἀνείλετε.

§. 215. Cum autem totus Jesus sit datus, etiam *anima* illius, confer Es. 53:10. אִם תָּשִׂים אָשָׁם נַפְשׁוֹ: quæ & fuit περίλυπος, Matt. 26:38. & secundùm quam dicitur potissimum *cœpisse* λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν ibidem vers. 37. ἐκθαμβεῖσθαι, Marc. 14:33. tamen Jesus in institutione cœnæ, quæ est ad annunciationem & recordationem *mortis* illius, *corporis* tantùm meminit *dati, fracti, & sanguinis* effusi. Num ergo in sacra cœna edentes panem & bibentes calicem memoriam tantùm recolemus fracti corporis, & sanguinis, illorum autem, quæ *cor* sustulit, quæ *anima* perpessa est, quæ *spiritus* sensit, haut recordabimur? Absit. Christus omnes suas passiones, omne martyrium sub his verbis complexus est. Imò res ipsa docet, ubi corpus est fractum, & sanguis fusus, non potuisse non animam ipsius in extremo esse angore, & profundissimâ miseriâ tangi, & intimo sensu percelli ac affici. Tamen, quia symbola, quæ hic instituit, erant externa, corporalia, terrestria, visibilia, illas enarravit passionis suæ partes, quæ externum & terrestre & visibile corpus maximè tetigerunt; quæ oculus externus aspexit, & manus terrena palpavit, & auris externa percepit. Ex horum intuitu nobis relinquens judicandum, quantos horrores, cruciatus, tristitias intus senserit sanctissima anima. Certè edentes τὸν ἄρτον, καὶ πίνοντες jubentur *annunciare mortem* Domini; omnem illius mortem, omnem passionem, & corporis & animæ; quæ non ita quidem mortua est, ut corpus. *Anima* enim *non potest occidi*, Matt. 10:28. sensit tamen suam *mortem*, hoc est, suos angores, tormina, cruciatus, quos refer *derelictionem* à Deo, tentationes Satanæ,

næ, infestationem orci, colluctationem cum tenebris, onus peccatorum,&c. Nec insolitum alias in sacris omnes Domini passiones phrasi tali describere, quæ id, quod in *corpore* passus est, præcipuè enarrat. Genes. 3. *Punges illi calcaneum.* 1 Petr. 3. *mortificatus carne.* 1 Petr. 2. *Tulit in corpore peccata nostra,* mitto plura. Igitur id quod in sacra cœna in ἀνάμνησιν venit, est *corpus fractum* seu *datum*, *sanguis effusus* & *anima* τεταραγμένη καὶ περιλελυπημένη.

Pro vobis. §. 216. Corpus fractum seu datum dicit ὑπὲρ ὑμῶν *pro vobis*, quod non ita dicitur, ut Galat. 1:4. *qui dedit se* ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν *pro peccatis nostris*, hoc est, propter peccata nostra, ut illa aboleret, nec ut Col. 1:24. Paulus dicit *se vicissim implere reliquias afflictionum Christi* ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ *pro corpore illius*, hoc est, in bonum & ædificationem Ecclesiæ: ut & dicit Colossensibus, *gaudeo in passionibus meis* ὑπὲρ ὑμῶν; sed ut Rom. 5:6. Christus ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε. confer ℣. 7. 8. Rom. 8:32. ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτόν. 1 Tim. 2:6. ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. Tit. 2:14. *dedit se ipsum* ὑπὲρ ἡμῶν. 1 Petr. 2:21. χριστὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ὑμῶν 3:18. δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων. confer Joh. 6:51. quibus in locis substitutio quædam in nostrum locum significatur. Est corpus fractum *pro nobis*, nostro loco, nostra vice, nostrum frangendum erat. Illi pepercit divina gratia. Christi fractum est pro nobis, & τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο. Rom. 8:32. Id perinde est, ac si corpus cujuslibet nostrum passum, traditum & fractum fuisset. *Si enim unus pro omnibus mortuus est, utique omnes mortui sunt.* 1 Cor. 5:15. Si unum corpus Domini nostri Jesu pro omnibus fractum est, utique omnium nostrûm corpus fractum est. Particulam ὑπὲρ etiam *substitutionem* significare liquet è Philem. ℣. 13. ἵνα ὑπὲρ σοῦ διακονῇ μοι. Porro hæc veritas liquet è Matt. 20:28. *dare animam suam* λύτρον ἀντὶ πολλῶν. confer Marc. cap. 10. vers. 45. unde non tantùm λύτρον sed & ἀντίλυτρον dicitur. 1 Tim. 2:6. Ἀντὶ autem *substitutionem* notare indubium est, Matt. 2:22. ἀντὶ ἡρώδου τοῦ πατρὸς. 5:38. ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ. Luc. 11:11. ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν. Hebr. 12: vers. 16. ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ. Ita & apud Herodian. libr. 1. §. 6. *Antigonus* dicitur *circumdedisse* κισσὸν ἀντὶ καυσίας καὶ διαδήματος *hederam pro causia*, & *gestasse* θύρσον ἀντὶ σκήπτρου *thyrsum pro sceptro*, & §. 8. introducit moribundum *Marcum* ita amicis suis filium recommendantem, γένεσθε δὴ ὑν αὐτῷ ὑμεῖς ἀνθ' ἑνὸς ἐμοῦ πατέρες πολλοί.

Hoc est corpus meum locutio tropica. §. 217. De hoc pane & corpore ita porrò Christus. *Hoc est corpus meum.* Panis & corpus sunt res maximè disparatæ. Est panis *corpus*, at non est humanum corpus. Panis è farina, aquâ diluta, per ignem in soliditatem quandam compactus est. Corpus humanum carne, venis, cute, ossibus, sanguine constat, & animæ rationalis habitaculum est. Igitur ut *corpus* Christi, in quo ambulavit in terra, quod ex utero protulit Mariæ, quod obtulit Mariæ, quod obtulit in cruce, non est *panis*; ita nec *panis*, in cœna sumtus, fractus, datus, est *corpus* Domini. Cum id de pane diceret Dominus, benedictum sanctissimumque ipsius corpus assidebat ad mensam, visibile erat & palpabile. Neque adeo panis, quem distribuit, potuit esse corpus ipsius. Quinimo si de cœnæ *pane* comedit Dominus, ut probabile est; ederat antea de *Paschate*, cur non ederit nunc de *pane?* Baptismum susceperat, cur nec cœnam peregerit? dicit se *bibisse* de *genimine vitis*, quod erat in calice. Matt. 26:29. Si de *vino*, quidni & de *pane* participarit? sequetur, si panis propriè est corpus, Dominum de corpore comedisse suo. Quod inhumanum certè fuisset. Sed hæc & alia dicere mens horret. Igitur sole lucente clarius est, verbum substantivum *est*, nec posse nec debere accipi ὑπαρκτικῶς & *substantialiter*. Neq; enim disparatum de disparato dici potest propriè & essentialiter, sed accipiendum esse tropicè & figuratè, pro *esse* mystico & sacramentali. Neq; est, quod *tropum* hic

refu-

refugiamus, cum & pluries in hac ipsa institutione figura seu tropo Dominus usus sit, ut cum accepto ποτηρίῳ dixit, *Hic est sanguis meus*; num *calix* est sanguis. *Calicem* dixit pro eo, quod in calice erat, *vino.* Ita *continens* pro *contento* nominavit. Et ipsum contentum, τὸ γέννημα τῆς ἀμπέλου, eodem modo *sanguis*, quo *panis* dicitur *corpus*. Ut enim panis & corpus, ita vinum & sanguis plurimùm differunt. Imò secundùm Lucam & Paulum cum dixit Dominus, *Hoc poculum est Novum Testamentum*, annon impropriè locutus est & figuratè. Nulla enim ratione *calix*, aut id, quod in calice fuit, *Testamentum* est. Testamentum est voluntas & dispositio Testatoris. Calix est vas, è metallo, aut argilla, aut alia quadam materia fusum & confictum. Vinum est liquor ex uvis & baccis expressus.

§. 218. Cum itaque indubitatum sit, esse in verbis Institutionis, *Hoc est corpus meum.* Tropum ac figuram, inquirendum est 1. Ubi sit tropus, seu quæ sit sedes tropi. 2. Qualis sit ille tropus; quonam insigniendus nomine?

§. 219. *Sedes* tropi statuitur alia ab aliis, quod non in præjudicium veritatis interpretandum est, ac si hæc variatio fluctuationis & incertitudinis signum sit; nec probandus hic *Chemnitii* risus, qui in hanc rem dicere solebat, *Cuique Regi Regina sua placet*; sed quæcunque diversimodè à viris piis & sanctis scripta & dicta sunt, illa omnia tendunt in confirmationem ejusdem sententiæ, unanimiter, secundùm Scripturas receptæ ab omnibus. Igitur sunt, qui tropum dicunt esse, nec in subjecto *hoc*, nec in copula *est*, nec in prædicato *corpus meum.* Singula hæc accipi propriè. Voces omnes nativam suam tenere significationem. In *tota* attributione seu enunciatione *figuram* consistere. Alii in demonstrativo *Hoc* tropum statuunt; ut sensus sit, *Hoc quod do vobis hoc signo, est corpus meum.* Alii voculam *est* explicant *significat. Hoc est corpus meum* seu *significat corpus meum.* Ita in aliis sacramentalibus fieri locutionibus. *Circumcisio est fœdus. Agnus est Pesach. Petra erat Christus.* Alii denique in prædicato tropum collocant, Hoc est *corpus meum*, hoc est. Hoc est Symbolum, signaculum, pignus, arrhabo, corporis mei. In illa enim orationis parte rationabiliter tropum poni, in quam ἀνάλυσις seu *resolutio* tropicæ locutionis cadit in propriam. Illam verò in verbis cœnæ incidere in vocem σῶμα, recto casu in obliquum flexo, ut panis *est corpus*, valet, panis est *communio corporis*. Ibi ergo tropum constituendum. Neque ita tolli *verum* corpus Christi è cœna; nec substitui *tropicum* aut *Symbolicum* corpus. Aliud enim est, *Tropum* esse in voce corporis; aliud corpus esse *tropicum*, aliud *symbolum* corporis; aliud corpus *symbolicum*. Ita cum dicitur *Petra erat Christus*, pro, erat *symbolum* Christi, non introducitur Christus symbolicus, sed veri Christi visibile & palpabile symbolum petram fuisse docetur.

§. 220. Genus Tropi est *metonymia*, si nim. in prædicato Tropum statuas; qua nomen rei significatæ ponitur pro signo illius; & signatum pro signo venit. Adeò *non dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui.* August. cap. 12. contra Adamantum. *Nisi autem sacramenta similitudinem earum haberent rerum, quarum sunt sacramenta, ne sacramenta quidem essent*: monet rursum Augustinus ep. 23. ad Bonifacium. Igitur notanda est eximia illa similitudo, quam *panis* sanctæ Cœnæ *ad corpus Domini* habet. Panis est cibus maximè corroborans, comeditur, transit in corporis nostri substantiam; etiam cum editur, frangitur. Corpus Christi est cibus perennans, robur dans animæ: manducatur fide: cum illo unum simus: moriens pro nobis, fractum est. Neque panis est inane & vacuum sanctissimi hujus corporis signum ac symbolum; naturam quidem tenet & substantiam suam; mutatur autem usu, conditione, officio. *Usu*; quia illo utimur non ad augmentum vitæ animalis, sed spiritualis. *Conditione*; non est cottidianus

panis & terrestris, sed cœlestis & divinus. *Officio*: non docet, Deum alere omnem carnem; sed corpus Christi Salvatoris vitam dare mundo. Cum hoc pane conjunctum est corpus Christi nostri; non substantivè quidem, sed sacramentaliter; & verè realiter, qui panem legitimè accipit, ipsum corpus Domini accepisse & comedisse censendus est. Estque corpus Christi præsens in cœna. 1. Per præsentiam relativam, ratione signi seu symboli sui. 2. Per præsentiam objectivam; quia unicum objectum, quod edentibus panem obversari debet, corpus Domini est. 3. Per unionem; quia comedentes dignè panem, ita verè uniuntur cum Christi corpore, ut comedentes participant de pane. 4. Per efficaciam; quia efficaciter operatur ad consolationem & salutem in illis, qui dignè panem comedunt. Et quamvis in se panis cœnæ non amplius valet, nec plus momenti afferre deprehenditur ad nutriendum & satiandum corpus carnemque nostram, quàm panis, quo cottidie utimur, tamen substitutus pro corpore benedicto Christi omnem vim & gratiæ abundantiam, quæ per oblatum pro nobis fractumque corpus Servatoris acquisita est, exponit, offert, confert, obsignat. De hoc *pane* ita Paulus. *Panem, quem frangimus annon communio corporis Christi est?* 1 Cor. 10: 6. docens, panem, de quo participamus, certos nos facere de vera & reali communione corporis Christi, & omnium meritorum ejus. Illa *κοινωνία* non est communicatio aut distributio & manducatio carnalis, ut quibusdam videtur. Sed est *spiritualis*, qua ita de fracto edentes pane communionem cum corpore Christi habemus; quemadmodum de uno pane *μετέχοντες* communionem habent inter se, & *unum corpus* fiunt; non certè per carnalem quandam communicationem, sed per spiritualem conjunctionem & coadunationem. Igitur & hinc discamus, quomodo panis sit *corpus Domini*, quatenus est *communio corporis*, hoc est, quatenus est sacramentum & signum spiritualis nostræ cum corpore Christi communionis. Hic panis eo dignitatis evectus est, ut, *qui indigne illum edit, reus fiat corporis Christi*; & qui *non discernit, non discernat corpus Domini.* 1 Cor. 11: 27. 29.

Hoc facite in mei recordationem.

§. 221. Lucas & Paulus docent, Christum de *pane* ita porrò dixisse. *Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν* Luc. 22: 19. 1 Cor. 11: 24. Pronomen *τοῦτο* non est referendum ad proximè præcedentia verba, *τὸ σῶμά μου*, *τὸ διδόμενον*; ac si hæc mens sit Christi, *hoc facite*, hoc est, corpus meum facite; sed ad totam actionem, quam instituit Dominus, qui *accepit panem*, *fregit*, *gratias egit*, *dedit*, *dixit*, *accipite*, *edite*; & nunc insuper jubet idem *facere*, nimirum accipere panem, frangere, dare, edere, &c. Adeo in hoc verbo non est speciale tantùm mandatum, discipulis illa vice datum; sed generale etiam post hac illos obligans, nosque omnes, *usque dum veniat Dominus.* Verbum *ποιεῖν* in sacris variè significat: nonnunquam *creationem* Actor. 17: 24. 26. Matt. 19: 4. nonnunquam *renovationem* nostram, quæ est secunda quasi creatio. Ephes. 2: 10. Utrumque etiam significat Hebræum עָשָׂה: Genes. 1: 31. Psalm. 119: 73. Job. 10: 8. 9. Deut. 32: 6. Esai. 43: 7. Psal. 100: 3. Nonnunquam usurpatur de paratu & captu cibi. Matt. 26: 18. *πρὸς σε ποιῶ τὸ πάσχα.* confer Num. 1: 2. 3. Gen. 18: 7. 8. Jud. 13: 15. Est & ubi dicitur de *sacrificiis*, sed rarius. Ezech. 45: 17. יַעֲשֶׂה אֶת־הַחַטָּאת *ille faciet sacrificium pro peccato.* Denique, quæ est frequentissima illius notio, notat *observationem* rei, & actionis cujusdam continuationem & repetitionem. Levit. 18: 5. *Qui fecerit illa*, præcepta, *vivet in illis*, hoc est, qui observaverit. confer Gal. 3: 12. 2. Cor. 11: 12. *ὃ δὲ ποιῶ καὶ ποιήσω.* Et hoc sensu adhibitum est hîc à Servatore. *Hoc facite*, seu observate, & continuatis ac repetitis vicibus peragite ac exercete. Addidit Dominus quem in finem, & cui bono facere debeamus. *εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.* *Ἀνάμνησις* vertendum potius cum Erasmo *recordatio*, quàm

quàm cum vulgata *commemoratio.* Ἀναμιμνήσκω est *recordari* Marc. 11: vers. 21. 14:72. 2 Cor. 7:15. Hebr. 10: 32. imò & 1 Cor. 4: 17. ὃς ἀναμνήσει ὑμᾶς τὰς ὁδούς μου, haut opus est vertere, *qui commemorabit*, sed, *qui faciet vos recordari viarum mearum*; ita & 2 Tim. 1:6. *In recordationem* igitur *facienda* cœna est. Recordamur propriè rerum, quæ præterierunt; præsentia videmus; futura speramus; præteritorum recordamur ἐλπὶς βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπὶς, ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει, ὃ οὐ βλέπομεν, ἐλπίζομεν. Rom. 8: 24. 25. Ita & ἀνάμνησις παρόντος, οὐκ ἔστιν ἀνάμνησις, ὃ γὰρ πάρεστι, τοῦτο τί ἀναμιμνήσκομεν, ὃ οὐ πάρεστι, τούτου ἀναμιμνησκόμεθα. Igitur si *panis* est ipsum *corpus* Domini, & corpus hoc sanctum essentialiter præsens est in pane, quomodo edemus panem εἰς ἀνάμνησιν illius? Tollunt ἀνάμνησιν, in quam accipimus, edimus panem, qui dicunt, panem esse ipsissimum Domini corpus. Fit cœna in ἀνάμνησιν, non ἁμαρτιῶν, quarum olim ἀνάμνησις erat ἐν ταῖς θυσίαις Hebr. 10:3. illa enim *tulit* Christus *in lignum* 1 Petr. 2:24. sed εἰς τὴν ἐμὴν, inquit, *in meam*, in Domini recordationem. Igitur facientes Domini cœnam, oportet habeant Domini ἀνάμνησιν. Imò ad excitandam, & confirmandam illam & augendam cœna facienda est. Id enim est, εἰς τὴν ἐμὴν. Non sufficit, ut hæc ἀνάμνησις sit *theoretica* tantùm, & nil nisi historiæ cogitatio; sed oportet, ut sit *fiducialis*, hoc est, fides & gratitudo. Adeo, ut, qui edunt, ita debeant recordari; Christum mortuum, pro ipsis, illorum bono, illorum loco, ipsis peperisse & acquisivisse, quæ tanto pretio acquisivit; imò ipsis dictum in specie, quod omnibus dictum in genere, *accipe, ede, hoc est corpus meum, fractum pro te.* Unde resultat gratitudo, & recordatio ac celebratio amoris Dei & Christi erga nos. O dulcissima longe ἀνάμνησις, in quam panem edimus! Est ἀνάμνησις manifestati in carne Dei, mortificati carne, Spiritu justificati. Est ἀνάμνησις peccati aboliti, chirographi cassati, justitiæ adductæ, salutis acquisitæ. Vulgo triplex numeratur ἀνάμνησις, *historiæ, gratiarum actionis, consolationis.* Sunt, ut & id moneam, qui putant τὴν ἀνάμνησιν activè hîc & reciprocè simul accipi posse, ac si Christus dixerit; facite hoc, ut sit vobis infallibilile symbolum, me remissionis peccatorum vestrorum coram Patre meo indesinenter memorem esse, vestrique recordationem & memoriam recentem semper & vegetam servare.

§. 222. Distributo & comeso pane sumsit Dominus τὸ ποτήριον *poculum*, rursumque Poculum.
εὐχαριστήσας *dedit* discipulis *dicens* πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες. Matt. 26: 27. Id quod fuit in poculo *genimen vitis* dicitur. Matt. 26:29. Marc. 14: 25. Ideo & hodie *vinum* sumendum est. *Vinum* pulchram habet ἀναλογίαν cum signata re. Lætificat, purificat, confortat, ex diversis uvis confectum; unitatem adumbrat. 1 Cor. 12: 13. *Omnes in unum Spiritum* ἐποτίσθημεν. Nonnulli misto cum *aqua* vino utendum esse putant; quia è latere Christi *sanguis* profluxit & *aqua.* Joh. 19:34. Fuere olim, qui mera aqua utendum censuerunt, dicti ὑδροπαραστάται seu *Aquarii*, contra quos Cyprianus scripsit. *Illi*, inquit de illis, *rejecto vino, meram aquam in calice sumebant.* Ipse tamen Cyprianus nec vinum solum, nec aquam solam offerri in calice voluit. *Nam*, inquit, *si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.* Jussit Dominus *bibere omnes.* Ita factum narrat Marcus. καὶ ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες. Marc. 14: vers. 23. Igitur & adhuc bibendum *omnibus*, 1 Cor. 11: vers. 26. dicit Paulus ad universos ὁσάκις τὸ ποτήριον τοῦτο πίνητε, & vers. 27. ὃς ἂν πίνῃ τὸ ποτήριον. vers. 28. *Exploret se homo, & sic ἐκ τοῦ ποτηρίου πινέτω.* Quare rectè Gelasius Papa decrevit. *Aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest pervenire.* Et Soter Papa. *Ab omnibus*

bus fidelibus & pœnitentibus percipienda corporis & sanguinis Dominici sacramenta. Cui repugnat Canon Concilii Tridentini Sess. 21. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem, sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.* Poculum hoc vocavit Paulus ποτήριον εὐλογίας *poculum benedictionis*: 1 Cor. 10: 16. quia in benedictione & gratiarum actione bibitur; quia veræ benedictionis, in qua benedicimur symbolum est; quia benedictione dignè bibentes perfundit. De hoc poculo dici potest è Psalm. 116: vers. 12. כּוֹס יְשׁוּעוֹת אֶשָּׂא *Poculum salutum tollam*, è poculo benedictionis bibam, *& in nomen Domini invocabo.*

Hoc est sanguis meus.

§. 223. De hoc poculo Dominus. Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου. *Hoc enim est sanguis meus*, Matt. 26: 28. mysticè nim. per adumbrationem & obsignationem, ut enim panis propriè non est corpus, ita nec poculum est sanguis. Nimium quantum differunt poculum & sanguis humanus. Igitur & hic dicamus. *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est sanguis meus, cum daret symbolum sanguinis sui.* Idem hic tropus, qui in prioribus institutionis verbis. Et analogia inter vinum & sanguinem expressissima ac significantissima est; nullus enim potus natura sua generosior, nec ad recreandum efficacior, nec ad penetrandum ad cordis usque intima subtilior, nec ad mœstos exhilarandum, debiles roborandum, imò semimortuos quasi excitandos aptior. *Sanguini* Christi major vis inest, quàm nobilissimo cuilibet vino, *purgat ab omni peccato*, 1 Joh. 1: 7. *conscientiam ab operibus mortuis* Hebr. 9: 14. *meliora loquitur*, Hebr. 13: 24. *redimit, remittit* Col. 1: 14. *pacem facit* Col. 1: 20. *justificat* Rom. 5: 9. Hoc ἴδιον αὐτοῦ αἷμα (Act. 20: 28. Hebr. 9: 12.) dicit esse τῆς καινῆς διαθήκης *Novi Testamenti, melioris* illius, & ἀμέμπτου, nec *antiquationi* obnoxii Gal. 4: 25. 26. Hebr. 8: 6. 7. 13. cujus *meliores sunt promissiones* Hebr. 8: 6. quas lege Jerem. 31: 33. 34. Hebr. 8: 10. 11. 12. Quod Testamentum *sanguine* Jesu ἐγκεκαίνισαι, ut ἡ πρώτη *vitulorum & hircorum.* Hebr. 9: 18. 19. 20. Imò dicit hunc sanguinem *effundi*, τὸ ἐκχυνόμενον, *exivit* enim è *latere* Domini, Joh. 19: 34. mixtus fui *sudori*, qui destillavit è sanctissimo ejus corpore. Luc. 22: vers. 44. Inde repræsentatur, ut *ruber vestes*, & cujus *habitus*, ut *calcantis torcular.* Es. 63: 1. 2. Pilatus dicebat. *Innocens sum a sanguine justi hujus.* Matt. 27: vers. 24. Judæi. *Sanguis ejus super nos.* ibid. vers. 25. Cum *flagellatus* fuit & *arundine* percussus Matt. 27: 26. 30. sine dubio stillavit sanguine. Imò cum *exspiravit*, revera effudit sanguinem. Mors sanguinem è venis expellit, & sedibus suis ejicit. Hujus sanguinis umbra fuit, sanguis *Paschatis*, *Taurorum*, *Hircorum*, *Avium*; & quicquid olim sanguinis effusum est; ubi *sanguine omnia purgata* fuere κατὰ τὸν νόμον, & sine cujus *fusione* non fuit ἄφεσις. Hebr. 9: 13. 22. 10: 4. Imò dicit effusum περὶ πολλῶν. Matt. 26: 28. Marc. 14: 24. Lucas ὑπὲρ ὑμῶν 22: 20. Περὶ. *Pro*, aut *propter multos.* περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε. 1 Petr. 3: 18, ὑπὲρ, ut corpus dicitur *fractum* ὑπὲρ, loco multorum sanguis hic fusus est; quorum omnium sanguis fundendus fuisset in æternum, nisi Servatoris pro illis, illorum vice & loco fusus esset. Pro *Multis*, confer Matt. 20: vers. 28. ἀντὶ πολλῶν. Es. 52: vers. 15. *Asperget*, sanguine suo, גּוֹיִם רַבִּים *gentes multas*, Es. 53: vers. 11. יַצְדִּיק לָרַבִּים *justificabit multos.* Hi *multi* sunt *ex omni tribu, & lingua & populo, & gente* Apoc. 5: 9. ut *arena maris*, quæ nec *numeratur*, nec *mensuratur*, Hos. 2: vers. 1. ut *stella multitudine* Genes. 13: 16. 15: 5. 22: 16. Hebr. 11: 12. Qui *multi* adeò multi sunt ut dicantur πάντες. 1 Tim. 2: 6. ὑπὲρ πάντων. Hebr. 2: 9. ὑπὲρ παντός. confer 2 Cor. 5: 15. Imò κόσμος *mundus.* Joh. 3: 16. 6: 51. περὶ ὅλου τοῦ κόσμου 1 Joh. 2: 2. Denique *omnes familiæ terræ, omnes gentes,* Genes. 12: 3. 22: 18. Gal. 3: 8.

Novi Testamenti

effusus.

Pro multis.

Rom.

Rom. 4: 18. *πατέρα πολλῶν ἐθνῶν multarum gentium.* Hæ *multæ* gentes sunt *οἱ πολλοί*, *περὶ ὧν τὸ αἷμα τοῦτο ἐκχέεται*. Si autem *sanguis Novi Testamenti effunditur pro multis*, sequitur Novi Testamenti hæredes futuros *multos* fuisse. Es. 54: 1. *Multi sunt filii desolatæ præ filiis maritatæ, dicit Dominus.* confer vers. 2. Galat. 4: 26. *superior Ierusalem est μήτηρ πάντων mater omnium.* Denique dicit effusum *εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν in remissionem peccatorum.* Matt. 26:28. quæ est *διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ*, Col. 1: 14. Ephes. 1: 7. ubi illa, *οὐκέτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας.* Hebr. 10: 18. nec *χειρόγραφον.* Col. 2: 14. Est illa inter promissa *Novi Testamenti.* Jerem. 31: 34.

§. 224. Lucas & Paulus aliter paulo narrant Christum de *poculo* pronunciasse. *Hoc poculum est Novum Testamentum in sanguine meo.* Luc. 22: 20. 1 Cor. 11: 25. Verisimile est. Christum in distributione calicis utraque formula usum esse, & ad nonnullos discipulorum dixisse. *Hoc est sanguis meus*, ad nonnullos. *Hoc poculum est N. T.* &c. sunt differentia quidem verba, sensus tamen ferè idem. *Poculum* est *Novum Testamentum*; quatenus est sigillum & Sacramentum Testamenti. Sanguine dominico ratificati. Igitur bibentes poculum, non tantum accipiunt communionem sanguinis Domini, sed & obsignatur illis communio novi & melioris illius Testamenti; obsignatur illis hæreditas in novo legata Testamento; introducuntur in possessionem illius, ut gaudeant bonis illius quæ *non sunt esus & potus*, sed *justitia, pax, gaudium.* Rom. 14: vers. 17. Denique quod de esu *panis* dixit *τοῦτο ποιεῖτε*, idem narrat Paulus Christum de bibitione poculi dixisse; *τοῦτο ποιεῖτε ὁσάκις ἂν πίνητε, hoc facite, quotiescunque biberitis in mei recordationem*, unde notamus 1. *Ποιεῖν* explicari per *πίνειν*, *hoc facite*, est idem ac, *hoc poculum bibite*, quotiescunque illud biberitis, in mei memoriam. Ideò & in priori membro, *hoc facite*, idem est, ac, *hoc edite.* 2. Dicit *ὁσάκις quoties*, docens, pluries & sæpius id faciendum. Pascha ab Israële edebatur semel quotannis. Nobis annuatim pluries edendus est panis, & bibendum poculum. Ita salutaris Domini *ἀνάμνησις* recentabitur, charitas excitabitur, fides & spes confirmabitur: Initio Christianismi *cottidie* ferè communicabant. Deinde, *singulis* septimanis. August. de Eccles. dogmat. cap. 53. *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor.* Fabianus jussit, ut quotannis *ter* facerent, in tribus festis majoribus. Denique, semel in anno, circa Pascha.

Hoc poculum est Novum Test.

§. 225. Et hæc est institutio, hic sensus sacratissimi cœnæ Sacramenti, quod Cypriano dicitur *Sancta Sanctorum*, Chrysostomo *φρικτὸν μυστήριον tremendum mysterium*, ubi & hoc in mentem venire potest, cur duobus jusserit Dominus uti elementis, *pane & vino*, cum aut panis fractus videatur sufficere ad commemorandum mortem Domini; aut etiam vinum effusum. In Baptismo unum est elementum, *aqua.* In Veteri Testamento fuit *Agnus*, & solus ille fuit *Agnus Dei*, ut *Petra* Christus. In uno tamen hoc Agno fuit *caro* & *sanguis.* Sed caro tantùm edebatur, sanguis postibus illinebatur. Ad hoc pro tenuitate nostra respondemus. Voluit Dominus in ordinatione duorum elementorum perfectissimè ob oculos ponere 1. Omne mysterium *gustatæ mortis*, cujus diversi gradus fuere. Angores interni. Angores externi, plagæ, vulnera, suspiria, profusio sanguinis, integra denique ruptura & fractura vitalis facultatis. In pane, qui frangitur, repræsentatur omne id, quod vitam & corpus Christi tetigit, fregit, abrupit. Verbera, contusio, crucifixio: In vino, quod profunditur, omne id, quod à Christo profusum est; suspiria, lacrymæ, sudor, sanguis, &c. 2. Omne mysterium *efficaciæ* gustatæ mortis. Mors Domini efficax est, & ad cibum, & ad potum. *Caro* Christi est *ἀληθῶς βρῶσις sanguis ἀληθῶς πόσις.* Joh. 6: 55. Atqui omnium efficacissimus cibus est *panis*, quò solo vivere homo potest, omnium jucundissi-

Cur in cœna sumatur panis & vinum.

 mus

mus & purissimus potus est *vinum*. Ideò duobus ad vitam humanam fovendam sufficientissimis elementis uti nos Dominus jussit, ut certò sciremus, mortem suam & passionem sufficere plenè & perfectè ad procurandam nobis vitam cœlestem, spiritualem, æternam. 3. Omnem *plenitudinem* acquisitæ per mortem *redemtionis*. Redemti sumus pretioso corpore & sanguine, ut imposterum nil nobis *desit*. Psal. 23:1. Gaudemus panis abundantia, & vini effusa copia ad vitam æternam. Id etiam obiter moneo, in veteribus olim oblationibus fuisse oblatam *farinam in munus*, & sæpe etiam *libamen è vino & sicera*. Levit. cap. 2: vers. 1. Exod. cap. 29: 40. 41. Imò & super *sacrificium confessionis* offerebantur *placentæ azymæ*, & *panis fermentatus*. Levit. cap. 7: vers. 11. 12. At si in his fuerit quasi prænindicatio quædam, fore, ut *pane* & *vino* aliquando populus Dei utatur ad obsignationem maximi beneficii.

Excellentia cœnæ. §. 226. Est autem hoc cœnæ mysterium omninò excellentissimum; significatione clarum, observatione jucundum, repræsentatione fœcundum, obsignatione validum; fidei firmamentum, charitatis, & in Deum, & in fratres fortissimum incentivum; spei nutrimentum, consolationis alimentum, doctrinæ salvificæ de morte Servatoris cottidianum stabilimentum, regno cœlorum accommodum, libertatis Christianæ propugnaculum, peccati obstaculum, profanitatis repagulum. Est in illo vita & mors, absolutio & judicium. Ideò δοκιμαζέτω ἑαυτὸν ὁ ἄνθρωπος, καὶ οὕτως ἐσθιέτω καὶ πινέτω. 1 Cor. cap. 11: vers. 26 – 31.

Materia contentionum. §. 227. Hoc charitatis mysterium, hominum insigni infirmitate, & vitio inexcusabili, longo ab hinc tempore, versum est proh dolor! in materiam contentionum & litigiorum irreconciliabilium. Non nunc vacat nobis controversias illas altius repetere; nec detegere errores *Transsubstantiationis*, quam Romana in sacram Cœnam invexit Ecclesia: ut nec *Consubstantiationis*, quam Lutherana ita pertinaciter defendit fraternitas, cujus hæc sunt decantata axiomata. 1. Verba, *Edite, hoc est Corpus meum*, &c. *esse literaliter, propriè & κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda* 2. *Verum & naturale Christi corpus & sanguinem ore corporis accipi.* 3. *Corpus & sanguinem esse verè & substantialiter præsentia in Sacra cœna.* 4. *Ipsos quoque indignos verum corpus & sanguinem Christi ore accipere.* Imò nec ulcera *Missæ* pontificiæ, in qua Dominus Servator noster cottidie pluries, à pluribus immolatur. Id unum tantùm deploro, quod Reformata Ecclesia, quæ verbis institutionis insistit, analogiam Sacramentorum observat, Christique institutoris mentem minimè depravat, tam tetrè ab adversantibus blasphematur & horribiliter accusatur, ac si sit sacrilega in sacratissimum corpus & sanguinem Jesu Christi; ac si tollere conetur usum cœnæ; ac si cœnam introduxerit tropicam & inanem; imò quod *mensa*, ad quam accedit, declamatur non esse *Dei*, sed *Diaboli* mensa. Talia, mi lector, auribus nostris sæpius audita, non possunt non movere intimè. Proh Deum autem immortalem! Reformati non possunt credere, corpus Domini verum & substantiale esse *in, cum, sub* pane, quia id pugnat cum sensibus, cum ratione sana, cum doctrina fidei de veritate carnis Christi, de ascensione illius, de communione Sanctorum, cum natura Sacramentorum, cum Scriptura sacra, cum ipsis institutionis verbis; & plurima post se absurda trahit; ideò condemnantur, à fraternitate excluduntur, coram Deo, Angelis, Ecclesia accusantur.

Nova Lex Christi. §. 228. Præter hæc Domini Servatoris instituta fingunt *Scholastici* & *Jesuitæ*, etiam *novam legem* à Christo latam esse, cujus præcepta sint Mosaicis longè perfectiora, excellentiora & severiora. Lombard. 3. sent. dist. 4. Thom. Aquinas. in cap. 5. Matt. Scotus 3. sent. dist. 4. Bellarm. libr. 4. de justif. cap. 3. & 4. Vocant præcepta illius legis, *consilia Evangeli-*

cæ

ca perfectionis. Sociniani, ex imperfecta lege Mosis Christum perfectam legem fecisse, singulis præceptis decalogi aliquid superaddidisse; imò & nova quædam præcepta Apostolis tradidisse. *Remonstrantes*, legem moralem in Nov. Test. amplificatam esse: quæ omnia optimè pertractata & refutata vide *in summa Doctrina de fœdere* Cl. viri Johannis Cocceji, cap. 12. inde à §. 357.

§. 229. Transeamus nunc ad quartum tractationis caput: quod est de *discipulis* Christi. Discipuli Christi.
Fecit sibi Dominus μαθητὰς *discipulos*, & *multos*, imò πλείονας ἢ Ἰωάννης. Joh. 4: 1. Horum multi non constanter Christo adhæserunt, sed *multi* illorum ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω *retrocesserunt, nec amplius cum illo ambularunt*. Joh. 6:66. Inter hos fuere δώδεκα *duodecim*, qui κατ' ἐξοχὴν audiunt μαθηταὶ, imò & ἀπόστολοι. Marc. 3: 14. καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ. Joh. 6:67. *Dixit Jesus* τοῖς δώδεκα, *numquid & vos vultis abire*, ut alii illi πολλοὶ, Joh. 6:70. *annon ego vos duodecim* ἐξελεξάμην Joh. 6: ℣. 70. id apud Marcum est ἐποίησε *fecit*. confer Joh. 13:8. *Ego novi*, οὓς ἐξελεξάμην. Joh. 15:16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut vos eatis, & fructum feratis*. Hi *duodecim* electi sunt è tota discipulorum turba Luc. 6:13. *Advocavit discipulos suos*, καὶ ἐκλεξάμενος ἀπ' αὐτῶν δώδεκα, οὓς καὶ ἀποστόλους ὠνόμασε *& elegit ab illis duodecim, quos & Apostolos nominavit*. Ad discipulos, quos non nominavit *Apostolos*, referri debet *Natanael* ille, de quo Joh. 1:46. 47. 48. 49. 50. 51. de quo Christus, ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι; qui fuit *à Cana Galilea*, & inter *discipulos* numeratur. Joh. cap. 21: vers. 1. 2. *Apostolus* tamen nullibi vocatur.

§. 230. Nomina *duodecim* horum discipulorum seu Apostolorum, lege Matt. 10:2. 3. 4. Nomina duodecim Apostolorum.
Marc. 3:16. 17. 18. 19. Luc. 6:13. 14. 15. 16. Horum πρῶτος *primus* seu prior nominatur *Simon* Matt. 10:2. non prior gradu aut dignitate; sed ætate & ordine vocationis. Inter primos vocatus est. Antecessit autem illum *Andreas* frater ipsius, qui illum prima vice *adduxit ad Iesum*. Joh. 1:42. 43. Non uno modo, nec tempore vocavit illos Dominus. *Andreas* fuit initio *Ioannis* discipulus, à quo audiverat verbum hoc, *ecce agnus Dei*, qua voce motus *secutus est Iesum, & cum illo mansit diem illum*. Joh. 1:36. 37. 38. 39. 40. 41. Tunc etiam videtur adduxisse *Simonem* fratrem, quem intuitus Jesus vocavit πέτρον. Joh. 1:43. Marc. 3:16. Ab illo tempore videntur duo hi fratres ad cottidianum suum opus rediisse, & piscaturam exercuisse. Christus enim postea *ambulans circa mare Galilæa* (quod & dicitur *stagnum Gennesaret* Luc. 5:1. & *mare Tiberiadis* Joh. 6:1. 21:1.) *illosque videns ejicere retia, dixit illis, sequimini me*, tuncque illi *relictis retibus, secuti sunt illum*. Matt. 4:18. 19. 20. Marc. 1:16. 18. quod ipsum pluribus cum circumstantiis narrat Luc. 5:1 -- 11. ubi notabile verbum Simonis vers. 8. *Exi à me, nam vir peccator sum, Domine*. Simonem & Andream excepere *Iacobus & Ioannes, filii Zebedæi, quibus imposuit nomina* Βοανεργὲς, hoc est, *filii tonitru*. Marc. 3:17. Illos eodem tempore ἐκάλεσε *vocavit*. Matt. 4: ℣. 21. Fuere etiam ἁλιεῖς *piscatores*, Matt. 4:18. 21. κοινωνοὶ τῷ Σίμωνι *socii Petri*, in opere nimirum piscatorio Luc. 5:10. Andreas & Petrus fuere *è civitate Betsaidah* Joh. 1: ℣. 45. quæ erat *Galilea*. Joh. 12:21. Quintus est *Philippus*, ab eadem urbe; quem Christus volens *exire in Galileam* invenit, & vocavit. Joh. 1:44. Sextus *Bartholomæus*, cujus rara in sacris mentio. confer Actor. 1:13. Septimus *Thomas*, δίδυμος, hoc est, *geminus* vel gemellus. Joh. 11:16. 14:5. 20:24. 26. 29. Act. 1:13. Octavus, *Matthæus*, ὁ τελώνης *publicanus*, quem Jesus inde à *telonio* sequi se jussit, dictus etiam λευῒς, ὁ τοῦ Ἀλφαίου Matt. 9:9. Marc. 2:14. Act. 1:13. Hic autor est *Euangelii*, quod dicitur *Matthæi*. Nonus, *Iacobus Alphæi*; *frater* seu consanguineus *Domini* Matt. 13:55. confer Galat. 1:19. dictus ὁ μικρὸς *minor* Marc. 15:40. Decimus,

Lebbæus, λεββαῖος, quasi dicas *cordatus*, ἐπικληθεὶς *cognominatus* θαδδαῖος, à Syro Chaldaico תד *uber*, aliàs Ἰούδας *Iacobi*, scilicet frater. Luc.6:16. Actor.1:13. Judæ vers. 1. Undecimus, *Simon* ὁ κανανίτης, quod idem est ac ζηλωτὴς Luc.6:15. *æmulator, Zelotes*, à קנא *Zelotypus fuit*. Fuit frater Taddæi & Jacobi minoris. Matt.13:55. Actor. 1:13. Duodecimus, Ἰούδας ὁ Ἰσκαριώτης, quasi איש קריות, hoc est, *Kerijethensis vir*, ab oppido Judæ. Jes.15:25. Alii ita dictum putent à שקר *falso* aut *mendacio*. Alii à Syriaco סכר *recipere, observare, occludere*, unde *escariata marsupium*, quod marsupium haberet. Hi *omnes* fuere ferè *Galilæi*. Act.2:7.

§. 231. Hos duodecim discipulos *fecit*, ut *mitteret illos* κηρύσσειν *præconiari* Marc.3:14. dedit illis *potestatem Spirituum impurorum*, ut *ejicerent illos*, & *sanandi omnem morbum & omnem languorem*. Matt.10: vers. 1. jussit illos δωρεὰν διδόναι *gratis dare*, ἃ δωρεὰν ἔλαβον *quæ gratis acceperant* Matt. 10:8. Lege instructionem illorum Matt. integro decimo capite. Hi duodecim *exiverunt* & *prædicarunt resipiscentiam*. Marc.6:vers. 12. *dæmonia multa ejecerunt*, multa, inquam, non *omnia*. Matt.17:16.19. Marc.9:℣.18. *unxerunt oleo multos infirmos*, & *sanarunt*. Marc.6:13. Reduces ad Jesum, *nunciarunt illi omnia*, καὶ ὅσα ἐποίησαν καὶ ὅσα ἐδίδαξαν. Marc.6:℣.30. Per illos ἐβάπτιζεν. Joh.4: vers.2. Horum familiari usus est Dominus consortio & ministerio, habuit se erga illos ut Paterfamilias ad domesticos, ut Pater ad filios. Dixit illos φίλους *amicos*. Joh. 15:vers. 15. υἱοὺς τοῦ νυμφῶνος *filios thalami*, Matt.9:vers.15. τεκνία *filios*. Joh. 13:vers. 13. confer Es. 8:vers. 18. ילדי Deut.32.vers.4. בניו. Es.8:vers.16. ילדי: Dicit illos *homines datos sibi è mundo*, *pro quibus petiit*, *ut servarentur in nomine Patris*, & *essent* ἓν, *unum*, & *sanctificarentur in veritate*. Joh.17:vers.6.9.11. illis *datum, nosse mysteria regni cælorum* Matt.13:vers.11. Hi fuere οἱ διαμεμενηκότες *cum Christo in tentationibus*, quibus & *Regnum Testamento legavit*. Luc. 22:vers. 28.29. illi *reliquerunt omnia*, & *secuti sunt* Dominum, unde & illis *thronos* promisit & ἑκατονταπλασίονα. Matt.19:vers. 27.28.29. illis prædixit *futuras suas passiones & glorias*. Matt.16:vers.21. 17:22.23. 20:18.℣.19. Marc.8:31. Luc.9:vers.22. 18:31.32.33. Illorum *lavit pedes*. Joh.13:4-10. Illi comederunt *panem* ipsius. Joh.13:18. Imò *ad finem amavit illos*, *ut suos*, *quos in mundo habebat*, Joh.13:vers. 1. *per quorum sermonem alii in illum credituri* essent. Joh.17:20. Ex illis tamen εἷς *unus* exstitit διάβολος *Diabolus*, ὃς ἤμελλεν αὐτὸν παραδιδόναι Joh.6:64.70.71. *filius* ἀπωλείας *perditionis* Joh.17:12. de quo cum cogitaret, ἐταράχθη τῷ πνεύματι. Joh.13. vers.21.

Homines tenues & rudes. §. 232. Erant omnes tenuissimæ conditionis, & valdè rudes; certè *stulta*, *ignobilia*, *infirma mundi*. 1 Cor. cap. 1:vers.27.28. מכים Deut. cap. 32:vers. 4. νήπιοι Matt. 11: vers.25. Christus dicit illos ὀλιγοπίστους Matt.cap.8:vers.26. Marc.cap.4:vers. 40. ἀσυνέτους. Matt.15:vers.16. Petrum *Satanam* vocat Matt.cap.26:vers.22. culpat τὴν ἀπιστίαν illorum. Matt.27:vers.20. Et passim notatur, quod *non intellexerint*, quod καρδία illorum fuerit πεπωρωμένη Marc. 6: vers. 52. οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα τοῦτο, καὶ ἦν παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν Luc. 9: 44.45. confer Luc.18:34. Ex hac infirmitate, quæ in illis, exstitit puerilis in illis φιλονεικία, τὸ τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων, Luc.22:24. & intempestivus zelus; ut in Jacobo & Johanne, volentibus ignem *mittere è cælo*, *ad consumendum Samaritas* Luc.9:52-55. & in Petro, amputante aurem Malcho. Joh.18:℣.10. Inde levitas illa puerilis, in *Simone*, Matt.17:4. *Faciamus hic tabernacula* Joh.13:vers. 8. *Non lavabis pedes meos in æternum*. Sed deinde statim garrulè petens, *non pedes tantum*, *sed & quoad manus & caput lavari*. vers.9. Volebat *super aquas ambulare*, cum esset διστάζων

Matt.

Matt. 14: vers. 31. Inde dira illius abnegatio Joh. 18: 17. 27. Inde nimius illorum metus. Matt. 8: 25. σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα. In his rudibus, infirmis, instabilibus placuit Servatori gratiæ suæ vim & ἐνέργειαν ostendere. Inde eximiæ illorum confessiones de Christo Matt. 16: 17. Joh. 6: 68. 69. & constantia in sequendo Christo, & obedientia ac reverentia exhibita Christo. Inde Christus illos *sal terræ, Lucem mundi* dixit. Matt. 5: 13. 14.

§. 233. Hos suos discipulos abduxit paulatim Christus à servitute legalis jugi & assuefecit libertati Regni cœlorum, cujus futuri erant præcones; non jussit illos toties νηστεύειν; ut Johannis faciebant discipuli, Matt. 9: 14. 15. non reprehendit in illis, quod esurientes τοῖς σάββασι *vellere aristas cœperant* Matt. 12: 1. nec quod *illotis manibus* edissent panem. Matt. 15: 2. Imò de *libertate* erudivit illos Matt. 17: 26. Ἄραγε ἐλεύθεροί εἰσιν οἱ υἱοί. confer Joh. 8: 36.

§. 234. Elegit autem Dominus *Discipulos & Apostolos* 1. Ut haberet socios, comites & ministros, quorum ope & servitio, dum in terris ageret, uteretur. Illis curam imposuerat victus & nutrimenti. Matt. 14: 16. 19. 15: 33. 34. Joh. 4: 8. 31. Judas habebat τὸ γλωσσόκομον *marsupium*. Joh. 12: 6. 13: 29. Illos mittebat, quo necessum habebat. Cum τὰ δίδραχμα solvenda essent, mittit Petrum, qui è pisce peteret στατῆρα Matt. 17: 24. 27. Cum publicè in Jerusalem intrare vellet, mittit duos, qui *pullum* adducant, Matt. 21: 1. 2. cum Pascha comedere vellet, mittit discipulos Hierosolymam, ad parandum illud. Matt. 26: 17. Illi iverunt, quocunque ivit Christus, manserunt, ubi mansit Dominus, & individui semper illius fuerunt comites. 2. Ut manifestaret illis *mysteria regni cælorum*, Matt. 13: 11. & in sinum illorum quasi deponeret τὴν διδαχὴν αὐτοῦ *doctrinam suam*, & *daret illis*, ῥήματα *verba*, ἃ δέδωκεν αὐτῷ ὁ πατήρ. Joh. 17: 8. 3. Ut haberet *testes* αὐτόπτας καὶ αὐτηκόους dictorum & factorum suorum, qui dicere possent, *Quod audivimus, quod vidimus, quod aspectavimus, quod manus nostræ palparunt.* 1 Joh. 1: 1. & è 1 Cor. 9: 1. *Annon Jesum Christum vidi.* Imò *testes resurrectionis suæ*, Act. 1: 22. qui dicere possent, nos συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτόν. Act. 10: 41. confer Luc. 24: 48. ὑμεῖς δέ ἐστε μάρτυρες τούτων. Act. 22: 15. *Eris testis illi ad omnes homines*, eorum *quæ vidisti & audivisti*; dixit Ananias Paulo. 4. Ut haberet, qui essent *primitiæ creaturarum suarum* Jacob 1: 18. quos *indueret virtute ex alto*, & aptaret εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων. Act. 1: 8. Luc. 24: 49. Col. 1: 12. 5. Ut Ecclesia è Judæis colligenda & gentibus haberet Præcones, Doctores; ut essent ἐργάται *operarii in messe* Domini Matt. 9: 37. & quasi *hominum* ἁλιεῖς, Matt. 4: 19. Luc. 5: 10. Jerem. 16: 16. Actor. 15: 7. *a diebus antiquis elegit Dominus in nobis per os meum audire Gentes Sermonem Euangelii*, inquit Petrus. confer Ephes. 3: 8. 9. ἐν τοῖς ἔθνεσιν εὐαγγελίσασθαι τὸν πλοῦτον τοῦ χριστοῦ; ut ne *domus Dei* careret στύλοις, *columnis*, Gal. 2: 9. nec *grex* Dei *pastoribus*, nec *cœtus magistris*, ut ita *docerentur*, & διὰ λόγου, & δι' ἐπιστολῆς 2 Thes. 2: 15. ut ita Christus *annunciaretur*, & *omnes homines monerentur*, & *perfecti sisterentur in Christo Jesu*. Col. 1: 28. 6. Ut haberet, qui *morte sua Dominum glorificarent* Joh. 21: 19. & *vicissim implerent* τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ ἐν τῇ σαρκὶ αὐτῶν. Col. 1: 24.

Cur elegerit Dominus discipulos suos.

§. 235. Elegit autem homines viles, & obscuræ nativitatis, patriæ, educationis, assuetos operibus durioribus, & multimodè infirmos; qui necessum haberent dicere, *gratia Dei sum, quod sum*, 1 Cor. 15: 10. ut *ne gloriari possit ulla caro coram Deo*; & per τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου *sapientes pudefierent*; & τὰ ὄντα per τὰ μὴ ὄντα *abolerentur*, 1 Cor. 1: 27. 28. 29. quod cogitans Christus, *Confiteor*, inquit, *tibi Pater, quod abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti illa infantibus. Ne, Pater, ita exstitit complacentia coram te.*

Cur tam viles & obscuros.

Matt. 11:25. 26. Imò voluit in uno illorum, qui παρέβη ex accepta διακονίας καὶ ἀποστολῆς, ut *abiret in locum suum proprium*, Act. 1:25. tremendum exstare exemplum τῆς ἀπωλείας *perditionis*; ut illi, qui non ἀπώλοντο, non sibi id imputarent, sed soli illi, qui *servavit illos in nomine Patris*, & ἐφύλαξε *custodivit*. Joh. 17: 12. Imò voluit omnes ferè insignibus lapsibus esse notabiles, ut ne faceremus ex illis idola; & semper meminerimus illius Pauli, τίς ἐστι Παῦλος, τίς Ἀπολλώς, ἀλλ' ἢ διάκονοι, &c. 1 Cor. 3: 5.

Cur duodecim. §. 236. Elegit denique δώδεκα *duodecim*, ut plures essent, qui in eodem opere communicarent; qui τὰ βάρη invicem ferrent; qui, divisis inter se terris & regionibus, mundum perambularent. Cur autem *duodecim*, nec plures, nec pauciores, non est utile inquirere quia de quolibet numero idem quæri potest. In Vet. Test. fuere duodecim Prophetæ, quorum opera & ministerium præ aliis inclaruit. In Novo Testamento exstitere duodecim Apostoli, quorum imprimis opera Ecclesia vocata & ædificata est. *Duodecim* sunt *horæ diei* Joh. 11:9. *Nox abiit, dies autem appropinquavit* Rom. 13: 12. In hac die *duodecim* Dominus voluit lucere *sidera*, & φωστῆρες (Phil. 2: 15.) præ aliis eminenter φαινομένους. *Mare fusum*, quod fecit Salomoh, stetit *super duodecim boves*, quorum *tres orientem, tres occidentem, tres meridiem, tres aquilonem respiciebant* 2 Chron. 4: 2 -- 6. Ecclesia inædificata est *fundamento duodecim Apostolorum*, qui fuere ut *boves* laborantes & ἀλοῶντες (1 Cor. 9: 10.) & in omni plaga mundi opus Domini perficientes. Habet *civitas* illa *magna, sancta Jerusalem, descendens è cælo portas duodecim, & in portis duodecim Angelos. Murus illius habet fundamenta duodecim, & in illis nomina duodecim Apostolorum* Apoc. 21: 10. 12. 14. Hæc & alia non inconvenienter cogitabimus, cum δώδεκα Apostolos audimus. Numerus hic duodenarius, qui per Apostasiam *Judæ* defecerat, per electionem *Matthiæ* redintegratus est. Is enim συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων. Act. 1: 26. Ita voluit Deus numerum hunc integrum manere. Deinde tamen per vocationem Sauli *uno* auctior factus est.

§. 237. Hi Apostoli, οἱ ἴδιοι τοῦ κυρίου ἐν τῷ κόσμῳ, *dilecti* fuere Domino. Joh. 13: 1. Imprimis illum dicitur *amasse Jesus*, qui fuit toties ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ αὐτοῦ. Joh. 13: 23. Ipsum Proditorem non fastidivit mensæ adhibere suæ, & de pane cibare suo; & illius sortem dolere. Matt. 26: 24. Omnes in domo Dei *laborarunt*, sed unus alio περισσότερον. 1 Cor. 12: 10. Omnes donis ad impositam διακονίαν sufficientibus instructi fuere; sed tamen & in illis fuere διαιρέσεις χαρισμάτων καὶ ἐνεργημάτων. Cucurrerunt *duo* ad sepulchrum Domini, *Petrus*, καὶ ὁ ἄλλος μαθητής; sed ὁ ἄλλος *cursu Petrum antevertit* Joh. 20: 3. 4. Omnes tamen dignitate æquales, συνεργοί, συμπρεσβύτεροι, & ministri omnes. Ideò cum mater Zebedæorum præeminentiam filiis suis peteret, repulsam tulit. Matt. 20: 21 -- 23. Christusque disertè omnibus dixit, ὃς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν μέγας aut πρῶτος γενέσθαι, ἔσω ὑμῶν διάκονος καὶ δοῦλος. Ibidem ℣. 26: 27. confer Matt. 23: 11. Tantum absit, ut Petrus constitutus sit Monarcha omnium.

Septuaginta discipuli. §. 238. Præter hos δώδεκα, ἀνέδειξεν ὁ κύριος καὶ ἑτέρους ἑβδομήκοντα *designavit postea Dominus etiam alios septuaginta, quos misit* ἀνὰ δύο *binos ante faciem suam, in omnem civitatem & locum, quo ipse erat venturus*. Luc. 10: 1. Erat enim *messis multa, operarii verò pauci*. Hos iisdem cum mandatis emisit Luc. 10: 3 -- 16. quibuscum τοὺς δώδεκα. Matt. 10. Hi 70. *cum gaudio reversi sunt, dicentes, Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*. Dixit illis. *Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpios, & omnem vim inimici. Et nil vobis nocebit. Verum in hoc non gaudete, gaudete autem magis, quod nomina vestra scripta sunt in cælis*. Luc. 10: 19. 20. Hi 70. sunt forsan illi, de quibus Act. 1: vers.

vers. 21. δεῖ τῶν συνελθόντων ἡμῖν ἀνδρῶν ἐν παντὶ χρόνῳ ἐν ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς ὁ κύριος è quibus duo illi, *Barsabas* & *Matthias*, sumti fuerunt, super quos sors Apostalatus jaceretur. ibid. ℣. 22:23. Alias de his nil è Scripturis dicere habemus. In mentem autem hìc rursus venit, quod Moses collegit *septuaginta viros, è senioribus Israël; super quibus dedit Dominus de Spiritu, qui super Mosen, & fuit, cum quiesceret super illos Spiritus,* וַיִּתְנַבְּאוּ וְלֹא יָסָפוּ *prophetarunt, & non addiderunt.* Num. 11:24.25. Etiam de his 70. quos ἀνέδειξεν ὁ κύριος, dicere licet, dæmonia ejecerunt, & *non addiderunt.* Post enim Domini ascensionem nil de illorum actis relatum est.

§. 239. Accessimus denique ad ultimum articulum, in quo de variis Christi actionibus agendum, & de ratione vitæ, quam observavit. Et hic quidem initio agemus de nonnullis actionibus Christi, quæ peregrini quid habere videntur. Dein de illis, quæ circa Christi personam acciderunt, & ostendunt τὴν μεγαλειότητα τοῦ χριστοῦ. Denique in specie nonnulla monebimus de modo vitæ, quo usus Dominus. Variæ Christi actiones.

§. 240. Matt. 8: 38. narratur Christum dæmonibus, quos ejecit è duobus illis graviter δαιμονιζομένοις, permisisse, ut intrarent *in gregem porcorum.* Omnes illos porcos, qui erant ὡς δισχίλιοι *circiter bis mille* ruisse *in mare* præcipites, & *mortuos esse in aquis.* Gergesenos hac re territos orasse Jesum, ut *discederet à finibus illorum*; nam φόβῳ μεγάλῳ συνείχοντο. Matt. 8:32--34. Marc. 5: 10--17. Luc. 8:32--37. Cur Christus impuris tantum concessit spiritibus? quid peccarant miseri porci? cur damnum hoc hominibus inferri permisit? cur occasionem dedit illis, ut peterent, quo discederet? certè Christus non opus habet excusari, nos opus habemus informari, rectæ sunt actiones Christi. Sed non metiendæ è captus nostri infirmitate, & judicandæ è rei veritate, non ex fallente apparentia. Dæmones *rogant* παρεκάλουν αὐτὸν; ita ostendunt se nil posse, ne sues quidem lædere, citra voluntatem Christi. Agnoscunt Christi *dominium*, omnia esse *posita sub pedibus illius.* Ps. 8. Rogantibus Dæmonibus gratificatur Dominus. Certè si Dæmon petens, ut *Iob* sibi traderetur, id obtinuit, sanctusque hic בְּיָדְךָ *in manum* dæmonis *traditus est* Job 2:6. imò & *omne* אֲשֶׁר לוֹ *quod illi* Job 1:11. cur non hìc petentibus in sues ingrediendi facultatem dæmonibus, quod petierunt, concedi à Servatore potuit? Dices, concessum id de Jobo fuisse, ut fides illius claro experimento probaretur. Dico, concessum hoc Dæmonibus, ut durities & carnalitas & ingratitudo Gergesenorum, ad pudorem illorum detegeretur. Est Christus omnium Dominus, omnia dedit omnibus; licet ipsi, quæ dedit, auferre. Privavit Gadarenos suibus, quibus reddere plures poterat. Imò quibus majus beneficium reddiderat, sanando δαιμονιζομένους, qui nocebant prætereuntibus. Concessit potestatem Dæmonibus; ut doceret homines cavere ab infensissimis his humani generis hostibus. Malè illi petunt, ut Dominus ab illis abeat. Elkana dicebat *Hannæ. Annon ego bonus tibi præ decem Filiis* 1 Sam. 1. Annon Dominus Gadarenis melior præ infinitis suibus? Job orbatus omnibus, *Dominus*, inquit, *dedit*, *Dominus abstulit.* Cur non & sic Gadareni? Hi videbant miseros δαιμονιζομένους miraculosè liberatos. ἐξῆλθον γὰρ ἰδεῖν τὸ γεγονός Luc. 8:35. Hoc beneficium jactura longè majus erat. Hi carnales sues magis curant, quàm proximi salutem. Imò quàm Christum, Servatorem ipsum, qui si mansisset cum illis, pluribus opem tulisset miseris. Nunc ne careant suibus superstitibus, inani metu, malunt miseros mortales carere ope admirabilis hujus ἰατροῦ. Hinc & Christus, quasi ægrè ferens duritiem & cæcitatem horum hominum, illicò ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον ὑπέστρεψεν. Luc. 8: 37. Permittit dæmonibus intrare in sues & suffocare in aquis.

§. 241. Matt. 14:25. narratur Jesus *ambulasse* ἐπὶ τῆς θαλάσσης *in mari, noctu.* Discipulos putasse, ὅτι φάντασμά ἐστι, ℣. 26. Imò & Petrum, illo jubente, *venisse ad Jesum* ἐπὶ τὰ ὕδατα, Ambulat super mare.

&

& *ambulasse super aquas*, sed cœpisse *καταποντίζεσθαι mergi*, ℣. 29. 30. Marc. 6: 48. narratur, quòd Jesus *περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης*, voluerit *præterire παρελθεῖν discipulos*, in navi, agitata à ventis & fluctibus, agentes. confer ℣. 49. 50. 51. Joh. 6: 19. Diabolo petenti, ut è lapidibus faceret panes, & de pinna desiliret templi, nolebat assentiri. Matt. 4. Hic sponte perfidis undis corpus suum audet committere. Cur ambulat in *mari*, cum non sit conditum, ut super id homo ambulet, cui *terra* ad habitandum data est. Sed quid hæc objicimus Domino? justè repulerat Satanam *tentatorem*; qui malitiosè impetere conabatur Servatorem. Ambulat in *mari*, periclitantibus ita commodè succurrit discipulis, in quorum ut ascendit & intravit τὸ πλοῖον, ἐκόπασεν illico ὁ ἄνεμος. Matt. 14: 32. Undarum probat subjectionem & obedientiam, ferunt illæ naves; quidni &, si ita jubeat Dominus humana corpora? Flamma vorax non voravit rubum; non socios Danielis. Rapaces undæ Servatorem non abripiunt; naturaliter flamma comedit; naturaliter undæ corpora non ferunt, nisi ante illa suffocarint, cadavera enim sursum natant; hinc Petrus cœpit mergi. Sed æquum est, naturam cedere & obedire naturæ Domino. Neque hinc concludas, carnem Christi levioris fuisse & subtilioris substantiæ, quia potuit supra undas subsistere. Vera fuit in Domino caro. Sed portata ab undis, ferente divinæ ipsius *potentiæ verbo*. Et cur sivit Petrum καταποντίζεσθαι, quem jussit ad se ἔρχεσθαι? ut ostenderet illius ὀλιγοπιστίαν, dubitantem de præsenti & efficaci auxilio Domini. Imò ut nos doceat, non petere, quæ sortem nostram excedunt. Improvidè & incautè petierat Petrus, κέλευσόν με πρός σε ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ὕδατα. ℣. 28. Ne sit fides nostra ad ostentationem. Sed maneat intra sanctam & cautam humilitatem.

Increpat juvenem qui dicebat Bone Doctor. §. 242. Matt. 19: ℣. 16. Quidam νεανίσκος (℣. 22. Lucas ἄρχων cap. 18: 18.) dicit illi, *διδάσκαλε ἀγαθὲ Magister bone*, &c. respondet, *τί με λέγεις ἀγαθόν, quid me dicis bonum?* *οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός; nemo bonus, nisi unus, Deus* ℣. 17. confer Marc. 10: 17. 18. Luc. 18: 19. An ergo se negat *bonum*, imò *Deum*? Certè & *bonus* est, & *Deus*, *bonus* doctor, ut *bonus Pastor*. Joh. 10: 11. Tamen talis, qualem illum metiebatur Juvenis ille, *bonus* haut dici debet; numerat illum inter *διδασκάλους communes doctores*, qui erant peccatores, è peccatorum grege. Increpat præsumtionem, quod *hominem* natura *malum*, *bonum* dicere audet. Est *bonitas* in rebus omnibus, in multis *physica*, in multis *moralis*. In initio vidit Dominus, quæ fecerat, & erant טוב מאד *bona valde*. Gen. 1: 19. Homo sanctus & *rectus* factus erat certè *bonus*. Sed peccans factus est pravus & malus; nec amplius meretur *bonus* dici. Et Angeli & homines, quicquid habent bonitatis, ab alio, Deo nim. habent. Ideò solus hic bonus; quia fons omnis boni. In aliis bonitatis umbra tantùm quædam, inchoata tantùm, non perfecta. Quidam putant, *Deitatem* suam hoc responso insinuasse Christum, acsi dixisset, falsò bonum me dicis, si hominem tantùm, non Deum me agnoscis. Alii hoc ab illo dictum putant, ut *fidem doctrinæ suæ* assereret; ut sensus sit, *falsò me bonum* vocas magistrum, & doceri à me cupis, nisi à Deo profectum agnoscas me, & doctrinam meam ut divinam accipias. *Vult Christus juvenem hunc altius conscendere, ut Deum loquentem audiat*; ita benè Calvinus. Nullus merus homo, qui è terra est, & è terra loquitur, in pleno sensu dici potest *bonus Doctor*, ne *Moses* ipse quidem, qui ut est Ps. 106: 33. בִּשְׂפָתָיו יְבַטֵּא *futilis fuit labiis suis*.

Ejicit vendentes è templo facto flagello. §. 243. Matt. 21. narratur, quod Jesus *intravit in templum Dei*; & inde *ejecit omnes vendentes & ementes*; & *mensas τῶν κολλυβιστῶν κατέστρεψε evertit, cathedrasque vendentium columbas*. ℣. 12. Addit Marcus 11: 15. 16. *non sinebat, ut quis portaret vas per templum*. Hoc fecit Jesus paulo ante passionem & mortem. Idem etiam fecerat in initio ministerii, referente Joanne 2: 14–17. quod *cum invenisset in templo τοὺς πωλοῦντας βόας, καὶ πρόβατα, καὶ περιστεράς, καὶ τοὺς κερματιστὰς, fecerit φραγέλλιον ἐκ σχοινίων, & omnes ejecerit è tem-*

templo, τὰ τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας, καὶ τῶν κολλυβιστῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα. Adeo & in initio & sub finem publicæ suæ in terris legationis eundem zelum ostendit. *In templo* dicuntur sedisse πωλοῦντες & ἀγοράζοντες. Non in *adyto*, aut penitissimo templi, sed in illius *vestibulo*, quod & στοὰ dicitur. Joh. 10:23. sederunt non è Dei mandato, tunc enim non ejecisset illos Dominus, sed è permissione & indulgentia Sacerdotum, qui putabant commodum esse, ut animalia, apta sacrificiis, in templo venalia essent. Vendiderunt *boves, oves, columbas*, qualia in sacrificiis solebant offerri. Erant etiam in templo κολλυβισταὶ & κερματισταί. *Collybistæ*, qui ex *collybo* seu pecuniæ seu argenti permutatione quæstum faciebant, grandiorem monetam commutabant in minutiorem, & vice versa; cum lucro quodam, ὁ κόλλυβος est ἀργυρίου ἀλλαγή *moneta commutatio*, κολλυβιστὴς etiam dicitur Ἀργυραμοιβός. Habebant ante se τραπέζας *mensas*, in quibus argentum numerabatur, unde τραπεζῖται, שלחניים *mensarii* audiunt. Iidem dicuntur κερματισταὶ, à κέρμα, quod alii *as* vertunt, alii *numulos* ἀπὸ τοῦ κείρειν *tondere, resecare*, in minuta frusta concidere, τὰ κέρματα sunt partes grandioris monetæ, in partes quasi, æstimatione & valore resectæ. Tale κέρμα seu segmentum argenti habebant hi homines in promtu, unde, τὸ κέρμα τῶν κολλυβιστῶν *as* seu *numuli numulariorum* seu *argentariorum*. Hi homines etiam permittentibus Sacerdotibus locum in templo seu vestibulo templi occupaverant, sub prætextu utilitatis, quia scilicet bonum erat adesse numularios, qui emturis pecudes ad sacrificia quodlibet argentum commutarent. Etiam dicuntur in templo sedisse, cum *dimidium sicli* è lege Dei Exod. 30: vers. 13. solvendum esset, ut qui non haberet ejusmodi nummum, ab illis permutare posset, aut etiam dato pignore accipere. Sacerdotes hac indulgentia testati sunt avaritiam suam. Ne parcius mactarentur sacrificia; è quibus portionem capiebant; aut ne ex defectu commodæ monetæ animalia sacrificanda segnius emerentur, numularios adesse voluerunt. Cogitare autem facile est, quanta colluvies hominum pessimorum cottidie impleverit templum, turpi lucro & quæstui inhiantium; quanta ibi fuerit vociferatio ementium & vendentium, quantus mugitus boum, balatus ovium, susurrus pipitusque columbarum, quantæ fraudes ibi fuerint usurpatæ, tum vendentium, tum ementium, tum argentum commutantium; adeo ut vix precibus & sanctis meditationibus locus fuerit. Ita verè *domus* Dei facta est *domus emporii* seu mercatûs; & *domus orationis*, destinata ad fundendas preces, *spelunca latronum*, & prædonum, hominum avarorum, quæstuosorum; ὑπερβαινόντων καὶ πλεονεκτούντων ἐν τῷ πράγματι. 1 Thes. 4:6. Ideò non potuit non Christus ægrè ferre insignem hanc confusionem. Templum erat *domus Dei.* Deus hactenus illud inhabitabat. In illo inveniebatur. Erat *typus* Christi, qui nunc ipse in *templum* exstiterat. Joh. 2:19. unde dicitur הֵיכָלוֹ Mal. 3:3. Ad id *venit Dominus*, *Angelus fœderis*, ut id faceret quasi *solium suum* Jerem. 3. ut in illo manifestaret *gloriam suam*, & loqueretur *verba Dei*, quæ *eloquenda* Pater illi dederat. A puero judicavit decere se nullibi magis esse, quam in templo. Anno duodecimo ætatis inventus est ἐν τῷ ἱερῷ, adeoque ἐν τοῖς τοῦ πατρός αὐτοῦ. Luc. 2:46. vers. 49. Hic *Dominus* templi nunc se gerit pro templi Domino, nolebat tolerare illius profanationem. Erat locus is sanctus. Sancta ibi erant tractanda; non quæstus, non mercatio. Erat domus *Patris sui*, pertinebat ergo ad illum, ut *Filium*, illius cura. Num *dilectus Dei in domo Dei* fuisset, & bonis oculis aspexisset עֲשׂוֹתָהּ הַמְזִמָּתָה הָרַבִּים Jer. 11:15. igitur hanc suam displicentiam bono jure potuit ostendere, & *ejicere* illos mercatores & quæstum quærentes, cum nummis, mensis & pecudibus suis. Id quidem decens judicamus. Sed id contra decentiam Domini videtur fuisse, quod fecit *flagellum è funibus*; & ita flagellando *omnes* ejecit, imò & *boves*, &c. Etiam violentum fuit, quod evertit τὸ κέρμα *as*, & *evertit*

mensas. Cur non jussit verbo, ut exirent, qui verbo uno increpuit ventos, & mare fecit quiescere, quorsum tam vehemens commotio, tantaque violentia? non convenit cum decantata ipsius *mansuetudine*; *discite à me, quod mansuetus sum*, nec filium Dei decuit esse πλήκτην. Respondeo. Fecit *flagellum*, non adeo ut cæderet homines, quàm bruta illa, oves & boves. Hæc voci illius non assueta non exiissent, nisi flagello adacta fuissent. Id liquet è Joh. 2:15. πάντας ἐξέβαλεν, τά τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας, illorum causa flagellum fecit. Homines mansuetius tractavit vers. 16. *Et columbas vendentibus dixit, tollite hæc hinc, ne facite domum Patris mei, emporii domum.* Videmus, non verberibus, sed verbis & rationibus, Dominum coëgisse hos mercatores ad obsequium. Nec indiguisset flagello, potuisset enim potenti verbo expellere pecudes. Sed quis præscribet Domino, & limitabit vias ejus? Voluit hìc humanum agere in modum, qui aliàs sæpius divinum egit in modum. Voluit humano uti organo, qui omnia facere potest sine organo. Sed *effudit* τὸ κέρμα; *evertit* τὰς τραπέζας. Hic effectus fuit sanctissimi zeli ob enormitatem insignis maleficii. Si lenius egisset, irrisus forsan fuisset, nunc seriò agens percellit omnes metu; &, ne quis ausit resistere, facit. Imò vide & hìc *digitum Dei*. Omnes cedunt, nullus vi repellit vim. Ab uno homine, cui in manibus teneris parvum robur, patiuntur se expelli, nullus hiscere audet. Etiam è Scriptura illos confundit & reos agit, γέγραπται inquit, ubi? Es. 56:7. & Jerem. 7:10. ad quem postremum locum verbum unum notetur. *Numquid spelunca latronum* המערת פריצים *exstitit domus hac in oculis vestris? Spelunca latronum* est latibulum & ὁρμητήριον, in quod se recipiunt & occultant latrones, unde irrumpunt in viatores. Judæi *latrones*, animas interficientes, odio habentes fratres & proximos suos, irridentes & persequentes fideles, quorum nonnullos interfecerant μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ θυσιαστηρίου, Matt. 23: ꝟ. 35. *domum Dei* instar *speluncæ* habuerunt, in quam se reciperent, ad quam accederent, ubi per sanguines victimarum Dei iram expiarent, ut cæsa victima tuti quasi essent ab illius manu & supplicio. Hujus dicti auctoritate hìc nunc etiam damnat Dominus mercaturam, fraudes, quæstum in templo exercentes, & proximos, argento ac facultatibus, quæ vita quasi hominum sunt, emungentes.

Execratur ficum folia, non fructus habentem.

§. 244. Matt. 21:18. 19. & Marc. 11:13. 14. narratur, quod Jesus *esurivit*, vidensque *ficum* μακρόθεν *eminus, habentem folia, accessit ad illam,* εἰ ἄρα εὑρήσει τι ἐν αὐτῇ, *si nempe inveniret quid in illa, quodque nil in illa inveniens nisi folia, dixerit,* μηκέτι ἐκ σοῦ καρπὸς γένηται εἰς τὸν αἰῶνα, seu ut Marcus habet μηκέτι ἐκ σοῦ οὐδεὶς καρπὸν φάγοι. *Ita exaruit ficus,* notanter autem addit Marcus, οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων, *non enim erat tempus ficuum. Quid meruerat misera illa ficus, ut eam extra tempus non ferentem fructum execraretur,* inquit recutitus quidam. Respondeo. Solent ficus, quum foliis abundant, fructum aliquem habere. Plinio teste, *fico serius folium nascitur, quàm pomum.* Id & è Sermone Marci colligere est. *Videns ficum habentem folia, venit, si forsan aliquid in illa inveniret,* nimirum cum folia ostentaret ficus, probabile erat, aliquem in illa fructum esse, quia ita nonnunquam solent ficus; ideò accessit, ut videret, an fructum haberet; quem, licet nondum ordinarium ficuum tempus esset, speciosè pollicebatur. Produnt scriptores esse ficus biferas, manere in illis seros fructus per hiemen, qui æstate, inter novas frondes & folia maturescunt. *Ficus & præcoces habet, quas Athenis prodromos vocant.* Plinius. Cum itaque hæc ficus luxuriem quandam ostenderet foliorum & frondium; & intempestivam quandam fœcunditatem promitteret, adiri potuit, & ficus in illa quæri. Quæris, an non scivit Christus, qui omnia scit, nondum fructum hac in arbore fuisse. Resp. Qui omnia scit secundùm divinitatem, id nescire potuit secundùm humanitatem, cujus non dedignatus est etiam suscipere infirmitatem.

tatem. Hoc humanitas ipsius scire potuit, quod divinitas revelavit, aut experientia illam docuit. Sunt qui putant, non nescivisse Christum, arborem fructu adhuc destitutam; accessisse illam studio dato, ut loqui posset, quæ hac occasione locutus est. Idem dicunt de illius *esurie*, ac si *famem* simularit, ut ita adeundi arborem occasionem haberet. Sed cur simulasset famem, cui liberum erat arborem adire, nec ulla ratione ad simulandum cogebatur? Ficus hæc jactuosa seu jactabunda maledicitur: non maledixit Dominus, iracundiæ fervore raptus, nulla excanduit irâ, qui in ficum dixit & pronunciavit tam dura. Sed maledixit, aliud ut indicaret. Fames illius fuit vera, maledictio ficus fuit symbolica, non tam ficui maledixit; quam populo Judaico, instar ficus hujus habenti, imminentem maledictionem prædixit. Exhibuit ficus hæc typum Judaici populi. Arbor habebat *folia*. Populus hic habebat speciem populi Dei, fœdus jactabat & promissiones. Ficus carebat *fructu*. Etiam populus fructus nullos tulit justitiæ. *Exspectavit* Deus in vinea sua *uvas*, *& tulit labruscas*. Es. 5:4. Ficus *maledicta* est. Populus sub peccatum conclusus & maledictionem. Ita non tam ficum, quam populum tangit, quod dixit Dominus. Interea misera ficus maledicta fructuum expers mansit. Id nos doceat, creaturam vanitati nostri causâ subjectam nobiscum luere, nobiscum suspirare. Potuit tamen secundùm hominem maledici; quæ illudebat oculis, & frondosa, ut erat, mentiebatur. Tantùm absit, ut blasphememus, dicentes Dominum fuisse hominem φάγον; qui, quod appetitus illius illuderetur, in arborem innoxiam severè excanduit, & non vulgarem in illam effudit iram.

§. 245. Joh. 2:3.4. Mater, cum vinum deficeret in nuptiis in *Cana*, sollicita ad illum accedit, dicens, *vinum non habent*. *Dixit illi Jesus*. Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ, γύναι; οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου. Ita acriter in illam invehitur, nec *matrem* illam appellare dignatus. Sensum primo videamus, dein pro Christo apologiam dicamus, οἶνον οὐκ ἔχουσι inquit Maria. Videtur esse vox anxiæ συμπαθείας. Id illi vehementer dolet, solvendas nuptias, mittendos hospites, abrumpendam hilaritatem ob defectum vini. Filium convenit suum, cujus in sinum putavit licere sibi effundere desideria. Num autem accessit, ut à Filio defectus hujus medelam peteret? quasi dicat; vinum non habent, fac, quæso, ut habeant, potes id facere. Certè è responsione, *nondum venit hora*, apparet illam aliquid petivisse, Filius ut faceret. Neque tamen id petiit, ut δόξαν *gloriam* quandam captaret; aut ac si inanis ostentationis auram ambiret; tantam se esse, quæ per Filium tanta posset. Id enim cum sancta illius haut convenit modestia. Egerit indecenter, quæ objurgata est decenter, non tamen culpanda est ita graviter, nec peccavit ita enormiter, nec lapsa est tam turpiter. Igitur venit, vel ut querula, Filio sua communicans desideria; vel ut implorans opem filii, & apud illum pro hospitibus intercedens. Respondet filius, τί ἐμοὶ καὶ σοὶ. *Quid tibi & mihi*, non est sensus, quid tibi & mihi vinum curæ est, nec tu illo eges, nec ego, quid ergo propterea me convenis. Nam dum dicit, *nondum venit hora mea*, ostendit, vinum non esse extra horam aut curam suam. Ergo sensus est. *Quid mihi & tibi*, nil negocii tecum habeo, desine me alloqui, mitte me. confer Matt. 8:29. Marc. 1:24. *Mulier*, inquit, non *mater*. Ita & de *cruce* illi dixit, γύναι Joh. 19:26. Est nomen non usque adeo dulce, ut nomen *Matris*, neque tamen etiam acerbum adeo aut durum. Cum *Samaritana* comiter agebat, cui non aliud nomen dabat. Joh. 4:21. ut nec *Chananææ*, ὦ γύναι, μεγάλη σου ἡ πίστις. Matt. 15: vers. 28. Dum Mariam dicit *mulierem*, redigit illam in ordinem mulierum, ostendit, licere sibi dicere illam *mulierem*, jure Domini; qui non erubuit *Matrem* illam accipere titulo *pueri*. Imò se non teneri illi magis in exercendis muniis, quàm cuilibet alii mulieri. *Nondum venit hora mea*. Id quidam interrogativè capiunt. An nondum hora adest, quâ liber

In matrem acrius invehitur de defectu vini in Cana sollicitam.

vivam

vivam à tuis præceptis, & meo agam consilio? Sed & possunt simpliciter accipi & affirmativè. *Hora mea nondum venit*, necdum opportunum est ut agam, & gloriam meam manifestem. Paulo momento *hora* illa adfuit, tamen matri illam necdum venisse respondet, docens, aliam esse *horam*, sibi placentem; aliam à matre petitam. Non negat, se nil acturum, tantùm, se necdum acturum. Ideò & mater non amplius insistit, quia verbum hoc reverenter accepit, Τί ἐμοὶ καὶ σοί, nec omnem spem deponit, quinimo novam concipit. Ideò & *ministris* dicit, ὅ, τι ἂν λέγῃ ὑμῖν ποιήσατε. Joh. 2:5. ἡ ὥρα μου. ut Pater *tempora in propria posuit potestate*, Actor. 1:7. ita & Filius, scit, quando commodè & salutariter agere ac operari possit, & id omne liberè, quando vult, agit. Joh. 7:6. dicit *fratribus* suis, ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πάρεστιν, ut me *mundo manifestem*. vers. 3.4. Ita & hic. *Hora mea nondum venit*, ut defectum vini auferam, ut vim meam exseram, ut *gloriam meam manifestem*. *Mea* inquit; ita vendicat sibi arbitrium & agendi libertatem. Alia est *hora*, de qua Joh. 7:30. *nondum venerat* ἡ ὥρα αὐτοῦ. confer Joh. 8:20. 12:27. *hora* nimirum traditionis & passionis. Hic est *hora* manifestationis gloriæ, & patrationis mirabilium. Ita expositis verbis, videamus an decenter ita Christus responderit matri. Videtur potuisse humanius agere, & dicenti, *non habent vinum*, respondere, *faciam*, ut habeant. Quanto humanius Salomoh *Batseba, pete mater mea*, כִּי לֹא אֶת־אָשִׁיב פָּנָיִךְ *nam non repellam faciem tuam*, licet & ipsa tunc, quod petebat non obtinuit. 1 Reg. 2:20.21.22.23. Imò & Christus aliis opem ipsius implorantibus respondit. *Hecatontarcho, ego veniam, ut credidisti, fiat tibi*. Matt. 8: vers. 7.13. *Cacis*. Matt. 9: vers. 28.29. Sed aliud hic est. Mater fines suos excesserat, intempestivè petendo filii gloriæ detraxerat, maturam nimis sollicitudinem ostenderat. Noluit ex illius præscripto edere miraculum Dominus. Voluit publicè testari, Mariam carnis suæ genitricem, non esse sibi agendorum & faciendorum dictatricem. Liberum se esse in agendo, non dependere à matris arbitrio. Ita *perpetuam ac communem seculis omnibus doctrinam tradidit, ne immodicus Matris honor divinam suam gloriam obscuret*, ut benè Calvinus, adeoque, ut idem monet, *Christus non tam Mariæ, quam aliorum causâ sic loquutus est*. Frustra intercessio Mariæ imploratur, quæ ipsa intercedens repulsam patitur. Imò Christus, *Spiritu suo* pernoscens, homines è matre sua Deam facturos, & mentitis laudibus deformaturos, etiam aliàs ostendit, quam matris suæ rationem habeat. Matt. 12:47. dicebat quidam, *ecce Mater tua extus stat*. Respondit. τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου vers. 48. *Qui fecerit voluntatem Patris mei*, αὐτός μου μήτηρ ἐστί vers. 50. Matri, dum *puer* fuit, servavit obedientiam. Luc. 2:51. Cum *vir* evasit, habuit illam sociam. Joh. 2:12. Imò & in cruce pendens non deposuit illius curam. Joh. 19:26.27. Sed nunquam *Dominam* illam fecit; aut dignitatem humana majorem illi concessit, quamvis illius esset filius, haut tamen desiit illius esse Dominus, ideò & hic durius à se repulit, Domini usus auctoritate; non filii functus humilitate.

Fratribus dicit, non ascendo in festum, & paulò post ascendit.

§. 246. Joh. 7:3. Rogatur Jesus à *fratribus*, hoc est, agnatis suis, *I in Iudæam, ut & discipuli tui videant opera tua*. Id cum dicerent, imminebat festum σκηνοπηγίας. Respondet Jesus. *Ascendite vos in festum hoc*, ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω. *Et hac dicens, mansit in Galilea*. vers. 9. Deinde, *cum fratres illius ascendissent*, τότε καὶ αὐτὸς ἀνέβη vers. 10. Numquid decens fuit dicere, *ego nondum ascendo*, cum tamen paulo post ascenderit? Sed numquid nobis licet esse exactoribus & censoribus omnium operum Jesu? Non negavit se *ascendere*, sed οὔπω *nondum* ascendere, noluit cum *fratribus*, qui οὐδὲ ἐπίστευον εἰς αὐτὸν vers. 5. ascendere: & cur noluerit, rationes habuit sine dubio graves; quamvis nobis non expositas. Etiam forsan *fratres* ascenderunt Hierosolymam πρὸ τῆς ἑορτῆς, qui mos

erat

erat illorum, qui se volebant ἁγνίζειν. Joh. 11: 55. Christus duxit satis, ut ascenderet circa id tempus, in quod incidebat festum.

§. 247. Joh. 8: 3. Ducunt Pharisæi ad illum γυναῖκα ἐν μοιχείᾳ κατειλημμένην, rogant, quid de illa statuat. vers. 5. Id autem faciebant πειράζοντες αὐτόν. vers. 6. Jesus κάτω κύψας *deorsum obtutum figens, digito scripsit in terram*, vers. 6. cumque *perstarent rogantes*, ἀνακύψας, *sursum aspexit & respondit*, tuncque πάλιν κάτω κύψας *rursum conjectis in terram oculis, scripsit in terram*, idque tam diu, donec abiissent omnes. vers. 9. 10. Indecorus videtur gestus; & ad quid scriptio illa? *Hoc gestu eorum contemtum præ se tulit*, inquit Calvinus, Quid scripserit, multi inquirunt. Augustinus putavit, notatum fuisse hoc modo Legis & Euangelii discrimen; quia non scriberet Christus in tabulis lapideis, sed in homine, qui pulvis & terra est. Id Calvinus *argutiam* vocat. Censet, Christum agendo rem nihili ostendere voluisse, quàm Pharisæi tentatores audientia indigni essent; quemadmodum si quis alio loquente digito suo lineas in pariete ducat, vel tergum obvertat, vel alio signo demonstret, ad id quod dicitur se minimè attendere. Scripsit Dominus digito in terram, ac si aliquid ostenderet, vel sententiam memorabilem, observatione dignam, depingeret; quam vellet legi ab accusatoribus, & vicem responsi tenere. Archimedes Syracusanus, *unicus ille spectator cæli & siderum, mirabilium inventor ac machinator bellicorum tormentorum*, quum necaretur, dicitur in pulvere lineas duxisse. Ita scribendo in terram & deorsum videndo dedit Servator tentatoribus suis occasionem, accepta responsione, qua in pudorem & confusionem acti erant, tanquam se non vidente aut observante discedendi.

Rogatus de adultera, scribit in terram.

§. 248. Joh. 13: 4. Jesus, positis *vestibus, sumto linteo, infusa aqua, cœpit lavare discipulorum pedes & abstergere*; Petroque renuente, κύριε, σύ μου νίπτεις τοὺς πόδας, respondit, *Quod ego facio, tu nunc non nosti, nosces autem postea*; eoque adhuc renuente, rursum dixit, *Nisi lavero te, non habes partem mecum*. vers. 7. 8. Quorsum tanta humilitas? quæ hujus ritus significatio? qualis illa tam gravis interminatio? Resp. Hæc humilitas ostendit veram Christi ταπείνωσιν καὶ κένωσιν. Etiam opera servi facere non erubuit. Qui omnium erat Dominus, exhibuit se omnium servum. Ita dedit ὑπόδειγμα Apostolis & sanctis, ut *quemadmodum ille fecit illis, ita & illi faciant* vers. 15. hoc est, ut omni humilitati studeant, & omnibus officiis, etiam quæ servorum sunt, unus alterum juvet; & nil renuant facere, quod in salutem vergat proximi. ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας vers. 14. Ipsa *lotio* notavit veram & spiritualem lotionem: cujus umbræ fuerunt legales olim lotiones; quæque consistit in justificatione peccatoris & sanctificatione. Justificatus & sanctificatus est verè lotus 1 Cor. 6: 11. ἀπελούσασθε, ἡγιάσθητε, ἐδικαιώθητε. Hæc lotio *pedes* attingit. Totus enim homo in sanguine Christi justificatur & sanctificatur. Petrus noluit lavari; indignum se existimans. Et certè si indignitatem nostram metiamur, nemo lavari meretur. Sed quia indigni sumus & impuri, ideò maximè convenit, ut lavemur; ideò petendum, *multiplica lava me* Psalm. 51. Puri non egent lotione, ut nec sani medico. Renuenti Petro, *quod facio*, inquit, *cognosces post hæc*. Nam paulò post explicavit Dominus, cur eousque se humiliarit, & munia mancipii suscipere sustinuerit, vers. 12 – 16. Imò & postmodum melius didicit Petrus, quænam sit vera lotio, cujus in externa hac fuit adumbratio; ut cum docuit Sanctos *electos* εἰς ῥαντισμὸν *in aspersionem* seu lotionem. 1 Petr. 1: vers. 1. 2. Cumque adhuc negaret Dominus graviter locutus, *Ni lavero te*, dixit, *non habes partem mecum*: docens, eos qui renuunt a Christo accipere symbolum humilitatis, & veræ ac spiritualis lotionis, illos cum Christo communionem

Lavat discipulorum pedes.

nionem non habere. Aut etiam ab externa lotione, ad internam, per externam significatam, transit, quasi dicat, tu non vis à me lavari aquâ, nec cogitas me majus tibi beneficium obsignare externo hoc actu. Scito, nisi lavero te & à peccatis purgavero, meus non es. Et hæc ac plura docet hic actus Christi eximius, qui non irridendus, sed profunda veneratione, & in spiritu ac veritate imitandus est, ut superbia exstinguatur, & sanctè humilitas accrescat.

Angeli ascendentes & descendentes super filium hominis. §. 249. Transeamus nunc ad illa, quæ Christo gloriosa, & ostendentia τὴν ἐκείνου μεγαλειότητα. 2 Petr. 1: 17. in terra evenerunt. Hæc talia sunt, qualia nulli unquam hominum facta sunt. Quid magis gloriosum, quàm quod dixit Natanaëli; *à nunc videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.* Joh. 1: 52. Filius Dei & Hominis toto vitæ suæ in terris tempore cœlum habuit ad usum suum quasi apertum, & Angelos indivulsos comites, fidos socios, perpetuos ministros. Jacobus somnians viderat *scalam, positam in terra, & pertingentem in cœlum usque.* Genes. 28: ℣. 12. Scala hæc Christus est; positus in terra, quà homo natus; pertingens in cælum, quâ filius genitus. In hac *scala* vidit Jacob *Angelos* Dei *ascendentes & descendetes.* Veritas est in Christo, spirituali scala. *Ascenderunt Angeli super* filium hominis; ejus quasi desideria in cælum deferentes, *descenderunt*, quum quasi è cælo nuncia cœlestia ad illum retulerunt. Cum tentatus esset à Satana, descenderunt Angeli. Matt. 4: 11. In *Agone* descendit Angelus *à cælo* ἐνισχύων αὐτόν. Luc. 22: 43. Quando iidem hi Angeli redierunt in *cælum*, *domicilium* ipsorum, id fuit ascendere super filium hominis. Insignis tamen hæc gloria, filio hominis collata, carni non fuit perspicua, nec humanis perceptibilis sensibus. Sensit Christus Angelorum opem, servitia, assistentiam. Oculus autem alienus id non vidit. Atqui dicit Natanaëli, ὄψεσθε *videbitis?* non de visu loquitur oculorum, sed mentis. Discipuli perpetui comites Christi de eo non potuerunt non esse certissimi.

Transformatur in monte. §. 250. Imò & huc maximè pertinet, quod assumtis *Petro, Iacobo, Ioanne* (quos tres etiam habuit comites in aliis casibus extraordinariis. Marc. 5: 37. Matt. 26: 37. Marc. 14: vers. 33. *ascendit in montem quendam sublimem*, ubi *accepit a Deo Patre* τιμὴν καὶ δόξαν; & tres hi discipuli ἐπόπται γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος. 2 Petr. 1: 16. 17. *Montem* illum vocat Petrus *sanctum* ἐν τῷ ὄρει τῷ ἁγίῳ 2 Petr. 1: 18. Omnis locus, ubi gloria Dei apparet, sanctus est. Locus, ubi Mosi apparebat in rubo, etiam vocatur אַדְמַת קֹדֶשׁ Exod. 3: 5. *Nomen* montis tacetur, vulgo putatur fuisse *Thabor*, de quo Psalm. 89: 13. *Tabor & Chermon in nomine tuo jubilant.* confer Hos. 5: 1. Hieronymus ad Marcellam. *Pergemus ad Tabyrium, & tabernacula Servatoris cernemus.* LXX. dicunt ἰταβύριον. Hos. 5: ℣. 1. Hieron. *Est autem Thabor mons in Galilæa situs in campestribus, rotundus, atque sublimis, & ex omni parte finitur æqualiter.* Non opus est inquirere, cur in montem, non in vallem secesserit Dominus. Matthæus dicit, factum hoc μεθ' ἡμέρας ἕξ Matt. 17: 1. Marc. 9: 2. nimirum post confessionem Petri, *tu es Filius*, &c. & lapsum ejus, & vehementem redargutionem, *abi Satan*, & sermonem Christi de *adventu ipsius in gloria Patris sui*, lege Matt. 16: 16--28. Marc. 8: 29--38. 9: 1. Lucas, ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτώ & cap. 9: 28. *dies circiter octo*, parva discrepantia. Matthæus & Marcus numerum definitè ponunt. Lucas indefinitè. Quid Christus, ubi in montem venit, egerit, solus refert Lucas, *ascendit in montem* προσεύξασθαι *orare.* Imò eum in finem illuc ascendit. Ita & alias fecit alibi. Matt. 14: 23. Marc. 1: 35. 6: 46. Scivit indubiè, quæ ipsi in monte eventura erant, nam ut ejus *gloriæ* essent ἐπόπται *oculati testes*, ideo tres secum discipulos sumsit. Voluit autem fundere orationem, antequam illa evenirent. Ἐν τῷ προσεύχεσθαι (Luc. 9: 29.) μετεμορφώθη *transformatus*

est

est Marc. 9: 2. Matt. 17: 2. aliam μορφὴν *formam* accepit. Pro μορφῇ δούλου μορφὴν δεδοξασμένην. Paulus monet Rom. 12: 2. μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν. Sed hæc est interna transformatio. 2 Cor. 3: 18. *Nos omnes gloriam Dei intuentes,* τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν. Metamorphosis hæc Christi tetigit 1. Faciem. 2. Vestimenta. 1. *Faciem,* καὶ ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος Matt. 17: 2. ἐγένετο τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον. Luc. 9: 29. *Species* seu aspectus *faciei* Christi *exstitit alius, fulsit*; non ut *cutis faciei Mosis,* קָרַן עוֹר פָּנָיו: quapropter debuit *dare* עַל פָּנָיו מַסְוֶה *velum super faciem,* Exod. 34: 29 -- 35. confer 2 Cor. 3: 7. 13. sed multo magis, ut *Sol,* magnum illud luminare diei. Certè si *minister mortis* tantùm fulsit; quidni magis fulserit *Dominus vitæ*? Mosen nemo poterat intueri. Id de Christo non legitur. Mira certè res. Faciem tanto fulgore coruscare posse. Etiam *justis* promissum est, ἐκλάμψουσιν ὡς ὁ ἥλιος. Matt. 13: 43. confer Dan. 12: 3. Mosis facies fulgorem tenuit diutius. Vocat tamen *gloriam* illam Paulus τὴν καταργουμένην. 2 Cor. 3: 7. 13. Christi deposuit, ubi de monte descendit. Ille fulgor *faciei* fuit præambulum fulgoris, quem accepit evectus in cœlum, & tenet in æternum. 2. *Vestimenta. Vestes autem ejus exstiterunt albæ ut Lux,* Matt. 17: ℣. 2. Καὶ τὰ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο στίλβοντα, λευκὰ λίαν ὡς χιών, οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι. Marc. 9: 3. καὶ ὁ ἱματισμὸς αὐτοῦ λευκὸς ἐξαστράπτων. Luc. 9: 29. Sanctis promittitur, περιπατήσουσι μετ' ἐμοῦ ἐν λευκοῖς Apocal. 3: 4. ὁ νικῶν, οὗτος περιβαλεῖται ἐν ἱματίοις λευκοῖς vers. 5. confer vers. 18. 4: 4. 6. 11. ἐδόθησαν αὐτοῖς στολαὶ λευκαί. 7: 9. 13. Apoc. 1: 14. vidit Joannes *filium hominis,* cujus τρίχες λευκαὶ ὡσεὶ ἔριον λευκόν, ὡς χιών. Hæc in Christo *albedo* notavit perfectam illius puritatem, & sanctitatem; est sine nævo, macula, rubedine. *Si rubeant peccata vestra, albescent ut nix.* Esai. 1. Omnia hæc facta sunt videntibus discipulis, μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν. Matt. cap. 17: vers. 2. Marc. cap. 9: vers. 2.

§. 251. In tali forma & splendore cum esset, *apparuerunt duo viri,* & ipsi ὀφθέντες ἐν δόξῃ *visi in gloria, & collocuti sunt cum Christo, Moses & Elias.* Luc. 9: 30. καὶ ἰδοὺ ἄνδρες δύο συνελάλουν αὐτῷ, οἵτινες ἦσαν Μωσῆς καὶ Ἠλίας, οἱ ὀφθέντες ἐν δόξῃ confer Matt. 17: vers. 3. Marc. 9: 3. Duo *viri*. Ergo in forma humana. *Moses & Elias,* quorum prior mortuus est & sepultus. Deut. 34: 9. Alter vivus in cœlum subvectus. 2 Reg. 2: 1. 16. 17. Potuit Elias in corpore apparere, qui è corpore non exiverat, quomodo autem Moses, qui moriens corpus deposuerat? Aut organum assumsit corporis, quod post hanc apparitionem rursum deposuit. Aut corpus etiam ipsius à Deo excitatum est è mortuis. Visi sunt ἐν δόξῃ, *gloria,* qua fruuntur in cœlis, comitata illos est. *Collocuti sunt,* humanâ voce, quid autem? id solus Lucas refert, ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ ἣν ἔμελλε πληροῦν *dixerunt exitum illius, quem futurus erat implere in Ierusalem.* Luc. 9: 32. *Mors* intelligitur, quam gustaturus erat; quam paulo ante prænunciaverat. Matt. 16: 21. Ita & Petrus *mortem* suam vocat 2 Petr. 1: 15. μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον. Israelitarum iter ex Ægypto vocatur ἔξοδος. Hebr. 11: 22. Quid aliud mors est? *exitus* è corpore mortis; imò & e mundo, spirituali Sodomâ & Ægypto. Ita & dicitur ἀνάλυσις Phil. 1: 23. 1 Tim. 4: vers. 6. ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματος. 2 Petr. 1: 14. Quid de illo exitu dixerint, non est scriptum. Forsan laudarunt illius *necessitatem,* pro salute generis humani; *efficaciam,* ad conciliandum Deum, placandum legem, conterendum Diabolum, mortem; *utilitatem,* ad acquirendum Ecclesiam, purgandum populum, consummandum omnia. Forsan & *gravitatem* illius ruminati sunt, & gratias egerunt, quod cum nullus par esset ad ferendum illam, ille id in se susceperit, è mero amore, & incredibili zelo domus Dei. Forsan & tali voce usi sunt, qualis personat in cælis, Ἄξιόν

ἐστι.

ἐστιν τὸ ἀρνίον &c. λαβεῖν τὴν δύναμιν, &c. Apoc. 5: 11. 12. confer vers. 9. ἐσφάγης καὶ ἠγόρασας ἡμᾶς τῷ θεῷ. Discipuli viderunt *duos* hosce *viros*; εἶδον τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ τοὺς δύο ἄνδρας τοὺς συνεστῶτας αὐτῷ. Luc. 9: 32. Matt. 17: 3. ὤφθησαν αὐτοῖς. Tamen *sermones* illorum non videntur audivisse, nam ut est apud Lucam vers. 32. *Petrus & qui cum illo erant gravati somno.* Ergo dormiverunt, aut nictarunt, durante hoc colloquio. Illo absoluto διαγρηγορήσαντες *evigilantes* viderunt, Petrus 2. ep. 1: 18. dicit ipsos *audivisse vocem cœlitus delatam*; nil autem præterea.

§. 252. Aspectus gloriæ adeò jucundus fuit *Petro*, ut diceret, κύριε, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι. *Si vis, faciamus hic* τρεῖς σκηνὰς, &c. Matt. 17: 4. Marc. 9: 5. Notat Lucas. μὴ εἰδὼς, ὃ λέγει. vers. 33. confer Marc. 9: 6. οὐ γὰρ ᾔδει τί λαλήσῃ, ἦσαν γὰρ ἔκφοβοι. Volubilis hæc lingua sine intellectu & sensu verba protulit. Idem Lucas narrat, Petrum hæc dixisse, ἐν τῷ διαχωρίζεσθαι αὐτοὺς ἀπ' αὐτοῦ. vers. 33. Quomodo venerint, ut & quomodo abierint, scriptum non est. Imprudentem hunc sermonem *nubes* cœlestis & *vox* intercepit. ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος. Matt. 17: 5. Luc. 9: 34. *Nubes lucida illos obumbravit* Matt. 17: 5. Marc. 9: 7. Imò totos illos circumdedit & cinxit. *Timuerunt verò* ἐν τῷ ἐκείνους εἰσελθεῖν εἰς τὴν νεφέλην. Luc. 9: 34. Ex illa nube vox exiit. *Hic est Filius meus*, &c. Hæc vox illius fuit Personæ, quæ genuit Filium, hoc est, Patris, qualis etiam apud baptismum audita erat. Hanc *nubem* vocat Petrus 2. ep. 1: 17. τὴν μεγαλοπρεπῆ δόξαν *magnificam gloriam.* Vox cœlestis valdè perculit discipulos; *ceciderunt in faciem, & timuerunt valdè.* Matt. 17: 6. Lapsos tetigit Jesus manu, & surgere jussit, ac *non timere.* Matt. 17: 7. Illi sublatis oculis, *neminem viderunt*, nisi Jesum solum. Matt. 17: 8. Ergo cùm διεχωρίσθησαν Elias & Moses, nec id illi observarunt. confer Luc. 9: 36. Sic finita visione descendunt rursum de monte: ubi an unum, aut plures dies transegerint, non est proditum memoriæ. Jussit autem Dominus, ne cuiquam τὸ ὅραμα dicerent, ἕως οὗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ. Matt. 17: 9. Marc. 9: 9. Id quod & fecerunt. Luc. 9: 36. καὶ αὐτοὶ ἐσίγησαν, καὶ οὐδενὶ ἀπήγγειλαν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐδὲν ὧν ἑωράκασιν.

§. 253. Voluit Deus Filium coram discipulis ita transformari, ut illi de divinitate & excellentia illius certi magis magisque fierent, ut glorias paratas filio eminus specularentur; ut de vita & immortalitate Sanctorum certiorarentur; ut discerent superna quærere. Voluit Filium ita honorare, ut & paratior campum subiret & certamen imminens: ut spe paratæ gloriæ magnitudinem perferendæ superaret ignominiæ; ut de amore Patris nil dubitaret, licet nunc tradendus in mortem maledictæ crucis esset; ut denique sciret sanctos & glorificatos in cœlo mortem suam meditari, exitum contemplari, ascensionem præstolari, & in illo omnem beatitudinem collocare.

Vox lata è cælo. §. 254. Nec hoc gloriæ testimonium prætereundum, quod propè ante passionem Domini, cùm dixisset, *Pater serva me ex hac hora*, item, *Pater, glorifica nomen tuum, venit vox è cælo*, καὶ ἐδόξασα καὶ πάλιν δοξάσω *& glorificavi, & rursum glorificabo.* Hanc vocem *circumstans turba audivit*; dixitque, βροντὴν γεγονέναι. Alii verò, *Angelus illi locutus est.* Joh. 12: versf. 27. 28. 29. Ita tribus vicibus vox è cœlo lata Christo est, apud baptismum; in monte Tabor, & nunc proximè ante martyrium. Petit Filius, *glorificari nomen Patris*; alibi, ut ipse glorificetur Joh. cap. 17: vers. 1. *Pater venit hora*, δόξασόν σου τὸν υἱὸν, ἵνα καὶ ὁ υἱὸς δοξάσῃ σε & vers. 5. δόξασόν με παρὰ σεαυτῷ, &c. In *Filio* glorificatur *Pater.* Joh. 13: vers. 31. νῦν ἐδοξάσθη *Filius hominis*, καὶ ὁ θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ. Joh. 14: vers. 13. ἵνα δοξασθῇ ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ. In *Patre* Filius Joh. 13: 32. εἰ ὁ θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ καὶ ὁ θεὸς δοξάσει αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ, καὶ εὐθὺς δοξάσει αὐτόν. In terra

glo-

glorificavit Filius Patrem Joh. 17:4. *Ego te* ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς. Glorificatio Filii habet gradus & vices. In *miraculis* glorificatus est, Joh. 11:4. *ut glorificetur Filius Dei per illam*, Lazari infirmitatem. confer Joh. 2:11. In *passione* Joh. 12:23. *Venit hora*, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Joh. 13:31. Cum *exivit Judas, accepto* ψωμίῳ, dixit Jesus, νῦν ἐδοξάσθη *filius hominis*. Per *resurrectionem, effusionem Spiritus*, & collatam τιμὴν glorificatus est, Act. 3:vers. 13. *glorificavit* Deus *puerum suum Jesum, quem vos tradidistis & abnegastis*. Joh. 9:39. *Nondum erat Spiritus S.* ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη. Joh. 12:16. ὅτε ἐδοξάσθη ὁ Ἰησοῦς, *tunc recordati sunt*, &c. Joh. 16:14. ἐκεῖνος, Spiritus veritatis ἐμὲ δοξάσει. De omnibus his glorificationibus loquitur vox, καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω. De voce porro illa ita Dominus, οὐ δι' ἐμὲ αὕτη ἡ φωνὴ γέγονεν, ἀλλὰ δι' ὑμᾶς. Joh. 12:30. Hanc autem *glorificationem nominis* Patris docet consistere, in κρίσει τοῦ κόσμου τούτου; in *ejectione Principis hujus mundi*; (confer Luc. 10:18. *Vidi Satanam, ut fulgur è cœlo cadentem*) in *exaltatione Filii hominis è terra*, in ἑλκύσει πάντων πρὸς ἑαυτόν. Ioh. 12:31.32.33.

§. 255. Paucis ante martyrium diebus publicè & solemniter intravit in Hierosolymam, asino vectus, quæ res ab omnibus quatuor Euangelistis unanimiter descripta est. In qua actione meretur considerari 1. Quod, cum non haberet jumentum, mittit aliunde petitum; & inde quidem, ubi illo die non fuerat, noverat, quæ procul à se erant. Imò præcisè dicit, *invenietis asinam ligatam & pullum cum illa*. Matt. 21:℣. 2. 2. Quod *verbo uno* Dominum asinæ cogit in obsequium, ὁ κύριος αὐτῶν χρείαν ἔχει, imò obedientiam hominis perspectam habebat, εὐθέως δὲ ἀποστελεῖ αὐτούς. Matt. 22:3. Marc. 11:5.6. Luc. 19:℣. 33.34. 3. Quod conscenso jumento à populo tanto applausu exceptus est, quidam *straverunt vestimenta in via, alii ramos*. Matt. 21:8. τὰ βαΐα τῶν φοινίκων *frondes palmarum*, Joh. 12: vers. 13. Erat autem ὄχλος πολύς, qui ἐξῆλθεν εἰς ὑπάντησιν αὐτῷ. Ioh. 12:12.13. Cum *Commodus* Imperator Romam veniret, Romani obviam iverunt illi πόῤῥω τῆς πόλεως, δαφνηφόροι τε καὶ πάντα ἐπιφερόμενοι ἄνθη τότε ἀκμάζοντα. Herodianus lib. 1. §. 17. 4. Quòd lætis acclamationibus in urbem introductus est, *Hosanna, filio David*, &c. 5. Quod ita publicè, nil veritus hostium potentiam, intravit in Ierusalem, quæ tota ἐσείσθη *commota est*. Matt. 21: vers. 10. 11. 6. Quòd tanti visa hæc res, ut dudum in Prophetiis fuerit prædicta. Matt. 21:4. τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, *ut impleretur dictum per prophetam*, &c. 7. Terminus, unde venit, fuit *Bethphage* & Βηθανία *ad montem olearum* sita Matt. 21:1. Marc. 9:1. κώμη μαρίας καὶ μάρθας, *propè Ierusalem*, ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε. Ioh. 11:1.11. *Mons* autem dictus τῶν ἐλαιῶν, seu ἐλαιῶνος, *oliveti* Act. 1:12. erat *prope Ierusalem*, σαββάτου ἔχον ὁδὸν Act. 1:12. confer Zach. 14:4. הַר הַזֵּיתִים אֲשֶׁר עַל פְּנֵי יְרוּשָׁלִַם: Dicitur etiam הַר הַמִּשְׁחָה *Mons unctionis*, quia oleo utebantur ad ungendum. Et mons *olearum*, quia in illo copia illarum.

§. 256. Occurrit hic differentia quædam in narratione Euangelistarum. 1. Matthæus meminit ὄνου καὶ πώλου μετ' αὐτῆς. vers. 2. *adduxerunt* τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον, καὶ ἐπεκάθισαν ἐπάνω αὐτῶν vers. 7. Ita & Zach. 9:℣. 9. *Equitat* עַל חֲמוֹר וְעַל עַיִר בֶּן-אֲתֹנוֹת: Marcus meminit tantùm πώλου 11:2. *invenietis pullum alligatum*, ἐφ' ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε. vers. 4. εὗρον τὸν πῶλον. ℣. 7. καὶ ἤγαγον τὸν πῶλον, καὶ ἐκάθισεν ἐπ' αὐτῷ. Ita & Luc. 19.30.35. Et Ioh. 12:14. 2. Differunt in formula εὐφημίας seu *acclamationis*. Matthæus vers. 9 ὡσαννὰ *filio David benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in altissimis*. Marcus cap. 11: vers. 9: 10. *Hosanna benedictus qui venit in nomine Domini*, Εὐλογημένη ἡ ἐρχομένη βασιλεία ἐν ὀνόματι κυρίου, τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαβὶδ *Hosanna in altissimis*. Luc. 9:38. *Benedictus* ὁ ἐρχόμενος βασιλεὺς ἐν ὀνόματι κυρίου, εἰρήνη ἐν οὐρανῷ, καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις. Io. 12:13.

Solemnis introitus in Ierusalem in asino.

Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ. Lucas in specie addit, quòd, cùm appropinquarent πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους τῶν Ἐλαιῶν, cœperit ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν αἰνεῖν τὸν θεὸν *magna voce* περὶ πασῶν ὧν εἶδον δυνάμεων. vers. 37. 3. Testimonium Zachariæ omisit Marcus, etiam Lucas. Aliter autem id citat *Matthæus: dicite Filiæ Zion. Ecce Rex tuus venit tibi* πρᾳῢς *mansuetus*, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον, καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου. Aliter *Iohannes*, μὴ φοβοῦ θύγατερ Σιών, *ecce Rex tuus venit* καθήμενος ἐπὶ πῶλον ὄνου. Neuter ipsum de verbo ad verbum expressit Prophetam. *Gaude valde filià Zion, clange filia Ierusalem. Ecce Rex tuus venit tibi* צַדִּיק *justus & servatus ille*. עָנִי *Pauper, & equitans*, &c.

§. 257. Ad *primum* dicimus. Discrepantia de numero jumentorum exigua est. Qui duo dicit, etiam unum dicit. Qui unum dixere, secùndum non exclusere. Dicit Matthæus vers. 7. *collocarunt Dominum* ἐπάνω αὐτῶν, *super illos*, non utrique simul insedit animali. Sed prius in *asina*, dein in *pullo* vehi potuit. Diceremus copulam ו καὶ & quæ apud Zachariam est, esse *exegeticam*, equitans *super asinam & pullum*, hoc est, quæ erat pullus. Sed Matthæus nimis clarè de duobus loquitur. ℣. 2. ὄνον καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς. ℣. 7. ἐπάνω αὐτῶν Ad *secundum*. Populus non iisdem semper verbis usus est. Sed sæpius clamando, sæpius acclamationem aut auxit aut decurtavit, ut quilibet Prophetarum verba retulit, ita reveta clamata fuere. ὡσαννὰ non est *serva nos*, sed *serva age*. *Hilarius*, teste Erasmo, *prodidit, Osanna sonare redemtionem domus David*. addit Erasmus. *Ebrææ literæ neglectæ ab Hilario sui contemtum ultæ sunt in Osanna*. Vide quæ doctè de hac voce scripsit Cl. vir Ludov. de Dieu in *animadversionibus* in cap. 21. Matthæi. Ad *tertium*. Id quilibet allegavit ex oraculo Zachariæ, quod ad rem præsentem imprimis faciebat, imò & æquivalentibus verbis expressit. Pro עָנִי *inops* habet Matthæus πρᾳῢς *mansuetus*, LXX. imitatus interpretes; quod Hebræis est עָנָו. Qui *inops* est, etiam *mansuetus est*. Divitiæ faciunt tumidos. Inopia facit mansuetos.

§. 258. Non sine ratione autem Dominus in *asino*, & *pullo*, *publicè* in Hierosolymam intrare voluit; *Rexque* Israël venire ad filiam Zion. In *asino*, contemtibili animali, *Rex* Zionis vectus est, non enim Regnum ejus est de hoc mundo. *Pullus* asininus novum adumbravit populum; nulli subjectum alii, in quo regnaturus erat. Theophylactus Synagogam Judaicam cum *asino*, Ecclesiam ex gentibus cum *pullo* comparavit, ἐπεὶ καὶ πρῶτον ἐπανεπαύσατο τῇ τῶν Ἰουδαίων συναγωγῇ, εἶτα τῷ ἐξ ἐθνῶν λαῷ. Voluit ita intrans Dominus publicè se ostendere *Sionis Regem*, tot δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις ἀποδεδειγμένον; qui nunc *sanguine* thronum suum stabiliturus erat in secula. Ita & populo ansam exhibuit publicè in laudes illius & encomia conclamandi. Ita denique Principes Judæorum, summopere irritati, per propriam malitiam, commoti sunt facere in gloriosissimum hunc Regem citò, quæ diu facere habuerunt in animo; sed quia necdum venerat hora, hactenus facere non potuerant.

Christus abscondita quæque scivit & indicavit.

§. 259. Cæterùm & inde apparuit, quantus sit Jesus, quod etiam in classe miraculorum referri potuisset, quòd præterita, præsentia, futura, & intima quæque hominis scivit, indicare potuit, & indicavit. Talem servus Regis Syriæ de *Elisa* habebat opinionem. 2 Reg. 6: ℣. 12. Sed longè superat Elisam homo Jesus Christus. *Ille cognoscebat omnes, nec necessum habebat, ut quis testaretur de homine*, αὐτὸς γὰρ ἐγίνωσκε τί ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. Joh. cap. 2: vers. 25. *Nunc novimus, quod nosti omnia, & non opus habes*, ἵνα τίς σε ἐρωτᾷ. Joh. 16. vers. 30. Natanaeli roganti, *unde me nosti*, dicebat, πρὸ τοῦ σε Φίλιππον φωνῆσαι ὄντα ὑπὸ τὴν συκῆν, εἶδόν σε. Joh. 1:49. confer vers. 51. εἶδόν σε ὑποκάτω τῆς συκῆς. Samaritanæ dicebat.

bat, *quinque viros habuisti, & quem nunc habes, non est vir tuus.* Joh. 4: 17. 18. unde illa, *videte hominem, qui dixit mihi, quæcunque feci.* vers. 29. Videns hominem Jesus κατακείμενον, καὶ γνοὺς, ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, Joh. 5: 6. noverat hominem, quem aliàs necdum viderat, *multos annos habuisse ἐν ἀσθενείᾳ.* ibidem ℣. 5. Joh. 11: 11. *Lazarus*, dicebat, *amicus noster obdormivit*; cum adhuc à Bethania abesset. *Ab initio novit*, τίνες εἰσὶν οἱ μὴ πιστεύοντες, καὶ τίς ἐστιν ὁ παραδώσων αὐτὸν Joh. 6: 64. confer vers. 70. *Ex vobis unus Diabolus est.* vers. 71. *dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem.* confer Joh. 13. 11. & 19. ἀπ' ἄρτι λέγω ὑμῖν πρὸ τοῦ γενέσθαι, ἵνα ὅταν γένηται, πιστεύετε ὅτι ἐγώ εἰμι. Imò noverat Judam in ultima cœna paschali *manum intincturum* ἐν τῷ τρυβλίῳ. Matt. 26: 23. Et sæpe dicitur de illo, *videns Jesus cogitationes illorum.* Matt. 9: 4. confer Marc. 2: 8. καὶ εὐθέως ἐπιγνοὺς ὁ Ἰησοῦς τῷ πνεύματι αὐτοῦ ὅτι οὕτως διαλογίζονται ἐν ἑαυτοῖς, dixit illis, *quid hæc cogitatis in cordibus vestris.* *Spiritu suo* omnia novit Jesus. Fuit in illo Spiritus æternus, omnipotens, confer Joh. 6: 61. εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς, ἐν ἑαυτῷ, ὅτι γογγύζουσι περὶ τούτου. Quare ignoranter valde Pharisæus ille dixit, *hic si esset Propheta*, *nosset* τίς καὶ ποταπὴ ἡ γυνὴ ἥτις ἅπτεται αὐτοῦ. Luc. 7: 39. Norat certè hic, qui norat *omnes* & omnia. Joh. 2: 25.

§. 160. Delineanda nunc denique paucis est tota vitæ ratio, qua his in terris Dominus usus est. Fuit igitur illa 1. *Humilis & inops.* Matt. 8: 20. *Vulpes lustra habent, & aves nidos. Filius hominis non habet* ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ. Jubet Petrum è pisce sumere στατῆρα, adeo inops nummorum erat. Accepit *data* Joh. 12: 6. Judas *portabat* τὰ βαλλόμενα. Multæ fœminæ διηκόνουν αὐτῷ ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς, inter quas fuit *Joanna, uxor Chuzæ.* Luc. 8: 2. 3. confer 2 Cor. 8: 9. *Dominus noster Iesus Christus* δι' ὑμᾶς ἐπτώχευσε, πλούσιος ὤν, ἵνα ὑμεῖς τῇ ἐκείνου πτωχείᾳ πλουτήσητε. 2. *Familiaris*, fuit ἐσθίων καὶ πίνων. Matt. 11: 19. *Rabbi*, φάγε. Joh. 4: 31. confer vers. 33. μήτις ἤνεγκεν αὐτῷ φαγεῖν. Samaritanæ dicebat, δός μοι πιεῖν Joh. 4: 7. Non sprevit hominum *convivia.* *Nuptiis* interfuit Joh. 2. in domo Matthæi publicani accumbebat cum *multis* Matt. 9: 10. Rogabat illum Pharisæus quidam, ἵνα φάγῃ μετ' αὐτοῦ, & *intrans in domum* ἀνεκλίθη, Luc. 7: 36. confer Joh. 12: 2. Non sprevit hominum *domicilia.* Hecatontarcho dicebat, *ego veniam.* Matt. 8: vers. 8. Veniebat *in domum Petri*, Matt. cap. 8: vers. 14. *Veniens Iesus* εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἄρχοντος. Matt. cap. 9: vers. 23. Collocutus est cum omnibus, *viris, fœminis:* nec rejecit *infantes.* Familiarissimum colloquium habuit cum *Samaritana.* Joh. 4. *Maria* & *Marta familiarem* se exhibuit. Luc. 10: 38. *Mulier quadam Marta* ὑπεδέξατο αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς. Memores simus pulchri illius verbi, *Marta, Marta*, μεριμνᾷς καὶ τυρβάζῃ περὶ πολλά. Ἑνὸς δέ ἐστι χρεία. vers. 40. 41. 42. *Infantes* voluit *venire ad se.* Matt. 19: vers. 13. 14. Marc. 10: 16. Luc. 18: 16. Non puduit illum cum *peccatoribus* conversari. Apud Zachæum ἀρχιτελώνην divertebatur, σήμερον ἐν τῷ οἴκῳ σου δεῖ με μεῖναι. Luc. 19: ℣. 5. cumque *omnes murmurarent*, ὅτι παρὰ ἁμαρτωλῷ ἀνδρὶ εἰσῆλθε καταλῦσαι, respondit, *venit filius hominis salvare* τὸ ἀπολωλός. vers. 9. confer Matt. 9: vers. 10. 11. Imò & insignes *peccatrices* ad se admisit. Luc. 7: 37. 38. 3. *Sancta.* Præstitit se ὅσιον, ἄμωμον. Hebr. 7. Sancta, inquam, in *Deum* & in *homines.* In *Deum.* Fuit *cibus* illius, ut *faceret voluntatem Patris.* Joh. 4: vers. 34. *Ego servavi præcepta Patris mei, & maneo in illius dilectione.* Joh. 15: 10. *Ego te glorificavi in terra, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut facerem.* Joh. 17: 4. In *precibus* fuit assiduus. Matt. 14: vers. 23. Marc. cap. 1: vers. 35. 6: 46. Luc. 9: 28. *Laudavit* sæpe Patrem. Matt. 11: 25. ἐξομολογοῦμαί σοι, πάτερ, hoc cum dixit ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι. Luc. 10: 21. *Gratias egit.* Joh. 11: 41. πάτερ, εὐχαριστῶ σοι, ὅτι ἤκουσάς μου. *obtulit* δεήσεις καὶ ἱκετηρίας. Heb. 5: 7. Subjecit se perfectè vo-

Vitæ ratio, quâ Christus in terris usus.

luntati Patris. Matt. 26:39. *Non ut ego volo; sed ut tu.* In *homines.* Illos *amavit,* Ioh. 13: vers. 34. ἠγάπησα ὑμᾶς. Ioh. 15:9. 12. confer Ioh. 13:1. εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς. Ioh. 11:3. ἴδε, ὃν φιλεῖς, ἀσθενεῖ. Sæpius commiseratione super illos motus. Matt. 9:36. *videns populos* ἐσπλαγχνίσθη. confer Matt. 14:14. 15:32. Luc. 7:11. Etiam super illos *flevit.* Ioh. 11. vers. 35. ἐδάκρυσεν ὁ Ἰησοῦς. Ita & *super Hierosolymam.* Luc. 19:41. Amorem in homines eò superabundè monstravit, quod *animam pro amicis suis posuit,* ἧς μείζονα ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει. Ioh. 15:13. Etiam *inimicis* fuit propensus, λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει, πάσχων οὐκ ἠπείλει. 1 Petr. 2:23. *Quoties voluit* Hierosolymæ sanguinolentæ τέκνα ἐπισυναγαγεῖν? Mat. 23:37. Oravit pro *hostibus.* Luc. 23:34. Hominibus factus est omnia. Errantium informator. Ignorantium Doctor. Tristium Consolator. Malorum reprehensor. Bonorum laudator. Infirmorum sustentator. Rem habuit cum γενεᾷ πονηρᾷ καὶ μοιχαλίδι. Matt. 12:39. confer Matt. 11:16. *cui assimilabo* τὴν γενεὰν ταύτην. Marc. 3:5. συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν. Inde *cœpit* sæpe τὰς πόλεις ὀνειδίζειν. Matt. 11:vers. 20. & μετ' ὀργῆς *aspexit* adversantes. Marc. 3:5. Nonnunquam severius increpuit. *Vos estis è Patre Diabolo, & concupiscentias illius facitis.* Ioh. 8:vers. 44. Ipsi Petro peccanti non pepercit Matt. 16:vers. 23. Certè ita sanctè vixit, ut verè de illo dici possit, *peccatum non novit.* 2 Cor. 5:vers. 21. *peccatum non fecit.* 1 Petr. 2:vers. 22. & ut ipse dicere bono jure potuerit, τίς ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας. Ioh. 8:46. 4. *Gravis & seria,* semper aut oravit, aut sanavit, aut docuit, nunquam levibus intentus rebus fuit. Per intervalla tamen quievit. In nave *dormivit.* Matt. 8:24. Marc. 4:38. Sensit etiam illa πάθη, quæ cum sancta gravitate non pugnant, fudit *lacrumas & clamores.* Hebr. 5. 7. μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων. Etiam sensit affectiones ὀργῆς & λύπης & χαρᾶς. Marc. 3:vers. 5. fuit περίλυπος Matt. 26:38. ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι. Luc. 10:21. ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι καὶ ἐτάραξεν αὐτόν. Ioh. 11:33. confer vers. 38. Ἰησοῦς οὖν πάλιν ἐμβριμώμενος ἐταράχθη τῷ πνεύματι. Ioh. 13:21. Etiam dicitur *esurivisse* Matt. 21:18. *Sitisse.* Ioh. 19:28. *Defatigatus fuisse,* Ioh. 4:6. κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας. 5. *Ordinata,* non sustulit ordinem, nec excitavit confusionem. Magistratui politico justa solvit. Matt. 17:27. confer Matt. 22:21. ἀπόδοτε τὰ καίσαρος, καίσαρι, cum sciret, quod vellent illum *rapere,* ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα, ἀνεχώρησε. Ioh. 6:15. A crimine seditionis ab ipso Pilato absolutus est. Monuit populos, ut scribis & Pharisæis, *in cathedra Mosis sedentibus,* etiamsi *ligarent onera gravia,* essent parentes. Matt. 23:1—4. Ipse solemniter protestatus est, se *non venisse* καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας. Matt. 5:v. 17. Hinc & factus *sub legem,* *vixit* legaliter: ita ut loquar. In festis ascendit Hierosolymam. In *paschate.* Ioh. 2:13. 6:4. 11:55. ἐν τῇ σκηνοπηγίᾳ. Ioh. 7:2. 10. Et in alio quodam *festo.* Ioh. 5:1. *Pascha* comedit; etiam ipsa nocte, qua proditus est. Luc. 22:15. Ita tamen legalia festa & instituti ones observavit, ut & ostenderet, se *Dominum Sabbati,* & festorum. Matt. 12:vers. 8. & ut in Sabbato opera charitatis exercere haut intermitteret. Matt. 12:10. 11. 12. Ioh. 7:23. & ut superstitiosas *traditiones,* inprimis illas, quibus irrita fiebant præcepta Dei, intermitteret, evitaret, reprehenderet. Matt. 15:vers. 2. 3. 4. 6. *Ambulatoria,* non diu in uno substitit loco, περιῆγεν ὅλην τὴν γαλιλαίαν. Matt. 4:vers. 23. ἦλθεν εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν, καὶ ἐκεῖ διέτριβε. Ioh. 3:22. ἀφῆκε τὴν Ἰουδαίαν, καὶ ἀπῆλθε πάλιν εἰς τὴν γαλιλαίαν, ἔδει δὲ αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας. Ioh. 4:vers. 3. 5. ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος. Matt. 15: vers. 21. ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια μαγδαλά. Matt. 15:39. δαλμανουθά. Marc. 8:10. εἰς τὴν γῆν γεννησαρέτ. Matt. 14:34. Sæpe *nuncios misit ante se.* Luc. 9:51. 52. ὥστε ἑτοιμάσαι αὐτῷ. Nec turpe duxit, cum nollet insidias Iudæorum, vitare Iudæam, & in securiora secedere loca.

Ioh.

Joh. 7: 1. 11: 54. Imò & *occultare se* Joh. 8: 59. Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη. confer Joh. 12: 36. καὶ ἀπελθὼν ἐκρύβη ἀπ' αὐτῶν. In his ambulationibus mirabiliter mitem se ostendit & mansuetum; adeò ut patienter ferret, si illum nollent recipere. Exemplum unum sufficiat. Samaritani οὐκ ἐδέξαντο αὐτόν. Videntes id discipuli, *Jacobus & Joannes*, dixerunt, *Domine, vis jubeamus ignem descendere è cælo*, & ἀναλῶσαι αὐτοὺς, ὡς καὶ ἠλίας ἐποίησε. Redarguit illos Dominus. *Nescitis* οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς, &c. καὶ ἐπορεύθησαν εἰς ἑτέραν κώμην. Luc. 9: 52—56. confer Matt. 8: 34. Marc. 5: 17. 18. 7. Denique omnis ejus vita fuit conveniens decensque *Sermonem Dei, habitantem in nobis*; nam *loqui Dei verba*, prædicare cum ἐξουσίᾳ, mirabilia & signa edere innumera, convertere homines, σῶσαι τὸ ἀπολωλός, convincere obloquentes, id omne hautquaquam est infra divinam dignitatem. Quinimò &, humilem esse, inopem, humanis obnoxium affectionibus, tentari, periclitari, id etiam maximè decuit illum, cui *juravit Dominus, Tu es Sacerdos*; quem par erat κατὰ πάντα *fratribus assimilari*, ἵνα ἐλεήμων γένηται καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς Hebr. 2: 17. & πεπειρᾶσθαι κατὰ πάντα, καθ' ὁμοιότητα, ut posset συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν. Hebr. 4: 15.

§. 261. Jesus dum in terris egit, non tantùm operibus testatum fecit, sed & palam dixit omnibus, se esse *Filium Altissimi, Messiam, Servatorem*, qui in mundum venire debebat; adeò ut nemo prætendere possit ignorantiam. Samaritanæ dicebat, ἐγώ εἰμι, ὁ λαλῶν σοι, nim. Μεσσίας. Joh. 4: 25. 26. Coram Judæis πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν θεὸν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ θεῷ. Joh. 5: 18. Iisdem dixit, *Ego & Pater* ἓν ἐσμεν *unum sumus*, quibus verbis se declarabat θεὸν, agnoscentibus id Judæis. Joh. 10: 30. 33. *Ego sum panis vitæ, vivus, è cælo descendens* Ioh. 6: 35. 48. 51. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Ioh. 7: 37. *Ego sum Lux mundi.* Ioan. 8: 12. *Dixerunt illi*, σὺ τίς εἶ, respondit, τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. ibid. vers. 25. πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι. ibid. vers. 58. Cœco ἐκ γενετῆς dicebat, *Credisne in Filium Dei*, illoque rogante, τίς ἐστι, *Domine?* respondit, *Et vidisti illum*, καὶ ὁ λαλῶν μετὰ σοῦ, ἐκεῖνός ἐστιν. Tunc dixit cœcus, *Credo, Domine, & adoravit illum.* Ioan. 9: 35—38. *Ego sum* ἡ θύρα Ioan. 10: 9. *Ego sum* ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς ibid. vers. 11. Iudæis illum rogantibus, ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις, εἰ σὺ εἶ ὁ χριστὸς, εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ, respondit, *Εἶπον ὑμῖν dixi vobis*, nimirum me esse Christum. Ioan. 10: 24. 25. *Ego sum resurrectio & vita.* Ioan. 11: 25. Cumque Ioannes è carcere ad illum legatos mitteret, rogaturos, σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν, non negavit, sed respondit, *Nunciate Johanni, quæ auditis & videtis*; Matt. 11: 3. 4. Christus disertè in terra dixit se esse Messiam.

§. 262. Imò & talis à *suis* agnitus est. Petrus omnium quasi nomine dicit, *Tu es Christus, Filius Dei vivi* Matt. 16: 16. confer Ioan. 6: 69. *Nos credidimus & novimus, quod tu es Christus, Filius viventis Dei.* Andreas Petro. *Invenimus Messiam.* Ioan. 1: 42. Philippus Natanaeli. *Quem scripsit Moses in lege, & Prophetæ, invenimus, Jesum, Filium Ioseph, qui à Nazaret.* ibid. ℣. 46. Natanael Christo. *Rabbi, Tu es filius Dei. Tu es Rex Israel.* ibid. ℣. 50. Samaritani, *Novimus, quod hic est verè Servator mundi*, ὁ χριστὸς Ioan. 4: 42. Homines, qui è panibus comederant, *Hic est verè* ὁ προφήτης, ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον Ioh. 6: 14. Mattha. ἐγὼ πεπίστευκα, ὅτι σὺ εἶ ὁ χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος Ioan. 11: 27. Huc faciunt acclamationes populi. Ioan. 12: 13. Marc. 11: 9. 10. Luc. 19: 38. Talis à suis agnitus est.

§. 263. Cætera turba diversimodè sensit de illo. Rogabat Christus discipulos. *Quem dicunt me homines esse?* Dixerunt. οἱ μὲν, Ἰωάννην τὸν Βαπτιστὴν (confer Matt. 14: 2.) ἄλλοι δὲ ἠλίαν, ἕτεροι δὲ Ἱερεμίαν, ἢ ἕνα τῶν προφητῶν. Matt. 16: 14. Samaritana, *Video quòd Propheta tu es.* Ioan. 4: 19. Quidam dicebant, *Hic verè est Christus.* Alii. *Hunc novimus, unde est.* Ioan. 7: 26. 27. confer vers. 40. 41. Turba diversimodè de Christo sensit.

Convicia Judæorum de illo.

§. 264. Quidam autem pessimè de ipso blasphemârunt. Joh. 7: vers. 12. *Et murmuratio multa de illo erat* ἐν τοῖς ὄχλοις, οἱ μὲν ἔλεγον, ὅτι ἀγαθός ἐστιν, ἄλλοι δὲ ἔλεγον, οὔ, ἀλλὰ πλανᾷ τὸν ὄχλον. Joh. 8: 48. dicebant Judæi: *Samarita es*, καὶ δαιμόνιον ἔχεις. Joh. 9: 16. *Hic homo non est* παρὰ τοῦ θεοῦ. vers. 24. *Nos novimus, quod homo hic* ἁμαρτωλός ἐστιν. vers. 29. τοῦτον δὲ οὐκ οἴδαμεν, πόθεν ἐστίν. Joh. 10: 20. *Dicebant multi e Iudæis*, Δαιμόνιον ἔχει, καὶ μαίνεται, τί αὐτοῦ ἀκούετε.

A paucis verè receptus est.

§. 265. Ita omnino factum, ut est Johannis cap. 1: vers. 11. *In propria venit, & proprii illum non receperunt.* Qui verò ἔλαβον αὐτὸν (Ioh. 1: 12,) fuere pauci; & inter illos multi, qui visi sunt illum accepisse, nunquam vere acceperunt. Discipuli, qui *derelinquentes omnia secuti sunt illum* Matt. 19: 27. possunt demum dici illum *accepisse*. Sed & inter illos fuit unus, qui Dominum prodidit, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. Fuerunt & alii discipuli, & paucæ quædam mulieres, quæ seriò Christo adhæserunt, quales describuntur Actor. 1: 13. 14. 15. Dicuntur quidem *multi in nomen ejus credidisse*, *signis* visis commoti. (Ioh. 2: 23.) (*Samaritanorum* è civitate Sichar πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν Ioh. 4: vers. 39–42. Imò & οἱ γαλιλαῖοι ἐδέξαντο αὐτὸν Ioh. 4: vers. 4. & βασιλικὸς ille in Capernaum, ἐπίστευσεν αὐτὸς καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη. ibidem vers. 53. Imò & πολλοὶ ἐκ τοῦ ὄχλου ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν Ioh. 7: 31. confer Ioh. 8: 30. ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν vers. 31. *dixit Iesus* πρὸς τοὺς πεπιστευκότας αὐτῷ Ἰουδαίους, & Ioh. 10: 42. καὶ ἐπίστευσαν πολλοὶ ἐκεῖ εἰς αὐτόν. confer Ioh. 11: 45. 12: 11. Imò & ἐκ τῶν ἀρχόντων πολλοὶ ἐπίστευσαν Ioh. 12: 42. *Nicodemus*, qui *ad illum venit* Ioh. 3: 1. 2. Imò & pro illo locutus est. Ioh. 7: 50. 51. Imò & *Ioseph ab Arimatæa* dicitur μεμαθητευκέναι τῷ Ἰησοῦ. Matt. 27: 57. & de cætero maxima semper turba secuta est Jesum; etiam publicè in hymnos laudesque illius effusa; imò ipsi *pueri* dicuntur *in templo clamasse*, ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. Matthæus capite 21: 15. 16. imò & *domui* Zachæi *salutem* nunciat Dominus. Luc. 19: 9.) attamen in plurimis fuit hæc fides πρόσκαιρος tantùm, nec durationis longæ. Inde & Dominus *non credidit se ipsum* illis, qui dicebantur ante *credidisse in ipsum*; quia *noverat omnes*; hoc est, non verè illos credidisse. Ioh. 2: 24. Et *multi discipulorum* dicuntur *abiisse retro*, nec *amplius cum illo ambulasse*, Ioh. 6: 60. 66. & multi ipsum secuti sunt, non quod verè credidissent, sed ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων Ioh. 6: 26. Imò & Christus τοὺς αὐτῷ πεπιστευκότας Ἰουδαίους, paulò post incusat, quòd *sermo illius non cedat in illis*, quòd *opera Abraami non faciant*, quòd *Deus Pater* illorum *non* sit, quòd è *Patre Diabolo* sint. Ioh. 8: 37. 39. 42. 44. Denique illi, qui ex principibus in illum crediderunt, dicuntur *illum non confessi fuisse*, eo quod amarent τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον, ἤπερ τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ. Ioh. 12: 42. 43.

A plurimis rejectus.

§. 266. Sed plurimi οὐκ ἔλαβον, & præfractè infideles manserunt, quibus Christus. *Quem misit ille*, τούτῳ ὑμεῖς οὐ πιστεύετε. Ioh. 5: 38. ἑωράκατέ με, καὶ οὐ πιστεύετε. Ioh. 6: 36. Imò & οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ *non crediderunt in illum.* Ioh. 6: 5. Adde Ioh. 12: 37. οὐκ ἐπίστευον εἰς αὐτὸν, & paulò post, οὐκ ἠδύναντο πιστεύειν, ὅτι εἶπεν ἠσαΐας vers. 39. 40. *Imprimis Principes* ἠπίστησαν Ioh. 7: 48. *Num quis ex Principibus credidit in illum, aut è Pharisæis. Sed turba hæc, non cognoscens legem, execrabilis est.* vers. 49. qui & ipsi συνετέθειντο, ἵνα ἐάν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ χριστὸν, ἀποσυνάγωγος γένηται. Ioh. 9: 22. 12: 42. Causas hujus

Causæ ἀπιστίας.

ἀπιστίας *infidelitatis* has prætexebant. 1. *Christus, cum venit, nemo novit unde est. Sed hunc novimus, unde est.* Ioh. 7: 27. 2. *Numquid è Galilæa Christus venit? nonne Scriptura dicit, quod è semine David, & è Betlehem?* Ioh. 7: 42. confer vers. 52. *Scrutare & vide, quòd Propheta è Galilæa non surrexit.* 3. πλανᾷ τὸν ὄχλον Ioh. 7:

vers.

vers. 12. 4. *Nos novimus, quòd Mosi locutus est Dominus.* τοῦτον ἢ οὐκ οἴδαμεν πόθεν ἐστίν. Ioh. 9: 29. 5. περὶ καλοῦ ἔργου οὐ λιθάζομέν σε, ἀλλὰ περὶ βλασφημίας. Ioh. 10: 33. confer Ioh. 5: 18. 6. οὗτος ὁ ἄνθρωπος οὐκ ἔστι παρὰ τοῦ θεοῦ, ὅτι τὸ σάββατον οὐ τηρεῖ Ioh. 9: 16. ἔλυε τὸ σάββατον. Ioh. 5: 18. 7. *Si mittamus hunc hominem, omnes in illum credent, & venient Romani*, καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος. Ioh. 11: 48. 8. Δαιμόνιον ἔχει. Ioh. 10: 20. Matt. 12: 24. Marc. 3: 22. Quæ causæ aut frivolæ fuerunt; aut apertè falsæ; aut ex invidia & malitia confictæ; aut etiam politicæ; omnes certè tales, ut nequaquam sufficiant excusandæ incredulitati. Nec privati tantùm noluerunt credere, sed & *civitates* integræ, quas & Christus *conviciatus* est, ὅτι οὐ μετενόησαν; & *Væ annunciavit* illis, *Chorazin*, *Betsaidan*, *Capernaum*. Matt. 11: 20. 23. *Hierosolyma*, quæ *non novit* τὰ πρὸς εἰρήνην αὐτῆς. Luc. 19: 41. 42. Matt. 23: 37. In specie hîc notatur ἡ πατρὶς αὐτοῦ, in qua ἄτιμος fuit, nec *virtutes multas fecit*, διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν. Matt. 13: 54 – 58. Marc. 6: 4. 5. Ioh. 4: 44. Imò, ubi πλησθέντες θυμοῦ *ejecerunt illum è civitate, & duxerunt* ἕως τῆς ὀφρύος τοῦ ὄρους, ἐφ' οὗ ἡ πόλις αὐτῶν ᾠκοδόμητο, εἰς τὸ κατακρημνίσαι αὐτόν. Luc. 4: 28. 29. Ita fecit *Nazaret* illa, οὗ ἦν τεθραμμένος Luc. 4: 16. Ita & communem sortem expertus est Dominus, *Prophetam non esse* δεκτὸν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς συγγενέσι, καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. Marc. 6: 4.

§. 267. Οἱ ἄρχοντες, qui non crediderunt in illum, tanto flagrarunt odio, ut non tantùm in illos, qui ipsum secuti sunt, sævierint, ἀποσυναγώγους illos faciendo, sed & semper quæsiverunt ipsum Jesum è medio tollere. Ioh. 5: 10. *Noluit in Judæa ambulare; nam quærebant occidere illum Judæi*, Ioh. 7: 1. confer. vers. 19. 20. 8: 37. 40. sæpè quæsiverunt illum πιάσαι, imò & miserunt ὑπηρέτας, ἵνα πιάσωσιν αὐτόν; sed *ministri* efficacia doctrinæ ipsius convicti, non prehenderunt illum, Ioh. 7: 30. 32. 45. 46. 47. sæpè &, cùm vellent illum πιάσαι, ἐξῆλθεν ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῶν. Ioh. 10: 39. Quamdiu *hora ipsius non venisset*, non ausi sunt βαλεῖν ἐπ' αὐτὸν τὴν χεῖρα. Ioh. 7: 30. 44. Ioh. 8: 20. Sæpè *sustulerunt lapides* ἵνα βάλωσιν ἐπ' αὐτόν. Ioh. 8: 59. 10: vers. 31. Sæpe *timore populorum*; quia ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον, *manus* inhibere coacti fuerunt. Matt. 21: 46. Donec tandem conjurarunt in illius necem, & *mandatum* dederunt, ἵνα ἐάν τις γνῷ ποῦ ἐστι, μηνύσῃ, ὅπως πιάσωσιν αὐτόν Ioh. 11: 56. 57. Quod & ita illis successit, ut tandem in mortem traditum è terra exciderint viventium. Hoc illorum sanguinolentum factum Christus illis in Parabola egregiè exprobravit. Matt. 21: 23 – 41. 45. Principum in illum odium.

§. 268. Principes hi, quos tota vita habuit adversantissimos, qui etiam id operam dederunt sæpe, ut illum ἐν τῷ λόγῳ παγιδεύσωσιν, Matt. 22: 15. dicuntur fuisse πρεσβύτεροι, ἀρχιερεῖς, γραμματεῖς, Φαρισαῖοι, σαδδουκαῖοι, νομικοί, adsumtis nonnunquam *Herodianis*. Matt. 16: 21. 20: 18. Ioh. 10: 47. 7: 32. 45. Matt. 16: 1. 22: 23. 24. Luc. 10: 25. 11: 45. 52. 14: 3. Matt. 22: 16. Marc. 3: 6. 12: 13. *Herodes* tetrarcha etiam hostis Christi fuit. Luc. 9: 7. 8. 9. Luc. 13: 31. Christus, qua Nazarenus, fuit ἐκ τῆς ἐξουσίας Ἡρώδου. Luc. 23: 7. Ab illius *fermento* jussit cavere discipulos. Marc. 8: 15. Et hic quidem non abre subjungeremus, qualesnam hi homines, Servatoris nostri tanti hostes, fuerint; quæ illorum dignitas, conditio, doctrina, differentia. Sed angustia excludimur temporis, & nimis multa supersunt.

§. 269. Tria Paschata absolvit Christus in sanctissimo suo ministerio, Ioh. 2: 13. 6: 4. 11: 55. ad summum quatuor; si *festum*, cujus mentio Ioh. 5: 1. de Paschatis intelligatur festo quod multis tamen non probatur. Ita & in hoc annorum numero typus Paschalis Agni implementum habuit.

CAPUT SEXTUM.

De παθήμασι Jesu Christi, ubi & de Novo Testamento, quod est in sanguine ejus.

Principes & Pontifices Judæorum decernunt mortem Jesu.

§. 1. Sacerdotes & Principes Judæorum, quibus Jesus, *Sanctum Domini* Mal. 2: 11. fuit *lapis offendiculi*, *Petra scandali*, *laqueus & decipula*, Es. 8: 14. post multas insidias & machinationes, tandem mortem & necem illius decernunt. Excitatus erat Lazarus, τεταρταῖος ἤδη. Id audiverant. Ideò *cogunt* συνέδριον. Periculum à Jesu imminens exponunt. *Si eum sinimus ita, omnes in illum credent, & Romani nostrum & locum, & gentem auferent.* Joh. 11: 39. 43. 46. 48. Fictus metus, & inanis cura. Pilatus, Romanorum Præfectus, judicavit, posse Jesum, *Regem Judæorum dimitti*, citra præjudicium Cæsaris & Romanæ gentis. Joh. 18: 39. 19: 6. 12. 15. In hoc concilio *Caiphas, Sacerdos summus*, τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, autor fit, ut in *mortem* detur. *Conducit*, inquit, *nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & ne tota gens pereat.* Joh. 11: 50. Ad salutem populi & Reipublicæ conducere arbitratus, ut publica victima fiat innocens homo, & salva maneat integra natio. *Dixit* certè hoc & consuluit *à se ipso*, odio motus, & caussis politicis, & externæ civitatis studio. *Nec* tamen *dixit hoc à se ipso.* Joh. 11: 51. Divina sapientia ita linguam sanguinolenti hujus moderata est, ut & loqueretur à se ipsa; nec tamen a se ipsa; ut loqueretur secundùm suam impietatem; & nescia pronunciaret secundùm Dei voluntatem. Ideò προεφήτευσεν *vaticinatus est* Caiphas, & Prophetæ instar prædixit, *quod futurus erat Iesus mori pro gente.* Ioh. 11: 51. Sacerdos secundùm ordinem Aharon portabat in στολισμῷ & ornatu suo אֵפוֹד *Ephod*, quod *prophetiæ* Sacerdotalis symbolum fuit. Hic Sacerdos, successor Aharonis præter ordinem, non *a Deo vocatus* Hebr. 5: 4. sed à Romanis introductus, ad modum tamen Aharonis vestitus, curante ita divina providentia, Propheta fit, prophetiam loquitur, *Mortem Domini, pro populo*, inscius, aliud cogitans, aliudque meditans, prædicit. Impiis sæpè datur προφητεύειν. *Bileam Propheta* fuit. 2 Pet. 2: 15. 16. *Etiam Saul inter Prophetas.* 1 Sam. 10: 11. 19: 23. 18: 10. *Multi, operatores iniquitatis, dicent, Domine, Annon in nomine tuo prophetavimus?* Matt. 7: 22. confer Deuteron. 13: 1. 2. 3. Ex horum numero Caiphas *Propheta* fuit; factus divini consilii nuncius, cujus erat inimicus & diabolus; mortem justi, à Deo decretam, prædixit, cujus sanguinem dudum sitiit. Voluit illum mori, quò periret; qui mortuus est, Filios Dei ut redimeret. Ita putavit fore, ut staret Respublica; sed illo sanguine fundata est Ecclesia. Quod timuit Latro, tamen venit; nam ab ipsa hac cæde justi exstitit plaga populi. *A defectione populi mei, plaga illis.* Es. 53: 8. Quod ἤθελεν ὁ Θεὸς, obtinuit Dominus. *Mortuus* enim est *pro populo*, ut in æternum *dominetur* τῷ λαῷ τῷ περιουσίῳ. Rom. cap. 14: vers. 9. Tit. 2: vers. 14. confer. Ioh. 11: 52. Es. 53: 10. 12.

Caiphas Propheta.

§. 2. Consilium Caiphæ placuit omnibus. *Ab illo die consultarunt, ut interficerent illum*, Ioh. 11: 53. statimque *dederunt mandatum, ut, si quis nosset, ubi esset, indicaret, quo illum prehenderent.* Ibidem vers. 57.

§. 3. *Propè* tunc erat *Pascha Iudæorum* Ioh. 11: 55. *Sex ante id diebus venit Iesus in Bethaniam*, (quæ erat ἐγγὺς τῆς ἱεροσολύμων Ioh. 11: 18.) exceptus *convivio in domo*

Simonis leprosi, cui interfuit Lazarus ὁ τεθνηκώς. Ibi *Maria*, Soror illius, *unguento caput & pedes* Servatoris unxit, adeoque *praeoccupavit corpus illius ungere in funerationem*. Marc. 14:13. Joh. 12:1-9. Matt. 26:6-13. *Postridie* Jesus asino vectus intravit in Hierosolymam, clamante populo ὡσαννὰ Joh. 12:12.13. ingressusque in templum, *zelum* insignem testatus est, Mercatores inde & Collybistas ejiciendo. Matt. 21:12.13.

§. 4. Viderunt omnia haec Pharisaei & Pontifices, vehementer commoti, *dicunt ad se invicem*, οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν, *nil lucramini*, tacendo & connivendo Ioh. 12:19. Ideò rursum *convenerunt in aulam Caiphae*; & unanimiter decreverunt, ut Iesum, *dolo captum, interficerent*, etiam ante *festum*, Matt. cap: 26: vers. 3.4.5. Marc. cap. 14: vers. 1.2. Luc. cap. 22: vers. 2.

§. 5. E votò advenit *Judas*, seque *proditurum* Iesum *illis* pollicitus est. Illi *laetati*, *pacti sunt illi argentum dare*. Luc. 22: 4.5. Marc. 14: 11. Imò ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια. Matt. 26: 15. *Atque tunc opportunitatem quaesivit, ut illum proderet*. Matt. 26: 16. *Judas* hic *Iscariotes* erat *unus è duodecim* discipulis. Matt. 26: vers. 14. Marc. cap. 14. vers. 10. Luc. 22: vers. 3. à Domino *electus*, *annon ego vos duodecim* ἐξελεξάμην, Ioh. 6: vers. 70. ut *esset* μετ' αὐτοῦ *cum illo*. Marc. 3: vers. 14. nunquam tamen καθαρὸς ὅλος *purus totus*, vetè purgatus, Ioh. 13: vers. 10.11. neque adeò illa electione *electus*, de qua Ioh. 10: vers. 18. *Non de omnibus vobis dico. Ego novi, quos elegi*, & Ioh. 15:16. *Ego elegi vos, ut fructum feratis, & fructus vester maneat*, neque *datus* Domino, quos enim *dedit* illi *Pater*, illos *custodivit*, & *nemo ex illis periit*. Joh. 17:12. Solus *Filius* hic *perditionis* periit, qui nunquam hoc sensu *datus fuit*, nam *omne, quod dedit* Pater Filio, *venit*, & *foras non ejicitur*. Joh. 6:37. Officium illius fuit, habere *marsupium*, & *portare* τὰ βαλλόμενα Joh. 12: vers. 6. & *emere necessaria* Joh. 13: 29. Fuit homo malae notae, *fur*, cui οὐκ ἔμελεν περὶ τῶν πτωχῶν, simulandi artifex. Joh. 12:4.6. Judas proditor.

§. 6. Nefandum hoc consilium *injecit Diabolus in cor illius* Joh. 13:2. Luc. 22: 3. Joh. 13. 27. Diabolus mali auctor est. Seduxit primos parentes. *Incitavit* Davidem, *ut numeraret Israelem*. 1 Chron. 21:1. A Christo ipso petiit horrenda. Matt. 4: 4.6.9. sanctis omnibus insidiatur. 1 Petr. 5: vers. 8. 2 Cor. 11:3. Job. 1: vers. 9. 10. 11. Zach. 3: vers. 1. 2. Luc. 22:31. Quid mirum, *efficaciter* illum *agere in filiis inobedientiae*, Ephes. 2: vers. 2. & *perditionis*, qui sunt *è patre Diabolo*, & *concupiscentias illius faciunt?* Joh. 8:44. Diabolus, ut se solet *in Angelum transformare lucis*, induxit sine dubio Judam ad abominabile hoc facinus, plausibilibus sanè rationibus. Potuit illum sollicitare hâc ratione. Praemium è proditione lautum habebis, argentum, quod ita amabile est, solvetur tibi. Proditione non nocebis Domino. Est potens, evadet à manibus hostium, ut saepe evasit. Est etiam bonus & facilis, ignoscet tibi. Avaritia, ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου impulit miserum in hunc *laqueum*, & *noxias has cupidines*, & *interitum* ac *exitium*. 1 Tim. 6:9. Certè non quaesivit Domini necem, nam ut vidit, ὅτι κατεκρίθη, insigniter & horribiliter poenituit. Matt. 27:3. Putavit proditionem haut allaturam Domino ingens dispendium; certè haut necem & sanguinis fusionem. Ita tamen imprudens & sceleratus exstitit justi proditor, Dei tentator, Satanae satelles, Domini sui laqueus, condiscipulorum suorum scandalum, hostium organum ac instrumentum. Quanta *ingratitudo*? cujus panem comederat, illius vitam tantis periculis exponit. Quanta *malitia!* infensissimis hostibus optimum Dominum tradit, quanta *petulantia!* nulla coactus necessitate in hoc scelus praeceps ruit, quanta *oscitantia!* non expendit sceleris magnitudinem, nec in quale discrimen adducit Dominum, quanta *avaritia!* pro nummis corruptibilibus & amissibilibus vendit illum, qui omni pretio Incitatus à Diabolo.

 major

major est, quanta *levitas*! pro *triginta siclis argenteis*; quod olim fuit pretium *servi*; cum *sexaginta* siclis homo *liber* æstimaretur, suscipit tam tetrum & horrendum facinus; Dominumque suum servi vendit pretio. Adeo planè ἀναπλόγητος hic homo est, cui & Dominus οὐαὶ *ve* annunciavit; cujusque finis בְּשֶׁטֶף *in inundatione* exstitit.

§. 7. Impietatem Judæ Prophetia πάλαι notavit. Psalm. 41:10. citante ipso Domino locum hunc. Joh. 13:18. quemadmodum & ab initio *discipulis* dixerat, *è vobis unus Diabolus est*. Joh. 6:70. 71.

Ante proditionem comedit Dominus Pascha, quomodo illud dicatur mutatum primo die azymorum.

§. 8. Antequam traderetur, voluit *Pascha* edere cum discipulis suis. *Parate*, inquit Petro & Johanni, *nobis Pascha, ut edamus*. Luc. 22:8. Imò & discipuli rogarunt, *ubi vis, preparemus tibi* φαγεῖν πάσχα. Matt. 26:17. Marc. 14:12. *Pascha* dicit Marcus *mactari* solitum τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων *primo die azymorum* cap. 14:12. confer Luc. 22:7. *Venit autem dies azymorum, in quo decebat mactari Pascha.* Atqui è lege constat, Pascha *decimo quarto die mensis*, illo tempore, quod dicitur *inter duas vesperas*, mactatum esse. Sequente *vespera* & *nocte* comesum. Exod. 12:3. 6. 8. 16. & à tunc *azyma* cœpta *comedi*. Ergo Pascha debuit mactari ante primum diem azymorum, non τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων. confer Matt. 26:17. Sed quis vertet vitio Sanctis his scriptoribus, quòd, quum proximè mactationem Paschatis esus exceperit azymorum, adeoque una aut altera tantùm hora interfuerit inter utrumque; quòd, inquam, mactationem Paschatis in ipsum quasi primum azymorum diem retulerint? Quia etiam in sacris uniuscujusque diei initium à vespera supputatur, Genes. 1: ℣. 6. *Et fuit vespera & fuit mane dies primus:* unde omni tempore Judæi diem *naturalem politicum* seu *civilem* orsi sunt; inde id, quod in prima vespera azymorum factum est, primo illorum die factum esse dicitur.

Differentia Euangelistarum de tempore, quo Dominus Pascha edit.

§. 9. Marcus, Matthæus, Lucas unanimiter referunt Christum edisse τὸ πάσχα primo die azymorum. Johannes autem diem, quo Christus crucifixus est, vocat παρασκευὴν τοῦ πάσχα cap. 19:14. 31. confer Matt. 27:62. quo notatur dies, festum paschatis proxime antecedens. Non ergo fuit Paschatis aut azymorum dies. Imò & id apparet è captura, accusatione & crucifixione Domini. Id non licuisset, si *festum azymorum* jam fuisset; cujus *primus* & *ultimus* dies imprimis festivus erat. Exod. 12:16. Deinde & narrat Johannes, Sacerdotes noluisse *intrare in prætorium, ut ne pollu[...]ur*, sed ut *ederent Pascha*, quod proximo vespere ex illorum sententia comedendum erat. Joh. 18:28. Imo cap. 13. ubi ultimum Domini δεῖπνον paschale describitur, dicitur ℣. 1. πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα *ante festum paschatis*, unde videtur sequi, Christum edisse *pascha* ante paschatis *festum*. Quo & facit, quòd, cùm Christus Judæ in paschali cœna dixisset, *quod facis, fac citò*. Joh. 13:27. Discipuli feruntur putasse Christum Judæ *dixisse, Eme, quæ necesse habemus* εἰς τὴν ἑορτὴν *in festum*. ibid. vers. 29. Si Judas potuit adhuc emere necessaria ad festum, certè illa nocte *festum* necdum fuit.

Conciliatio differentiæ.

§. 10. Ostendamus igitur 1. Christum verè edisse Pascha *primo azymorum die*; adeoque justo & in lege determinato tempore. 2. Illo non obstante, verè diem crucifixionis Domini & rectè dici παρασκευὴν τοῦ πάσχα. Inde constabit ratio, cur Christus Pontifices & Pharisæos tum in observanda παρασκευῇ, tum in edendo Paschate integrum diem anteverti; & cur illi uno die serius Pascha comederint.

Doctorum conjecturæ.

§. 11. Variæ hîc sunt Doctorum conjecturæ. Alii putant, eadem nocte, quâ Christus cum suis, omnes Judæos Pascha comedisse. Solos Sacerdotes & Principes abstinuisse; Christumque in ipso festo accusatum, traditum, crucifixum esse. Tantum exarsisse Sacerdotes, ut maluerint profanari festum quàm differri innocentis Christi supplicium. Quod autem

tem & ipsi dicuntur *Pascha* fecisse, cùm tempus edendi illud jam præteriisset, id *abusivè* & è perversa illorum mente & actione ita dici. Sed obstat huic sententiæ disertum Iohannis verbum, ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα. Joh. 19: 14. Et ἡ ἐπαύριον, hoc est, dies crucifixionem Christi proximè secuta, dicitur fuisse μετὰ τὴν παρασκευήν. Matt. 27: 62. Et Joh. 19: 31. *Erat enim* μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου *magnus dies ille Sabbati.* Ita *dies* post παρασκευὴν dicitur. *Magnus* dictus, quia primus dies festi Paschalis seu azymorum imprimis sabbaticus erat. Accedit, quod Sacerdotes consulentes de occidendo Christo expresse caverunt, μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, ad vitandum populi θόρυβον. Matt. 26: 5. Marc. 14: 2. Et Matt. 27: 15. dicitur κατὰ ἑορτὴν *juxta festum*, hoc est, festo imminente Præsidem solitum *vinctum unum dimittere populo.* Ergo ante festum Christus coram Pilato stetit. Idem tamen dicitur ἐν τῷ πάσχα *in paschate* Joh. 18: 39. Quia id, quod immediate fiebat ante Pascha, quasi in Paschate factum videri poterat.

§. 12. Alii statuunt, Judæos tempore proditionis Christi festum Paschatis, quod legitimè debuisset incipere illa nocte, qua id Dominus celebravit, transtulisse in sequentem noctem & diem. Citant *canonem*, in quo statutum est, ne Pascha fieret in בדו, hoc est, in *secunda, quarta, sexta* die Hebdomadis. Cum igitur tempore passionis Christi, in diem Veneris, qui sextus septimanæ est, Pascha incideret, translatum illud in sequentem septimum, qui dies Sabbati erat. Ita Christum quidem legitimo tempore Pascha edisse, Judæos autem è superstitione intermisisse, & in alium diem illius esum distulisse. Sed *Canon* hic Judaicus recentior est; certè necdum tempore Christi παθητοῦ in usu. vide *Sanhedrin* Cocceji nostri pag. 11. 12. 13. ed. pr.

§. 13. Igitur alia & probabiliori ratione res expedienda est. Νεομηνία seu *initium mensis* solebat inter Judæos constitui vel κατὰ συζυγίαν, vel κατὰ τὴν φάσιν Lunæ, συζυγία dicitur *conjunctio Lunæ*, cum illa cum aliis luminaribus conjungitur; quo tempore planè non videtur. *Luna*, cujus *aucta & damna* cottidie observamus, cum incipit splendere, ut id obiter tangam, dicitur *Luna nova, prima*, item, *Novilunium*. Cum diutius lucet, dicitur *Luna crescens*, cum sine intermissione, *Luna plena*, item, *Plenilunium*. Cum rursum intermittit, *Luna decrescens, senescens*, &c, *quæ minuitur*. Quum planè non apparet, quod tempus *triduo* definitur, dicitur *Luna silens*, item, *interlunium*, imò & συζυγία *conjunctio*; denique & *coitus lunæ*, quia tunc cum aliis luminaribus coire videtur, nec proinde conspici: φάσις autem *lunæ* dicitur illius *ortus & apparentia*, cum novam rursus post triduanum suum silentium lucem emittit. Inter Judæos olim solebat, ut dictum, mensis initium aut in die συζυγίας, hoc est, in uno die triduani coitus Lunæ collocari, secundùm computum astronomicum; aut etiam è φάσει *novæ Lunæ apparitione* caput & initium mensis figi. Senatus Judaicus, ubi per calculum certum habebat, Lunam novam apparere posse, conveniebat, nuncios visæ Lunæ exspectans. Testimonio horum nunciorum bene examinato, *quando, quâ parte, quâ formâ* seu *figurâ* Lunam spectassent, & approbato, proclamabat Synedrii Præses, מקודש מקודש *Sanctificatum, Sanctificatum est*, novilunium scilicet, quod festivum illis erat è lege Mosaica. Tuncque indictio fiebat à Senatu, *novilunium* esse. Cùm autem φάσις novæ Lunæ, nunc citius, nunc tardius observaretur, inde factum, ut non semper idem à Senatu mensis indiceretur caput seu initium. Quo posito, apparet, fieri potuisse, ut, qui constituerent νεομηνίαν κατὰ συζυγίαν, illis mensis citius inciperet, qui κατὰ φάσιν & Senatus indictionem, illis tardius, nonnunquam uno die. In tali occurrentia sæpe factum, ut qui religiosiores inter Judæos erant, postquam Pascha comedissent die 15. κατὰ συζυγίαν, idem rursum & secunda vice comederent κατὰ φάσιν, & novilunii à Senatu factam indictionem. Potuit id ita fieri Christi patientis tempore. Christus comedit

Verior sententia.

Pascha die in lege statuto; ducto initio mensis à Lunæ συζυγίᾳ. Populus Hierosolymitanus, ducto initio à φάσει & apparentia Lunæ indicta per Senatum. Ita & Christus legis implevit tempus, nec populus id violavit aut supergressus est, licet Christus uno die citius; populus uno die serius Pascha mactarit & ederit. Uterque mactavit die 14. & comedit nocte diei 15. Sed, ut dictum, Christus habita ratione συζυγίας lunaris; populus τῆς φάσεως. Ita qui secundum συζυγίαν erat dies 15, secundùm φάσιν dies tantùm fuit 14. Et qui secundùm συζυγίαν dies erat 14, secundùm φάσιν tantùm fuit dies 13. Ergo & Christus comedit Pascha in legitimo die Paschatis, & ipse, ut verum Pascha, eodem die mactatus est, quo Pascha typicum mactari solitum fuerat, & tunc à Judæis mactandum erat; nimirum die 14 mensis *Nisan*, qui & *Abib*. Nec à Judæis, postero die celebratum, injusto tempore, aut violatâ hora, in quam divinitus institutum erat, celebratum est. Adeoque Christus diverso respectu dici potest, & in Paschate crucifixus; nec tamen in paschate crucifixus, comedisse Pascha in paschate, & comedisse Pascha ante Pascha. Verbo, nec Christus violati præcepti reus est, nec Sacerdotes profanati festi ἔνοχοι.

§. 14. Quod autem Joh. 13:1. dicitur πρὸ τῆς ἑορτῆς, non ita accipiendum est, ac si Pascha comedisset *ante festum*, adeoq; præoccupasset Pascha edere ante paschatis diem, ut Maria προέλαβε *praeoccupavit corpus ipsius ungere ante funerationis diem*. Joannes enim docet quidem, *ante festum Paschale scivisse Iesum, quod venisset hora ipsius*; ℣. 1. non autem dicit δεῖπνον quod ℣. 2. ait γινόμενον, etiam factum fuisse *ante festum*. Neque ex eo, quod Apostolis vi[...], Christũ jussisse Judam *emere necessaria in festum*, sequitur, talia illos non fuisse cogitaturos, si *festum* jam fuisset illa nocte, quâ cum Domino τὸ δεῖπνον *paschale* comedebant. Nam Apostolos non latuit, Judæos festum uno tunc die serius incipere, habitâ ratione apparitionis Lunaris

Acta Christi in cœna Paschali.

§. 15. Merentur autem considerari, quæ Christus tum ante, tum in hac ipsa cœna, quæ ultima illi fuit in statu exinanitionis, egit, fecit, locutus est. A miraculo initium factum. Discipulis, quos misit, ut pararent πάσχα, dicit, *bajulum aquæ illis, intrantibus in urbem* Hierosolymam, obviam venturum. Patrem familias, in cujus domum ingressuri essent, illis monstraturũ ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον. Luc. 22:10. 11. 12. Marc. 14:13. 14. 15. ut *dixit illis*, ita *invenerunt*. Marc. 14:16. Luc. 22:13. Ita remotissima quæq; à se novit Servator noster, *Spiritu* nim. *suo*. Marc. 2:8 ὀψίας γενομένης *advenit* ipse cũ discipulis reliquis. Marc. 14:17. ἀνέπεσε & ἀνέκειτο. Matt. 26:20. Luc. 22:14. *Hoc se Pascha valde desiderasse comedere cum illis, antequam pateretur*. Luc. 22:15. Factum enim ita, ut eodem die Pascha typicum à discipulis comederetur, quo verum Pascha pro illis mactandum erat. Illa Paschalis cœna erat occasionem illi ministratura, meliora instituendi, pulcherrima prophetandi, & discipulos salutaribus præceptis instruendi. Comeso hoc Paschate aditurus erat certamen, quo *consummaturus* erat omnia; & figuræ veteres, adeoque & terrestris paschatis, implendæ omnes. *De hoc* paschate inquit, *se non amplius gustaturum, usque dum compleatur in regno Dei*. Luc. 22:16. docens, in regno Dei implementum fore legalis hujus umbræ; ibique dicendum, τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη, χριστὸς 1 Cor. 5:7. In cœna Paschali etiam fuit ποτήριον *poculum*, de quo nil quidem invenimus à Mose præceptum, ut cœna tamen esset perfecta nec esus Agni insalubris, ab Israële videtur additum. Et certè commodè hìc adfuit, quod in meliore cœna, quam paulò post Dominus instituit, unius symboli vicem sustinere debuit. De poculo Paschali Dominus, *gratiis actis*, ita dixit. *Non bibam ab hoc genimine vitis, usque dum regnum Dei veniat*. Luc. 22:17. 18. Ergo in poculo fuit *vinum*, quod ex vite genitum est; potuum utilissimum, medicamentorum suavissimum & de obsoniis omnibus homini gratissimum, ipsius quasi *terræ sanguis*. *In regno Dei*, quod *appropinquasse* hactenus nunciaverat,

nunc

nunc ut *adveniret*, tempus aderat, se id gustaturum innuit; ut enim post resurrectionem Christus videtur *edisse*, ita nec absurdum, illum bibisse.

§. 16. Inter cœnam surgit Dominus; & posito pelluvio cœpit lavare discipulorum *pedes*, & *abstergere*. Joh. 13:4–17. Exstiterat in hac cœna φιλονεικία in discipulis, quis *illorum major esset*. Luc. 22:24. Hanc superbam contentionem actu hoc humilitatis egregiè retudit Dominus. Inter lotos fuit & Judas; edit enim de Paschate, quidni & aspersus sitè pelve? Lotus inquam τοὺς πόδας, non lotus τὴν καρδίαν. *Vos puri estis, sed non omnes, noverat enim* τὸν παραδιδόντα αὐτόν. Joh. 13:10. 11. Non sufficit lavari σαρκὸς ῥύπον 1 Petr. 3: 21. *Cor* lavandum est *a malitia*. Jerem. 4:14. Lavit discipulorum pedes.

§. 17. In hac etiam cœna ἐταράχθη τῷ πνεύματι *turbatus fuit Spiritu* Dominus, *& dixit, Unus ex vobis prodet me.* Joh. 13: vers. 21. Matt. 26:21. Marc. 14:18. Sancta illius mens horrore & compassione affecta fuit. Indoluit homini, in profundum exitium petulanter se conjecturo. Horruit cogitans, quanta humano cordi insit malitia, ingratitudo & fraus; quàm deplorabilem habiturus proditor esset finem, & quæ illum secutura mala. Discipuli *sciscitari se mutuò cœperunt*, τίς ἄρα εἴη ἐξ αὐτῶν ὁ τοῦτο μέλλων πράσσειν Luc. 22:23. imò & σφόδρα λυπεῖσθαι. Matt. 26:22. Marc. 14:19. Dominus illum id facturum omnibus aperuit, qui *manum secum intingeret in catino* Matt. 26:23. Marc. 14:20. & in specie illi discipulo, ὃν ἠγάπα, *ille est, cui ego intinctam offulam dabo.* Joan. 13:23–26. Denique ipsi proditori, non sine ingenti protervia roganti, Μήτι ἐγώ εἰμι, ῥαββί, dixit, σὺ εἶπας. Matt. 26:25. Simul deplorabilem illius conditionem apertè gemuit, *melius illi fore, si nunquam natus esset.* Matt. 26:24. Certè enim longè melius est *non nasci*, quàm natum fieri serpentis antiqui organum, *geennæ Filium* (Matt. 23:15.) & *perditionis* exemplum. Parum juvat, hominem te esse, vidisse, agnovisse Servatorem, gustasse illius δυνάμεις, si deinde finis tuus est, ut Judæ exstitit. Prout τὸ ψωμίον e manu Domini accepit, *intravit in illum Satanas* Joan. 13:27. qui jam ante *intraverat*; & scelus, quod meditabatur, *in cor illius injecerat.* Luc. 22:3. Joan. 13:2. *Intravit*, inquam, & infernalibus ita totum agitavit furiis, ut quiescere, aut continere se diutius haut potuerit. Christus perspectum id habens, cum tenere illum posset per potentiam; aut obstaculum illi ponere, ne pergeret, ut Asinæ Bileam, sciens se *venisse in hanc horam* Joan. 12:27. jubet illum festinare. *Quod facis, fac cito.* Joan. 13:27. Nec cunctatus proditor εὐθέως ἐξῆλθεν. Joan. 13:30. Ita deserens Dominum suum, deseruit διακονίας suæ κλῆρον, & *viam* stravit εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. Act. 1:17. 25. *Erat autem nox*, cum exiret Proditor. Joan. 13:30. Ita certè νυκτὶ παρεδόθη ὁ κύριος. 1 Cor. 11:23. Squalida nox & obducta delectavit proditorem. Qui φαῦλα *facit, odit lucem* Joan. 3:20. *opera tenebrarum noctem* amant. Rom. 13: 12. Et tantùm *cæcæ noctis* habuit mortale hoc pectus; ut *exivit*, dixit Jesus, *Nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificatus est in illo*, καὶ ὁ θεὸς δοξάσει αὐτόν. Joan. 13:31. 32. *Passio* Christi, quam Judas proditor accelerabat, via *gloriæ* est, conjunctæ enim sunt, παθεῖν, καὶ εἰς δόξαν εἰσελθεῖν Luc. 24:26. confer Joan. 12:28. Turbatus est Spiritu.

§. 18. Sub finem Paschalis convivii aliud δεῖπνον instituit, quod κατ' ἐξοχὴν κυριακὸν dicitur 1 Cor. 11:21. qua de institutione superiore actum capite. Nunc tantùm consideranda supersunt illa verba, quæ hausto ποτηρίῳ dixit. *Non bibam à nunc ex hoc genimine vitis, usque in diem illum, quum illud bibam cum vobis* καινὸν *novum in regno Patris mei.* Matt. 26:29. Marc. 14:25. Docemur 1. In poculo fuisse *fructum vitis* h. e. vinum; non aqua, nec vinum aqua dilutum, sed *fructus vitis* tantùm, h. e. merum vinum. 2. Christum de vino cœnæ bibisse; adeoque ut Baptismum, ita & Cœnam in se initiasse & consecrasse. Instituit suam cœnam.

3. Vi-

3. Vinum *novum* futurum, *novitate* nimirum Spirituali. *In Christo facta sunt nova omnia.* 2 Cor. 5: 17. Ideò & *creaturæ*, in usum hominis creatæ. Sunt enim in *Christo sanctificatæ & purgatæ*, εἰς μετάληψιν omnium μετ' εὐχαριστίας 1 Tim. 4: 3. *Puris omnia* sunt *pura.* Tit. 1: 15. *Novus* (*si quis in Christo, nova creatura* 2 Cor. 5: 17. omnia facta sunt *nova.* 4. Hoc *novum vinum* se bibiturum cum discipulis suis *in regno Patris.* Actor. 10: 41. συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Deinde potest & per τὸ αὐτὸ *illud* intelligi id, quod analogum *vino* est, ut significetur *Idem*, non *numero*, nec *specie*, sed *analogia. Vino* analogum est *gaudium*, quod in Christo passo & glorificato habetur, ut vinum est è vite; ita gaudium hoc e Christo, Spirituali vite. Id vinum dicitur *novum*, ad denotandum illius excellentiam & eximietatem. Ita *canticum novum* dicitur *eximium*; & *Nomen novum*, quod *excellens* est. Apoc. 3: 9. Apoc. 2: 17. Ita sensus erit. In regno Patris *vinum novum* bibi, hoc est, novum gaudium, novam lætitiam percipi in Spiritu. In *regno Patris* id bibere datur; quia major in illo est *lætitia*, *pax*, *justitia.* Rom. 14: 17. confer Es. 55: 1. *Venite & emite sine argento & pretio Vinum & Lac.* Hoc novum vinum bibit Christus *cum* Apostolis. Sancti enim lætantur in Christo; Christus in illis. confer Luc. 22: 30.

De cœna non participavit Iudas. §. 19. De *cœna* hac proditor Judas non videtur participasse. Accepta enim *offula* Paschali *illicò exierat*, Joh. 13: 20. adeoque, antequam Dominica cœna instituta fuit, abierat. Si de illa participasset, *judicium sibi edisset* 1 Cor. 11: 29. & quod jam grave satis misero incumbebat, auxisset & duplici modo *reus sanguinis* Domini factus fuisset. 1 Cor. 11: 27. *Offula* illi data, non probat illum cœnæ communicasse. Fuit enim è Paschate, ut ex *intinctione* apparet. Ex verbis, Lucæ 22: 21. *Sed ecce, manus prodentis me, mecum in mensa est*; quæ post distributionem calicis à Luca narrantur, videtur sequi, in cœna manum proditoris adhuc fuisse in mensa. Sed potuit id dici à Luca per ὑστερολογίαν; quemadmodum & id, quod addit, *Væ illi homini*, &c. vers. 22. quod ex Matthæo & Marco constat in initio cœnæ Paschalis dixisse Dominum.

Pulchri sermones Christi, habiti in cœna. §. 20. In hac ipsa cœna complura alia locutus est Servator. *Disponit illis*, ac testamento quasi legat *Regnum*, ut *Pater* ipsi διέθετο Luc. 22: 29. confer Apoc. 1: 6. Hujus legationis consequens fore, *ut edant & bibant in mensa ejus in regno ejus*, *& sedeant in thronis judicantes* 12. *tribus Israël* Luc. 22: 30. Sed *ut regnum* Domini *non est ex hoc mundo* Joh. 18: 36. ita nec *mensa* ejus, nec *edere & bibere* in mensa ejus, nec *throni*, nec *judicia* sunt de hoc mundo. Etiam insidias Satanæ exposuit. *Quæsivit vos ventilare ut triticum* Luc. 22: 31. Illis opponit suam *intercessionem. Ego vero petii pro te*, Simon, *ne fides tua deficiat.* Luc. 22: 32. Fides sanctorum non deficit, quia Christus pro illis petit. Hebr. 7: 25. Imò & *caritatem* de optima nota commendavit. *Præceptum novum do vobis*, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους Joh. 13: 34. 35. Imò omnia eximia illa, quæ descripta sunt Joh. 14. 15. 16. in eadem cœna elocutus est. Denique & *elatis in cælum oculis* fudit orationem illam sublimem, efficacem, profundam, consolatoriam, quæ fixa attentione legi cottidie & considerari meretur. Joh. cap. 17.

§. 21. Id autem peregrinius videri possit; *Qui non habet*, nimirum nummos aut facultatem, *vendat vestem*, *& emat gladium.* Luc. 22: 36. Num autor factus est Discipulis, accingendi gladios, & acie gladii percutiendi adversantes? Hautquaquam. Allegorica hæc sunt verba. Docere voluit, graves imminere procellas, dira instare, magnum hostes impetum facturos; maturè de armis prospiciendum, acquirendum *gladium*; haut carnalem, sed spiritualem. τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος. Ephes. 6: 17. neque enim *arma militiæ*

nostra

nostræ sunt *carnalia*. 2 Cor. 10:4. Imò hunc gladium acquirendum etiam cum dispendio *vestimenti* nostri, hoc est, omni nisu & contentione. Neque enim de carnali gladio locutum Dominum res ipsa ostendit, quid potuissent pauci illi gladii, quos miseri discipuli accingerent? quam valuissent vim repellere? Imò id paulo post è reprehensione Petri ob strictum ensem etiam magis apparet. Regnum Christi non est de hoc mundo. Ne ergo arma suorum sint de hoc mundo. Pugna Sanctorum est Spiritualis. Talia oportet ut & sint illorum arma. Rudes discipuli putant Dominum de gladiis χειροποιήτοις loqui; ideò dicunt ὧδε δύο. Dominus: ἱκανόν ἐστι, ac si dicat. Talium gladiorum plus quam satis habetis. Ego verò de illis non loquor. Certè si de gladiis humanis locutus esset, sine dubio dixisset, *Duo* non satis sunt; non sufficiunt. Nunc *duos* sufficere inquiens, satis ostendit, de alio se gladio locutum.

Encomia ultimæ cœnæ Domini.

§. 22. Neque unquam in mundo habita cœna est notabilior & significantior hac ultima Domini. Hic Pascha typicum esum; & à Paschare verò comesum est. Figuram intus in se sui accepit Dominus. Ederunt digni & indigni. Undecim puri, & unus Proditor. Hic instituta melior cœna, in recordationem meliorum beneficiorum. Hanc Dominus sanctificavit & institutione, & præsentia & communicatione. Hic ultima ferè ad discipulos locutus est verba; & ultimam aperuit voluntatem, quam ratificavit per mortem. Hic promissa maxima publicavit; & ingentia mysteria revelavit. Hic Proditorem suum indicavit. Patrem cœlestem glorificavit. Discipulos ad humilitatem charitatemque invitavit; & ad futuram melioris Testamenti & regni novitatem initiavit. Hinc egressus ad ultimum prodiit certamen, & sponte in manus se conjiciens hostium, spontaneam ac voluntariam victimam sese demonstravit. Hinc exiit, ut impleret, quod in Typico Paschate tam longo intervallo erat adumbratum; & in cœna Dominica debet venire in recordationem, & esse in perpetuam annunciationem.

Post cœnam exit in montem oleatum.

§. 23. Finita cœna exivit Jesus, *secundum consuetudinem, ad montem olearum* Luc. 22:39. Ibi enim solebat *de nocte* αὐλίζεσθαι *pernoctare*. Luc. 21:37. Mons ille ita dictus est, eo quod frequens esset oleis. Inter illum & Hierosolymam φάραγξ *vallis* erat, quam *torrens* קִדְרוֹן *Kidron*, ita dictus vel ab *atrore* aquarum, vel à frequentibus *cedris*, intersecabat. Trajiciendus erat hic torrens, antequam in montem veniretur olearum. Inde quod alii Evangelistæ, *exivit in montem olearum*, id Joannes expressit, *exiit ultra torrentem Cedron*. cap. 18:1. Trans torrentem hunc mons olearum erat. David in fuga *transiit* בְּנַחַל קִדְרוֹן 2 Sam. 15:23. Filius David eundem transit; non, ut aufugiat sed ut capiendum se hostibus sistat. *Discipuli* comitati sunt Jesum. Joh. 18:1. Luc. 22:39. Illi enim sunt οἱ διαμεμενηκότες μετ᾽ ἐμοῦ ἐν τοῖς πειρασμοῖς αὐτοῦ Luc. 22:28. omnes adfuerunt. Solus absuit proditor, qui id agebat, ut τὸν μισθὸν ἀδικίας, aut jam solutum, aut re benè gesta solvendum, mereretur.

Prædicit discipulis, quod omnes in illo sint scandalizandi.

§. 24. Hac in via prædicit discipulis fore, ut *omnes scandalizentur in illo illa nocte* Matt. 26:31. Marc. 14:27. jam antea dixerat. *Ecce venit hora, & nunc venit, ut dispergamini quilibet in propria, & me solum linquatis*. Joh. 16:32. Nunc id repetit, & magis quid dicit: σκανδαλισθήσεσθε *offendemini*. In aliquo σκανδαλίζεσθαι, est, *offendi* in alicujus vel verbo vel facto, vel eventis, seu in eo, quod alicui accidit & evenit. In *verbo*. Matt. 15:12. Pharisæi ἀκούσαντες τὸν λόγον ἐσκανδαλίσθησαν. In *facto* Matt. 17:27. ἵνα μὴ σκανδαλίσωμεν αὐτοὺς *i ad mare, & ejice hamum*. Non solutione didrachmorum dicit illos scandalizandos. In *eventis* Matt. 13:21. γενομένης θλίψεως ἢ διωγμοῦ εὐθὺς σκανδαλίζεται. Joh. 16:1. *Hæc dixi vobis*, ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε; nimirum in persecutionibus vobis

vobis ſuperventuris. confer verſ. 2. De his in univerſum modis intelligendum eſt verbum Chriſti Matt. 11: 6. Luc. 7: 23. *Beatus*, ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί; cui nec verba mea, nec facta, nec conditio offendiculo eſt. Hic cum dicit, ſcandalizandos in ſe hac ipſa nocte diſcipulos, non de offenſione è verbis capta, neque è factis; ſed quæ ex eventuris ipſi capienda erat, loquitur. Chriſtum capiendum, vinciendum, abducendum, *in manus peccatorum* tradendum, ut illa nocte factum eſt, id diſcipulis viſum eſt peregrinum, id capere non potuerunt, quomodo fieri poſſet, ut filius Dei vivi tam indignum in modum tractaretur; id offendit illorum mentes, cogitationes, & conceptas de Chriſto opiniones. Quis neſcit, peregrina ipſis viſa, quæ Chriſtus de paſſionibus ſuis prædixerit? Nonne Petrus auſus eſt Chriſto illa narranti ἐπιτιμᾷν, ipſi Chriſto factus σκάνδαλον? Matt. 16: 22. Imò cum Luc. 18: 31. 32. 33. de paſſionibus & contumeliis ſuis clarè loqueretur, tamen illi οὐδὲν τούτων συνῆκαν, καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα verſ. 34. Credebant, Chriſtum eſſe *Filium Dei*, σωτῆρα *Servatorem*, Sed cogitarunt, ſalutem ab illo acquiri poſſe citra tanta παθήματα. Igitur cum Chriſtum viderunt in illa tradi, ut cum proditus eſt, videre cœperunt, annon putabimus, illos in hiſce eventis maximè turbatos & ſcandalizatos eſſe; & in ſe diſceptaſſe & hæſitantes cogitaſſe, *ſperavimus, quod hic* ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ Luc. 24: 21. unde ergo αὐτῷ τοῦτο? Ita Petrus. οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο. Matt. 16: 22. Hæc in Chriſto ſcandalizatio, & in captura ejus ac ligatione, ac abductione, & traditione offenſio eouſque abiit, ut *omnes fugerent, derelinquentes Jeſum.* Matt. 26: 56. In Petro autem, ut non quidem fugeret; ſed ἀπὸ μακρόθεν ſequeretur, & tandem turpiter abnegaret. Scandalizati ſunt in Chriſti captura & vinculis; noluerunt de illis participare, ideò omnes diſperguntur. Petrus abnegat; quilibet ad ſua ſecedit. Non ita *ſcandalizati* ſunt diſcipuli in Chriſto, ut *Phariſæi* Matt. 15: 12. aut *Nazareni* Matt. 13: 57. quibus fuit ἄτιμος; nec ut illi *diſcipuli*, qui offenſi illius *Sermone*, ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω. Joh. 6: 60. 61. 66. Sed ita tamen, ut hæſitarent, nec conciliare illa poſſent, quæ evenire Chriſto videbant cum opinione ſua de Chriſto; certè ut nollent Chriſto capto adeſſe, aut in vinculis illius, ignominia, παθήμασι, μέρος ἔχειν *partem habere.* Ita certè *Petra ſalutis* ipſis diſcipulis ſuis, quos ut ἰδίους ἐν τῷ κόσμῳ εἰς τέλος ἠγάπησεν Joh. 13: 1. exſtitit πέτρα σκανδάλου. 1 Petr. 2: 7.

Diſcipulorum diſperſio prædicta Zach. 13: verſ. 7.

§. 25. Hæc ſcandalizatorum in Chriſto capto diſcipulorum πάλαι *deſcripta eſt* diſperſio. *Percutiam Paſtorem & diſpergentur oves gregis.* Matt. 26: 31. Marc. 14: 27. Aliud eſt *in Chriſto ſcandalizari*; aliud *diſpergi.* Is *ſcandalizatur*, qui ea, quæ in Chriſtum irruerunt, dubius, anceps, hæſitans conſiderat, qui ea cum mente ſua & opinione conciliare non poteſt, cui illa mira & peregrina videntur, & quaſi Chriſtum non deceant. Is *diſpergitur*, qui Chriſtum deſerit, & alia loca petit, nec Chriſtum indivulsè ſequitur. Scandalizationem ſequi ſolet diſperſio; in quo enim ſcandalizamur, ab eo proclive eſt, ut diſpergamur & ſeparemur. Dum Prophetia prædixit diſperſionem ovium, ſimul innuit ſcandalizationem illarum. Ipſius Prophetæ verba ita habent Zach. 13: 7. הַךְ אֶת־הָרֹעֶה וּתְפוּצֶיןָ הַצֹּאן *Percute Paſtorem, & diſpergantur oves.* Præcedit, *Gladie ſurge ſuper Paſtorem meum*, &c. ſequitur. *Percute Paſtorem.* Eſt ſermo ad gladium. Chriſtus, *Paſtor Dei, percuſſus* eſt. Eſ. 53: 4. מֻכֵּה אֱלֹהִים *Percuſſus Deus*, ſeu *Dei.* 1. *Virga.* Mich. 4: 13. *Virga* יַכּוּ *percutiunt ſuper maxilla judicem Iſraëlis.* Eſ. 50: 6. *Tergum meum dedi* לְמַכִּים *percutientibus.* 2. *Gladio.* Ita hìc. Non quidem habuit amputatum caput; non præciſos manus & pedes; nil minus tamen *gladio* ictus eſt. *Manus* ejus *perforatæ* & *pedes. Latus* ejus confoſſum eſt λόγχῃ *lancea. Animam* pervaſit ῥομφαία *gladius.* Si id de *Maria* dicitur, Luc. 2: 35. quæ paſſiones eminus tantùm aſpexit, quidni magis de Filio, qui illas ſenſit?

Deni-

Denique percussus est *gladio*, quia mandato summæ ἐξουσίας *potestatis*, quæ τὴν μάχαιραν φορεῖ *gladium fert*, Rom. 13:4. in judicium mortis traditus est. Hunc *gladium*, summam in terris potestatem, עֶצֶר *dominationem*, alloquitur Dominus, jubens *percutere pastorem*. Quod *gladius* fecit, jussu quasi Dei fecit; quia τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ Act. 2:23. ἄνωθεν *data* est illi ἐξουσία quâ usus est κατὰ τοῦ Ἰησοῦ. Joan. 19:11. Ideo *Deo* ipsi tribuit Servator, πατάξω *percutiam*, quod consilio Dei & moderante providentia fecit *gladius*. *Percutiam & dispergentur oves*. Cœpit tantùm *percuti*, hoc est, apprehendi, ligari, abduci, & *oves* jam fugiunt, quid fecerunt, ubi plenè *percussus* est, cruci adfixus, cum improbis numeratus? Dulce est *ovium* nomen; quo Christus etiam in Euangelio usus Joan. 10:11.15. 16. quod sanctos memores facit suarum *aberrationum*, 1 Petr. 2:25. & imminentium *passionum* Rom. 8:36. & agendæ aut exercendæ *patientiæ* Es. 53: vers. 7. & *curæ* pastoralis, quæ pro illis excubat Joan. 10: vers. 11. & *officii*, quod pastori suo debent. Joan. cap. 10. 4.5.14.16.

§. 26. Simul indicavit Dominus discipulis suam *resurrectionem*, & ubi excitatum illum quærere & convenire debeant, quoties *pastorem* suam prædixit, toties de *resurrectione* etiam sua verba fecit. Matt. 16:21. 17:22.23. Luc. 18: ℣. 33. Μετὰ δὲ τὸ ἐγερθῆναί με, προάξω ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν. Matt. 26:32. Marc. 14:28. Id ita factum, etiam Angelus è sepulchro testatus est. Matt. 28: vers. 7. Marc. 16:7. Non ergo *dispersio ovium* futura erat diuturna; nec *scandalizatio* talis, ut *fides* illorum *deficiat*. Pastor in Galilæa oves scandalizatas collecturus & benignè recepturus erat. *Etiam resurrectionem suam indicavit.*

§. 27. Petrus arroganter Domino respondit. Matt. 26:33.35. Marc. 14:29.31. *Si omnes alii scandalizentur*, ἀλλ' οὐκ ἐγώ. Superba vanitas. De aliorum constantia facile dubitat, de sua gloriatur; imò ad *mortem & carcerem* usque. Luc. 22: vers. 33. confer Joan. 13:38. *Animam meam pro te ponam*. Petri jactantia animum addidit *omnibus*, ὡσαύτως δὲ καὶ πάντες ἔλεγον. Marc. 14: vers. 31. Matt. 26: vers. 35. Sed mentiti omnes sunt. Et nullus gravius impegit Petro. Servator *lamosum* illius *cor*, & inconstans pectus perspectum habens, dicit illi. *In hac ipsa nocte, antequam Gallus cantet, ter abnegabis me*. Matt. cap. 26: vers. 34. confer Luc. 22: vers. 34. μὴ εἰδέναι με. confer Joan. 13: vers. 38. Apud Marcum est, *antequam δὶς bis cantet*. cap. 14:30. Gallus, canorum animal, ter de nocte canit. Tria tempora cantus servat, matutinus cantus clarissimus est. *Cantus* Gallorum Græcè dicitur Ἀλεκτοροφωνία; Latinè *Gallicinium*. Ante secundum cantum terna Petri abnegatio facta est. Post primam prima vice cecinit. Post secundam & tertiam secunda vice. Marc. 14:68.72. *Petri arrogantia à Domino refuta.*

§. 28. Progressus Jesus venit *in villam dictam Getsemaneh* γεθσημανῆ Matt. 26:36. Marc. 14:32. Est quasi גֵּיא שְׁמָנִים *vallis pinguium*, aut גַּת שֶׁמֶן *prelum olei*, aut גֵּי דִּיקְנָן *vallis signi*, aut גֵּי דִּסִיקְנָן *vallis signorum*, hoc est, valde insignis vallis, dicitur fuisse *vallis ad radices montis oliveti longè amœnissima*. Joan. 18:1. dicitur κῆπος *hortus*, ibi *convenerat Iesus cum discipulis suis* πολλάκις *sæpe*. Joan. 18:2. eratque adeo *locus* ipsi familiaris. Luc. 22:40. γενόμενος δὲ ἐπὶ τοῦ τόπου. De *monte olearum* observatum doctis, quod *vacca* illa *rubra*, Num. 19. quæ olim *extra castra mactabatur*. vers. 3. exstructo templo, in monte hoc mactata fuerit, adeo pulchrè typo respondit veritas. In ipso hoc loco *sanguinem* sudavit Dominus, qui *sanguine vaccæ* toties humectatus fuerat. *Venit in hortum Getsemaneh.*

§. 29. Ibi *sedere* jussis Discipulis longius aliquanto secessit, nec solus tamen, sed *assumtis Petro, Iacobo, Iohanne*. Matt. 26:36.37. Marc. 14:32.33. ut qui olim fuerant in *monte spectatores suæ magnificentiæ*, Matt. cap. 17: vers. 1. 2 Petr. 1: vers. 16. nunc fierent testes *Ibi Passio Christi cœpit, cujus historia ad quatuor classes refertur.*

 anxie-

anxietatis suæ profundissimæ. Et hic *passio* Christi cœpit, cujus historiam unanimiter consignarunt Euangelistæ, ita tamen, ut singuli ἴδιον quid, quod alii prætererunt, observarint, ut ex ipsa tractatione apparebit. Memoriæ juvandæ causâ omnis hæc historia in quatuor distribui classes poterit. Prima aget de iis, quæ *in horto* Christo evenerunt. Secunda de iis, quæ *in domo* summi Pontificis. Tertia de iis, quæ in *Prætorio*. Quarta de iis, quæ in *Golgata*.

§. 30. In horto tria sunt attendenda. 1. Tristitia. 2. Effusæ preces. 3. Captura.

Christus cœpit λυπεῖσθαι.

§. 31. De *tristitia* Matt. 26:37. ἤρξατο λυπεῖσθαι *cœpit tristari*. Christus in vita sua ut *exultationes*, & gaudia, Luc. 10:21. ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι, ita & *tristitiam* & alterationes sensit. Marc. 3:5. συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν, unde Christi *lacrymæ*, Luc. 19: ℣. 41. ἔκλαυσε. Joan. 11: vers. 35. ἐδάκρυσε, nisi à λύπῃ? Hic tamen major & insolita Sanctum occupavit; nimirum talis, qualem experiri decebat, qui ob peccata totius mundi contristari debebat. Longè errat *Origenes*, ita in hæc verba commentatus. *Cœpit tristari*, inquit, *nihil amplius tristitiæ vel pavoris patiens nisi principium tantùm. Nec enim scriptum est, quia pavit vel tristatus est; sed, cœpit pavere & cœpit tristari.* Sed non levem fuisse tristitiam Christi inde satis apparet, quod simul ἐν ἀδημονίᾳ & ἀγωνίᾳ ἐγένετο, & tam mirabiliter sudavit. Verbo ἤρξατο non quantitas aut magnitudo tristitiæ, sed initium temporis, quo cœpit, notatur. Non tantùm dicitur fuisse *tristis*, sed περίλυπος *pertristis*, valde tristis. Ita apud Arist. 4. moral. cap. 7. καὶ ὅτε εὐτυχῶν περιχαρὴς ἔσται, ὅτε ἀτυχῶν περίλυπος, *neque in secundis valdè latus erit, neque in adversis valdè tristis*.

& ἀδημονεῖν.

§. 32. Nec *tristari* tantùm, sed & ἀδημονεῖν. ἀδημονεῖν Suidæ est λίαν λυπεῖσθαι. Hesychio ἀγωνιᾶν *angi*, cum gravi dolore luctari. Eusthatio ad Iliad. K. ἀλύειν καὶ ἀμηχανεῖν. Ἀλύειν est *jactari* & *inquietari*, & *febricitantibus* tribuitur. Plutarchus de *Antonio*, cum *Cleopatram* anxiè expectaret, βραδυνούσης δὲ αὐτῆς ἀδημονῶν ἤλυε. Notatur Servatorem nostrum summis angoribus jactatum, inquietatum, & perculsum fuisse. Cœpit ἀδημονεῖν, hoc est, *angi gravissimè* & horribiliter. Semel adhuc hæc vox occurrit. Phil. 2:26. Epaphroditus dicitur fuisse ἀδημονῶν, ut autem causa hujus in Epaphrodito ἀδημονίας multis gradibus fuit inferior, ita & ἀδημονία ipsa.

& ἐκθαμβεῖσθαι.

§. 33. Imò & ἐκθαμβεῖσθαι Marc. 14:33. hoc est, *expavescere* & penè exanimari. Marc. 16:5. de mulieribus dicitur ἐξεθαμβήσαν. vers. 6. μὴ ἐκθαμβεῖσθε. Factæ sunt ἔκθαμβοι *attonitæ*. Actor. 3:11.) ἐπλήσθησαν θάμβους καὶ ἐκστάσεως, *impleti sunt pavore & stupore*. Igitur & θάμβος καὶ ἔκστασις mentem Servatoris occupavit.

& esse ἐν ἀγωνίᾳ.

§. 34. Imò & cœpit *esse* ἐν ἀγωνίᾳ Luc. 22:44. Laërtio ἀγωνία est φόβος ἀδήλου πράγματος Damasceno, φόβος διαπτώσεως ἤγουν ἀποτυχίας, φοβούμενοι γὰρ ἀποτυχεῖν τῆς πράξεως, ἀγωνιῶμεν. *Timor frustrationis spei & operis.* Servator ἀγωνίαν sensit; luctam, intrinsecum certamen in mente sua. Hujus ἀγωνίας vox est Es. 49:4. *Et ego dixi, certè* לריק *in frustra laboravi,* לתהו והבל *in inane & vanum vim meam consumsi.* Sed statim se colligens dicit, *certè jus meum cum Domino, & opera merces cum Deo meo.*

Et sudare sanguinem.

§. 35. Denique cœpit *sudare*. Sed sudorem mirum planè & præternaturalem. *Exstitit verò sudor ejus* ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος *ut grumi sanguinis*, ex omnibus poris exeuntis, καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν *descendentes in terram*, Luc. 22.44. non per corpus tantùm destillantes, sed tanta copia delabentes, ut in terram ipsam, fluvii instar, defluerent. Verum est, etiamnum nonnullorum hominum sudorem sanguinem referre. Qui vinum rubrum largius hauserunt, in illis reliquiæ vini indigestæ per sudores subrubicundos nonnun-

quam

quam exeunt. Idem fit, quum nimis tenuis sanguis est, & naturâ languidior. Etiam in mulieribus, cum menses illis sistuntur. In Libya dicitur vipera, *Hæmorrhois* dicta; inveniri, cujus morsu vulneratum corpus per poros omnes sanguinem emittit. Lucanus lib. 9. *Impressit dentes Hæmorrhois aspera Tullo .... omnia membra emisere simul rutilum pro sanguine virus. Sanguis erant lacrimæ: quæcunque foramina novit humor, ab iis largus manat cruor, ora redundant, & patulæ nares. Sudor rubet: omnia plenis membra fluunt venis.* De sudore cruento consule Marcellum Donatum, de medica historia mirabili. lib. 1. cap. 2. Sed alius planè cruentus hic sudor Christi, non ingurgitavit in se merum, non morbis languefactus est, non viperæ dente correptus, non veneno illius infectus, quod corporis compage soluta, sanguinem per omnes poros expelleret. Benè sanus, quoad corpus, inter preces, tali sudore fluxit, qui *guttatim* delapsus, ipsam terram humectavit. Cogitemus hîc serpentem antiquum, viperam illam infernalem, tantum sudorem Servatori expressisse.

§. 36. In hâc λύπῃ, ἀδημονίᾳ, θάμβει, ἀγωνίᾳ & ἱδρῶτι emisit vocem hanc, περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου. Matt. 26:38. Marc. 14:34. Inde liquet 1. Omnia hæc in sanctam ipsius *animam* intruisse. Inimici *corpus potuerunt occidere, non animam.* Matt. 10:28. Igitur à manibus hominum immunis mansit *anima*, non tamen expers angorum & passionum relicta ipsa. Totus Christus debuit pati, per quem totus homo debuit reconciliari. Igitur & *anima* illius. 2. Tristitiam & ἀδημονίαν *ad mortem* fuisse, hoc est, non tantùm lethalem & gravissimam, ut Ezechias dicitur *ægrotasse* לָמוּת *ad mortem*, hoc est, lethaliter Es. 38: 1. & Jonas queritur חָרָה לִי־עַד מָוֶת *exardus ad mortem* Jon. 4: 9. Sed ad *mortem* usque durasse. Igitur & in horto, & in prætorio, & in cruce, inter summos dolores corporis, mansit λύπη hæc & ἀδημονία, nec terminata est nisi in ipsa morte.

Tristis est anima mea usque ad mortem.

§. 37. Tristitiæ hujus *causa*, non fuit *libera*, ut docent Pontificii, Christum hâc tristitiâ omnino carere potuisse & libera voluntatis electione eam suscepisse; potuisse esse sine illa victimam perfectam; sed *necessaria*, hoc est, ut *debuit* Christus pati, ita & contristari ac angi. Fuit tristitia pars pœnæ pro nobis debitæ. Luc. 12:50. Βάπτισμα ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πῶς συνέχομαι. *Habuit* ita συνέχεσθαι *constringi.* Hoc est vi sponsionis suæ pro nobis obligatus fuit. Anima debuit extrema pati, quæ animas debuit redimere. Tristitia solet oriri vel è sensu mali præsentis, vel è metu futuri. E sensu mali, quod animam afficiebat Domini, tristis illa facta est. Reatus totius mundi, peccata omnium, ira Dei, legis exsecratio, Diaboli infestatio sanctissimam animam pressit. E sensu mali futuri, tum passionum, quæ corpori imminebant, tum tentationum, quas discipuli sui sensuri erant, tum periculorum, in quæ Judas hostesque, quibus mira charitate indoluit, delapsuri erant, tristitia illa multùm aucta est. *Exigebatur pœna* peccatorum nostrum, וְהוּא נַעֲנֶה *& ille subactus fuit.* Es. 53:7. *Irruere in illum fecerat Dominus peccatum omnium nostrum.* ibidem vers. 6. Sub hac mole, & onere gemuit, suspiravit, sudavit, tristatus est.

Debuit ita tristari.

§. 38. Cæterùm nulla lingua eloqui, nulla mens cogitatione assequi potest *tristitiæ, anxietatis*, & *horroris* magnitudinem, cum qua anima sanctissimi Servatoris colluctata est. Talis illa fuit, qualem justitia divina & Lex immutabilis exegit ad ἱλασμὸν *expiationem peccatorum* ὅλου τοῦ κόσμου. Corpus Servatoris dirissima sensit, flagella, ictus, perforationes, confossiones, ossium solutionem. Anima prior sensit, diutius sensit, & diriora sensit. Inde queritur, se *effusum ut aquam, cor ejus factum ut ceram, liquefactum in medio viscerum.* Psalm. 22:15. *Cor meum dereliquit me.* Psalm. 40: 13. *Tuli terrores tuos*, אָפוּנָה *deficio.* Ps. 88:16. *Super me transiverunt excandescentiæ tuæ, formidines tuæ consternarunt me. Noti mei tenebræ.* ibid. ℣. 16. 17. 18. Tanta fuit hæc ἀγωνία, ut mitti è *cælo Angelus* debuerit ἐνι-

Magnitudo tristitiæ & angoris.

ἰσχύων αὐτὸν corroborans eum. Luc. 22:43. non externa attulit confortativa Angelus. Animo sanctissimi malè erat. Externa illum remedia juvare non poterant. Solatium potius & verbum bonum luctanti Servatori attulit. Moses & Elias in monte *dixerunt*, τὴν ἔξοδον αὐτοῦ Luc. 9:31. Angelus etiam hujus ἐξόδου necessitatem, utilitatem, efficaciam, pretium enarrando, luctantem Jesum tanto solatio corroborare optimè potuit. Joan. 12:29. dicebat populus, *Angelus locutus est illi.* Hic verè Angelus collocutus est cum illo, si non ad aures, certè ad animum.

Oratio Domini. §. 39. Ita *tristis* Dominus & ἐν ἀγωνίᾳ προσηύχετο *oravit* & quidem ἐκτενέστερον *intensius*, vehementer, ardenter, magna vi animi, magno nisu vocis. Luc. 22:44. δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου, μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων προσενέγκας. Hebr. 5:7. oravit ἀποσπασθεὶς *avulsus a discipulis* ὡσεὶ λίθου βολὴν *jactus lapidis instar.* Luc. 22:41. confer Matt. 26:39. *& progressus parum.* Oravit *positis* seu flexis *genubus* Luc. 22:41. imò *in faciem prolapsus* Matt. 26:39. Marc. 14:35. Oravit pluries & per intervalla, imò ἐκ δευτέρου, ἐκ τρίτου. Matt. 26:39.42.44. Ita & de se Paulus, τρὶς παρεκάλεσα 2 Cor. 12:8. oravit, *ut, si possibile esset, transiret ab ipso hora hæc.* Marc. cap. 14. vers. 35. Ita & ante paschalem cœnam dixerat, *serva me ex hora hâc.* Joan. 12:27. Formula orationis, quâ in horto usus, hæc fuit. *Abba Pater, omnia possibilia tibi. Transfer poculum a me hoc,* ἀλλ' οὐ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σύ. Marc. 14:36. *Pater mi, si possibile est, transeat a me,* &c. Matt. 26.39. Lucas abruptius 22:42. *Pater,* εἰ βούλει παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο. *Si velles transferre poculum hoc,* &c. Ita optantis erit. Potest & esse ἀποσιωπήσις, quæ non dedecuit mœstissimum Servatorem, *si vis transferre,* &c. γενηθήτω *fiat.* In quodam vetere codice dicitur esse, εἰ βούλει, παρένεγκαι, *si vis, transfer.* Potest & infinitivum pro imperativo venire. Secunda & tertia vice orans dixit τὸν αὐτὸν λόγον. Marc. 14:39. Matt. 26:44. nisi quod parva variatio est in secunda vice, ut Matthæus retulit vers. 2. *Pater mi, si non potest poculum hoc transire à me, nisi id bibam, fiat voluntas tua.*

Explicatur. §. 40. *Abba* inquit, id dulce illud nomen est, quod & nos *clamamus in Spiritu* υἱοθεσίας. Rom. 8. vers. 15. Galat. 4:6. Origine Syriacum. *Abba Pater,* bis clamat, *Pater, Pater,* ut desiderii sui vehementia constet. Paternum animum & amorem sollicitat. *Omnia possibilia tibi.* confer Marc. 10:27. Luc. 18:27. Job 42:2. Quidquid ad gloriam Dei facit, id omne Deo possibile est, quæ cum illa pugnant, non potest; quia omnia potest. Turpia facere posse & ingloria, non potentiæ, sed impotentiæ argumentum est. Multa sunt possibilia *re*, hoc est, possent fieri, sed non sunt possibilia *jure*, hoc est, injustè fierent. Potuisset *poculum* à Christo transferri, potuisset Satanas cohiberi, potuissent angelorum legiones in subsidium Jesu mitti, potuissent Judæi accusatores confundi; & sententia condemnatoria Pilati prohiberi. Sed non potuit id *jure*, obstitit τὸ γεγραμμένον, Luc. 22. vers. 22. obstitit Prophetiæ vebum. Matt. cap. 26. vers. 54. Est autem justitia & veritas omnium divinarum actionum norma & regula; quam haut *abnegat*, ut nec *se ipsum.* 2 Tim. cap. 2: vers. 13. Ita & Paulus dicit Galat. cap. 4. vers. 15. *Testor vobis, quod, si possibile, oculos vestros eruentes dedissetis mihi.* Potuissent Galatæ oculos suos configere. Sed non potuerunt id salvâ charitate, qua quilibet tenetur sibi. Ideò εἰ δυνατόν. Sub hac etiam conditione petit Servator, *omnia tibi, Pater, possibilia,* quæ salva gloria tua fieri possunt. *Transfer, si possibile est, poculum,* &c.

Possibilia Deo quæ?

Poculum quid in sacris significet. § 41. Τὸ ποτήριον τοῦτο *poculum hoc*, quod præsens erat & jam hauriebat, & plenius jam jam hauriendum erat, petit *transferri, & ut transeat à se*, ut ne id bibat. Poculum est vas aptum continendo potui. Diogenes ollam confringebat, quia manum ad hau-

hauriendum aquam sufficere putabat. Exigit tamen honestas & decus, ut poculis utamur, extra quæ liquida contineri non possunt. Quia autem potus alius est *bonus* & lætificat, ut vinum; alius *malus* & perturbat, ut acetum, fel, venenum, cicuta, hinc figuratè *poculum* venit 1. Pro *bono* lætificante. Psalm. 16: 5. *Iehova* כּוֹסִי *poculum meum.* Psalm. 23: 5. כּוֹסִי רְוָיָה *Poculum meum irriguum est.* Psalm. 116: 11. כּוֹס יְשׁוּעוֹת *Poculum salutum tollam.* 2. Pro *malo* turbante & affligente. Psalm. 75: 9. *Poculum est in manu Domini, & vinum lutulentum, plenum mixtione.* Tren. 4: vers. 21. *Filia Edom, etiam super te transibit calix, inebriaberis & nudaberis.* Ezech. 23: 31. 32. 33. *Poculum sororis tuæ bibes profundum & latum.* כּוֹס שַׁמָּה וּשְׁמָמָה *Poculum stuporis & desolationis*, Ierem. 25: vers. 15. *sume poculum vini excandescentiæ hoc è manu mea.* כּוֹס הַיַּיִן הַחֵמָה הַזֹּאת Es. 51: vers. 22. *Auferam è manu tua poculum horroris*, אֶת־כּוֹס הַתַּרְעֵלָה *feces calicis indignationis mei; non addes bibere illum adhuc.*

§. 42. *Poculum*, quod à se transferri petit Dominus, est *poculum excandescentiæ, stuporis & horroris.* Tale hauriendum illi erat. De *poculo* suo etiam aliàs dixerat Matt. 20: 22. *Potestis bibere poculum, quod ego bibam?* vers. 23. τὸ ποτήριον μου πίεσθε. Ioan. 18: 11. *Poculum, quod dedit mihi Pater, annon bibam illud?* scilicet *Passio* Domini & *Mors* est poculum illud, cujus translationem petit. Eadem dicitur βάπτισμα. Matt. 20: 22. Hæc passio & mors fuit animæ & corporis. Pertinet ad illam omnis λύπη, ἀδημονία, θάμβος, ἀγωνία, πειρασμὸς, ἱδρὼς, *dolor*, *confossio*, & quicquid Dominus ad finem usque passus est. Quæ corpus passum est, minima sunt, plagæ, vibices, vulnera. In anima maxima, ineffabilia & nobis incomprehensibilia perpessus est. Hæc *tulit terrores Dei*, *æstumque* illius; illa immersa est *aquis* & torrentibus inferni. Illam cinxerunt *tenebræ*. Illa querula dixit, *Quare Domine, abjicis animam meam, occultas faciem tuam à me.* Psalm. 88: 15 – 19. Omnium totius mundi peccatorum onus Servatori incubuit, omnes pœnas peccatis debitas, temporales, æternas, non duratione, sed intensione & vehementia pertulit. Dei iram sensit; lætificante illius communione caruit, à serpente compunctus est. Imò omnia illa passus est, quæ nos in æternum pati debuissemus. *Morbos nostros tulit, & dolores nostros bajulavit.* Ni omnes nostras pœnas perpessus esset, non verè pro nobis satis fecisset. Atqui est verè & plenissimè ἱλασμὸς περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. 1 Ioan. 2: 2. Igitur hocce amarissimum poculum, quod jam hauriebat, & paulo momento, ad extremas usque feces hausturus erat homo hic, derelictus à Deo, derelictus à se ipso, derelictus à viris, derelinquendus à dilectis & sociis suis, à se transferri petit.

Quid in oratione Domini?

§. 43. Nemo incuset Servatoris *fortitudinem & constantiam*; ac si illa minor sit Martyrum, qui canentes voraces flammas ingressi, læti, inter maxima tormina exspirarunt. Quanta enim hic differentia. Martyrum *corpora* tantùm occidi potuerunt, non *animæ* Matt. 10: 28. Mortui sunt liberi à peccatorum onere; quia loti in Agni sanguine. Patientes luce Dei, & Spiritus lætitia gavisi fuere. Omnia hæc defuerunt Jesu morienti. Anima & corpus infernales pœnas sensit. Omnium peccata & debita in corpore suo in crucem tulit 1 Petr. 2: 24. A Deo βραχύ τι derelictus, & consortio illius ac Angelorum destitutus, traditus tenebris, Satanæ, *Leoni rugienti*, *Canibus Improborum cœtui*, *Cornibus monocerotum.* Psal. 22: 17. 20. 21. 22. 23. Quis vitio vertet homini Jesu, tam dira, tam immania & horrenda ferenti ita exclamasse? Nemo blasphemet illius *sanctitatem* & pietatem, ac si petiisset contraria Deo. Imò contraria sibi ipsi, ac officio suscepto, venerat in mundum, ut hæc pateretur in mundo. Nunc petit, ut ne patiatur. Atqui vides illum petentem sub conditione, εἰ δυνατὸν, εἰ βούλει. Vides illum sponte se dedentem; *verum non ut*

Oratio hæc non pugnat cum Christi fortitudine.

Nec sanctitate.

Ego volo, sed ut Tu. Interea sancta illius humanitas à tantis calamitatibus horrere potuit, pulsa amore suæ incolumitatis, convenienter legi naturæ & Decalogi, quæ amorem nostri non vetuit, sed commendavit. Non odit homo Jesus carnem suam; sed dirissimis passionibus expositam, non sine sensu profundissimi doloris, & innocenti desiderio suæ conservationis intuitus est, sine ullo desperationis aut excessus vitio. Nemo denique convicietur illius *sapientiam* ac prudentiam, quod petiit, quod haut possibile sciebat. Sanctissimus homo extra se raptus, non præsens sibi, ex ingenti *perturbatione animæ*, (Joan. 12:27.) *tentatus in omnibus secundum similitudinem, sine peccato* Hebr. 4: 16. potuit ita dicere, ut & promtus fuit illicò se corrigere. Ita & Ioan. 12: 27. *serva me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam.* Fuit pars perpessionis pro nobis, animam ita turbatam habere, ut illa quasi extra se esset, & memoria illius quasi obscuraretur, & momento à rebus præsentibus averteretur.

Nec sapientia.

Quid amplius per poculum intelligi possit.

§. 44. Cæterùm & alia per *poculum* intelligi possunt. Peccata Ecclesiæ & mala, quibus Servator συμπαθεῖ, poculum illius sunt. Talis Petri abnegatio. Apostolorum scandalum, quos hoc ipso momento rogabat, ut *tentationem* deprecarentur. Numquid etiam dubitabimus, Christo in tanta ἀγωνίᾳ constituto in mentem venisse tentationes Ecclesiæ futuras, quæ omnes *sua* sunt. Corpus enim suum est Ecclesia. Hæc cogitatio sollicitum illum habuit; etiam hoc poculum amarum illi fuit. Quid quod Iudæ exitium, Iudæorum perfidia, & certò subsequens interitus sanctissimæ animæ, etiam inimicos diligenti, non potuit non angorem facere? Igitur & hæc omnia in hac petitione, *Transeat à me calix*, contineantur, ut deprecatus sit & dira sua tormina, & amicorum suorum imminentia mala, imò & inimicorum æterna discrimina, imprimis tamen sua παθήματα, loquitur enim de *calice hoc*, qui præsens erat, ut hauriretur, de quo paulo post, τὸ ποτήριον, ὃ μὴ πίω αὐτὸ Ioan. 18: 11. Ideò lapsi sunt Patres, qui de poculo & passione aliorum verba Christi merè exponunt. Hieron. *Postulat, ut transeat ab ipso passionis calix; postulat autem non timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum; unde & signanter non dixit, transeat à me calix, sed calix iste*, hoc est, *populi Iudæorum, qui excusationem habere non potest, si me occiderit*, &c. Idem. *Contristabatur, non timore patiendi; sed propter infelicissimum Iudam, & scandalum omnium Apostolorum & rejectionem populi Iudæorum.* Augustinus. *Nisi fortè putatis fratres, quando dixit, transeat calix iste, mori timebat! Non est fortior miles, quàm Imperator. Paulus miles Regis Christi optat mortem, & ipse Christus timet mortem? unde erat illa vox? membrorum ipsius vox est, non capitis.* Planè autem alienè Hilarius Commentar. ad Matt. cap. 26. *Pro his*, inquit, *rogat, qui passuri post se erant, dicens, transeat calix iste a me; id est, quomodo a me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.*

Discipuli dormiunt.

§. 45. Dum orat Christus, *dormiunt* discipuli. ἀπὸ τῆς λύπης Luc. 22:45. Moniti, ut *vigilent*, rursùm tamen indormiunt; nec *orant*. Sic in sanctissimis *caro infirma est.* Matt. 26: 38. 40. 41. 43. Ita jam vacillat Petrus; qui cum Domino suo volebat mori, ne *unam* quidem *horam cum illo potest vigilare.* Tandem cum absolvisset orare, dicit illis, καθεύδετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε. *Ecce appropinquavit hora, & filius hominis traditur*, &c. Matt. 26: 45. ac si dicat. Reliquum tempus concedo vobis ad dormiendum. Bonum est vobis dormire & quiescere, dum Filius hominis traditur. Si Petrus dormivisset, non abnegasset. *Surgite, eamus.* Matt. 26: 46. Ego obviam ibo proditori & lictoribus meis. Vos quisque εἰς τὰ ἴδια. Marcus narrat, dixisse Dominum, Ἀπέχει, ἦλθεν ἡ ὥρα. Marc. 14: 41.

14:41. ac si dicat, Quod vobiscum agendum habui, actum est, *ἀπέχει*, habet id nunc suum finem: non diutius vobiscum conversari mihi datur. *Ecce enim, qui prodit me*, &c.

§. 46. Hæc dum loquitur, venit proditor cum lictoribus; non fugit agnus Dei; non se occultat. *Quem quæritis*, dicit. Matt. 26: 47. Marc. 14: 43. Luc. 22: 47. Ioan. 18: 5. Respondentibus, *Iesum Nazarenum*, dicit, *Ego sum* Ioan. 18: 5. Hac audita voce illi *retro cesserunt*, imò quidam *humi ceciderunt*. ibid. vers. 6. Ita captores magis territi, quàm qui capiendus erat. Conscientia, heroica vox Christi, memoria eximiè ab illo factorum, lictores videtur perculisse. Adhuc cessant. Ideò rursum rogat, *Quem quæritis*, & dicit, *Ego sum*; *sinite hos ire*, Ioan. 18: 8. videntur in Christi comites fecisse impetum, & ex illis voluisse comprehendere. Ita demum *Iudas* proditor prodiit, & *osculatus est* Jesum, id enim *signum* lictoribus dederat. Matt. 26: 49. Marc. 14: 44. 45. Jesus benignè illi respondit. *Amice*, ἐφ' ᾧ πάρει, *ob id ne est, quod venisti?* Matt. 26: 50. *Iuda, osculone Filium hominis prodis?* Luc. 22: 48. Ita lictores *manus* in sanctum Dei *puerum injiciunt*, *apprehendunt*, & funibus *ligant*. Matt. 26: 50. Ioan. 18: 10. *Simon Petrus*, indignatus, *Malcho, servo summi Pontificis aurem dextram amputat*. Reprehenditur à Jesu. *Poculum à Patre datum bibendum* sibi esse, *gladio perituros*, qui *gladium accipiunt*. Posse se petere *duodecim legiones Angelorum*, nisi sponte se traderet. *Scripturas* esse *implendas*. Ipsis in vinculis, potente manu, truncatum aure, *sanavit*. Matt. 26: 50 -- 54. Ioan. 18: 10. 11. Luc. 22: 49 -- 51. Etiam lictoribus exprobrat, quòd venerint ὡς ἐπὶ λῃστήν. *Sed*, addit, *hæc est vestra hora, & potestas tenebrarum* Luc. 22: 52. 53. Princeps tenebrarum, qui *nunc ejicietur foras* Ioan. 12: 31. & aliàs ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδὲν Ioan. 14: 30. *potestate* sua ultima nunc utitur. Hic nunc *derelinquitur à discipulis, fugiunt omnes*; etiam Petrus, ὁ κομπαστὴς Matt. 26: 56. Marc. 14: 50. Ita *impletæ Scripturæ*. Psalm. 88: 9. 19. Zach. 12: 7. Tuncque Christus solari se potuit verbo, quod dixerat pridie, *Venit hora ut me solum relinquatis, sed non sum solus; nam Pater mecum est* Ioan. 16: 32. ita solus Jesus, haut fuit solus, qui nunquam minus fuit solus, quàm cum solus. Ioan. 8: 16. 39. μόνος οὐκ εἰμὶ, οὐκ ἀφῆκέ με μόνον ὁ πατήρ. Derelictum à discipulis *juvenis quidam secutus est*, περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ. Non fuit ille è discipulis; nam illi aufugerant omnes, discipuli erant vestiti, hic super nudum corpus superjecerat *sindonem*, hoc est, togam è lino Ægyptiaco. Fortè strepitu turmæ prætereuntis excitatus, è stratis se corripuit, visurus, quid rei ageretur. Sed & ille, cum apprehendere illum vellent οἱ νεανίσκοι *juvenes*, hoc est, milites, (sic dicitur νεανίσκων καταγραφὴ de *conscripta legione militum*) relicto sindone, *nudus aufugit*. Marc. 14: 51. 52.

Adest proditor, capitur Jesus.

§. 47. Milites *abduxerunt ad Annam primò* vinctum Servatorem. Ioan. 18: 13. Fuerat is *summus Pontifex* Luc. 3: 2. erat πενθερὸς *socer Caiphæ*, qui erat *Sacerdos summus anni illius*, Ioan. 18: 13. contra Dei institutionem Pontificatus tunc erat annuus & ambulatorius. Efficiebant malis artibus, ut honore Sacerdotii potirentur, exuto sæpe altero. Romani deponebant Pontifices, & alios subrogabant pro lubitu. Sed *Annas* misit *Iesum* illico ad *Caipham*. Ioan. 18: 24. Matt. 26: 57. Forsan prætergressi ædes Annæ, voluerunt illius prius oculos delectare jucundo hoc spectaculo.

Ducunt illum ad Annam, inde ad Caipham.

§. 48. In domum τοῦ ἀρχιερέως Caiphæ secutus est Jesum *discipulus* quidam, *summo Sacerdoti notus* Ioan. 18: 15. Nec ille ἐκ τῶν δώδεκα fuit; sed ex turba discipulorum, quos Jesus *multos* habuit. Ioan. 4: 1. 6: 60. 66. Potuit in via obviam venisse Jesu, & sic secutus esse. Etiam *Simon Petrus eminus* secutus est. Matt. 26: 58. Luc. 22: 54. Memor jactantiarum

Illuc sequitur Petrus & abnegat.

rum videtur præ pudore haut se continere potuisse. Etiam fortean de Domino suo sollicitus, τὸ τέλ☐ αὐτῦ *finem illius* videre desideravit. Visus ab alio illo discipulo ad instantiam illius, à θυρωρῷ *janitrice in aulam* admissus est. Ioh. 18:15.16. Ibi in scholam tentationis ingressus est. Garrula ἡ παιδίσκη ἡ θυρωρὸς rogat illum, *Num & tu è discipulis es hominis hujus* Ioan. 18:17. quia *discipulus* ille alius pro illo intercesserat, videtur & Petrus illi è discipulis esse; secundùm Matthæum asseverantius id dixit, *Et tu eras cum Iesu Galilæo* Matt. 26:69. Marc. 14:67. Lucas, *Et hic cum illo erat.* cap. 22:56. Potuisset veritatem fateri, forsan citra periculum; nam & alius ille μαθητὴς securè ibi agebat. Sed timoris plenus, *dicit, Non sum* Ioan. 18:17. *negavit coram omnibus, Nescio, quid dicis.* Matt. 26:70. confer Marc. 14:vers. 68. ὁ δὲ ἠρνήσατο αὐτὸν, dicens, γύναι, οὐκ οἶδα αὐτὸν Luc. 22:57. Non negavit tantùm, se non esse è discipulis Jesu, sed ipsum Jesum *nosse abnegavit.* Hæc prima abnegatio fuit. Statim *cantavit Gallus.* Marc. 14:68. Gallus, qui nec Petrum noverat, nec abnegationem illius audiverat, aut intelligere capax erat, cecinit; & nescius monitor Petri exstitit, sive Petrus abnegarit illo ipso momento, quo Gallus, naturæ suæ ductu impulsus, canere solitus; sive Gallus, Deo ita volente, ipso illo momento, vocem extulerit, certè cantus illius, monela Petro esse debuit. Cur non exivisti Petre? cur te spontè ulteriori tentationi exposuisti? Μετὰ βραχὺ rursùm dixerunt illi, *Num & tu è discipulis ejus es?* Ioan. 18:25. *Alius videns illum dixit, Et tu ex illis es* Luc. 22:58. *Vidit illum alia Ancilla, & dixit* τοῖς ἐκεῖ, *Et hic erat cum Iesu* Matt. 26:72. Marcus narrat, quòd *eadem ancilla, videns illum,* dixerit, τοῖς παρεστηκόσιν, ὅτι οὗτ☐ ἐξ αὐτῶν ἐστιν. Marc. 14:69. Ita à pluribus simul Petrus interpellatus est. Ante *una* ancilla rogavit; nunc *eadem* rogat, & ἄλλη *alia*, imò & ἕτερ☐ *alius.* Rursùm *negavit ille, Non sum* Ioan. 18:vers. 25. Luc. 22:58. imò *negavit* μεθ' ὅρκου, *Non novi hominem.* Matt. 26:72. Antea abnegaverat tantùm; nunc & *jurat.* Μετὰ μικρὸν *post parum rursùm* οἱ παρεστῶτες *dixerunt, Verè ex illis es. Nam Galilæus es,* καὶ ἡ λαλία σου ὁμοιάζει. Marc. 14:70. Matt. 26:73. καὶ διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς, ἄλλ☐ τις διϊσχυρίζετο, *In veritate, & hic cum illo erat.* Luc. 22: vers. 59. Igitur intra secundam & tertiam abnegationem *hora una* intercessit. Imò inter hos ita testantes fuit *unus è servis Pontificis, cognatus illius,* cujus *Petrus* amputarat aurem, *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Ioan. 18:26. Petrus audiens se certè innotuisse illis, & è lingua, & è facinore commisso, in summas angustias redactus, non *abnegavit* tantùm Ioan. 18:27. Luc. 22:60. nec *juravit* tantùm, sed *cœpit* καταναθεματίζειν καὶ ὀμνύειν *diris se devovere & jurare, Non novi hominem.* Matt. 26:74. Marc. 14:71. A peccato progressus ad peccatum, à leviori ad gravius, denique in gravissimum delapsus est, prius abnegavit, dein abnegavit & juravit. Tertia vice, abnegavit; juravit & diris se devovit. *Et statim* ἐκ δευτέρου, *secunda vice,* ἔτι λαλοῦντος αὐτοῦ, cum vix sermonem absolvisset, *cecinit Gallus.* Matt. 26:74. Marc. 14:72. Luc. 22:60. Ioan. 18:27. Non cunctatus est mutus & irrationalis monitor, officio suo functus est, sine mora; quid autem Petrus? ἐμνήσθη τοῦ ῥήματ☐ τοῦ Ἰησοῦ Matt. 26:75. Marc. 14:72. Luc. 22:61. Jesus ipse *conversus,* ἐνέβλεψε τῷ Πέτρῳ *intuitus est Petrum.* Luc. 22:61. Non procul hucusque abfuit à Petro. Certè inde, ubi erat, Petrum videre poterat. Quid intuitus ille sibi voluerit, facilè intellexit Petrus. Ideò & cantu Galli, & intuitu Domini commonitus, *exiens foras, amare flevit.* Matt. 26:75. Marc. 14:72. Luc. 22:62. Lacrymis dolorem è peccatis commissis testatus est. Perjurum os illis quasi abluit; plenus sine dubio pudoris, quòd, quum paulò ante *animam in mortem & carcerem* obtulisset, nunc à vinculis omnibus liber, procul à vitæ discrimine, tam diris verbis & exsecrationibus abnegat. Timidus hic Heros

ancil-

ancillæ verbo, & ignobilium *servorum* confabulationibus territus, eousque sui obliviscitur. Quid si & recordatus fuerit verbi, *qui abnegabit me coram hominibus, abnegabo ego & illum coram Patre meo*, Matt. cap. 10: vers. 33. *& coram Angelis Dei.* Luc. cap. 12: vers. 9. annon profundissimum angorem senserit? Hic verificatum est verbum Domini, *Simon, Simon, Satanas quæsivit vos cribrare.* Luc. cap. 22: vers. 31. Imò & illud, *ego autem petii pro te*, &c. ibidem vers. 32. Non enim *defecisse fidem* Petri, exitus ipsius testatur, & lacrymæ; & ὑπακοὴ illa, quam deinceps ad vitæ finem Servatori suo præstitit. Eo delabi electi possunt, ut cum Petro abnegent, abjurent, exsecrentur, de quibus scriptum est. *Omnis natus è Deo peccatum non facit, & non potest peccare.* 1 Joan. cap. 3: vers. 9. Sed ut faciles sunt in πτῶσιν, ita & in ἀνάστασιν. Ad intuitum Christi, ad cantum Galli *flent*, & *convertuntur*. confer Luc. 22: 32. καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.

§. 49. Jesus autem *in domum* Caiphæ introductus, Luc. cap. 22: vers. 54. multâ ibi injuriâ adfectus est. *Viri* οἱ συνέχοντες αὐτὸν, *qui illum constringebant*, ne scilicet evaderet ἐνέπαιζον *illuserunt ei*, δέροντες *cædentes*, & *faciei* illius *tecta verberantes illum* ac dicentes, *vaticinare*, *quis est*, *qui te cadit.* Luc. cap. 22: vers. 63. 64. confer Matt. cap. 26: vers. 67. 68. *spuerunt in faciem ejus*, καὶ ἐκολάφισαν αὐτὸν, οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν Marc. cap. 14: vers. 65. Ita impletæ Prophetiæ. Mich. cap. 4: vers. 14. Es. cap. 50. vers. 6. Jesus ibi à ministris contumeliose habetur.

§. 50. *Caiphas* ὁ ἀρχιερεὺς *rogavit illum* de *discipulis* & *doctrina ejus.* Voluit percunctari, quos discipulos fecisset Jesus, & quam in legem illos adegisset. Imò, qualem doctrinam promulgasset, num forsan diversam à doctrina Mosis & Prophetarum, cujus cura Sacerdoti incumbebat, Mal. cap. 2: vers. 6. neque adeo alienum fuit ab officio summi Sacerdotis, de doctrina inquirere; modo id sine fraude fecisset & malitia. Respondit Jesus, *se publicè mundo locutum, in synagoga, in templo. Illos, qui audiverant*, posse *rogari.* Neque enim, licet dixisset, fidem habiturus erat Pontifex. Ob verbum hoc *unus ministrorum*, ut Pontifici adularetur, imò & odium suum in declaratum hostem Jesum testaretur, *dedit illi alapam*, dicens, *ita respondes Pontifici?* Joan. 18: 20 -- 23. Neque tamen ἐλοιδόρει Jesus τὸν ἀρχιερέα quod Paulo imputabant. Act. 23: 4. Examinatur à Caipha.

§. 51. Ὡς ἐγένετο ἡμέρα *ut dies ortus est*, benè manè, convenit τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ *Presbyterium populi*, ἀρχιερεῖς τε καὶ γραμματεῖς *summi Pontifices & Scribæ.* Luc. capite 22: vers. 66. Caiphas erat *Pontifex summus illius anni.* Talis *unus* tantùm erat. Erant autem alii ἀρχιερεῖς. Illi nempe, qui eadem dignitate functi erant; ut *Annas.* Fuit etiam כהן משנה Pontifex subalternus, qui Sacerdotis summi vicarius erat. Etiam in Talmude mentio fit משיח מלחמה, hoc est, *uncti* Sacerdotis *belli* causâ, cui bellica negocia incumbebant. Etiam סגן הכהנים *Antistes* seu *æditus Sacerdotum* quidam dictus fuit. Et hi omnes ad τὸ πρεσβυτέριον pertinuerunt. Illi interfuerunt etiam οἱ γραμματεῖς סופרים *Scribæ*, qualis & *Esra* fuit. Esr. cap. 7: vers. 6. quorum fuit *scrutari Legem, & docere in Israele statutum & judicium.* Esr. cap. 7: vers. 10. de illis *Scribis* dicitur Jerem. 8: 8. *in mendacium fecit Legem stilus fallax Scribarum.* Imò & οἱ Φαρισαῖοι Joan. 11: 47. Joan. cap. 7: vers. 45. In Jerusalem habitabant שָׂרֵי־הָעָם *Principes populi.* Neh. 11: 1. Ibi enim, ut in *loco, quem elegerat Dominus Deus*, debebant esse *Sacerdotes, Levitæ*, & *Iudex*, quos populus in rebus arduis *consuleret*, quique *indicarent illi verbum juris* Deut. cap. 18: vers. 8. 9. 10. De hoc Presbyterio integer tractatus est in Talmude dictus Presbyterium cogitur. Quid presbyterium?

סנהדרין, unde constat, illud constitisse שבעים ואחד LXXII. assessoribus. In horum nunc introductus est Jesus τὸ συνέδριον. Luc.22:66. quod tunc habitum *in aula Caiphæ* constat è Matt.26:3.57.

Acta in Presbyterio. §. 52. Ibi statim *quæsitæ* sunt ψευδομαρτυρίαι, ut *Jesum* omninò *interficerent*, sanguinem illius sitiebant. Matt.26:59. debebat enim *unus* hic *homo mori pro populo*, judice Caipha. Joan.11:50. 18:14. Multæ adductæ, sed non omnes deprehensæ ἴσαι *sufficientes* & valentes. vide Matt.26:60.61. Marc.14:55–59. Jesus *tacuit*. Matt.26:vers.63. Marc.14:61. ὁ δὲ ἐσιώπα, καὶ οὐδὲν ἀπεκρίνατο. Tacendo multa refelluntur. Conscia mens recti ridet ψευδομαρτύρων testimonia. Tandem distinctè duo rogatus est 1. εἰ σὺ εἶ ὁ χριστὸς *Num tu es Christus?* Luc.22:67. Ita & olim Judæi *in Stoa Salomonis* dixerant, *si tu es Christus, dic nobis liberè*. Joan.10:24. Discipulis διεστείλατο *interdixerat*, *ut nemini dicerent*, ὅτι αὐτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ χριστός. Matt.16:20. Luc.9.20.21. Marc.8:29.30. Respondit Jesus. *Si vobis dico, non credetis.* confer Joan.10:vers.25. *dixi vobis, & non creditis.* 2. *Non tu es Filius Dei?* Luc.22:ỷ.70. Respondit. *Vos dicitis, quod ego sum.* Sacerdos summus Synedrii Præses, in rogando primas habuit partes. Illum ita dixisse refert Matt. cap.26:vers.63. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Filius Dei.* confer Marc.14:vers.61. Confessus est Christus, & non negavit. (Joan. 1:20.) *Tu dixisti.* Matt.cap.26:vers.64. Ἐγώ εἰμι *ego sum*. Marc. cap.14:vers.62. Et verum dixit. Ita enim & apud *Baptismum* audiverat Matt.3:vers.17. & *in monte Sancto*. Matt. 17:vers.5. 2 Petr.1:16.17.18. Addidit. *Sed dico vobis, à nunc videbitis Filium hominis sedentem e dextra potentiæ, & venientem cum nubibus cæli.* Matt. 26:vers. 63. Marc. 14:vers.62. Luc.22:vers.69. ut dixit, ita factum est. Post paucos enim dies sursum *receptus est in gloria* 1 Tim.cap.3:vers.16. *altior cælis factus.* Hebr.cap.7:vers.26. *sedit in dextra majestatis in excelsis.* Hebr.cap.1:vers.3. *unctus* δυνάμει *potentiâ*. Actor. cap. 10: vers. 38. *Viderunt* id Sacerdotes, qui effecta illius sessionis experti sunt. *Sedens in cælis risit. Dominus subsannavit illos. Tunc locutus est ad illos in ira sua, & in æstu suo percellit illos.* Psalm. 2:vers. 4. 5. Saulus, unus è grege illorum vidit, & è cœlo filium hominis loquentem audivit. Actor.cap.9:vers.4:5. Apostoli facti sunt αὐτόπται *ascensionis*. Spiritus S. in omnem carnem effusus illam testatur, conversio gentium illam loquitur, rejectio Judæorum, & Hierosolymæ casus comprobat. Ita Christus certus fuit, ταπείνωσιν suam exituram in ὕψωσιν. Post *minorationem* quasi momentantaneam futuram *coronationem* illius æternam. Psalm.8:6. Imò hostes ejus, & *qui eum confixerunt*, videbunt *adventum* illius *in nubibus*. *Ecce cum nubibus venit, & videbit illum omnis oculus*, καὶ οἵτινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν. Apoc.1:7. confer Dan.7:13.

Ibi conclamatum in mortem Jesu. §. 53. Absolutâ sanctissimâ & verissimâ hâc ὁμολογίᾳ, commotus zelo Sacerdos Hypocrita, *rumpit vestimenta sua* (qui potius *rumpere* debuisset *cor suum* Joël 2:13.) & stentoreâ voce pronunciat, ἐβλασφήμησε, *quid opus habemus testibus? ecce audivistis blasphemiam illius.* Matt.26:65. Marc.14:ỷ.63. Reliqui omnes conclamant, *reus mortis est.* Matt. 26:66. οἱ δὲ πάντες κατέκριναν αὐτὸν εἶναι ἔνοχον θανάτῳ Marc.14:64. Sententia Jesu in *Talmude* etiam impingit illi גִּדּוּפִים *blasphemias*. Ita κατεκρίθη Sanctus Dei Agnus ob *veritatem* dictam.

Judæ proditoris ultima acta & mors. §. 54. Non procul ab his abfuit *Judas* ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, qui videns, quod *condemnatus* esset Dominus, & extremum illi immineret periculum, μεταμεληθεὶς *pœnitudine* commissi facinoris *tactus, reddidit triginta argenteos*, confessus culpam, *peccavi, sanguinem prodens innoxium*, cumque Pontifices recipere recusarent, ῥίψας ἐν τῷ ναῷ, *abiit* καὶ ἀπήγξα-

ἀπήγξατο Matt.27:3.4.5. Ita & interiit *Achitophel* 2 Sam.17:vers. 23. וַיֵּחָנַק וַיָּמֹת: Vox מַחֲנָק, quæ Græco respondet, notat omnem Spiritus interclusionem, sive exstinctionem respirationis, sine qua nullum animal vivere potest. Job 7:16. *Et elegit* מַחֲנָק *suffocationem anima mea.* Igitur *suffocatus est* Judas, intercluso vitali Spiritu, sive igitur gulam sibi obligaverit, & in barathrum ac profundum se præcipitârit; sive ex arbore se suspenderit, & ramo fracto prolapsus sit, certè id suffocationem illius secutum est, quod est Actor. 1: vers. 18. *Praeceps factus, rupit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus.* In Euangelio Hebræo τὸ ἀπήγξατο conversum est ויתחל בנפח *& laqueo se suspendit.* Alii divinant, interiisse Judam subito morbo, qui Græcis ἀγχόνη, Hebræis Medicis אסכרה dicitur. Illo morbo obstrui os fistulæ, quæ in collo, sicut statim suffocatione intereat homo. Hunc morbum Judam puerum expertum fuisse, indeque dictum אסכריותא: Solebant olim Judæi quarto die jejunare, ne האסכרה caderet in pueros. Hoc morbo nunc rursum correptum Judam, ac ita suffocatum esse, ut pronus conciderit, vique interclusi Spiritus crepuerit medius. Ita pro malè actis malè luit Judas. Non tantùm sanguinem Domini prodidit, sed & vitam horribiliter suam profudit; latro factus Domini sui; latro sui ipsius. Esau *pro pulte vendidit τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ, & resipiscentiæ locum non invenit.* Hebr. 12: vers. 16.17. Judas pro paucis nummis prodidit τὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως, & licet *pœnitudinem* ostenderit, veram tamen non invenit; quinimo illa in desperationem versa, in propria viscera impiam manum convertit. Pretium sanguinis, cui antea ita inhiaverat, sponte abjecit, adeò solatii parum est in corruptibili argento & auro. Ne prodamus Jesum, nec accipiamus iniquitatis pretium, ut ne par nos corripiat exitium.

§. 55. Pontifices τὰ ἀργύρια, τὴν τιμὴν τοῦ ἀθῴου αἵματος, nefas ducentes βαλεῖν εἰς τὸν κορβανᾶν (Josephus de bello Judaico libr. 2: cap. 8. *Est apud eos thesaurus sacer, quem Corban dicunt.* Suidas κορβανᾶς, παρὰ Ἰουδαίοις ὁ ἱερὸς θησαυρός) *emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinis.* Matt. 27:7. Id quod ipso momento non videtur potuisse fieri, sed factum esse proximè post interfectionem Christi, τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου. Matt. 27:9. Tunc impleta Prophetia Jeremiæ.

§. 56. Initio venit perpendendum, quis sit hic *Ieremiah Propheta.* Certè oraculum, quod citatur, in Prophetia *Ieremiæ, filii Hilkiæ*, nullibi invenitur. In *Zacharia* autem, *filii Berecjah*, legitur. Alius planè *ager* est, quem jussus fuit Jeremias emere *in Anatot*, cujus *argentum appendit, septem siclos, & decem argenteos.* Jerem. cap. 32: vers. 7.9. differt situ, pretio, & possessoris titulo ab hoc agro, de quo præsens oraculum loquitur. Narremus varias opiniones, unde Lector optimam eliget. Alii putant, *in memoria* Matthæum Euangelistam *lapsum.* Ita Erasmus. *Etiamsi*, inquit, *fuisset in nomine duntaxat memoriæ lapsus, non opinor quenquam adeò morosum esse oportere, ut ob eam causam totius Scripturæ labascat authoritas:* Augustinus opinatur, *factum esse secretiore consilio providentiæ Dei, ut recordationi* Matthæi, *quæ Spiritu S. regebatur, occurrerit aliud pro alio nomen Prophetæ; Dominum hoc ita scribi constituisse.* Quæ unius Prophetæ sunt, etiam esse alterius, *quæ dicta sunt per Jeremiam, tam Zachariæ esse, quam Ieremiæ*, & vice versa. Origenes suspicatur, *esse aliquam secretam Jeremiæ Scripturam, in qua hoc scriptum sit.* Ita & Hieron. in Matt. 27. *Legi nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazarenæ sectæ mihi Hebræus obtulit, Jeremiæ apocryphum; in quo hæc ad verbum scripta reperi.* Eusebius Cæsariensis præsumit, σφάλμα γραφικὸν esse à librariis seu describentibus commissum, & pro Zacharia Jeremiam scriptum. Calvinus. *Quomodo Ieremiæ nomen obrepserit, me nescire fateor, nec anxie laboro. Certè Jeremiæ nomen errore positum esse pro Zacharia, res ipsa ostendit.* Variæ de Jeremia sententiæ.

dit. Alii notant, *non omnes codices Evangelistarum habere, quod per Ieremiam Prophetam dictum sit; sed, per Prophetam. Illis potius codicibus credendum esse, qui Ieremiæ nomen non habent.* Sunt, qui in voce τὸ ῥηθὲν curiosius hærent, putantes, oraculum hoc revera à *Ieremia*, filio Hilkiæ, prolatum esse; sed *dictum* tantùm, non *scriptum*. Alii denique statuunt, *Zachariam* Prophetam fuisse *binominem*, & simul *Ieremiam* appellatum, id quod Matthæi tempore notum fuerit cunctis, & ita à Matthæo allegatum.

Prophetia Zach. 11: 12-13. §. 57. Oraculum ipsum exstat Zach. 11: vers. 12. 13. *Et dixi ad illos. Si bonum in oculis vestris, date* שְׂכָרִי *mercedem meam; & si non, finite,* חֲדָלוּ: *Et ponderarunt mercedem meam,* שְׁלֹשִׁים כָּסֶף *triginta argenteos. Introducitur* Christus ita loquens. *Dixi,* non verbis oris, sed verbo providentiæ & directionis. *Date mercedem meam,* qua me mercemini in potestatem vestram; qua vendentem & prodentem me vobis remunerabimini. Merces enim datur in pretium operæ. Matt. 20: vers. 8. *Date* aut *finite.* Ex arbitrio vestro agite, quod agitis. Ita providentia divina curavit rem hanc, ut à Judæis, libero arbitratu, nemine cogente, nisi interna cordis malitiâ, merces ἀδικίας solveretur. τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ τοῦ Θεοῦ acta sunt, quæ circa Christum acta sunt; & ita tamen omnia actà, ut Dei voluntas sit facta; & injustitia hominum patefacta, & nulla vis voluntati illorum illata. Post Jesum loquentem, etiam proditorem Judam sistit Prophetia, qui in hunc fatur modum. *Et dixit Iehova ad me.* Illum, qui dixit, *date* mercedem meam, *Iehova* appellat. Hic *Iehova,* Christus; dixit ad Judam proditorem, non externo verbo, sed interno providentiæ suæ. *Projice illam,* mercedem meam, *ad figulum;* אֶדֶר הַיְקָר *magnificentiam* seu enormitatem *pretii;* per Ironiam ita ait; אֲשֶׁר יָקַרְתִּי מֵעֲלֵיהֶם *quod æstimatus sum, ut* auferrer *ab illis,* hoc est, ut è medio illorum per ignominiosam necem tollerer. *Et sumsi triginta argenteos, & projeci illos* in *domo Iehovæ,* אֶל הַיּוֹצֵר *ad figulum,* hoc est, ut in agrum figuli emendum impenderentur. Docemur, id, quod Judas egit, 1. Quòd accepit *triginta siclos.* 2. Quòd *projecit illos* in *domo* Jehovæ. 3. Quod impendit eos *in figulum;* id quod non directè Judas egit, sed inscio Juda factum est; tamen ni Judas argenteos *abjecisset,* factum non fuisset; adeoque per Judam quasi factum est; Id, inquam, omne *dicente* Jehova Christo factum esse, hoc est, sciente illo, volente, decernente, moderante.

Quomodo illa citata a Matthæo? §. 58. Ultimam oraculi hujus partem, versum nimirum 13. verba, ut diximus, proditoris Judæ, citavit Evangelista; & ita quidem, teste Hieronymo, ut, *quanquam sensus non multum discrepet, tamen & ordo & verba diversa sint.* Nimirum, quæ Propheta per Prosopopœjam facit Judam proditorem dicere, *illa* historicè Evangelista referens ut actum Judæorum describit, verbis tamen Prophetæ adhibitis, καὶ ἔλαβον *& acceperunt triginta argenteos,* τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, *pretium æstimati* seu *honorandi,* ὃν ἐτιμήσαντο *quem æstimarunt* seu *appretiaverunt,* ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ *a filiis Israel,* ut ab illis, Æstimatus ille auferretur, seu tolleretur; *& dederunt illos in agrum figuli,* καθὰ συνέταξέ μοι Κύριος *ut præcepit mihi Dominus* Matt. 27:9. ultima verba sunt verba proditoris. Possunt etiam priora accipi ut ejusdem, καὶ ἔλαβον *& accepi.* Ita propius Matthæus cum Zacharia concordabit, וָאֶקְחָה.

Jesus ducitur ad prætorium; & traditur Pilato. §. 59. A proditore nunc redeamus ad τὸ πρεσβυτέριον. Inde justus Dei servus, declaratus ἔνοχος θανάτου ducitur εἰς τὸ πραιτώριον. Joan. 18: vers. 28. *Et surgens omnis multitudo duxerunt illum ad Pilatum.* Luc. 23:1. παρέδωκαν αὐτὸν *Pontio Pilato* τῷ ἡγεμόνι. Matt. 27:2. Marc. 15: vers. 1. A *Tiberio* Cæsare in Judæam Pilatus missus erat. *Prætorium* dicitur locus seu domus publica, in qua prætor in provincia jus dicebat. In civitatibus,

ubi

ubi prætoria non erant, è privatis domibus, quas Prætores inhabitabant, prætoria faciebant, id quod aliàs non licebat, juxta LXIV. C. de officio Rectoris Provinciarum. *Nulli Judicum, qui provincias regunt, in civitatibus, in quibus sacra palatia sive prætoria sunt, liceat, his relictis, privatorum sibi domos, ad habitandum velut prætoria vindicare. Prætorium* etiam dicebatur αὐλή. Marc. 15:16. ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον. Ita ἔπαρχος αὐλῆς dicebatur *præfectus prætorio*; & milites prætoriani etiam dicti sunt *aulici*. *Prætorium* ergo, quo Jesus ductus, fuit locus, ubi jus dicebatur. In *castris* autem, (liceat id addere) *prætorium* dicebatur, ubi Imperator ipse tendebat. Vegetius libr. 3. cap. 8. ubi de dispositione castrorum agit. *Deinde Duci prætorium ejusque comitibus præparatur; ac tribunis tabernacula collocantur.*

§. 60. *Non licebat Iudæis interficere quenquam* Joh. 18:31. ideò Jesum ad Pilatum ducunt. Ademta illis fuere judicia capitalia, LXI. annis ante casum Hierosolymæ, inde ab exsilio Archelai. Etiam Herodes *Magnus* dictus, capitalium criminum cognitionem cœperat illis eripere. Josephus ἀρχαιολ. 20:8. narrat *Albinum* Præsidem monitum à Judæorum melioribus, ὡς οὐκ ἐξὸν ἦν Ανανῳ χωρὶς τῆς ἐκείνου γνώμης καθίσαι συνέδριον, ad judicium nim. capitale exercendum. Interfecerat enim ille *Iacobum*, fratrem Domini. Errant, qui putant, licuisse Judæis illo adhuc tempore, supplicium sumere de reis. Adduxisse Jesum ad Pilatum, quia propè Pascha erat, quod sanguine pollui nollent. Atqui si Pascha non obstitit accusationi, certè nec obstitisset exsecutioni, si illa Judæis etiamnum libera fuisset. Dixit quidem Pilatus, *sumite illum vos, & judicate* Joh. 18: vers. 31. & *crucifigite* Joh. 19:6. Sed id dixit tantùm, ad exprobrandam illis importunitatem, qua vociferabantur, σταύρωσον, σταύρωσον. Quæsiverant ante aliquoties *lapidare* Jesum Iudæi Joh. 8: vers. 59. Etiam *Stephanum* lapidarunt Actor. 7:58. sed id fecerunt tumultuantes, per ὁρμὴν (Act. 7:57.) citra juris processum & competentiam. Etiam inde, quòd Præses Barabbam aliosque sceleratos in custodia habuit, & ex illis meritis suppliciis affecit, etiam unum dimisit, satis apparet, jus inferendi capitalia supplicia penes illum solum fuisse. Certè Judæorum ira in Jesum tanta erat, ut, si ipsis licuisset Jesum de jure interficere, illum ad Romanum haut adducturi fuissent Præsidem; ubi debuerunt magnis uti rationibus, ut ad capitis sententiam dicendam illum commoverent; imò ubi & dubii esse debuerunt, an sanguinolentis illorum desideriis assensurus esset, quemadmodum omni conamine annisus est, Jesum ut dimitteret. Frustra ergo conjicit Chrysostomus, voluisse Iudæos Christum crucifixum; & hoc ipsis non licuisse. Atqui in lege suspensio è ligno non inusitata fuit. Alii putant, Iudæos voluisse Christum *lege majestatis* damnari: & illo tantùm sensu dixisse, *Non licet nobis occidere*. Sed & hoc dicitur tantùm, non probatur. Ex toto autem hoc processu apparet, quanto odio in Jesum flagrarint Iudæorum ἄρχοντες. Sitis illorum non nisi sanguine innocentis satiari potuit. Potuissent illum pro jure, quod illis supererat, virgis cædere, ἀποσυνάγωγον facere, è finibus ejicere, & in exsilium quasi mittere. Sed tenue & leve nimis id illis visum. Ideò amant se humiliare coram Pilato, illumque multis & operosis rationibus in necem Jesu inducere, quàm vitæ innocentis parcere. Imò malunt publico λῃστῇ gratiam conferri.

Ademta enim Judæis erant judicia capitalia.

§. 61. Ubi ad prætorium venerunt, erat πρωΐα m. mè Ioh. 18:28. confer Marc. 15:1. ἐπὶ τὸ πρωΐ. Matt. 27:1. πρωΐας γενομένης. Igitur συνέδριον illorum, in quod introduxerant Jesum, ὡς ἐγένετο ἡμέρα Luc. 22:66. non longæ durationis fuit. Ita festinarunt & deproperarunt cædem justi. Hypocritæ ipsi *non intrarunt in prætorium, ut ne pollurentur*. Ioh. 18: vers. 28. Et venire ante prætorium, ac conscientias innoxio sanguine polluere non

Acta coram Pilato.

 dubi-

dubitarunt. *Id quod intrat in hominem non polluit.* Matt. 15: 11. Id, in quod intrat homo, non polluit. Sed sanguinis sitis & crudelitas ac injustitia inquinat. Pilatus ad illos *egressus* (erant Magnates & primores Populi: gratificari illis Præses debuit) rogat, quam κατηγορίαν *contra hominem illum habeant* Ioan. 18: 30. Incognita causa nec judicare, nec condemnare volebat. Illi contra autoritate gravare sua & obruere Jesum cogitantes, respondent, *si non hic esset maleficus, non tibi tradidissemus ipsum.* Ioan. 18: 30. Instante tamen Pilato, cœperunt κατηγορεῖν αὐτοῦ *accusare illum. Hunc invenimus*, inquiunt, διαστρέφοντα τὸ ἔθνος, καὶ κωλύοντα καίσαρι φόρους διδόναι, λέγοντα ἑαυτὸν χριστὸν βασιλέα εἶναι. Luc. 23: 2. Magna certè crimina, sed ficta, falsaque omnia. Quando *pervertit gentem* Jesus, qui docuit gentem parere superioribus? Matt. 23: 2. Non vetuit Cæsari dare vectigalia, qui publicè dixit, *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris.* Matt. 22: 21. Non arrogavit sibi regiam majestatem, qui *abiit*, cum populus illum *Regem* facere vellet. Ioan. 6: 15. Imò *Christus* dici noluit. Matt. 16: 20.

Accusatio Christi.

§. 62. His auditis Pilatus in prætorium ingressus, ubi miser Jesus erat (non curabant, inquinari illum in impuro prætorio, qui *frater* illorum erat, Hebræus ex Hebræis) rogat illum, *An es Rex Iudæorum?* Ioan. 18: 33. Luc. 23: 3. Matt. 27: 11. Inter objecta crimina hoc maximum & gravissimum censet Præses, de quo prius rogandus erat. Respondit Jesus. σὺ λέγεις *Tu dicis* Matt. 27: 11. Luc. 23: 3. Sed simul præclarè explicat, quale illius sit regnum. *Regnum meum non est de hoc mundo.* οὐκ ἔστιν ἐντεῦθεν *non est hinc* Ioan. 18: 36. sum Rex, sed non mundanus. Habeo regnum, sed non ut mundus habet. Meum regnum non est *esus & potus*, Rom. 14: 17. meus thronus non est visibilis, meum sceptrum non expellit aliena. *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certassent, ut ne traderer Iudæis.* Non pugnat cum regno meo tradi, imò nec ignominia mortis affici. Dicit se habere *ministros. Legiones Angelorum* ministri ipsius sunt. Pilatus fere ridet, hominem ita inopem, ligatum, ab omnibus desertum, *Regem* se dicere, & subridiculè rogat, οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ. *Igitur ne Rex es Tu?* Ioan. 18: 37. Jesus constanter affirmat. *Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut attester veritati.* ibid. Natus est in forma servi, ut post parum indueret formam Regis & Domini. Venit mori, ut posset *vivis & mortuis dominari.* Rom. 14: 9. Regnum autem suum esse regnum *veritatis*, confer Es. 11: 5. *Et erit justitia cingulus lumborum ejus.* וְהָאֱמוּנָה *& fides* seu veritas *cingulum laterum ejus.* Pilatus regerit. *Quid est veritas?* Ioan. 18: 38. Homo, natura mendax, quid *veritas* sit ignorat. De *veritate* multa gentes locuti, *virtutum esse pulcherrimam, ducem ad omnia bona, rem omnium justissimam, cæli civem*, θεῶν ὁμόπολιν, πάντων χρῆμα δικαιότατον, ὅσιον esse προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, &c. tamen *veritatem* Dei, in qua *adorari* vult Ioan. 4: 23. ignorarunt, nec amarunt. Hæc fuit ἡ καλὴ ὁμολογία, *quam testatus est Christus Iesus coram Pontio Pilato.* 1 Tim. 6: 13. Audito hoc sermone Pilatus *rursum exivit ad Iudæos*, & *dixit, Ego nullam culpam invenio in ipso.* Ioan. 18: 38. Luc. 23: 4. Quantum innocentiæ Christi nostri testimonium! judex, homo gentilis, rigidus aliàs exactor, ab omni culpa illum absolvit.

Examen & pulchra Apologia Christi.

Innocens pronunciatur à Pilato.

§. 63. Pontifices instant, dicta confirmant, ἀνασείει τὸν λαὸν *commovet populum, docet per totam Iudæam, incipiens a Galilæa hucusque.* Luc. 23: 5. In his quartum crimen est, ψευδοδιδασκαλίας incusant Jesum. Ex hac accusatione comperit Pilatus, Jesum esse *Galilæum*, & quidem *e potestate Herodis.* (confer Luc. 3: 1. τετραρχοῦντος τῆς γαλιλαίας ἡρώδου) Is *in diebus illis erat in Hierusalem.* Pilatus Herodi rem gratam facturus, mittit illuc Jesum. Herodes ἐχάρη λίαν, *sperans signum ab illo videre, rogavit illum multa.* Sed

Continuata Christi accusatio, mittitur ad Herodem.

nec

nec signum vidit; nec responsum accepit. Herodes turpiter in sanctissimum Servatorem illusit. Adfuerunt una *Sacerdotes & Scribæ*, *εὐτόνως κατηγοροῦντες αὐτοῦ*. *Invenit* tamen Herodes, utut illuserit, nullum in Iesu *αἴτιον* Luc. 23: 7 -- 12. 15. Ita & *Edom in porta* fuit *populi Dei*, *in die mali & calamitatis* Primogeniti *fratris* nostri; & *vidit* ac spectavit בְּיוֹם נָכְרוֹ *in die alienationis ejus*, quo ab *ἰδίοις propriis* planè rejectus est. Obad. vers. 11: 12.

§. 64. Ab Herode redux Iesus rursum sistitur Pilato, qui *συγκαλεσάμενος τοὺς ἀρχιερεῖς, καὶ τοὺς ἄρχοντας, καὶ τὸν λαὸν*, rotundè confessus est. *Obtulistis mihi hunc hominem, ut pervertentem populum. Et ecce, Ego coram vobis ἀνακρίνας diligentius inquirens, nullam noxam in homine inveni, ut nec Herodes. οὐδὲν ἄξιον θανάτου ἐστὶ πεπραγμένον αὐτῷ.* Luc. 23: 13. 14. 15. En secundùm Pilati Testimonium de Christi innocentia. Ut tamen Iudæis aliquo modo satisfaciat, mentem suam aperit. *Castigatum illum dimittam* Luc. 23: 16. Quænam hæc injustitia Pilate? cujus innocentiam fassus es, imò Herodes fassus est, illi virgas dabis? Quinimò, quia moris erat, ut circa festum *unum vinctum populo dimitteret*; tuncque in vinculis habebat *Barabbam*, *latronem* seu sicarium, *δέσμιον ἐπίσημον nobilem vinctum*, *στασιαστὴν seditiosum*, qui *in seditione cædem fecerat*, rogat, quem velint sibi dimitti, *Barabbam* aut *Iesum*, Matt. 27: 15. 16. 17. Marc. 15: 6. 7. 9. Luc. 23: 19. Ioan. 18: 40. certò sperans, illos dimissionem Jesu electuros præ dimissione hominis sceleratissimi. Adeò probè noverat Pilatus, quod *διὰ φθόνον* solo *livore* & *invidia* ducti Pontifices illum tradidissent. Matt. 27: 18. Marc. 15: 10. Sed clamant omnes. *Non hunc, sed Barabbam.* Ioan. 18: 40.

Pilati secunda Christi justificatio.

Castigationem & dimissionem Christi proponit. Sed reclamant.

§. 65. Pilatus necdum mortem Jesu decernit. *Arripuit* autem illum, *καὶ ἐμαστίγωσε & flagellavit* Ioan. 19: 1. confer Prophetias Esa. 50: 6. 53: 5. *vibice ejus.* Flagella vibices faciunt, vel hoc modo sperans, se ad alias & mitiores Iudæos adducturum cogitationes. Quinimò patitur illudi Christo à *militibus*. Hi nebulones *spineam coronam* sanctissimo *imponunt*, *pallium purpureum* illi circumjiciunt; dant illi *ῥαπίσματα fustium ictus* (vide Esai. 50: 6. Mich. 4: 14. Hesychius. *ῥαπίσαι, ῥάβδῳ πλῆξαι ἢ ἀλοῆσαι.*) *conspuunt*, *calamum in dextram dant*; denique *capiti* ejus infringunt. Ioan. 19: 3. 4. Matt. 27: 28. 29. 30. confer Marc. 15: 19. *Percusserunt caput ejus arundine.* Hac cum *corona*, & hoc indutum *pallio*, sistit Jesum Pilatus Iudæis, dicitque; *Ἴδε ὁ ἄνθρωπος Ecce homo*, Ioan. 19: 5. ac si dicat, An nondum viscera commiseratione vestra tanguntur? Annon miseret vos *hominis*, ita flagellati, ita illusi? numquid necdum videtur pœnarum satis luisse? Rursum protestatur. *Ecce duco vobis eum foras, ut cognoscatis, quod in ipso nullam culpam invenio.* Ioan. 19: 4. Cur ergo innocentem flagellasti impie? cur militibus tuis illudendum tradidisti?

Jesus flagellatur, à militibus luditur.

§. 66. Tantum abest, ut hoc triste spectaculum ad commiserationem moveat Iudæos, *ὅτε εἶδον αὐτὸν prout viderunt illum*, *clamant* omnes, *Pontifices*, *ministri*, *populus* (Marc. 15: 11.) *φωναῖς μεγάλαις* (Luc. 23: 23.) *Crucifige, crucifige.* Ioan. 19: 6. *Habemus legem, & secundum illam debet mori; quia se ipsum Filium Dei fecit.* Ioan. 19: 7. Hæc nova rursum, adeoque *quinta* est *κατηγορία*, quam contra Jesum tulerunt. Pilatus *πάλιν* in prætorium ingressus, rogat Iesum, *πόθεν εἶ σύ Unde es tu*? Gentilis homo parum intellexit, quid sit *Filium se Dei facere.* Iesus *tacet*, una enim & eximia illa confessione, quis sit, unde sit, abundè docuerat. Ioan. 19: 9. Notant Euangelistæ, quòd, cùm *accusaretur* Iesus, nil *responderit*, valdè *admirante* Pilato. Matt. 27: 12. 14. Marc. 15: 4. 5. Conscientiæ bonæ testimonium sufficit sanctissimo Servatori. Noluit se defendere; quia sponte

Nova Judæorum accusatio.

sta-

statuerat, mortem subire. Noluit vitam tueri; quia venerat illam ponere. Pilatus silentio ejus offensior, *Mihi non loqueris?* inquit. *An nescis, quod potestatem habeo crucifigendi te, & dimittendi?* Joh. 19: 10. Ad id respondit Jesus, *Non haberes, nisi datum esset tibi supernè. Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Ioh. 19: 11. Pilatus verbo hoc intimè perculsus, *quæsivit ex hoc mittere ipsum.* Ioh. 19: 12.

Pilatus argumento politico territus mortis sententiam in Christum fert.

§. 67. Judæi ægre ferentes adhuc cunctari Pilatum, & moras nectere, argumento politico illum terrent. *Si hunc missum facis; non es amicus Cæsaris.* Ioh. 19: 12. Pilatus ἀκούσας τοῦτον τὸν λόγον, veritus, ne coram Cæsare accusetur, ac si cum hoste Cæsaris, & competitore collusisset regni, *conscendit Tribunal*, finem actioni aut processui facturus. Ioh. 19: 13. Ibi dum sedet, nuncius adest ab *uxore* illius, *Nil tibi & justo illi, multa enim hac nocte in somnio propter illum perpessa sum* Matt. 27: 19. Ita & mulier Ethnica innocentiæ Servatoris succurrere debuit. De tribunali Pilatus rursum Iudæis dicit, *Ecce Rex vester. Num Regem vestrum crucifigam?* sed clamantibus illis, *Tolle, tolle, crucifige, Non habemus Regem, nisi Cæsarem* Ioh. 19: 15. sumta aqua, *lavit manus*, dixitque, *innocens sum a sanguine justi hujus; vos videritis*; respondente *omni populo, sanguis ejus super nos, & filios nostros*, Matt. 27: 24. 25. & tandem ἐπέκρινε γενέσθαι τὸ αἴτημα αὐτῶν *adjudicavit*, ac pronunciavit, ut *fieret cupitum illorum*, Luc. 23: 24. & *tradidit illum*, ἵνα σταυρωθῇ Ioh. 19: 16. παρέδωκε τῷ θελήματι αὐτῶν. Luc. 23: 25. Ita tradidit in mortem, quem non potuit non laudare justum hominem.

§. 68. In toto hoc processu sanctitas & innocentia Servatoris accusati; livor, malitia & injustitia Sacerdotum ac Judæorum accusantium, clarissimè apparuit. Christum justificavit Herodes, Uxor Pilati, Pilatus. Idem illum condemnavit, non quod reum deprehendit; sed quia à clamoribus Judæorum emergere non potuit; quia de salute sua terrestri metuit; quia accusationes & calumnias Judæorum evitavit. Lavit manus, ut innocentem se testaretur. Crimen tamen suum & peccatum suum abluere non potuit. Condemnavit justum injustè, Pium impiè, Bonum pessimè, Innocentem nocenter. Egit contra conscientiam, contra Legem. Ideò ἁμαρτίαν ἔχει, ob quod in æternum luit. Judæa tamen gens μείζονα ἔχει, quæ & ipsa hunc in diem usque in inobedientiam conclusa perit.

Et quidem sententiam crucis; seu θανάτου σταυροῦ.

§. 69. Ad *crucem* condemnatus est Jesus, supplicium omnium indignissimum, quo servi Romanorum, & vilissimi quique, provinciales & exteri, maximè verò, qui facinoris publici rei essent, affici solebant. Supplicium crucis nec sub Lege inusitatum fuit, utpote quæ jubebat, quosdam *suspendi*. Deut. 21: 22. *Et suspendes eum de ligno.* Memorabile de suspensis Verbum extat Deut. 21: 23. *Exsecratio Dei est suspensus.* Confer Gal. 3: 13. ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου; de cujus sensu egimus lib. 2. cap. 11. §. 117. Christus, qui nos *redimere a maledictione* debuit, & pro nobis *maledictio fieri*, eo convenientissimè supplicio affectus fuit, quod titulum *maledictionis* tulit. Gal. 3: 13. Hoc genus mortis notavit Prophetia, Psalm. 22: 17. 18. Esai. 52: 13. Esai. 53: 9. 12. imò Christus ipse pluries indicaverat, Joh. 3: 14. *ut serpens in deserto, ita decet* ὑψωθῆναι *exaltari Filium hominis.* Joh. 8: 28. ὅταν ὑψώσητε *Filium hominis.* Joh. 12: 32. ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς. vers. 33. *Hac dicebat, indicans, qua morte futurus erat mori.* confer vers. 34. Nim. in crucem, gabalum seu patibulum agi, est ignominiosè super terram elevari, exaltari, sublimari.

Differentia Euangelistarum de hora crucifixionis.

§. 70. De *hora*, qua crucifixus est Servator, vide Marc. 15: 25. ἦν δὲ ὥρα τρίτη καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt illum.* Nonnus. ἡ δὲ πιταινομένη τελεσθεῖσα θανατηφόρος ὥρη. Aliter, ut videtur, Johannes cap. 19: vers. 14. qui dicit, fuisse

fuisse *ὥραν ὡσεὶ ἕκτην horam quasi sextam*, quum Pilatus conscenso tribunali, *tradidit illum, ut crucifigeretur*. ℣. 13. 14. 16. Ita secundùm Johannem erit crucifixus *circa horam sextam*; secundùm Marcum, *horâ tertia*. Testatur Cl. Beza *in uno codice se invenisse scriptum τρίτη, ut videri posset γ, quæ est ternarii numeri nota, mutata in ς*, quæ senarii. Etiam Camerarius ad Marc. 15:33. notat, *in suo vetere libro hoc loco scriptum fuisse, ὥρα ἦ ὡσεὶ τρίτη*. Idem Danæus in codice quodam manuscripto se vidisse testatur.

§. 71. Sunt tamen & aliæ rationes, quibus hæc discrepantia conciliari potest. Sciendum, *dies* esse vel *naturales, politicos* seu *civiles*; vel *artificiales*. Dies *naturalis politicus*, aut incipit à vespera, & definit in vespera; ita in lege, & inter Judæos olim; aut incipit à media nocte, & rursus eàdem definit, hanc rationem diei observarunt *Romani*, & *nos* hodie. Omnes illius horæ sunt *æquales*, omni tempore, æstivo & hiberno. Dies *artificialis* incipit ab ortu solis, & definit cum occasu solis, & divisus est in duodecim uncias seu horas, adeò ut omne illud spatium, quod inter ortum solis & occasum intercipitur, diem unum *artificialem* constituat, quotque sunt *Zodiaci signa*, (quæ *duodecim* numerantur: *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora* seu Aquarius, *Pisces*) tot sunt illius *horæ*, quæ & ipsæ *inæquales* dicuntur; quia, ut dictum, ab ortu ad occasum solis divisæ, die & nocte æquales non sunt, imò diurnæ horæ æstate fiunt longiores; hieme breviores. Hanc diei rationem etiam secuti sunt olim Hebræi. De tali artificiali die intelligendum est verbum Christi. Joan. cap. 11: vers. 9. *Nonne duodecim sunt horæ diei? si quis ambulat in die, non offendit; nam lucem mundi hujus videt*. Diei civilis sunt propriè loquendo horæ 24. etiam tenebræ nocturnæ illius pars sunt. Nos tamen his in terris post numerum duodenarium rursum ab unitate incipimus; ut numeratio sit certior & facilior. In Italia secus fit. *Initium* diei artificialis ordinariè ponitur in illo temporis articulo, qui nostram *sextam* matutinam efficit; & sic de *fine* illius sentiendum. Maximam enim partem sol horâ matutinâ sextâ, secundùm nostrum calculum, oritur; vespertinâ sextâ occidit. Ita, quæ nobis est hora *nona*, Hebræis fuit *tertia*; quæ nostra meridiana *duodecima*, Hebræis fuit *sexta*; quæ nostra pomeridiana *tertia*, Hebræis fuit *nona*; & quæ nostra vespertina *sexta*, Hebræis fuit *duodecima*.

Conciliatur.

§. 72. His positis ponendum; aut *Marcum* & *Iohannem*, loqui utrosque de horis inæqualibus diei artificialis; aut unum de illis; alterum de horis æqualibus diei naturalis.

§. 73. Si *prius*, ita conciliatio illorum instituitur. Sunt, qui dicunt, *horas duodecim* diei artificialis in *quatuor quadrantes* olim dividi solitas fuisse. Sicut & *noctem* pariter secabant. *Noctis* quadrantes, vocatos φυλακὰς *custodias*; *diei* verò quadrantes sumsisse ejus *horæ* nomen, à qua ipsa exordiebantur, aut etiam à qua proximè exordiebantur. Ita primus quadrans audiit *prima* hora; Secundus *tertia*; Tertius *sexta*; Quartus *nona* hora. Ita Beza noster. Secundùm hanc sententiam, quod Marcus dicit, *erat hora tertia*, tantundem valebit, ac, *erat secundus quadrans diei*, qui, secundùm simplicem calculum, horam *quartam, quintam, sextam* conficit. Ita Marcus reperietur idem dixisse, quod Joannes. Joannes *sextæ* horæ meminit. Marcus, *tertiæ*, hoc est, secundi quadrantis, qui proximè à *tertia* incipit, unde & nomen habet; & in *sexta* hora definit. Non debeo tamen tacere, esse viros, *in Chronologicis non omninò parum versatos*, qui rotundè profitentur, *nihil sibi tale cognitum*, hoc est, diei artificialis in quatuor tales partes seu quadrantes distributionem, ignorare se dicunt. Igitur alii tradunt, horas diei artificialis distingui in *majores* & *minores*, esse majores *sex*, minores *duodecim*. Ita Beroaldus. Secun-

dùm hanc expositionem, Marcus de hora *tertia* loquens, intellexit *majorem* tertiam, quæ erat *minor sexta*, quam Johannes expressit; adeoque re ipsa idem dixerunt ambo.

§.74. Si *posterius*, hoc est. Si Marcus secutus sit numerationem Hebræorum, adeoque de horis artificialibus; Johannes Romanorum, adeoque de horis naturalibus loquatur, differentia inter illos nulla est, nec sibi obloquuntur. Marcus dicit, *hora tertia* Jesum crucifixum, hæc est nostra *nona*. Johannes dicit, *horam circiter sextam* fuisse, cùm coram Pilato staret Dominus. Hæc eadem est, quæ nostra sexta matutina. Neque enim præcisè dicit Johannes, *horam* fuisse *sextam*, cum *crucifigendum* tradidit Pilatus Jesum; sed in genere dixit, *hora erat sexta*, innuens circa sextam matutinam nostram Jesum ad Pilatum esse adductum; & ab inde acta, quæ coram Pilato acta sunt. Ita ut intra trium horarum spatium causa Domini coram Pilato cœperit, desierit, dijudicata sit. Ab hora enim *sexta* cœpit Dominus esse coram Pilato. Hora *tertia*, hoc est, nona eductus est, ut in crucem ageretur. Ita Danæus. Etiam Ludovicus de Dieu; cujus, si placet, evolve animadversiones in cap. Marc. 15.25.

§.75. His tamen omnibus missis, etiam sic expediri res simplicissimè potest. Marcus dicit; *erat autem hora tertia, & crucifixerunt ipsum*, innuens, ab hora tertia cœpisse agi coram Pilato de crucifixione Jesu, ab illa quasi omnia parata, ut in crucem tolleretur. In hunc sensum Lutherus in notis marginalibus ad vers. 25. cap. 15. Marci. *Sie fingen an* (in der dritten stunde) *zu handeln, dasz er gekreuzigt wurde.* Joannes. *Erat hora circiter sexta*, adeoque intra tertiam & sextam, *& tradidit* Iesum. Ioan. 19:14.16. Horæ diei *tertia, sexta, nona* diligentissimè à Iudæis observabantur. Nam *sexta* adducebat *meridiem. Tertiâ* offerebatur sacrificium juge matutinum. *Nonâ*, sacrificium juge vespertinum. Exod. cap. 29: 38.39. Num. 28: vers. 3 4. Servator noster, verum juge sacrificium, hora *tertiâ* crucifixus est, *nonâ* in cruce exspiravit, adeòque duplicis agni jugis, vespertini & matutini, veritatem exhibuit.

Christus ducitur ad locum supplicii.

§.76. Sed nunc videamus, quomodo sanctissimus noster cruciarius ad locum supplicii deductus est. Ut tradidit illum Pilatus Iudæis, illi παρέλαβον αὐτὸν καὶ ἀπήγαγον Ioan. 19:16. Luc. 23:26. Id autem fecerunt διὰ χειρῶν ἀνόμων. Actor. 2:23. hoc est, per *milites Præsidis*. Matt. 27:27. Marc. 15:16. Hi, antequam recta pergerent, *duxerunt* Iesum *in prætorium*. Matt. 27: vers. 27. Marc. 15: vers. 16. Ibi *exuerunt illum purpurâ*, quàm antea circumjecerant, & *induerunt ipsum vestimenta ipsius*. Matt. 27: vers. 31. Marc. 15: vers. 20. Ita denique ἐξάγουσιν αὐτὸν ἵνα σταυρώσωσιν αὐτόν. ibidem ipse *bajulavit crucem suam* Ioan. 19: vers. 17. Etiam ligneum hoc onus bajulare debuit, qui onera nostra bajulabat. Nescio, an „ ausim veterem fabellam hîc interponere. Narrant, Dominum Iesum, cum crucis ponderi „ ferendo non esset, in via, gementem & fessum, ad parietes domus *Ahasueri* cujusdam, opi„ ficio sutoris, sese reclinâsse; propulsum autem ab Ahasuero. Huic impudenti tunc dixisse „ Iesum, tu, qui mihi hanc quietem invides, sine omni quiete in his terris circuibis, usque „ ad novissimum adventũ meum. Ahasuerum illicò è domo sua egressum, perambulare cœ„ pisse totum terrarum orbem, eumq; adhuc perambulare, & perambulaturum ad finem usq; „ mundi. Alii ambulonem hunc, *Iohannem Buttadeum* vocant. Sed hoc obiter. Milites, ut videtur, commiseratione moti, coëgerunt *hominem* quendam *Cyrenæum, nomine Simonem, ut ferret crucem* ὄπισθεν τοῦ Ἰησοῦ. Matt. 27:32. Marc. 15:21. Luc. 23:26. Dixerat sæpè Dominus, *si quis vult venire post me, tollat crucem suam.* Matt. 16:24. Luc. cap. 9: vers. 23. Simon hic, coactus ferre crucem Domini, beatus fuit, si in amorem Domini, sponte

spontè & hilariter tulit crucem obviam sibi. Fuit *crux*, ligneam hanc ferre crucem. Ignominiæ organum, quis sine ignominia bajulet? fuit *gratia*, si sine cruce crucem hanc in se suscepit.

§. 77. Exeuntem Iesum secuta est *ingens multitudo populi & mulierum*; αἳ καὶ ἐκόπτοντο καὶ ἐθρήνουν αὐτόν. Misericordiam illarum nec requirit, nec efflagitat, illæ tamen ultrò illius miserescunt. Nil illis visum tam miserabile, quàm mitem hunc & benignum Iesum, è beato miserum subitò factum esse. Ideò voces miserabiles auditæ mulierum, miserabiliter Sanctum hunc cruciarium laudantium. *Conversus ad illas* Iesus, jubet, *non flere ipsum, sed se ipsas, & infantes suos.* Venturos enim *dies*, in quibus *beatæ* sint prædicandæ *steriles, & ventres*, qui *non pepererunt, & ubera, quæ non lactarunt.* Luc. cap. 23: vers. 27. 28. 29. De hoc tempore vaticinatus est Hoseas cap. 9: vers. 14. *Da illis, Domine. quid dabis? Da illis vulvam abortivam, & ubera arida.* Id petit, non in illorum pœnam, sed gratiam, ubi Iudæa bellis civilibus impleta, & Hierosolyma arcta obsidione pressa, dirissimâ fame emacerata, tandemque copioso sanguine polluta fuit, beneficium certè fuit, esse improlem, & abortus facere patique. Imò tantam fore angustiam prædicit Iesus, ut homines dicturi sint *montibus, cadite super nos; & collibus tegite nos*, Luc. cap. 23: vers. 30 confer Hoseæ cap. 10: vers. 8. De hac miseria lege Matt. cap. 24: vers. 15 – 21. *Si enim*, inquit, *in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. cap. 23: vers. 21. confer 2 Petr. cap. 4: vers. 17. Si homines in me, quem norunt bonum, *justumque*, ut Pilatus confessus est, tam atrocia decernunt, quid non aliis, quos aut pro rebellibus, aut perfidis habebunt, facient?

Exeuntem malignam turba comitatur, quibus in via futura mala prænunciat.

§. 78. Pervenere tandem ἐπὶ γολγοθᾶ τόπον *ad locum Golgotha*, hoc est, *Calvariæ*. Matt. cap. 27: vers. 33. Marc. cap. 15: vers. 22. Luc. cap. 23: vers. 33. Ioan. 19: vers. 17. Tetrum illum & infamem, multorum maleficorum sanguine humectatum, & craniis illorum ac ossibus seminatum; indeque Golgotha dictum. Non omnes malefici sepeliebantur. Multi corvos in cruce paverunt. Ibi *dederunt illi bibere*. Marc. 15: 23. Quid autem? ἐσμυρνισμένον οἶνον. ibidem, *vinum myrrhatum*, ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον. *Acetum cum felle mixtum*. Matt. 27: 34. *vinum* dederunt Domino, sed acidum, nam *acetum*. Acetum vinum acidum est. Idque amarissimis rebus corruptum, *felle & myrrha*. Moris olim fuit propinare damnatis vinum לבונה בקורט *cum grano thuris*, כדי שתטרף דעתם *ut mens illorum abriperetur*, & supplicium minus sentiretur. Nostro Servatori *fel* propinarunt. Ita corda illorum in felle sita fuere atque acerbo aceto. Sed tamen & *Myrrham*, cui inesse dicunt δύναμιν καρωτικὴν *vim soporiferam*, imò cum vino potam habere vim tenebras offundendi animo. Oblatum potum Servator οὐκ ἔλαβε Marc. 15: 23. Matt. 27: 34.

Veniunt in Golgotha.

Potum oblatum recusat.

§. 79. Vestibus exuitur etiam, quas inter se *partiti* milites sunt, & *super illas jecerunt sortem*. Marc. 15: 24. Tunica ejus ita elegans fuit, ut noluerint illam lacerari; ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι᾽ ὅλου *inconsutilis, à summis texta per totam*. Joan. 19: 23. Et ita *impleta Scriptura*. Psalm. 22: 19. confer Joan. 19: 24. Matt. 27: 35. Ita spoliatus est vestibus, qui nobis *vestes* est meritus. Es. 61: 10. imò ipse *vestis* nostra factus. Gal. 3: 27. χριστὸν ἐνεδύσασθε. Exutus *vestibus* est, qui fuit ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας. Col. 2: 15. Visus est *nudus*, ut ne nos *inveniremur nudi*. 2 Cor. 5: 3. *Exuamus* & nos, quia Dominus *exuit*. Imò ne *exuamus*, sed *superinduamus*. 2 Cor. 5: 3. 4.

Vestibus nudant.

§. 80. Ita tandem cruci suffixus est, ἐσταύρωσαν αὐτὸν Luc. 23: 33. *Manus ejus perforatæ, ut & pedes; dissipata omnia ossa ejus, sepulchrum ejus datum cum improbis*, ipseque ut *serpens* exaltatus, & *maledictio* factus. Super *caput* illius *scripta* ἡ αἰτία αὐτοῦ *causa ejus* seu

Cruci affigitur.

crimen ejus. Matt.27:37. Marc.15:26. *Græcis, Romanis & Ebræis literis* Luc.23:38. Id Johannes vocat τίτλον *titulum*, & hujus fuisse argumenti. *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum,* Joan.19:19. secundùm Lucam, *hic est Rex Judæorum*; Marcum, *Rex Judæorum*; Matthæum, *Hic est Iesus, Rex Judæorum.* Nil illo titulo verius. Luc. 1:32.33. Nil igitur hac pœnâ injustius.

Medius inter duos latrones. §. 81. Nec solus, sed *unà cum illo latrones* & sicarii *duo, unus è dextris, unus è sinistris.* Matt.cap.27:vers.38. Marc.cap.15:vers.27. qui duo κακοῦργοι *malefici* unà cum illo educti sunt. Luc.cap.23:vers.32.33. Ipse in medio illorum suspensus, ut maximus κακοῦργος. Joan.19:18. Et ita *impleta Scriptura.* Marc.15:28. Es.53:12.

Illusus est in cruce. §. 82. Suspenso vehementer illuserunt hostes. 1. Οἱ παραπορευόμενοι. Matth.cap.27:vers.39.40. Marc.cap.15:vers.29.30. 2. Οἱ ἀρχιερεῖς & οἱ ἄρχοντες, μετὰ γραμματέων καὶ πρεσβυτέρων. Matt.cap.27:vers.41.42.43. Marc.cap.15:vers.31. Luc.cap.23:vers.35. 3. οἱ συνεσταυρωμένοι Marc.cap.15:vers.32. Matt.cap.27:vers.40. non tamen ambo, sed εἷς *unus* tantùm. Luc.cap.23:vers.39. Alter in ipsa cruce præco pœnitentiæ & sibi ac socio suo factus; ac patronus seu defensor justitiæ Christi, supplex denique petiit, *memento mei, Domine, cum veneris in Regno tuo.* ibidem vers.40.41.42. Quis te, latro, docuit, in ultima tua hora, talia verba loqui? Spiritus Dei, conversionis autor, qui sanctos *docet omnia.* Hic in cruce pendens fructum crucis Christi sensit. Hicque miser duplici modo Christo συνεσταυρώθη 1. Quatenus de latere ejus pependit. 2. Quatenus & *vetus homo ejus* ipso illo momento, per gratiam convertentis Dei, *crucifixus est.* Rom.cap.6:vers.6. Ille verè dicere potuit, χριστῷ συνεσταύρωμαι, Galat.cap.2:vers.20. ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται, κἀγὼ τῷ κόσμῳ. Galat.6:v.14. 4. Οἱ στρατιῶται. Luc.cap.23:vers.36.

Mirabilia facta, dum in cruce fuit. §. 83. Dum in cruce fuit, mirabilia facta sunt 1. In cœlo. 2. In terra. 3. In templo. 4. In monumentis. 5. In mortuis. 6. In vivis. Ita verè impletum. *Dabo portenta in cœlo & in terra.* Joël.3:3. Omnis creatura sensit, horruit, commota est ad immane hoc spectaculum; & ipsa quasi passa est patiente Creatore.

In cœlo. §. 84. In *cœlo.* Matt.27:vers.45. *A sexta autem hora tenebræ exstiterunt super totam terram, usque ad horam nonam.* confer Marc.15:vers.33. Luc.23:45. καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος. *& obtenebratus est sol.* Idque secundùm Scripturam Amos 8:vers.9. *Faciam occidere solem in meridie, & tenebras inducam super terram.* Joël.3:vers.4. *Sol mutabitur in tenebras.* Tenebræ in meridie cœperunt, quum clarissima lux est, durarunt ad *tertiam* usque pomeridianam. Fuitque adeo ἔκλειψις ἡλίου *eclipsis solis* trium integrarum horarum. Plutarchus & Ptolomæus τὰς ἐκλείψεις luminarium cœlestium, ἐπισκοτήσεις nominant. Facta igitur hic ἐπισκότησις ἡλίου. Fuit hæc solis obscuratio miraculosa planè & extraordinaria. 1. Non facta est in *novilunio*, cujus solius tempore *Sol* ἐκλείψει obnoxius est, sed in *plenilunio*, die decimo quinto mensis κατὰ συζυγίαν, decimo quarto κατὰ φάσιν. Non posse autem solem obscurari in plenilunio, nisi præter naturam, astronomia docet. 2. Fuit *totalis & universalis*, ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, ἐφ᾽ ὅλην τὴν γῆν, *super universam terram*, quæ solem tunc supra Horizontem habebat; seu in quibus partibus terræ sol tunc spectari poterat. Atqui ex astronomicis dicunt constare fundamentis, universales ejusmodi Ἐπισκοτήσεις in sole haut fieri posse. 3. Longioris fuit durationis; trium integrarum horarum. Docent autem astronomiæ periti, solis eclipsin, etiam ibi, ubi totalis conspicitur, omnem moram durationis aversari. 4. Dionysius Areopagita, Episcopus Atheniensis, scribit in Epist.7. ad Polycarpum, Episcopum Smyrnensem, lunam visam esse mirabiliter ex loco oppositionis promoveri

moveri per orientis partes sub solem, & ibi manere usque ad horam nonam, indeque ad vesperam usque rursum ad locum oppositionis rediisse. Mitto, eundem Dionysium tradere, obscurationis hujus initium fuisse factum à parte *orientali*, quum in omni deliquio solis naturali obscuratio incipiat à parte *occidentali*. Hic Dionysius tunc, cùm hæc ἔκλειψις facta est, adhuc Ethnicus, visa illa in Ægypto Heliopoli, dixisse scribitur a Suida, ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. *Aut Numen patitur ipsum, aut patienti compatitur.* Etiam in Archivis Romanis prodigiosam hanc solis eclipsin notatam fuisse, Tertullianus autor est Apol. cap. 21. Neque enim in Iudæa tantùm illa conspecta fuit, sed & in Ægypto, aliisque locis, quæ procul à Iudæa distabant. Solis hæc obscuratio non tantùm testata est obscurationem *Solis justitiæ*, qui totidem dies fuit in *corpore terræ*, quot sol creatus horas occultatus est à terræ facie; sed & notavit 1. Hanc esse ἐξουσίαν τοῦ σκότους. Luc. 22: 53. 2. Graves tenebras, quæ Iudæos, ob excisum è terra justum Dei servum, supervenerunt, confer Ioël 3: 3. 4. 3. στεναγμὸν & ὠδῖνα τῆς κτίσεως *gemitum* & *dolorem* ipsius irrationalis *creaturæ*. Rom. 8: 21. 22.

§. 85. In *Terra*. Matt. 27: 51. ἡ γῆ ἐσείσθη καὶ αἱ πέτραι ἐσχίσθησαν. *Terra commota est; & petræ fissæ sunt.* Terra commota est propter illum, cujus *vox* olim *commoverat* illam; illius nunc *mors* commovet illam; imò & de illo ἐπήγγελται, *Adhuc semel egò commoveo non tantùm terram, sed & cælum.* Hebr. 12: vers. 26. Etiam paulò post rursum σεισμὸς ἐγένετο μέγας. Matt. capite 28: vers. 2. *Petra salutis* hic rumpitur, quidni *petræ* rumpantur? In terra.

§. 86. In *Templo*. Matt. 27: 51. *Et velum Templi fissum est* εἰς δύο *in duo, à sursum usque ad infra.* confer Marc. 15: vers. 38. Luc. 23: 45. καὶ ἐσχίσθη τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ μέσον. De velo, illius significatione, & ruptura diximus libr. 11. cap. IX. §. 28. -- 35. quæ nunc non repetimus. In templo.

§. 87. In *monumentis*, Matt. 27: 52. καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεῴχθησαν *& monumenta aperta sunt.* In signum, *venturam horam, in qua omnes* οἱ ἐν τοῖς μνημείοις *audiant vocem* Filii Dei, & exeant. Ioh. 5: 28. In sepulchris.

§. 88. In *mortuis*. Matt. 27: 52. *Et multa corpora sanctorum, qui dormierant* (confer 1 Thes. 4: 13.) ἠγέρθη *resurrexerunt*; primitiæ facti resurrectionis, quam omnes exspectamus. *Nomina* horum sanctorum Scriptura tacuit. Fuere πολλοὶ *multi*. confer Dan. 12: 2. רַבִּים. Excitata sunt illorum corpora, quum moribundus ferè exhalaret Jesus. Imò & in illorum gratiam aperta sunt monumenta, quæ aperta sunt. Tamen *è monumentis non sunt egressi nisi post* τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ *resuscitationem Christi.* Debuit esse Christus πρῶτος ἐξ ἀναστάσεως. Actor. 26: 23. ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων. 1 Cor. 15: 20. Post illam, relictis suis sepulchris, *ingressi sunt in civitatem sanctam*, καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς *& apparuerunt multis*, Matt. 27: 53. assumti deinceps toti, & quoad animam & quoad corpus, in paradisum; ubi *animæ* illorum fuerant hactenus, nunc & *corpora* evehenda erant post breve tempus. Sine dubio, ut post Christi ἔγερσιν ascenderunt è sepulchris, ita & post Christi ἀνάληψιν assumti sunt in cœlis. Neque enim resurrexerunt, ut rursum morerentur; nec deseruerunt sua sepulchra, ut rursum intrarent in illa. Ita enim ἔγερσις αὐτῶν non fuisset κέρδος, sed ζημία. In mortuis.

§. 89. In *vivis*. Matt. 27: 54. *Hecatontarchus, & qui cum illo*, τηροῦντες τὸν Ἰησοῦν (confer Matt. 27: 36.) *videntes terræ motum*, καὶ τὰ γενόμενα *& quæ acta erant*, solis tenebras, Christi clamores, obitum, &c. *timuerunt valdè, dicentes; Verè Dei Filius erat hic.* Ita cui paulò ante ἐνέπαιζον Luc. 23: 36. illius nunc eminentiam fatentur. confer Marc. 15: 39. Luc. 23: 47. In vivis.

Verba de cruce prolata. §. 90. Nec in cruce siluit Servator, sed mediis in tenebris locutus est verba lucis, gratiæ & solatii. Occurrit mihi hic locus quidam Justini libr. XXII. cap. VII. *Bomilcar, Rex Pœnorum, ob noxam*, quod voluit ad Agathoclem hostem cum exercitu transire, *in medio foro a Pœnis patibulo suffixus est. Bomilcar magno animo crudelitatem civium tulit; adeò ut de summa cruce, veluti de Tribunali, in Pœnorum scelera concionaretur; objectans illis* varia crimina. *Hac cum in maxima populi concione vociferatus esset, exspiravit.* Jesus noster etiam de summa sua cruce concionatus est. Sed alia planè quàm Bomilcar, & majore animo ac mirabili patientia *suorum* sic crudelitatem ferre testatus est.

Verbum primum. §. 91. *Primum*, quod de cruce dixit verbum, hoc fuit. *Pater, remitte illis; nesciunt enim, quid faciant.* Luc. 23:34. Ita *pro defectoribus intercessit.* Es. 53:12. Habebat inter crucifigentes se, qui ipsi *dati* erant. Saul persecutor datus erat ipsi, quidni & de his persecutoribus dati fuerint ipsi? Quantæ charitatis est, orare pro interfectoribus suis. Pro reprobis & ἑκουσίως ἁμαρτάνουσι non oravit. *Ego non oro pro mundo, sed pro iis, quos dedisti mihi.* Ioh. 17:9. In illos convenit sententia. Psalm. 69:21–28. Psalm. 109:9–17. Inter illos, qui clamarunt, *crucifige, crucifige*, multi fuere, qui ἀγνοοῦντες id fecerunt ἐν ἀπιστίᾳ 1 Tim. 1:13. tum plebeji, tum ἄρχοντες. Act. 3:17.

Secundum. §. 92. *Secundum. Amen dico tibi. Hodie eris mecum in Paradiso.* Luc. 23:43. Ostendit, suum esse, dare Paradisum. Discipulis dixerat. *Ego dispono vobis Regnum.* Luc. 22: vers. 29. Idem nunc promittit latroni: nam *Regnum* Paradisus est. Luc. 23:42.43: Multi *publicani, & meretrices, & latrones præcedunt in regnum Dei*, Matt. 21:31. optimo jure dixit. *Hodie mecum eris.* Id enim petiit, καὶ εἰσακουσθεὶς. Hebr. 5:7.° *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum.* Ioh. 17:24. *Introitus sanctorum est in sanguine ejus.* Hebr. 10:19. Ergo & in Paradisum. Ideò promittere illum potest, & in illum ducere. Pseudo-Samuel dicebat Saulo. *Cras Tu & Filii tui mecum.* 1 Sam. 28: vers. 19. Id malum certè verbum. Jesus latroni, *Hodie eris mecum.* Id bonum & suavissimum fuit verbum. Doceamur, 1. Quonam evaserit *anima* Christi, moriente corpore. In *Paradisum.* 2. Quonam abeat *anima* pœnitentium sanctorum. Non, in *loca pallidula, rigida, nudula*, ut proximus leto cecinit *Adrianus* Imperator, successor Trajani; non in *purgatorium* ignem, sed in *Paradisum*; Paradisus idem est, quod *tertium cælum*, quousque *raptus* est Paulus. 2 Cor. 12:2. Dei *domus* Ioh. 14:2. *civitas nostra.* Phil. 3: vers. 20. *Patria melior* Hebr. 11:14.16. cujus symbolum fuit *hortus Eden*, domicilium Adami integri Genes. 2:8. qui à LXX. interpretibus παράδεισος dicitur; unde nomen figuræ ad veritatem translatum est. confer Apoc. 2: vers. 7. ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ θεοῦ. Aliàs פַּרְדֵּס παράδεισος sua natura significat גַּן *hortum*, quo cum vocabulo etiam conjungitur; & quidem hortum arbores frugiferas & cæduas habentem; & nemora alendis feris. Cantic. 4:13. Eccles. 2:5. עָשִׂיתִי לִי גַּנּוֹת וּפַרְדֵּסִים וְנָטַעְתִּי בָהֶם עֵץ כָּל־פֶּרִי adde Nehem. 2:8. Frequenter occurrit apud Xenophontem.

Tertium. §. 93. *Tertium*, videns de cruce *Matrem* suam & *Discipulum dilectum*, dixit prius Matri, *Mulier, ecce Filius tuus*; dein discipulo, *Ecce Mater tua.* Ioh. 19:26.27. Ita *honoravit* Matrem suam ad finem usque vitæ, curamque illius habuit, discipulo illam commendans, qui ἀπ' ἐκείνης τῆς ὥρας ἔλαβεν αὐτὴν εἰς τὰ ἴδια. ibid. Hic, si unquam, *animam* Sanctæ *gladius pertransiit.* Luc. 2:35. Hic vidit Filium *positum in lapsum, & in signum contradictum.* ibid. vers. 34.

Quartum. §. 94. *Quartum. Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me.* Ita *clamavit voce magna*

circa horam nonam. Matth. 27: 46. Marc. 15: 34. Exstat illa vox Psalm. 22: 2. Deum *suum* invocat. Joh. 20. 17. θεόν μυ. Quatenus *homo* est, Deus etiam Jesu *Deus* est. Quatenus à Deo *genitus* est, Deus *Pater* ipsius est. Quatenus *servus* exstitit, Deus *Dominus* illius est. Quatenus *exinanitus*, & *humiliatus* & *minor factus præ Deo* Psalm. 8. Pater μείζων *major* illo est. Joh. 14: 28. A *Deo suo* queritur se *derelictum*, hoc est, in illum statum redactum, ut derelicto videatur simillimus. Non ita *derelictus* est, ac si æterna unitas, qua cum Patre ἕν ἐςι *unum est* Joh. 10: 30. sit abrupta; aut, ac si personalis unio, qua in unitatem Personæ assumsit humanam carnem, sit divulsa; quorum utrumque impossibilissimum est; sed queritur, se *Hominem*, in profundissimam & infernalem miseriam, luctum, angorem, tentationem, traditum, luce Dei, consolatione, recreatione, confortatione carere, nec illam, ut in vita sua anteacta, sentire. Dicit enim, *Deus mi.* Ergo qua *homo* & servus patiens clamat. *Quare*, inquit, præ ineffabili dolore quasi extra se raptus, causam animo non præsentem videt, cur eo usque deleatur, & quasi abjiciatur. Derelictus fuit *a Deo*; adeoque a se ipso, quatenus *Deus* est. Ne deinceps dicat Zion, *Dereliquit Dominus me, oblitus est mei*, Es. 49: 14. nam ne derelinquamur, Sponsor noster derelictus est. Ideò & promisit Dominus, ὐ μή σε ἀνῶ, ὐδ᾽ ὐ μή σε ἐγκαταλίπω. Hebr. 13: 5. Hoc verbum in tanta anxietate enunciatum, magna cum sanna exceptum est, Matt. 27: 47. 49. Marc. 15: 35. 36.

§. 95. *Quintum.* Διψῶ *sitio.* Ioh. 19: 28. confer Psalm. 69: 22. *Et in siti mea.* Ita viribus exhaustus fuit, ut potu refocillari peteret. Sensit in cruce omnia παθήματα, luctam in mente, dolores in corpore, sitim in gutture. Subito *cucurrit unus è militibus*, & *aceto illum potavit.* Matth. 27: 48. Ioh. 19: 29. Cùm venisset in Golgotha, potum ὐκ ἔλαβε. Marc. 15: 23. In cruce sponte petiit, & *oblatum* ἔλαβε. Ioh. 19: 30. Quintum.

§. 96. *Sextum.* Τετέλεςαι *consummatum est*, Ioh. 19: 30. *sciebat* enim, *quod omnia jam perfecta erant consummate, ut impleretur Scriptura.* ibidem. vers. 28. Τετέλεςαι 1 *Ego ipse*, ut Sponsor & Mediator. Hebr. 2: vers. 10. *Principem salutis per passiones* τελειῶσαι *consummare.* Hebr. 5: 9. καὶ τελειωθεὶς. 2. ἡ ὡρισμένη βυλὴ ᾗ πρόγνωσις ? θεῦ. Actor. 2: 23. ποιῆσαι ὅσα ἡ χείρ σε ᾗ ἡ βυλή σε προώρισε γϟέδς. Actor. 4: 27. 28. 3. ἡ γραφὴ. Ioh. 19: 28. 4. οἱ ἁγιαζόμϟοι, Hebr. 10: 14. *una victima* τετελείωκεν *consummavit, in perpetuum*, eos, *qui sanctificantur.* 5. τὸ ἔργον ? θεῦ Ioh. 4: 34. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*, καὶ τελειώσω αὐτῦ τὸ ἔργον & *consummem ipsius opus.* Ioh. 17: 4. τὸ ἔργον ἐτελείωσα ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω. Deus sanctus in justitia est sanctificatus, & in judicio exaltatus. Es. 5: 16. *Novum Testamentum morte* mea est *initiatum.* Matth. 26: vers. 28. Hebr. 9: vers. 15. Igitur, τετέλεςαι, πάντα ἤδη τετέλεςαι. Sextum.

§. 97. *Septimum. Pater, in manus tuas* παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μυ, *commendabo* seu *deponam Spiritum meum.* Luc. 23: 46. Jesus *Patri* commendat *Spiritum.* Stephanus Martyr *Jesu.* κύριε Ἰησῦ, δέξαι τὸ πνεῦμά μυ. Hic *Spiritus*, qui toto passionis tempore ita *turbatus fuit.* Ioh. 13: 21. Hæc *anima*, quæ tantam *tristitiam* sensit, Matth. 26: 38. in manum Patris deposita, paulo momento in Paradisum, & in Regnum id intravit, quod latro petierat, illeque latroni promiserat. Ita petens Jesus, ostendit verum in se, quod est Psalm. 16: 8. *Posui Jehovam coram me; quia est a dextra mea,* בַּל־אֶמּוֹט *non movebor.* Septimum.

§. 98. His dictis, κλίνας τὴν κεφαλὴν, παρέδωκε τὸ πνεῦμα, *inclinato capite tradidit Spiritum* Joh. 19: 30. Patri reddidit, in cujus manus illum commendavit; *clamans* Christus exspirat.

voce

voce magna, ἀφῆκε τὸ πνεῦμα *dimisit spiritum* Matth. 27: 50. Spiritum, in corpore hactenus detentum, liberum à corpore emisit. Vereque adeò ἐξέπνευσε *expiravit*. Marc. 15: 37. Luc. 23: 46. Rupto enim vinculo, quod animam & corpus tenuit conjuncta, *exspiramus*, hoc est, ultimum flatum efflamus. Ita verè *mortem* gustavit Dominus Hebr. 2: 9. ὅπως θανάτου γεύσηται. Hebr. 9: 15. θάνατον τοῦ κυρίου καταγγέλλετε 1 Cor. 11: 26. *effudit in mortem animam* Es. 53: 12. *cum divite* בְּמֹתָיו *in mortibus suis*. Es. 53: 9. Et verè ἀπέθανε, Rom. 4: 8. 14: 9. 2 Cor. 5: 15. Galat. 2: 21. Phil. 2: 8. θανατωθεὶς σαρκὶ *mortificatus carne*. 1 Pet. 3. 18.

Magna voce clamans. §. 99. Id in *morte* ejus mirum, quod οὕτως κράξας ἐξέπνευσεν *ita clamans exspiravit*. Marc. 15: 39. confer Matth. 27: 50. κράξας φωνῇ μεγάλῃ Marc. 15: 37. ἀφεὶς φωνὴν μεγάλην. Id quod Romanus *Centurio* ita miratus est, ut diceret, *verè Homo hic Filius erat Dei*, Marc. 15: 39. & *laudaret Deum, dicens, Certè homo hic justus est*. Luc. 23: vers. 47. *Omnesque* οἱ συμπαραγενόμενοι ὄχλοι ἐπὶ τὴν θεωρίαν ταύτην, *verberantes pectora sua, abierunt*. ibid. vers. 48. *Magna* hæc *vox* testatur, virium Christo homini satis superfuisse, ut diutius vivere potuisset; illumque *è potestate*, & ἀπ' ἐαυτοῦ *a se ipso animam* vitamque *posuisse*, neque adeò *quenquam illam ab illo abstulisse*. οὐδεὶς αἴρει αὐτὴν ἀπ' ἐμοῦ. Ioh. 10: 18. Judæi & Romani illo illum affecerunt supplicio, quod certa mors excipere solebat. Atqui ille *mortem* antevertit, & quasi præoccupavit, & citius gustavit, quàm pro ratione supplicii necessum fuit. Ideò & ἐθαύμασε Pilatus εἰ ἤδη τέθνηκε, adeò ut advocato *centurione*, diligenter inquisiverit, εἰ πάλαι ἀπέθανε Marc. 15: 44. Et duo illi λῃσταὶ *supervixerunt illum* Ioh. 19: 32. & milites præter spem invenerunt illum ἤδη τεθνηκότα. ibidem vers. 33. Igitur voluntaria & spontanea victima Jesus exstitit. Sponte se tradidit in manus hostium, quas, si voluisset, evadere potuisset. Lubenti complacentia & propensa voluntate cruci se affigendum obtulit. Cùmque omnia se fecisse & passum esse sciret, quæ prophetia prædixerat, & justitia Dei exigebat, & lex postulabat, & sponsio æterna flagitabat, & peccatum Satanasque intentare poterat, publica id voce toti mundo testatum fecit, dicens, τετέλεσται; tandemque animam suam è corpore emisit, & corpus à *mortis doloribus exsolvit*, atque in placidam mortem, & tranquillam requiem volens sciensque deposuit.

Crurifragium evitavit. §. 100. Judæi, ne *corpora* crucifixorum manerent ἐπὶ τοῦ σταυροῦ ἐν τῷ σαββάτῳ: qui aliàs è lege tenebantur, *eodem die suspensos sepelire*, ut ne, *pernoctantibus* illis *in ligno*, *terra pollueretur* Deut. 23: 23. intercedunt apud Pilatum, ἵνα κατεαγῶσιν αὐτῶν τὰ σκέλη. Joh. 19: 31. Ita mortem accelerare miserorum cruciariorum volentes. Sed evitavit Dominus *crurifragium*, quia jam emiserat spiritum. Itaque quod in figura paschalis agni, cui *os non frangebatur* Exod. 12: 46. Num. 9: 12. Ioh. 19: 36. fuit præfiguratum, in Christo Agno Dei verissimè est impletum. Psalm. 34: 21. *Servans omnia ossa ejus, unum ex illis confractum non est*.

Latus Christi compunctum. Inde fluxit sanguis & aqua. §. 101. *Latus* mortui *unus militum* λόγχῃ ἔνυξε *lancea pupugit*. Ioh. 19: 34. Ita & aciem *gladii* sensit Psalm. 22: 21. *Eripe à gladio animam meam*. Vulnus lateri inflictum haut parvum fuit. Jussit Thomam *admovere manum & injicere in latus*. Ioh. 20: 27. Integra manus ad palpandum vulneris vestigium adhibenda fuit. E puncto *latere*, *statim exivit sanguis & aqua* Joh. 19: 34. Id Johannes à se *visum*, & *verissimum* esse, gravibus verbis testatur. ibid. vers. 35. Ita verè *sanguis effusus fuit*. Matth. 26: vers. 28. Ex *pericardio*, aut *thorace* humor is effluxit. Videtur autem fuisse sanguis cum sero. *Serum* dicitur aqua lactis; imò & sanguinis. Omnis sanguis, benè constitutus, serum habet. Sed

id

id serum non videtur, nisi ubi sanguis sidere cœpit. Ideo & hic in Christo præternaturale quid evenit. Tanta copia seri unà cum sanguine effluxit, ut distinctè utrumque, & sanguis & aqua, videri oculis potuerit.

§. 102. Mysterium hujus fluxus lege 1 Joh. 5:6. *Hic est, qui venit cum aqua & sanguine, Iesus Christus, non cum aqua tantum, sed cum aqua & sanguine*, & vers. 8. *Tres sunt, qui testantur in terra, Spiritus, aqua, sanguis, & hi tres in unum sunt.* De hac *aqua* dixit Christus Joh. 3: 5. *Nisi quis regeneretur ex aqua & Spiritu*, & Paulus Heb. 10:23. *loti corpus aquâ purâ*, & Prophetia. Ezech. 36:25. *Et spargam super vos aquas puras, & purgabimini*, ut *sanguis* notat imprimis Christi *passiones*; ita *aqua* illius *obedientiam*, quæ, ut aqua, pura est in se; & vim purificandi habet. Nam & obedientia Jesu, non sola passio nostræ justitiæ causa est. Rom. 5: 19. Aliàs & Spiritus S. cum *aqua* comparatur Es. 44: 3. Joh. 7:38. & dicitur *effundi*, Joël 3: 1. quod *aquæ* est. Mysterium illius.

§. 103. Et hoc factum secundùm *Scripturam.* Joh. cap. 19: vers. 37. ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν; per ellipsin; plenè erit, ὄψονται εἰς ἐκεῖνον ὃν, &c. *Aspicient eum, quem confixerunt*, τὸ ἐκκεντεῖν solum accusativum postular, sine præpositione. Sic Apoc. cap. 1: vers. 7. οἵ τινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν, & doctis citatum illud Diodori Siculi libr. 19. τὸ μὲν Φίλιππον προσέταξε Θρᾳξί τισιν ἐκκεντῆσαι *Philippum præcepit Thracibus quibusdam confodere.* Neque ergo putandum, ab Euangelista jungi τὸ ἐκκεντεῖν cum εἰς ὃν. Locus igitur hic docet 1. *Configendum* Dominum. Id impletum, cum lancea punctus est. 2. Confixum seu confossum hunc *aspecturos* homines, hoc est, illius confossionis oculatos testes futuros; quinimò & *fide* illum amplexuros. Fides acutissimè videt. Imò videt, *quæ non videntur.* Hebr. cap. 11: vers. 1. Utrumque jungitur *videre* & *credere.* Joh. cap. 6: vers. 40. ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν, καὶ πιστεύων εἰς αὐτόν. confer Es. cap. 45: vers. 22. פְּנוּ־אֵלַי *respicite ad me, & salvamini*, ut autem Sancti *viderunt* illum, quem *confixerunt* Judæi hostes; ita & ipsi hi confossores aliquando videbunt illum, cùm veniet in nubibus. Apoc. cap. 1: vers. 7. *venit cum nubibus*, καὶ ὄψεται *& videbit illum omnis oculus*, καὶ οἵ τινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν, *& ipsi illi, qui illum confixerunt*, videbunt; nam resuscitabuntur ad judicium. Locus autem hic exstat Zach. cap. 12: vers. 10. וְהִבִּיטוּ אֵלַי אֵת אֲשֶׁר־דָּקָרוּ *Et videbunt ad me, cum eo, quem confixerunt*; vel etiam sic, ut verba Johannis plenius conveniant, *& videbunt ad me, quem confixerunt*; ut particula אֵת sit *specificativa.* veluti Genes. 4: 2. Es. 8: 2. & alibi. Confessio Christi prædicta Zach. 12: 10.

§. 104. Et hic finis est passionis Dominicæ; cum vita enim Domini desiit & passio Domini. Mirare autem homo, & magna hæc mysteria profunda cum veneratione adora. *Deus* fudit *sanguinem proprium.* Act. 20: 20. *Princeps vitæ* vita privatus est. Act. 3: 15. *Dominus gloriæ* ignominiâ *crucis* notatus est. 1 Cor. 2: ℣. 8. *Creator* à creatura & propter creaturam omne hoc perpessus est. Hoc primum. Secundum hoc. *Iustus passus est.* 1 Pet. 3:18. *Sanctus & justus abnegatus est.* Actor. 3: vers. 14. *Qui non novit peccatum, factus est peccatum.* 2 Cor. 5: 21. *Benedictus* exstitit *maledictio* Rom. 9: 5. Galat. 3: 13. Tertium. Pœnas tulit ingentes, maximas, incomprehensibiles, ineffabiles. Omnium peccata tulit, omnium pœnas pertulit, quas pœnas peccatores ipsi perferre debuissent, illas omnes ille pro illis perpessus est, unus pro omnibus, & omnia pro omnibus luit. Igitur omnem iram Dei, quæ in omnem hominum impietatem revelanda fuisset, sensit. Omnes Satanæ insultus sustinuit. Omnes infernales dolores toleravit. Quod infinitæ hominum, qui salvantur, myriades, unusquisq; in propria persona, ob peccata, perpeti debuissent in æternum, id unus homo, Jesus Christus, perpessus est omne; reddens, quod non rapuit; solvens æs, quod Mysteria Passionis.

non contraxit; luens scelera, quæ non patravit. Et ita passus est ac solvit sufficienter, plenè, totaliter, ut nulla lex, nulla justitia, nec divina, nec humana, ab illis, pro quibus passus est, exigere aliquid possit amplius, ita ὅλον τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου *impletum est in illis*. Rom. cap. 8: 3. Quartum. Factus est ἔκδοτος *definito Dei consilio & præcognitione*, Actor. 2: 23. Satanas, Antiquus *Serpens contrivit ipsius calcem*, Genes. 3: 16. *voluit* illum דַּכְּאוֹ *redigere in nihilum.* Es. 53: 10. Judæi illum *interfecerunt. Vos abnegâstis justum, & Principem vitæ interfecistis.* Actor. 3: vers. 14. 15. 2: 33. 10: 39. Traditus est *in manum peccatorum*, hoc est, gentium. Matth. 26: 45. διὰ χειρῶν ἀνόμων. Act. 2: 33. Ita & *Deus*, & *Satanas*, & *Israel*, & *Gentilitas* in illius concurrit necem. Sed aliter Deus, aliter Satan, aliter homines. *Deus*, ut infinitâ *dilectione mundum diligens*, & *Filium suum dans unigenitum*, Joh. 3: 16. Deus, ut *Judex*, à Sponsore exigens, quod ab illis, pro quibus spopondit, exegisset. Deus, ut *verax*, promissionum suarum, ab initio factarum, memor, illarumque completor. *Satanas*, ut victor humani generis, qui, postquam parentes nostros seduxit, illosque vicit, & nos omnes in illis, *servos* nos suos fecit, ᾧ γάρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται. 2 Pet. 2: 19. Igitur tenet omnes homines ut suos, per lapsum suos factos. Nequitiosè & injustè nos seduxit. Sed seductos non injustè ad æternas secum pœnas postulat. Si à *violento* hoc *præda* debuit *auferri*, & שְׁבִי צַדִּיק *captivitas justi evadere* (injustissimus Satan justa de causa seu justo titulo captivat peccatores) Es. 49. 24. 25. oportuit, ut Heros surgeret, qui cũ captivatore hoc injustè justo, & justè injusto congrederetur, & luctaretur, & *prædam forti*, ac captivitatem violento auferret; calcaneo suo caput illius contereret; &, ut plenè contereret, calcem suam illi conterendam daret & offerret. *Judæi*, ut organa Satanæ, ab illo excitati, propriâ malitiâ compulsi, & carnali odio, ac turpibus causis ad illud horrendum nefas commoti. Stupet mens nostra. Populus, cujus *Patres salutare* hoc *exspectarunt*, qui *promissionem* tanto tempore habuit, qui cottidie *umbras* futuri Messiæ ante oculos habuit, qui ipso illo tempore professionẽ Messiæ venturi faciebat, qui tot signa & miracula & argumenta veri hujus & missi Jesu Christi vidit & audivit; hic, inquam, populus, indignas manus pretioso hoc sanguine polluit, abnegans fidem ac spem; omnemque pietatem penitus exuens, adversatus Deo, gratificatus Diabolo. Prævidit id Deus. Permisit id Deus. Imò & *prædefinivit* id Deus Act. 1: 23. ut enim *definito consilio* Jesus traditus est, ita & ab impiis eodem consilio acceptus & cruci adfixus est, ita tamen *prædefinivit*, ut sarta sit illius justitia, integra illius misericordia, immaculata illius sapientia, & aperta ac damnabilis Judæorum malitia, & Sancta Dei deprehendantur judicia. Fecerunt scelus hoc Deo prædefiniente, non tamen cogente, nec impellente, nec persuadente; imò nec otiosè permittente, sed imperscrutabiliter, justissimè, sanctissimè dirigente ac disponente. Voluit Deus, ut ab illis profanaretur *sanctum* hoc; ut ab illis exscinderetur *justus* hic; ut ab illis reprobaretur *lapis* hic, ab illis, inquam, qui erant ipsius ἴδιοι *proprii*, ad quos *venit*, quorum ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα, καὶ αἱ διαθῆκαι καὶ αἱ ἐπαγγελίαι, ὧν οἱ πατέρες, ἐξ ὧν ipse ὁ χριστὸς, quò appareret humani generis malitia, indignitas, furor; quo Judæis carnalis auferretur gloriatio, & gentibus sterneretur accessus, & passio Christi ex hac ipsa indignissima reprobatione, à *fratribus* illata evaderet major ac gravior. *Gentes*, ut Judæorum simul organa & Satanæ, & à Satana, & à Judæis, Satanæ filiis, impulsæ, & ad nigrum hoc facinus coactæ. Minus est hîc peccatum gentium. Majus Judæorum, ipso id restante Christo, coram Pilato. Joh. 19: 11. Utrorumque grave tamen & execrabile. Etiam gentes voluit divina providentia sanguinis innocentis fieri reas, ut & illæ per meram gratiam, non ullum meritum, factas se agnoscant, quod factæ sunt. Ne putent gentes, Christum ob *injuriam* factam, & *dolum* esse condemnatum. Nam gentilis ipse Pilatus iteratis vicibus ab omni impacto scelere illum

lum pronunciavit liberum & purum. Igitur & Judæi & gentes, totusque adeo mundus necem intulit Christo. Totius mundi est piamentum, à toto mundo passus est supplicium. Pro utrisque est mortuus, Judæis & gentibus. Ab utrisque est interfectus, Judæis & gentibus. Utrisque fuit offendiculo. *Scandalum Iudæis. Stultitia Græcis* 1 Cor. 1: 23. qui Mediator est omnium, Redemtor omnium, & Salus omnium.

An magis decuerit Deum aliunde Christo Passiones conciliare, & non per manus hominum inferre?

§. 105. Subibit forsan animos cogitatio, annon magis decuerit Deum, aliunde Christo passiones conciliare, nec per manus Judæorum & Gentium inferre. Potuisse Christum in deserto horribiliter tentari & angi; ut in initio ministerii aliquas ibi tentationes expertus est. Potuisse à Dæmone in corpore percuti, à furiis infernalibus infestari, à feris bestiisq; insigniter terreri, & tandem post passiones satis multas aut ab illis lacerari, aut à Dæmonibus suffocari & extingui. Potuisse illum ita diriora perpeti, quàm ab hominibus perpessus est. Ita homines mansuros fuisse à sanguine Jesu innocentes; nec Christum futurum fuisse latronibus suis scandalo & exitio. Etiam justitiæ Dei vindicatrici, & legi violatæ per tales passiones potuisse abundè satisfieri.

Responsio.

§. 106. Verùm enimvero talis cogitatio curiosa magis est & arguta, quàm utilis & necessaria, si ita agere magis decuisset Deum, sine dubio ita egisset, nunc, quia non ita fecit, sed secus fecit, statuamus, non fuisse modum convenientiorem aut demonstrandæ divinæ justitiæ, aut satisfaciendi legi violatæ, aut passionem à Christo perlatam notificandi, & magnitudinem illius publicandi, quàm hunc ipsum, quem divina providentia adhiberi voluit. Si Christus in deserto procul ab hominibus perpessus esset, non fuisset *propositus* publicè *propitiatorium*. Si à Dæmonibus fuisset interfectus, non fuisset illius passio ita visibilis, nec hominibus accessibilis. Non videretur passus pro hominibus, si non passus esset ab hominibus. Vitam ab homine accepit, inter homines egit, etiam inter homines deponere debuit. Negari posset illum mortuum, si non vidissent illum homines mori, expirare, animam efflare. Non fuisset factus *κατάρα*, nisi illam subiisset mortem, quæ *κατάρας* titulum tulit. Et ut passio illius hac ratione futura fuisset multò obscurior, ita & sepultura & resurrectio multò ingloriosior. Vanæ fuissent umbræ & figuræ legales, quæ adumbrarunt illius *παθήματα*, & locum *παθημάτων*, *ἔξω τῆς πύλης* Heb. 13: 12. & *manus*, per quas ad illas deducendus esset, *Sacerdotum* & Judæorum; Vanæ fuissent plurimæ Prophetiæ, si non *in nobis*, ut habitavit plenus gratiæ, ita & passus esset plenus angoris & tristitiæ. Frustrà obtenditur, homines nullos ita futuros fuisse reos sanguinis Christi. Nam & ante jam illius erant rei, qui illum voluerunt lapidare, & cogitarunt trucidare; ut Sacerdotes & Judæi; & postea plurimi facti sunt, & proh dolor! etiamnum fiunt *obnoxii*; nim. omnes illi, qui *τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καταπατήσι* Hebr. 10: 29. & in *dominica cœna τὸν ἄρτον ἀναξίως ἐσθίουσι* 1 Cor. 11: 26. Nunc ab hominibus occisus *ἔμαθε ἀφ᾽ ὧν ἔπαθε ὑπακοήν*. Heb. 5: 8. didicit *orare pro hostibus*, & *intercedere pro defectoribus*. Nec miser ille latro in cruce fuisset conversus, ni latus pendentis in cruce Jesu clausisset. Nec Centurio Romanus de justitia Jesu convictus, nisi verba ejus in cruce audivisset, & signa circa morientem facta vidisset, & mirabilia illa aspexisset. Quod attinet illos, quibus mors & passio Domini exitiali fuit scandalo, in illis accusemus humanam duritiem, immensam crudelitatem, diabolicam malitiam. Veneremur justa Dei judicia, sublimia consilia; nec sapiamus, ultra quàm capimus.

§. 107. Infernale autem est mendacium, quod athei nonnulli & profani commenti sunt in proprium exitium; Jesum nimirum Nazarenum non esse passum, nec interfectum. Alium quendam hominem in locum illius subitò, non advertentibus ipsis lictoribus, substitutum, ut ipse non tulit crucem, sed Cyrenæus Simon, ita nec ipsum affixum esse cruci, quod figmentum se ipsum refellit.

 §. 108. Enar-

Doctrina de passione Domini. §. 108. Enarratâ *historiâ* passionis, superest ut & explicemus *doctrinam* passionis, quantæ nimirum illa sit dignitatis, utilitatis, efficaciæ; pro quibus gustata, quasve ob causas exantlata. Id quod faciemus paucis, nec nisi Scripturæ verbis.

Dignitas Passionis. §. 109. *Dignitas* passionis Dominicæ indicatur eximiis illis elogiis, quæ ipsi *μαθητῷ* in sacris passim tribuuntur, *sanguis* illius vocatur *sanguis pretiosus*, melior *corruptibilibus, auro & argento*. 1 Petr. 1: 18. 19. *sanguis aspersionis, meliora loquens* παρὰ τὸν Ἄβελ Hebr. 12: vers. 24. *sanguis Testamenti* Hebr. 10:29. *sanguis Testamenti æterni* Hebr. 13:20. *sanguis proprius Dei* Actor. 20:28. *Corpus* illius vocatur προσφορὰ *oblatio*. διὰ τῆς προσφορᾶς τοῦ σώματος τοῦ Ἰησοῦ χριστοῦ. Hebr. 10: vers. 10. *Caro* illius ἄρτος *panis*, βρῶσις *cibus*, *sanguis* πόσις *potus*. Joh. 6: 51. 55. *Anima* illius λύτρον *lytrum*. Matth. 20: 28. *Crux*, δύναμις θεοῦ *potentia Dei*. 1 Cor. 1: 18. *Procul fuit* Paulo *gloriari nisi* in illa. Galat. 6: 14. Et Christus dicitur ἱλασμὸς *piamentum*. 1 Joh. 2: 2. 4: 10. θυσία, *victima*. Hebr. 9: 26. confer Ephes. 5: 2. *dedit se ipsum* προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, ἀντίλυτρον. 1 Tim. 2: 6. ἁμαρτία *victima pro peccato* 2 Cor. 5: 21. περὶ ἁμαρτίας Rom. 8: vers. 3. κατάρα *piaculum maledictionis* Galat. 3: 13. ἱλαστήριον *propitiatorium* Rom. 3: ℣. 25. τιμὴ *pretium*. 1 Cor. 6: 20.

Utilitas Passionis. §. 110. *Efficacia & utilitas* constat ex effectis illis pereximiis & beneficiis, quæ ex passione consequimur. Illa attribuuntur nunc *sanguini*, nunc *corpori*, nunc *morti*, nunc *cruci*, nunc *animæ*, nunc toti *Christo*. Sanguini. Matth. 26: 28. *Sanguis meus effusus in remissionem peccatorum*. Ephes. cap. 1: vers. 7. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem lapsuum*. Col. 1: 14. Rom. 4: vers. 9. *justificati nunc in sanguine ejus*. Apoc. 1: 5. *lavit nos a peccatis in sanguine suo*. cap. 5: 9. *mactatus es & emisti nos in sanguine tuo* cap. 7. 14. *albas fecerunt stolas suas in sanguine Agni*. 1 Joh. 1: 7. *Sanguis Iesu purgat nos ab omni peccato*. 1 Petr. 1: vers. 19. *Redemti estis a vana conversatione pretioso sanguine agni immaculati*. Hebr. 9: vers. 14. *Sanguis Christi purgabit conscientiam a mortuis operibus*. Hebr. 10: 19. *Habemus* παῤῥησίαν *in introitum Sanctorum in sanguine Iesu*. Hebr. 13: vers. 12. *Ut sanctificaret per proprium sanguinem populum*. Col. 1: 20. *Pacem faciens* διὰ τοῦ αἵματος. Ephes. 2: 13. *Propè facti estis in Sanguine Christi*. Corpori & carni. Col. 1: 21. 22. *Reconciliavit in corpore carnis suæ*. Hebr. 10: vers. 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu*. vers. 20. *Initiavit nobis viam recentem & vivam* διὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. 1 Petr. 1: 21. *Peccata nostra tulit in corpore suo in lignum*. Ephes. 2: ℣. 15. *Inimicitiam in carne sua, legem præceptorum in placitis abolens*. Joh. 6: 51. *Carnem meam dabo pro mundi vita*. Morti. Col. cap. 1: vers. 21. 22. *reconciliavit per mortem*. Rom. cap. 5: vers. 10. *Reconciliati sumus Deo per mortem filii ipsius*. Hebr. cap. 2: vers. 14. *ut per mortem aboleret potestatem mortis habentem*, hoc est, *Diabolum*. vers. 15. *Et redimeret, qui erant obnoxii servituti*. Hebr. cap. 9: vers. 15. *ut morte facta promissionem acciperent* οἱ κεκλημένοι. 2 Cor. 5: 15. *Mortuus est, ut vivant* τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι. 1 Thes. 5: 10. *qui mortuus est pro nobis, ut una cum ipso vivamus*. Rom. 8: 34. *Quis condemnabit?* χριστὸς ὁ ἀποθανών. Cruci seu ligno. 1 Cor. 1: 18. *Ut ne exinaniatur crux Christi*. Eph. 2: 16. *Ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem*. Col. 1: 20. *pacem faciens* διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ Col. 2: 14. *Chirographum sustulit è medio affixum cruci* 1 Petr. 2: 14. *Peccata tulit* ἐπὶ τὸ ξύλον. Phil. 2: 8. 9. *Obediens factus usq; ad mortem crucis. Ideo & superexaltavit illum Deus*. Animæ. Mat. 20: 28. *Dare animam suam lytrum*. 1 Joh. 3: 16. τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἔθηκε. Es. 53: 10. *Si ponat animam satisfactionis pretium*. Toti Christo. Rom. 4: 15. ὃς παρεδόθη. Gal. 1: 4. τοῦ δόντος ἑαυτὸν *ut eriperet nos*, Gal. 2: 20. *Qui*

tra-

tradidit se ipsum. Galat. 3. 13. *Christus nos redemit à maledictione legis, factus pro nobis maledictio.* 2 Cor. 5: 21. *Qui non novit peccatum*, illum *pro nobis peccatum fecit.* Tit. 2: 14. *Qui dedit se ipsum, ut redimeret nos ab omni iniquitate*, Hebr. 1: 3. *per se ipsum fecit purgationem peccatorum nostrorum.* Heb. 9: 28. *Christus semel oblatus.* Hebr. 10: vers. 12. *Ipse verò una pro peccatis oblata victima.* 1 Petr. 3: 18. *Christus semel pro peccatis passus est, ut nos adducat Deo.* Id denique valdè commendat illius παθήματα, quòd *per illa* ipse *salutis Princeps consummatus est.* Hebr. 2: 10. confer Hebr. 5: 9. Imò quod *Testamentum melius*, *morte* illius & *sanguine* ἐγκεκαίνισται Hebr. 9: 15. 18. Luc. 22: 20. 1 Cor. 11: 25. Imò quod *sanguis* illius effusus est εἰς ἔνδειξιν δικαιοσύνης διὰ τὴν πάρεσιν. Rom. cap. 3: vers. 25. εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων. Hebr. cap. 9: vers. 15.

§. 111. Passiones sustinuit *pro* aliis. Id quod tribus præpositionibus περὶ, ὑπὲρ, ἀντὶ notatur. Περὶ. Matth. 26: 28. Marc. 14: 24. αἷμά μου, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, *sanguis meus, qui pro multis effunditur.* Idem dicitur de *peccatis*. περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε 1 Petr. 3: vers. 18. *Est piamentum* περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. 1 Joh. 2: 2. προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας. Hebr. 10: 18. confer Hebr. 13: 11. Quomodo mortuus *pro peccatis*? Respondet Paulus Hebr. 9: 26. εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας *ad abolitionem peccati, per victimam suam manifestatus est*, ut sanguis *pro multis*, περὶ, effusus dicitur, ita & Hebr. 5: 3. ὀφείλει, καθὼς περὶ τοῦ λαοῦ, οὕτω καὶ περὶ ἑαυτοῦ προσφέρειν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν. Ὑπὲρ. Rom. 5: 8. ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε. 1 Cor. 5: 7. ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη. 1 Cor. 11: 24. σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. confer Lucæ 22: 19. 2 Cor. 5: 21. ὑπὲρ ἡμῶν *peccatum fecit* Galat. 2: 22. παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ, Galat. 3: 13. *factus* ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, confer Ephes. 5: 3. 25. Tit. 2: 14. *dedit se ipsum* ὑπὲρ ἡμῶν confer 1 Joh. 3: 16. in quibus locis τὸ ὑπὲρ non accipiendum est eo sensu, ut cùm sancti dicuntur πάσχειν ὑπὲρ χριστοῦ Phil. 1: 29. ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ; Col. 1: 24. sed sensu *substitutionis*; ut doceamur, Christum nostro loco, & nostra vice mortuum esse, adeo ut perinde sit, ac si nos ipsi in propria persona passi, mortuique essemus. Id quod clarissimè patet è 2 Cor. 5: 15. εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον, *si unus pro omnibus mortuus est, utique omnes mortui sunt.* Ergo unus loco & vice omnium. Ita τὸ ὑπὲρ sumitur Rom. 5: 7. ὑπὲρ δικαίου *pro justo vix quis morietur*, ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ *pro bono forte quis ausit mori.* 2 Cor. 5: 20. ὑπὲρ χριστοῦ πρεσβεύομεν, δεόμεθα ὑπὲρ χριστοῦ. Philem. vers. 13. ἵνα ὑπὲρ σοῦ διακονῇ. Quum autem τὸ ὑπὲρ de *peccatis* dicitur, ut Gal. 1: 4. *dedit se* ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, Hebr. 7: 27. *non habet necessum* ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν, Hebr. 10: 12. μίαν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν προσενέγκας θυσίαν, 1 Cor. 15: 3. *mortuus est* ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, tum idem valet quod τὸ περὶ, simili modo usurpatum; hoc est, notatur, Christum propter peccata, ad abolendum illa, ad solvendum pro illis, mortem gustasse. Ἀντὶ. Matth. 20: 28. Marc. 10: 45. λύτρον ἀντὶ πολλῶν *lytrum pro multis*, hoc est, loco multorum; nam & hæc natura λύτρου est solvi pro aliis, aliorum loco & vice. Inde & Christus, non λύτρον tantùm, sed & ἀντίλυτρον dicitur. Τὸ ἀντὶ semper *substitutionem* notat. Matth. 2: 22. Joh. 1: 16. 1 Cor. 11: 15. Hebr. 12: 16. Est & ubi *compensationem*. Luc. 1: 20. ἀνθ' ὧν οὐκ ἐπίστευσας. 19: 44. ἀνθ' ὧν οὐκ ἔγνως. Act. 12: 23. ἀνθ' ὧν οὐκ ἔδωκε *gloriam Deo.*

Præpositiones quæ in negocio passionis adhibentur. περὶ, ὑπὲρ, ἀντὶ.

§. 112. Igitur pro quibus passus est Christus, illorum loco passus est, illorum vice mortuus, pro illis solvit, pro illis luit, quod illi rapuerunt, id restituit. Illorum peccata *tulit*, abstulit, Joh. 1: 29. adeò ut nec pœna ab illis ulla exigi, nec θυσία alia aut προσφορὰ peti, nec ad χειρόγραφον scribendum cogi illi amplius possint. confer Es. 53: vers. 10. 11. 12.

וְהוּא חֵטְא־רַבִּים נָשָׂא *& ille peccatum multorum tulit.* Inde & legales victimæ, *melioris* hujus umbræ, dictæ sunt *expiare* facereque, ut peccata offerentibus *condonentur*, & ut *acceptarentur* illi. Lev. 1:4. 4:20. 9:7. 16:33. *Capiti* bestiarum mactandarum *imponebat Sacerdos manum* Levit. 1:4. 3:2. 4:4. ac si peccatum *offerentis* in id imponeret. Imò Sacerdos typicus edebat *victimam*, dictam חַטָּאת *pro peccato*, illam nimirum de cujus *sanguine non ferebatur in tentorium* לְכַפֵּר בַּקֹּדֶשׁ *ad expiandum in sanctuario*, Levit. 6: vers. 19. 22. 23. tuncque dicebatur *ferre peccatum cœtus* aut populi. Levit. 10: 17. Quid hoc, nisi ut doceamur, Sacerdotem verum, non typice, sed *vere* peccata populi sufferre, imò pro illis se ipsum offerre, corpus suum, sanguinem suum? Haut igitur sufficit dicere, Christum esse mortuum *pro nobis*, bono quodam nostro, ut aut relinqueret nobis ὑπογραμμὸν *exemplum* amoris, licet & hanc utilitatem è morte ejus hauriamus 1 Pet. 2: 21. 1 Joh. 3: 16. aut, ut possibilitatem nostræ cum Deo reconciliationis, si acceptare illam modo velimus, acquireret; sed firmissimè tenendum est, Christum mortuum esse nostro loco, nos verè *redemisse*, *acquisivisse*, cum *Deo reconciliasse*, à *peccatis* omnibus *salvasse*, jus *vitæ* & *salutis* peperisse, *sibique purgasse populum peculii*, ut *ipsi vivamus*, ipsi *moriamur*, ut ad Deum *adducamur*, ut ab omni κατακρίματι liberi, ab *amore* ejus nulla ratione *separemur*, & certissime ab illo in æternam *gloriam introducamur*, sine hoc si esset, non foret λύτρον, non ἱλασμός, frustrà foret *labor animæ* ejus, frustrà *mors*, & δωρεὰν ἀπέθανεν *gratis mortuus* esset.

Passus est pro hominibus. §. 113. Passus itaque est pro *hominibus*. *Angelos* enim *non asseris*, *sed semen Abrahæ* Hebr. 2: 16. Inde toties Scriptura. Passus est pro *nobis*. 1 Petr. 2: 21. 1 Ioh. 3: 16. Lavit *nos* Apoc. 1: 5. Emisti *nos* Apoc. 5: 9. *ut sanctificaret* τὸν λαὸν *populum*. Hebr. 13: 12. *mori* ὑπὲρ τοῦ ἔθνους *pro gente*, *nec pro gente tantùm* Ioh. 11: vers. 51. 52. Quibus *natus est*, pro illis & passus est. Atqui ἐτέχθη ὑμῖν. Gaudium id *omni populo*. Luc. cap. 2: vers. 10. 11.

Peccatoribus. §. 114. Et quidem δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων *Justus pro injustis* 1 Petr. 3: 18. *Christus*, ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε Rom. 5: 6. confer vers. 8. *Pro peccatoribus nobis mortuus est*. vers. 10. *Inimici existentes reconciliati* sumus. Idem notatur, cùm pro *mundo* mortuus dicitur, Ioh. 6: 51. atqui *mundus totus in malo jacet*. 1 Ioh. 5: 19. Et mortuus pro *peccatis nostris*. 1 Cor. 15: 3. *Quod mortuus est, peccato mortuus est*. Rom. 6: 10. confer Rom. 4: 25. Omnes, pro quibus mortem sensit, sive sint σήμερον, sive fuerint χθὲς *natura* sunt *peccatores*, *Filii iræ*. Ephes. 2: 3. *Multi illi filii*, longè ante illius *passionem*, *in gloriam introducti*, Hebr. 2: 10. etiam tales *natura* fuerant. Igitur & pro illorum ἁμαρτήμασι Rom. 3: 25. & παραβάσεσι satisfecit. Hebr. 9: 15.

Multis Omnibus. Mundo. Toto mundo. §. 115. Idque pro *multis* Matth. 20: 28. *lytrum* ἀντὶ πολλῶν, Marc. 10: 45. *qui effunditur* περὶ πολλῶν Matth. 26: 28. *Peccatum* רַבִּים *multorum tulit*, Es. 53: 12. confer vers. 11. יַצְדִּיק לָרַבִּים & rursus vers. 12. *distribuam illi* בָרַבִּים *in multis* confer Hebr. 2: 10. πολλοὺς υἱούς. Imò pro *omnibus*, Hebr. 2: 9. *ut mortem gustaret* ὑπὲρ πάντων *pro omnibus*. 1 Tim. 2: 6. ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. 2 Cor. 5: 15. *& pro omnibus mortuus est*. Imò pro *mundo*. Ioh. 6: 51. *Carnem meam dabo* ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς: nam *mundum* ita *dilexit Deus*, ut *dederit Filium suum*, Ioh. 3: 16. *ferens peccatum mundi*. Ioh. 1: 29. Imò pro *toto mundo*. 1 Ioh. 2: 2. *Est expiatio pro peccatis* ὅλου τοῦ κόσμου. Ita tamen pro toto mundo, ut non pro toto mundo. *Non rogo pro mundo*, Ioh. cap. 17: vers. 9. si pro mundo fudit sanguinem, cur non fundat preces? Quomodo autem pro *mundo*, hoc est, *pro omnibus datis ipsi* ἐκ τοῦ κόσμου *è mundo*. Ioh. cap. 17: vers. 6. Mortuus certè est pro mundo, quàmvis non

pro omnibus individuis; quæ sunt in mundo. Nam & illi pro quibus mortuus est, *è mundo sunt*, quoad originem naturalem; quamvis quoad generationem spiritualem, *non amplius sunt* ἐκ τοῦ κόσμου. Ioh. 17. 16. & pars magna *mundi* sunt, & ex omnibus nationibus mundi sunt. Ideò & ὅλος ὁ κόσμος, quia ἐκ πάσης φυλῆς, καὶ λαοῦ καὶ ἔθνους. Apoc. 5: 9.

§. 116. Ita & alibi *mundus* venit. Abraam dicitur *factus hæres* τοῦ κόσμου *mundi*. Rom. 4: vers. 13. & *omnes gentes*; *omnes familiæ terræ* promissæ illi sunt, ut *in ipso benedicerentur* Genes. 12: 3. πάντα τὰ ἔθνη. Gal. 3: 8. confer Genes. 18: 18. *Et benedicentur in illo* כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ: num ergo omnes omninò gentes, quæ fuerunt inde ab Abraamo, *benedictæ*, hoc est, *è fide justificatæ* & salvatæ sunt? id enim demum est *benedici cum Abraam*. Galat. 3: 8: 9. Atqui, quàm procul illæ inde ab Abraamo, usque ad Christum, abfuerint à *Christo*, adeoque & ab Abrahamo; à *spe*, à *promissione*, adeoque & à promissa benedictione, lege Ephes. 2: 12. adde Act. 14: 16. Nil minus vera est *promissio, dicta Abraamo*, unde constat hæredem illum factum *mundi*, & *non-mundi*; benedictas in ac cum illo *omnes gentes*, & *non-omnes*. *Mundi*, inquam, quia è toto mundo *ambulant in vestigiis fidei ejus*. Rom. 4: 12. *Non-mundi*; quia multi plurimique exsortes manserunt fidei & benedictionis ipsius. | Vox mundus & omnis explicatur.

§. 117. Et certè nil incongruentius videtur, quàm è voce *mundi* & *omnis* cogere velle universalitatem, sine exceptione; cum Scripturæ usui id planè sit contrarium. Joël 3: 1. dicitur *effundam Spiritum meum* עַל כָּל בָּשָׂר *super omnem carnem*. Num ergo omnis caro, nullo individuo singulari excepto, *Spiritus promissionis Sancti* particeps facta est? Nil minus verè dicitur *super omnem carnem*, quia non super *Israël* tantùm, ut olim; sed & super *gentes*. *Non enim est Judæus, neque Græcus*, &c. *omnes unum estis* Galat. cap. 3: vers. 27. 21. Tit. 2: vers. 11. dicitur *gratia salutaris illuxisse omnibus hominibus*, num singulis individuis? Atqui quot *myriades* sunt in Sina, Jappona, Magellanica, America, quibus ne tenuissimus quidem gratiæ hujus radius hanc usque in horam illuxit? Et tamen verè illuxit *omnibus* hominibus, quia χωρὶς διαστολῆς *sine distinctione* Judæis & gentibus. Joh. 12: vers. 19. dicunt Pharisæi, ἴδε ὁ κόσμος *ecce mundus post illum abit*. *Mundus* hoc est, maxima turba seu multitudo, haut tamen omnes, certè non Pharisæi, certè non fautores Pharisæorum. Rom. 11: 32. inquit Paulus, *conclusit Deus* τοὺς πάντας *omnes in inobedientiam, ut* τοὺς πάντας ἐλεήσῃ *ut omnium misereatur*. Omnes conclusit, omnium miseretur. Certè non miseretur illorum, quos conclusit, nec conclusit, quorum miseretur. Et tamen omnes conclusit, omnium miseretur, quia quos conclusit, conclusit *omnes*, quorum miseretur, miseretur *omnium*.

§. 118. Reverentia, quam debemus *pretiosissimo sanguini Agni*; æstimatio, qua decet nos prosequi durissimum *laborem* sanctissimi ipsius *animi* Es. 53: 11. dignitas *mortis*, *suavis odor sacrificii*, plenitudo *lytri*, titulus ἱλασμοῦ *piamenti*, & cætera illa eximia prædicata, quæ satisfactioni Dominicæ tribuuntur, cogunt nos sentire & credere, quod certissimè illi, pro quibus Christus *mortuus* est, *vivant Christo*, 2 Cor. 5: 15. quòd, *pro quibus se ipsum dedit*, illos *purgat sibi ipsi populum peculii*, *zelotem bonorum operum*, Tit. 2: 14. quòd, pro quibus *sanguinem fudit*, illos & *redimit a vana conversatione* 1 Petr. 1: 18. 19. quod, *quos emit pretio tanto*, *nemo rapiet illos è manu ejus* Joh. 10: 29. quòd, pro quibus *traditus* est, *illis dominatur & vivis & mortuis*. Rom. 14: 9. Illos purgat à peccatis; illos sanctificat totos; *intellectum*, ut illuminetur; *voluntatem*, ut sanctificetur; *cor*, ut novum creetur; *corpus*, ut sistatur victima, viva, sancta, complacens Deo. *Emti* enim *sunt pretio*; ideò & *glorificant Deum in corpore & Spiritu*, ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ. 1 Cor. 6: 20. Quare absit, absit, ut mortuum dicamus Servatorem nostrum pro iis, qui in æternum

num moriuntur, & damnantur; qui nunquam illum amarunt, aut noverunt; imò quos *nunquam novit ille* Matth. 7: 23. pro quibus non spopondit; pro quibus igitur nec mortuus est. *Animam suam posuit pro ovibus suis*, quas *agnoscit*, & *a quibus agnoscitur*, *quæ sequuntur illum*, quibus *dat vitam æternam*, ut *non pereant in æternum*, nec *e manu* ejus *rapiantur*. Joh. 10: 14. 15. 16. 27. 28. 29. Certè frustra mortuus est, frustra fudit sanguinem, frustra solvit lytrum pro omnibus, qui pereunt, si pro illis solvit; qualia de sufficientissimo lytro cogitare indignissimum est.

§. 119. Et tamen manet ac verissimum est, Christum verè mortuum *pro omnibus*, & pro *toto mundo*; quia non pro una *urbe*, Hierosolyma; non pro una *terra*, Judæa; non pro una *gente*, Israële, non pro una *familia*, Aaronis aut Jesse, sed pro omnium terrarum, urbium, linguarum, gentium, nationum hominibus, sine discrimine, sine distinctione mortem oppetiit, pro Judæis & Græcis, pro servis & liberis, pro viris & mulieribus, pro filiis & filiabus. *Omnes familiæ gentium & terræ in semine Abraami benedicuntur*. Genes. 22; 18. *Mortuus est Jesus pro gente, nec pro gente tantùm, sed ut & filios Dei dispersos congregaret in unum*. Joh. 11: 51. 52. Habuit & *alias oves*, quæ non erant ἐκ τῆς αὐλῆς *e caula* Judæorum. Et illas *debuit* ἀγαγεῖν *adducere*. atqui *patiendo* adduxit, 1 Petr. 3: 18. Ephes. 2: 13. ut ita *fieret unus Grex*, *unus Pastor*. Joh. 10: 16.

Causæ mortis Christi.

§. 120. *Debuit* Christus *pati* Luc. 24: 26. nec *possibile fuit*, ut *poculum* id *transiret*. Matt. 26: 39. 42. Postulavit id τὸ ὡρισμένον Luc. 22: 22. ἡ ὡρισμένη βουλὴ καὶ πρόγνωσις τοῦ Θεοῦ Act. 2: 23. confer Act. 4: 28. ὅσα ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι. Act. 4: 28. *Testamentum* Dei *æternum sanguine* ac *morte* debuit ratificari. *Testamentum enim super mortuis firmum*. Hebr. 9: 15. 16. 17. ἐν αἵματι διαθήκης αἰωνίου, Hebr. 13: 20. *justitia* Dei & *judicium* exegit מוּסַר שְׁלוֹמֵנוּ *exemplarem pœnam pacis nostræ*. Es. 53: 5. *Peccatum* non potuit *condemnari* nisi *in carne Filii Dei missi in similitudine carnis peccati*, *& pro peccato*. Rom. 8: 3. *Potestatem mortis habens*, hoc est, *Diabolus* non potuit *aboleri*, nisi *per mortem* Filii Dei, Hebr. 2: 14. nec *à maledictione Legis nos liberari*, nisi *Christus factus* esset *maledictio*. Gal. 3: 13. Nisi passus esset, *quomodo impletæ Scripturæ fuissent*, ὅτι οὕτω δεῖ γενέσθαι, Matth. 26: 54. 56. Joh. 19: 36. 37. Marc. 15: 28. umbræ legales frustra præmonstrassent. Etiam pati debuit, *ad redemtionem transgressionum*, sub *priore Testamento* commissarum. Hebr. 9: 15. confer Rom. 3: 25. Hebr. 2: 10. Non fuissemus *consummati*, ni passus esset. Tunc enim demum id proclamavit; quia *una* illa *oblatione in perpetuum* nos *consummavit*. Hebr. 10: 14. Necessitatem suæ mortis pulchro simili Christus declaravit Joh. 12: 24. *nisi granum tritici in terram lapsum moriatur, solum manet; sin autem moriatur, multum fructum fert*.

Sententia nonnullorum.

§. 121. Sunt viri docti, qui agnoscunt, mortem Christi esse אָשָׁם *satisfactionis pretium*; putant tamen, illam non fuisse necessariam, nisi *posito, quòd voluerit Deus omnes suas perfectiones demonstrare*. Potuisse Deum per potestatem absolutam peccata condonare sine „ lytro Christi. Neque enim Deum absoluta & naturali necessitate punire peccatum; quia „ alias semper puniret. Posse illum mitiorem pœnam irrogare. Ergo totam remittere. Nec „ absoluta necessitate puniri peccatum, quia id transferri potuit in Sponsorem. Posse Deum „ resipiscentiam dare peccatori. Ergo & sine satisfactione peccatum remittere. Misericor- „ diam non minus esse essentialem, quàm justitiam, & quæ porrò afferunt. Et quæ omnia utut subtiliter excogitata, haut tamen utiliter disputantur. Imò videntur illi, qui omnem satisfactionem negant, haut parum hac sententia in errore confirmari.

§. 122. Habemus autem in Jesu Servatore nostro plenissimam *justitiæ* causam, plenissimum

In Christo est plenissima pro peccatoribus satisfactio.

mum lytrum, & redemtionis nostræ condignum pretium. Quicquid justitia Dei, quicquid lex à miseris peccatoribus exigit, id omne Servator pro iis præstitit. Perfectam obedientiam, omnemque implevit justitiam. Igitur & *per obedientiam* illius *justi constituuntur* οἱ πολλοί, Rom. 5:19. Sanguinem fudit, mortem gustavit, temporalem & æternam, non duratione, sed intensione. Quæ sanctus homo pati potuit, salva illius sanctitate, omnia illa passus est Jesus. Omnem æternæ mortis vim, omnes inferni angores, Satanæ insultationes, iram Dei, mortis stimulos, legis exsecrationem sensit, tulit, sustinuit. *Filium* autem *Dei* eousque exinaniri, *Dominum gloriæ* crucifigi; hominem *justum, sanctum, inculpatum*, ita tentari, angi & quasi ad nihilum redigi, ut fiat *maledictio, peccatum*, abominatio, id infiniti est valoris, pretii & dignitatis. Filium Dei mori, plus fuit, quàm totum mundum destrui. Altare donum sanctificat. Divinitas humanitatis παθήματα sanctificavit, ut sint pretiosissima κειμήλια. Brevi. *Factus est nobis* Servator δικαιοσύνη *justitia* & ἀπολύτρωσις *redemtio* 1 Cor. 1:30. ac τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου omne id, quod *lex* ad *justitiam* perfectam requirit, tum *obedientia*, tum *pœna*, omne id, inquam, *in nobis impletum est*. Rom. 8:4.

Decenter passus est Jesus.

§. 123. Nec injustum fuit, Hominem sanctum & innocentem, nullius peccati reum, in illa conjici martyria, aut Filium charitatis Dei in tantam mergi miseriam; ut enim potuit Filius *Spiritu æterno se offerre inculpatum Deo* Heb. 9:14. spondere lytrum, & intercedere pro defectoribus; ut potuit *homo nasci*, & *sub legem fieri*, quæ jubet Deum diligere & proximum; ita secundùm *legem* potuit sudare & laborare pro fratribus; & secundùm æternam oblationem ac *sponsionem* potuit animam suam ponere pro iis, quos sponsione suos fecerat, ut & solutione sibi magis acquireret; & Deum, justificare volentem *impium*, glorificaret, & populum *peculii* emeret, super quem in secula seculorum regnaret.

Magnitudo amoris Dei & Filii.

§. 124. Scriptura hoc in negocio extollit *amorem* Dei Joh. 3:15. *Sic dilexit Deus, ut daret* &c. Rom. 5:8. *Commendat autem amorem suum in nos Deus, quòd Christus pro nobis mortuus est.* 1 Joh. 4:10. *In hoc est amor, quod Deus dilexit nos, & misit filium suum piamentum, &c.* ℣. 11. *Si* οὕτως *sic Deus amavit nos* illumque facit argumentum validæ spei: Rom. 8:32. *Qui proprii filii non pepercit, quomodo non & cum illo omnia nobis donabit?* Imò & *Filii*. Joh. 15:13. *Majorem hac charitatem nemo habet*, quàm *ut quis animam suam ponat pro amicis suis*. 1 Joh. 3:16. *In hoc cognovimus dilectionem, quod ille pro nobis animam suam posuit.* Hebr. 12:2. *qui pro præjacente gaudio, sustulit crucem, contemtâ ignominiâ.*

Errores de morte Christi.

§. 125. Addamus paucis sententias de morte Christi non rectè sentientium. Lutherani docent, *quòd Christus non minus pro damnatis sit passus, crucifixus & mortuus, & pro ipsorum peccatis satisfecerit, quam pro Petri, Pauli, & omnium sanctorum peccatis*: Ita locutus est Schmidlinus in colloquio Monpelgard. *Christus mortuus est etiam pro iis, qui damnantur.* Ita Ægidius Hunnius in lib. de justificat. *Christus mortuus est non pro solis electis, sed etiam pro damnatis.* Ita Eckhardus in fasciculo. *Filius Dei satisfecit Patri, in specie etiam, pro peccatis reproborum.* Ita Hutterus in explicat. libri concordiæ. Ita purgati erunt sanguine Christi etiam illi, qui nunquam purgantur. Illi reconciliati Deo, qui nunquam gratia & pace Dei gavisi sunt; illorumque abstulit peccata Christus, qui ipsi illa ferunt. Illorum pœnas tulit, qui ipsi pœnas suas perferunt. Pro illis exsecratio factus est, qui ipsi perpetuæ exsecrationi traduntur. An igitur non sufficit *mors* Christi, ut *vitam* illis daret; aut *gratia*, ut illos converteret; aut *potentia*, ut conversos ab exitio servaret; aut *intercessio*, ut, ne deficeret fides illorum, impetraret? Quomodo nos mors Christi certos faciet de vita; quandoquidem tot mortis ipsius hæredes vitæ exsortes videmus? sed gratia sit æterna Servatori Jesu, quod vivunt, pro quibus est mortuus, nec pereunt unquam, nec è manu illius eripiuntur, sed ipsius sunt & manent, & in vita & in morte.

 § 126 Hunc

§. 126. Hunc suum errorem non tantum illis locis confirmare nituntur, ubi Christus dicitur mortuus pro *omnibus*, 2 Cor. 5:15. 1 Tim. 2: 6. & pro *toto mundo* 1 Joh. 2: 2. sed & 1 Tim. 4: 10. *Est Servator omnium hominum, maximè fidelium.* Rom. 14: 15. *Ne cibo tuo illum* ἀπόλλυε *perde, pro quo Christus mortuus est.* 1 Cor. 8: 11. καὶ ἀπολεῖται. *Et peribit frater tuus in scientia tua,* δι' ὃν ὁ χριστὸς ἀπέθανε. 2 Petr. 2: 1. *Dominum,* τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς *qui mercatus est illos, abnegantes,* Hebr. 10: 29. *Sanguinem Testamenti impurum existimans,* ἐν ᾧ ἡγιάσθη *in quo sanctificatus est.* 1 Cor. 15: 22. *Ut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Quæ loca omnia quàm parum pro illis faciant, tyronibus puto constare.

§. 127. Idem error olim fuit Semipelagianorum Massiliæ & Siracusis, ut notavit Prosper Epist. ad Augustin. *Pro universo genere humano mortuum esse Dominum nostrum Jesum Christum, & neminem prorsus a redemtione sanguinis ejus exceptum, etiamsi omnem hanc vitam alienissima ab eo mente pertranseat.* Eundem errorem suum fecerunt Arminiani, docentes, *Jesum Christum, mundi Servatorem, pro omnibus & singulis mortuum esse. Multos, pro quibus omni modo mortuus est Christus, damnari.* Id si verum, non verè exclamavit Paulus. *Quis condemnabit?* χριστὸς ὁ ἀποθανών.

§. 128. Sociniani negant omnino Christum satisfecisse, aut satisfacere potuisse; aut ut satisfaceret, justitiam Dei exegisse. Dicunt, injustum fore, si justus pœnas injustorum ferat. Christi passiones non æquare pœnam; neque enim æternas esse; neque adeò satisfactionem esse. Pugnare cum *gratia* accipere satisfactionem. Neminem hic esse, qui pretium redemtionis accipiat. Et hæc quidem nunc refutare, brevitatis nostræ ratio non permittit.

In sanguine Jesu est Nov. Test. §. 129. Unum autem superest, ut expediamus paucis. Christus *sanguinem* suum dixit sanguinem *Novi Testamenti.* Paulus Christum dicit διαθήκης καινῆς μεσίτην, & propterea *mortem* illius *factam,* Hebr. 9: 15. 16. 17. Doceamus igitur, quodnam sit *Novum* illud *Testamentum,* quod *est in sanguine Jesu* 1 Cor. 11: 25. Luc. 22: 20. de cujus Testamenti *bonis, Ecclesia,* illiusque Ecclesiæ statu deinceps agendum.

Testamentum Dei quid? §. 130. De *Testamento Dei* egimus libr. 1: cap. 1. Ostendimus illud notare consilium & voluntatem Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, æternam, liberam, immutabilem, de adoptandis Filiis ad hæreditatem justitiæ, vitæ, salutis, firmatam æterna Christi *sponsione*, & in plenitudine temporis *morte* & sanguinis effusione, unde Filius in specie *Sponsor*, *Mediator* Testamenti audit. Et quia eadem voluntate Filius Sponsor *positus est hæres omnium*, Hebr. 1: 2. tum filiorum *emendorum* ac *redimendorum* (Apoc. 5: 9. ἠγόρασας ἡμᾶς Act. 20: 28. ἣν περιεποιήσατο 1 Petr. 1: 18. ἐλυτρώθητε confer Tit. 2: 14.) tum *donorum* illis conferendorum (Psal. 68: 18. *accepisti dona in hominibus.* confer Ephes. 4: 8.) etiam *Filio* dicitur Pater *disposuisse*, & Testamento quasi *legasse Regnum* Luc. 22: 29. διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν; & esse διαθήκην ὑπὸ τοῦ θεοῦ προκεκυρωμένην εἰς χριστὸν *Testamentum ante ratificatum a Deo in Christum.* Galat. 3: 17. hoc est, Deum Patrem Christo Filio ante omnia tempora ratificasse ac immutabiliter condixisse *hereditatem* omnium, *potestatem omnis carnis*, Joh. 17: 2. firmissima dispositione, & immutabili Testamento. Ita una eademque æterna Dei voluntate adoptati sumus in Filio; & *dati* (Joh. 17: 9. 11. 12. 18: 9. Hebr. 2: 13.) Filio, Redemtori, Sponsori, Mediatori nostro, habetque adeò una illa voluntas duplicis Testamenti speciem; *illius*, quo dati sumus Filio, & ille hæres factus omnium nostrûm; dein illius, quo Filius datus nobis, & in Filio omnia data nobis, nosque hæredes constituti cælestium donorum.

§. 131. Æter-

§. 131. Æternum hoc gratiæ Testamentum, in quo continetur gratiosissimæ nostræ *electionis* mysterium; (in Testamento hæredem nominari est eligi) ab initio Patribus est notificatum. Actor. 3: 25. τῆ διαθήκης, ἧς διέθετο ὁ θεὸς πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, λέγων πρὸς Ἀβραάμ. Promissio in Paradiso lata promittit *inimicitiam* cum serpente *mulieri & semini ejus*, dein *semen conterens caput* denique *calcanei contritionem* prædicit. Ecce *hæredes* Testamenti divini, *mulier & semen ejus*. Bona Testamenti. *Inimicitia, contritio capitis. Mediator* Testamenti, *semen conterens*. *Mors* Mediatoris Testamenti. *Punctio calcanei. Promissio* Abraamo *dicta, in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*, Act. 3: 25. pariter explicat *bona* Testamenti, *benedictionem. Mediatorem* Testamenti, *semen, hæredes* Testamenti, *familias terræ*, & quidem *omnes*, quo pertinent & *gentes*, quas à tunc *sinebat* Deus ire in *viis* illarum; sed *vocaturus* erat ad communionem benedictionis *in semine*, in ultimo dierum.

Notificatum in promissione prima.

§. 132. Vi hujus Testamenti divini *sanctificati* sunt Patres; per *fidem* in semen, Mediatorem, *justificati, per gratiam* illius *salvati*, & *hæredes facti* τῆ κτ πίστιν δικαιοσύνης. Heb. 11: vers. 7. Act. 15: 11. Genes. 15: 6.

§. 133. Israëlitæ, Patriarcharum nepotes, Testamenti hujus æterni exstitere hæredes. Act. 3: 26. *Vos estis Filii Prophetarum*, καὶ τῆ διαθήκης *& Testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens Abraamo*, &c. quod & illis indicatum per repetitionem promissionum Patribus factarum, & in specie voce hac divina insinuatum, *ego Iehova Deus tuus*. Et ut hæredes Testamenti, ita & bonorum Testamenti, justitiæ & æternæ salutis.

Israëlitæ illius hæredes.

§. 134. Sed cum Israële *pepigit* Deus etiam aliud *Testamentum, illo die, quo apprehendit manum illius ad educendum illos è terra Ægypti* Jerem. 31: 32. Hebr. 8: 9. quod Paulus docet esse *à monte Sina*, Galat. 4: 24. hoc est, inde exsecutionis suæ prima ducere initia, & *non sine sanguine esse initiatum*, sed *sanguine* tantùm *vitulorum & hircorum* Heb. 9: 18. 19. cujus & *mediatorem* describit, quod ἑνὸς οὐκ ἔστιν *unius non sit*. Galat. 3: 20. Quod Testamentum propriè notat illam Dei voluntatem, aut illam voluntatis divinæ partem, (si ita de *numine*, cujus *simplicitatem* infinitam, expertem omnis omninò compositionis, adoramus, balbutire licet) quâ constitit Israëli dare *hæreditatem terræ*, Abraamo promissæ, *Canaan dictæ*, ut illam inhabitaret, & in illa fidem ac spem promissi seminis foveret & aleret; & denique illud illuc, ut εἰς τὸ διὰ *venire* cerneret. Quo de Testamento, quod alias *vetus* dicitur, egimus libr. 2: cap. 8. §. 19 — 33. quodque non incongruè *typicum* dicemus. Nam & *sanguis* vitulorum, quo initiatum est, typicus fuit. Et *mediator* Moses, qui populum duxit in deserto ad intrandum in terram, qui leges in terra observandas præcepit, quique voluntatem Dei de danda illa terra apertiùs exposuit; ob quas rationes *mediator* audit, *typus* nostri Mediatoris fuit. Et *hæreditas* terrestris melioris ac cœlestis figura fuit.

Testamentum cum Israële pactum.

§. 135. Ut autem *Testamentum ante ratificatum, lex*, quæ postea προσετέθη, *non irritum fecit*, Galat. 3: 17. 19. ita nec *Testamentum* hoc, *Vetus* dictum, ullam illi noxam intulit; sed potius confirmavit & obsignavit, ut Sacramenta visibilia gratiam invisibilem obsignare solent. Ideoque & ante Vetus Testamentum, & sub Veteri Testamento, æternum Dei Testamentum de vita æterna & salute danda filiis suis, mansit, stetit, effectumque suum habuit.

Prius hoc non fecit irritum.

§. 136. Præter Testamentum hoc vetus promisit Deus *aliud. Ecce dies veniunt, inquit Iehova, & pangam cum domo Israel & domo Iuda* בְּרִית חֲדָשָׁה διαθήκην καινὴν *Testamentum Novum* Jerem. 31: 31. Hebr. 8: 8. Idque pactum est אַחֲרֵי הַיָּמִים הָהֵם μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας *post dies illos*. Jerem. 31: vers. 33. Hebr. cap. 8: vers. 10. nimirum absolutis

Testamentum Novum dictum.

diebus *Veteris Testamenti*, quum id venisse ἐγγὺς ἀφανισμοῦ *propè abolitionem*, est enim παλαιούμενόν τι καὶ γηράσκον. Hebr. 8: 13.

Bona illius promissa. §. 137. Hujus autem Testamenti Novi hæc *bona* promittit Dominus. 1. *Legem meam dabo in medio illorum*. 2. *Et super corda scribam illam*. 3. *Et ero illis in Deum, & illi erunt mihi in populum*. 4. *Et non docebunt amplius unus alterum, nam omnes illi cognoscent me*. 5. *Nam condonabo pravitates illorum*, & *peccatorum illorum non recordabor adhuc*. Jerem. 31: 33. 34. Hebr. 8: 11. 12. Quæ omnia sunt *maxima & pretiosa promissa*, μέγιστα καὶ τίμια ἐπαγγέλματα, 2 Petr. 1: 4. eum in sensum accipienda, ut datum constet aliquid posterioribus diebus, quod datum non fuit prioribus, neque enim, si datum jam fuisset, promitti potuisset; & tamen suo modo etiam datum olim fuit, sine eo enim, populus *populus Dei* non fuisset.

Quid illud? §. 138. Ex his, quid Testamentum *Novum* sit, definiendum est; nimirum. Voluntas Dei de dandis maximis beneficiis Filiis Israël, qualia non habuerunt πάλαι *olim*, stante priore tabernaculo; aut certè non illâ mensura habuerunt, quâ nunc accepturi erant.

§. 139. Certè Dominus Servator, cùm instituisset τὸ ποτήριον *poculum*, quod dixit *Novum Testamentum in sanguine ipsius*. Luc. 22: 20. deinceps maxima beneficia discipulis suis promittit, *Ego lego vobis Regnum*. vers. 29. *edetis & bibetis in mensa mea, sedebitis super thronis*, ibidem vers. 30. Eadem nocte promittit illis ἄλλον παράκλητον *alium advocatum, Spiritum veritatis, qui cum illis mansurus sit in æternum* Joh. 14: 16. 17. *Pacem suam, quam mundus non dat, quæ formidinem è corde*, & terrorem aufert. Joh. 14: ℣. 27. Imò & *gaudium magnum cordis, quod nemo ab illis auferat*, Joh. 16: 22. Imò &, quòd, *quæcunque petierint in nomine ejus, accipiant*, ἵνα ἡ χαρὰ αὐτῶν ᾖ πεπληρωμένη. ibid. vers. 23. 24. Etiam antea dixerat, se etiam *alias oves non è caula hac habere, & adducturum*, ut *fiat unus Grex*. Joh. 10: 16.

§. 140. Unde, quid Testamentum illud *Novum* promittat, pariter constat, nimirum abundantiam bonorum spiritualium, *benedictione spirituales in supercælestibus* Ephes. 1: 3. *Spiritum promissionis sanctum* Actor. 2: 33. tantâ mensurâ, ut *fluvii è ventre fluant* sanctorum *aquæ vivæ*. Joh. 7: 38. 39. *Pacem, altiorem omni cogitatione*. Phil. 4: 7. *Gaudium in Spiritu* Rom. 14. 17. *adductionem gentium* ad communionem sanctorum.

§. 141. Docet idem nos Apostolus Hebr. 9: 15. *Et Testamenti Novi Mediator est, ut morte facta, ad redemtionem transgressionum, sub priore Testamento, promissionem accipiant vocati æternæ hereditatis*. En Novi Testamenti præcellentias. 1. Ἀπολύτρωσις *plenissima redemtio*, etiam illarum *transgressionum*, quæ sub priore commissæ sunt Testamento, quasque ἀδύνατον fuit ἀφαιρεῖν τὸ αἷμα ταύρων καὶ τράγων. Hebr. 10: vers. 4. 2. *Promissionis* omnis plena impletio, ut ὅσαι ἐπαγγελίαι τοῦ Θεοῦ, habeant τὸ ναὶ καὶ τὸ Ἀμήν. 2 Cor. 1: vers. 10. Denique *hæreditas æterna*, non terrestris, & temporalis, & corruptibilis, ut fuit Canaan; sed spiritualis, æterna, cœlestis, incorruptibilis. Adeò ut *nova* illa *civitas descendat à Deo è cælo* Apoc. 21: 2. & *nostra*, etiamnum dum in terris agimus, *civitas sit in cælo* Phil. 3: 20. & qui sunt *in terra*, eodem statu & eadem conditione, quoad gloriæ & libertatis *primitias*, gaudeant, quâ gaudent, qui triumphant *in cælis*, (id quod Apostolus exprimit voce ἀνακεφαλαιώσασθαι Ephes. 1: 10.) & cœlum quasi habeant extra cælum.

Convenit & differt cum & ab Testa- §. 142. Quia autem Testamentum hoc, *Novum* dictum, Sponsorem, Sacerdotem, *Mediatorem* habet Jesum, & *in sanguine* ejus ratificatur, videndum, quomodo id *convenit* cum Testamento illo æterno gratiæ, de quo §. 130. 131. 132. & quomodo ab illo *differt*, opor-

oportet enim ut conveniat, quia idem utrobique Mediator, idem sanguis, idem cœlum. mento
Oportet etiam, ut differat. Est enim *novum*, & quamdiu *vetus* fuit, non fuit; cum tamen gratiæ æ-
stante vetere *æternum* illud & fuerit, & salutariter valuerit. terno.

§. 143. Igitur sciendum, Testamentum ante tempora factum, ab initio Patriarchis, Patribus, Israëlitis notificatum, cujus vi salvati sunt illi, & in gloriam introducti, reipsa & substantia idem esse cum posteriori hoc, quod *novum* dicitur; ubique enim est ejusdem communio justitiæ, Spiritus, salutis, vitæ, cœli, sanguinis, mortis, Mediatoris, Dei. Adeò ut hoc respectu *Novum* Testamentum fuerit jam sub Veteri Testamento, imò longè ante illud. Dicitur idem tamen *Novum*, & venisse post *Vetus*; quia post mortem & consummationem Mediatoris sui, *novo* quodam *modo*, *nova* cum *gloria*, *novis* cum *beneficiis*, *novoque* quodam *jure* apertum & publicatum est. Pro *Spiritu servitutis* datur *Spiritus adoptionis*. Pro *servitute libertas*, pro *umbra veritas*, pro *jugo dulce suaveque Onus*, pro *recordatione peccati ἀνάμνησις justitiæ adducta*, pro *chirographo* Ἄφεσις, quæ omnem περὶ ἁμαρτίας προσφορὰν excludit. Hebr. 10: 18. Pro ἔχθρα *Pax*, *hæreditas gentium*, *obedientia populorum*. Pro *velo apertus introitus*. Pro *palpabili monte Mons Zion Civitas Dei vivi*, *Hierusalem cœlestis*. Pro *vetustate literæ*, *novitas Spiritus*. Rom. 7: vers. 6. *Ornatus pro pulvere*, *oleum hilaritatis pro luctu*. *Vestitus laudis* pro *Spiritu caligante*. *Captivis libertas*. *Vinctis omnimoda apertio*, *annusque beneplaciti*. Es. 61: 1. 2. 3. *Vetera transierunt*. *Ecce facta sunt nova omnia*. 2 Cor. 5: 17. *Novum cœlum*. *Nova terra*. *Novum genimen vitis*. Matth. 26: 29.

§. 144. Ergo inde à morte Testatoris nostri Jesu Christi *Testamentum* Dei de danda æterna hæreditate sanctis suis, *Novum* est, non quod aliud cœlum, alia salus, alia gloria, alia justitia, alia salutis via illis offeratur; aut alius *Mediator*, alius *Sponsor*, alia satisfactio constituatur. Hæc enim *heri*, *hodie & in seculum* semper eadem sunt, Hebr. 13: vers. 8. sed quia ab illo tempore populo Dei, ob adductam *causam* salutis, ob exhibitum *lytrum*, & actualiter impletum δικαίωμα, *nova*, majora, abundantiora, gloriosiora bona, his ipsis in terris conferuntur; & in hac ipsa vita panduntur; quibus gaudent non jure sponsionis, sed jure completæ & re ipsa præstitæ sponsionis; non in spe Mediatoris venturi, per Passiones consummandi; sed in fide Mediatoris manifestati & consummati; non in spe justitiæ æternæ adducendæ, sed in fide adductæ, & *Redemtionis* in fuso *sanguine* meliore acquisitæ.

§. 145. Hac de re, quæ totius Theologiæ fundamentum est, ut plenissimè me expecto- Doctrina
rem, lubet altius illam repetere. *Testamentum* igitur *Dei*, cujus toties in Scriptura mentio, de Testa-
notat *voluntatem* seu *consilium* Dei *æternum* (Hebr. 13: 10. διαθήκης αἰωνίας) de *eligen-* mento
dis & *prædefiniendis ad adoptionem* Filiis (Ephes. cap. 1: vers. 4. 5.) *ad accipiendam pro-* Dei altius
missionem hæreditatis æternæ (Hebr. cap. 9: vers. 15.) *justitiæ* (Hebr. cap. 11: vers. 7. Ge- repetitur.
nes. 15: 7.) *salutis* (Actor. 15: 11.) *vitæ*, (Luc. 20: 38.) *æterna sponsione* Christi firmatum (Hebr. 9: 14.) & *morte* illius ac *sanguinis* fusione plenissimè *consummatum* (Joh. cap. 19: vers. 30.) & *ratificatum*. Hebr. 9: vers. 15. 16. 1 Cor. cap. 11: vers. 25. Marc. 15: vers. 24.

§. 146. Hoc æternum Testamentum inde à *morte* Testatoris dicitur *Novum*, quod tamen respectu Dei Testatoris, respectu Sponsoris; respectu denique valoris sui non est Novum. 1. Quia morte gustata jus quasi novum illi accessit, ut, quod illuc usque valuerat ob Sponsionem, nunc novo jure valeat ob mortem, & sanguinis Sponsoris fusionem. Omne Testamentum *sanguine*, seu morte ἐγκαινίζεται *innovatur*, *initiatur*. Hebr. 9: vers. 18.

Ideo & æternum hoc Dei, sanguine Mediatoris sui fuso, nova hac accessione locupletatum, *ἐγκεκαίνισται initiatum* & *novum* quasi factum est. 2. Quia inde à morte testatoris *nova* beneficia, *novâ* & abundantiore mensurâ *τοῖς κεκλημένοις vocatis*, & scriptis in illo hæredibus pandit ac distribuit. Neque enim possibile fuit, ut *bona* Testamenti, post mortem Mediatoris, ut *causam salutis aeterna* (Hebr. 5:9.) parcius, & non abundantissimè, ac quasi sine mensura (*οὐκ ἐκ μέτρου* Joh. 3: 34.) distribuerentur, & illis quicquam *deficeret*. (Psalm. 23: vers. 1. לא אֶחְסָר) Quæ *bona* placuit Spiritui S. his encomiis efferre. *Quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit, quæ paravit Deus.* 1 Cor. 2: 9. confer Es. 64: 3. sunt illa, ut & id repetamus, ἀπολύτρωσις Hebr. 9: 15. ἄφεσις Hebr. 10:17.18. τὸ πνεῦμα τῆς ἐπαγγελίας τὸ ἅγιον. Ephes. 1:13. Actor. 2: 33. ἐλευθερία, Galat. 5: vers. 1. εἰρήνη, λύσις τοῦ μεσοτοίχου Ephes. 2: 14. κτίσις τῶν δύο εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον. Ephes. 2: 15. ἄρσις τοῦ χειρογράφου Col. 2: 14. παῤῥησία τοῦ προσέρχεσθαι τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος. Hebr. 4: vers. 16. & εἰς τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων. Hebr. 10: 19. βασιλεία Luc. 22: 29. Et ut verbo dicam, χάριν ἀντὶ χάριτος. Joh. 1: 16. *gratia pro gratia*. Fuit omnis hæc gratia, sed restrictiore modo, & limitatiore mensura. Ideo, ut de *Spiritu S.* dicitur, Joh. 7: 39. *nondum erat Spiritus S. quia Iesus nondum erat glorificatus*, idem de omnibus aliis bonis donisque dicere licet. 3. Imprimis dicitur *Novum* respectu habito ad *Testamentum* illud à *monte Sina*, quod Israëlitis in Canaan habitantibus, privum propriumque est; quodque dicitur *vetus*, quia *inveterascit*, quia *senescit*, quia *antiquatur*. Ita hoc *Novum*, quia quasi de novo nascitur, surgit, aperitur, adducitur, ratificatur, ἐν τῷ λέγειν καινὴν πεπαλαίωκε τὴν πρώτην. Heb. 8: 13. Ita & dicitur *secundum* respectu habito ad *vetus*, quod dicitur *primum*, Heb. 8: 7. εἰ γὰρ ἡ πρώτη ἐκείνη ἦν ἄμεμπτος, οὐκ ἂν δευτέρας ἐζητεῖτο τόπος; *primo* succedit *secundum*, *Veteri Novum*.

§. 147. Ne igitur putemus plura esse *Testamenta* divina, neve multiplicemus Divinam voluntatem. Est enim Deus *unus*, est Jesus *unus*, est Mediator *unus*, Dei & hominum. 1 Tim. cap. 2: vers. 5. Est *sanguis aspersionis* verè *purgans unus*, heri, hodie, & in secula. Igitur & est Testamentum Dei *unum* tantùm, in quo salus nobis legata, & nomina nostra, ut hæredum, sunt ἀπογεγραμμένα. (Hebræor. cap. 12: vers. 23.) pactum ab æterno, notificatum in Paradiso, repetitum Abraamo, promulgatum Israëli, ratificatum denique plenissimè in cruce, per mortem Mediatoris, Sponsoris, Sacerdotis.

§. 148. In specie Deus Abrahamo voluntatem suam aperuit de danda hæreditate terræ Canaan semini ipsius, quam & dedit Israëli, quæ voluntas etiam *Testamenti* habet similitudinem, disponit enim de *hæreditate*, & hæreditatis hujus possessio *initiatur sanguine*, Hebr. cap. 9: vers. 18. 19. qui & dicitur τὸ αἷμα τῆς διαθήκης *sanguis illius Testamenti*. ibidem vers. 20. Adeoque cum Testamento suo æterno junxit Testamentum non æternum, duraturum ad breve tempus, abrogandum, antiquandum, quod & haut fuit ἄμεμπτον, Heb. 8: 7. Quodque haut *abrogavit*, nec *irritum fecit* æternum illud, sed ut umbra & sacramentum utiliter illi inservivit. Ipsum tamen, cum omni qui ad id accessit ceremoniali & umbratili cultu abrogatum & antiquatum est, postquam æternum hoc, sanguine Mediatoris fuso, ad omnem plenitudinem consummatum est. Tunc enim locum habere amplius non potest, nec stare potuit *templum*, quia Deus & Agnus factus nostrum *templum*. Apoc. 21: 22. nec manere *altare*, quia melius *habemus altare*, Hebr. 13: 10. nec offerri *victimæ*, *quia unâ victimâ in æternum consummati sunt* οἱ ἁγιαζόμενοι. Hebr. 10: 15. nec teneri *umbra*, quia *ipsa rerum adducta imago*, *corpusque*, Heb. 10: 1. nec continuari Leviticum *Sacerdotium*, quia in aliud & melius illud est *translatum*. Hebr. 7: 11. 12. nec opus est terra

& pignore visibili ut Canaan; quia ipsum *cœlum* factum est *nostrum* πολίτευμα Phil. 3: 16. & ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ facta est *omnium nostrum Mater*. Gal. 4: 26. confer Hebr. 12: 22. προσεληλύθατε Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ, adde. Apoc. 21: 2.

§. 149. Testamentum æternum, *novum* factum, dicitur κρείττων *melius* Hebr. 8: 6. Id quod intelligi potest vel *absolutè* vel *respectivè*. *Absolutè*, quia æternum hoc Testamentum per sanguinem pretiosum Mediatoris, se ipso quasi *melius* factum est perfectius consummatum, plenissimè ratificatum. Per *Passiones* ipse *Mediator* Testamenti est *consummatus* ac perfectior factus. Hebr 2: 10. 5. 9. Per easdem ipsum etiam *Testamentum* consummatum & perfectius factum est; ut nil supersit agendum ad illius ratificationem, ideò exstitit κρείττων *melius*, se ipso melius & perfectius. *Respectivè* seu *comparatè*, quatenus confertur cum Testamento *priore*, dicto *vetere*. Ibi multipliciter deprehenditur κρείττων 1. Respectu *Mediatoris*. Veteris est homo Moses. Novi, θεάνθρωπος Jesus Christus. 2. Respectu *sanguinis initiationis*. Vetus initiatum est sanguine pecudum. Novum, sanguine pretioso Jesu Christi, Filii Dei. 3. Respectu *hæreditatis*. Vetus disposuit de terra Canaan, quæ habitatores suos evomuit. Novum disponit de cœlo, cujus hæreditas est ἄφθαρτος, ἀμίαντος, τετηρημένη. 1 Petr. 1: 4. 4. Respectu *promissorum*. Vetus dixit, *ut longè vivas in terra*. Exod. 20: 11. Novum dixit, quæ apud Jerem. cap. 31: 33. 34. Dominus expressit. 5. Respectu *legislationis*. Sub veteri fuit *lex*, quæ *nil consummavit* Hebr. 7: 19. In Novo est *lex*, quæ è *fide justitiam* stipulatur. Rom. 10: 6. 7. 6. Respectu *durationis*. Vetus duravit *usque ad tempus* διορθώσεως *emendationis*, Hebr. 9: 10. ibi id omnibus suis cum dependentiis ablatum & sublatum est. Novum, ut in se æternum est, ita sine fine est. *Montes recedent, valles movebuntur. Gratia autem mea non recedet*, וּבְרִית שְׁלוֹמִי *& Testamentum pacis meum non vacillabit, inquit Miserator tui, Jehova*. Es. 54: vers. 10. 7. Respectu *latitudinis* seu extensionis. Hæredes veteris fuerunt *Iudæi* soli. Gentes tunc fuerunt, ut describuntur Ephes. 2: 12. Novi non *Iudæi* tantùm, sed & *Gentes*. οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ. Ephes. 2: 19. confer Es. 56: 3. 4. 5. 6.

§. 150. Addatur & hoc. Testamentum prius dicit Paulus esse *à monte Sina*. Gal. 4: 24. Testamentum hoc æternum, quatenus *Novum* factum est, dici potest esse à *Golgata*, aut à *cruce*, in qua Testator exspiravit, & magna voce clamavit, *consummatum est*, Testamentum, æternum. novum melius.

§. 151. Et hæc de Testamento in sanguine Jesu; item de morte & passione Servatoris nostri dicta sufficiant, quibus quæ desunt, in sequentibus addentur; neque enim illa omnia præoccupare, animus fuit. Liceat mihi nunc hoc caput claudenti referre historiolam ex Plutarcho *de defectu Oraculorum*, cujus res putantur contigisse sub Tiberio Imperatore; sub quo Jesus, Servator noster, ἔπαθε καὶ ἀπέθανε. Ita autem illa habet.

§. 152. *Epitherses, Æmiliani oratoris Pater, in Italiam navigaturus, conscensa navi oneraria, sub vesperam ad Echinades insulas venit*; sedatis ventis, navis Paxis (ita dictæ sunt insulæ, ab Echinadibus versus Italiam non longè dissitæ) appropinquavit. Ibi repente ex insula Paxis, vox cujusdam, (incertum cujus) audita est, vocantis θαμοῦν, stupuerunt audientes. Erat autem id nomen gubernatori navis, qui Ægyptius erat. Tacuit nauta ad primam & secundam appellationem. Quum autem tertio vocaretur, audire se respondit. Tunc ille, (quicunque etiam Genius fuerit) alta voce dixit, ὅταν γένῃ κατὰ τὸ παλώδες, ἀπάγγειλον, ὅτι Πὰν ὁ Μέγας τέθνηκε. *Ubi veneris Palodes* (promontorium quoddam Italiæ) *nuncia, quod Magnus Pan sit mortuus*, ὁ θαμοῦς audita hac voce censuit, si Historia ex Plutarcho.

ven-

ventus, ubi ad Palodes pervenissent, flaret, tacitè se prætemavigare velle. Si autem tranquillitas esset, se jussa pronunciare velle. Quum ad Palodes delati essent, quieverunt venti, fluctus nulli fuerunt. Igitur ὁ θαμοῦς ex puppi ad terram promontorii, conversa facie, proclamavit, ὁ μέγας πὰν τέθνηκεν, ut verba hæc protulit, subitò ortus est, non unius, sed multorum gemitorum magnus & horribilis planctus. Fama hujus rei citò Romæ increbuit. Accitus proinde à Tiberio Cæsare ὁ θαμοῦς, qui adeò fidem habuit eis, quæ è nauta audivit, ut de Pane sollicitè inquireret. Hactenus Plutarchus. Fuit autem ὁ πὰν *Pan*, olim Arcadibus cultus, præses ovium & equorum; inde ejus religionem Evander in Italiam traduxit. Ovidius II. Fastorum vers. 271. unde Pan *Deus Arcadiæ*, & *ovium Custos* dictus est. Plutarchus autem in citato loco, Panem illum, *Mercurii & Penelopes filium fuisse* è sententia *multorum virorum doctorum* censet.

§. 153. Liquet, Dæmonibus & impuris Spiritibus *mortem Panis*, Pastoris ovium, terrori fuisse. Quid si præsenserunt noxam, regno tenebrarum inferendam per mortem *magni Pastoris ovium*, Jesu Christi? Hebr. cap. 13: vers. 20. 1 Petr. cap. 2: vers. 25. Hebr. 2: vers. 14.

CAPUT SEPTIMUM.

De δόξαις gloriis Jesu Christi, *seu* de iis, quæ inde à morte crucis illi evenerunt, & in terra ab illo acta sunt.

Sepeliri debebat Jesus. §. 1. AUferendus erat de cruce Jesus, è terra viventium excisus. Jusserat ita lex Deut. 21:23. Etiam imminens Sabbatum exigebat. Joh. 19:31. Sed qui sepulturam curaret, exspectandus erat. Discipuli, officii sui obliti, aufugerant. Aderant mulieres. Matth. 27:56. Sed officio huic impares. Judæi hostes levi forsan terra cadaver sanctum obrutum abjecissent, & in loco ignominioso funerandum tradidissent. Id permittere haut poterat divina neque justitia neque veritas, quæ *sepulchrum cum Divite in mortibus, dandum* justo Dei servo, prædixerat, Es. 53:9. igitur ut prædictum, ita & factum.

Josephus ab Arimathia petit corpus. §. 2. Josephus, *ab Arimathia*, (forsan illa, quæ *Ramathaim*, patria *Samuelis* Prophetæ, 1 Sam. 1: 1.) *civitate Judæorum vir bonus & justus* Luc. 23: vers. 50. 51. *dives* Matth. 27: 57. εὐσχήμων βουλευτὴς *nobilis decurio* (curiales & decuriones Græcè dicebantur βουλευταὶ, & consessus illorum βουλὴ; ut Josephus *decurio Aramathiæ* fuerit) seu *honestus senator*, membrum τοῦ Sanhedrin, (confer Marc. 15: vers. 43. Luc. 23: 51.) *pius*, *exspectans regnum Dei*, Marc. 15: 43. Luc. 23: 51. Christi *discipulus*, licet *ob metum Iudæorum occultus* Joh. 19: 38. confer Matth. 27: 57. τολμήσας *ausus intravit ad Pilatum, rogavitque*, ἵνα ἄρῃ τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ. Marc. 15: 43. Joh. 19: 38. Luc. 23. vers. 52. Matth. 27: 58.

§. 3. Τόλμα certè haut levis. Senator Judæorum, Assessor Synedrii, collega interfectorum Christi, τολμᾷ cadaver illius petere, & cura sua honorare. Et quidni? non fuerat συγκατατεθειμένος τῇ βουλῇ καὶ τῇ πράξει αὐτῶν. Luc. 23: 51. Et cur mortuo ac exanimi curam illam invidissent?

§. 4. Quem coactus dederat pœnæ Pilatus, libens tradit sepulturæ. Marc. 15: vers. 45. Matth. 27: 58. Joh. 19: 38. Accepit igitur *corpus* Joseph. Joh. 19: 38. In eo dum est, *etiam*

etiam Nicodemus venit (*qui venerat ad Jesum noctu* Joh. 19: ℣. 39. confer Joh. 3: 1. 2. & causam Jesu egerat. Joh. 7: 50. 51.) particurus cum Josepho operam, nec vacuus venit, sed *ferens mixturam myrrhæ & aloes,* ὡσεὶ λίτρας ἑκατὸν quasi *libras centum.* Joh. 19: 39. Ita liberalis fuit. Sunt, qui λίτρας accipiunt non de pondere, sed de precio & numismate. Obolos Ægineticos ita olim dictos.

A Pilato accipit. Nicodemus myrrham affert, & aloen.

§. 5. Mos Judæis erat lavare mortuos, ungere & condire *cum aromatibus*, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν Joh. 19: 40. confer Luc. 23: 56. parant ἀρώματα καὶ μύρα Marc. 16: 1. ἵνα ἀλείψωσιν αὐτόν. Nonnus, ὡς νόμος Ἑβραίοις ἐπιτύμβια θέσμια φυλάσσειν. Scribit Tacitus, *Judæos corpora condire è more Ægyptio.* Inter illos jussit pollinctores suos Josephus לַחֲנֹט אֶת־אָבִיו *condire* Jacobum *Patrem*, Genes. 50: 1. 2. ut & ipsi factum. ibidem vers. 26. Eundem morem antiqui observarunt etiam Christiani. Tertullianus de resurrectione carnis. *Proinde enim & corpora medicata condimentis sepulturæ, mausoleis & monumentis sequestrantur.* Falsò igitur à gentibus illis objectum, ut refert Minucius Felix in Octavio, *non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis, reservatis unguenta funeribus.*

Judæis usitatum condire corpora.

§. 6. Inter Græcos, Romanos, aliosque idem olim obtinuit. Euripides in Phœnissis circa finem introducit Antigonem à Creonte petentem, ut sibi fratrem lavare liceat, σὺ δ' ἀλλὰ νεκρῷ λουτρὰ περιβαλεῖν μ' ἔα. *At tu abluam saltem concede mortuum.* Ælian. libr. IV. variæ historiæ cap. 1. narrat, *Dardanenses* τρὶς λούεσθαι μόνον παρὰ πάντα τὸν ἑαυτῶν βίον *ter tantùm de omni vita lavari,* ἐξ ὠδίνων, καὶ γαμοῦντας, καὶ ἀποθανόντας *post partum, & cum nuptias ineunt, & cum moriuntur.* Plinius libr. XIII. historiæ natur. cap. 1. *Honos is,* de unguentis loquitur, *& ad defunctos pertinere solet.* Apulejus libro IV. Florid. describit hominem in rogum jam jam exportandum, *jam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, jam os ipsius unguine odoro delibutum, jam eum pollinctum quibusdam signis animadvertit.* Ungebant autem, ut δυσωδίαν & putredinem arcerent.

Etiam Græcis olim & Romanis.

§. 7. In condiendis mortuis & prohibenda putredine usi illi. 1. *Sale: defuncta enim corpora vindicat* sal *à putrescendo, ut durent ita per secula.* Plinius libr. 31. cap. 9. 2. *Nitro,* id enim teste Herodoto, κατατήκει τὰς σάρκας *liquefacit* ac emollit *carnes*, καὶ δὴ λείπεται τοῦ νεκροῦ τὸ δέρμα μόνον καὶ τὰ ὀστέα, ut *tantum supersint mortui cutis & ossa.* 3. *Cedro.* Scholiastes Nicandri Θηριακοῖς. ἡ κεδρὸς τοὺς νεκροὺς ἀσήπτους ποιεῖ, τὸ νοτερὸν καὶ τὸ ῥεῦσιμον ἐξωθοῦσα, ὅθεν καὶ νεκρῶν ζωὴν ἔνιοι αὐτὴν ἐκάλεσαν. Plinius libro vigesimo quarto, cap. quinto. *Cedrus magna dat picem, quæ Cedria vocatur. Defuncta corpora incorrupta ævis servat, viventia corrumpit, mirâ differentiâ, cum vitam auferat spirantibus, defunctis pro vita sit.* 4. *Melle.* Plinius libro 22: cap. 24. *Mellis quidem ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non sinat, jucundo sapore, atque non aspero, aliâ quam salis natura.* Hoc ritu Babylonii cadavera sua condierunt. Statius libr. III. Sylv. in Propemtico Metii celeris, de Alexandro Magno canit, *Duc & ad Emathios manes, ubi belliger urbis, Conditor Hiblæo perfusus nectare durat.* Agesipolis Spartiates in via mortuus, in melle conditus, Lacedæmonem reportatus est, Xenoph. libr. V. de rebus Græcorum. 5. *Cerâ.* Herod. κατακηρώσαντες δὴ τὸν νεκρὸν Πέρσαι, γῇ κρύπτουσι. Strabo libro XV. θάπτουσι δὲ κηρῷ περιπλάσαντες τὰ σώματα. Cicero I. Thuscul. *Persæ jam cera circumlitos condiunt, ut quàm maximè permaneant diuturna corpora.* 6. *Myrrha,* quæ in Arabia nascitur, & à putrefactione corpora servat. Prudentius hymno de defunctis, *Aspersaque myrrha Sabæo corpus medicamine servat.* 7. *Thure & Balsamis.* Co-

Quibusnam rebus condierint.

rippus libro tertio de funere Justiniani Imperatoris. *Thura Sabæa cremant, flagrantia mella locatis. Infundunt pateris & odoro balsama succo, centum aliæ species, unguentaque miraferuntur, tempus in æternum sacrum servantia corpus.*

§. 8. Nicodemus, ut vidimus, σμύρναν attulit καὶ ἀλόην & aloen, quæ & ipsa herba Indica est, amarissima. Unde adagium, *plus aloes, quam mellis habes*, & quidem μίγμα *misturam*, è duabus illis speciebus Græcis dicitur μιγματοπώλης, qui medicamentorum misturas vendit.

Corpus Christi sindoni involvitur. §. 9. Corpus Christi benè ἀρώμασι conditum, involvunt σινδόνι καθαρᾷ *in sindone pura*. Matth. 27:59. Marc. 15:46. Luc. 23:53. σινδὼν exponitur *tunica lintea*. Fuit genus lintei subtilissimi & mundissimi, quod in urbe Phœniciæ *Sidone*, vicina Tyro, parari consuetum, & à loco nomen accepisse videtur. Apud Martial. libr. 4. Epigr. 10. legimus *Tyriam sindonem*. Pretiosius linteum ad sepulturam adhiberi haut licuit. Juchasin. *Non licet sepelire in sericeis involucris, aut vestibus phrygionicis, ne Principem quidem,* הנשיא *quoniam hac est perditio & opus gentium.*

Antiquus Romanorum mos. §. 10. Etiam Romani vestibus olim mortuorum induerunt corpora. Ennius in Ctesiphonte apud Macrob. libr. VI. cap. 11. *Neque terram injicere, neque cruenta convestire mihi corpora licuit.* Apulej. libr. 10. Metamorph. *Atque ut erat adhuc feralibus amiculis obstrictus, atque obditus portatur ad judicium puer.* Communis per totam Italiam amictus mortuorum fuit *toga*. Juven. Satyr. III. *Pars magna Italiæ, si verum admittimus, in qua, nemo togam sumsit nisi mortuus.* Martial. l. IX. Epigr. LVIII. *Et pallens toga mortui.* Toga illa in vulgo civium *alba erat*. Plut. in Problem. τὸ σῶμα τοῦ τεθνηκότος ἀμφιεννύουσι λευκοῖς. Artemidor. libr. 2. cap. 3. διὰ τὸ τοὺς ἀποθανόντας ἐν λευκοῖς ἐκφέρεσθαι. Pauperiores vilioribus etiam & quibuslibet pannis involvebantur, imò sæpe ἐξεσμένοις ἱματίοις; ideoque illi διὰ τὴν ἀπορίαν efferebantur sæpè μὴ ἐν λευκοῖς. Ditiores etiam pretiosiore veste efferebantur. Valerius Maximus libr. IV. cap. V. *& pretiosa veste opertum rogo imposuit.* Hieron. in vita Paulæ, *cur mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus?* Magistratus cremabantur mortui cum toga prætextata, censores purpurea, triumphales auro intexta.

In sepulchrum deponitur novum in horto. §. 11. Corpus denique Christi deponunt in μνημεῖον, *sepulchrum* seu monimentum, & quidem λαξευτὸν, *è petra excisum*, καινὸν *novum*, *in quo nondum quisquam positus erat.* Fuit id in κήπῳ *horto*, proximè *locum*, ὅπου ἐσταυρώθη Christus. *Ianua* autem *sepulchri magnum lapidem advolvunt.* Matth. 27:60. Marc. 15:46. Luc. 23:53. Joh. 19:41. 42. Ita *Petra salutis*, *è qua excisa est* Ecclesia Es. 51:1. in sepulchrum intravit excisum è Petra. Terrestris Petra occultavit corpus cælestis Petræ. *Novum* accepit monumentum ille, *in quo omnia facta nova*. 2 Cor. 5:16. 17. Nullus in eo jacuerat. Non ergo Christus ex contactu ossium alienorum surrexit. confer 2 Reg. 13:21. sed potentia propria. Imò non alius, quam Christus, surrexit.

Judæorum sepulchra extra urbes & Romanorum. §. 12. Erant *Judæorum* sepulchra extra urbem. Ita Josephi in horto. Lazari extra Betaniam. Joh. 11:30. 32. 34. 38. Filius viduæ Nain ἐξεκομίζετο. Luc. 7:11. 12. Sancti, quorum corpora resuscitata fuere, Christo moriente, *egressi e monumentis, intrarunt in civitatem sanctam.* Matth. 27:52. 53. Etiam olim *Romanorum*, inde ab ipsis urbis incunabulis. *Numa*, Romanorum Rex, *in agro humatus fuit.* Plin. l. 13. cap. 12. Etiam *Servius Tullius* extra urbem elatus & sepultus est. Dionys. l. IV. Ita & cautum fuit à Decemviris in XII. tabulis. *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* ap. Cic. l. II. de Leg. Servius XI. Æneidos. *Duillio consule senatus prohibuit, & lege cavit, ne quis in urbe sepeliretur.*

O Adria-

Adrianus Imperator pœnam ſtatuit 40 aureorum in eos, qui in civitate ſepeliunt. Antonius Pius, ſcribente Jul. Cap. *Intra urbem ſepeliri mortuos vetuit.* Rationem hujus inſtituti explicat Jul. Paul. lib. 11. Recept. ſentent. tit. xx1. *corpus in civitatem inferri non licet, ne funeſtentur ſacra civitatis.* Deinde &, *ne fœtore ipſo corpora viventium contacta inficerentur.* Interruptus ſæpe fuit hic mos, & tandem planè exolevit, imò juſſu Imperatoris Leonis abrogatus eſt. Novella LIII. πᾶς ὃς ἂν βούληται, εἴτε τειχῶν ἔξωθεν, εἴτε τῆς πόλεως ἐντὸς σὺν πλουτῶντας τιμᾶν τῇ ταφῇ ἄδειαν ἐχέτω, &c. Idem tamen in pleriſque etiam Græciæ civitatibus invaluit. De *Athenienſibus* teſtatur Serv. Sulpitius in Epiſt. ad Cicer. libr. IV. Famil. Epiſt. XII. ubi de Marcello Athenis mortuo ita refert. *Ab Athenienſibus locum ſepulturæ ut darent intra urbem impetrare non potui, quod religione ſe impediri dicerent, neque tamen ante id cuiquam conceſſerant.* Ita & apud *Sicyonios*, de quibus Plutarchus in Arato, νόμου ἢ ὄντος ἀρχαίου μηδένα θάπτεσθαι τειχῶν ἐντὸς, ἰσχυρᾶς τε νόμῳ δεισιδαιμονίας προσούσης, &c. & in *Delo.* Strabo libr. X. οὐ γὰρ ἔξεστιν ἐν αὐτῇ τῇ Δήλῳ θάπτειν, οὐδὲ καίειν νεκρόν. Et Græcorum.

§. 13. Sepultus igitur eſt Christus, idque κατὰ τὰς γραφὰς 1 Cor. 15: 4. Eſ. 53: 9. adde Jerem. 31: 26. *Somnus meus dulcis mihi fuit, ubi cepit ſomnum?* In ſepulchro. Sepulchra ſunt κοιμητήρια ſeu dormitoria. Pſalm. 16: ℣. 9. *Etiam caro mea procumbet ſecurè.* ubi? In ſepulchro. verſ. 10. *Non derelinques animam meam inferno. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Sepulchra ſunt loca, ubi corrumpuntur & abſumuntur corpora. Job 19: 25. *Redemtor meus vivit, & ſupremus ſuper pulverem ſtabit.* Ergo *pulverem* intrabit. Hujus rei typus in *Iona* eſt. Matth. 12: 40. Quamdiu ſepultus fuit, fuit ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς *in corde terræ.* Matth. 12: 40. (Cor in medio pectoris eſt. Sepulchra in medio quaſi terræ. Sic Jon. 2: 4. καρδία θαλάσσης τὸ μέσον τῆς θαλάσσης ſignificat. Arabes τὸ μεσουράνημα in lingua ſua dicuntur vocare καρδίαν οὐρανοῦ. Theophraſtus *medullam arborem* καρδίαν δένδρων, vel ἐγκάρδιον vocat. Ariſtoteles interiorem cavitatem clepſydræ, καρδίαν κλεψύδρας dixit. Adeò partes mediæ ſeu interiores cujuſque rei Græcis καρδία dicitur. Ita & in ſacris *Tyrus* dicitur habuiſſe *terminos* ſuos בְּלֶב יַמִּים *in corde marium.* Ezech. 27: 4. quia mari undique cincta fuit.) Imò ἐν τοῖς κατωτέροις μέρεσι τῆς γῆς *in inferioribus partibus terræ.* Epheſ. 4: 9. Inferiores partes terræ ſunt oppoſitæ ſuperioribus. In his vitali aura fruuntur homines. In illis corruptionem vident. Sepultura Christi in ſcripturis prædicta.

§. 14. Sepultus eſt 1. Ut verè mortuus agnoſceretur. Mortui enim ſepeliuntur. 2. Ut verè *maledictionem* abſtuliſſe & ipſe ab illa liberatus eſſe, & nos ab illa veriſſimè liberaſſe, crederetur. Suſpenſus dicebatur *maledictio Dei*, ut à maledictione evaderet, auferri eodem die de ligno & *ſepeliri* debebat. Deut. 21: 22. Sacerdos noſter de ligno ablatus & *ſepultus* eſt. Evaſit ergo maledictionem, & nos in illo. Sepultura igitur illius exſtitit abolitæ teſtimonium exſecrationis. 3. Ut majore cum gloria reſurgeret, & reſurrectio ejus evidentior eſſet. E ſepulchro enim benè clauſo, & præſidio militari munito, invitis hoſtibus prodire, eſt glorioſiſſimè reſurgere. Et quis dubitabit de reſurrectione, qui certus factus eſt de ſepulchri evacuatione? 4. Sepultura etiam ut poſtrema pars humiliationis Chriſti pro nobis conſiderari poteſt. Dictum enim eſt peccatori. *In pulverem redibis.* Geneſ. 3: verſ. 19. Sepultura & demiſſio inter cadavara eſt humilitas & ignominia quædam, quam etiam noſtra cauſa ſuſtinere non dubitavit. Ibi mortuus fuit inter mortuos, de quo poſt reſurrectionem dictum, *quid quæritis vivum inter mortuos?* Luc. cap. 24: verſ. 5. 5. Ut à duriſſimo labore, quo corpus ejus in cruce agitatum erat, aliquantiſper reſpiraret, unde *ſomnum ſuum dulcem* dicit. 6. Ut nobis ſimilis fieret *ſecundum omnia.* Cur ſepultus.

Hebræor. cap. 2: vers. 17. Etiam in sepultura. 7. Ut in sepultura ipsius haberemus argumentum, *veterem nostrum hominem cum ipso sepultum* & propter ipsum *sepeliendum* esse. Rom. 6: vers. 4. Col. 2: vers. 12. 8. Ut horror sepulchrorum adimeretur nobis. Ille sepulchra nostra sanctificavit, qui ipse in illa intravit. 9. Ut Scripturæ implerentur. 10. Sepultura fuit initium *Sabbati* seu quietis ipsius ab opere redemtionis, quod ut perficeret, in crucem ascenderat; & quia perfecerat, de cruce ablatus, in sepulchrum ad quiescendum repositus erat.

Locum sepulturæ mulieres observant. Pontifices obsignant.

§. 15. Mulieres, quæ cum Jesu *venerant è Galilea, viderunt monimentum, ubi corpus Servatoris depositum est.* Luc. 23: 55. Matth. 27: 61. Marc. 15: vers. 47. Ita sciverunt illæ, ubi relictum sit corpus Servatoris; potueruntque dein sepulchrum adire, & resuscitatum Dominum nunciare, & ipsos discipulos illuc ducere. Mulierum hic constantia major fuit, quàm discipulorum. Quis illorum sepulturæ locum observavit? sed & potuerunt minore id mulieres facere periculo; nam non in fœminas ita ab hostibus advertebatur, ut in viros. Pontifices autem, latrones Christi, *muniri petierunt in tertium diem* sepulchrum, ne furtim cadaver Jesu à discipulis auferretur. Imò & *obsignarunt*, & præsidio firmarunt. Matth. 27: 62 - 66.

In sepulchro fuit die Sabbati, typus Mannæ.

§. 16. Christus in sepulchro fuit ipso die Sabbati, quo olim in deserto Manna non pluit, pridie duplà datum mensura. Exod. 16: 22. 29. Manna igitur cœleste eodem quievit die, quo typicum quieverat & terrestre; documento 1. Se pridie, cum moreretur, acquisivisse suis לֶחֶם יוֹמָיִם Exod. 16: 29. hoc est, panem, sufficientem in seculum; omnemque causam salutis consummasse. 2. Se *Sabbatum* æternum sanctificasse, perennem illum *Sabbatismum*, qui olim *supererat populo Dei.* Hebr. cap. 4: vers. 9. ut enim inde à quiete Mannæ Sabbatum septimæ cœpit. Exod. 16: vers. 23. 25. 26. Ita à quiete Spiritualis Mannæ ὁ σαββατισμὸς posterioris Ecclesiæ.

Tempus mansionis in sepulchro.

§. 17. Tempus mansionis in sepulchro quod attinet, in vespera παρασκευῆς humo conditus est. Illa nocte in sepulchro quievit, etiam τῇ ἐπαύριον, ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευὴν, rursum nocte illa, quæ Sabbatum secuta est; & manè in sepulchro non amplius inventus est; adeoque duas noctes, & diem unum in sepulchro egit. Neque par fuit, diu ibi ut ageret. *Non possibile fuit teneri illum a morte*, Actor. 2: 24. nec semper, nec diu. *Caro* illius *non* debuit *videre* διαφθοράν. Act. 2: 31. Atqui vidisset, si diu in terra mansisset. *Manipulus*, typus resurgentis Christi, offerebatur, מִמָּחֳרַת הַשַּׁבָּת *postridie Sabbati*; brevi post mactatum Pascha. Lev. 23: 11. 12. Igitur & brevi post mactationem Pascha nostrum, imò & postridie sepulturæ, debuit resurgere.

Conciliatur cum prædictionibus Christi.

§. 18. Brevius id videtur exstitisse, quàm Servator prædixerat. Matth. 12: 40. *Erit Filius hominis in ventre terræ tres dies, & tres noctes.* Hæc si verba de *sepultura* solùm placet explicare, certè in numero est synecdoche. Tres dies & noctes pro parte trium dicuntur dierum & noctium. Parte tridui sive triplicati νυχθημέρου egit in sepulchro. Neque opus est, ubi *tres dies* nominantur, integrum & plenum triduum intelligere. Sufficit, bonam tridui partem impleri. Ita 1 Sam. 30: vers. 12. *Puer Ægyptius* dicitur *jejunasse tres dies & tres noctes*, & vers. 13. ipse de se dicit חָלִיתִי הַיּוֹם שְׁלשָׁה *Ægrotavi, tertius est dies.* En *tertium* tunc demum *diem* nominat, qui ante videbatur integrum triduum, jejunio, è morbo illius orto implevisse. confer Esth. cap. 4: vers. 15. 16. & 5: vers. 1. Si tamen, ut nonnulli volunt, Christus locutus sit, de diebus Romanis, hoc est, secundùm numerationem Romanorum, qui à media nocte incipiunt diem, etiam ita res plana erit. Sepultus est vespera. Id pars primi diei fuit. Secundo integro jacuit. Sub initium terti-

tii resurrexit. Ita fuit in terra tres dies; licet non integros. Verùm, ut omni modo verbis Christi satisfiat, ita demùm dicere planissimum est; nimirum non opus est, ut per verba *in corde terræ*, præcisè *sepultura* sola intelligatur; potest & præcedens *Passio* intelligi. A quo cœpit passio, & *hora mortis*, cœpit Dominus esse *in corde terræ*, mortuo, exciso, sepulto similis. Ita habebimus tres plenas noctes, duos plenos dies, & tertii initium. Nox, qua sudavit & proditus est, prima erit; secutus est dies crucifixionis; insequens illum diem nox, secunda est, & noctem illam dies, secundus dies. Rursum subsecuta nox, tertia est. Summo mane, adeoque initio *diei* resurrexit. En & *tertium* diem. Quinimò ut & tertius sua plenitudine gaudeat dies, dicemus, Christum eousque *in terræ corde* quasi fuisse, imò à discipulis æstimatum esse, usque quo *in vespera prima Sabbatorum* illis apparuit. Joh. 20: 19. Ab illo tempore agnitus est ab illis revixisse. Imò ab illo tempore ille quasi plenius revixit; quia tunc vita & gaudium suorum revixit & rediit, sine quibus vita illius plena, & gaudium consummatum esse non potuit.

§. 19. Eundem in modum omnia alia verba Christi explicanda sunt. Joh. 2: 19. *Solvite templum hoc, & ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτὸν*, Matth. 16: 21. *decet illum multa pati, occidi, & tertio die suscitari*, confer Matth. 17: 22. 23. 20: 18. 19. nimirum tertio die à passionis initio. Quod autem est Marc. 8: 31. καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι, ibi τὸ μετὰ idem notat quod τὸ ἐν sive εἰς, quod clarissimus Beza egregiè è probatis asseruit autoribus, in notis suis in locum illum Marci.

§. 20. Dum corpus Christi fuit in sepulchro, *Anima* illius fuit *in Paradiso* & *in Regno* Luc. 23: 42. *in manibus Patris*, Luc. 23: 46. cui *Spiritum* moriens παρέδωκε. Johan. 19: 30. Pontificii autem docent, illam simul fuisse *in inferno*, *descendisse ad omnia loca inferni*; ibique mansisse *triduo* sepulturæ. Quatuor faciunt illi inferna. 1. *Carcerem damnatorum.* 2. *Purgatorium.* 3. *Limbum puerorum*, cum peccato originali, sine circumcisione & baptismo discedentium. 4. *Limbum justorum Patrum. Animas* enim *piorum fuisse in cœlo, ante Christi ascensionem, esse sententiam prorsus inauditam in Ecclesia Dei.* Porrò *descensum Christi ad inferos animis justorum Patrum duo magna bona contulisse.* 1. *Beatitudinem essentialem* seu *beatificationem.* Propter hanc tamen solam *non descendisse. Fieri enim id potuisse, sine descensu. Cum divinitas sit, quæ proprie beatificat, & illa est ubique.* 2. *Eductionem ex eo carcere, ac deductionem in cœlum, quorum primum continuo illis præstiterit. Secundum autem non diu postea.* Imò & sine *errore dici, Omnes animas purgatorii tunc liberatas fuisse ex purgatorio, ex gratia speciali; quia Dominus non est alligatus Sacramentis, aut meritis nostris.* Talia leguntur apud Bellarminum in capitibus de descensu Christi ad inferos.

Christi anima fuit in Paradiso, dum corpus in sepulchro.

Figmentum Pontificiorum de descensu animæ Christi ad inferos.

§. 21. Idem putat fictum hunc ad inferos descensum asseri 1. Psalm. 107: 16. *Confregit Dominus* נְחֹשֶׁת *portas æreas, & vectes ferreos abscidit.* Atqui annon id facere potuit Dominus, ni anima ejus in infernum descenderet? Quinimo fatetur ipse Bellarminus, *ad literam* hunc locum agere *de liberatione ex Ægypto.* 2. Matth. 12: 40. *Erit in corde terræ.* Responsionem pete è §. 13. 3. Rom. 10: 7. *Quis descendet in abyssum.* Atqui id explicat Paulus de *morte* Christi. τοῦτ' ἔστι χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν. ibid. 4. Ephes. 4: vers. 9. *descendit in inferiores partes terræ.* Responsio est §. 13. 5. 1 Petr. 3: 19. *In quo & Spiritibus in carcere profectus prædicavit.* Atqui intelligitur ibi *natura Christi divina.* ἐν ᾧ πνεύματι. Confer 1 Timoth. 3: 16. Hebr. 9: 14. Rom. 1: 4. Marc. 2: 8. 6. 1 Petr. 4: 6. *Ideo & mortuis evangelizatum.* εὐηγγελίσθη. Atqui Petrus statim addit, quando? *ut judicarentur carne. Viverent autem secundum Deum Spiritu.* 7. Psalm. 16: vers. 10.

Argumenta pro illo.

Non relinques animam meam inferno. Hunc locum jam jam explicabimus. 8. è verbis Symboli, *descendit ad inferos.* De iisdem mox agemus.

Locus Ps. 16: 10. §. 22. Locus Psalm. 16: vers. 10. ita habet. כִּי לֹא תַעֲזֹב נַפְשִׁי לִשְׁאוֹל. Confer Act. 2: 27. ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου. De Christo Psalmum hunc agere, evidenter probat Petrus; quia *Patriarchæ Davidi* verba hæc non conveniunt, vers. 29. quodque ille *prævidens locutus sit de resurrectione Christi.* Ergo in his verbis ἡ ἀνάστασις τοῦ χριστοῦ prædicta est; confer Actor. 13: 35. 36. 37. Videndum distinctè, quid sit 1. נֶפֶשׁ. 2. שְׁאוֹל. 3. Quomodo *non derelicta* anima inferno.

נֶפֶשׁ ψυχή anima, quid in sacris notet. §. 23. נֶפֶשׁ ψυχή *Anima* notat 1. *Animam rationalem*; quæ aliàs πνεῦμα *Spiritus* dicitur. Jerem. 31: 14. *Irrigabo* נֶפֶשׁ הַכֹּהֲנִים *animam Sacerdotum pinguedine*, hoc est, benedictionibus spiritualibus. adde vers. 25. Psalm. 103: 1. 2. Deuter. 4: 29. 6: 5. *Diliges Dominum Deum tuum, in tota anima tua.* 1 Chron. 28: 9. בְּנֶפֶשׁ חֲפֵצָה *anima propensa.* Matth. 10: ỳ. 28. τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι. adde Matth. 26: ỳ. 38. 2. *Hominem totum.* Levit. 4: 2. *Anima, quum peccabit.* Ezech. 18: 4. *Anima, quæ peccat, illa morietur.* Exod. 12: 15. 19. *Et exscindetur anima illa ex Israële.* Rom. 13: 1. πᾶσα ψυχή. 3. *Vitam* hominis, seu id, per quod homo & quodvis animal vivit, & se movet. Est in homine & quovis animali *anima* quædam materialis, qua vivit ut animal: utrumque, & quo vivit homo, ut *homo*, h. e. creatura rationalis; & quo vivit, ut *animal*, h. e. corpus habens, carne & sanguine constans, appellatur נֶפֶשׁ *anima.* Id, quo vegetatur homo & quodvis animal, est *anima* ejus. Ea *anima* est in *sanguine.* Lev. 17: 11. נֶפֶשׁ הַבָּשָׂר בַּדָּם הִוא *Anima carnis*, hoc est, animalis *est in sanguine.* Imò Deuter. 12: 23. כִּי הַדָּם הוּא הַנָּפֶשׁ. *Nam sanguis est anima.* Sanguis vehiculum vitæ animalis est. Inde *animal* dicitur habere נֶפֶשׁ *animam.* Prov. 12: 10. *Justus novit*, hoc est, rationem habet נֶפֶשׁ בְּהֶמְתּוֹ *animæ pecudis suæ.* Imò dicitur נֶפֶשׁ חַיָּה *anima vivens.* Genes. 1: 20. 21. Et de primo homine dicitur, וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה *Et fuit homo anima vivens.* confer 1 Cor. 15: 45. *Exstitit primus homo* εἰς ψυχὴν ζῶσαν *in animam vivam.* Cœpit respirare, accepit *corpus* ψυχικὸν *animale*, hoc est, animæ & sanguinis beneficio vivens. Hanc vitam animalem notat vox נֶפֶשׁ Genes. 37: 21. לֹא נַכֶּנּוּ נָפֶשׁ *ne percutiamus eum animam*, hoc est, quoad animam seu vitam, consulebat Ruben de Josepho, Gen. 12: 13. וְחָיְתָה נַפְשִׁי *& vivet anima mea propter te*, hoc est, conservabitur vita mea. Num. 23: 14. תָּמֹת נַפְשִׁי *moriatur anima morte rectorum.* Jud. 16: 30. *moriatur anima mea cum Philistinis.* Job. 2: 6. אַךְ אֶת־נַפְשׁוֹ שְׁמֹר *tantum animam ejus*, vitam, *serva* Psalm. 22: 30. וְנַפְשׁוֹ לֹא חִיָּה *& animam suam non in vita studuit conservare.* Matth. 2: 20. ζητοῦντες τὴν ψυχὴν *quærentes animam*, hoc est, vitam *pueruli.* Matth. 6: 25. οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς. 4. *Corpus animatum*; imò & *mortificatum*: quia vitam habuit, & ad vitam factum fuit, Levit. 21: 1. לְנֶפֶשׁ יִטַּמָּא *ob animam non polluet se*, hoc est, ob mortuum, Levit. 22: 4. טְמֵא נֶפֶשׁ *pollutus animæ*, hoc est, propter cadaver, Num. 5: 2. טָמֵא לָנָפֶשׁ *pollutus propter animam*, Num. 6: 6. עַל נֶפֶשׁ מֵת *ad animam mortui non accedet*, hoc est, ad cadaver ejus.

שְׁאוֹל ᾅδης. §. 24. שְׁאוֹל notat eum locum, in quo qui est, in quæstione est. Si quæras in terra, non invenias, ὁ ᾅδης notat propriè τὸν ἀϊδῆ τόπον *obscurum locum, in quo qui sunt*, non apparent, non videntur. שְׁאוֹל est aliquid *inferius & profundum.* Es. cap. 14: vers. 9. שְׁאוֹל מִתַּחַת רָגְזָה לְךָ *Orcus infra commotus est propter te*, Prov. 15: 24. מִשְּׁאוֹל מָטָּה *ab orco, qui infra est*, Prov. 9: vers. 18. בְּעִמְקֵי שְׁאוֹל *in profundis orci*, Deuter. 32: vers. 22. עַד שְׁאוֹל תַּחְתִּית *usque ad infernum imum.* Ergo φυσικῶς notat תַּחְתִּיּוֹת אֶרֶץ vel אֶרֶץ תַּחְתִּיּוֹת (Psalm. 139. vers. 15.) τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς. *Inferiores* seu *interiores partes terræ.* In supe-

superioribus partibus terræ ambulant homines, spirant animalia, fructus terræ cernuntur. In inferioribus partibus terræ sunt radices, & cadavera, & montium fundamenta. Deut. 32:22. *Arsit ignis usque ad infernum imum, & comedit terram & proventum ejus, & inflammat fundamenta montium*; quæ certè sunt partes terræ inferiores. שְׁאוֹל opponitur אֶרֶץ הַחַיִּים *terra viventium* seu *vitæ*. Et significat omnia illa loca, quæ non sunt ad vitam gignendam vel conservandam, sed ad destruendam & abolendam; *quæque non sunt destinata* vitæ animalium perfectiorum; (insecta enim in illis vivunt) sed in quibus vita exstinguitur, & exstincta non restituitur. Jonas vocat *viscera piscis*, בֶּטֶן שְׁאוֹל *ventrem inferni*, Jon. 2:3. קֶבֶר *sepulchrum* specialius est. Sepultura est aditus ad שְׁאוֹל *infernum*. Per sepulturam intramus in eam regionem, quæ שְׁאֵל *audit*. Cum sepulchrum pulvere obrutum est, vel occlusum, cadaver est in שְׁאוֹל *inferno*. Chaldæus nonnunquam vertit בֵּי קְבוּרְתָּא *locum sepulchri*. Job. 7:9. 21:13. Psalm. 30:4. 89:49. Psalm. 141:7. rectius tamen vertitur *locus subterraneus*, seu *inferior*. Psalm. 139:8. וְאַצִּיעָה שְׁאוֹל הִנֶּךָּ.

§. 25. Ita שְׁאוֹל valere patet è sequentibus locis. Psalm. 141:7. נִפְזְרוּ עֲצָמֵינוּ לְפִי שְׁאוֹל *Sparsa sunt ossa nostra juxta infernum*, hoc est, in superficie terræ, ut proximè sint inferioribus terræ partibus. 1 Sam. 2:6. מוֹרִיד שְׁאֹל וַיָּעַל *qui facis descendere in infernum & educit*, hoc est, qui mortuos & terra obrutos resuscitat. Job 7:9. *Sic* יוֹרֵד שְׁאוֹל *qui descendit in infernum* (intra terræ viscera) *non ascendit*. Nemo redit à mortuis. Job 26: vers. 6. עָרוֹם שְׁאוֹל *nudus est infernus coram illo*; quicquid est in abditissimis locis terræ, oculis ipsius patet, Es. 38:18. לֹא שְׁאוֹל תּוֹדֶךָּ *non infernus confitebitur tibi*, qui terra sunt obruti, non laudant Deum inter vivos. confer Geneseos caput 37. versum 35. 42:38.

§. 26. Deinde notat שְׁאוֹל *locum tristitiæ æternæ*; & condemnationis ac mortis æternæ; regnum tenebrarum. Prov. 5:5. שְׁאוֹל צְעָדֶיהָ יִתְמֹכוּ *Orcum gressus ejus* (וְרָה vers. 3.) *tenent*, ad locum tristitiæ æternæ tendunt gressus ejus, Prov. 7:27. דַּרְכֵי שְׁאוֹל בֵּיתָהּ *viæ inferni* viæ *domus ejus*, hoc est, viæ tristitiæ æternæ. Prov. 15:24. סוּר מִשְּׁאוֹל מָטָּה *ad recedendum ab orco infra*, *a* condemnatione & morte æterna. Psalm. 9:18. *Redeunt improbi* לִשְׁאוֹלָה *ad infernum*, hoc est, regnum Diaboli & tenebrarum, Prov. 9:18. בְּעִמְקֵי שְׁאוֹל קְרֻאֶיהָ *in profundis orci conviva ejus*, hoc est, in spississimo tenebrarum regno convivantur, Matth. 16:18. πύλαι ᾅδου *non prævalebunt illi*. Luc. 16:23. ἐν τῷ ᾅδῃ, ἐν βασάνοις ὑπάρχων.

§. 27. Occurrit & hæc in sacris phrasis, חֶבְלֵי שְׁאוֹל סַבּוּנִי *dolores* vel *laquei inferni circumdederunt me*, 2 Sam. 22:6. Psalm. 18:6. hoc est, cinxerunt me dolores mortiferi, mors ferè laqueis me constrinxerat.

§. 28. Denique venit & שְׁאוֹל ᾅδης ἀλληγορικῶς, Apoc. 6:8. sed id nunc non tangimus.

§. 29. His positis propius ad rem accedamus. *Non derelinques*, inquit, *animam meam inferno*. Ergo anima inferno tradenda erat, haut tamen relinquenda. Non potest intelligi *anima rationalis* Christi, ut facit Didymus in Catena; (ubi τὸν ᾅδην dicit τῶν λογικῶν ψυχῶν τὸ χωρίον *locum animarum rationalium*, & ponit *in corde terræ*, ubi triduum fuisse *animam* Christi docet. ἡ ψυχὴ ἡ αὐτοῦ γέγονεν ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας) Nam Petrus Actor. 2:31. docet Davidem in his verbis locutum περὶ τῆς ἀναστάσεως. Ergo ea *anima* intelligenda est, cui competit *resurrectio*; adeoque & *lapsus & mors*; nam ἀνάστασις est δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις. Atqui anima rationalis Christi, nec labi potuit, nec mori, neque adeò resurgere. Deinde sive per שְׁאֹל intelligas *inferiores partes terræ*, sive *locum damnatorum*, *rursum animæ* rationali neutrum convenit. Non illa descendit

in

in inferiores partes terræ, hoc est, in locum cadaverum, & vitæ alendæ ac servandæ inidoneum. Non *in locum damnatorum*; nam intravit in paradisum, & si descendisset illuc, triumphabunda descendisset, non ut quæ passura esset. Atqui si descensio pars triumphi, cur tam anxiè petit, *Non derelinques animam inferno.* Id nec bonitati tuæ, nec tuæ in me charitati, nec justitiæ tuæ, cui satisfeci, deceret. Triumphum certè deprecatus non est. Ergo superest, ut per *animam* intelligamus vel *vitam* Christi animalem, vel *corpus* ejus mortificatum. Si prius, sensus erit. *Animam*, hoc est, vitam meam, quæ *effundetur in mortem*, & *ponetur Ascham* Es. 53: 10. *pro ovibus* Joh. 10: 15. quæ *in infernum* abibit, hoc est, in inferiora loca terræ, quæ destruetur, quæ à corpore excludetur, non ibi relinques, sed integram corpori integro restitues. Homine moriente, quum exit anima ejus, hoc est, cessat respiratio, anima illa est in שאול ἐν τῷ ἀφανεῖ; & cum corpore sepelitur id, in quo vita animalis præcipuam sedem habebat, sanguis nimirum mortuus. Quando corpus moritur, anima etiam vegetativa moritur. Quum corpus nostrum est in inferno, etiam anima est suo modo in inferno. Non videtur enim, neque vegetat ullum corpus. Quando corpus resurgit, etiam anima illa, respiratio ac vegetatio redit; si posterius facilis sensus est, *Non relinques corpus meum in inferno*, ut ab illo detineatur & vitæ exsors maneat, & in sepulchro semper maneat.

§. 30. Quod *anima* Christi *non relicta est inferno*, id Sancti cum ipso commune habent, nam nec illorum anima relinquetur inferno, resurgent omnes. Sed quod sequitur, *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, Psalm. 16: 10. de quo ita Petrus, οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν. Actor. 2: 31. id Christo privum & proprium est; eoque notata est ταχεῖα illius ἀνάστασις *maturata resurrectio*, ante corruptionem. David, sanctique omnes viderunt corruptionem, non tamen relinquentur inferno & corruptioni, quia resurgent. Nos omnes τὸν ᾅδην, in quo anima Christi fuit, adibimus, quemadmodum Athanasius dicit, *Martyres* μηδὲ τὰς ἐν ᾅδου καθόδους δειλιᾶν *non formidare descensum ad inferos*, quia non descendunt ἐκ καταδίκης *ex damnatione legis*, sed ut corpus mortis deponant, & descendendo ac moriendo Dominum glorificent. Sed nemo nostrum est, qui non visurus sit corruptionem. Neque tamen David Psalm. 16: 10. Idem bis dixisse culpandus est, non enim dixit idem. Primâ sententiæ parte docet, animam Christi non relinquendam inferno, sed resurrecturam. Secundâ parte docet, sanctum non visurum corruptionem; ergo citò resurrecturum, antequam carnem ipsius corruptio invadat. Non-relictio corruptionem non excludit. Non-corruptio non-derelictionem includit.

§. 31. Potest & ita benè explicari hæc sententia, *non derelinques animam meam inferno*, hoc est, spiritum meum infernalibus cruciatibus, angustiis, tentationibus non sines expositum perpetuò. Bellarminus negat *animam* Christi *dolores* sustinuisse; aut illos ad redemtionem nostram requisitos esse. *Scripturam*, inquit, *totam salutem nostram tribuere sanguini & morti corporali Christi, nulla mentione facta dolorum aut cruciatuum infernalium. Si redemti essemus per infernales pœnas Christi, debuisse præcedere figuras, & sacramentum aliquod ejus rei exstare. Si Christus pertulit pœnas damnatorum, debuisse eum simpliciter desperare. Pœnam enim damnatorum includere essentialiter desperationem.* Et hæc quidem Sophismata narrare, est refutare. Ad ultimum verbo monemus. Eas pœnas damnatorum tulit, quas exegit divina justitia; non in quibus cernitur puniendorum malitia. Quæ sanctitas personæ permisit, ut pati posset, passus est. Desperatio non est pœna peccati, justo Sponsori impositi; sed damnatorum actio, in quam traduntur justo Dei judicio.

§. 32. Se-

§. 32. Sequitur nunc articulus Symboli, dicti *Apostolici*, eo quod institutum illud fertur ab Apostolis, ad diversas nationes, ad prædicandum Euangelium discessuris; ut haberet Ecclesia summam brevem doctrinæ, quæ ab illis prædicaretur ubique; & Symbolo hoc, veluti tessera militari, Christiani discernerentur à non-Christianis. *In quo quidem* Symbolo, *pauca sunt verba, sed omnia continentur Sacramenta*; ut eleganter dixit Rabanus Maurus. In hoc igitur ita habetur; *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferna* seu *inferos*; *tertia die resurrexit*, &c. Ruffinus in Symbolum Apostolorum, *Sciendum sanè est*, inquit, *quod in Ecclesiæ Romanæ symbolo non habetur additum, descendit, ad inferna; sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo, vis tamen verbi eadem videtur esse in eo, quod sepultus dicitur.* Ambrosius in expositione Symboli non facit mentionem descensûs ad inferos. Imò nec Irenæus & Tertullianus in enarratione Articulorum fidei. Plurimi tamen Patrum articulum illum commemorant. Aug. Ep. 99. *Quis nisi infidelis negaverit apud inferos fuisse Christum?* Frustra igitur in sua Catechesi conjecit Erasmus, *a Thoma Aquinate Articulum istum nostro Symbolo primum insertum fuisse.* Floruit Thomas Anno Christi 1274. Multo antiquiores Patres, Chrysostomus, qui vixit Anno Domino 500. Cyrillus Alexandrinus, qui floruit eodem seculo. Augustinus, aliique descensus ad inferos jam meminerunt. Athanasius, qui interfuit Concilio Nicæno, habito Anno Domini 325. in Symbolo à se scripto, disertè ita posuit, χριστὸς, ὁ παθὼν διὰ τ̃ ἡμετέραν σωτηρίαν, ϗ κατελθὼν εἰς τ̃ ἅδην, ϗ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστὰς ἐκ τ̃ νεκρῶν. Addo tamen, neque in Symbolo Nicæno, neque in Symbolo Constantinopolitano ullum *descensus ad inferos* mentionem fieri. *Articulus Symboli Apostolici, Descendit ad inferos.*

§. 33. Potest autem duplex dari explicatio Articuli, κατῆλθεν εἰς τ̃ ἅδην. 1. Ut doceamur Christum descendisse, εἰς τόπον ἀιδῆ, & in inferiora terræ. Magis hoc est, quàm *sepultus est*: qui sepeliuntur, per sepulturam deducuntur, ut sint deinceps ἐν τῷ ἅδῃ, sepultus est & descendit ad inferos; adeoque cœpit post sepulturam agere in inferis, & versari in statu mortis. 2. Ut credamus, Christum infernales dolores in anima sustinuisse, id quod est metaphoricè descendere ad inferos, sepultura hoc descensu posterior est, placuit tamen symboli scriptoribus, sepulturam ante descensum memorare, quia prius παθήματα *corporis*, dein *animæ* voluerunt enarrare, neque igitur articulorum ordo sumtus est à tempore, sed à graduum distinctione. Explicandus est articulus κατ᾽ ἀναλογίαν γραφῶν, atqui ex illis localis ad inferos descensus nullo firmo argumento demonstrari potest. Quæ anima Christi perpessa est, tanta sunt, ut peculiari articulo meruerint explicari. Et cur alium affingemus sensum Symboli verbis, quàm quem parallela loca Scripturæ exhibent Rom. 10:7. *quis descendet in abyssum.* Psal. 116: 3. *circumdederunt me funes mortis*, וּמְצָרֵי שְׁאוֹל *& angustiæ inferni invenerunt me*, צָרָה וְיָגוֹן אֶמְצָא confer vers. 4. מַלְּטָה נַפְשִׁי *eripe animam meam.* *Sensus illius.*

§. 34. Audiendi etiam Lutherani sunt, quorum hæc sunt verba in declaratione *Concordiæ. Simpliciter credimus, quod tota persona, Deus & homo, post sepulturam ad inferos descenderit, potestatem inferorum everterit*, &c. De vero ac reali sive corporali hoc descensu ad inferos prolixum scripsit caput Leonhartus Hutterus in libro, cui titulus, *Libri Christianæ concordiæ*, &c. *Explicatio plana & perspicua.* Nominat illum *descensum Triumphi ac Victoriæ*, Jesumque tanquam *Triumphatorem & Victorem*, descendendo ad inferos, *captivam duxisse captivitatem, & de Diabolo, inferno, ac reliquis hostibus potentissimè* in inferno *triumphasse*; *seque ibi manifestasse, ut destructorem universæ potestatis infernalis, & ut judicem damnatorum severissimum.* Conjicit Jesum *hoc descensu perfunctum esse in primo resurrectionis momento, & in ipso illo magno terræ motu, qui summo mane evenit* &c. sententiã *Sententia Lutheranorum de descensu Christi ad inferos.*

 hanc

hanc *confirmari directè* ait 1. Loco Hos. 13: 14. *Ero pestis tua, ô mors! Ero morsus tuus ô inferne!* Hoc Testimonium *propriè, primò, & principaliter de victoria ac triumpho, quem Christus ad inferos realiter descendens, egit*, intelligendum esse, nititur confirmare è 1 Cor. 15: 54. 55. 2. Loco Ephes. 4: 9. *Descendit ad inferiores partes terræ.* Hic descensum Christi ad inferos κατὰ τὸ ῥητὸν *definiri per descensum ad sedem damnatorum, vel etiam per manifestationem Christi in ipso barathro sive inferno. Descendere ad inferiores partes terræ, idem esse ac, Triumphum in inferno agere.* 3. Articulo hoc symboli Apostolici. Sed non vacat plura describere. Ego mirari vix satis possum, viros illos clarissima Scripturæ loca in alienum sensum detorquere, & de sententia nova ac ficta ita asseveranter pronunciare. Oportet ut alia è sacris afferant argumenta, thesin suam stare si volunt.

Mulieres exeunt ad sepulchrum Jesu. §. 35. Sed redeamus ad Christum. ὀψὲ σαββάτων *peracto Sabbato* (ita Plut. in *Numa.* ὀψὲ τῆς βασιλέως χρόνων *post tempora Regis*, & apud Philostratum, ὀψὲ τῶν τρωικῶν *post bellum Trojanum.* Alii vertunt *sero Sabbati*; dicunt, Hebræos *addidisse* ad Sabbatum; id additamentum incidisse in τὸ πρωῒ diei sequentis; adeò ut ὀψὲ σαββάτων idem sit, quod τὸ πρωΐ. Sed ostendunt alii, additamentum hoc unius haut excessisse horæ spatium, dictumque תוספת מחול אל הקדש *additio de profano ad sacrum*; idem in lege significari per שבתון) τῇ ἐπιφωσκούσῃ, subintellige ὥρᾳ vel ἡμέρᾳ, εἰς μίαν σαββάτων *quum dilucesceret in unam seu primam Sabbatorum.* (Notatur primus dies septimanæ, nobis dictus *Dominicus* Apoc. 1: 10. Hebræis dictus חד בשבתא: ita secundus iisdem dicitur תרין בשבתא δευτέρα σαββάτων, & sic porro, τρίτη, τετάρτη, πέμπτη, ἕκτη σαββάτων; sextus item dies dicitur παρασκευὴ seu προσάββατον. Septimus, σάββατον.) λίαν πρωῒ τῆς μιᾶς σαββάτων, *valde mane prima Sabbatorum*, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, *quum ortus esset sol*, scilicet primulum, quum vix ortus esset (aut verti etiam potest, *oriente sole*; quum primum auroræ jubar, quod multis adhuc mixtum tenebris, apparere inciperet, ut Aoristus veniat pro tempore præsenti. confer Matth. 17: 7. ἐγέρθητε pro ἐγείρεσθε. vers. 16. θεραπεῦσαι pro θεραπεύειν. vers. 17. ἀποκριθεὶς pro ἀποκρινόμενος.) ὄρθρου βαθέος *profundo mane*, πρωῒ, σκοτίας ἔτι οὔσης, *mane, quum adhuc essent tenebræ*, venerunt *mulieres*, θεωρῆσαι τὸν τάφον *ut spectarent sepulchrum*; *& ut condirent*, seu corpus Jesu, sive malis, sepulchrum; corpus enim Nicodemus jam satis condierat. Matth. 28: 1. Marc. 16: 1. 2. Luc. 24: 1. Joh. 20: 1. Sanctæ illæ τὸ σάββατον ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολὴν Luc. 23: 56. Nunc illo elapso maturæ adsunt, ultimum Domino officium præstituræ.

Terra movetur. Angelus descendit. Avolvit lapidem. §. 36. Καὶ ἰδοὺ σεισμὸς ἐγένετο μέγας *& ecce terræ motus exstitit magnus.* Matth. 28: 2. dum mulieres parant venire, aut jam in via sunt, movetur terra. Eadem nudius tertius etiam commota fuerat. Matth. 27: 51. Sed quæ causa hujus motus? *Angelus enim Domini, descendens è cælo, accedens avolvit lapidem à Janua* monumenti. Matth. 28: 2. *Magnum* advolverat Josephus. Matth. 27: 60. magna vi opus erat, ut avolveretur. Angelus adventus sui illustre signum edidit. Quum descenderet *in piscinam Betesda* seu *Siloam*, *turbabat aquam*. Joh. 5: 1-4. 9: 11. Hic superveniens super sepulchrum Domini, turbat & commovet terram. Avolvit lapidem, non manibus, non nisu & labore magno, sed efficaci jussione & potentia. Spiritus hi invisibiles, sunt *Angeli potentiæ Domini.* 2 Thes. 1: vers. 7. גִבֹּרֵי כֹחַ *pollentes viribus.* Psalm. 103: 20. Ita & ἤνοιξε τὰς θύρας τῆς φυλακῆς, in qua conclusi erant Apostoli. Act. 5: 19.

Cur avolutus lapis? §. 37. Avolvi debebat lapis, ut Jesu resurgenti pateret exitus; & mulieribus introitus. Habuit Jesus verum corpus, est enim verus homo, id dimensiones penetrare non potuit. Oportuit fieri aperturam, è qua exiret. Ubiquitaria gens clamat, clauso sepulchro Jesum exiisse,

exiisse, & per durum silicem corpore suo penetrasse; ut deinde per clausas fores. Joh. 20: 19. Lapidem esse revolutum, non propter Christum, sed propter venientes, ut vacuum illis ostenderetur sepulchrum. Esse enim Jesum *è resurrectione declaratum Filium Dei in potentia.* Rom. 1: 4. Atqui non aliter potuit *potentia* demonstrari, quam penetrando per lapidem, & violando naturam rerum? Est Filius Dei *in potentia*, sed & Filius hominis ἐν ἀληθείᾳ. Carnem assumtam inviolatam tenuit. Non mutavit in *Spiritum*, non in φάντασμα. Palpabile hoc corpus palpabiliter è sepulchro exiit. Veritas humanæ naturæ sarta manere debet & integra in Servatore nostro. Non honorant illi sanctissimam ejus carnem, qui super naturam carnis illam efferunt, sed deformant; imò veritatem & substantiam illi adimunt. Hæc est vera Servatoris gloria, quam confitebitur omnis lingua, quod verus est Deus, & verus Homo, in secula, nobis similis secundùm omnia. Non transformandus est Deus in hominem, nec homo in Deum, ne & nostrum corpus, quod aliquando fiet σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, Phil. 3: 21. statuatur evehendum in Deum.

§. 38. Non indiguit Jesus Angeli operâ. Est enim אֶבֶן דִּי לָא בִידַיִן *lapis qui non fertur manibus*, Dan. 2: 45. qui nullis juvari opus habuit manibus. Animam suam recepit è propria potentia. Etiam lapidem potuit amovere è propria potentia. Discipulis dixit, *si habeatis fidem, ut granum sinapi, diceretis monti huic, tollere, & fiet.* Matth. 17: 20. 21: 21. Luc. 17: 6. Quidni, si ὁ πίστεως ἀρχηγὸς καὶ τελειώτης Ἰησοῦς Heb. 12: 2. dixisset lapidi, Ἄρθητι, ablatus fuisset? Sed voluit Angeli uti servitio, qui, quæ fecit, per potentiam Jesu fecit. Ita & ὤφθη ἀγγέλοις. 1 Tim. 3: 16. Et Angeli facti sunt nuncii resurrectionis, quemadmodum & in carne manifestationis. Miseræ mulieres non invenientes Jesum in sepulchro, diutius hæsissent, magis anxiè quæsivissent, nisi Angeli illis dixissent, *quid quæritis?* ἠγέρθη. Cur per Angelum?

§. 39. Terræ motus, etiam movit *custodes*, qui *facti sunt* ὡσεὶ νεκροί Matth. 28: 4. Ita mitiores facti, mulieres & discipulos siverunt intrare in sepulchrum, & exire, sine molestia. Custodes exanimati.

§. 40. Avoluto lapide exiit Jesus è sepulchro; Mediator Dei & Hominum, victor mortis, contritor serpentis, causa consummata nostræ salutis, vita nostra & resurrectio. Notetur in genere tempus. Postridie Sabbati resurrexit Jesus. Eodem die offerebatur manipulus, typus resurgentis Jesu. vide lib. 11. cap. x1. §. 65. 66. Judæi putant, manipulum semper oblatum fuisse die secundo festi Paschalis. Sed id non potuit semper fieri, quia primus dies Paschatis non semper incidit in diem Sabbati. Hic autem ita evenit, ut manipulus noster Jesus Christus, primitiæ novarum frugum, secundo die Festi Paschatis resurgeret. Id enim tunc pridie initium ceperat. Observemus obiter, ut Christus non umbras tantùm veteres & figuras, sed & ipsas horas diesque implevit typorum. Pascha mactabatur die decimo quarto mensis. Eodem die nostrum Pascha mactatum est. Agni sacrificii jugis *manè* offerebantur & *à meridie*. Eadem hora cœpit Christus offerri in cruce & desiit. Manna quiescebat à pluendo die Sabbati. Eodem die quievit verum Manna in petra monumenti. Manipuli typum jam jam memoravimus. Jesus resurgit; eodem tempore, quod in typis præfiguratum.

§. 41. Agamus autem pressius 1. De gloriosa Christi resurrectione. 2. De Christi resuscitati manifestatione. Actor. cap. 10: vers. 40. τοῦτον ὁ θεὸς ἤγειρε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι.

§. 42. Resurrectio Christi articulus est fundamentalis, credendus ad salutem. 2 Tim. 2: 8. *Memento Jesu resuscitati è mortuis.* Apostoli μεγάλῃ δυνάμει *dederunt testimonium resurrectionis Domini.* Act. 4: 22. Paulus inculcat τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ, Phil. 3: 10. sine illa *inanis & vana fides nostra*, 1 Cor. 15: 14. 17. 18. sine illa lubrica spes nostræ resurrectionis. Rom. 6: 5. 8: 11. 1 Thes. 4: 14. 1 Cor. 15: 12. 13. 15. 16. 20. Illa tutos nos fa- Resurrectio Christi articulus fidei fundamentalis.

 cit

cit de *condemnatione* Rom. 8: 34. certos de nostra *justificatione* Rom. 4: 25. *regeneratione* 1 Petr. 1: 3. & *salute* 1 Petr. 3: 21. *si credas in corde tuo, quod Deus Iesum resuscitavit è mortuis*, σωθήσῃ servaberis. Rom. 10: 9.

Verè resurrexit, animam cum corpore reunivit.

§. 43. *Resurrexit* Christus hoc est, carnem mortificatam vivificavit, Spiritum cum corpore reunivit, & è mortuo vivus factus est, ἐγενόμην νεκρὸς, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμι. Apoc. 1: ℣. 18. *Quid quaeritis* τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν. Luc. 24: 5. Moriens animam emisit, resurgens animam recepit. Spiritus è Paradiso in domicilium corporis rediit. Idem corpus revixit, quod in cruce exspiravit. Habuit post resurrectionem *typos clavorum*, qui *manus* ejus perforarant & pedes; imò & vulneris in confosso latere monstravit locum. Joh. 20: 25. 27. Habuit verè σάρκα καὶ ὀστέα, quae πνεῦμα οὐκ ἔχει. Luc. 24: 39. Ideò & *edit* ac *bibit* cum discipulis. Luc. 24: 43. Joh. 21: 13. 15. Actor. 10: 41. confer Matth. 26: 29. ut ostenderet se verum hominem, nec humanam moriendo deposuisse naturam, nec aliam resurgendo assumsisse. Alias corpora resuscitata, glorificata cibo & potu non indigent. Typos clavorum in gloriam intrans coelestem etiam exuit, quos resurgens ad tempus tenuit; ac ita incredulitatem suorum & sanavit & coërcuit.

Christus primus è resurrectione.

§. 44. Dicitur Christus πρῶτος ἐξ ἀναστάσεως *primus è resurrectione mortuorum.* Act. 26: 23. ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων. 1 Cor. 15: 20. 23. Ante illum nonnulli alii è morte revixerunt. *Filius viduae in Zorephta.* 1 Reg. 17. 22. Filius *Sunamitanae.* 2 Reg. 4: 35. 36. *Vir* in sepulchrum projectus *Elisae.* 2 Reg. 13: 20. 21. *Jairi* Filia. Marc. 5: 22. 41. Filius *viduae è Nain.* Luc. 7. 14. 15. *Lazarus.* Joh. 11: 43. 44. Christo exspirante *multa corpora* ἠγέρθη. Matth. 27: 52. Nil minus est Christus πρῶτος *primus* seu prior *è resurrectione.* Primus enim ille est omnium, qui proprio jure, merito, potentia vitam recepit. Est *primitiae* mortuorum. In illo mortui omnes, & ante illum, & post illum, sanctificati sunt ad beatam resurrectionem; ut in primitiis olim fruges omnes sanctificabantur ad salutarem fruitionem. *Nunc autem Christus excitatus est è mortuis; primitiae coepit esse mortuorum*; ut nim. & illi resuscitentur; *quilibet in suo ordine. Christus primum, deinde, qui sunt Christi*, ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ. 1 Cor. 15: 20. 23.

Se ipse resuscitavit.

§. 45. Ut se ipsum tradidit Christus, ita & resuscitavit. *Ego habeo potestatem rursum sumere animam meam.* Joh. 10: 18. *Solvite templum hoc, & erigam illud.* Joh. 2: 19. confer vers. 22. *mortificatus quidem carne, sed vivificatus Spiritu.* 1 Pett. 3: 18. *aeterno* nim. illo, *per quem & se obtulit Deo.* Heb. 9: 14. in quo & *justificatus est.* 1 Tim. 3: 16. nam & Filius οὓς νεκροὺς ζωοποιεῖ. Joh. 5: 21.

Pater illum resuscitavit.

§. 46. Sed & *Deus* illum suscitavit Act. 3: 15. *Principem vitae occidistis*, ὃν ὁ θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν confer 4: 10. 5: 30. *Deus Patrum nostrorum* ἤγειρεν Ἰησοῦν. adde 13: 30. 37. 2 Cor. 4: 14. Gal. 1: 1. Ephes. 1: 20. Thes. 1: 10. Inde cernitur 1. Patris *potentia*, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, ἣν ἐνήργησεν ἐν τῷ χριστῷ ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Ephes. 1: 19. 20. 2 Patris & Filii *unitas, quae Pater facit, facit & Filius, quos mortuos Pater vivificat, etiam Filius.* Joh. 5: 19. 20. 21. 3. Patris *reconciliatio*, & plena Filii Sponsoris *solutio* & *satisfactio.* Pater Judex, qui peccatorum poenam ab illo exegit, illum suscitavit, nisi poena peccati esset ablata, & justitiae divinae satisfactum, & debita nostra soluta, non illum excitasset, nec à vinculis ac doloribus mortis solvisset. Act. 2: 24. Nunc excitans Filium, publica hac actione testatum fecit, se in justitia Filii sanctificatum, in judicio illius exaltatum, lytro ejus conciliatum esse; Filium Sacerdotem per passiones consummatum, & omnes τοὺς ἁγιαζομένους, adeo ut *mors* illi non possit *dominari* Rom. 6: 9. nec sanctificatos absorbere. Ita & justificatio nostra in resurrectione Filii publicè est declarata. Rom. 4: 25. ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν.

§. 47. De-

§. 47. Debuit Christus *resurgere*; ut *pati* Matth. 16:21. Luc. 24:26. Exegit id 1. *Dei gloria*. Rom. 6:4. ἠγέρθη Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός, nimirum, gloria *justitiæ*, quæ inobedientiam punit, obedientiam coronat, quæ Sponsorem ad mortem potuit humiliare, sed & rursum ad vitam debuit exaltare. *bonitatis*, qua Filium amat. *Hic est Filius meus* ὁ ἀγαπητός. Matth. 3:17. Poterat salva illa dilectione Filius in necem tradi, non salva illa in nece manere. *Veritatis*, in *Scripturis* ante *promiserat* τὴν ἀνάστασιν τοῦ υἱοῦ. *Constantiæ* & immutabilitatis, quod promisit, id ipsum ante decrevit; ut promissum, ita & decretum impleri debuit. 2. *Lex ipsa*, dicit enim. *Qui fecerit illa, vivet in illis.* Atqui Filius, sub legem factus, totam legem implevit. 3. *Dignitas* Filii. Est *Filius Dei in potentia*. Est *Princeps vitæ*. Est *Dominus gloriæ*, οὐκ ἦν δυνατὸν αὐτὸν κρατεῖσθαι ὑπὸ τοῦ θανάτου Act. 2:24. Imò & *meritum* Filii. *Per mortem abolevit potestatem mortis habentem*. Hebr. 2:14. Ergo super mortem & pulverem vivus debuit stare, ut victorem decuit. Job 19:25. 4. Etiam propterea, quia Deus est *Deus* Servatoris Jesu. *Deus mi, Deus mi.* Atqui Deus non est *Deus mortuorum*, sed *vivorum*. Matth. 22:32. Luc. 20:38. *Quod mortuus est, mortuus est peccato semel.* ὃ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ Θεῷ. Rom. 6:10. 5. Si non resurrexisset, actum esset de nobis, de Patribus, de Patriarchis, essemus ἐλεεινότεροι πάντων ἀνθρώπων. 1 Cor. 15:17. 18. 19. Non ascendisset in altum, non misisset Spiritum Paracletum, non ageret apud Patrem nostrum Advocatum.

Necessitas resurrectionis.

§. 48. Imò debuit *brevi* resurgere, & antequam videret *corruptionem*; ob easdem rationes. Nam si diu in morte mansisset, mors illum *tenuisset*, & in illum dominata esset; imò & peccatum, imò & Diabolus. Diu carere gloria, in Sponsore est non plenissimè commeritum esse gloriam. Si diu extra gloriam mansisset, nec nobis paratus in illam introitus fuisset. Non potuit videre διαφθοράν, qui *illuminavit* τὴν ἀφθαρσίαν 2 Tim. 2: vers. 10. quique est ὁ βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ. 1 Tim. 1:17.

Et maturatæ quidem.

§. 49. Resurrexit κατὰ τὰς γραφάς. 1 Cor. 15:4. vide libr. 2. cap. XVIII. §. 50. Idem adumbratum fuit in oblatione *manipuli*. Levit. 23:10.–14. vide libr. 2. cap. XI. §. 65. 66. In illatione sanguinis victimarum pro peccato εἰς τὰ ἅγια διὰ τοῦ ἀρχιερέως Hebr. 13:11. vide libr. 2. cap. XI. §. 25. imò & in die Kippurim εἰς ἅγια ἁγίων. Levit. 16:14. denique & in dimissione *unius avis vivæ*, sanguine tinctæ, in purificatione leprosi. vide libr. 2. cap. XI. §. 109. 110. His adde illustres typos. Arca aquis & fluctibus jactata tandem in sicco consedit. Noachus ex aquis in terram viventium rediit. Isaacus è rogo, in quo mactari debebat, liberatus, & quasi à præsenti morte vivificatus. Hebr. 11:19. ὅθεν αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο. Josephus primùm è fovea eductus, dein è carcere, denique admodum exaltatus. Moses ex aquis mergentibus liberatus. Socii Danielis è fornace ardente. Daniel è faucibus Leonum. Jonas è ventre Balenæ. Quid hæc, nisi totidem typi & figuræ mortis, & resurrectionis, ac exaltationis dominicæ?

In Scripturis prædicta, & in multis typis præfigurata.

§. 50. E *resurrectione mortuorum definitus* est *Jesus Filius Dei, in potentia, secundùm Spiritum sanctitatis* Rom. cap. 1: vers. 4. est πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν. Col. cap. 1: vers. 18. Qui dubitat de Jesu æterna Deitate, accedat ad sepulchrum, & cogitet illum resuscitatum, & credet in illum ut *Magnum* Servatorem & Deum. 1. Jesus se ipsum excitavit. Chrysostomus πρῶτος οὗτος μόνος ἑαυτὸν ἤγειρεν. *Hic primus se ipse solus excitavit.* Atqui Deus resuscitat mortuos Deuter. cap. 32: vers. 39. 1 Sam. cap. 2: vers. 6. Qui mortuo sibi vitam reddit, oportet, ut sit ἡ ζωὴ *vita*, ὁ Θεὸς ζῶν *vivus Deus.* Fuit olim inter Judæos impostor, qui se præcursorem dicebat Messiæ; captus à quodam *Arabiæ Rege*, & rogatus ut signum daret, dixit,

Ex illa demonstratus Jesus verus Deus.

Domine Rex, חתון ראשי *Precide caput meum* ואחר בן אני אהיה ואקום ואהיה כבר אשונה *Et resurgam, & ero ut ante.* Amputatum nebuloni caput est; sed nunquam rediit, nunquam resurrexit. Narrat tragœdiam hanc Maimonides; & addit תהי מיתתו כפרה עליו ועל כל ישראל *sit mors ejus expiatio super illum, & super totum Israëlem.* Ita haut est in hominis potestate, è mortuis se sistere vivum. 2. Jesus resurrectionem suam diu & sæpè prædixit. Matth. 16:21. 17:23. 26:32. Luc. 9:22. Joh. 2:19. Atqui futura prædicere & complere, Spiritus est omniscii & omnipotentis. 3. Resurgendo demonstratus est victor Satanæ, mortis, inferni, peccati. Atqui *Deus conteret Satanam sub pedibus nostris.* Rom. 16:20. 4. Resurgendo demonstratus est esse nostra *justitia, redemtio.* Atqui *Jehova justitia* nostra. Deus *redimit.* Imò *justificatus.* Atqui *Deus*, manifestatus in carne, est *justificatus Spiritu.* 5. Post resurrectionem est ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, ὑποταγέντων αὐτῷ ἀγγέλων, καὶ ἐξουσιῶν, καὶ δυνάμεων. 1 Petr. 3:21. 22. confer Eph. 1:19–22. Atqui divina hæc est gloria, & dignitas. 6. Quatenus Pater illum excitavit, eatenus est demonstratus *Sanctum Domini, quod amat* Mal. 2. *Lapis*, quem fecit in *lapidem Angularem.* Psal. 118. *Dominator & Judex* in Israël, cujus *egressiones à diebus seculi.* Mich. 5. *Filius*, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Matth. 3.

Certitudo illius. §. 51. Resurrectio illius est certissima & verissima. Testes sunt Angeli. Testes inimici. Testes mulieres, Discipuli, plurimi fratres, Saul abortus. 1 Cor. 15. Testis ascensio in cœlum, effusio Spiritus, regnum in omnia, conversio gentium, destructio Hierosolymæ & veteris cultus, dispersio denique Judæorum. Imò hoc unum sufficit. Præconium de resurrectione est in mundo longissimo ab hinc tempore. Non autor illius est Diabolus, quia id maximè evertit Diabolum, non Pater mendacii, quia abolet mendacium. Non est figmentum malesani cerebri; nam in illo est ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ. Non spe lucri, aut honoris, aut commoditatis promulgatum, sed cum maximo dispendio, contemtu, & ignominia annunciantium. Ergo πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ὅτι χριστὸς καὶ ἀπέθανε, καὶ ἀνέστη, καὶ ἀνέζησεν. 1 Tim. 1:15. Rom. 14:9. Rex Judæorum, pro populo suo mortuus, à suis interfectus, ad vitam æternam resuscitatus est. Hicque mihi in mentem venit historia *Codri*, de qua Vell. Paterculus libr. 1. cap. 2. *Codrus, ultimus Rex Athenarum fuit, vir non prætereundus. Cum Lacedæmonii gravi bello Atticos premerent, respondissetque Pythius, quorum dux ab hoste occisus esset, eos futuros superiores, Codrus, deposita veste regia, pastoralem cultum induit, immistusque castris hostium de industria, imprudenter, rixam ciens, interemptus est. Codrum cum morte æterna gloria, Athenienses secuta victoria est.* Liceat mihi potius dicere. Jesus, primus & ultimus (Apoc. 1:17.) Rex populi Dei, accepta servi forma, deposita seu celata illa Dei, stans *in cœtu Dei, in medio Deorum*, hoc est, Principum disceptans, imprudenter, à magna parte illorum, interfectus est. Cum morte æterna gloria ipsum, imò resurrectio & vita æterna secuta est; Judæos reprobos clades; fideles & pœnitentes vita, victoria, salus.

§. 52. Et ut certissimè illa constet, videamus, quomodo Jesus resuscitatus factus est ἐμφανής, ubi statim occurrit illud Petri, οὐ παντὶ τῷ λαῷ. Actor. 10:41. Ergo videndum, cui λαῷ & quibus μάρτυσι.

Maria Magdalena prior apud sepulchrum abit quæ- §. 53. Inter mulieres, quæ exiverunt ad sepulchrum, prior accessit, omnesque alias antevertit *Maria Magdalena*, Mulier, *ex qua septem Dominus ejecerat dæmonia.* Marc. 16:9. *Illa veniens ad monumentum, videt lapidem ablatum.* Nec diu, (ita commovebatur,) ibi cunctata, τρέχει *currit*, quæsitum discipulos. Joh. 20:1. 2. Illa currente accedunt

dunt & aliæ. Nomina illarum lege Matth. 28: 1. Marc. 16: 1. Luc. 24: 10. Sollicitæ fuerant inter se de avolvendo lapide Marc. 16: 3. Et ecce *invenerunt avolutum*. Luc. 24: vers. 2. Marc. 16: 4. Angelus enim, ut vidimus, avolverat. In apertum illico intrant monumentum. Quod *quærunt, non inveniunt*, οὐχ εὗρον τὸ σῶμα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. Luc. 24: 3. Quod non quærunt, inveniunt. *Et factum est, cum de eo hæsitarent, Ecce duo viri* ἐπέστησαν αὐταῖς ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις *astiterunt illis in vestimentis fulgentibus*. Luc. 24: vers. 4. *Viri* illi fuerunt *Angeli*. Joh. 20: 12. *Nam Angelus Domini descenderat, & avoluto lapide* ἐκάθητο ἐπάνω αὐτοῦ. Matth. 28: 2. *Viri* dicti, à μορφῇ ἀνδρὸς, in qua apparebant. (confer Actor. 1; 10.) Imò quia in forma, non senis, sed adolescentis, dicit Marcus, εἶδον νεανίσκον καθήμενον. Marc. 16: 5. *Fulgent* illorum *vestimenta*, & eximiè fuerunt *alba*. ἐν λευκοῖς Joh. 20: 12. (confer Actor. 1: 9. ἐν ἐσθῆτι λευκῇ.) alba, ὡσεὶ χιὼν *ut nix*. Matth. 28: 3. Albus color puritatis symbolum est. (confer Apoc. 3: 4. 5. Matt. 17: 2.) Ipsum ἔνδυμα fuit στολὴ *stola* Marc. 16: 5. vestis ad talos usque demissa. Ipsorum autem Angelorum ἰδέα *species*, ὡς ἀστραπὴ *ut fulgur*. Matth. 28: 3. Lucas dicit fuisse *duos*. Etiam Joh. 20: 12. Matthæus autem & Marcus *unius* tantùm meminerunt. Facilis conciliatio. Forsan mulieres non simul omnes ingressæ sunt, quibusdam unus apparuit Angelus, nonnullis duo visi. Aut primùm unus visus omnibus, dein duo. Matthæus retulit, quod de uno illæ retulerunt; item Marcus. Lucas, quod de duobus. Etiam Iohannes. Aut etiam Matthæus satis habuit, unius meminisse. Lucas potius duxit, amborum. Ita & cum Christus inequitaret in Hierosolymam, refert Matthæus, illum asina vectum & pullo. Reliqui asinæ tantùm mentionem faciunt.

Situm discipulos. Reliquæ mulieres intrant in sepulchrū & vident unum, & duos Angelos.

§. 54. Viso Angelo aut Angelis, ἐξεθαμβήθησαν mulieres. Marc. 16: 5. confer Luc. 24: vers. 5. Angeli. μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς. Matth. 28: 5. μὴ ἐκθαμβεῖσθε. Marc. 16: 6. Dicunt *Jesum Nazarenum, crucifixum*, τὸν ζῶντα *viventem, non* esse quærendum μετὰ τῶν νεκρῶν *cum mortuis*, seu in loco mortuorum. *Esse resuscitatum*, & *præcedere in Galilæam*, ibi *videndum*. Iubent *ire citò, dicere id discipulis*, καὶ τῷ πέτρῳ nominatim *Petro*. Matth. 28: 5. 6. 7. Marc. 16: 6. 7. 9. Luc. 24: 5. 6. 7. 8. Dixerat ipse Jesus ante mortem. μετὰ τὸ ἐγερθῆναι με, προάξω ὑμᾶς εἰς τὴν γαλιλαίαν. Matth. 26: 32. Non statim illuc ivit, sed ante aliquoties in Iudæa & Hierusalem illis apparuit. *Galilæa*, in qua fuerat educatus, unde *Nazarenus* vocabatur, etiam è morte resuscitatum excipere debuit, & in illis *tenebris* videri *Lux hæc magna*. Esai. 8: 23. 29: 1. Ita abeunt sanctæ hæ. Matth. 28: 8.

Angeli resurrexisse Jesum dicunt.

§. 55. Interea rursum adest Magdalena Maria. Inciderat *in Petrum*, & *in dilectum* Jesu *discipulum* (confer Ioh. 13: 23. 19: 26. 21: 20.) Ioannem, Zebedæi filium. *Venerunt* illi ad monimentum. *Cucurrerunt ambo simul*. Ioannes autem τάχιον τοῦ πέτρου. Non intrat in monimentum, sed *inclinans videt* κείμενα τὰ ὀθόνια. *Iacentia linteamenta*. Petrus Johanne serior adest; sed intrat *in monimentum*, videt eadem linteamenta, imò & *sudarium*, quod *super caput* Domini fuerat, *seorsim convolutum*. Non præceps aufugit è sepulchro & repositorio suo Jesus. Sed pacatè ac tranquillè funebrem habitum deposuit, & exiit. Exemplo Petri motus Ioannes, & ipse *intravit*. Iohannis 20: 2 -- 8.

Magdalena adducit Petrum & Joannem.

§. 56. Angelos horum nemo videt. Sunt Spiritus invisibiles natura; à quibus volunt, videntur, à quibus nolunt, non videntur. Asina Bileami videbat Angelum, quem Bileam non videbat; donec detegeret *oculos* illius *Dominus*. Num. 22: 23. 24. 25. 31. In via Damascena *audivit Saul vocem* Domini, & sine dubio vidit Dominum, dicit enim, *Quis es Domine?* imò ita vidit, ut dein *apertis oculis* cæcus *videret neminem*. Reliqui cum illo; audiverunt vocem, *viderunt autem neminem*. Actor. 9: 3 -- 8. Viderunt hic fœminæ,

Qui non viderunt Angelos.

quod

quod Apoſtoli non viderunt. Voluit Dominus fœminis Angelos eſſe præcones reſurrectionis Chriſti; & diſcipulis primos illius nuncios fœminas. Fœmina nulla abnegaverat, ut Petrus. Fœminæ non aufugerant, ut diſcipuli. Solus Johannes dicitur adſtitiſſe ad crucem. Ioh. 19:26. Fœminæ venerunt θεωρῆσαι τὸν τάφον; non Apoſtoli. Ita & vident, quod Apoſtoli non viderunt.

Abeunt. §. 57. Petrus & Iohannes, inſpecto ſatis monimento, *abierunt retro ad ſe ipſos* Ioh. 20: verſ. 10. De *Petro* dicitur, καὶ ἀπῆλθε πρὸς ἑαυτὸν θαυμάζων τὸ γεγονός Luc. 24: 12. de *Iohanne.* καὶ εἶδε καὶ ἐπίστευσεν Ioh. 20: 8. De *utriſque*, οὐδέπω γὰρ ᾔδεισαν τὴν γραφὴν *nondum enim noverant Scripturam, quod oporteat eum ex mortuis reſurgere.* Ioh. 20: 9. Etiam alibi illorum ἀσυνεσία notatur. Luc. 18: 34. confer Ioh. 2: 22. Matth. 16: 22.

Maria manet & plorat, videt Angelos. §. 58. Maria non abit, ſed *ſtat apud ſepulchrum, plorans*, Ioh. 20: 11. ablatum, ut opinabatur, Dominum deplorat. Ita plorans *inſpectavit in monumentum*, oculis ſuis & ſenſibus diſtiſa, adhuc ſpectat, annon corpus Domini adſit. Ita ſpectans & illa *videt duos Angelos* Ioh. 20: 12. Prima non videtur illa illos vidiſſe vice; ita ſubitò deceſſerat, nunc videt, non debebat minus videre reliquis mulieribus.

§. 59. Nemini hucuſque viſus erat Jeſus. Exiverat è monimento, non viderant οἱ τηροῦντες. Venerant fœminæ & abierant. Etiam duo diſcipuli; nemo ex illis vidit. Non procul abfuit Jeſus, in eodem horto fuit, ubi ſepulchrum erat; ubi & primùm viſus eſt. Igitur non viſus hactenus, nunc ſe videndum rurſum exhibere voluit.

Apparet illi Jeſus. §. 60. Et quidem ἐφάνη πρῶτον *apparuit primò Mariæ Magdalenæ* Marc. 16: 9. Illa tota lachrymabilis *verſa eſt retrorſum, & videt Ieſum ſtantem.* Videt, *ſed non novit.* οὐκ ᾔδει ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστι. Ioh. 20: 14. *Putabat, hortulanum eſſe.* Ita lacrymæ & triſtitia ſenſus illius obſcuraverant, *ut Dominum* illa ſuum non noſſet. Habuit tunc alias veſtes Dominus. Priores enim milites ſortiti erant. Ioh. 19: 23. Igitur & inſuetus habitus, & ingens mœror fecit, ut Dominum prima haut cognoſceret fronte. Non ergo *Mariæ Matri primùm apparuit* Dominus, ut Pontificiorum nonnulli contendunt; nam Magdalenæ ἐφάνη πρῶτον. Imò turpiter impingit Epiphanius, ſcribens, *Hanc Mariam fuiſſe Ieſu Matrem.* Sic enim ait, φήσας τῇ μητρὶ αὐτοῦ. Imò ne Maria quidem Mater legitur fuiſſe inter illas, quæ venerunt ad ſepulchrum.

Alloquitur illam. §. 61. Dicit illi. *Maria*, è voce illa ſtatim agnovit, & dixit, *Rabbuni.* Ioh. 20: 16. Cumque illa, ut videtur, medium complecti vellet, & oſcula inferre, dicit, Μή μου ἅπτου. *Ne me tange; nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, Ioh. 20: verſ. 17. ac ſi dicat, Ne nunc cuncteris tangendo & oſculando me. Satis habebis deinde ad id moræ. Ego enim vobiſcum aliquamdiu manebo; necdum aſcendi ad patrem meum. Quinimò feſtina, πορεύου *abi ad fratres meos*, & illis nuncia me à te viſum. Vel etiam ſic. Ne me tange, ac ſi putes, me ita, ut nunc ſum à vobis tenendum; nondum aſcendi ad Patrem; ubi aſcendero, *tange me*, tene me, non manu, ſed fide, ſed charitate, ſed fiducia. Tunc enim demum lætitia veſtra erit conſummatiſſima. Reſurrectio Chriſti eſt magnum bonum, magnum in illa ſolatium, majus tamen aſcenſio, & majus in aſcenſione. Non profuiſſet mors, niſi reſurrexiſſet. Non reſurrectio, niſi aſcendiſſet. συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω. Ioh. cap. 16: verſ. 7. Ne tange me ac in me deliciare, ut in illo, cui non ſuperſit gloria ad bonum accipienda veſtrum & ſalutem.

Ablegat illam ad diſcipulos. *Abi verò*, inquit, *ad fratres meos* (Hebr. cap. 2: verſ. 11. οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφοὺς αὐτοὺς καλεῖν) *& dic illis. Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, & Deum meum, & Deum veſtrum*, Ioh. cap. 20: verſ. 17. nunc proximè in eo ſum,

ut

ut ascendam. Unus nobis & Christo fratri nostro Deus, unus Pater. *Unus Deus & Pater omnium*, Ephes. cap. 4: vers. 6. qui tamen Christi Pater est per naturam, noster per gratiam; Christi Deus certo tantùm pacto, certa lege, certo respectu. Nam & ipse Christus *Deus* est; unum cum Deo noster Deus, titulo creationis, imprimis titulo redemtionis.

§. 62. Non cunctata Magdalena, voti sui nunc compos facta, *venit, nuncians Discipulis, quod vidisset Dominum, & hæc ei dixisset.* Joh. cap. 20: vers. 18. Antea venerat ad Petrum & Joannem, nunc venit ad discipulos, ante lacrimabunda ἦρσαν τ̀ κύριον, nunc gaudii plena, ἑώρακα τ̀ κύριον, ipsis tamen adhuc πενθοῦσι καὶ κλαίουσι. Marc. 16: vers. 10.

§. 63. Sed ubi manent aliæ mulieres, quibus dixerant Angeli. *Ite cito, dicite discipulis,* ὅτι ἠγέρθη? Etiam illæ ἔδραμον ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς. Matth. 28: 7. 8. Eunt omnes, & Maria & Hæ, sed Maria, viso Domino, jussa à Domino. Hæ, visis Angelis, nondum viso Domino, jussæque ab Angelis. Maria ivit tota πληροφορηθεῖσα. Hæ eunt, ταχὺ quidem, & μετὰ χαρᾶς μεγάλης, sed & μετὰ φόβου Matth. 28: 8. εἶχε αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκστασις, καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον, ἐφοβοῦντο γάρ. Marc. 16:8. Igitur & his tremulis ἀπήντησεν ὁ Ἰησοῦς, λέγων, χαίρετε. Hæ accedentes *apprehenderunt pedes illius, & adorarunt illum.* Matth. 28: vers. 9. Dicit illis Jesus, *Ne timete. Ite nunciate fratribus meis, ut abeant in Galilæam, & ibi me videbunt.* Matth. cap. 28: vers 10. Ita tamen bonus fuit Dominus, ut nollet fratres suos eousque aspectu suo carere, quinimo aspectum sui anticipavit, & eodem adhuc die se illis videndum exhibuit.

Apparet aliis mulieribus.

§. 64. Venit *Maria*, nunciat visa & audita. Sed quid discipuli? Illi *audientes*, ὅτι ζῇ, καὶ ἐθεάθη ὑπ' αὐτῆς, ἠπίστησαν *non crediderunt.* Marc. 16: 11. Veniunt & aliæ, sed & illarum *verba* ἐφάνησαν ἐνώπιον αὐτῶν ὡσεὶ λῆρος *visa sunt coram illis, ut nugæ.* Luc. 24: vers. 11. Adeo etiamnum ἡ καρδία αὐτῶν ἦν πεπωρωμένη Marc. 6: 52. dicique illis potuit, ἔτι πεπωρωμένην ἔχετε τ̀ καρδίαν ὑμῶν? Marc. 8: 17.

§. 65. Ideo ut illorum ἀπιστίαν curaret Dominus, etiam sub illorum conspectum venire voluit. Petrus sine dubio & Johannes, è quo à sepulchro reversi sunt, ferventissimè videre Dominum desiderarunt, ut viderent extra sepulchrum, cujus corpus non invenerant in sepulcho. *Simon Petrus* omnium Apostolorum primus est, cui Dominus apparuit. Hinc duobus de *Emmaus* redeuntibus dicunt οἱ ἕνδεκα ἠγέρθη ὁ κύριος, καὶ ὤφθη σίμωνι Luc. cap. 24: vers. 34. & 1 Cor. 15: vers. 4: 5. *Dominus excitatus est, & visus est Cephæ, deinde* τοῖς δώδεκα. Ergo Simoni visus antequam τοῖς δώδεκα; quod factum est *sero primæ Sabbatorum.* Joh. 20: 19. Et antequam duo illi de Emmaus redirent, jam visus erat Simoni. Ergo maturè, *primâ Sabbatorum* oportet Simoni ut apparuerit. *Ubi* verò, & quid dixerit Simoni, proditum non est.

Apparet Petro.

§. 66. *Post hæc duobus ex illis ambulantibus manifestatus est,* ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ *in alia forma*, habitu & amictu, quàm Mariæ in horto, *vadentibus in agrum.* Marc. cap. 16: vers. 12. & quidem in *vicum* Ἐμμαοὺς Luc. cap. 24: vers. 13. *Emmaus* oppidum fuit, cujus Josephus meminit lib. 14. ἀρχαιολ. cap. 18. Post captam Hierusalem *Nicopolis* dictum. Sozom. lib. 5. histor. Eccl. cap. 21. *distitit stadiis sexaginta a Jerusalem* Luc. cap. 24: vers. 13. hoc est, uno milliari Germanico cum una tertia. Intelligenda enim sunt στάδια vel στάδιοι Eratosthenis, quorum circiter 45 unum dicuntur facere milliare Germanicum. Ptolemaica stadia, quorum 33 unum milliare Germanicum efficiunt, tempore illo necdum, sed sub Adriano demum Imperatore, qui annis 125 serius Christo nato

Postea duobus viatoribus.

imperavit, introducta fuere. Joseph. lib. 7: bel. Judaici c. 26. *triginta stadiorum intervallum inter Hierosolymam & Emaunta* ponit. videtur error in numeri characterem irrepsisse.

§. 67. Uni horum nomen fuit κλεόπας. Luc. 24: 18. confer Joh. 19: 25. Alterum *Nathanaelem* alii; alii verò ipsum *Lucam* fuisse conjectant. Non fuerunt hi duo è numero τῶν δώδεκα, nam illos invenerunt reduces συνηθροισμένους *in Ierusalem* Luc. 24: 33. sed è *discipulis*, quos Jesus habuit complures. confer 1 Cor. 15: 6. certè fuerunt fideles Domino, & omninò addicti.

§. 68. In via adest Jesus, καὶ συνεπορεύετο αὐτοῖς Luc. 24: 15. Illi autem *illum non cognoverunt.* Ita & Magdalena. Sed unde hoc? num alius factus erat Jesus? num lineamenta oris mutaverat? num corpus aliam staturam induerat? minimè. *Oculi illorum tenebantur, ne agnoscerent illum.* Luc. 24: ♈. 16. Deus impedimentum posuit, ut ne Jesum agnoscerent. E cæcis potest Deus facere βλέποντας. Videntes potest percutere cæcitate, ut Sodomitas. Genes. 19. & Syros. 2 Reg. 6: 15 – 18. Etiam ita continere lumina oculorum potest, ut, quod vident, non videant, & sensus omnes, ut, quod sentiunt, non sentiant.

§. 69. A Jesu rogati dicunt, se de *Iesu Nazareno* loqui, *viro Prophetâ, potente in opere & sermone Deo, & hominibus.* Illum *crucifixum*, & *in judicium mortis traditum.* Se autem *sperasse*, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ. Luc. 24: 19. 20. 21. Satis oscitanter boni hi loquuntur. Subindicant *mortem* Jesu pugnare cum *redemtione.* Cum redemtio sit in morte. Aliam videntur somniare λύτρωσιν, quàm adduxit Christus; terrestrem nimirum & temporalem; nec cogitare de vera, spirituali & æterna, de qua est Es. 52: 3. לֹא בְכֶסֶף תִּגָּאֵלוּ confer 1 Petr. 1: 18. 19. Ita & ignoranter valde inquirunt de *Regno* discipuli. Act. 1: 6.

§. 70. Jesus loquentes tandem interrumpit. *O amentes*, inquit, *& tardi corde ad credendum Prophetis.* Luc. 24: 25. confer Matth. 15: 16. ἀκμὴν καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε. confer Gal. 3: 1. Magna cordis tarditas est, non intelligere *sermonem Propheticum*, qui est ὡς λύχνος φαίνων ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ. 2 Petr. 1: 19. Docet, *Christum decuisse hæc pati, & in gloriam intrare.* Luc. 24: 26. Passiones præcedunt. Gloria sequitur, de utrisque, παθήμασι & δόξαις *scrutati sunt, & quæsiverunt Prophetæ.* 1 Petr. 1: 10. 11. Ex quibus, *incipiens à Mose*, & percurrens *omnes Prophetas, interpretatus est illis* τὰ περὶ αὐτοῦ. Luc. 24: 27. Excellentissima hæc fuit concio, eodem Spiritu explicavit Prophetias, quo illas olim inspiravit. Etiam Paulus gloriatur, se nil dixisse *extra Mosen & Prophetas de paßione* Christi & *resurrectione.* Actor. 26: 22. 23. Certè totum *Evangelium* de Filio Dei *ante promissum est per Prophetas in Scripturis sacris.* Rom. 1: 2. confer 3: 21. 16: 26. 1 Cor. 15: vers. 3. 4. Joh. 5: 39. 46.

§. 71. Hos inter sermones in vicum perveniunt. Rogatus Jesus, εἰσῆλθε τοῦ μεῖναι σὺν αὐτοῖς. Luc. 24: 29. Cumque *discumberet cum illis*, in *fractione & distributione* panis, *agnitus* est ab illis. *Aperti sunt oculi illorum*, qui hactenus fuerant retenti, *& agnoverunt illum.* Luc. cap. 24: 30. 31. Ita Dominus tenere potest oculos & aperire. Jesus autem ἄφαντος ἐγένετο ἀπ᾽ αὐτῶν, *factus est coram illis inconspicuus.* Luc. 24: 31. hoc est, subito abiit ab illis & discessit. Vetus, *evanuit*, sed, ut notat Erasmus, *Evanescendi verbum corpori manenti parum aptè tribuitur.* Ipsi autem confestim Hierosolymam reversi narrarunt hæc Apostolis. Luc. 24: 33 – 35.

Apparet duodecim Apostolis. §. 72. *Quum serum esset, ipso illo die prima Sabbatorum, & foribus clausis, ubi erant discipuli coacti, ob metum Iudæorum, venit Iesus,* καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον *& stetit in medium.*

dium. Joh. 20: 19. Lucas, ταῦτα ἢ αὐτῶν λαλούντων, αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἔστη ἐν μέσῳ αὐτῶν. vespere, fonbus clausis.
Necdum absolverant loqui Emauntini, & Jesus adest. *Serum* autem erat. Jam in Emmaus dixerant, πρὸς ἑσπέραν ἐστί, καὶ κέκλικεν ἡ ἡμέρα. Luc. 24: 29. Intercesserat cœna, reditus, adventus ad Apostolos. Erant autem *fores clausæ*, ut securè liceret illis agere præ Judæis hostibus. *Iesus venit, & stetit in medium.* Accessit, intravit, progressus est, donec inter medios consisteret. Ita & apud Xenoph. pœd. libr. 4. in init, στὰς εἰς τὸ μέσον, non notat, *stans in medio*, sed *quum constitisset in medium*, hoc est, in medium usque progressus esset. Non docet Johannes, Christum foribus manentibus clausis, per medias fores venisse, & subitò in medio stetisse; sed *venisse*, hoc est, intrasse, *& in medium stetisse*, hoc est, in medium usque progressum esse, & ibi gradum fixisse. Joannes Lucam explicat, ἔστη ἐν μέσῳ, quomodo? veniens, progressus εἰς τὸ μέσον usque, ἐν τῷ μέσῳ *in medio* discipulorum substitit, ibique loqui ad illos cœpit. Quomodo autem intravit? nemo legitur illi aperuisse? certè nec opus fuit, ἡ πύλη αὐτομάτη ἠνοίχθη αὐτῷ; ut *ferrea* illa Petro, per quam transiit Petrus, nil advertentibus custodibus. Act. 12: 10. Janua subitò se aperuit, haut sentientibus discipulis. Eidem Petro, cum in τηρήσει δημοσίᾳ esset Hierosolymæ, *noctu Angelus*, ἤνοιξε τὰς θύρας τῆς φυλακῆς, & eduxit, haut observantibus vigilibus. Imò τὸ δεσμωτήριον *inveniebatur clausum* ἐν πάσῃ ἀσφαλείᾳ & φύλακες ἔξω ἑστῶτες πρὸ τῶν θυρῶν. Actor. cap. 5: vers. 19. 23. Si non placet autem dicere fores apertas potente jussu, quid vetat dicere, Christum unà ingressum, cum duo discipuli de Emmaus ingressi sunt, & ita ingressum, ut teneret illorum oculos, ne ingredi illum unà viderent; & aures, ne ingredi illum audirent? Nam brevi post illos adfuit, adhuc *illis loquentibus*. Certè haut statuendum est cum Bellarmino, *Patres*, inquit, *communi consensu agnoscunt miraculum in eo, quod Dominus corpus suum solidum per aliud solidum introduxerit.* Tom. 2. Controv. tertia de Euchar. lib. 3: 6. Citat Hilarii verba. *Cedit ad hæc & sensus & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti.* Neque cum Andrea Osiandro, qui ad verba, *Et fores essent clausæ*, ita notat. *Innuunt hæ circumstantiæ, Christum per januam clausam ad discipulos ingressum esse, unde discipuli perterriti spectrum* seu *spiritum se videre putabant. Non enim verisimile ipsis videbatur, hominem verum clausis manentibus Ianuis ad ipsos intrare potuisse.* Non est fingendum miraculum, ubi miraculum non est. Non datur penetratio dimensionum. Miracula vera superant, non evertunt sanam rationem. Discipuli putabant πνεῦμα θεωρεῖν, non quod ratiocinarentur, objectum id, quod ante ipsos, si verus sit homo, per fores clausas intrare non potuisse, ut fingit Osiander; quamvis si id cogitarunt, rectè cogitarunt, sed quia Christum ita subitò, nemine illorum illi aperiente, illisque alia agentibus & cogitantibus, in medio illorum stare videbant, judicabant, pro ἀσυνεσίᾳ illorum, *spiritum se videre.* Oportuit certè, ut sacrosanctum Christi corpus aquâ fuerit liquidius, & nubibus subtilius, si per medias fores, & per clausam intravit januam. Verissimum est, quod dicit scriptor quæstionum & responsionum ad Orthodoxos quæst. 107. οὐ κατὰ τροπὴν τοῦ σώματος εἰς τὸ πνεῦμα ἐποίησεν εἰς αὐτοὺς τὴν εἴσοδον. Item. εἰσελθεῖν πρὸς τοὺς ἀποστόλους ἐν ἀτρέπτῳ σώματι θυρῶν κεκλεισμένων, quæ verba à doctis viris passim citata sunt.

§. 73. Primum, quod pronunciavit in cœtu suorum, verbum, fuit, Εἰρήνη ὑμῖν Luc. 24: vers. 36. Joh. 10: 19. *Princeps pacis, qui pacem reliquit, & pacem suam dat* Joh. 14: vers. 27. de *pace* incipit. Id verè est, ut dicitur Ephes. 2: 17. καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν. Miseri hi, cum *pace* oblata gaudere debuissent, πτοηθέντες καὶ ἔμφοβοι facti, Sermo Christi ad discipulos.

Eti, putabant Spiritum videre. Luc. 24: 37. Quid tremunt, nonne promiserat Dominus se resurrecturum? nonne mulieres, nonne duo viatores viderant, nunciarant resuscitatum? cur non gaudent potius, recuperantes amissum? Sed quod ita subitò & præter spem adest, ipse viam sibi facit, intrat nemine aperiente, id illos terret; putant *spiritum* adesse, quorum est sine strepitu, & apertura corporum, & derepente venire. Sed quanta & hæc oscitantia? num *spiritus* potest videri? Et ecce ut errorem illorum refellit Dominus? *monstravit eis manus suas & latus suum*, Joh. cap. 20: vers. 20. τὸ τύπον τῶν ἥλων ἐν ταῖς χερσὶν *locum clavorum in manibus*, & locum vulneris *in latere*. ibidem vers. 25. Jubet. *Videte manus meas & pedes meos*, diligentius illos aspicite & intuemini, noscite, ὅτι αὐτὸς ἐγώ εἰμι, *quod ipse ego sum*, qui tamdiu in terra vobiscum vixi, qui cruci affixus, & in sepulchrum conditus fui, & nunc vestro bono resurrexi. Imò quod magis est, ψηλαφήσατέ *me*, inquit, palpate me & attrectate manibus, porrigite digitos, & manum in latus injicite. (Joh. cap. 20: vers. 27.) Id verè est, quod dicitur, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν 1 Joh. cap. 1: vers. 1. Addit prægnantem rationem, πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα. Luc. cap. 24: vers. 39. Æterna veritas est. *Spiritus carnem non habet.* Spiritus & caro diversæ sunt substantiæ & naturæ; suntque opposita. Es. cap. 31: vers. 3. *Equi Ægyptiorum* בָּשָׂר וְלֹא רוּחַ *caro & non spiritus.* Doceamur igitur, carnem Christi post resurrectionem non aliam induisse naturam, quàm ante resurrectionem habuit. Carne constitit & ossibus humanum illius corpus, & constabit in æternum.

Edit cum discipulis. §. 74. *Adhuc* ἀπιστούντων ἀπὸ τῆς χαρᾶς, καὶ θαυμαζόντων, præ excessivo *gaudio* adhuc *hæsitant, & mirantur.* Luc. 24: 41. Quanta ὀλιγοπιστία & ἄγνοια? Dominus ut plenè convincat illos, rogat, ἔχετέ τι βρώσιμον ἐνθάδε. Luc. 24: 41. *dederunt illi à pisce assato, & ex apiario favo.* ibidem vers. 42. *Accepit & edit coram illis.* ibidem vers. 43. Quomodo nunc dubitare amplius poterant, an verus sit homo, qui coram illis stet. Spiritus cibos capere non potest. Dicere nunc potuerunt, συνεφάγομεν αὐτῷ. Actor. capite 10. vers. 41.

Sermonem continuat. §. 75. Incredulis ita convictis, ἐχάρησαν οὖν ἰδόντες τὸν κύριον Joh. 20: 20. iterum dixit, *Pax vobis.* Joh. 20: 21. Silius. *Pax optima rerum, quas homini novisse datum est, pax una triumphis innumeris potior, pax custodire salutem, & cives æquare potens*, &c. Ita loquitur Poëta de *pace, quam mundus dat.* Quale non elogium meretur *pax, quam* Christus *dat* Joh. 14: 27. Id nim. quod est Phil. 4: 7. ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, & φρουρήσει τὰς καρδίας καὶ τὰ νοήματα ἡμῶν.

§. 76. Addidit. *Ut me misit Pater, & ego mitto vos.* Joh. 20: 21. Missus erat à Patre. Galat. 4: 4. Joh. 3: 34. 10: 36. Es. 61: 1. 48: 16. Zach. 2: ℣. 13. Discipuli mittuntur ab ipso. confer Matth. 10: 16. Luc. 10: 3. *jus* habebat mittendi. *Ad hoc enim mortuus est, & resurrexit & revixit, ut mortuis & vivis dominetur.* Rom. cap. 14: vers. 9. *Necessum* fuit, ut mitteret, *quomodo prædicassent, nisi missi fuissent?* Rom. cap. 10: vers. 15. *Pax* debuit promulgari. Ergo Præcones pacis in totum mundum mitti, ut ita dici posset, *quam suaves in montibus pedes annunciantium pacem!* Es. 52: 7. Rom. cap. 10: vers. 15. Non venerunt Apostoli ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ Joh. 5: 43. sed ejus, qui misit illos. confer Actor. 4: vers. 10.

Insufflat. §. 77. Imò & ἐνεφύσησε *insufflavit* in Apostolos, & dixit, *accipite Spiritum Sanctum* Joh. cap. 20: vers 22. *Sufflavit*, quia *Spiritus*, quem promittit, *flatus* instar operatur. Joh. 3: 8. quia cum *flatu* magno descensurus erat in illos. Actor. 2: 2. Hunc Spiritum acce-

acceperunt *haut post multos dies.* Actor. 1: vers. 5. De *Adamo* dicitur Genes. 2: vers. 7. וַיִּפַּח בְּאַפָּיו נִשְׁמַת חַיִּים *& insufflavit in nasum ejus halitum vitæ.* Ita factus est Adam *in animam viventem.* Salutarior hic flatus; symbolum advenientis Spiritus Paracleti, quo simus & obsignamur in *filios Dei.* Actionem hanc Christi perverse olim imitati sunt Anabaptistæ Monasterienses, qui per plateas insanientium instar discursitantes, se invicem afflarunt, abusi his verbis, *Accipite Spiritum.*

§. 78. *Si quorum peccata remiseritis, remittuntur eis, si quorum retineatis, retinentur.* Ioh. 20: 23. *Remissio peccatorum* est inter maxima Christi beneficia. Ephes. 1: 7. Col. 1: 14. Illa *in nomine ejus annunciari* debuit εἰς πάντα τὰ ἔθνη. Luc. 24: 47. Actor. 13: 38. Illam *præcepit* Apostolis κηρύξαι τῷ λαῷ Act. 10: 42. 43. Dedit illis insuper *Spiritum S.* & illius illos *induit virtute* (Luc. 24: 49.) ut movente & *docente illo* (*docuit* enim *illos omnia* Ioh. 14: 26.) scirent, quibus *peccata remittere*, hoc est, remissionem in sanguine Christi applicare; quibus *peccata retinere*, hoc est, nunciare, quod non habeant μερίδα in Christo, & in remissione ab illo parta, deberent. Ita certè remissa fuerunt peccata, quibus remiserunt; & retenta, quibus retinuerunt. Spiritus enim Paracletus, qui *duxit illos in omnem veritatem* Ioh. 16: 13. non sivit illos aut temerè remittere, aut peccata temerè alicui retinere. *Remittere peccata* solius propriè *Dei* est, Psalm. 103: 3. *qui remittit omnes pravitates tuas.* Psalm. 130: 4. *Tecum est remissio.* Non errabant Pharisæi, dicentes, *Quis potest peccata remittere*, εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. Marc. 2: 7. Sed *Apostolis* Deus noster Jesus Christus remittendi peccata & retinendi dedit potestatem, ut illa uterentur *in Spiritu promissionis Sancto*, & illam *annunciarent* ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ *in nomine* Jesu. Luc. 24: 47. confer Act. 10: 43. Conveniunt cum his verbis Christi ea, quæ dixit Petro Matth. 16: 19. *Dabo tibi claves regni cælorum, quod ligaveris in terra, & solveris, ligatum erit & solutum in cælis.* Remittere peccata est *solvere*. Retinere est *ligare*. Non hoc privilegium est Petro datum, ut privum & ἴδιον; sed, ut hic videmus, omnibus commune est Apostolis, id quod & liquet è Matth. 18: 18. Dat illis potestatem remittendi peccata & retinendi.

§. 79. Hæc eminentia, quam Apostolis suis largitur, etiam *Ecclesiæ* toti largitus est, Matth. 18: 17. 18. adeò ut etiamnum, quibus peccata remisent Ecclesia, eis sint remissa, & sic porrò. Subest tamen differentia. In Apostolis excelluit donum διακρίσεως, erant instructi dono infallibilitatis in dijudicandis rebus Dei & probandis spiritibus. Id non ita est nunc in Ecclesia. Ideò subintelligenda conditio. Quorum remiserit & retinuerit peccata Ecclesia, in bona conscientia, non ex humana infirmitate aut præoccupatione, secundùm regulam fidei, & normam Scripturæ sacræ, iis certissimè remissa sunt peccata & retenta. Si autem prævaleat in tali judicio, aut error, aut inscitia, aut malitia, aut præoccupata opinio, aut odium carnale; si desit legitima δοκιμασία, exploratio, probatio, charitas, nulla est neque remissio, neque retentio. Frustra terret nos Papa excommunicationibus, non remittit, nec retinet peccata, secundùm verbum Dei, regulam fidei, integritatem conscientiæ. Qua etiam gaudet Ecclesia.

§. 80. Tunc & *aperuit* discipulis *mentem* τοῦ συνιέναι τὰς γραφὰς *ut intelligerent Scripturas* Luc. 24: 45. ut, quæ de passionibus & gloriis Domini in illis scripta erant, viderent & agnoscerent in Christo verissimè esse impleta & adhuc implenda. Id quod hactenus nondum intellexerant. Ioh. 20: 9. οὐδέπω γὰρ ᾔδεισαν τὴν γραφήν. non enim ita stupuissent, nec dubitassent, nec hæsissent, si intellexissent. Et ut *potentes* essent è Scripturis demonstrare Jesum Christum, ἄρτιοι, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένοι. 2 Tim. 3: vers. 17. Aperuit illis mentem intelligendi Scripturas.

§. 81. De hac apparitione Paulus 1 Cor. 15: 5. *Visus est Cephæ*, εἶτα τοῖς δώδεκα *deinde duodecim*, dicuntur δώδεκα, cùm tantùm essent ἕνδεκα, ab antiquo illorum numero. Nuncque demum plenissime resurrexisse Christus dicendus est visus à mulieribus, imò à discipulis, & ab illis agnitus, creditus, acceptus. Mortuo videbatur similis, quamdiu à suis quærebatur; & ab iis, num resurrexisset, dubitatur. *Introductus* igitur nunc *rursum Primogenitus* εἰς τὴν οἰκουμένην. Hebr. 1: 6.

Absfuit Thomas. §. 82. Absfuit *Thomas* ὅτε ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς Joh. 20: 24. Dixerunt illi *alii discipuli. Vidimus Dominum*. Joh. 20: 25. Sed non credidit. Ita certatum quasi incredulitate. Mulieribus Apostoli non crediderant. Luc. 24: 11. Apostolis non credit Thomas. Meritò Christus ὠνείδισε τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν καὶ σκληροκαρδίαν Marc. 16: verf. 14. Adfuerunt etiam *Emauntini*. Luc. 24: 36.

§. 83. Resurrexisse Christum custodes eodem die Pontificibus nunciarunt. Sed corrupti largitionibus dixerunt, *Furati illum sunt discipuli noctu, nobis dormientibus*. καὶ διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος παρὰ Ἰουδαίοις μέχρι τῆς σήμερον. Matth. 28: 11 – 15.

Octiduo post rursum illos visitat, adest Thomas. §. 84. Elapso octiduo rursum visitat Discipulos. Aderat tunc incredulus Thomas, ostendit illi perfossas manus, & compunctum latus. Vincitur tandem illius ἀπιστία, & alta voce clamat, ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου *Dominus meus & Deus meus*, subintellige, es tu. Joh. 20: 26. 27. 28. Adeo & nunc discamus, Jesum esse Dominum, verumque Deum. Memorabile est, quod Thomæ, nunc credenti, dicit. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Beati, qui non viderunt, & crediderunt* Joh. 20: 29. Imperfecta fides est, quæ sensibus nititur. ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει. Rom. 8: 24. τί καὶ πιστεύει confer Hebr. 11: verf. 1.

Apparet Jacobo. §. 85. Ut seorsum Petro, ita & ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ *deinde visus est Iacobo* 1 Cor. 15: 7. Incertum cui, an filio *Zebedæi*, an *Alphæi*? Vulgo putatur is fuisse Jacobus Zebedæi, frater Iohannis; imò scripserunt nonnulli Patres, illum cibum capere non voluisse, nisi prius Jesum vidisset resuscitatum; qua de re canit Georgius Fabricius, in carmine de reditu Christi glorioso in vitam, *& nisi vidisses Dominum, Iacobe, negaras, (ut perhibent) ullas sumere velle dapes*; sed annon & de Iacobo dici potest, quod dictum est de aliis, οὐδέπω ᾔδει τὴν γραφὴν, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι. Ioh. 20: 9.

Apparuit discipulis in monte quodam Galilææ. §. 86. Sed & in *Galilæa*, ut dictum, spectari à suis voluit Dominus. Illuc igitur οἱ ἕνδεκα ἐπορεύθησαν *profecti sunt undecim, in montem*, οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς de *quo præceperat in illis Jesus*. Matth. 28: 16. Hujus nec montis nomen, nec mandatum in illum ascendendi ullibi in sacris pluribus expressum occurrit. Ponamus autem in hoc monte dicta illa, quæ leguntur Matth. 28: 18 – 20. Marc. 16: 15 – 20.

Locus Matth. 28: 18. §. 87. *Et accedens Iesus locutus est illis*. Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. Matth. 28: 18. Ἐξουσία est *potestas* agendi pro arbitrio, nixa potentia & jure. Potestas enim, quæ potentia caret, est umbra tantùm potestatis; & quæ jure, illegitima est. Pilatus dicebat Christo, ἐξουσίαν ἔχω *Potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te*, Ioh. 19: 10. non carebat illa potentia; nam actu deinceps potestate illa usus est. Sed *jure*, quia injustè usus est. Pontifices rogabant Jesum, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς, καὶ τίς σοι ἔδωκε τὴν ἐξουσίαν ταύτην, Matth. 21: 23. dubitantes de jure, quo acta Christi nitebantur, ita rogant. Etiam narratur ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους *potestas tenebrarum*. Col. 1: 13. Luc. 22: 53. qua tenebræ deinceps injustè utuntur.

§. 88. Christus ἐξουσίᾳ magna usus est dum in terris egit. *Docebat*, ὡς ἐξουσίαν ἔχων. Matth. 7: 29. Marc. 1: 22. ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ. Luc. 4: 32. ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει expel-

expellebat *immundos Spiritus* Luc. 4: 36. Populus illius miracula videns, *glorificabat Deum*, τ δόντα ἐξουσίαν τοιαύτην *hominibus*. Matth. 9: 8. Ipse dicebat Pharisæis, *Filius hominis* ἐξουσίαν ἔχει ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας Matth. 9: 6. Et Joh. 10: 18. ἐξουσίαν ἔχω *ponere & accipere animam*. Nunc dicit, *potestas omnis*, docens, post passionem & resurrectionem, omnia ipsum posse, cum jure & justitia.

§. 89. Potestas omnis ἐδόθη *data est*, inquit. confer Ioh. 5: 27. καὶ ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ 17: 2. καθὼς ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν. Etiam alia Christo leguntur *data*. Ioh. 5: 26. ἔδωκε *dedit* ipsi Pater *vitam habere in se ipso*. Hebr. 2: 13. *Ecce Ego & Filii, quos mihi* ἔδωκεν *Deus*. confer Ioh. 17: 6. οὓς δέδωκάς μοι ἐκ τοῦ κόσμου, ἐμοὶ αὐτοὺς ἔδωκας. confer vers. 7: 24. Ita & Luc. 1: 32. δώσει αὐτῷ *Deus thronum David*. Id Luc. 22: 29. dicitur, διέθετο αὐτῷ βασιλείαν, & Hebr. 1: 2. ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων.

§. 90. *Data* est Christo ante omnia tempora, patefacta in tempore, imprimis ab illo tempore, quo mortuus est, resurrexit & ascendit, ἀνέζησε γὰρ, ἵνα κυριεύσῃ Rom. 14: 9. ἀπέθανε, ἵνα οἱ ζῶντες μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι 2 Cor. 5: 15. ὑπήκοος μέχρι θανάτου, διὸ καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε. Phil. 2: 8. 9. Ab illo enim tempore utitur illa non sponsionis jure, sed solutionis; titulo meriti & positi lytri, ut igitur *gloria*, quam *ante mundum habuit*, *in tempore* est *glorificatus* Ioh. 17: 5. quia ad illam post exinanitionem gloriosissimè est exaltatus; ita & *potestas data est ipsi* in tempore, qua polluit ante tempora, quia cœpit illa uti plenissimo jure & gloriosissimo titulo in tempore. Eadem ratione, *factus est Dominus & Christus*, Actor. 2: 36. quod erat, factus est; quia insigniter patefactus est. Tunc enim propriè dicitur quid fieri, cum incipit patefieri.

§. 91. *Datam* Christo ἐξουσίαν, id non ponit Christum infra *Deum*, in rebus humanis major est, qui dat; minor, cui datur, aut qui accipit, major, qui benedicit, minor, cui benedicitur. Neque ita *data* est intelligenda ἐξουσία Christo, ut Christus ἐξουσίαν ἔδωκε Apostolis, Matth. 10: 1. & ut sanctis *dedit* ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι. Ioh. 1: 12. & ut Paulus dicit, *datam* ἐξουσίαν sibi 2 Cor. 13: 10. quibus, quæ data sunt, è gratia data sunt, & à Christo, per Christum, ac propter Christum data sunt; sed ex ipsa hac datione apparet *unitas* Patris & Filii, æqualitas, & infinita Filii dignitas, ac meriti excellentia. *Data* est illi, ut qui sine ἁρπαγμῷ potuit accipere. *Data* est illi, ut qui fuit ἄξιος *dignus* accipere. Apoc. 5: 9. 12. *Dedit illi* Pater, nec *à se alienavit*, nec *alii gloriam suam* & potestatem, & *gloriationem* dedit. Es. 42: 8. Quantus est *hic*, cui ab æterno data est, & in tempore per gloriosam patefactionem collata est, *potestas*, imò *omnis* potestas, imò in omni loco exercenda potestas, *in cœlo*, *& in terra*. Ni *unum* cum Patre esset *Filius*, ἴσα θεῷ, illa ipsi potestas data non esset.

§. 92. Data est *mihi*. θεανθρώπῳ, Mediatori, Sacerdoti per passiones consummato, Principi salutis unico. Data est illi, qua *Deo*; quia Deo Filio in carne manifestato, infra Deum minorato omnis gloria, quam mirabili dispensatione ad tempus abscondit, omnisque majestas, publicis argumentis rediit, & omnium oculis monstrata ac declarata est, quod habebat, datum est illi, quo gaudebat, collatum est illi, gloria, quam habebat, glorificatus est, justitia, quæ in illo, justificatus est. Qua *homini*; quia natura humana, personaliter Deo Filio unita, in unitatem personæ assumta, ad communionem gloriæ & potestatis, qua divinitas gaudet, est evecta; non quod facta sit omnipotens, aut omnipræsens, aut omniscia; sed quod in Deo, cum Deo, per Deum mirabiliter est operosa, excellentissimè gloriosa, regnans, agens, vivens in secula.

§. 93. Da-

§. 93. Data est Mihi omnis potestas *in cœlo*, ut quæ in cælis sunt, omnia mea sint, egoque illis ut meis, uti possim. Cum Patre & Filio est in cœlo *Spiritus Sanctus*; sunt *Angeli*; sunt denique *Spiritus justorum consummatorum*. Data est θεανθρώπῳ potestas effundendi *Spiritum promissionis Sanctum* Actor. 2: 33. Data est potestas, *mittendi Angelos*, in διακονίαν suorum. Data est potestas, *ea quæ sunt in cælo recapitulandi* cum eis, quæ *in terra*. Ephes. 1: 18. Ita in cœlo potest omnia. Imò & data est ipsi potestas, *parandi* ibi suis *locum*, *& assumendi* illos *ad se* Joh. 14: 2. 3. πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. Imò & in cœlo gaudet *potestate* ac jure παρακλήτου, & *Intercessoris*. 1 Ioh. 2: 1. Rom. 8: 34. Hebr. 7: vers. 25.

§. 94. Imò & *in terra*. *Posuisti omnia sub pedibus ejus*, Psalm. 8: 7. habet ἐξουσίαν πάσης σαρκός Ioh. 17: 2. *habet* ἐξουσίαν κρίσιν ποιεῖν, *quia filius hominis est*, Ioh. 5: 27. confer Actor. 10: 42. *dominatur vivis & mortuis* Rom. 14: 9. מַלְכוּתוֹ בַּכֹּל מָשָׁלָה Psalm. 103: 19. *Occidit & vivificat, percutit & sanat*. Deuter. 32: 19. confer Ioh. 5: 21. 22. Ecclesiam in terra fert, docet, protegit, regit. Solus est illius caput, solus Petra, solus Rector, Legislator, Dominus. Mundum redarguit, punit, cogit. Imperia transfert, & stabilit. Imaginem *ferream*, *luteam*, *æneam*, *argenteam*, *auream frangit & comminuit*. Dan. 2: 45. *Franges illos sceptro ferreo; ut vas figuli dissilire illos facies*. Psalm. 2: 9. Adeoque ἐξουσίᾳ, quam accepit, utitur & εἰς οἰκοδομὴν ac σωτηρίαν sanctorum; & ad καθαίρεσιν & κατάκρισιν improborum. (2 Cor. 13: 10.)

§. 95. Satanas Tentator mentiebatur olim, σοὶ δώσω τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἅπασαν Luc. 4: 6. Illum merito repulit. A Patre enim data est ipsi ἐξουσία πᾶσα; quam jure tenet, & in secula possidet. Propter illam dicamus illi è Iud. vers. 25. soli *sapienti Deo*, σωτῆρι ἡμῶν, δόξα καὶ ἐξουσία. confer Apoc. 12: 10. *exstitit* ἡ ἐξουσία τοῦ χριστοῦ αὐτοῦ.

Abusus hujus loci. §. 96. Lutherani hoc loco utuntur ad probandum, *omnipotentiam* realiter communicatam humanæ naturæ Christi; ut & dicunt, *omniscientiam*, *omnipræsentiam*, *vim vivificandi*. Atqui quomodo *proprietates divinæ naturæ*, quæ uni illi & soli conveniunt, communicari possint humanæ, non capimus. Deinde &, ut vulgo dicitur, proprietates Dei sunt ipse Deus, seu ipsa Dei essentia. Atqui caro Christi potuit fieri caro Dei, non Deus ipse. Ita autem ex hoc loco argumentantur. *Humanæ naturæ Christi est data omnis potestas in &c. Ergo ei data est simul inhærens omnipotentia*. Respondetur. Sequela nulla est, unita cum λόγῳ gaudet eadem potestate & gloria; non tamen eadem omnipotentia, ut nec eadem æternitate & essentia. Omnipotentia est proprietas infinita naturæ infinitæ, cujus non est capax humana finita; nam è natura in tempore creata facere infinitam æquè contradictorium est, quam ex eadem facere æternam. Perguni. *Christo omnis potestas data, aut qua Deus, aut qua homo. Non qua Deus; quia habet per se omnem potestatem, nec ulla illi potestas addi potest. Ergo qua homo.* Respondeo. Ineptum sophisma. *Potestas omnis* non dari potest nisi Deo, dum dicitur illi, qua Deo, data, non dicitur, divinæ illius naturæ aliquid additum, sed æterna illius & infinita ἀξιότης *dignitas* indicatur. Data est omnis potestas Christo Deo, h. e. dignus judicatus est & declaratus potestate omni, quæ vi naturæ æternæ ipsi propria est, fungi fruique, titulo Dei, titulo Creatoris, titulo Mediatoris, titulo Redemtoris.

§. 97. Pro potestate data, jubet Apostolos *ire*, *discipulos facere omnes gentes*. Matth. 28: 19. *Omnes*. est κύριος πάντων. Rom. 10: 12. Mortuus est *pro omnibus*. *Gentes*. nam & illæ datæ illi *hæreditas* Psalm. 2: 8. & in illo *benedicuntur*. Genes. 22: 17. confer Ioh. 10: 16. 11: 52. Imò *baptizare*, Matth. 28: 19. non circumcidere, aut ad servitutem Mosaicam obligare. Denique *docere illas*, τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετείλατο. Matth. 28: 20.

adeo-

adeoque libertatem, fidem, charitatem, spem, justitiam è fide illis commendare.

§. 98. Insignem addit promissionem. *Et ecce, ego vobiscum sum omnes dies, usque ad consummationem seculi.* Matth. cap. 28: vers. 20. Est cum Apostolis, est cum Ecclesia ad finem usque mundi. Paulò ante mortem dixerat. *Me non semper habetis.* Matth. cap. 26: vers. 11. Nunc dicit. *Ego vobiscum semper.* Non habemus eum hominem in terra, manibus illum non possumus palpare, non digito monstrare, nec dicere, ἰδὲ, ὧδε ὁ χριστὸς, ἢ ὧδε, quod dicere est *Pseudo Christorum & Pseudoprophetarum.* Matth. cap. 24: vers. 23. 24. Et tamen habemus eum nobiscum, non reliquit nos orphanos. Est verus Deus, *non procul abest ab unoquoque nostrum.* Actor. cap. 17: vers. 27. Est verus Redemtor, semper vivit, *ut pro nobis intercedat.* Hebr. cap. 7: vers. 25. *Spiritum suum in corda nostra mittit.* Galat. cap. 4: vers. 6. nova nos cottidie gratiâ cumulat. Doctrina verbumque illius πλουσίως *in nobis habitat.* Baptizamur in illius nomen. Cœnam facimus in illius ἀνάμνησιν. *Manducamus* illius *carnem, bibimus illius sanguinem, nos manemus in illo. Ille in nobis.* Joh. cap. 6: vers. 56. Est ergo verè *nobiscum.* Est, ubi non est. Non est, ubi est. Augustinus Tract. 50. in Joh. 5. *Secundùm majestatem suam, secundùm providentiam, secundùm ineffabilem gratiam impletur, quod ab eo dictum est*, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. *Secundùm carnem vero, quam verbum assumsit, secundùm id, quod de Virgine natus est, secundùm quod a Judæis prehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis involutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus*, non semper me habebitis vobiscum. *Quare? quoniam conversatus est secundùm corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis, & eis deducentibus, videndo, non sequendo, ascendit in cœlum & non est hic. Ibi est enim, sedet ad dexteram Dei. Et hic est, non enim recessit præsentia majestatis.*

Promissio Christi.

§. 99. Etiam hoc loco abutuntur Lutherani, ut probent *corpus Christi ubique esse.* Dicunt, Christus dicit, *ego sum vobiscum omnibus diebus. Ergo secundum utramque naturam nobis præsens est; & corpus ejus ubique.* Eadem ratione diceres. Christus dicit, *ego sum, antequam Abraam esset. Ergo secundùm utramque naturam est*, antequam Abraam; & corpus ejus æternum. Joh. 8: 58. Quantus error! corpus, quod *reliquit mundum* Joh. 16: ℣. 28. quod *tenet cælum* Act. 3: 21. quod *redibit* è cælo Act. 1: 11. quod nullibi videmus, audimus, palpamus, sentimus, nobiscum in terra est.

§. 100. Porrò promisit Dominus. *Signa credentes hæc insequentur. In nomine meo dæmonia ejicient; novis linguis loquentur. Serpentes tollent; etiamsi letiferum quid bibant, non lædet illos; super infirmos manus ponent, & meliuscule habebunt.* Marc. 16: ℣. 17. 18. Talia evenisse, acta nos docebunt Apostolorum.

§. 101. *Post hæc manifestavit se rursus Jesus* ἐπὶ τῆς θαλάσσης Τιβεριάδος *ad mare Tiberiadis* Joh. cap. 21: vers. 1. quod *mare Galilææ* dicitur Joh. cap. 6: vers. 1. non omnibus quidem *discipulis*, sed *Petro, Thomæ, & Zebedæis*, etiam *Natanaeli*, (sincero illi Israëlitæ, Joh. cap. 1: vers. 48) & *aliis duobus*, Joh. cap. 21: vers. 2. iverant illi piscatum. Honestum est sanctos ἐργάζεσθαι. *Illa nocte ceperunt nihil.* Johan. cap. 21: vers. 3. *Manè in littore stat Jesus*, non tamen illis agnitus vers. 4. Interjacens forsan id effecit spatium. Inclamat illos, *numquid obsonium habetis?* vers. 5. Negantibus illis, *jubet rete ad dexteram navigii partem ejicere*, & εὑρήσετε inquit vers. 6. *Ejiciunt, & non amplius trahere illud poterunt à multitudine piscium.* ℣. 6. Quantus hic, cui non *venti* tantùm, nec *mare* tantùm, sed & *pisces* obediunt! Agnoscit primus Jesum Johannes, *dicit Petro*, ὁ κύριός ἐστι vers. 7.

Apparitio Jesu apud mare Galilææ.

Piscatus.

vers. 7. Petrus id *audiens* prosilit *in mare.* vers. 7. tanta celeritate tendit ad Dominum. Reliqui *cum navigio veniunt* σύροντες τὸ δίκτυον. vers. 8. *Egressi in terram*, vident *prunas positas, & piscem impositum, & panem* vers. 9. Dominus prandium jam paraverat, jubet, de *captis* etiam *piscibus afferri* vers. 10. Ita trahunt *rete in terram, plenum piscibus magnis,* 153; cumque tot & *tanti* essent, *rete non erat ruptum.* vers. 11. Dominus, qui pisces dedit, etiam rete integrum servavit. Si rete rupisset, piscis evasisset. Ita inopes hi piscatores acceperunt, unde diu honestè vivere potuerunt.

Spiritualis significatio. §. 102. Spiritualis & hic animadvertatur significatio. Jubet Dominus piscari, capiunt pisces, multos & magnos, nec ruptum rete. Fecit Apostolos piscatores, etiam *hominum piscatores* Matth. 4: 19. confer Jerem. 16: 16. *Ecce ego mitto piscatores multos, & piscabuntur illos.* In hac spirituali piscatione projecerunt rete ad voluntatem Domini. Iverunt, quo misit illos Dominus; quo impulit illos Spiritus. Ceperunt *multos* pisces, lucrati sunt multas animas. Et *magnos*, converterunt rebelles, potentes & obstinatos, nec *ruptum* est *rete.* Tanto oneri non succubuerunt & labori. In terra inveniunt prandium paratum. Ita *mensam struit* Dominus *coram suis.* Psalm. 23: ℣. 5. Ederunt & de *pisce*, quem invenerunt; & de *piscibus*, quos ceperunt. Qui è Judæis crediderunt, & quos Apostoli è gentibus piscati sunt, unum in regno Dei exstiterunt convivium; unus cibus, uno igne calefacti. confer Joh. 10: 16. μία ποίμνη.

Prandium. §. 103. Advocat discipulos ad prandium. Δεῦτε ἀριστήσατε, sumit *panem; distribuit*, similiter & *de pisce* Joh. 21: 12, 13. Etiamnum dat nobis panem, & unicuique τὸ σιτομέτριον ἐν καιρῷ. Luc. 12: 42. *Nemo autem audebat discipulorum rogare*, σὺ τίς εἶ, *noscentes Dominum esse.* Joh. 21: 12. Igitur supervacaneum fuisset percunctari, & alicujus audaciæ, & πλημηρόν.

Examen Petri. §. 104. *A prandio* Petrum alloquitur, abnegatorem olim & desertorem, rogat. *Amas me magis, quam hi, Simon?* Joh. 21: 15. Tacita exprobratio, præ aliis constantiam promiserat, Matth. 26: 33. & præ aliis inconstantiam demonstraverat. *Amas me magis,* inquit, ac si dicat. Num adhuc eâ es sententiâ, te virtute præstare aliis? Modestior factus Petrus, simpliciter respondet. *Ita Domine, tu nosti*, ὅτι φιλῶ σε, non dicit πλεῖον. Rogat idem Dominus bis, imò ter: nisi quod omittit τὸ πλεῖον. Joh. cap. 21: vers. 16. 17. Ter abnegaverat Petrus. Ter rogatur. Trinam abnegationem trina quasi quæstione luit. Petrus ἐλυπήθη, *tristis factus est.* Joh. 21: 17. Animadvertit, cur ter rogaret idem Dominus. Tertia igitur vice respondet, *Domine, tu nosti omnia, tu nosti, quod amo te.* Joh. cap. 21: vers. 17. Abnegando egerat contra amorem Petrus. Ideò de amore rogandus erat, exprobrandus illi lapsus, commendandus illi constans amoris affectus. Imò, ut illum omni modo demonstraret, etiam patiendo pro amato Domino *ad sanguinem usque.*

§. 105. Ter jubet illum Dominus. *Pasce oves meas.* Joh. cap. 21: vers. 15. 16. 17. Petrus è numero erat ovium. Matth. cap. 26: vers. 31. & jubetur pascere oves. Ovis hæc *Pastor* ovium facta est, ὁ ἀρχιποίμην (1 Petr. cap. 2: vers. 25. cap. 5: vers. 4.) Petrum & *Apostolum* & *Pastorem* dedit. Ephes. cap. 4: vers. 11. Nil hic Petro præ aliis confertur Apostolis. Bellarminus. *Pasce oves, est vocabulum regium.* Non hic Rex aut Monarcha constituitur Ecclesiæ. Omnium *Apostolorum*, imò & *presbyterorum* est *pascere gregem Dei* Actor. 20: 28. 1 Petr. 5: 2. Petrus ipse dicit se συμπρεσβύτερον. 1 Pet. 5: vers. 1.

§. 106. Eodem momento martyrium Petro notificat sufferendum. *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & feret, quo non vis.* Joh. cap. 21: vers. 18.

σημαί-

σημαίνων, ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν θεόν. vers. 19. Carnifex illum cinxit, extensas manus cruci affixit. Dicit, ὅπου οὐ θέλεις. In martyrio est aliquid μὴ θελητὸν, nemo προηγουμένως vult excarnificari, nemo enim *odit carnem suam.* Ephes. 5: 29. Martyres non recusant mori, si velit Deus, sed & vellent vivere, si velit Deus. Martyrium sanctorum est *glorificatio* Dei, δοξάσει. Imò est χάρις 1 Petr. 2: 19. 20. imò χαρὰ Jac. 1: 2. præceps antea Petrus dixerat, *Paratus sum tecum in mortem ire.* Luc. 22: ℣. 23. *Animam meam pro te ponam.* Joh. 13: 37. Id ita futurum suo tempore nunc affirmat Dominus, ὅταν γηράσῃς inquit. Ergo *in senectute.* Ita Petrus, pastor ovium, ipse ut ovis jugulandus erat. Maturè illum Dominus monere, & ad mactationem præparare voluit.

§. 107. His dictis surgit Dominus, & Petrum se *sequi* jubet, ἀκολούθει μοι Joh. 21. vers. 19. (confer Joan. 13: 36.) sequitur Petrus jussus. Alter verò discipulus, *quem amabat Jesus*, sequitur injussus. Ioh. 21: 20. Petrus illum videns rogat, κύριε, οὗτος δὲ τί. Joh. 21: 21. Mihi mortem ac eventuras passiones dixisti, quæ erit sors illius? Respondet Jesus, *si illum volo manere, usque dum venio, quid ad te?* vers. 22. non rectè horum verborum mentem accepit Petrus. *Igitur sermo inter fratres exiit*, ὅτι ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος οὐκ ἀποθνήσκει, quod tamen Christus non dixit, sed, *si volo eum manere, donec veniam, quid ad te?* Joh. cap. 21: vers. 23. Dicit, donec *veniam*, non intelligit *adventum novissimum*, de quo 1 Thes. cap. 4: vers. 16. Phil. cap. 3: vers. 20. 21. Actor. cap. 1: vers. 11. Matth. cap. 26: vers. 64. sed *adventum in regno suo*, qui exstitit inde à deleta Hierosolyma, sublato altari & templo, abolitis *principibus prioris seculi*, 1 Cor. 2: vers. 6. & gentilitate ab idololatria conversa. Neque etiam Christus præcisè definit, eousque Joannem mansurum; quamvis sic evenerit; sed indefinitè loquitur, *si volo eum eousque manere, quid ad te?* Petri curiositatem mitigat. Non pertinebat ad ipsum vel scire, vel sciscitari, quousque velit Christus vivere alios, quidque eis evenire, σὺ ἀκολούθει μοι. *Tu* nunc *sequere me.* Spartam, quam tibi imposui, orna ac cura. Et ad abitum ac martyrium tempestivè te præpara. De *adventu cum regno* lege Matt. 16: ℣. 28. *Amen dico vobis, sunt quidam eorum, qui hic stant, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.*

§. 108. Et ita *tertia* nunc *vice manifestatus est Iesus discipulis suis, resuscitatus è mortuis.* Joh. 21: 14. nimirum habito respectu ad illas apparitiones, quas Johannes in historia sua notavit, nam alias pluries jam, ut vidimus, visus est illis; nec illis tantùm, sed & mulieribus.

§. 109. Etiam alterius manifestationis, cujus Euangelistarum nullus, meminit Paulus; 1 Cor. 15: 6. ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ *visus est super quingentis fratribus semel*, seu una vice, ubi id factum, nescimus, factum, credimus. Ex quingentis illis nos neminem novimus. Paulo tamen & coætaneis optimè fuere noti, scribit enim de illis, ἐξ ὧν οἱ πλείους μένουσιν ἕως ἄρτι, τινὲς δὲ καὶ ἐκοιμήθησαν. ibidem adeo & plures Christus habuit discipulos, & testes suæ resurrectionis numerosos. *Apparitio quingentis fratribus facta.*

§. 110. E Galilæa reversus est Jesus in Judæam, etiam discipuli. Imò in *Hierusalem.* Cumque tempus, quod post resurrectionem in terra transigere constituerat, exegisset, ἐξήγαγε *eduxit* discipulos *extra usque ad Bethaniam*, Luc. 24: ℣. 49. 50. *in montem olearum* Actor. 1: 12. ut ubi passio ejus cœperat, etiam plenior illius triumphus & gloria inciperet. *Bethphage & Bethania* fuerunt duo vici, siti *ad montem olearum.* Matth. 21: ℣. 1. Marc cap. 11: vers. 1. E Bethania miserat discipulos petituros Asinam, quâ vectus intravit, ut Rex Sionis, in Hierosolymam. In hac Bethania se sistit, intraturus, ut Rex consum- *Christus redit in Jerusalem, & educit discipulos in Bethaniam.*

matus, in supernam Hierosolymam. Illuc duxit discipulos, fuitque hæc ultima illius apparitio, qua durante evectus est in cœlum, nec visus amplius in terra. Illamque notat Paulus 1 Cor. 15:7. εἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν.

Tempus conversationis Christi in terra.

§. 111. Tempus, quod egit Christus in terris inde à resurrectione non adeò longum fuit, *δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενος per dies quadraginta visus illis*, Actor. 1: v. 3. non jugiter illis visus, sed per intervalla, ideo non dicitur, visus *quadraginta dies*, sed, *per* quadraginta dies, subinde venit, subinde abiit; *ἐφίστατο καὶ ἀφίστατο πάλιν accedebat & discedebat rursum.* Imò plurimum tempus sine illis transegit. Intra primum octiduum bis Apostolis apparuit; suntque, ut id summatim repetam, omnes μετὰ τὸ παθεῖν αὐτὸν, apparitiones undecim. 1. Facta est Mariæ Magdalenæ. 2. Mulieribus à sepulchro redeuntibus. 3. Simoni Petro. 4. Duobus viatoribus Emauntinis. 5. Duodecim Apostolis, absente Thoma. 6. Rursum illis præsente Thoma. 7. Jacobo. 8. Discipulis in monte Galilææ. 9. Quibusdam discipulis apud mare Tiberiados. 10. Quingentis fratribus. 11. Omnibus Apostolis, cum evectus est in cœlum. adde 12. Post ascensionem *Paulo ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι.* 1 Corinth. cap. 15: vers. 8. Adeoque in Hierosolyma, extra Hierosolymam, in Galilæa, in monte, apud mare, in via, in Emmaus, diversisque in locis; ubi Christus fuerit extra illas apparitiones non opus est inquirere, fuit certè in terra, nam 40 demum die ascendit; quid egerit, quum solus fuit, proditum non est, certè haut ἐπίγεια, sed ἐπουράνια. Cum apparuit discipulis, consueto & familiari more cum illis vixit, ut de veritate resurrectionis suæ illos confirmaret, & hæsitantibus scrupulos eximeret, locutus est cum illis, palpandum se exhibuit illis, docuit illos, reprehendit illos, promissionem Spiritus Sancti exposuit illis. Imò & *edit cum illis, & bibit* cum illis; non per necessitatem, sed per singularem dispensationem. Corpus enim resuscitatum è mortuis, factum πνευματικὸν, jam jam in cœlos evehendum, nullis cibis indiguit, nec fami obnoxium fuit. Gloriantur Apostoli Actor. cap. 10: vers. 41. συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν. Tribus prandiis interfuit, in Emaus, in Apostolorum conclavi, apud mare Tiberiados, & de omnibus tribus probabiliter participavit. Cur autem *quadraginta* dies, non plus, nec minus in terra conversatus sit, ejus rei ratio non potest dari; propterea nec debet super illa rogitari. Moses fuit in monte Sina *quadraginta dies, & quadraginta noctes.* Panem non edit, aquam non bibit. Exod. cap. 34: vers. 28. 29. Christus tentatus à diabolo in deserto jejunavit ἡμέρας τεσσαράκοντα, καὶ νύκτας τεσσαράκοντα Matth. 4: 1. 2. Totidem dies ab omnibus tentationibus liber, è mortuis vivus, gloriæ, ut ita dicam, supercælestis candidatus, in terra ambulavit, πίστιν παρασχὼν πᾶσιν gloriosæ suæ resurrectionis, exutæ mortalitatis, retentæ humanitatis, & vivificatæ carnis veritatis.

Cur Dominus non apparuerit omni populo, & hostibus.

§. 112. Cur autem Dominus resuscitatus non est *conspicuus factus omni populo?* cur non intravit publico comitatu in Hierosolymam? cur non monstravit se Pilato vivum? cur non summis Pontificibus? Cur non ingressus est templum, ibique se ipsum ζῶντα παρέστησε, dicens: ἐγενόμην νεκρὸς, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμι? Clanculis & privatis his apparitionibus effecit, ut figmento locus esset, ἔκλεψαν αὐτὸν Matth. cap. 28: vers. 13. 15. Quorum hæc subit cogitatio mentem, ii sciant primò, haut decere nos carpere vias Domini, *rectas* illas esse semper & justas, Hoseæ cap. 14: vers. 10. sed *non ut nostras*, & multo *altiores* nostris. Es. cap. 55: vers. 8. 9. Satis habuit Deus, qui *excitavit illum*, ut fieret ἐμφανὴς *testibus*, τοῖς προκεχειροτονημένοις, iisque tantùm, Actor. cap. 10: vers. 40. 41. ut illi de resurrectione ejus certissimi, illam annunciarent toti populo, clamantes & dicentes, resurrexit Jesus,

& de-

& definitus a Deo judex vivorum & mortuorum Actor. 10: 42. hocque præconium sanguine confirmarent, adeoque *omnibus* fidem facerent resurrectionis dominicæ. Ipsi hostes sufficiens illius acceperunt testimonium; custodes sepulchri resuscitatum nunciarunt. Si ipse Dominus illis apparuisset, indignè forsan illum excepissent & manus ipsi injecissent, adeoque peccatum suum, magnum & horrendum satis, ac injustitiæ mensuram adauxissent; imò haud magis credidissent. Figmenta opposuissent veritati. Etiam videntes noluissent videre, audientes noluissent audire. Deceptorem quendam se videre dixissent, & per fraudem in locum illius substitutum. Neque dignos habuit hostes suos Jesus, ut è mortuis vivum se sisteret illis, à quibus tam indignè spretus, rejectus, flagitiosè habitus erat; nec conveniens erat, *sacrum* dari *canibus*; *Margaritas projici suibus*, Matth. 7: 6. ut brevis sim; *Signa*, quæ è cœlo deinceps manifestavit Jesus Dominus, amicis ad salutem, hostibus ad interitum, alta voce clamarunt, vivit Jesus, quem interfecit Judæus. confer Matth. cap. 26: vers. 64.

§. 113. Cæterùm *ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις in multis signis, per dies quadraginta, visus est* suis. Actor. 1: 3. Ille, cujus nativitas fuerat miraculorum plena, cujus tota vita, cujus mors, cujus resurrectio, illius ultima etiam conversatio multis clarere debuit miraculis. Miraculum fuit, quod in Emaus tenuit oculos viatorum, ne agnosceretur. Miraculum, quod clausis foribus venit & stetit in medium. Miraculum, quod tam divite piscatura exhilaravit Petrum. Miraculum, quod dubitantes & fluctuantes discipulos *εἰς πληροφορίαν transduxit*. Miraculum, quod illis videntibus in cœlum ascendit. *Et multa ac alia signa fecit Jesus coram discipulis suis, quæ scripta non sunt.* Joh. 20: 30. ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ᾽ ἕν, *ne ipse* quidem *mundus caperet* τὰ γραφόμενα βιβλία. Joh. 21: 25. *Quæ* autem *scripta sunt*, sufficiunt, ut credamus, quod *Jesus est Christus, Filius Dei*, Joh. 20: 31. carne mortificatus, Spiritu vivificatus.

Miracula quæ fecit à resurrectione.

§. 114. Superest, ut ultima omnium acta & verba Domini expendamus. *Præcepit* discipulis *ab Hierosolymis μὴ χωρίζεσθαι non abscedere, sed, exspectare promissionem Patris, quam audiverant ab illo.* Actor. 1: 4. confer Luc. 24: 49. Nam sæpissimè locutus erat de Spiritu Sancto, quem *accepturi erant credentes.* vide Joh. 7: 37. 38. 39. 14: 16. 17. 18. 26. 15: 26. 16: 7 – 11: 13. 14. 15. Id quod & nunc repetit, ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας. Actor. 1: 5. confer vers. 8. λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ᾽ ὑμᾶς.

Ultima Christi verba & acta.

§. 115. Etiam in ultimo hoc actu inepta interrogatione intercedunt Apostoli. *Domine, num in hoc tempore restituis regnum Israeli?* Actor. 1: 6. De *regno* rogant, *restituendo in Israele.* Sciebant *regnum* Domino promissum. Luc. 1: 33. Id putant *restituendum* in Israele; hoc est, in terra, ad modum terrestrium regnorum, aut antiqui regni Israelitici, quod David tenuerat & Salomoh, stabiliendum. De tali *regno* cogitabat mater filiorum Zebedæi, Matth. 21: 21. de tali *redemtione* Emauntini. Luc. 24: 21. Dicunt, *An in hoc tempore*: putant, nunc commodum esse tempus, quandoquidem passus sit Dominus, & mortuus, & resurrexerit.

Discipulorum quæstio de regno.

§. 116. Respondit Christus. *Non vestrum est scire tempora & opportunitates, quas Pater posuit in propria potestate.* Actor. 1: 7. Benè hic Theophylactus. ἐπειδὴ περιττή τις ὑπῆρχεν ἡ ἐρώτησις παρεσιώπησε, σκόπος ἦν αὐτῷ, τὴν εἰς τοῦτο πολυπραγμοσύνην ἀνακόψαι τῶν μαθητῶν, κηρύττειν γὰρ αὐτοὺς ἀπέστειλε τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, οὐ τὴν ποιότητα τῶν χρόνων καταμηνύειν, hoc est, *quoniam supervacanea quædam erat interrogatio*, adde, carnalis etiam & puerilis, *silendo præteriit. Scopus erat ipsi istam hac in parte curiositatem,*

Domini responsio.

adde, ignorantiam, & præconceptam opinionem *discipulorum abscindere*; *nam ablegabat eos ad præconium regni cælorum*; non ad nunciandum erectionem aut restitutionem regni hominum; nec *ad spatia temporum significandum.* Noluit Dominus in illos invehere, aut illos dicere βραδεῖς τῇ καρδίᾳ. Spiritus Doctor, jam jam in illos effusurus, docturus erat illos alia & veriora. Exitus rerum errorem ipsorum correcturus. In genere docuit, hominis non esse, inquirere in temporum articulos & momenta, id esse invadere potestatem Dei; *sed accipietis vim Spiritus*, inquit, ac si dicat, his cogitationibus vacate; de regno terrestri minime estote solliciti.

Benedicit illis & sursum fertur ac evehitur.

§. 117. Tandem ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ, εὐλόγησεν αὐτούς. Luc. 24: 50. Et ἐν τῷ εὐλογεῖν αὐτὸν αὐτοὺς διέστη ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν. Luc. 24: 51. βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. Actor. 1: 9. adde Marc. 16: 19. *Dominus igitur, postquam locutus esset illis*, ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ.

Mysterium ascensionis.

§. 118. Ita distinctissimis & clarissimis vocibus ingens hoc mysterium explicatum est. 1. Jesus διέστη ἀπ' αὐτῶν *disjunctus est ab illis.* 2. ἐπήρθη *ablatus est.* 3. ἀνελήφθη *sursum latus est.* Idque omne factum est *videntibus* Apostolis. Ergo per localem & visibilem disjunctionem, separationem, translationem, ac ablationem sursum receptus est. Intelligenda autem hæc sunt respectu *corporis* Christi, seu humanæ ejus naturæ; illa enim, ut finita est, è loco in locum transferri, ac localiter & visibiliter moveri potuit. Cyprianus. *Dominus ascendit in cœlum; non ubi Verbum Dei prius non fuerat, quippe quod erat semper in cælis, & manebat in Patre; sed ubi Verbum caro factum non sedebat.* Dominus dicitur *descendisse è cælo*, quum corpus sibi formavit in terra, *ascendisse in cœlum*; cum assumtum corpus ingredi fecit in cœlum. Descendens è cœlo, fuit in cœlo; nec id reliquit, Joh. 3: vers. 13. ascendens in cœlum, jam erat in cœlo; sed corpus tantùm in id intulit. *Erat* in *mundo*, & *venit in mundum.* Joh. 1: 9. 10. 11. Erat in cœlo. Et ascendit in cœlum.

§. 119. *Nubis* hîc insigne fuit ministerium. *Et nubes* ὑπέλαβεν αὐτόν. Nubes Jesum accepit, circumdedit, & circumdatum abstulit; imò *ex oculis illorum* abstulit, ut videre illum amplius non possent. Quod Eliæ fecit *currus igneus, & equi ignei.* Id Servatori *nubes* hæc.

§. 120. Terminus, quo ablatus est Jesus, est *cœlum*, ἀνεφέρετο εἰς οὐρανὸν, non inferius hoc, quod caput quasi nostrum tegit; sed *cœlum cœlorum*, quod Paulo *tertium* dicitur 2 Cor. 12: 2. & *thronus Dei* est, Es. 66: 1. in quo est Deus, *Pater noster.* Matth. 6: 9. Ergo per medium aërem, & firmamentum, in cœlum summum translatus est. Creatura cedere debuit Creatori & superiora seu ætherea corpora locum facere, quo liberè transferretur in cœlum summum gloriosissimum corpus Servatoris Dei. Hinc dicitur *transiisse cælos*; quia & *primum*, quod aërem dicimus, & *secundum*, in quo stellæ, sol, & sidera sunt, medios pervasit, donec in *tertium* pervenit. Hebr. 4: 14. διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς. Hinc dicitur ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν *altior cælis factus* Hebr. 7: vers. 26. quia super omnes cœlos elatus est & *ascendisse* ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν *super omnes cælos*. Ephes. 4: 10.

§. 121. Olim *Enoch* μετετέθη *translatus est, non visa morte.* Hebr. 11: 5. Genes. 5: vers. 24. vide libr. 1. cap. v. §. 10 – 13. Etiam *Elias.* vide libr. 2. cap. 16. §. 134 – 138. 2 Reg. 2: 1. 3. 5. 9. non repetimus dicta.

§. 122. Ab illo igitur tempore corpus Domini nostri Jesu Christi, seu natura ejus humana,

mana, in terra non amplius est, nec videtur, nec palpatur, Joh. 16:28. ἀφίημι τ̄ κόσμον, *derelinquo mundum.* Joh. 17:11. οὐκ ἔτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ *non amplius sum in mundo.* Hebr. cap. 8: vers. 4. εἰ μὲν γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς *si enim esset in terra, non esset Sacerdos.* Matth. 26: 11. *Pauperes semper habetis vobiscum, me verò non semper habetis.* Actor. 3: 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι *quem decet cælum tenere*, illudque inhabitare, *accipere*, pro mansione sua, illoque *capi*, unde & illum *exspectamus* Phil. 3: 16. unde *redibit*, Act. 1: 11. & in novissimo die *descendet*. 1 Thess. 4: 16.

§. 123. Ascensionem suam sæpè Christus prædixerat. Joh. 3: 11. *Nemo ascendit in cælum, nisi Filius hominis.* Joh. 7: 33. *Ego vado ad eum qui misit me. Quæretis me, & non invenietis*, Joh. 6: 62. *si igitur videatis Filium hominis ascendentem*, ὅπου ἦν τὸ πρότερον. confer Joh. 8: 21. Joh. 14: 2. πορεύομαι. Joh. 16: 7. ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω, ἐὰν γὰρ μὴ ἀπέλθω ἐὰν ᾖ πορευθῶ. vers. 28. πορεύομαι πρὸς τ̄ πατέρα. confer Ioh. 20: 17. Matth. 26: 64. Eadem in prophetiis prædicta est. Psalm. 68: 19. Prov. 30: 4. Amos 9: 6. Psalm. 45: 5. Psalm. 8: 2. & in introitu summi Pontificis cum sanguine εἰς τὰ ἅγια τ̄ ἁγίων præfigurata. Ascensio à Christo prædicta.

§. 124. Verissima illa est & certissima. Haber Angelos testes, & discipulos, qui viderunt. Effusio Spiritus Sancti testatur. Etiam regnum & potentia ac ira Jesu, quæ de cœlo revelatur. Eandem probat apparitio Saulo facta persecutori; & vox Jesu cœlitus delata. Actor. 9: 3. 5. Adde innumera Scripturæ testimonia. 1 Tim. 3: 16. ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. 1 Petr. 3: 22. πορευθεὶς εἰς οὐρανόν. Apoc. 12: 5. ἡρπάσθη πρὸς τ̄ θεὸν καὶ τ̄ θρόνον αὐτοῦ. confer Col. 3: 1. Est verissima.

§. 125. Par fuit, ut Christus ascenderet, *debuit enim in gloriam intrare* Luc. 24: 26. *Est Dominus gloriæ.* Assumtum *corpus* in gloriam debuit introducere. Est *Dominus è cœlo*; non potuit cœlo excludi. Implevit *omnem justitiam.* Ergo & *coronam* debuit *justitiæ* accipere. 2 Tim. 4: 8. *Initiavit per carnem viam in introitum sanctorum* Hebr. 10: 20. Ergo ipse introire. Deinde & ascendit nostro bono; *conducit vobis, ut ego abeam* Ioh. 16: 7. *Abeo parare vobis locum.* Ioh. 14: vers. 2. *Si abiero, mittam Advocatum ad vos*, Ioh. 16: 7. *si exalter à terra, omnes traham ad me.* Ioh. 12: 32. 14: 3. ὅπου πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθεν Ἰησοῦς. Hebr. 6: 19. 20. Et maximè decens.

§. 126. Ascendens in cœlum, *sedit ad dextram Dei*, Marc. 16: 19. *sedit in dextra illius in supercœlestibus* Ephes. 1: 20. *ubi Christus est, in dextra Dei sedens.* Col. 3: 1. confer 1. Petr. 3: 22. Rom. 8: 34. τῇ δεξιᾷ οὖν τοῦ θεοῦ ὑψωθεὶς Actor. 2: 33. qua phrasi notatur *regnum* Christi 1 Cor. 15: 25. summa *exaltatio*, Phil. 2: 9. super *omnia*, Ephes. 1: vers. 21. *subjectio Angelorum* καὶ ἐξουσιῶν καὶ δυνάμεων. 1 Petr. 3: 22. summusque *honor*, quo par fuit affici τ̄ θεάνθρωπον, quos enim summoperè honoramus, eos ad dextram collocamus. confer Psalm. 110: 1. 5. Sessio ad dextram.

§. 127. In cœlo perpetuò vivit memor nostri. *Habemus advocatum apud Patrem* 1 Ioh. 2: 1. *semper vivens, ut intercedat pro illis.* Hebr. 7: 25. ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. Rom. 8: 34. confer Hebr. 9: 24. 10: 12. 13. sedet enim ad dextram Dei, & ut *Rex*, & ut *Sacerdos* Psalm. 110: 1. 4. Zach. 6: 13.

§. 128. Lutherani negant, Christum in cœlo esse, ut in loco. Id Henricus Eckhardus in Fasciculo Controversiarum ita probat 1. *Super omnes cælos non est locus. Ergo id, quo Christus ascendit, non est locus.* 2. *Christus est exaltatus super omne, quod nominatur in hoc & futuro seculo. Ergo superior factus est omni loco, sive physicus, sive metaphysicus, sive hujus, sive alterius seculi ille dicatur.* 3. *Qui est* in *dextera Dei Patris, ille non est in*

loco

loco. 1 Petr. 3:22. 4. Quod dicit esse argumentum Gerlachii. *Si Christus est in certo quodam & fixo cæli loco, non omnibus invocantibus erit* SURSUM, *sed multis* DEORSUM; *nec omnibus illis faciem advertet, sed avertet, & tergum obvertet, & quibusdam Antipus, quibusdam verò verticalis erit.* Atqui quid est ludere, si hoc non est? Talibus sophismasi veritas haut movetur.

Angeli reditum Jesu promittunt.

§. 129. Discipuli, quibus videntibus sublatus est, fuerunt ἀτενίζοντες εἰς τὸν οὐρανὸν, πορευομένου αὐτοῦ. Actor. 1:10. *Et ecce viri duo*, hoc est, Angeli, in forma viri, *adstiterunt illis, in vestitu albo*, dicentes, *Jesus sursum receptus* A VOBIS *in cælum, sic veniet, quomodo vidistis illum proficiscentem in cælum.* Actor. 1:10. 11. Ergo Jesus *veniet*, & veniet *inde*, quo ἀνελήφθη, è cœlo. Ergo nunc est in cœlo. Veniet *ita*, & eodem modo, ut abiit, hoc est, in *nubibus*, etiam cum *Angelis*. Matth. 26:64. Hanc illius παρουσίαν προσδοκῶντες καὶ σπεύδοντες 2 Petr. 3:12. dicamus sæpe, Ναὶ ἔρχου κύριε Ἰησοῦ. Apoc. 22: vers. 20.

§. 130. Et hic est finis *habitationis* τοῦ λόγου *in Nobis.* Habuit illum Ecclesia secundùm præsentiam carnis, paucis annis: inde à resurrectione, paucis diebus; modo fide tenet, oculis non videt.

Testimonium Josephi.

§. 131. Post ascensionem *Gloria* Domini Servatoris excellentissimè demonstrata est in miraculosa effusione Spiritus Sancti; in Gentium & Iudæorum conversione, in hostium eversione; sed de illis proximis capitibus. Claudat hoc caput, totamque suavissimam de Jesu Servatore tractationem Testimonium Flavii Josephi, latum de Christo Jesu ἀρχαιολογ. libr. 18. cap. 4. ubi hunc in modum fatur. γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ, ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητὴς, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων, καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο, ὁ χριστὸς οὗτος ἦν, καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν, σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἵγε πρῶτον ἀγαπήσαντες. ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτά τε καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων. εἰς τε νῦν τῶν χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον, hoc est, *exstitit autem circa hoc tempus Jesus, sapiens vir, si quidem virum dicere illum oportet. Erat enim mirabilium Patrator operum, Doctor hominum, cum voluptate veritatem recipientium. Et multos quidem Iudæos, multos etiam Græcos ad se adduxit.* CHRISTUS HIC ERAT, *& illum quidem declaratione primorum apud nos virorum, cruci affixum à Pilato*, seu cruce plexum, *non deseruerunt, qui antea amaverant. Apparuit enim illis tertio die rursum vivus; divinis Prophetis hæc & alia infinita mirabilia de illo vaticinantibus. Et usque hodie Christianorum gens ab illo nominata non defecit.* Hactenus Iosephus. Scio multos locum hunc habere pro ὑποβολιμαίῳ. Alios, pro verbis, *Christus hic erat*, legere. *Et credebatur esse Christus.* Ego exscripsi, ut in codice meo inveni, nec verbum addo. Domino autem & Servatori, qui venit in mundum, mortuus est, sepultus, resurrexit, evectus in cœlum, sit gloria & adoratio, à nunc in seculum.

CA-

CAPUT VIII.

De actis Apostolorum.

§. 1. EVecto in cœlum Jesu Christo, Apostoli spectatores *reversi sunt in Ierusalem*, Actor. cap. 1: vers. 12. Ita enim jusserat Dominus. Luc. cap. 24: vers. 49. *cum gaudio magno*. Luc. 24: vers. 59. Non dolent ablatum Jesum, sed gaudent; memores verbi, *conducit vobis, ut ego abeam*. Joh. 16: 7. *Ego vobiscum sum omnibus diebus* Matth. 28: vers. 20. *Iesus ita veniet*, seu redibit. Actor. 1: 11. Illorum lugeamus à nobis discessum, qui aut nunquam redibunt; aut discedentes omnino à nobis disjuncti sunt; aut quorum discessus nobis damno est. Jesus, qui abiit, redibit; nobiscum est; & abeundo maxima in nos gaudia effudit.

Apostoli post ascensionem Jesu redeunt Hierosolymam.

§. 2. Ingressi in urbem, *intrarunt εἰς τὸ ὑπερῷον in cœnaculum*. Act. 1: 13. ῷον Spartanis olim οἴκημα *domicilium* seu habitatio dicebatur, notatur conclave in edito seu alto, ubi id fuerit incertum. Forsan in domo Johannis Apostoli. confer Joh. 19. 27. Forsan in domo *Mariæ, Matris Iohannis, cognominati Marci*, ubi alias etiam sancti dicuntur fuisse congregati. Actor. 12: 12. Forsan in ipso *templo*. Habuit enim templum in ambitu suo עֲלִיּוֹת *cœnacula* ὑπερῷα 1 Chron. 28: 11. 2 Paral. 3: 9. לְשָׁכוֹת *cubicula, conclavia*, quale fuit לִשְׁכַּת גְּמַרְיָהוּ *conclave Gamariæ*, in quo Baruch *legit librum Ieremiæ in domo Iehovæ*, Jerem. 36: 10. quæ inservierunt Sacerdotibus & Levitis; item *instrumentis* sacris asservandis, & *muneribus, thuri, frumento, oleo* Nehem. 13: 5. 6. 8. 9. in quali Anna προφῆτις, quæ *non abscedebat à templo*, Luc. 2: vers. 36. dies forsan suos transegit. Certè discipuli, *reversi in Hierusalem*, dicuntur fuisse διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ *semper in templo*. Luc. 24: 53. Nil ergo absurdi statues, si dicas, etiam cœnaculum, οὗ ἦσαν καταμένοντες Act. 1: 13. fuisse in templi ambitu. Alias etiam dicuntur fuisse ἐν τῇ στοᾷ Σολομῶντος. Act. 3: 11. 5: 12.

Ascendunt in cœnaculum, ubi illud?

§. 3. Nec soli, sed *cum mulieribus* (num *suis?* 1 Cor. 9: 5. aut num notantur illæ, quæ Jesu fuere sociæ? Matth. 27: 55. 61. Luc. 24: 10.) & *Maria matre Iesu*, & *cum fratribus ejus*: hoc est, cognatis ejus, de quibus supra cap. IV. §. 103. 104. 105. non intelliguntur illi, de quibus Matth. cap. 13: vers. 55. Illorum enim tres inter Apostolos jam nominati sunt. Actor. 1: 13. sed alii cognati, quos plures Dominus habuit. Joh. 7: 5. Aves scire, quid in cœnaculo egerint? vide Luc. 24: v. 53. *canentes & benedicentes Dominum*. Act. 1: 14. προσκαρτεροῦντες τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει.

§. 4. In illis diebus *surgens Petrus in medio discipulorum*, qui tunc aderant *centum viginti*, Actor. 1: 15. consilium aperit de eligendo in locum Judæ Apostolo ex illis, qui *omni tempore una cum illis congresii erant*, ut fieret *cum illis testis resurrectionis Domini*. Actor. 1: 21. 22. Tales fuerunt *septuaginta* illi, de quibus Luc. 10: 1. 17. 19. 20. Ex horum forsan numero electus est novus Apostolus. Notemus, Apostolos exstitisse *testes resurrectionis* Domini. confer Luc. 24: 48. *Vos verò estote testes horum*. Actor. 1: 8. *Et eritis mihi martyres*. Actor. 2: 32. *Hunc Iesum suscitavit Deus, cujus omnes nos sumus testes*. confer Actor. 3: 15. 5: 32. Et quidem *testes*, προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ θεοῦ Act. 10: 41. Testes eorum, quæ *viderunt* Actor. 26: 16. & *oculis spectarunt* 1 Joh. 1: vers. 1. adeoque αὐτόπται Luc. 1: 2. & quæ *audiverunt* 1 Joh. 1: 1. *quod audivimus*. Actor. 22: 15. *eris testis*

Petri consilium de eligendo novo Apostolo.

ipsi ad omnes homines eorum, quæ vidisti & audivisti. confer Actor. cap. 4: vers. 20. Nec tantùm testes *resurrectionis*, sed & τῶ τοῦ χριστοῦ παθημάτων 1 Petr. cap. 5: vers. 1. Imò & *omnium*, quæ *fecit in regione Judæorum & Ierusalem* Actor. 10: 38: 39. Testes πρὸς τὸν λαὸν Act. 13: 31. πρὸς πάντας ἀνθρώπους. Act. 22: 15. Quare & *testati sunt testimonium Iesu* Apoc. 1: 2. μεγάλῃ δυνάμει Act. 4: 33. μὴ ἐπαισχυνθέντες τὸ μαρτύριον τοῦ κυρίου ἡμῶν. 2 Tim. 1: 8.

Sorte electus Matthias.

§. 5. Sistuntur duo. Dominus, καρδιογνώστης invocatur, dantur *sortes*, cecidit sors super *Matthiam*, qui annumeratus est *undecim Apostolis*. Act. 1: 26. Ita οἱ ἕνδεκα πάλιν ἐγένοντο δώδεκα. De *sortibus* diximus lib. 11. cap. xv. §. 42 – 46.

Pentecoste.

§. 6. Prope erat dies πεντηκοστῆς. Illo solebat offerri *munus novum, panis azymus*, id quod fiebat *quinquagesimo die* post oblatum *manipulum*. Levit. 23: 15. 16. unde hoc festum πεντηκοστὴ dicitur, adjectivo transeunte in substantivum. De illo festo, & illius significatione egimus libr. 11. cap. xi. §. 67. 68. 95. Manipulus umbra resurgentis Jesu; munus novum descendentis Spiritus Sancti fuit, quinquagesimo die ab oblato manipulo offerebatur munus Novum, Quinquagesimo die à resurrectione Domini mittitur Spiritus.

In illo omnes erant unà ubi?

§. 7. Quum hic dies adesset, erant *omnes unanimiter* ἐπὶ τὸ αὐτὸ *una*. Actor. 2: ℣. 1. Festivus erat ille dies, *opus in illo non fiebat*. Levit. 23: 21. *Omnes*, num soli Apostoli? Cl. Beza testatur *in duobus vetustis codicibus additum fuisse* οἱ Ἀπόστολοι *Apostoli*. Putat *solis Apostolis propriam esse hanc Spiritûs Sancti missionem, quæ postea refertur. Oportuisse illos novæ Ecclesiæ quasi duodecim Patriarchas futuros, peculiari quadam inaugurationis forma consecrari*. Sed cur non adfuerint & illi, quibus præsentibus Matthias electus erat? cur non & in illos descenderit Spiritus Sanctus, qui postea in alios etiam homines ita descendit, ut hic ἐν ἀρχῇ? Actor. cap. 10: vers. 44. 45. 46. 11: 15. Actor. cap. 19: vers. 6. certe Joël prædixit effundendum illum *super omnem carnem*. Erant omnes ὁμοθυμαδὸν *concorditer*, una illis anima, unum cor. Actor. 4: ℣. 32. una spes, fiducia, oratio, votum הִנֵּה מַה־טּוֹב וּמַה נָּעִים שֶׁבֶת אַחִים גַּם יָחַד Psalm. 133: 1. Erant *una*, in uno loco, uno conclavi, forsan *in templo*, quod die illo festivo frequentandum erat. Id si ita, verè Christus *unctus est Rex in monte sanctitatis Zion*. Psalm. 2: 6. In effusione Spiritus est unctio Christi. Actor. 2: 33. 36. & plenius impletum id quod est Hag. 2: ℣. 7. *Implebo hanc domum gloria*. vers. 9. *Major erit gloria domus hujus posterioris præ prima*. Quanta enim gloria! Dominus gloriæ *ad templum suum venit*. Mal. cap. 3: vers. 3. Et Spiritus Domini, *Spiritus gloriæ* 1 Petr. cap. 4: vers. 14. in illo effusus est. Certè fuit locus amplus, & publicus, in quo hoc factum est, convenit illuc *turba*, & capi loco illo potuit. Actor. 2: 6. Nec obstat, quod dicitur vers. 2. *Implevit* τὸν οἶκον *domum*. Nam & templum dicitur οἶκος Joh. 2: 16. Matth. 21: 13. Et LXX. Interpretes tum *templum*, tum *conclavia*, quæ erant circa templum, aut in *atrio templi*, ita insigniunt. Jer. 36: 10. καὶ ἀνεγίνωσκεν Βαρὺχ ἐν τῷ βιβλίῳ λόγους Ἰερεμίου, ἐν οἴκῳ κυρίου, ἐν οἴκῳ γαμαρίου. In Hebræo est, בֵּית יְהוָה בְּלִשְׁכַּת גְּמַרְיָהוּ:

Exstitit repentè è cœlo sonitus instar flatus violenti.

§. 8. Et *Exstitit derepente è cœlo sonitus, ut ruentis flatus violenti*. Actor. 2: vers. 2. Factum id mane, circa *horam tertiam diei*, Actor. 2: vers. 15. quæ nostra matutina nona est. Eadem hora Christus crucifixus est. Marc. 15: 25. Illa una ex horis erat, quæ precibus impendebantur. Horâ enim *tertiâ*, *sextâ*, *nonâ* convenire solebant Judæi ad orandum. Spiritus gratiæ & precum in hora precum venit. Eadem datus est horâ, quâ ablatus Christus. Exstitit autem ἄφνω *subitò*, nemine tale quid exspectante, imò forsan nec Apostolis scientibus, dictum erat illis, οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας. Actor. cap. 1: vers. 5. Sed

nec

nec hora illis dicta, nec dies. Nunc venit *subitò*, non obliviscitur promissionum suarum Dominus. Ita & de adventu *Domini* dictum, Mal. cap. 3: vers. 3. ופתאם *& subitò veniet*. Etiam novissimus *dies superveniet* αἰφνίδιος, ὡς παγὶς Luc. cap. 21: 34. 35. ὡς κλέπτης. 2 Petr. cap. 3: vers. 10. Venit ἐκ τοῦ οὐρανοῦ *è cælo*. Spiritus S. è *cælo est*, cælum thronus illius. Ideò & symbolum advenientis Spiritus è cælo quasi exiit. confer Matth. cap. 3: vers. 16. *Aperti sunt cæli, & Spiritus descendit, ut columba*. Venit autem ἦχος *sonitus*. Buccina dat sonitum Hebr. cap. 12: vers. 19. καὶ σάλπιγγος ἤχῳ, clamorem, vocem claram, & latè personantem. Spiritus vocem claram per totum mundum emissurus, *sonitum* ante emisit. Alias & ἦχος de *fama* dicitur. Luc. cap. 4: vers. 37. Non fuit autem tenuis *sonitus* קוֹל דְּמָמָה דַקָּה *vox auræ tenuis* 1 Reg. cap. 19: vers. 12. sed ut πνοῆς *flatus*, non qualis in hominibus est & animalibus Actor. cap. 17: vers. 25. διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα; sed πνοῆς βιαίας *flatus violenti*, & quidem φερομένης *ruentis* & desuper lati magna cum vehementia, ut igitur in aëre flatus excitantur, & deorsum feruntur, & vehementer tellurem pervadunt, ita è cœlo sonitus hic instar vehementissimi flatus descendit. Non fuit hic sonitus naturalis, qualem sæpe in aëre & terra & silvis observamus, sed talis, qui Spiritum advenientem prænunciavit, sine voce quasi ac lingua clamans, *Spiritus, Iehovah venit*. Ante Eliam cùm Jehovah transiret, præibat *ventus magnus & validus* רוּחַ גְּדוֹלָה וְחָזָק, *rumpens montes, frangens Petras, ante Dominum*. 1 Reg. 19: 11. Hic ante Spiritum venit flatus vehemens, נִשְׁמַת שַׁדַּי πνοὴ τοῦ παντοκράτορος, ut ita dicam è Job 32: 8. Quid autem hic *sonitus* & vehementissimus flatus? certè *significavit*. *Columba*, in cujus εἶδει descendebat Spiritus Luc. 3: 22. notabat τὸ αὐτοῦ ἀκέραιον & καθαρὸν & πρᾶον. Hic sonitus instar vehementissimi flatus notavit Spiritus potentiam, efficaciam, vim purgandi, recreandi, refocillandi, imò & omnipræsentiam, τὸ αὐτεξούσιον, & vocem latissimè personaturam. *Potentiam*, inquam. Venti enim rumpunt montes, frangunt petras, hiscere faciunt terram, radices arborum evellunt, altissimas sæpe turres & fortissima dejiciunt mœnia. *Efficaciam*, venti in intima pervadunt corporum, in imis terræ operantur visceribus. *Vim purgandi*, venti sunt scopæ telluris; verrunt aërem, *terram, domus*; recreant infectos æstu solis; & sitientibus sunt quasi potus. *Omnipræsentiam*, venti totum terrarum orbem pervadunt, sunt loca, in quibus rarò pluit; imò & non pluit, nulla sunt loca, ubi non venti sufflant, αὐτεξούσιον. *Ventus, quo vult, flat* Joh. 3: 8. *Vocem*, venti audiuntur, τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις. Joh. 3: 8. Hæc in Spiritum S. applicare facile est.

§. 9. Sonitus hic *implevit totam domum*, οὗ ἦσαν καθήμενοι, *ubi sedebant* Actor. 2: vers. 2. hoc est, ubi commorabantur & erant, sic Luc. 24: vers. 49. καθίσατε, Matth. cap. 4: vers. 16. ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει. Potest & de *situ* corporis accipi. In conventibus enim *sedere* solemus. Et deinde vers. 14. dicitur, σταθεὶς δὲ Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα, è sede sua quasi surgens. Tota domus, ubi erant discipuli, hoc sonitu plenus fuit, forsan & ἐσαλεύθη ὁ τόπος. Actor. cap. 4: vers. 31. An & extra domum auditus, certò affirmari nequit. Quod dicitur vers. 6. γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης, id Græca Scholia de ἤχῳ illo accipiunt. Incertum; certum autem imprimis in domo conventus Apostolici ventum hunc seu flatum flavisse. Qui implevit totam domum.

§. 10. *Et visæ sunt illis*, ὤφθησαν αὐτοῖς, nimirum Apostolis, hoc est, apparuerunt, (1 Cor. 15: vers. 5. 6. 7. ὤφθη Κηφᾷ. Matth. 17: vers. 3. Marc. 9: ℣. 4. Actor. 7: vers. 2.) Διαμεριζόμεναι γλῶσσαι *dispertitæ linguæ*, hoc est, species & figuræ linguarum dispertitarum & divisarum, ὡσεὶ πυρὸς *instar ignis*; adeoque igneæ flammæ & faces, linguarum divisarum formam & εἶδος habentes. Actor. cap. 2: vers. 3. *Linguæ* notarunt donum loquendi, *divisæ* linguæ Visæ sunt illis linguæ divisæ, ut ignis.

 do-

donum varias & diversas linguas loquendi; *ignis* efficaciam sermonis, lucem veritatis, zelum igneum, τὴν θερμὴν ἀγάπην, aliaque dona in sanctos effundenda denotavit. Ignis ille dicitur *sedisse* ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν *super unumquemque illorum*, videtur visibiliter super illos consedisse, aut si non de *situ*, accipiamus de *permansione*, ita Theophyl. ἐπαναπαύετο. Notatum, donum sanctis variarum linguarum, &c. perpetuo mansurum, nec ab illis auferendum. confer Joh. 14: 16. ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα. confer vers. 17. παρ' ὑμῖν μένει καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται. Num. 11: 24. 25. dicitur *quievisse Spiritus* super 70 viros, וַיִּתְנַבְּאוּ וְלֹא יָסָפוּ *& prophetarunt, & non addiderunt*. Semel tantùm prophetarunt, & non addiderunt prophetare. Ergo Spiritus propheticus non semper quievit super illos. Ignis super Apostolos *consedit*, & perpetuam donorum permanentiam denotavit. Alii verba hæc de ipsis Apostolorum linguis accipiunt; *visæ sunt illis divisæ linguæ ut ignis* hoc est, linguæ illorum deprehensæ sunt quasi igneæ & divisæ. Sed vox ἐκάθισε corporale & spectabile quoddam εἶδος videtur notare, nec dicitur ὤφθησαν ἐν αὐτοῖς *visæ sunt in illis*; sed ὤφθησαν αὐτοῖς *visæ sunt illis*. Ipsi Apostoli & sancti viderunt linguas illas igneas, super se sedentes.

Et impleti sunt Spiritu Sancto. §. 11. Prout visæ linguæ, ἐπλήσθησαν ἅπαντες πνεύματος ἁγίου *impleti sunt omnes Spiritu Sancto*. Actor. 2: vers. 4. confer Actor. 4: vers. 31. Non est cogitanda corporalis impletio, ut urceus aqua, vas oleo, hydria vino impletur; sed collatio plurimorum & abundantissimorum donorum Spiritus Sancti. Tunc implemur Spiritu Sancto, cum donis ejus implemur. Jam ante acceperant Apostoli Spiritum, erant enim sancti & vocati. Sed nunc ita acceperunt, ut ante non habuerunt, acceperunt οὐκ ἐκ μέτρου Johan. cap. 3: vers. 34. *fluviorum instar aquæ*. Joh. cap. 4: 14. 7: 38. ut παράκλητον, *omnia docentem* Joh. cap. 14: 17. 26. *ducentem in omnem veritatem* Joh. 16: 13. imò & ut *operantem* in illis λόγον σοφίας, λόγον γνώσεως, πίστιν, χαρίσματα ἰαμάτων, ἐνεργήματα δυνάμεων, προφητείαν, γένη γλωσσῶν, ἑρμηνείαν γλωσσῶν 1 Corinth. cap. 12: vers. 8. 9. 10. Dicuntur & ante sancti impleti fuisse Spiritu S. Mich. 3: vers. 8. אָנֹכִי מָלֵאתִי כֹחַ אֶת־רוּחַ יְהוָה *Ego sum plenus robore, Spiritu Domini*, & de Baptista Angelus, *& Spiritu S. implebitur* Luc. 1: vers. 15. de Elisabeth, *& impleta est Spiritu Sancto*. Luc. 1: 41. ita & de Zacharia. Luc. 1: 67. Sed omnis hæc impletio longè fuit infra hanc, quæ hic contigit Apostolis, cujus respectu dicitur, *nondum erat Spiritus Sanctus*, Joh. 7: 39. inde quicquid Apostoli fecerunt, locuti sunt, scripserunt, id omne πλησθέντες πνεύματος ἁγίου. Ita dicitur de Petro Actor. 4: 8. de Sanctis Actor. 4: 31. de Stephano Act. 6: 8. de Saulo Act. 9: 17. 13: 9. Inde Christus dicitur, ὁ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρούμενος Ephes. 1: 23. confer 4: 18. *ascendit*, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. Quod hic dicitur, *Impleti sunt Spiritu S.* dicitur alibi, ἐπέπεσε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ πάντας. Actor. 10: 44. 11: 15. ἦλθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτοὺς Actor. 19: 6. ἡ δωρεὰ τοῦ πνεύματος ἁγίου ἐκκέχυται ἐπὶ τὰ ἔθνη. Act. 10: 45. 46. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔλαβον. Act. 10: 47. confer Act. 19: 2. βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Act. 11: 16. confer Joh. 1: 33. Matth. 3. 11.

Et inceperunt loqui linguis aliis. §. 12. Impleti Spiritu, ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις *cœperunt loqui linguis aliis*. Actor. 2: 4. id dixerat Christus, Marc. 16: 17. *linguis loquentur novis*. Et quidem multis & plurimis, adeo ut multæ illæ nationes, quæ tunc aderant in Hierusalem, audiverint quælibet *loqui illos* τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν Actor. cap. 2: vers. 6. confer vers. 8. 11. ἀκούομεν λαλούντων αὐτῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις. Ita autem locuti sunt, ut τὸ πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι *Spiritus dabat illis eloqui* seu *effari*, Actor. cap. 2: 4. ne putemus illos confusè & sine discrimine diversarum linguarum voces miscuisse, confudisse, & pro-

& promiscuè ac sine ordine enarrasse; quinimo ut eis Spiritus, linguarum autor, & hujus multiloquentiæ effector, dabat, h.e. jubebat, movebat, & impellebat, ita loquuti sunt; nim. ut opportunum erat, loquuti sunt cum accedentibus Parthis parthicè; cum Phrygibus phrygicè, & sic porrò. Hoc jam, si quicquam, mirum est & inauditum. Homines *Galilei*, natura rudes, *ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται* Act. 4: 13. nulla antecedente institutione, nullo exercitio, subitò, linguas alias, & multas, & perfecta dialecto incipiunt loqui. Tria docet Plut. in libro de educatione, debere concurrere ad felicem profectum, φύσιν ***naturam***, μάθησιν ***institutionem***, ἄσκησιν ***usum***. Horum unum si deficiat, ***virtutem mancam*** esse, addo & ***eruditionem***. φύσις γὰρ ἄνευ μαθήσεως τυφλόν. μάθησις δίχα φύσεως ἐλλιπές. ἄσκησις χωρὶς ἀμφοῖν ἀτελές. Omnia hæc deficiunt Apostolis. ***Natura***, erant enim è rudiore gente. ***Institutio***, erant pauperes & piscatores. ***Exercitium***, subitò enim incipiunt loqui. Quare eo magis hic miremur omnipotentis Spiritus miraculum. Ille ***posuit os homini.*** Exod. 4: 11. Ille fecit ***mutos loqui*** Marc. 7: vers. 37. Ille Apostolos variis linguis loqui. Fuit ***cum ore illorum***, & ***docuit***, ***quid loquerentur***, Exod. 4: 12. quibus vocibus loquerentur, & qua dialecto. Extructoribus Turris Babel ***confudit labium***, ***ut non intelligerent vir labium*** seu loquelam ***proximi sui***. Genes. 11: 7. Exstructoribus Ecclesiæ, quæ cum Spirituali perpetuo decertat Babel, non confudit linguas; sed novis dedit loqui linguis; ut non tantùm se intelligerent invicem, quod jam poterant sine novis illis; sed & ut intelligerentur exteris quibusvis & remotissimis gentibus, adeoque intelligerentur omnibus. Magnum fuit confundere labium, majus est novis subitò linguis imbuere labium; destruere domum minus est, quàm ædificare. Minus etiam unam linguam confundere & in alias deflectere; quam in unum subjectum multarum linguarum scientiam & loquelam uno momento infundere. Quantum malum prior illa confusio attulit; tantum beneficium hoc linguarum donum peperit & adduxit. Confuso labio homines sunt *separati* & dispersi. Genes. 11: 8. Reddito & multiplicato labio dispersi sunt recollecti. Ioh. cap. 11: vers. 52. Ita impleta prophetia Zoph. cap. 3: vers. 9. ***Tunc convertam ad populos*** שָׂפָה בְרוּרָה ***labium clarum***, & perspicuum, illisque intelligibile. Imò & Es. 28: 11. ***In sannis labii***, וּבְלָשׁוֹן אַחֶרֶת ***& lingua alia loquetur ad populum hunc***. Multiplicatio linguarum gentium imprimis fuit beneficium, non potuissent vocari, nec Euangelium illis annunciari sine illa. Exstitit etiam ***infidelibus in signum*** 1 Cor. 14: 22. Inobedientibus autem Iudæis in damnum; quibus Deus ne in lingua quidem illorum dignatur loqui amplius.

§. 13. Peregrinior hic est Erasmi commentatio; quæ tamen etiam antiquiorum est, ***Probabilius est***, inquit, ***Apostolos sua lingua fuisse locutos, & miraculo factum, ut nemo non intelligeret, ac si suam quisque linguam audisset.*** Addit. ***Eundem hominem eodem tempore diversis linguis loqui, implicat contradictionem.*** Sed textus clarè dicit, ipsos Apostolos cœpisse ***loqui linguis aliis, ut Spiritus dabat*** ILLIS ***effari.*** vers. 4. & 6. ***audiebant unusquisque propria dialecto loqui*** ILLOS. confer vers. 18. ***Quomodo nos audimus quilibet propria dialecto nostra, in qua nati sumus.*** Si auditores linguam Apostolorum miraculosè intellexissent, non audivissent in propria, sed in aliena dialecto, in qua haut nati erant. adde vers. 11. λαλούντων αὐτῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις. Deinde si ita esset, ut vult Erasmus, miraculum nullum in Apostolis factum esset, sed in auditoribus, id quod & Gregorius Nazianzenus innuit in sermone de Pentecoste. ἐκείνως, inquit, γὰρ μᾶλλον ἂν εἴη τῶν ἀκουόντων, ἢ τῶν λεγόντων τὸ θαῦμα. ***Illo enim modo esset magis audientium, quam*** Apostolorum ***loquentium miraculum.*** Viguit certè illo tempore linguarum donum. Act. 10: 46. 19: 6. 1 Cor. 14: 18. ***Gratias ago Deo meo, omnibus vobis magis*** γλώσσαις λαλῶν.

Erasmi commentatio.

Et promissio Christi exstabat. Marc. 16: vers. 17. γλώσσαις λαλήσουσι. Neque, ut putat Erasmus, eodem tempore & eodem habitu diversis linguis locuti sunt. Sed ut *occasio* tulit, & multitudo se illis obtulit, & Spiritus illos impulit, cum græcis græcè, & sic porro, locuti sunt.

Magnalia Dei. §. 14. Sed quæ fuit materia Sermonis? Loquuti sunt τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ *magnalia Dei.* Actor. 2: 11. hoc est, eximia illa & mirabilia, quæ fecit ὁ δυνατὸς Luc. 1: 49. Locuti sunt *Deum in carne manifestatum, Spiritu justificatum, Angelis visum, in gloriam assumtum.* 1 Tim. 3: 16. Annunciarunt τὸν ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον τοῦ χριστοῦ, καὶ τὴν πολυποίκιλον σοφίαν τοῦ θεοῦ Ephes. 3: 8. 10. *quæ auris non audivit, oculus non vidit.* 1 Cor. 2: vers. 9. Si quem juvat *magnalia* audire, is adeat Christum; consideret illius Deitatem, humanitatem, passionem, gloriam. Ibi videbit amorem Dei incomparabilem, justitiam immutabilem, divitias inexhauribiles, sapientiam profundissimam. *In mysterio* enim *Dei & Christi sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi* Col. 2: 3. Etiam hoc miraculum maximum. Homines rudes, illiterati, idiotæ de magnalibus Dei loquuntur, non meditati sunt, non diurna cogitatione conceptus formarunt; sed ex tempore, ἐκ τοῦ παρατυχόντος, ἐκ τοῦ παραχρῆμα de rebus tam sublimibus, omnem cogitationem excedentibus, verba faciunt eximiè, decorè & ad convictionem audientium. Vetus est Proverbium. χαλεπὰ τὰ καλά. *Difficilia, quæ pulchra,* longè sunt meditanda, quæ benè dicenda. οἱ αὐτοσχέδιοι τῶν λόγων πολλῆς εὐχερείας καὶ ῥᾳδιουργίας εἰσὶ πλήρεις, οὐθ' ὅθεν ἀρκτέον, οὐθ' ὅπου παυστέον ἐστὶν, εἰδότων. Plutarchus περὶ ἀγωγῆς. *Extemporanei Sermones sunt pleni multa facilitate & levitate; nesciunt ubi incipiendum, ubi desinendum.* Magnus ille Pericles à populo ad dicendum vocatus, sæpè renuit, λέγων, ἀσύντακτος εἶναι. Demosthenes Atheniensibus idem postulantibus aliquando respondit, οὐ συντέταγμαι. Spiritus Sanctus, Apostolos ita hic erudivit, ut & loquerentur benè nec meditato; ut loquerentur de sublimibus, quæ non congesserant ex aliis voluminibus. Igitur hîc factum ut est Matth. 10: 19. 20. *non estis vos, qui loquimini. Sed Spiritus Patris vestri loquitur in vobis.*

Multitudo convenit & stupet. §. 15. Quum increbuisset rumor, esse viros, tot linguas loquentes, tam grandia dicentes, συνῆλθε τὸ πλῆθος *convenit multitudo* καὶ συνεχύθη *& confusa est,* Actor. 2: 6. *stupuerunt omnes & mirati sunt.* vers. 7. Cur? 1. *Audiebant quilibet propria dialecto illos loqui,* vers. 6. 2. Noverant illos, qui *loquebantur, esse Galilæos,* vers. 7. quæ natio in exigua erat existimatione. Ioh. 1: 48. 7: 32. 3. Audiebant illos loqui, non trita, nec vulgaria, sed *Dei magnalia.* vers. 11.

Variæ nationes in Jerusalem. §. 16. Erant autem in Jerusalem *homines, ex omni gente quæ sub cælo.* Actor. 2: 5. 1. Πάρθοι *Parthi,* aliàs dicti παρθυαῖοι, fuerunt origine Scythæ. Sed ad Medos confugerunt; unde à Scythis πάρθοι, hoc est, οἱ φυγάδες dicti sunt. 2. Μῆδοι. Media Parthiæ vicina est. Metropolis ejus τὰ ἐκβάτανα. 3. Ἐλαμῖται. Ita dicuntur *Persæ* in sacris Es. 11: 11. & ipsa Persia *Elam.* Es. 21: 2. 22: 6. Jerem. 25: 25. 49: 33. 34. ab *Elam,* primogenito *Sethi.* Joseph ἀρχαιολ. libr. 1. cap. VII. Ἔλυμος Ἐλυμαίους Περσῶν ὄντας ἀρχηγέτας κατέλιπεν. *Elymus Elymæos, è quibus Persæ initium ceperunt, reliquit.* 1 Maccab. cap. 6: vers. 1. dicitur Rex Antiochus audivisse, ὅτι Ἐλυμαΐς ἐν τῇ Περσίδι ἐστὶν πόλις ἔνδοξος πλούτῳ, ἀργυρίῳ καὶ χρυσίῳ. *Elymaida esse Persidis civitatem, divitiis, auro & argento celebrem.* 4. οἱ κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν. Mesopotamia, regio majoris Asiæ, μέση τῶν δύο ποταμῶν, Εὐφράτου καὶ Τίγρητος; adeoque ita dicta ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος, ut habet Strabo libr. 16. Dionysius Afer in περιηγήσει laudat Mesopotamiam, quod ἀέξει *producit*

ducit ἀνδρῶν, hoc est, ἀνθρώπων φύτλω καλλίςlω ἢ ἀθανάτοισιν ὁμοίlω *hominum progeniem pulcherrimam, & immortalibus similem.* 5. Ἰυδαίαν. Sunt qui legunt Ἰνδίαν. 6. καππαδοκίαν. Fuit regnum olim in Asia potentissimum, cujus incolæ dicti οἱ καππαδόκαι & οἱ καππάδοκες. 7. πόντον. Alii *Cappadociam minorem*, *Ponticam* dictam; alii terram quamvis *Ponto Euxino* adjacentem intelligunt. 8. Ἀσίαν minorem nim. 9. φρυγίαν. De Phrygibus proverbium est, *Phryx plagis emendatur, &, serò sapiunt Phryges.* 10. παμφυλίαν, nomen hoc habet ἀπὸ παντοίων φυλῶν, fuit enim illa gens colluvies variorum hominum, μιγάδων τινῶν ἐκ Τροίας συνακολουθησάντων, ut inquit Strabo. 11. Αἴγυπτον. 12. τὰ μέρη τῆς λιβύης τῆς κατὰ κυρήνlω, κυρήνη est metropolis totius Cyrenaicæ. λιβύα eadem est, quæ Africa. Hic Libya Cyreniaca intelligenda, olim Pentapolitana dicta, à quinque egregiis urbibus in illa sitis. 13. οἱ ἐπιδημοῦντες ῥωμαῖοι. 14. κρῆτες, κρήτη insula in mari Cretico hodie Candia. Incolæ illius à frequentibus fabulis *mendaces* audiunt. 15. Ἄραβες. Duplex Arabia, *felix* & *deserta.* Omnes has gentes in duo distribuit Lucas genera. Ἰυδαῖοι τε ἢ προσήλυτοι. *Judæi* non ex gente, sed ex religione & prima origine. *Proselyti*, natione Pagani, sed religione & circumcisione facti Judæi. Horum omnium linguas Apostoli momento uno didicerunt loqui. Actor. 2: 9 -- 11. Judæi olim inter qualitates requisitas in Senatore ꝫ Sanhedrin etiam hanc posuerunt, ut 70. linguas nossēt. אין מושיבין בסנהדרי אלא בעלי קומה ובעלי חכמה ובעלי מראה ובעלי זקנה ויודעים בשבעים לשון שלא תהא סנהדרי שומעת מפי התור גמן *Non collocant in Synedrio magno nisi viros proceros, sapientes, aspectabiles, & senes, & callentes septuaginta linguas, ut ne Sanhedrin indigeat interprete.* Alii tamen id ita restringunt, ut ad minimum duo sint, qui 70. linguas calleant, & unus, qui intelligat. Tales Jabne quatuor fuisse, Rabbi *Elieserem*, Rabbi *Iosuam*, Rabbi *Akibam*, & *Simeonem Themanitem.* Sed quis credet Judaicis fabulis?

§. 17. Observemus obiter 1. Quanta urbs fuerit Hierosolyma, intra cujus mœnia tot exteræ pernoctarunt nationes. 2. Quomodo Judæi per totum terrarum orbem fuerint dispersi confer Jacob. 1: 1. ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ confer 1 Petr. 1: 1. Joh. 7: 35. *num vult proficisci* εἰς τlὼ διασποράν, ἢ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας. 3. Quomodo verbum suum impleverit Dominus Deuter. 30: 4. *Congregabit te ex omnibus populis, quo dispersit te Dominus Deus tuus. Si sit depulsus tuus in extremo cœlorum inde colliget te, inde sumet te*, nec oportuit ad implendum hoc verbum, ut omnes domicilium fixerint in Hierusalem & Judæa; sufficit, quod illuc quotannis, aut nonnunquam venerunt. 4. Ita verè dici potuit. *Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus.*

§. 18. Videntes & audientes Apostolos Judæi & proselyti diversimode affecti fuerunt, Cavillan-
quidam dixerunt. Τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι. Alii. *Vino dulci pleni sunt.* Actor. 2: 12. 13. tur Apo-
Putidum cavillum. *Irrisor est vinum, tumultuatur sicera* Prov. 20: 1. *vinum aufert cor.* stolos.
Hos. 4: 11. Cicero. *Quæ autem in castris & vino commentatio esse potest?* Athenæus. οἶνος ἢ φρονοῦντας εἰς ἀφροσύνlω ἀναβάλλ' *Insanire facit sanos quoque copia vini. Sapientia vino obumbratur.* Evidentissima Dei opera calumniari mundo proclive est. Sed & ipsi hi calumniatores nolentes & nescientes, imò mentientes verum dicunt. *Vino dulci* pleni erant Sancti Dei servi; sed illo *vino*, quod *novum bibitur in regno cœlorum* Matth. 26: 29. & *in mensa* Servatoris Luc. 22: vers. 30. de quo est Es. 55: vers. 1. *Venite & emite, sine argento, & sine pretio, vinum & lac.* confer Zach. 10: 7. *Et lætabitur cor eorum* כמו יין *ut vino.* Prov. 9: *Sapientia* מָסְכָה יֵינָהּ *temperavit vinum suum.* vers. 5. *Bibite de vino, quod temperavi.*

§. 19. Pe-

Petrus respondet. §. 19. Petrus, ut calumniam depellat, surgit, negat, illos μεθύειν. *Esse enim horam tertiam diei*, Actor. 2:15. qua bonum virum jam μεθύειν turpe est. *Sed hoc est*, inquit, *quod dictum est per Prophetam Ioël.* Actor. 2: 16. *Aperuerat* Christus discipulis suis *mentem, ut intelligerent Scripturas.* Luc. 24: vers. 45. Spiritus effusus docebat illos omnia. Inde Petrus tam subitò tantus evasit Orator & Doctor. Igitur Joël in loco, quem allegat Petrus, de miraculosa hac effusione Spiritus Sancti vaticinatus est. Ita autem ille cap. 2: 28. וְהָיָה אַחֲרֵי־כֵן אֶשְׁפּוֹךְ אֶת־רוּחִי עַל כָּל־בָּשָׂר *Et erit post illa effundam Spiritum meum in omnem carnem.*

Locus Joëlis cap. 2: 28. §. 20. *Post illa*, inquit Joël; aut Dominus apud Joëlem. Præcedit cap. 2: 23. *Gaudete Filii Zion*; *nam dedit vobis Doctorem ad justitiam.* vers. 27: *Et cognoscetis, quod in medio Israëlis Ego.* Ergo post datum Dominum, & habitantem in nobis effusus est Spiritus. Mittitur *Filius*, mittitur *Spiritus.* Sed prior Filius, posterior Spiritus. Gal. 4: vers. 4. 6. Imò ob Filium & per Filium, datur Spiritus. Imò Spiritum dat mittitque Filius. Hæc verba ita extulit Petrus. *Et erit* ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις *in postremis diebus.* Actor.

Post illa. 2: 17. Tempus apparitionis Filii in carne dicitur ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων. Hebr. 1: 1. בְּאַחֲרִית הַיָּמִים Es. 2: vers. 2. τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου. Galat. 4: vers. 4. *Finis visionis.* Habac. 2: vers. 3. אַחֲרֵי הַיָּמִים הָהֵם Jerem. 31: vers. 33. Ergo & Spiritus, qui post Filium venit, ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις venit. Tres, ut ita loquar, venerunt ad parandum & introducendum *Regnum cælorum.* Prior Johannes Baptista, Matth. 11: vers. 12. sed ille non fuit nisi merus servus, ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς Joh. 3: vers. 31. *Post illum venit Jesus* Joh. 1: vers. 15. *Rex* in illo *regno.* Ioh. 18: 36. 37. Post Jesum *Spiritus*; *Paracletus* & *Doctor* in regno illo perpetuus, qui, quia *in ultimis diebus* demum effusus est, dicitur antea *nondum fuisse.* Ioh. 7: 39. Act. 19: 2.

Spiritum meum. §. 21. רוּחַ *Spiritus* est, qui promittitur, & quidem רוּחִי *Spiritus meus.* Spiritus Dei; is Spiritus, qui *incubuit super aquas* Genes. 1: vers. 2. qui *fecit omnem exercitum cæli* Psalm. 33: 5. *in quo cæli pulchritudo* sunt Iob 26: 13. qui hominem *fecit* Iob 33: 4. is, inquam, Spiritus, qui cum primo mundo *disceptavit* Genes. 6: vers. 3. cum quo Moses egit detecta *facie* 2 Cor. 3: vers. 16. 17. qui *stetit in medio Israëlis* Hag. 2: vers. 5. confer Num. 11: vers. 29. qui *locutus est per Davidem*, 2 Sam. 23: vers. 1. & per *Prophetas* 2 Petr. 1: vers. 21. qui Sanctos *duxit in terra planitiei*, Psalm. 143: 10. quem petierunt *à se non auferri.* Psalm. 51: 13. Is, inquam, Spiritus promittitur, qui non est virtus aut qualitas Dei, nedum Sanctorum, sed persona distincta à Patre & Filio, *unum* cum illis 1 Ioh. 5: 7. Deus cum Deo.

Effundam. §. 22. De hoc Spiritu ita, *effundam?* quis? λέγει ὁ θεός. Act. 2: 17. Deus Pater *mittit.* Gal. 4: 6. Ioh. 14: 16. Deus Filius *mittit.* πέμψω αὐτὸν Ioh. 16: 7. mittit παρὰ τοῦ πατρὸς Ioh. 15: 26. ἐρωτήσω τὸν πατέρα. Ioh. 14: 6. Pater mittit, ut *Spiritum Filii sui.* Gal. 4: 6. Dicitur & alibi *effundi.* Es. 44: vers. 3. אֶצֹּק *effundam Spiritum meum super semen tuum.* Zach. 12: 10. וְשָׁפַכְתִּי *& effundam Spiritum gratiæ.* confer Act. 11: 16. βαπτισθήσεσθε. Variæ observentur locutiones. Spiritus non tantùm dicitur *effundi*; sed & *mitti.* Es. 48: 16. *Et nunc Dominus misit me* וְרוּחוֹ confer Ioh. 15: 26. 16: 7. Gal. 4: 6. *Dari* Ioh. 14: 16. *Alium advocatum* δώσει ὑμῖν Zach. 9: 12. *Etiam hodie alterum indicem* אָשִׁיב לָךְ *reddam tibi.* Es. 42: 1. *Dedi Spiritum meum super illum*; confer Num. 11: 29. *Venire.* Ioh. 15: 26. *quum autem venerit Paracletus.* 16. vers. 7. οὐκ ἐλεύσεται vers. 8. καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος. *Decidere.* Actor. 8: 16. *nondum erat super ullum illorum* ἐπιπεπτωκός. confer Act. 10: 44. 11: 15. *Accipi.* Act. 8: 15. ὅπως λάβωσι πνεῦμα ἅγιον. Act. 19: 2.

Rom.

Rom. 8: 15. Joh. 7: 39. Nimirum Deus dat, mittit, effundit. Spiritus venit, decidit, Ecclesia venientem, delabentem, datum, missum, effusum, accipit. Spiritus est *donum*; sed voluntarium donum, sponte veniens. Deus, tum Pater, tum Filius, est *dator* hujus doni. Sancti *accipiunt* hoc donum. Non inde colligenda Spiritus minoritas, sed potius concludenda majoritas, & cum Patre ac Filio æqualitas.

§. 23. De *effusione* Spiritus autem nunc agimus. Res liquidæ propriè effunduntur, velut *aqua*. 1 Sam. 7: 6. *Et hauserunt aquas* וַיִּשְׁפְּכוּ *& effuderunt*. Thren. 2: vers. 19. שִׁפְכִי כַמַּיִם לִבֵּךְ *effunde ut aquas cor tuum*. Psal. 22: vers. 15. *ut aqua effusus sum*. Imò & *ignis*. Matth. 3: 11. βαπτίσει ὑμᾶς ἐν πυρί. Genes. 19: 24. *Et Dominus fecit pluere* הִמְטִיר *super Sodom sulphur & ignem*. Cogitemus, *Spiritum*, qui effunditur, in sacris *aquam* dici Joh. 4: 14. 7: 38. Et secundùm quosdam etiam Joh. 3: 5. ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, ut sit ἓν διὰ δυοῖν. Imò & cum *igne* comparari. Linguæ, symbolum ejus, quod operaturus erat in sanctis, visæ sunt ὡσεὶ πυρός Actor. 2: 3. confer Matth. 3: 1. *baptizabit vos* ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί, ut & ibi sit ἓν διὰ δυοῖν. Agit in modum *aquæ* Spiritus, hoc est, vi irrumpit, cogit Deo corda immorigera, purgat, recreat, lætificat, & *ignis*, quisquilias consumit, frigus expellit, amorem infundit, qui fortis, ut ignis; lucet, illuminat. Deinde & vocabulo *effusionis* notatur abundantia Spiritus, non mittetur guttatim, non parca manu, sed *effundetur*, dabitur οὐκ ἐκ μέτρου Joh. 3: 34. confer Psal. 68: 10. גֶּשֶׁם נְדָבוֹת תָּנִיף:

§. 24. Cum *Spiritus* dicitur *effundi*, non est cogitanda *corporalis* effusio, nam Spiritus *corpus* non est; sed *spiritualis*, nec *essentiæ* effusio, quam cælum & terra non capit, quæque omnia replet; sed *donorum*, quæ Spiritus S. ἐνεργεῖ, copiosissima communicatio. Ita est Act. 10: 45. ἡ δωρεὰ *donum Spiritus S. effusum est*. Act. 11: 17. τὴν ἴσην δωρεὰν *dedit illis Deus ut nobis*, Ephes. 4: 8. *dedisti* δόματα *dona hominibus*. *Effundam Spiritum meum* igitur est, abundantissimè distribuam dona, quæ Spiritus meus operabitur. Petrus. ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου *effundam à Spiritu meo*. Act. 2: 17. hoc est, à donis Spiritus mei. Spiritus enim in se est ἀμερὴς, nec in μέρη dividi potest, nec ita datur *à Spiritu*, ut Christo à discipulis dabatur ἀπὸ μελισσίου κηρίου. Luc. 24: 42.

§. 25. Dona Spiritus sunt varia & multa. *Sapientia, prudentia, consilium, fortitudo, cognitio, timor Domini*, à quibus donis Spiritus dicitur *Spiritus sapientiæ*, &c. Es. 11: 2. Imò quia illa dona sunt multa, dicuntur ἑπτὰ πνεύματα Apoc. 1: 4. cum *unus* tantùm & *idem sit Spiritus*. 1 Cor. 12: 11. Præterea à vario statu, quem Spiritus S. subire docuit, tum *servitutis*, tum *libertatis*, idem denominatur πνεῦμα δουλείας Rom. 8: 15. & πνεῦμα ἐλευθερίας. 2 Cor. 3: 17. & υἱοθεσίας Rom. 8: 15. Præter hæc, sunt alia adhuc dona, *Prophetia, frequentia visionum*, & divina *somnia*. Omnia hæc dona fuerunt olim data sanctis. polluerunt enim sapientia, consilio, fide, timore Dei; &c. In media servitute gavisi sunt libertate. Joh. cap. 6: 34. vers. 35. Imò libertas fuit, servire cum lubentia, nam hoc est liberum esse, facere voluntatem & præcepta Dei libenter. Etiam olim fuerunt *Prophetæ*, qui futura sunt vaticinati, & de præsentibus hortati, imò & de absentibus locuti. Illis *cognitus est Dominus* בַּמַּרְאָה *in visione, ad illos locutus est* בַּחֲלוֹם *in somnio*, imò & פֶּה אֶל פֶּה *os ad os*, ut Mosi fecit. Num. 12: 6. 7. 8. Nihilominus dicebatur *Spiritus nondum esse, non acceptus esse, non venisse*, non *missus*, nec *effusus* esse. Non ergo fuit, quamvis fuit. Fuerunt *dona*, sed parcius, & quasi ex mensura, & cum defectu ac onere, fuit libertas, sed cum servitute, fuit aspectus, sed cum velo, fuit introitus, sed cum exclusione, fuit satietas, sed cum fame; fuit veritas, sed cum figuris; fuit corpus, sed cum umbris, fuit pax, sed cum inimicitia, fuit fides, & venire debebat fides; fuit charitas, sed cum δειλίᾳ; fuit remissio, sed cum chirographo;

fuit notitia, sed cum ignorantia; fuit justitia, sed & κατάκρισις 2 Cor. 5: 9. fuit lætitia, sed & λύπη; fuit gratia, sed & ira; Rom. 4: 15. neque δεδόξασται ὁ δεδοξασμένος. 2 Cor. 3: 10. Deinde & fuit προφητεία; fuerunt visiones & somnia. Sed revelata paucis, non omnibus; & futurorum, non præsentium bonorum.

In omnem carnem.

§. 26. Spiritus promittitur effundendus; hoc est, dona ejus, tum extraordinaria, tum ordinaria, maxima copia promittuntur, & quidem *carni*, imò *omni* carni. Per *carnem* intelliguntur *homines*, qui è carne constant. Genes. 6: 12. *Corrupit omnis caro viam suam* Deut. 5: 26. *Nam quæ ulla caro*, כִּי מִי כָל־בָּשָׂר *quæ audivit vocem Dei vivi*. Psalm. 65: vers. 3. *O audiens orationes! ad te omnis caro venient*. Zach. 2: 17. *Sile omnis caro coram Deo*. Nec carni tantùm, sed *omni* carni. An ergo nullus homo est, in quem Spiritus S. non effusus est? certè Pharisæi, & quotquot Spiritui S. restiterunt Act. 7: 51. & Ecclesiam Apostolorum persecuti sunt, haut illius facti sunt participes, non locuti sunt linguis, non prophetarunt; non somniarunt somnia; non viderunt visiones, quomodo ergo *in omnem carnem?* quia χωρὶς διαστολῆς *sine distinctione* in omnem gentem, tribum, sexum, linguam, conditionem. Non in solam familiam Aharonis, non in solam tribum Levi, non in solam gentem Judaicam, non in solos viros; non in solos liberos; sed in omnes sine discrimine, in *filios*, in *filias*, in *senes*, in *juvenes*, in *servos*, in *servas*, in Judæos, in gentes effusus Spiritus est, οὐκ ἔνι Ἰουδαῖος, οὐδὲ Ἕλλην; οὐκ ἔνι δοῦλος, οὐδὲ ἐλεύθερος, οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ, *omnes enim unum sunt in Christo Jesu*, Galat. 3: 28. omnibus τὴν ἴσην δωρεὰν ἔδωκεν ὁ θεός. Act. 11: 17. Observanda hic restrictio, sub Vet. Testamento Spiritus effusus est, sed non in *omnes*, gentes enim fuerunt *hospites testamentorum promissionis*; adeoque & Spiritùs promissionis Sancti. Fuit etiam ibi distinctio tribuum. Levitica sola divino cultui fuit destinata, familia Aharonica altari. Circumcidebantur mares, non fœminæ. Nec omnes in beneficiis divinis eandem habuerunt partem. Hæc differentia nunc tollitur. Spiritus in *omnes* effunditur. Ergo debuit tolli cultus ceremonialis, servitus umbrarum, familia Aharonis, distinctio tribuum, inimicitia gentium, ut impleretur, *Spiritum meum effundam in omnem carnem.*

Beneficia effusi Spiritus Sancti.

§. 27. Effusi Spiritus hæc beneficia narrat prophetia. 1. *Filii vestri & Filiæ vestræ prophetabunt*, sumamus hoc nunc de Prophetia extraordinaria, quæ futura prædicit. Certe ita factum. *Apostoli*, Judæorum filii prophetarunt. Actor. 20: 29. 30. 27: 22. 1 Cor. 2: 6. 2 Thess. 2: 4. 2 Petr. 2: 1. 2. 1 Joh. 2: ỳ. 18. 22. Apocalypsis Johannis est liber propheticus. *Agabus* fuit insignis *Propheta*. Actor. 11: 28. 21: 10. 11. cum illo venerunt plures Προφῆται ἀπὸ ἱεροσολύμων. Actor. 11: 27. In Ecclesia Antiochena erant complures προφῆται καὶ διδάσκαλοι. Actor. 13: 1. *Judas* & *Silas* erant προφῆται Actor. 15: ỳ. 32. Viri duodecim Ephesi προεφήτευον. Actor. 19: 6. *Vincula* Pauli & *afflictiones*, Spiritus Sanctus διεμαρτύρετο κατὰ πόλιν. Actor. 20. 23. Philippo Euangelistæ erant *Filiæ Virgines quatuor* προφητεύουσαι. Actor. 21: 8. 9. 2. *Senes somnia somniabunt, juvenes visiones videbunt*. Vide visiones *Sauli* seu Pauli. Actor. 9: 3 -- 7. confer Actor. 26: 19. Act. 9: 12. Act. 16: 9. 10. Act. 18: 9. Act. 23: 11. Actor. 22: 17. Act. 27: 23. confer 2 Cor. 12: vers. 1. ἐλεύσομαι εἰς ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις κυρίου. adde vers. 2 -- 3. *Petri*. Actor. 5: vers. 19. Actor. 8: 11 -- 17. Act. 12: 7 -- 9. *Ananiæ* Act. 9: 10. *Cornelii*. Act. 10: 3. *Johannis* Apoc. 1: 10 -- 18. 12: 1 -- 5. Et totus ille liber, quid narrat, nisi ejus ὁράματα? His adde *donum* linguarum & miraculorum, quo Apostoli & Euangelistæ, aliique sancti eximiè polluerunt. Act. 3: 6. 7. 8.. Act. 8: 6. 13. Actor. 9: 33. 40. Actor. 14: 8. 9. 10. Act. 19: 11. 20: 9. 10. 12. 28: 3. 8. 9. Act. 16: 18. Et ut de *servis* etiam veritas constet.

One-

Onesimus servus Paulo fuit εὔχρηστος. Ep. ad Philem. vers. 11. *Ioannes Marcus* Act. 12:25. fuit Pauli & Barnabæ Socius ac ὑπηρέτης. Act. 13:5. *Timotheus* fuit Pauli famulus & συνεργός. Act. 16:1. Rom. 16:21.

§. 28. Idem Spiritus, præter hæc extraordinaria dona, operatus est in illis dona ordinaria, majora quàm Sancti olim habuerunt. Fuit in illis Spiritus *gratiæ & precum* Zach. 12:10. Rom. 8:15. υἱοθεσίας *libertatis, gloriæ, potentiæ, dilectionis* 1 Petr. 4:14. 2 Tim. 1: vers. 7. Spiritus παράκλητος Joh. 14:16. διδάσκων πάντα ibidem vers. 26. ὁδηγῶν εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν Joh. cap. 16: ṽ. 13. *in illis clamans, Abba.* Rom. 8: vers. 15. Galat. 4: vers. 6.

§. 29. Hic Spiritus effusus in Apostolos *manet* cum Sanctis omnibus, etiam post Apostolorum tempora, εἰς τὸν αἰῶνα Joh. 14:16. *non* enim Dominus illos *reliquit orphanos.* Joh. 14:18. quinimo *Spiritum S. effudit super nos* πλουσίως *abundanter* Tit. 3:6. *Gloriæ & Dei Spiritus super nos* ἀναπαύεται *requiescit* 1 Petr. 4: ṽ. 14. *unctio, quam accepistis ab illo*, in vobis manet. 1 Joh. cap. 2: vers. 27. *Spiritus meus, qui super te non recedet a te, nec a semine tuo, nec a semine seminis tui, a nunc in seculum.* Es. 59: vers. 22. *In quo obsignati estis in diem redemtionis.* Ephes. 4:30. Dona quidem illa linguarum, efficaciarum, potentiarum, vaticiniorum, visionum, somniorum cum Apostolis defierunt. Constitutâ enim & ordinatâ Ecclesiâ, ligato dracone, victis rebellibus, debellata mundi pertinacia, non illis amplius indiget Dei populus; quæ ipsa fuerunt εἰς σημεῖον non tam τοῖς πιστεύουσι, quàm τοῖς ἀπίστοις. 1 Cor. 14:22. At ordinaria illa dona manent, nec minuuntur. Pax, gaudium, gratia, supplicationes, filialis clamor, gemitus intercessoriales & ineloquaces, Rom. 8:26. Testimonium filiationis, fides, spes, charitas, &c. Imò & manet προφητεία, manent ὁράσεις, manent ἐνύπνια. Non ut arrogemus nobis, futura prædicere, remotissima vaticinari; aut ut dicamus, familiares nobis esse ἐκστάσεις aut videre nos non visa, audire non audita: imò nec, ut somniis nostris, tanquam indicibus voluntatis divinæ innitamur, id quod hoc seculo nonnulli præsumentes, se ipsos aliosque miserè fefellerunt; sed eatenus manet προφητεία, quatenus verbum propheticum copiosè in nobis habitat, & ex illo licet omnibus judicare de præteritis, pronunciare de præsentibus, spemque concipere de futuris; imò & quatenus *Prophetas* facit Deus nos, hoc est, in scripturis propheticis δυνατοὺς *potentes* (Actor. 18: vers. 24.) ut ex illis Christum, πνεῦμα illius, & δόξας & πίστιν demonstrare possimus ad omnem conscientiam. Hæc est illa προφητεία in Sacris Novi Testamenti decantata, quæ est εἰς σημεῖον τοῖς πιστεύουσιν *in signum* & ædificationem *credentibus* 1 Cor. cap. 14: vers. 22. Hoc προφητεύειν jubet Paulus maximè ζηλοῦν 1 Cor. cap. 14: vers. 1. 5. ὁ γὰρ προφητεύων inquit, *loquitur ædificationem, & consolationem & adhortationem* vers. 3. ἐκκλησίαν οἰκοδομεῖ vers. 4. est μείζων ἢ ὁ λαλῶν γλώσσαις. vers. 5. De illis προφήταις loquitur 1 Cor. cap. 14: vers. 32. *Spiritus prophetarum prophetis subjiciuntur.* Ephes. cap. 4: vers. 11. *Dominus dedit* τοὺς μὲν ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας. Ephes. cap. 2: vers. 20. *Inædificati in fundamento Apostolorum & Prophetarum.* Ita προφητεύειν est donum & beneficium præcipuè Novi & Melioris Testamenti & Spiritus S. effusi secundùm promissionem. Licet enim & sub Veteri Testamento etiam hoc sensu fuerint *Prophetæ*, quales dicuntur passim נְבִיאִים 1 Sam. 10: 10. 11. & בְּנֵי הַנְּבִיאִים 2 Reg. 2:3. 5. 7. & dicuntur *sedisse ante* Elisam 2 Reg. 4:38. 6:1. 2. Tamen Filii Novi imprimis merentur *Prophetæ* dici. In illis verata promissio. Es. cap. 54: vers. 13. *Et omnes filii tui docti Iehovæ.* Jerem cap. 31. vers. 33. 34. *Non docebunt amplius vir proximum suum.* 1 Joh. 2:27. *Non habetis opus, ut quis doceat vos, sed ut eadem unctio docet vos de omnibus.* Licet enim

Beneficia Spiritus quænam maneant semper finitque omnis temporis.

adhuc sint in Ecclesia Doctores & Discipuli, *κατηχοῦντες* & *κατηχούμενοι*, *perfecti* in Christo, quorum *solidus cibus*, & *pueri*, quibus *lac* convenit, tamen nunc non habemus *cathedram* visibilem, ut olim fuit illa *Mosis*, in qua *sederunt Pharisæi & Sadducæi*, quorum dicta *facere* debuit prior populus, Matth. 23: 2. 3. qui dicuntur habuisse τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως *clavem cognitionis*. Luc. 11: 52. Non nunc sunt Sacerdotes secundùm ordinem Aharon, de quibus dicatur, Mal. 2: 6. *Labia sacerdotis servabunt scientiam, & legem requirent ab ore ejus.* Non nunc est urbs visibilis, aut locus palpabilis, ubi sedeant *sacerdotes, levitæ, judex*, quos in rebus arduis *rogare* teneamur, & ad illorum *os* facere, etiam sub *mortis* pœna. Deut. 17: 8. 9. 10. 12. 13. sed omnibus nobis, parvis & magnis, juvenibus & senibus, unus est doctor, Jesus Christus; & nos omnes discipuli, unus canon, una norma, Scriptura; ex qua judicamur omnes. Lex Dei est in medio omnium, plana omnibus & exposita. Spiritus datur omnibus, nulla familia, nulla gens promissiones privas habet; nemini permissum est, dominari Ecclesiæ, qui docet, non κατ' ἐπιταγὴν, sed κατὰ συγγνώμην, & ut servus doceat, oportet. In conventibus publicis, omnes, ut fratres, coram Domino sedemus. Omnes enim προφητεύομεν; quamvis & nunc sint donorum discrimina; & ordo ubique servari debeat, ac τὸ πρέπον & decorum eligi. Deinde & ideo προφητεία nunc abundantior in nobis; quia quæ olim erant obscura, nunc per impletionem sunt facta clara: quæ antiquis exspectata, nobis sunt allata; quæ olim tecta, nobis sunt retecta; ut qui νοῦν ἔχει, hic inveniat νοεῖν; & οὖς, hic habeat ἀκούειν. Nec προφητεία tantùm manet, sed & *visiones* ac *insomnia* manent. Qui enim legit, meditatur, intelligit visiones Prophetarum ac Apostolorum, nonne perinde est, ac si ipse illas etiamnum videat? Qui quæ *data* sunt Johanni in Apocalypsi *videre*, examinat & percipit, næ is eundem inde fructum, & sensum habere potest, ac si ipse omnia illa in ecstasi vidisset & contemplatus esset.

§. 30. Enarrato Joëlis oraculo, altius incipit Petrus exponere causas, cur nunc, hoc tempore, Spiritus ita effusus sit; nimirum Jesum Nazarenum, cruci affixum, à Deo resuscitatum, ad dextram Dei exaltatum esse; & *à Patre accepisse promissionem Spiritus Sancti, & effudisse id*, quod adstantes *videbant* & *audiebant*. Concludit. *Certò igitur sciat tota domus Israel, quod Dominum & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Act. 2. 22--36. Accepit promissionem, hoc est, ἐξουσίαν implendi illam. *Ascendisti in altum, accepisti dona in hominibus.* Psal. 68: 18. Igitur & dona hæc dedit, & *Christus* factus *Sanctum Sanctorum unxit.* Daniel. 9: 24.

Petri consilium. §. 31. Cumque *auditores compungerentur corde*, & rogarent, *quid faciemus viri fratres?* respondit Petrus, μετανοήσατε, idem *Baptistæ* verbum, & *Christi*. Matt. 3: 2. 4: 17. καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν. Ita & fecerat *Baptista* Matt. 3: 6. & *Christus*, Joh. 4: 1. 2. & discipulos jusserat facere *omnibus gentibus*. Matt. 28: 19. Marc. 16: 16. καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος. Ita prædixerat Johannes. *Ille vos baptizabit Spiritu S.* Matt. 3: 11. & promiserat Christus. Joh. 7: 38. 39. *Qui credit in me, fluvii è ventre ejus fluent*, &c. *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem credentes in ipsum accepturi erant*, & nunc cœperat impleri in Apostolis aliisque, qui quasi primitiæ exstiterunt sanctificandorum per Spiritum. *Vestra enim*, inquit, *est promissio.* Zach. 12: 10. *Et effundam super domum David, & super cives Hierosolymæ Spiritum*, &c. Et *Filiis vestris*. Es. 44: 3. Effundam *super semen tuum, & super progeniem tuam*, καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν *& omnibus qui procul* hoc est, gentibus. confer Ephes. 2: 13. *Vos qui olim eratis procul, propè facti estis*, dictum enim est, Joël. 3: 1. *Effundam super* OMNEM CARNEM. Et Abraamo promissa *benedictio gentium*. Galat. 3: 8. confer vers. 15. *ut in gentes benedictio Abraami existeret, ut promissionem Spiritus accipere-*

remus. In hunc sensum accepit verba Petri Chrysostomus. εἰ τοῖς εἰς μακρὰν, πολλῷ μᾶλλον ὑμῖν τοῖς ἐγγύς. *Si iis qui longè exstitit promissio, multò magis vobis, qui prope estis. Quos advocaverit Dominus Deus noster.* Act. 2:39. Gentes, quæ conversæ sunt, *a Domino advocatæ sunt*; qui *vocat generationes ab ante*, & τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα. Rom. 4:17. Conversio gentium est *vocatio* potens, est *mortuorum* resuscitatio, Ioh. 5:25. & *fructus laboris animæ justi* Es. 53:10.11.12. & pars *mysterii magni pietatis.* 1 Tim. 3:16. à Christo aliquoties prædicta. Ioh. 5:25. 10:16. 11:52. Alii exponunt verba τοῖς εἰς μακρὰν *de omnibus longè post* futuris Judæis, in multas generationes convertendis. *Gentium enim vocationis arcanum* Petrum *nondum novisse*, ut ex actis circa Cornelium patere putant. Actor. 10: vers. 28.34.35. Sed quidni Petrus gentium vocationem noverit, de qua toties Dominus locutus erat? Acceperat Spiritum Sanctum, qui ut alia Domini verba, ita & hoc fecit ipsi venire in memoriam. Ioh. 14: vers. 26. ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. *Aperta ejus mens erat*, ut *intelligeret Scripturas* Luc. 24:45. Atqui sæpissimè de gentium mysterio locutæ sunt Scripturæ. Nec fecit circa Cornelium scrupulos, putabat ἀθέμιτον προσέρχεσθαι gentibus, quamdiu in impuritate sua jacerent, nec à Domino adducerentur. Conversionem gentium noverat, sed non horam, nec modum. Quare monitus de illa hora divinitus, venit ad illas ἀναντιῤῥήτως *sine ulla contradicentia.* Act. cap. 10. vers. 28.29.

§. 32. *Aliis etiam pluribusque sermonibus testatus est* Petrus, *& hortatus, dicens*, σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης, Actor. 2:40. *servamini à generatione perversa hac.* confer verba Christi, γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς Matth. 12:39. ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη. Matth. 16:4. Marc. 9:19. Luc. 9:41. 11:29. adde Phil. 2:15. ἐν μέσῳ γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης, & Deut. 32:5. דור עקש ופתלתל. Adeò malè generatio illa audit. σώθητε, inquit, *Ne veniat in consilium illorum anima vestra; in cœtum illorum ne uniatur gloria vestra. Nam in ira illorum occiderunt* איש VIRUM, *& in beneplacito illorum eradicarunt* BOVEM. Genes. 49: vers. 5.6. Ita Patriarcha Jacobus longissimè ante de horribili scelere, quod Simeonis & Levi posteri, hoc est, Sacerdotes & Levitæ, in personam Jesu Christi, qui est *Vir Dominus* Genes. cap. 4: vers. 1. גבר Jerem. cap. 31:33. & fortis ac laboriosus ille Bos, qui agrum Domini, hoc est, Ecclesiam trituravit, pastinavit, aratriavit, commiserunt, vaticinatus est. Et alia ejus verba.

§. 33. Ut autem promisit Dominus Es. cap. 55: vers. 10.11. *ut pluvia*, &c. *sic erit verbum meum quod exibit ex ore meo; non redibit illuc* ריקם *inaniter; sed faciet, quo delector, & faciet secundare, quo misi illud*; ita post hanc Petri concionem factum. Auditores ἀσμένως *libenter accepto sermone ejus*, ἐβαπτίσθησαν *baptizati sunt*; nec pauci; sed προσετέθησαν *additæ sunt illo die animæ circiter ter mille.* Actor. cap 2: vers. 41. Additæ sunt, *Ecclesiæ* nimirum, & cœtui confitentium ac invocantium nomen Jesu. Actor. cap. 2: vers. 47. *Dominus* προσετίθει *cottidie* τῇ ἐκκλησίᾳ. Dicitur & addi *Domino.* Actor. cap. 11: vers. 24. προσετέθη ὄχλος ἱκανὸς τῷ κυρίῳ. confer Actor. cap. 5: vers. 14. Quantum lucrum unius concionis! ita benedictio Domini facit ditescere sine molestia. Fuere forsan inter hos, qui paulò ante clamaverant, σταύρωσον, σταύρωσον. Ita hæ primitiæ Ecclesiæ fuere ex *omnibus* nationibus; ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν Actor. cap. 2: vers. 5. Ita cœpit impleri prophetia Es. cap. 43: vers. 5. 6. *Ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da. & Austro ne cohibe. Adduc filios meos è longinquo, & filias meas è finibus terræ.* Ad concionem hanc conversæ ter mille animæ.

Petrus & Johannes ascendunt in templum ad horam precationis nonam.

§. 34. Per idem tempus ascenderunt *Petrus & Ioannes in templum ad horam precationis nonam.* Actor. 3: 1. Tres de die erant precationis horæ. *Tertia*, quæ nostra *nona*, Iudæis dicta תפלת שחרית *precatio matutina* cujus institutorem *Abraamum* laudant. *Sexta*, quæ nostra *duodecima*, Iudæis dicta תפלת צהרים *precatio meridiana*, cujus Auctorem *Isaacum* dicunt; *Nona*, quæ nostra pomeridiana *tertia*, Iudæis dicta תפלת ערבית *precatio vespertina*, quam à *Iacobo* ordinatam fingunt. Tres has precandi vices *Daniel* in ipsa observabat Babylone. Dan. 6: 11. 12. 14. *Mahomedanos* referunt quinquies in die precari, 1. In diluculo. 2. Oriente sole. 3. Meridie. 4. Inter meridiem & vesperam. 5. Occidente sole. Devotiores verò duas alias adhuc addere precationes 1. In vespera, 1 ½ hora post occasum solis. 2. Circa mediam noctem. Frequentabant Apostoli templum, in quo acceperant Spiritum. Orabant de more Iudæorum, qui intenti erant conversioni infirmorum, & ipsi observantes morum patriorum. An hic ascensus eodem die sit factus, quo Spiritus effusus, incertum. Dedit autem occasionem maximo miraculo; quod excepit illustris Petri concio.

Ibi sanatur claudus.

§. 35. Sedebat *ante januam templi vir claudus ex utero matris.* Hunc apprehensum Petrus *dextra manu*, *surgere jussit* & *ambulare in nomine Jesu Christi Nazareni*, ut dictum, ita factum. lege Actor. 3: 2 -- 8. Tale quid & Paulus egit in *Lystris*. Actor. 14: vers. 8. 9. 10. *Vidit* id *omnis populus*, & *obstupuit*. Actor. 3: 9. 10. Magnum certè hoc miraculum. *A seculo non est auditum, quod quis aperuit oculos* τυφλοῦ γεγεννημένου Ioh. 9: 32. Ita nec χωλοῦ γεγεννημένου pedes. Defectus, quos à nativitate habemus, nulla ars, nulla medicamentorum vis corrigere valet. Petrus uno *verbo* defectum hunc aufert. Mirantes heroicè alloquitur. *Quid*, inquit, *aspicitis nos?* Actor. 3: 12. Petrus egerat; & Johannem à communione operis non segregat; quia unus Spiritus utrosque impleverat. *Jesus*, Dei παῖς *Puer*, filius, servus, à vobis *traditus, abnegatus, occisus, resuscitatus*, à *Deo Patrum nostrorum glorificatus est*. Actor. 3: 13. 14. 15. *In fide nominis ejus, hunc, quem nostis & videtis*, ἐστερέωσε *confirmavit Nomen ejus, & Fides, per illud, dedit huic integritatem hanc* Actor. 3: 16. *Nomen* Jesu, hoc est, authoritas ejus & potestas fecit hoc. Imò *fides* per potens id nomen. Hæc est illa *fides*, quæ *montes transfert*; nec sinit quicquam *impossibile*. Matth. 21: 21. Luc. 7: 16. Imperfecta illa erat in Petro, cum ambulare vellet in mari; ideo & cœpit mergi. ὀλιγόπιστε, εἰς τί ἐδίστασας Matth. 14: 30. 31. Nunc perfecta facta in illo, claudum fecit ambulare. Inde facta digressione, monet auditores; *Resipiscite & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Ita *ventura tempora* ἀναψύξεως *refrigerii*, & *mittendum* secunda vice τὸν προκεχειρισμένον Ἰησοῦν. lege Actor. 3: 18 -- 26. neque enim omnia exsequi licet.

Et ad fidem accedunt chiliades quinque.

§. 36. Factum hoc, & sermo hic multos ad fidem Christi adduxit. *Et multi, qui audiverant sermonem, crediderunt & exstitit numerus virorum circiter quinquies mille.* Actor, 4: 4. Sed Petro & Johanni vincula ac carcerem peperit. Sistuntur Synedrio. Rogantur; *in quo nomine & potentia fecerint hoc.* Actor. 4: 1. 2. 3. 5. 6. 7. Petrus *Spiritu Sancto impletus, Nomen Iesu Nazareni* deprædicat. Neque enim *in nullo alio esse* σωτηρίαν *salutem*, nec animæ, nec corporis; nec temporalem, nec æternam. Actor. 4: 8 -- 12. Hanc *Petri & Iohannis*, hominum ἀγραμμάτων καὶ ἰδιωτῶν, quos & *noverant fuisse cum Iesu*, παῤῥησίαν experti; hominemque τὸν τεθεραπευμένον *videntes* nec *quicquam habentes* ἀντειπεῖν, liberos illos & integros dimiserunt, additis tamen magnis *minis*, ne *loquerentur aut docerent in nomine Iesu* τῷ καθόλου. Responderunt illi, *si justum est coram Deo, vobis magis auscultare, quàm Deo, judicate*, provocant ad propriæ judicium conscientiæ, nec

Petrus & Johannes capiuntur sed paulò post dimittuntur.

iniquam

iniquam obedientiam promittunt. *Non possumus enim nos non loqui, necessitas* nobis loquendi imposita est. Vocavit ad id Deus, misit Jesus, cogit veritas, *Væ mihi, ni evangelizem* 1 Cor. 9: vers. 16. lege Actor. 4: vers. 13 – 22. Reversi πρὸς τοὺς ἰδίους, *unanimiter* laudarunt Deum, & petierunt, *ut daret servis suis cum omni parrhesia loqui sermonem.* Ita *illis orantibus* ἐσαλεύθη ὁ τόπος *quassatus est locus, in quo erant, & impleti sunt Spiritu Sancto.* Actor. 4: 13 – 21.

Numerus credentium augebatur cottidie.

§. 37. Numerus credentium, divina curante providentia, & operante potentia, augebatur cottidie. Actor. 2: 47. *Et Dominus addebat, qui salvabantur, cottidie Ecclesiæ.* Actor. 5: 14. *Magis autem adjiciebantur credentes Domino turbæ virorum & fœminarum.* Actor. 6: 7. *Et Sermo Dei crescebat. Et multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valdè.* πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων ὑπήκουον τῇ πίστει *multus autem populus Sacerdotum obediebant fidei.* Igitur & è Sacerdotibus multi nomen dederunt Christo.

Unitas illorum & concordia.

§. 38. Horum credentium eximia fuit unitas & concordia. Erat illis ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία *cor & anima una* Actor. 4: vers. 32. Erant *omnes* ἐπὶ τὸ αὐτὸ Actor. 2: vers. 44. *de die in templo* Actor. 2: vers. 46. intenti τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων *doctrinæ Apostolorum, qui integrum diem non cessabant docere & evangelizare Iesum Christum.* Actor. 5: vers. 42. *Et magna potentia reddebant testimonium resurrectionis Domini* Actor. 4: 33. καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου *& communioni ac fractioni panis,* eucharistici, καὶ ταῖς προσευχαῖς *precibus* Actor. 2: 42. Hæc est vita verè Apostolica, qualem primitiva Ecclesia egit, & nos imitari decet, sedulò inhærere doctrinæ, communioni, panis fractioni, precibus. 1 Tim. 4: vers. 13. πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, τῇ διδασκαλίᾳ 1 Tim. 4: vers. 6. ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως, καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας. 2 Cor. 9: 13. δοξάζοντες τὸν θεὸν ἐπὶ τῇ ἁπλότητι τῆς κοινωνίας εἰς αὐτοὺς καὶ εἰς πάντας. Phil. 1: 3. 4. *gratias agens Deo* ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον. confer Philem. vers. 6. Hebr. 13: 6. κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε. Rom. 12: 12. τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες. Col. 4: 2. τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε, γρηγοροῦντες ἐν αὐτῇ ἐν εὐχαριστίᾳ.

Omnia illis communia. Vendebant agros & possessiones.

§. 39. Vitæ autem familiaris hanc tenebant rationem. εἶχον ἅπαντα κοινά *habebant omnia communia* Actor. 2: 44. 4: 32. quæ nimirum salva honestate & pietate & communia haberi possunt; bona nimirum, & facultates. οὐδ' εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον εἶναι. *neque enim quisquam facultatum suarum quid proprium sibi dicebat esse,* Act. 4. 32. qui erant *possessores agrorum aut domiciliorum* Actor. 4: 34. *vendebant possessiones* καὶ τὰς ὑπάρξεις. Actor. 2: 45. *& distribuebant illa omnibus, ut quis indigebat* ibid. confer Actor. 4. 35. Ita non erat ἐνδεής τις ἐν αὐτοῖς *egenus quisquam in illis* Actor. 4: vers. 34. Sed habebant, unde *frangerent panem domi, & sumebant cibum* ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας *in exultatione & simplicitate cordis.* Act. 2: 46.

Pretia venditorum tradebant Apostolis.

§. 40. Τὰς τιμὰς *pretia* autem τῶν πιπρασκομένων *venditorum* agrorum & domuum *afferebant.* καὶ ἐτίθουν παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων *& ponebant ad pedes Apostolorum* Act. 4: vers. 34. 35. hoc est, illorum curæ tradebant & administrationi. Illi enim διηκόνουν τραπέζαις *ministrabant mensis* Actor. 6: vers. 2. hoc est, cuilibet dabant, quæ ad victum necessaria erant. Ita & docebant, & τὰ βιωτικά curabant. Ita imprimis legitur fecisse *Levita* quidam *Cyprius genere*, vendito quem habebat, *agro, Ioses, ab Apostolis cognominatus* Βαρνάβας, hoc est, υἱὸς παρακλήσεως *filius consolationis.* Actor. 4: vers. 36. 37. Βαρνάβας enim est aut quasi בר נבא per syncopen pro נחמא; sive est à נבא *prophetavit*, quia prophetantium & docentium est παρακαλεῖν; aut ab Arabico נבה *hortari*, ut υἱὸς παρακλήσεως sit *filius adhortationis*, aut à Syrorum נְבָא *consolatus est*; cujus tertia persona futuri est נִבָּא,

&

& ſæpè habet vim participii præſentis, ut בר נביא & contractè בר נבא *filius conſolans.* Hic Barnabas exſtitit ingens columna in domo Dei. Actor. cap. 9: verſ. 27. 11: 22. 23. 24. 15: 25. 26.

Dolus Ananiæ & Sapphiræ; ſeverè caſtigatus.

§. 41. Subdolè hic egit *vir quidam Ananias, cum Sapphira uxore.* Is *poſſeßionem vendidit*; ſed *à pretio* aliquid occultavit; nil minus videri volens totum attuliſſe. Actor. cap. 5: verſ. 1. 2. Id Petrus ut opus Satanæ metiebatur. *Cur implevit*, inquit, *Satanas cor tuum?* Imò dicit id eſſe, ψεύσασθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; & paulò poſt, ἐψεύσω τῷ θεῷ (NB. ψεύσασθαι nunc cum *accuſativo* venit. Eſ. 57: 11. ἐψεύσω με *mentita es mihi.* 2 Reg. 4: verſ. 16. μὴ διαψεύσῃ τὴν δούλην σου *ne mentiaris ancillæ tuæ*; nunc cum *Dativo.* Pſalm. 89: 35. εἰ τῷ Δαβὶδ ψεύσομαι. *Si Davidi mentiar.* Pſalm. 78: 40. γλώσσῃ αὐτῶν ἐψεύσαντο αὐτῷ *lingua ſua mentiti ſunt ei*) denique id dicit πειράσαι τὸ πνεῦμα τοῦ κυρίου. Actor. cap. 5: verſ. 3. 4. 9. Quis adhuc negabit, *Spiritum Sanctum* eſſe *Deum*, quum, qui *mentitur* Spiritui, mentiatur Deo? hoc *mendacium*, hancque *tentationem* & vir & mulier, ſubita morte luerunt. Ananias quidem, auditis Petri ſermonibus πεσὼν ἐξέψυξε *cadens exſpiravit.* Actor. cap. 5: verſ. 5. Aliquanto poſt intervallo ſimiliter *mulier* verſ. 10. Non Petrus fecit illos mori; ſed judicium hoc fuit Domini. Prædixit quidem mulieri, *Ecce pedes ſepelientium virum tuum ante januam, & efferent te*, verſ. 9. ad quæ verba illa *ſtatim exſpiravit*, verſ. 10. non tamen juſſit illam mori, ut poſteà Dorcam juſſit *reſurgere* Actor. 9: verſ. 40. ſed divini tantùm judicii, jam jam imminentis, nuncius & vates fuit. Non parva autem hæc fuit Dei ſeveritas, qua in initio Euangelii uti voluit & oſtendere, quæ mala immineant τοῖς ἀπειθοῦσι τῷ εὐαγγελίῳ. Eſt Euangelium λόγος καταλλαγῆς; ſed & in illo *revelatur ira Dei è cœlo, ſuper omnem hominum impietatem veritatem detinentium in injuſtitia* Rom. cap. 1: 18. Id faciebat Ananias, in mendacio veritatem detinebat, dicebat ſe totum pretium afferre, & μέρος τι tantùm afferebat. Mendacium & hypocriſin & ementitam pietatem odit Deus. Putant nonnulli Ananiam non mentitum tantùm, ſed & *ſacrilegium* commiſiſſe; quia voto totum agrum Deo conſecraverat; adeoque violato voto ſacrilegus evaſerat. Sed de voto illius nil legitur. Si autem *Uſa* ob incautè attrectatam arcam vita multatus eſt 2 Sam. cap. 6: verſ. 6. 7. Et tot χιλιάδες civium *Betſchemeſch* percuſſi ſunt ob inſpectam illam 1 Sam. cap. 1: verſ. 19. quidni merito Ananias morte luerit mendacium, non hominibus, ſed Spiritui, ſed Deo factum? Doceamur hinc 1. Veritatem occultare eſt Spiritui Deo mentiri, qui *Spiritus veritatis* eſt. 2. Omnis oſtentatio in exercitiis pietatis, opus Satanæ eſt. 3. Hominibus poſſumus imponere, non Deo. 4. *Dilectio* debet eſſe *è puro corde, è conſcientia bona, è fide non ficta.* 1 Timoth. cap. 1: verſ. 15. 5. Externum opus non æſtimat Deus; ſed adfectum cordis. 6. Et viri & fœminæ ob ſcelera luent. 7. Sæpè pœnas in hac vita irrogat Deus, ut in futura parcat. 8. Mors improviſa & ſubitanea ſingulare Dei judicium clamat. 9. Sub Euangelio haut licet impune peccare.

Inde timor in omnes.

§. 42. *Magnus timor* cepit *totam Eccleſiam, & omnes, qui audiverunt* judicia hæc. Actor. cap. 5: verſ. 5. 11. φοβερὸν τὸ ἐμπεσεῖν εἰς χεῖρας θεοῦ ζῶντος Hebr. cap. 10: verſ. 31. Imò τῶν λοιπῶν οὐδεὶς ἐτόλμα κολλᾶσθαι αὐτοῖς *cæterorum nemo audebat ſe conjungere* Apoſtolis. Actor. cap. 5: verſ. 13. Horrendum hoc ſupplicium tantùm perculit omnes, ut nemo illorum, qui Eccleſiæ necdum nomen dederant, in Apoſtolorum intrare conſortium auderet. Tota Eccleſia timuit; haut tamen illa deſiit κολλᾶσθαι Apoſtolis, & cum illis manere, quinimo *erant omnes*

una

unà in Stoa Salomonis. Actor. 5: 12. Cæteri tamen facere id non sustinuerunt. ὁ λαὸς *populus* seu promiscua Judæorum turba ἐμεγάλυνε *deprædicabat* Apostolos, Actor. 5: 13. accedere tamen ad intimum illorum consortium verita est. Sed transiit metus, pœnæ malis sunt paratæ, non bonis. Ideò & Ananiæ exemplum in Ecclesiæ exiit augmentum, μᾶλλον δὲ προσετίθεντο πιστεύοντες τῷ κυρίῳ. Actor. 5: 14. Timor non pugnat cum Euangelio, *operanda est salus cum timore & tremore.* Phil. 2: 12. *Finis omnis verbi est: Deum time.* Eccles. 12: 12. confer Actor. 2: vers. 43. ἐγένετο δὲ πάσῃ ψυχῇ φόβος. Alii verba hæc ad hostes Apostolorum referunt, ac si illi cum illis congredi, illosque adoriri non fuerint ausi.

§. 43. *Multa* præterea tunc *portenta & signa per manus Apostolorum facta sunt.* Act. 2: 43. Erat sanè prodigium, quod loquebantur linguis; quod enarrabant Dei magnalia. Prodigium erat, quod in claudo factum erat. Imò & in Anania, cujus absc0ndita detexerat Petrus, castigaverat Deus. Sed & alia πολλὰ διὰ τῶν χειρῶν τῶν ἀποστόλων ἐγίνετο. Act. 5. ℣ 12. *Infirmi,* & *vexati à spiritibus impuris* ex omnibus circumquaque civitatibus allati, & *sanati sunt* ἅπαντες, *omnes.* Act. 5: 16. Magna autem in sanandis ægrotis Petri fuit fama & ἐνέργεια, adeò ut ægroti in lectis κατὰ τὰς πλατείας ponerentur, ut *veniente Petro umbra* tantùm *obumbraret illos.* Actor. 5: vers. 15. Eadem fuit in illis fides, quæ in τῇ αἱμοῤῥοούσῃ, *si tantùm tetigero vestem ejus, sanabor.* Matth. 9: 21. Hi *umbram* Petri tantùm desiderant. Ephesii Pauli *sudaria & simicinthia* imponebant ægrotis, & *liberabantur à morbis.* Actor. 19: 12. Ita Deus Euangelio *superattestatus est signis, prodigiis, & variis potentiis,* Hebr. 2: 3. 4. & impletum verbum Christi, *super infirmos manus ponent, & meliusculè habebunt.* Marc. 16: 18. Memores autem simus verbi Petri, οὐκ ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ. Act. 3: 12. Miracula Apostolorum in ægrotis.

§. 44. Non ferentes hæc Judæorum antistites, *Apostolos publico includunt carceri.* Actor. 5: 18. sed *Angelus Domini apertis noctu foribus eduxit illos,* jussitque *loqui in templo verba vitæ.* vers. 19. 20. Frustra ligant homines, quos Dominus vult solvere; frustra claudunt, quod Dominus vult aperire; frustra captivant, quos Dominus vult liberare. Igitur *non in carcere* postridie, sed *in templo* inventi sunt *docentes populum.* Actor. 5: 21 – 26. Inde οὐ μετὰ βίας *non cum violentia,* (*timebant* enim lictores *populum.* Act. 5: 26.) educti, sistuntur ἐν τῷ συνεδρίῳ. vers. 27. crimen illis objectum fuit, quod *doceant in nomine* Jesu, & *sanguinem illius super* gentem *velint* ἐπαγαγεῖν Act. 5: 28. Resp. Apostoli, *obedire Deo decet magis, quam hominibus.* ℣. 29. confer Act. 4: 19. 20. Excitatum esse Jesum, exaltatum, Spiritum ejus datum: harum rerum illos esse μάρτυρες. vers. 30. 31. 32. Carceri includuntur.

§. 45. Judæi hæc *audientes* διεπρίοντο præ rabie dentibus *stridebant,* veluti si quis *serra* trahat; & de *interficiendis* illis consilia ineunt. Actor. cap. 5: vers. 33. Sed *Pharisæus* quidam, *Gamaliel,* vir *omni populo* τίμιος *pretiosus,* Pauli præceptor Actor. 22: 3. *jussis* exire βραχύ τι Apostolis intercessit. Monuit, ut cautè agerent. Exempla citat, *Theudæ* cujusdam, qui *se ipsum* dicens εἶναί τινα, *interiit,* & qui cum ipso, ἐγένοντο εἰς οὐδέν. Actor. cap. 5: vers. 36. Deinde & *Judæ* cujusdam *Galilæi, in diebus descriptionis.* vers. 37. de hoc egimus supra cap. IV. §. 112. Idem fore cum hominibus his, ut intereant, si *opus* illorum & *consilium* illorum *ex hominibus sit.* Si *autem è Deo, solvi id à nemine posse.* vers. 38. 35. Quinam ille *Theudas* fuerit, incertum. Quidam conjiciunt, dici illum Judam apud Joseph, ἀρχαιολογ. 17. lib. cap. 12. *Judah* Syris esse תודי. inde *Judas* & *Thaddæus.* Luc. cap. 6. vers. 16. Marc. 3: 18. De hoc autem *Judâ* scribit Josephus, quod fuerit *filius* Ἐζεκίου τοῦ ἀρχιληστοῦ *Ezechiæ cujusdam, magni prædonis,* Sed intercedente Gamaliele virgis cæsi dimittuntur.

 qui

qui in diebus *Herodis* μεγάλοις πόνοις *magnis laboribus victus captusve* sit. Hunc autem *Iurum* circa *Sepphorim Galilææ*, collecta multitudine ἀνδρῶν ἀπονενοημένων *virorum desperatorum* regnante Archelao, fines illius infestasse; imò ad regnum Judææ aspirâsse, οὐκ ἀρετῆς ἐμπειρίᾳ, *non virtute*, τοῦ δὲ ὑβρίζειν ἐξουσίᾳ *sed nocendi potestate*. Idem Josephus ἀρχαιολογ. libr. 20. cap. 2. sub fin. de *Theuda* quodam loquitur. Fuit, inquit, γόης τις ἀνὴρ, Θευδᾶς ὀνόματι, *vir quidam præstigiator, nomine Theudas*, προφήτης ἔλεγεν εἶναι *Prophetam se dicebat*; αὐτόν τε τὸν Θευδᾶν ζωγρήσαντες ἀποτέμνουσι τὴν κεφαλὴν, καὶ κομίζουσιν εἰς Ἱεροσόλυμα. Milites Romani, à Præside Cuspio Fado emissi, *capto Theude absciderunt caput, & deportarunt Hierosolymam*. Sed hic *Theudas* serior exstitit hac narratione Gamalielis, extulit enim caput, & desiit sub Claudio Imperatore, non ergo de hoc loquitur Gamaliel. Rationibus ejus moti Judæi dimittunt *Apostolos*, sed δείραντες, *virgis* ante castigatos. Act. 5: vers. 40.

Illi lætantur. §. 46. Apostoli abierunt, χαίροντες, quod *propter nomen* Jesu *digni habiti fuissent* ἀτιμασθῆναι *contumelia affici* Act. 5: 41. nec tamen cessarunt, *docere in templo, & annunciare Iesum*. ℣. 42. Ita sancti hi כָּלִמָּה יָרֹנּוּ חֶלְקָם *ignominiam cantarunt portionem suam*. Es. 61: 7. ἐχαρίσθη enim illis, τὸ ὑπὲρ χριστοῦ πάσχειν Phil. 1: 29. confer 1 Petr. 4: 15. *si quis patitur, ut Christianus, ne illum pudeat, sed glorificet Deum in parte hac*.

Murmur Græcienses inter & Hebræos. §. 47. *Multis* jam *factis discipulis* & confessoribus Jesu, *murmur* exstitit τῶν ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς ἑβραίους. *Hellenistarum*, hoc est, illorum Judæorum, qui peculiari utebantur dialecto, quæ dicebatur *Hellenistica*, qui Græcè sciebant, & Græca Biblia in Synagogis legebant, & in Græcis dispersi habitabant, *adversus Hebræos*. Act. 6: 1. Tres quasi erant Judæorum classes. 1. Judæi *Palæstini*, qui hic Ἑβραῖοι. 2. Διασπορὰ Βαβυλῶνος. 3. Διασπορὰ ἑλλήνων. (Joh. 7: 39.) Hi posteriores Ἑλληνισταὶ *Græcienses* dicebantur. confer Act. 9: 29. 11: 20. Materia murmuris erat, ὅτι παρεθεωροῦντο ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ αἱ χῆραι αὐτῶν. Hebr. 6: 1. Id ita accipitur à nonnullis, viduas Græcensium contemtius habitas, & quotidiano administrandorum pauperum labore oneratas; ac si esset, διὰ τῆς διακονίας τῆς καθημερινῆς. Παρεωρῶντο tunc tantundem erit ac κατεφρονοῦντο. Alii censent, in distributione quotidiana bonorum, quæ ad pedes Apostolorum cottidie ponebantur, & in allegendo eas ad collegium viduarum nonnihil illas fuisse præteritas. Inde murmur & contentio, quæ mox sopita videtur.

Septem viri electi. §. 48. Hactenus Apostoli *ministrarant mensis* Act. 6: 2. & quæ ad victum, ad distributionem allatotum bonorum pertinebant, curarant. Illis obruti negociis coacti sæpè fuerunt καταλείψαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ *derelinquere Sermonem Dei*, hoc est, mediationem & præconium verbi negligere. Id haut ἀρεστὸν esse judicant, non *æquum*, non *bonum*, non *placitum* Actor. 6: 2. Igitur communi omnium consensu electi sunt *septem viri*: illis *orantes Apostoli imposuerunt manus*; & *constituerunt*, ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης; ipsi deinceps toti vacaturi *orationi & ministerio verbi*. Nomina illorum septem-virûm lege Act. 6: 5. sunt pleraque Græca nomina, unde apparet, Hellenistarum in electione hac præcipuè habitam rationem. Eminuit in illis *Stephanus*, & *Philippus Euangelista* dictus. Act. 21: 8. Hi igitur septem fuere deinceps œconomi mensarum & bonorum Ecclesiasticorum. Sed non mensis tantùm; verùm & τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου ministrarunt & *miracula* multa fecerunt, fuerunt enim πλήρεις πνεύματος ἁγίου, καὶ σοφίας, πίστεως καὶ δυνάμεως. Act. 6: 3. 8.

Stephanus Synedrio sistitur. §. 49. Id cum diligenter *Stephanus* faceret, mox habuit συζητοῦντας *adversarios* è Judæis. Actor. 6: 8. 9. qui tamen omnes non potuerunt ἀντιστῆναι *sapientiæ & spiritui, in quo loquebatur*. Actor. 6: 10. Igitur *falsos* substituunt *testes*, qui dicerent, *illum loqui verba blasphema*

phema in Mosen & Deum, contra legem & locum sanctum, Actor. 6: 11. 13. dicunt illum dixisse, *Jesus Nazarenus solvet locum hunc, & mutabit τὰ ἔθη instituta* Mosis. Actor. 6: vers. 14. Id si dixit, non blasphemias sed veritatem dixit, solutus est locus non ita diu post. Libertas per Christum nuntiata ab omnibus institutionibus legalibus. Actor. 13: 38. 39. His ψευδομαρτυρίαις gravatus *rapitur in Synedrium* Actor 6: 12. ubi *facies ejus visa, ut facies Angeli* Act. 6: 15. tanta in ipso fuit alacritas, fortitudo, hilaritas, qualis *Angelorum* esse solet, qui *faciem* non habent.

§. 50. Ibi pathetica oratione œconomiam seu dispensationem in Ecclesia Israëlitica divinitus observatam enarrat; incipiens *ab Abraam, Isaac, Jacob*; inde ad *duodecim Patriarchas, Iosephi venditionem*, descensum, & servitutem posterorum in Ægypto; ibi de *Mose*, miraculosa eductione, & conversatione in deserto narrat. Promissionem de excitando *Propheta instar* Mosis, repetit; fœdus de Sina factum; inobedientiam populi, vituli fusionem, cultum Moloch, &c. recenset. Tandem τ̃ κατάσχεσιν τ̃ ἐθνῶν, introductum Regnum, Davidem, Salomonem, & ab hoc ædificatam domum commemorat. Ibique sermone abrupto acrius in auditores invehitur. *Incircumcisi*, inquit, *corde & auribus. Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Quem *prophetarum non occiderunt Patres vestri.* Et *vos nunc Proditores & Latrones justi facti estis.* Actor. 7: 1 – 52. Apostoli in omnibus ferè sermonibus suis hoc Judæis scelus exprobrârunt. vide Actor. 2: ℣. 23. 3: 13. 14. 15. 4: 10. 11. 5: 30. 13: 27. 28. Judæi exacerbati hâc Stephani invectivâ διεπρίοντο τῇ καρδίᾳ ϗ ἔβρυχον τοὺς ὀδόντας Actor. 7: 54. Stephanus, Spiritû Sancto plenus, *vidit gloriam Dei, cælos apertos, & Iesum stantem è dextra Dei*, vers. 55. 56: Mente vidit. Fide contemplatus est. Spiritualibus oculis vidit, quæ astantium nemo vidit carnalibus. Illi impetu in illum facto, *ejectum è civitate lapidarunt.* Actor. 7: 57. 58. In hoc agone invocavit Dominum, ob cujus confessionem hoc subibat supplicium. *Domine Iesu, recipe spiritum meum. Ne statuas illis peccatum hoc.* Actor. 7: 59. 60. Et hæc dicens, ἐκοιμήθη *obdormivit.* Ita Stephanus primus omnium morte sua glorificavit Dominum. Apostoli priores sunt cæsi. Stephanus prior interfectus. *Lapidatio*, inter majora Judæorum supplicia fuit, quatuor enim numerantur, ארבע מיתות נמסרו לבירת רין סקילה שריפה הרג וחנק *quatuor supplicia tradita sunt Curiæ; lapidatio, ustio, interemtio*, quæ fit gladio, *& strangulatio.* De ritibus autem lapidationis vide, si placet, Sanhedrin Domini Cocceji. cap. vi. Sed nunc capitalia jam ademta Judæis erant judicia. Joh. 18: 31. Ergo præter jus & fas interfectus ab illis Stephanus. Septimo à Christi morte anno lapidatum Stephanum docet Nicephorus lib. 11: cap. 3.

Illius concio & martyrium.

§. 51. *Illo die exstitit* διωγμὸς μέγας *persecutio magna super Ecclesiam, quæ in Hierosolymis.* Actor. 8: 1. Hæc dicitur θλίψις ἡ γενομένη ἐπὶ στεφάνῳ *angustia orta post Stephanum.* Act. 11: 19. Non contenti hostes interfecisse Stephanum, omne nomen Christianum unà & insimul abolere voluerunt. Persecutoribus egregiam navavit operam *juvenis* quidam *Saulus* Actor. 7: 58. qui Stephani cædi applauserat. Actor. 8: 1. & *pallia* testium custodiverat. Act. 7: 58. Ortum Sauli, statum & conditonem vide Act. 21: 39. 22: 3. 23: 6. 26: 4. Gal. 1: 14. Phil. 3: 5. 6. Ille *persequutus est*, & *vastavit Ecclesiam* καθ᾽ ὑπερβολὴν *excessivè* Galat. 1: ℣. 13. *intrans in domus, virosque & fœminas in custodiam protrahens.* Actor. 8: 3. confer Actor. 22: 4. ταύτην τ̃ ὁδὸν ἐδίωξα ἄχρι θανάτε, δεσμεύων ϗ παραδιδὺς εἰς φυλακὰς ἄνδρας τε ϗ γυναῖκας. confer Actor. 26: 9. 10. Ita dum sæviit, multos coëgit βλασφημεῖν. Ct. A26: 11.

Magna Ecclesiæ Hierosolymitanæ persecutio.

Saulus persecutor.

§. 52. Persecutio adeò vehemens fuit, ut non liceret illis esse securis in Hierusalem. Igitur *omnes dispersi sunt* per *Iudæam & Samariam* Act. 8: 1. *Galilæam.* Act. 9: 31. *Damascum* & Illam secuta est dispersio

sancto-rum, quæ maximum fructum attulit.

Syriam. Act. 9:2. 21. ad *Phœniciam* usque & *Cyprum* & *Antiochiam.* Act. 11:19. Hactenus tota quasi nova Ecclesia intra unius Hierosolymæ muros continebatur: sedebant ibi *Apostoli*; sedebant *discipuli*. Nunc persecutio orta cogit illos exire, & alias oras petere. Ita mirabili Dei providentia factum, ut *simul lex è Zion, & verbum Dei exiret ex Hierusalem* Esa. 2: 3. nam quo venerunt οἱ διασπαρέντες, ibi *euangelizarunt* τὸν λόγον Act. 8:4. licet initio *Judæis* tantùm Act. 11:19. fecerunt discipulos, constituerunt Ecclesias. Ita in maximum Christi cessit emolumentum; quod hostes putabant exiturum in illius detrimentum. Adeò *sedens in cœlis risit, Dominus subsannavit illos.* Ps. 2:4. Dispersi sunt *omnes*, hoc est, plurimi, πλὴν τῶν ἀποστόλων *exceptis Apostolis.* Act. 8: 1. Illos manere voluit Dominus; ut plures in Hierusalem lucrarentur Domino; & inde paulatim exirent, quo spiritus illos juberet.

Philippus Euangelista venit Samariam & ibi prædicavit Christum. Samaritani crediderunt & baptizati sunt.

§. 53. Inter τῶν διασπαρέντων *Philippus* fuit non *Apostolus*, nam Apostoli non sunt dispersi, sed *Euangelista, unus* ille ἐκ τῶν ἑπτὰ Act. 6: 5. Hic venit εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας *in civitatem Samariæ*, hoc est, dictam, *Samariam.* Act. 8: 5. Tota regio etiam *Samaria* dicebatur. Joh. 4: 4. 5. Civitatem autem *Samariam* ædificavit *Omri* Rex Israël. Illamque Regiam decem tribuum fecit: quam ante in שֹׁמְרוֹן habuerat. 1 Reg. 16:23. *Salmanassar Rex Assur* expugnavit, & gentibus peregrinis, *Cuthæis* incolendam dedit. 2 Reg. 17: 1 -- 6. ab illo tempore Judæis Samaritani maximæ fuere aversioni; imprimis, postquam in monte Garizim templum, permittente Alexandro Magno, exstructum est. Johannes Hyrcanus captam funditus delevit. Joseph. Antiq. lib. 13: 18. ἑλὼν δὲ τὴν πόλιν ἑλὼν οὐκ ἠρκέσθη μόνῳ τούτῳ, ἀλλὰ καὶ πᾶσαν αὐτὴν ἠφάνισεν. Herodes Magnus illam restituit, ornavit, & in honorem Augusti Cæsaris *Sebasten* vocavit. Samaritanos Judæi ad convictum non admittebant, Joh. 4: 9. cum Judæi Christum maximo incessere convitio vellent, dicebant, *Samarita tu es. Diabolum habes.* Joh. 8:48. Christus initio cum emitteret Apostolos, præcepit illis, *in viam gentium non abite, & in civitatem Samaritarum ne intrate.* Matth. 10:5. Ipse tamen cum Samaritana familiarius egit, & cum *Samaritis duos mansit dies*, illorumque *plurimi in illum crediderunt.* Joh. 4:7. 9 -- 30. 39. 40. 41. 42. In hujus nunc Samaritanæ regionis metropolim, *Samariam* intravit Philippus Septemvir & Euangelista. Rogas, quid ibi egerit? ἐκήρυσσεν αὐτοῖς τὸν Χριστόν. Act. 8: 5. τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ ὀνόματος *Jesu Christi.* vers. 12. Imò fecit ibi *signa & potentias magnas.* Act. 8: 6. 13. dæmonia expulit, paralyticos & claudos sanavit. Inde extitit *gaudium magnum in civitate illa.* Act. 8:7. 8. Populus *auscultavit* Philippo, & *dictis ab illo*, *audiebat* enim & *videbat signa, quæ faciebat* Act. 8: 6. ἐπίστευσαν *crediderunt*, & *baptizati sunt viri & fœmina.* Act. 8: 12. Ita duæ civitates regiæ, Hierosolyma & Samaria, primæ fuerunt, in quibus fundare placuit Servatori Ecclesiam.

Etiam Simon Magus.

§. 54. Erat tunc in urbe Samaria *Simon* quidam, Magus & præstigiator, qui dicebat εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν, cui hactenus omnes Samaritani, *à minimo ad maximum, auscultarant*; dicentes, *hic est* ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη *magna Dei potentia.* Act. 8: 9. 10. 11. Etiam hic *Simon* ἐπίστευσεν *credidit*, & *baptizatus est*; commotus magnis miraculis Philippi. Act. 8: 13. 14. Credidit, at *non recto corde.* Act. 8: 21.

Petrus & Johannes ab Apostolis missi in Samariam.

§. 55. Ut *in Hierosolymis audiverunt Apostoli*, quod *recepisset Samaria verbum Dei*; miserunt illuc *Petrum* & *Iohannem.* Act. 8: v. 14. Illi, ubi advenerunt, *orarunt pro illis*, Samaritanis, ut *acciperent Spiritum Sanctum* Actor. 8: 15. nimirum mirabili illo & extraordinario modo. Jam habebant Spiritum; quia credebant, nemo credit sine Spiritu fidei. Nondum habebant, quia needum linguis loquebantur, nec prophetabant, *nondum enim super quemquam illorum delapsus erat* Spiritus; *solum baptizati erant in nomen Iesu Christi*

Actor.

Actor. 8: 16. Nota. Spiritus Sanctus illo tempore in Sanctos illabebatur; sæpè ante acceptum baptismum: ita in *Cornelium* Act. 10: 44. 46. 47. Sæpè post acceptum baptismum; ut hic in *Samaritanos*; & in *Ephesios* Actor. 19: 3 – 6. *Tunc* igitur *imposuerunt manus super illos & acceperunt Spiritum Sanctum.* Act. 8: 17. Impositionem manuum Apostolicarum Spiritus sequi solebat miraculorum. vide Act. 19: vers. 6. Aliàs etiam frequens erat manuum impositio. vide Act. 6: 6. 13: 3. Benè autem Theophylactus. *ἡ χεὶρ ἐπίκειται τοῦ ἀνδρός. τὸ δὲ πᾶν ὁ θεὸς ἐργάζεται.* Annotemus & hoc. Commodè manserunt Apostoli Hierosolymis, cùm omnes alii inde dispergerentur. Ita ex Hierosolyma, ut è specula, spectare potuerunt, ubi ministerio illorum maximè indigeret Ecclesia. Et ita etiam hic impletum illud Petri Act. 2: 38. *Convertimini & baptizetur quivis, & accipietis donum Spiritus Sancti.*

§. 56. Simon Magus *videns*, dari *Spiritum per impositionem manuum*, eandem ἐξουσίαν, Simon
ut ipse nominat, Act. 8: 19. sed potius δωρεὰν τοῦ θεοῦ, ut Petrus vers. 20. *nummis mercari* Magus potesta-
voluit. Petrus *argentum ejus* jubens *esse in interitum*, (neque enim *dona Dei* argento sunt tem dandi
venalia; non acquisita *corruptibilibus illis*, sed *pretioso sanguine* 1 Petr. 1: 18. 19. suntque Spiritum Sanctum
ut plurimum in illis, qui *argentum & aurum non habent* Act. 3: 6.) serio illum monet *re-* nummis
sipiscere à malitia. Act. 8: 18 – 24. emere vult.

§. 57. De hoc Simone ita Theodoretus in hæreseon epitome. *Simon Samaritanus Magus primus hæreseon autor exstitit. Gitta oriundus, Samariæ oppido.* Ab abitu Petri & Johannis *ad pristinam rerum malarum molitionem redit; relictaque, quæ jam salutaria semina exceperat, Samaria ad eos excurrit, qui nondum ab Apostolis exculti essent, ut a suscipiendis Apostolorum dogmatis averteret. A Petro palam convictus, quem divina gratia adversus ejus furorem armavit, quique eum passim insequutus est, tamen infelicissimus homo adversari veritati non destitit. Sub imperio Claudii Romam venit, ubi usque adeò Romanos præstigiis suis stupefecit, ut & aream columnam illi ponerent. At delatus eo Divus Petrus* (dummodo verum sit, Petrum unquam Romæ fuisse) *denudavit eum rursus alis fallacia.* Imò *intuentibus, omnibus Romanis, vi precum suarum ex altissimo eum loco præcipitem egit, ac miraculi spectatores ad salutem adduxit.* De Hæresi autem ejus prolixè ibi disserit; delibemus pauca. *Infinitam quandam supponebat potentiam, quam dicebat universitatis rerum radicem, & ignem appellabat. Se ipsum verò infinitam nuncupabat potentiam, qui Iudæis, ut Filius, apparuisset; ad Samaritanos, ut Pater, venisset; inter reliquas gentes, ut Spiritus Sanctus degeret. Fœminam quandam Helenam domesticam sibi fecit, quam matrem universitatis rerum appellabat, & per quam Angelos & Archangelos fecisset. In Iudæa se apparuisse ut hominem, quum homo non esset; & passum, cum haut sit passus.* Affectæ Simonis *imaginem ejus forma Iovis fabricabant, Helenæ, specie Palladis. His suffiebant, & libabant, velutique Deos adorabant, Simonianos sese appellantes. Ex hac radice pullularunt Celobani, Dositheani, Gortheni, Masbothei, Adrianistæ, Eutychetæ, Kanistæ*, &c.

Historia de Simone & ejus hæresi.

§. 58. Petrus & Johannes; διαμαρτυράμενοι καὶ λαλήσαντες τὸν λόγον τοῦ κυρίου *reversi* Petrus &
sunt Hierosolymam, sedem illam Apostolicam, unde exierant; simulque *multis Samarita-* Johannes redeunt
rum vicis Evangelium nunciarunt Actor. 8: 25. Sine dubio Samaritanæ Ecclesiæ consti- Hierosolymam.
tuerunt πρεσβυτέρους, ut Paulus fecit postmodum *in Lystris, Iconio, Antiochia.* Act. 14: vers. 21. 22. 23. Hic primus, quantum è sacris constat, exitus Apostolorum extra Hierosolymam fuit.

§. 59. *Phi-*

Eunuchus Candaces à Philippo baptizatur. §. 59. *Philippus* per idem tempus ab Angelo jussus est, *proficisci* κ̀ μεσημβρίαν *versus meridiem*, Actor. 8: 26. & ecce obviam venit illi *vir Æthiops* εὐνοῦχος *Eunuchus*; Hebr. סריס: qualis & *Potiphar* fuit; adeoque non notat semper *excisum*; sed & *uxoratum*. Chaldæus τὸ סריס sæpè verti רבא *magnatem, Principem*. Nomen illi *Indich*, si vera sunt verba *Zaga legati Æthiopici*, referente Damiano à Gæs. *Nos ferme primi ceteris Christianis omnibus baptismum ab Eunucho Candaces regina Æthiopia, cui nomen erat Indich, accepimus.* Fuit δυνάστης *dynasta* κανδάκης *Candaces*; commune id reginarum *Æthiopicarum* nomen; quod multis annis ad illas transiit; ut docet Plinius libr. 6. cap. 29. Proprium Reginæ nomen dicunt fuisse *Lacasa*. Eunuchus hic *venerat adoratum in Ierusalem* Actor. 8: 27. fuitque adeò *proselytus*, hoc est, qui religionem Iudaicam adoptaverat. Nunc in eo erat, ut domum repeteret. *Legebat* in curru suo *Prophetam Esaiam*; & quidem 53. illius caput, Actor. 8: 28. 32. 33. *Spiritus Philippum ad currum* accedere jubet, quo conscenso, *incipiens à prophetia hac, annunciavit illi Jesum*. Actor. 8. 26. 35. Venerunt tandem *ad aquam quandam*. Eunuchus, *Ecce aqua*, inquit, petiit *baptizari*, sine dubio de Baptismo in nomen Christi disseruerat Philippus. Edit fidei suæ confessionem, *Credo filium Dei esse Jesum Christum.* Igitur à Philippo *baptizatus* est. Mox *rapuit Spiritus Domini Philippum, nec vidit illum amplius Eunuchus*, qui reliquum *via* suæ confecit χαίρων Actor. 8: 36 – 39. Salus enim ingens illi facta erat, ingentem gaudii materiam habebat. Per hunc Æthiopem nigris innotuit Christus Æthiopibus, ut per *Magos* Orienti. Matth. 2. Ipse autem *Philippus* deductus est εἰς Ἄζωτον, quæ est אשדוד *Asdod Philistaeorum.* Inde digressus, *Evangelizavit* τὰς πόλεις πάσας, tandemque venit εἰς καισάρειαν; ubi domicilium fixisse, & familiam habuisse videtur. Actor. 21: 8. 9. *Cæsarea* fuit Judææ maxima civitas, sita ad mare mediterraneum; olim *Turris Stratonis* dicta; sed restaurata ab Herode, in gratiam Cæsaris *Cæsarea* ab eodem vocata est vide Joseph. de bello Judaico libr. 1. cap. 16. & libr. 3. cap. 14. *maxima incolarum ejus pars, Græci*, inquit Josephus.

Saulus Persecutor Damascum pergit. §. 60. Sed necdum pax erat Ecclesiæ. Quinimò Saulus ille Tarsensis, *adhuc spirans minas & cædem*, non contentus, discipulos extra Hierosolymam dispersos, etiam in loca, ubi dispersi erant, proficisci statuit; eum in finem petiit *epistolas in Damascum ad Synagogas* Actor. 9: 1. 2. πρὸς τὰς ἀδελφὰς Actor. 22: 5. Damascus ראש ארם *caput olim Syria* Es. 7: 7. à plurimis incolebatur Iudæis; ideò in illa erant συναγωγαὶ *plures Synagoga.* Joseph. de bello Jud. libr. 2. cap. 25. scribit, sub Nerone *Damascenos* in sua urbe decem Iudæorum millia, quos in publicis thermis collectos forte habebant, inermes interfecisse. Inde de frequentia ibi Iudæorum judicare facile. Conditam *Damascum* Josephus tradit ἀρχαιολ. libr. 1. cap. 7. ab עוץ *Arami* filio, *Semi* nepote; Hieron. autem in quæstion. in Genesin à verna Abrahami *Damasco Eliezere* Genes. 15: 2. & ab eodem denominatam, דמשק est quasi à דם *sanguis* & שקה *bibit*. Hieron. in cap. 28. Ezechielis. *Si Damascus interpretatur sanguinem bibens, & Hebraeorum vera traditio est, campum, in quo interfectus est Abel à parricida Cain, fuisse in Damasco; unde & locus hoc insignitus vocabulo sit, justè & Paulus post interfectionem Stephani, primi in Christo martyris, perrexit Damascum, ut credentes in Christo duceret vinctos Hierusalem*; & tanquam alter Cain in Abelis sectatores sæviret eodem in loco.

In via visus est illi Jesus. §. 61. Cum appropinquaret Damasco, *subitò circumfulsit illum lux à cælo* Actor. 9: vers. 3. *lux multa, circa meridiem* Actor. 22: 6. confer Actor. 26: 13. ἡμέρας μέσης, κατὰ τὴν ὁδὸν εἶδον, οὐρανόθεν, ὑπὲρ τὴν λαμπρότητα τοῦ ἡλίου, περιλάμψαν με φῶς, καὶ τοὺς

σὺν

σὺν ἐμοὶ πορευομένους. *Cecidit in terram* Actor. 9: 4. 22: 7. 26: 14. *audivit vocem, Saul, Saul, quid persequeris me?* 9: 4. 22: 7. *Hebræa dialecto.* Actor. 26: 14. *ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris, durum tibi adversus stimulum calcitrare.* 9: 5. 22: 8. 26: 14. 15. *Timens & expavefactus dixit. Domine, quid vis me facere.* 9: 6. τί ποιήσω 22: 10. Responsum accepit, *surge, & intra in urbem, & dicetur tibi* Actor. 9: 6. confer Actor. 22: 10. 26: 16. 17. 18. Viri οἱ συνοδεύοντες αὐτῷ *steterunt attoniti.* 9: 7. 22: 9. & unà cum Paulo ceciderunt *in terram* Actor. 26: 14. *audientes vocem, neminem autem videntes* Actor. 9: 7. confer Actor. 22: 9. *Qui autem mecum erant, lucem quidem viderunt; vocem autem non audiverunt loquentis mihi.* Sed quomodo, *audiverunt* vocem; & *non audiverunt*? Resp. audiverunt confusum sonum, non audiverunt distinctam loquelam. Aut, quidam audiverunt, quidam non audiverunt, præ nimio metu expavefacti; aut, audiverunt auribus; non audiverunt mente, hoc est, non intellexerunt, Hebrææ forsan linguæ imperiti. Pariter, *neminem viderunt*; nullam viri aut hominis formam. *Lucem* autem viderunt, nisi enim lucem, quæ circumfudit illos, vidissent, cur tanto pavore impleti fuissent? Valla locum Actor. 9: 7. depravatum existimans, legendum putat, θεωροῦντες μὲν τὸ φῶς, μηδένα δὲ ἀκούοντες. Scholia Græca una vocula injecta locum planiorem faciunt, viri συνοδεύοντες αὐτῷ *steterunt attoniti*, ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς *audientes quidem* ejus *vocem*; nimirum Pauli; ut sensus sit, illos audivisse Paulum rogantem, *Domine, quid vis me facere?* aliam verò vocem, quæ de cœlo venit, non audivisse; adeoque audivisse τὴν φωνὴν τοῦ παύλου; non autem τὴν φωνὴν τοῦ λαλοῦντος τῷ σαύλῳ. Surgens de terra Saulus οὐδένα ἔβλεπε *neminem vidit* Actor. 9: 8. hoc est, cæcus fuit, habuit λεπίδες in oculis vers. 18. ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ φωτὸς ἐκείνου Actor. 22: 11. Igitur *manu ductus est in Damascum*, 9: 8. in *domum Iudæ* cujusdam, habitantis in *platea*, dicta Ευθεῖα. 9: 11. Ibi fuit *triduum nil videns, nec edit, nec bibit* Actor. 9: 9. assiduus in *precibus* Actor. 9: 11. & semel ἐν ὁράματι *Ananiam* advenientem videns. Act. 9: vers. 12.

§. 62. Hanc οὐράνιον ὀπτασίαν Actor. 26: 19. Paulus deinceps allegavit, ut testimonium resurrectionis Christi, 1 Cor. 15: 8. & ut fundamentum veritatis missionis suæ & Apostolatus Actor. 22: 14. 15. Enarravit illam in apologia sua coram Iudæis, Actor. cap. 22: 1 – 16. & coram Festo ac Agrippa. Actor. 26: 12 – 19. Inde illius gloriatio, *Annon Iesum Christum* Dominum nostrum vidi? 1 Cor. 9: 1.

Ananias Saulum convenit.

§. 63. *Ananias, vir pius secundùm legem*, Actor. 22: 12. μαρτυρούμενος ὑπὸ πάντων, Damascenæ Ecclesiæ reformator, ut Philippus Samaritanæ, *in visione* à *Domino* jubetur, ut Saulum conveniat, Actor. 9: 10. 11. 12. cumque cunctari videretur vers. 13. 14. rursum illi Dominus, πορεύου *vade; nam vas electionis mihi hic est*, &c. Actor. 9: vers. 15. 16. Ivit igitur Ananias, *manusque* Saulo *imposuit*, visum reddidit, *baptizavit*, Saulusque insuper *Spiritu Sancto impletus fuit.* Actor. 9: 17. 18. 22: 12 – 16. Magna certè in Saulo fecit Ananias, fecit illum *videre*, *Spiritum* habere, *baptismum* suscipere, & *nomen Domini invocare* Actor. 22: 16. Majora autem acta in Saulo. In præcipiti injustitiæ cursu subitò conversus est, factus confessor illius, cujus fuerat persecutor; frater illorum, quorum fuerat proditor; doctor, quorum destructor; imò tantus, qui maximis *columnis* nil cessit Gal. 2: 6. *vocatus per gratiam Dei* Gal. 1: 15. 16. ἠλεηθεὶς 1 Tim. 1: 13. χάριτι θεοῦ factus, quod factus 1 Cor. 15: 10. *In illo primo monstravit* Dominus *omnem suam longanimitatem, in exemplum* τῶν μελλόντων πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ 1 Tim. 1: 16. Hic Saulus *plus omnibus laboravit* 1 Cor. 15: 10. pluribus expositus periculis, quàm ullus aliorum.

Gratia Saulo facta.

aliorum. ἐν κόποις περισσοτέρως, ἐν πληγαῖς ὑπερβαλλόντως, ἐν φυλακαῖς περισσοτέρως, ἐν θανάτοις πολλάκις, &c. 2 Cor. 11: 23. pluribus clarus scriptis & epistolis, quàm ullus aliorum; unus enim ille plus scripsit, quàm omnes alii, pluribus honoratus revelationibus, quàm ullus aliorum; nemo præter illum raptus est in tertium cœlum; plures transiit terras, plures formavit & confirmavit Ecclesias, quàm ullus aliorum; factus *Apostolus gentium* Rom. 11: 13. Primus Saul, Rex Israëlitarum, è tribu *Benjamin*, *laniavit ut lupus*, *in mane edit prædam*; surgente primùm populo. Posterior hic Saul, non Rex, sed Doctor Ecclesiæ, *vesperi*, occidente & ad finem vergente politia Israëlis, *distribuit spolia*, Genes. 49: 27. spiritualia nimirum devictis in obedientiam Christi rebellibus Es. 53: 12. *cum robustis partietur spolium.* Imò & de Saulo forsan accipi potest, quod legitur Es. 41: 2. 3. In Saulo ostensum, quod *faciem hominis Deus non accipit*, Gal. 2: 6. quod *miseretur*, *cujus miseretur*, Rom. 9: 15. quodque *non est currentis*, neque *volentis*, *sed miserentis Dei.* Rom. 9: 16. quod gratia Dei omni corruptione potentior est, è pessimo vase fecit vas electionis. Recordatio anteactæ vitæ Saulum ad humilitatem perpetuam adegit. 1 Cor. 15: 9. *Ego sum minimus Apostolorum*, *qui non sum dignus dicier Apostolus*, *eò quod persecutus sum Ecclesiam Dei.* Et in hoc solatium invenit, quod ἀγνοῶν ἐποίησα ἐν ἀπιστίᾳ 1 Tim. 1: 13. Reliqui Apostoli erant ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται. Act. 4: 13. Paulus erat benè πεπαιδευμένος Act. 22: 3. *super multos* felici *profectu* insignis; præterea *patriarum traditionum* ζηλωτὴς Gal. 1: 14. Ita & ex *idiotis*, & è *literatus* fecit Dominus Apostolos; nec obstitit illorum ruditas, capiendis mysteriis divinis; nec hujus sagacitas, assueta mendacio, repellendæ sufficiens fuit divinæ operationi. Magnum est, è nihilo facere aliquid. Majus, è malo facere bonum. Magnum fuit, ex idiotis factos Doctores. Majus est, è Doctore jam perversè imbuto, multis præjudiciis impleto, exstitisse Doctorem justitiæ. Idiotæ simpliciter, quod traditum fuit, acceperunt. Literatus hic dediscere debuit prius, quæ didicerat; & discere, quæ necdum didicerat. Par ferè miraculum factum in Mose, qui terrena imbutus *Ægyptiorum sapientia* Act. 7: 22. exutis illis præjudiciis, *sapientia cœlesti* maximè deinde polluit.

Acta Sauli proximè à conversione. §. 64. Non fuit Saul *immoriger divinæ visioni.* Act. 26: 19. Ut recepit visum, λαβὼν τροφὴν ἐνίσχυσεν Act. 9: 19. Et inde à conversione, *non contulit statim cum carne & sanguine* Gal. 1: 16. non ab hominibus aliisque discipulis sivit se informari; neque *reversus est ad alios pro se Apostolos*, *Hierosolymam* Gal. 1: 17. neque enim debuit *Euangelium accipere ab homine*, *aut doceri*, sed unicè id tenere δι' ἀποκαλύψεως *Jesu Christi.* Galat. 1: 12. Igitur statim egressus è Damasco, *abiit in Arabiam*, seu in loca Damasco proxima aliquantisper secessit, ut ibi scientia Euangelii à Domino suo plenius imbueretur Gal. 1: 17. Ex Arabia *rursum reversus est in Damascum* ibidem ubi μετὰ τῶν μαθητῶν egit ἡμέρας τινάς. Act. 9: 19.

§. 65. Ingressus ibi *in Synagogas*, *statim prædicavit Christum*, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ Act. 9: vers. 20. fueruntque adeò Damasceni primi, quibus præconiatus est novus hic Apostolus. Act. 26: vers. 20. τοῖς ἐν Δαμασκῷ πρῶτον ἀπήγγελλον μετανοεῖν, &c. *Obstupuerunt* initio sancti, veriti à Saulo insidias, Act. 9: vers. 21. neque enim forsan omnes ab Anania acceperant quæ cum Saulo acta erant. Saulus autem μᾶλλον ἐνεδυναμοῦτο, & *Judæos* immorigeros *confudit*, συμβιβάζων, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστός, hoc est, efficacissimis argumentis demonstravit, evicit, ostendit, quod Jesus, & nullus alius, sit *Christus*, ab initio promissus, à Patribus exspectatus. Act. 9: vers. 22. confer Act. 17: vers. 3. Clariss. Beza optime τὸ συμβιβάζων παραφράζει, *collatis testimoniis demonstrans*, *& Scripturæ*

locis

locis probans, nempe, ut solent artifices aliquid compacturi, singulas partes inter se comparare, ut inter se alia aliis ad amußim quadrent.

§. 66. Cum ita in Damasco egisset ἡμέρας ἱκανὰς Act. 9: 23. ἔτη τρία Galat. 1: 18. ceperunt Judæi, non ferentes τὸ συγχύνοντα αὐτοὺς, consilium, *interficiendi illum*, sed detectæ sunt *insidiæ*, & feliciter, auxilio discipulorum, noctu evasit Saulus. Act. 22: 24. 25. Frustra fuit opera, quam *præfectus Aretæ Regis* Arabiæ Petrææ, qui *præsidio* Damascum tunc *etnebat*, ad capiendum Saulum, Judæis navavit. 2 Cor. 11: 32.

§. 67. Inde profectus est in *Hierosolymam*, quam inde à conversione nondum viderat. Act. 9: 26. propositum habens ἱστορῆσαι πέτρον *invisere Petrum* Galat. 1: 18. insignem illum in Apostolis, ut & ille agnosceret *gratiam* Saulo *datam*, *& dextram communionis* ipsi *daret*. Galat. 2: 9. *Mansit cum Petro dies* tantùm *quindecim* Galat. 1: 18. Porro & *tentavit* Saulus κολλᾶσθαι τοῖς μαθηταῖς *discipulis, sanctisque* credentibus *adjungi*; sed *metuerunt illum omnes*. Act. 9: 26. Adeò altas in animis illorum radices egerat memoria pristinæ Sauli malitiæ, nec omnes videntur credidisse, quæ Damasceni de illo dubio procul retulerant. *Barnabas*, Levita ille Act. 4: 36. Sauli causam egit, *duxit illum ad Apostolos*, narravitque eventa & acta Pauli. Act. 9: 27. Non tamen ad omnes, sed ad *Iacobum* tantùm *fratrem Domini, & Petrum. Alium autem Apostolorum* tunc *non vidit*, id quod gravibus verbis confirmat, ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, ὅτι οὐ ψεύδομαι Galat. 1: 18. 19. 20. Reliqui forsan Apostoli tunc non fuerunt Hierosolymis: aut si fuerunt, occupati in aliis; ut Saulo videre illos non licuerit; providentia divina ita volente, ut hac vice in Hierusalem non videret, nisi duos, nec videretur nisi à duobus. De cætero cum iis, quos vidit, & cæteris sanctis fuit εἰσπορευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος, & παῤῥησιαζόμενος *in nomine Domini Iesu*. Act. 9: 28. Imò & *quæstionem movit* quibusdam *Hellenistis*, hoc est, disceptavit cum illis. Fuere hi ἀπειθεῖς τῷ θεῷ· Illi autem, de quibus Act. 6: 1. ἀπειθεῖς τῷ θεῷ, unde & *annisi sunt interficere illum*. Actor. 9: 29. His diebus, quos in Hierosolyma transegit, *oravit in templo, & ἐγένετο ἐν ἐκστάσει, & vidit* Dominum *dicentem, Festina, exi citò ex Hierusalem, nam non accipient testimonium tuum de me*, Actor. 22: 17 – 21. unde ratio ostendi potest, cur *quindecim* tantùm dies manserit cum Petro. 1. Hoc mandatum Domini ipsum jussit exire. 2. Hellenistarum persecutio exitum acceleravit. Fratres Hierosolymitani cognitis insidiis *deduxerunt Saulum in Cæsaream* Actor. 9: 30. (num maritimam illam, de qua §. 59. aut num in illam, quæ dicta est *Cæsarea Philippi*, circa montem Libanon, ad confluentem Jor & Dan; olimque *Lachis*, dein *Dan* appellata fuit; & denique ab Agrippa Rege in honorem Neronis *Neronias*. Joseph. ἀρχαιολογ. 20. cap. 8.) *& inde emiserunt in Tarsum* ibidem patriam suam Actor. 21: 39. urbem κιλικίας Actor. 22: ℣. 3. De hac sua dimissione ipse scribit Gal. 1: 21. *Postea veni in climata* seu regiones *Syriæ & Ciliciæ*. Et ita implevit seu fecit, ut est Act. 26: 20. *Iis qui in Damasco prius, & Hierosolymis & in totam Judæorum terram nunciavi resipiscere.* adde Gal. 1: 23.

Triennio à conversione petiit Hierosolymam, in qua quindecim transegit dies.

§. 68. Circa hoc tempus alta fuit pax & tranquillitas Ecclesiis ταῖς ἐν χριστῷ Gal. 1: 22. Nam *Ecclesiæ per totam Galilæam, Iudæam, Samariam*, adde & Syriam, *habuerunt pacem, ædificatæ & ambulantes in timore Domini; & consolatione Spiritus Sancti multiplicabantur.* Act. 9: 31. Desiit ergo tandem persecutio orta post Stephanum.

Pax Ecclesiarum.

§. 69. Petrus per idem tempus *transiit per omnes Ecclesias* Act. 9. 39. inspectionem sumere illarum volens. Ita & *venit ad Sanctos* habitantes in *Ludda*. Actor. 9: 32. Ibi sanavit *Æneam, octo annos paralyticum, Ænea*, inquit, *sanat te Iesus Christus*, ἀνάστηθι *surge*, καὶ εὐθέως ἀνέστη. Act. 9: 33. 34. *Viderunt illum omnes habitantes* λύδδαν καὶ τὸν σάρωνα, *&* con-

Petrus Ecclesias visitat, sanat Æneam, vivificat Dorcadem.

conversi sunt ad Dominum. Act. 9: 34. 35. *Lydda* לוד est civitas Palæstinæ, etiam *Diospolis* appellata. *Cestius Gallus*, Syriæ Præses, illam combussit. Joseph, de bello Judaic. lib. 2. cap. 23. ὁ σαρὼν est nomen *regionis*, non urbis; infra Lyddam exordientis. vide 1 Chron. 27:29. Cantic. 2: 1. Es. 33: 9. 35: 2. 65: 10. Regio abundans *rosis* Cant. 2: 1. דשן ושמן *pinguis & oleosa*; habet שדי חמד *agros desiderii* וגפן פוריה *& vites frugiferas*. Est tamen & urbs, dicta שרון ἡ σαρὼν 1 Chron. 5: 16. Prope Lyddam fuit *Ioppe*. Act. 9: 38. Ibi erat μαθήτρια *discipula*, nomine ταβιθά, hoc est, δορκάς *caprea*. Syri ט ' in צבי *caprea* mutant in ט. Laudatur illa fuisse *plena bonorum & eleemosynarum*: Actor. 9: 36. *Mortua* erat *illis diebus*. Petrus advocatus, mortuam παρέστησε ζῶσαν. Act. 9: 36 – 41. Id statim omnibus innotuit, καὶ πολλοὶ ἐπίστευσαν ἐπὶ τὸν κύριον. vers. 42.

Miraculis Apostolorum multi ad credendum commoti. Et unde hoc? §. 70. Miraculis & signis Apostolorum, quæ multa illi faciebant Actor. 2: 43. 5: 12. 15. 16. 6: 8. 8: 13. multi illo tempore moti, fidem suam addixerunt Domino. Joppenses credunt, exsuscitata Tabita. Lyddenses sanato Ænea. Samaritani, visis & auditis signis Philippi Act. 8: 6. 12. 13. Hierosolymitani *glorificant* Deum ἐπὶ τῷ γεγονότι τῆς ἰάσεως τοῦ χωλοῦ. Act. 4: 21. 22. Sergius Paulus visis signis Pauli. Act. 13: 12. Idololatræ Lystrienses Paulo sacrificare volunt ob sanatum χωλὸν. Act. 14: 10. 11. 13. Multi viderunt signa magna & non crediderunt, quæ non vidit in Ægypto Pharao, nec tamen credidit. Exod. 7: 5. Deut. 29: 2. 3. Quæ non Israël & in Ægypto & in deserto; & tamen multi illorum ἠπίστησαν. Rom. 3: 3. Quæ non Pharisæi viderunt a Christo ipso; nec tamen crediderunt. Multi viderunt signa, & crediderunt, sed haut setio, nec ad salutem, ut Simon. Actor. 8: 13. 21. 22. 23. Igitur quod tempore Apostolorum tot visis crediderunt signis, & in fide perstiterunt, id non nudis imputandum miraculis, quæ haut suffecissent sola ad salutem, sed forti *brachio Iehovæ*, Es. 53: 1. qui & dedit signa fieri, & factis signis credere, & vere ac ad salutem credere. Non verbum solum salvat, ni auditum in cor Deus inscribat. Non miracula sola fidem excitant; nisi corda per fidem purgata illa videant, audiant, recipiant.

Cornelius centurio jubetur in visione Petrum ad se accersere. §. 71. Erat illo tempore *in Cæsarea Cornelius*, *centurio*, vir *pius*, *timens Deum*, *orans semper*, *plenus eleemosynarum* Act. 10: 1. 2. laudatus ab omnibus Judæis. Act. 10: 21. vir ἀλλόφυλος *non è tribubus Israel*. Actor. 10: 28. ἀκροβυστίαν ἔχων *præputium habens*, incircumcisus Act. 11: 3. è *gentibus*. Act. 10: 45. 11: 1. Si autem gentilis, & incircumcisus, quomodo *pietas* illius recta, & preces, & timor Dei? Resp. fuerunt multi tum temporis incircumcisi, & tamen Judaicæ religionis studiosi; qui dici solebant *Proselyti Portæ* חסידי האומות *Pii nationum*, qui promissiones de Messia sciverunt, exspectarunt; sed onerosam illam & legalem servitutem, cui suberat Israël, suscipere recusarunt. Talis forsan fuit Hecatontarchus ille Capernaumitanus, cujus *fides* tanta, ut miratus sit Christus, *neque in Israel tantam fidem inveni* Matth. 8: 5. 10. & connumerat illum illis, qui ab *oriente & occidente venient*. vers. 11. hoc est, gentilibus. Hic Cornelius *vidit in visione*, φανερῶς *manifestè*, *circa horam nonam diei*, *Angelum Dei ad se intrantem*, & *dicentem*, *Corneli*, laudatisque *precibus ejus & eleemosynis*, *jubentem*, *Petrum è Ioppe* accersere. *Hic loquetur tibi*, *quid te deceat facere*. Act. 10: 2 – 6. confer vers. 22. & Act. 11: 14. *in quibus salveris tu*, & *tota domus tua*. Misit illico Cornelius. Act. 10: 7. 8.

Visio Petri. Adit Cornelium. §. 72. Postridie, dum illi, quos misit Cornelius, in via sunt, ascendit Petrus ἐπὶ τὸ δῶμα προσεύξασθαι. Act. 10: 9. Ibi circa tempus prandii *ecstasis in illum delapsa est*, posituſque ille in mentis excessu. *Vidit cælum apertum*; *vas ut linteum magnum è cælo demissum*; in quo vidit *omnia quadrupedia terræ*, *bestias & reptilia*, *audivit vocem*. *Macta & ede*, cumque diceret, Μηδαμῶς κύριε, *nam nunquam edi* πᾶν κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον, audiit *secunda vice*,

vice: quæ Deus purgavit, tu ne profanes: imo & tertiâ vice; & rursum assumtum est vas in cœlum Act. 10: 11 – 16. 11: 5 – 10. Petrus tenax moris patrii noluit impurum edere. vide de discrimine animalium & ciborum lib. 11. cap. x1. §. 69 - 78. Dum anceps dubiusque *visionem* hanc expendit Petrus, adsunt legati Cornelii, monetur à *Spiritu*, ut cum illis eat μηδὲν διακρινόμενος. Ivit igitur, assumtis *sex fratribus* Act. 10: 17 – 23. 11: 11. 12. Cornelius *cognatos* advocaverat, & *necessarios* seu proximos *amicos*, ut vidit Petrum, πεσὼν προσεκύνησεν. Petrus *surgere* illum jubet; nam & se *hominem* esse Actor. 10: 24. 25. 26. confer Luc. 5: 8. videnſque *multos convenisse*, vers. 26. petit ut memores sint, esse *ἀθέμιτον nefas Judæo* κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ; *sibi autem monstrasse Deum, nullum hominem impurum dicere.* Act. 10: 28. Ita jam visionis cœlestis mentem sensumque didicerat; nimirum ceremonialem typicamque puritatem aut impuritatem nunc cessare. Cornelius repetita visione sibi oblata, concludit, *omnes nos coram Deo adsumus, ut audiamus, quæ jussu te Deus.* Act. 10: 28 – 33. Cœpit igitur & Petrus loqui.

§. 73. Fatetur initio, non esse προσωπολήπτην τὸν Θεὸν Act. 10: 34. confer Rom. 2: 11. Galat. 2: 6. Ephes. 6: 9. Col. 3: 25. *In omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptum illi esse.* vers. 35. sive sit Judæus, sive Græcus, dummodo timeat, ametque Deum, & *justitiam Dei quærat*, Matth. 6: 33. quæ est *è fide in fidem.* Rom. 1: 17. (alia enim haut valet coram Deo justitia,) charus Deo est. *Pacem* enim *nunciari per Iesum Christum, qui omnium Dominus est* vers. 36. & Judæorum & gentium. Inde incipit exponere Jesu in terra miraculosam conversationem vers. 37. 38. 39. *crucifixionem* vers. 39. *resurrectionem* vers. 40. 41. *gloriam.* vers. 42. *beneficia.* vers. 43. inter quæ maximum est, ἄφεσις ἁμαρτιῶν *remissio peccatorum.* Adhuc *loquente Petro* vers. 44. imò potius ἐν τῷ ἄρξασθαι αὐτὸν λαλεῖν Act. 11: 15. erat enim adhuc in initio sermonis, *delapsus est Spiritus Sanctus super omnes audientes sermonem*; adeo ut *loquerentur linguis, & magnificarent Deum.* Act. 10: 44. 46. Ita & *super gentes donum Spiritus S. effusum est.* Actor. 10: 45. *cecidit Spiritus Sanctus super illos, ut & super nos in initio.* Actor. 11: 15. confer vers. 17. *Æquale donum dedit illis Deus, ut & nobis.* Quid ad hæc Petrus? Statim memor factus est *verbi* DOMINI, *vos baptizabimini in Spiritu S.* Act. 11: 16. Rogat, *num aquam prohibere potest quis, ut non baptizentur illi, qui acceperunt Spiritum S. ut & nos.* Actor. 10: 47. jussit ergo illos *baptizari.* vers. 47. Samaritani post baptismum acceperant Spiritum. Cornelius, & qui ipsius, acceperunt ante baptismum. Quid autem socii Petri? *obstupuerunt* οἱ ἐκ περιτομῆς πιστοὶ, ὅσοι συνῆλθον τῷ Πέτρῳ, *quod in gentes donum Spiritus S. effusum esset.* Act. 10: 45. Sed cur stupent? id doceamus. Sermo Petri. Spiritus in gentes cecidit.

§. 74. Sivit Deus olim *omnes gentes ire viis ipsarum*, Act. 14: 16. & licet se illis *haut reliquerit* ἀμάρτυρον *intestatum* Act. 14: 17. & adeo propè illas fuit, ut quasi *palpare* illum potuerint Act. 17: 26. 27. 28. tamen non manifestavit se illis familiariore illo modo, non locutus illis est è cœlo, non pepigit cum illis fœdus, non dedit illis statuta, non fecit illas sibi populum, non dedit illis Spiritum Sanctum; non notum fecit illis Mediatorem Filium. Ideò *in illo tempore* dicuntur fuisse *sine Christo*; *hospites Testamentorum promissionis, spem non habentes*, nec salutis, nec æternæ vitæ, nec gloriosæ resurrectionis; *& sine Deo in mundo*; sine Deo fœderato & salvante. Serviebant ἀγνώστῳ Θεῷ Act. 17: 23. fuit *in illis manifestum* τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ; Rom. 1: v. 19. unde & dicuntur γνόντες τὸν Θεὸν vers. 21. tamen non rectè, nec perfectè noverunt; *gloriam illius mutarunt, nec ut Deum glorificarunt.* Rom. 1: 21, 23. Et licet *opus legis in cordibus illorum scriptum fuerit* Rom. 2: 15. tamen oblitæ rectitudinis, ad scelera horribilia & teterrima crimina delapsæ sunt. Rom. 1: 25 – 31. Gentes olim à Deo derelictæ.

Inimicitia inter Israëlem & gentes.

§. 75. E quo confusæ sunt linguæ, & dispersæ nationes Genes. 11:7. 8. 9. cœperunt illæ à Deo magis magisque abalienari. Reliquiæ sanctæ, velut *Melchisedech*, Genes. 14: 19. *Hiob* Job 1:1. aliique, paulatim desierunt; & misera gentilitas cœpit esse sine spe, sine fide, sine cognitione, sine promissione, Deo, Christo. *Abraamum* autem è medio gentium vocavit Deus. Genes. 12: 1. Illi *promissiones dixit*, Genes. 12: 2. 13: 5. 15: 5. 17: 6. Pepigit & cum illo בְּרִית *fœdus*. Genes. 17: 6. Et *in signum* fœderis dedit illi *circumcisionem*. Genes. 17: 10. 11. Ita & *Abraam* circumcisus est, & geniti ex Abraam, *Isaac*, *Iacob*, *& duodecim Patriarchæ*, Act. 7: 8. venerunt illi in Ægyptum. Posteri illorum habitarunt in terra Goschen, separati ab Ægyptiis, Deum colentes Abraami. Inde tandem educti sunt. De Sina monte fœdus Abrahami repetivit illis, statuta sua & judicia dedit, denique & *legem placitorum* imposuit, de *cibo & potu*, de *variis lotionibus*, de *dierum discrimine*, de sacrificiis, aliisque *justificationibus carnis* Heb. 9: 9. 10. Illa δόγματα triplicem habuerunt usum. 1. Fuerunt *umbra futurorum*. Col. 2: 17. Heb. 10: 1. Gal. 3: 24. 2. Fuerunt *contra illos Chirographum*, *subcontrarium*, Col. 2: 24. 3. Fuerunt μεσότοιχον φραγμοῦ *paries intergerinus* Ephes. 2: 14. discrimen faciens inter Israëlitas & gentes, illosque ab invicem separans, ut non possent communionem colere invicem, nec κολλᾶσθαι aut προσέρχεσθαι sibi invicem, differebant enim nunc Israëlitæ ab omnibus gentibus; non alium modò colentes Deum, aliamque foventes spem; sed & aliter notati in carne; *circumcisi* nimirum, aliter *loti*, aliter *pasti*, aliter *instituti*. Hocque μεσότοιχον eo firmius fuit, quod lex illa lata fuit à *Deo*, commınatione *maledictionis* munita, & *non sine sanguine* initiata. Heb. 9: 18. 20. 21. Accessit, quod, ejectis *septem gentibus è terra Canaan*, Deus illam illis dedit in hæreditatem Act. 13: 19. ut ita in propria terra, secreti ab aliis, habitarent, & propriis statutis legibusque viverent. Additum mandatum, *non veniet Ammonita, aut Moabita in cœtum Domini*, hoc est, in communionem Ecclesiæ Israëliticæ non admittetur. *Etiam generatio decima non veniet, in seculum. Non quæres pacem illorum, & bonum illorum.* Deut. 23: 4 – 7. *Non contrahes cum illis affinitatem, filiam tuam non dabis filio ejus; & filiam ejus non duces filio tuo.* Deut. 7: 3. Ita miseræ gentes, quæ jam erant sine spe, sine Deo, sine Christo, etiam exstiterunt *abalienatæ à politia Israel*, Ephes. 2: 12. tuncque illæ potuerunt dicere, *separavit me Dominus à populo suo. Ego lignum aridum*. Es. 56: 3. Ab illo tempore fuit ἔχθρα *inimicitia* inter gentes & Israëlem Ephes. 2: 15. nullaque *pax* inter illos; intellige spiritualis & ecclesiastica. Imò fuit quasi אֵיבָה *inimicitia* illa, quam *ponit* Deus inter *serpentem & mulierem* & *semen* utriusque. Genes. 3: 15. nam gentes *sine Deo*, quid fuerunt, nisi *Serpentis semen*? Israël in Deo & cum Deo fuit pars & primitiæ benedicti seminis, quod sanctificatur. *Inimicitia* hæc non fuit carnalis, non livor, aut terrestre odium, quo aliorum successibus etiamnum sæpe invidere solemus; sed fuit spiritualis, in Deo, per Deum; consentanea justo Dei judicio, inimicitia in illos, quos Deus tunc noluit gratia sua dignari; quos noluit illo tempore in populum sibi asciscere; imò in illos, qui oderant Deum, quærentes, timentes, adorantes non-Deos.

§. 76. Fuerunt Judæi sæpe pressi, sæpe subjecti gentibus, & traditi in manus gentium, sub Judicibus, sub Regibus; & tandem planè abducti à gentibus, urbs sancta diruta, Sanctuarium incensum. Arca, gloria Israëlis, ablata. Attamen in ipsa captivitate manserunt à gentibus abalienati, nec in gentium transierunt communionem, nec ipsarum acceperunt instituta; nec ad illarum vixerunt modum, h. e. ἐθνικῶς, sed semper consideraverunt se in mediis vinculis, ut μεσοτοίχῳ sejunctos à gentibus; quamvis quæ μεσοτοίχῳ præcipua pars erant, templum, altare, sacrificia, & alia id genus, tunc cessarent. Daniel sociiq; ejus ederunt

 legu-

legumina, spretis deliciis regalis mensæ; ut ne polluerentur. Socii ejus maluerunt flammis objici, quàm cum gentibus imaginem auream adorare. Daniel maluit leonum cibus fieri, quàm tantillum remittere ab invocatione Dei Patrii. Et licet, qui in Babel erant abducti, juberentur à Deo, *ædificare* ibi *domos*, *plantare hortos*; imò & quærere *pacem civitatis* illius, & pro *pace* illius orare; quia in *pace* illius illorum *pax* sita esset Jerem. 29: 5. 6. tamen in ipsa illa *pace* duravit spiritualis hæc ἔχθρα *inimicitia*; adeoque *pax* hæc fuit non-pax, & inimica pax, & pacifica, ut ita dicam, inimicitia. Pacem politicam civitatis quærebant. Pacem ecclesiasticam cum civitate nec colebant, nec colere debebant. Cives illius pro hostibus Dei, adeoque & suis habebant.

§. 77. Restituti in terram, beneficio gentium; reædificato templo, munificentia Regum Persarum, ita tamen observantes fuerunt τῆς ἔχθρας, divina voluntate illos inter politiæ & gentes, ut communionem gentium vitarent; illarumque operam in *ædificando templo* recusarent Esr. 4: 2. 3. imò & magnam judicarunt commissam esse מעל *prævaricationem*, quod in diebus *Esræ*, reducti è populo duxissent *uxores* è *Cananæis*, *Iebusitis*, *Ægyptiis*, & ita *semen sanctum commiscuissent cum populis terræ*, Esr. 9: 2. 3. quæ prævaricatio promptis divortiis, licet id multis, tenero affectu conjuges suas amantibus, ingenti esset cordolio, lui & quasi expiari debuit. Esr. 10: 2. 3. 9. 11. Cum deinde in ditionem venirent Macedonum, subjecti regno Syriæ, studiosissimè gentium communionem vitarunt, & ἔχθραν illam foverunt. Nullis minis, nullis suppliciis *Antiochi Epiphanis* cogi potuerunt, ut carnem ederent suillam, ut præputia reducerent, ut circumcisionem intermitterent, ut Jovem olympium adorarent, ut ritibus gentium insisterent. Potentiores posteà facti, ut & alias gentes, velut Idumæos, sibi subjicerent, easdem coëgerunt in sua sacra, & ad suscipiendam circumcisionem. Imò ita præcisi fuerunt, ut ne *Samaritanos* quidem ad communionem admittere vellent; eò quod post abductionem in Assyriam Cuthæis permixti fuissent; quum tamen & illi *Jacobum Patrem* suum dicerent. Johan. 4: vers. 9. 12. Petrum audivimus disertè dicentem. ἀθέμιτον esse *viro Iudæo alienigenis agglutinari*, aut *ad illos accedere*. Actor. 10: vers. 28. Cum rediret Hierosolymam, qui erant *ex circumcisione*, exprobrant illi, quod *ad viros præputiatos intrasset*, & *cum illis comedisset*. Actor. 11: vers. 2. 3. Quàm crudeliter imputabant Paulo fictum crimen, *Græcos introduxit in templum*, & *polluit locum sanctum hunc*. Act. 21: vers. 28. 29.

§. 78. Stante hac inimicitia multi ex gentibus ad Israëlis sacra & religionem accesserunt, & circumcisionem acceperunt; desinentes vivere ἐθνικῶς, incipientes vivere Ἰουδαϊκῶς; unde & illi, qui, quum Spiritus Sanctus in die Pentecostes effunderetur, erant in Hierusalem Judæi, ex omni plaga mundi, dicuntur fuisse Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι Act. 2: vers. 5. 10. *Iudæi*, qui natura tales erant; *Proselyti*, qui accessione ad Judæos Judæi facti erant. Talem vidimus fuisse *Eunuchum Candaces*. Talis & *Naaman* Syrus 2 Reg. 5: vers. 17. Talis *Rahab* meretrix, quæ, quum jam *fide* esset prædita ante captam Jericho Hebr. 11: 31. Jacob. 2: 25. post captam illam, habitavit in *Israëlis medio* Jos. 6: vers. 24. & Judæa facta, Judæo nupsit, *Salmoni*, Patri *Boozi*. Matth. cap. 1: vers. 5. Attamen licet benè multi facti olim sint proselyti; tamen longè plures manserunt Ethnici; adeoque ab Israële pro *inimicis* habiti.

§. 79. Poterant, non obstante illa ἔχθρα, in eadem civitate & regione habitare; poterant invicem fœdera facere & mutuis se invicem officiis devincire. Assamonæi solemnia cum Romanis pepigerunt fœdera. David & Salomo cum Hiram Rege Tyriorum non-

vulgarem coluerunt amicitiam. Sed non potuerunt unà edere aut bibere, idem templum adire, idem altare, easdem hostias offerre, communi nomine populi Dei sese insignire, aut se invicem fratres dicere, eundem Deum invocare. Judæi non poterant gentes ad sacra sua & adyta admittere, etiamsi essent gentium honestissimi, justissimi, æquissimi, sapientissimi; imò ipsi illi è gentibus, qui manebant incircumcisi, quamvis Deum Israëlis agnoscerent, invocarent, timerent, ut *Cornelius*, domusque illius, aversioni Judæis fuerunt, ut ἀλλόφυλοι & ἀκροβυστίαν ἔχοντες.

§. 80. Caussam quod attinet, cur Deus tanta olim severitate usus est in gentes, imprimis septem illas in terra Canaan Deuter. 7: 1. 2. & inimicitiam irreconciliabilem illas inter & Israëlem posuit, tam arcto illos separando μεσοτοίχῳ, illa non una est. Gentium horribilia scelera tantam castigationem meruerunt. Carnalis Israël ita cohiberi debuit, ne misceretur cum gentibus, neque ad idololatriam gentium præceps rueret, ad quam nimium quantum proclivis erat. *Non panges fœdus cum gentibus; nam facient recedere filium tuum à me, ut serviat Diis alienis.* Deuter. 7: vers. 2. 3. 4. Ita edoctus est mundus, quo ruat, nisi in Christo salvetur, & per Deum convertatur. Ita Israël monitus, needum adesse tempora illa meliora, in quibus est *Pax in terra, beneplacitum in hominibus* Luc. 2: vers. 14. Et sanctorum sitis accensa jugiter, ad anhelandum ut veniat *Annus beneplaciti*; quo ira desinit, inimicitia aboletur, pax adducitur, & *duo unum* fiunt.

§. 81. Promisit Deus ab initio *adductionem & conversionem gentium*; & ante statutam ἔχθραν Genes. 9: vers. 28. 22: 18. 49: 10. & post illam. Es. 2: vers. 2. 3. 52: vers. 15. Jerem. cap. 3: vers. 17. Psalm. 2: 8. confer libr. II. cap. XVII. §. 53. Quare sanctis, Scripturas scrutantibus, non potuit non dolori esse *inimicitia* cum illis, qui promissi erant Christo, Abrahamo, Ecclesiæ, in hæreditatem. Sed & non potuerunt non justis Dei judiciis assentiri, & odisse, quos oderat Deus; aversari, quos aversabatur Deus; excludere, quos excludebat Deus.

Definit in Christo. §. 82. Ut Christus venit in mundum, cantarunt Angeli, *Pax in terra.* Luc. cap. 2: vers. 14. Inimicitia cum Deo, cum cœlo, cum gentibus desinet, auferetur; quia pax, Autor pacis, Siloh adest. Christus ipse, *venit hora, & est, quod mortui*, hoc est, gentes in peccatis mortuæ, *audient vocem Filii Dei, & vivent.* Joh. 5: vers. 26. Ergo vocandæ erant gentes & vivificandæ. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex caula hac, & illas decet me adducere, & audient vocem meam, & erit unus Grex, unus Pastor.* Johan. cap. 11: vers. 52. & Spiritus S. *Mortuus est non pro gente tantum, sed & ut filios Dei dispersos colligat in unum.* Joh. cap. 11: vers. 52. *Ille est pax nostra, qui facit τὰ ἀμφότερα ἕν, soluto pariete intergerino, inimicitia in carne ejus abolita*, &c. Ephes. cap. 2: vers. 15. 16. confer Col. cap. 1: vers. 20. 21. 22. Et Christus ipse *ἐλθὼν veniens*, redux è sepulchro *annunciavit pacem τοῖς μακρὰν* Ephes. 2: 17. jubens Apostolos, *discipulos facere omnes gentes* Matth. 28: 19. confer Marc. 16: 5. Et Apostoli id intellexerunt; ut vidimus ex Actor. 2: 39.

Ideo & in gentes benedictio Christi venit. §. 83. Igitur cum tot promissiones de abolenda ἔχθρᾳ fuerint, cum Christi sanguis *pacem* fecerit & reconciliationem; cum & pro gentibus mortuus sit, etiam ἡ εὐλογία *benedictio* Christi ad *illas venire* debuit Galat. 3: vers. 14. illæque *advocari* Actor. 2: vers. 39. *locus illis & nomen dari in domo Dei, & in muris ejus* Es. 56: vers. 5. & *sisti sanctæ, inculpatæ, irreprehensibiles coram* Deo Servatore illarum Col. 1: 22. & in illo *habere προσαγωγὴν accessum ad Patrem* Ephes. 2: 18. & *thronum gratiæ* Hebr. 4: 16. omninò debuerunt.

§. 84. Subla-

Ideò & Spiritus Christi in illas effusus est.

§. 84. Sublato in cœlos Christo effusus est statim Spiritus Sanctus, sed in Apostolos tantùm & Judæos. Ecclesiæ in Judæa, Galilæa, Samaria ædificatæ, è Judæis erant. *Nemini Sermonem* οἱ διασπαρέντες, *loquuti erant, nisi Iudæis solùm*, Act. 11:19. Petrus aliique Apostoli, licet conscii futuræ gentium conversionis, hucusque in illas nondum exierant. Igitur ut & ex gentibus *videret semen justus Dei servus*, qui illas sanguine suo *asperserat* Es. 52: vers. 15. 53:10. ipse è cœlo initium conversionis gentium illustri miraculo facere voluit.

Cujus Cornelius prior factus particeps.

§. 85. Cornelius gentilis cum domo sua exstitit ἀπαρχὴ *primitiæ* convertendarum gentium, quæ res valdè illustris est. Petrus mittitur à Deo ad prædicandum Ethnico τὸν λόγον τοῦ εὐαγγελίου. Actor. 15: vers. 7. Spiritus delabitur in Ethnicos, idem inquam Spiritus, qui delapsus erat in Apostolos; idem donum illis datur. Ita Deus *testatus est gentibus*, etiam illas emtas Deo. Imò nihil διέκρινε *discrevit inter illas & Iudæos*, Actor. 15: vers. 8. 9. ostendens, non ampliùs illas debere διακρίνεσθαι, nec ut sejunctas; sed ut ἓν *unum* haberi. Imò *fide purgavit corda illarum* Actor. 15:9. Spiritus enim in illas effusus, Spiritus fidei est. Quidni ergo *inimicitia* desierit, *pax* adducta sit, *mundusque* Deo reconciliatus? quidni *gentes* sint emtæ Deo, & ad communionem sanctorum admittendæ, & pro *ovibus* Christi habendæ? Porrò Cornelius accepit *Spiritum*, *non ex operibus legis*, *sed ex auditu fidei*. Gal. 3: vers. 2. Legi subjectus non erat, circumcisionem non acceperat, & tamen Spiritus illi datus est; manifesto argumento, dationem Spiritus non esse sequelam, aut effectum, aut beneficium dogmaticæ legis. Ideò & legem desituram, & τὸ μεσότοιχον auferendum esse. Item *gentes* non *turbandas*, nec imponendum *jugum* illis Actor. 15: vers. 10. Imò & sanctos paulatim à lege debere desuescere, & illius ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς agnoscere. Si enim Spiritus idem datus est gentibus sine lege, quis Spiritus ejusdem compos manere velit sub onerosa legis servitute, nec eadem cum gentibus gaudere *libertate*, cujus Spiritus effusus auctor & donator est? Ergo haut nunc gentes ampliùs sunt ξένοι καὶ πάροικοι; sed συμπολῖται τῶν ἁγίων & οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ. Ephes. 2: vers. 19. Et *Deus non Iudæorum* tantùm, sed *& gentium*. Rom. 3: vers. 29. Neque est *Iudæus* aut *Græcus*, sed ambo sunt *unum* in Christo Jesu Gal. 3:28. Spiritus S. non amplius in *Zion* tantum habitat, sed & in *mundo*, in gentibus.

§. 86. Cùm igitur hoc, quod in Cornelio factum, secundùm prophetias factum sit, convenienter gloriæ Servatoris, cur stupent οἱ ἐκ περιτομῆς? vetera illi recordantur, nondum possunt τὰ ὀπίσω ἐπιλανθάνεσθαι, nec τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτείνεσθαι. Phil. 3: 14. Fuit ignorantiæ alicujus stupor hîc. Regnum cœlorum, & bona ejus, *justitiam*, *pacem*, *gaudium*, nondum perfectè intellexerunt. Mosen habent in animo. Christum præterit cogitatio.

Petri reditus in Hierosolymam.

§. 87. Petrus paulo post rediit *in Hierosolymam*. Act. 10:48. 11:2. *Apostoli*, & *fratres*, qui *in Iudæa*, jam audiverant, *gentes recepisse sermonem Dei*. Actor. 11:1. Zelotas, qui in Petrum invehebantur, ob convictum gentium Act. 11:2.3. eximiò convicit, docens, *se potentem haut fuisse* κωλῦσαι τὸν Θεὸν *cohibere Deum*; gratiæque divinæ cursum invertere. Act. 11:4–17. Igitur *quieverunt*, *Deum glorificarunt*, & dixerunt, *utique & gentibus Deus resipiscentiam dedit ad vitam*. Act. 11:18.

Etiam Antiochiæ Græcis prædicatus est Christus.

§. 88. Videamus autem, quid *dispersi ex afflictione facta* ἐπὶ Στεφάνῳ *ob Stephanum* (confer Luc. 1:29. διεταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ *perturbata fuit super sermone ejus*, hoc est, ob seu propter sermonem ejus) egerint. Quid Philippus in Samaria egerit, Ananias in Damasco, vidimus. Cæteri *digressi sunt ad Phœniciam usque*, *& Cyprum*, *&*

Antio-

Antiochiam. Actor. 11: 19. ἡ Ἀντιόχεια plurium urbium nomen est. Stephanus Byzanthinus *duodecim* enumerat. In Novo Testamento duarum tantùm fit mentio; unius, *Syriæ*, alterius, *Pisidiæ*. Illa *Syriæ* dicitur in Vet. Testam. חמת & רבלה Num. 13: 23. Jerem. 39: vers. 5. Ammiano libr. 14. dicitur *mundo cognita civitas*. Fuit Regum Syriorum sedes. Cæterùm hi *διασπαρέντες locuti sunt sermonem*, sed *Iudæis tantùm* Actor. 11: vers. 19. putantes forsan, *salutem* Judæorum tantùm esse, illisque tantùm nunciari debere. Fuerunt autem *quidam ex illis viri Cyprii & Cyrenæi*, illi *ingressi in Antiochiam, locuti sunt πρὸς τοὺς ἑλληνιστὰς* (Antiquissimus codex Alexandrinus dicitur habere ἕλληνας) *euangelizantes Dominum Jesum*. Actor. 11: vers. 20. Ergo illi, sine dubio divinitus moti, secundi fuerunt, qui *Græcis*, hoc est, gentibus Jesum annunciarunt. Petrus in Cæsarea; hi Cyprii in Antiochia. *Fuit cum illis manus Domini, & ingens numerus credit, & conversus est ad Dominum* Actor. 11: vers. 21. Ab *Ecclesia Hierosolymitana* missus

Barnabas illuc missus. est illuc illicò *Barnabas*, (Cyprius ille. Actor. 4: vers. 36. 37.) *Vir bonus, plenus Spiritu Sancto & fide*. Actor. cap. 11: vers. 22. 24. Hic *videns gratiam Dei, lætatus est, monuitque omnes τῇ προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ κυρίῳ*. Ita *multus populus additus est Domino*. Actor. 11: 24. Exstitit igitur Barnabas inter primos Ecclesiæ Antiochenæ initiatores.

Qui & illuc Saulum duxit. §. 89. Ex Antiochia excurrit Barnabas in *Tarsum, quæsiturus Saulum* Actor. 11: 25. miserant Saulum illuc fratres Hierosolymitani, Actor. 9: 30. & inventum *duxit in Antiochiam.*, Actor. 11: 25. ut Ecclesia illa nova Sauli frueretur ministerio. *Integrum annum* ambo hi *docuerunt in illa Ecclesia*. Ibique *discipuli πρῶτον prius* seu prima vice vocati sunt *χριστιανοὶ Christiani*. Act. 11: 26. Nomen hoc deflexum est à *Christo*, latina, non græca forma. Inde conjectura Doctorum; nomen hoc à Romanis Antiochiæ tunc agentibus illis fuisse impositum.

Prophetæ ex Jerusalem venientin Antiochiam. §. 90. *Iisdem diebus venerunt Prophetæ à Ierusalem in Antiochiam*, Actor. 11: 27. unus illorum *Agabus* (confer Act. 21: 10. 11.) *ἐσήμανε διὰ τοῦ πνεύματος, magnam famem fore super totum orbem*, ut & *factum est*, *ἐπὶ Κλαυδίου καίσαρος sub Claudio Cæsare*. Act. 11: 28. Ter dicitur fames sub Claudio Imperatore contigisse. Prior secundo anno imperii, quæ *particularis* fuit. Secunda, quarto illius anno, quæ *universalis*. Tertia, undecimo illius anno, quæ rursum *particularis*. de secunda dixit Agabus. vide Tacit. libr. 12. cap. 43. Suetonium in Claudio cap. 18. Orosium libr. 7. cap. 6. Christiani Antiocheni, collectam miserunt *in Iudæam fratribus*; mittentes *Presbyteris* (Ergo cum Apostolis jam fuere *Presbyteri* in Ecclesia Hierosolymitana. confer Act. 15: 6. 22.) *per manus Barnabæ & Sauli*, cujus hoc secundum à conversione Hierosolymitanum iter fuit. Act. 11: vers. 29. 30.

Jacobus frater Johannis gladio interfectus ab Herode. §. 91. Per id tempus *Iacobus* Zebedæi martyrium subiit, *gladio* interfectus ab *Herode Rege*. Actor. 12: vers. 1. 2. Delatorem Jacobi, victum illius constantia in defendenda veritate, etiam Christum confessum esse, & simul cum Jacobo interfectum, narrat Eusebius libr. 2. Hist. Eccl. cap. 8. addit, cum delator à Jacobo veniam peteret, Jacobum, aliquantulum tacuisse, dein dixisse, *Pax tibi*, & osculatum esse. Stephanus primus fuit Martyr. Jacobus exstitit secundus. Etiam *Petrum* Herodes in carcerem conjecit. Sed *Angelus Dei* de nocte per medios custodes, janua ferrea sponte aperta, Petrum eduxit. Petrus postquam convenisset fratres, *in alium* aliquamdiu *secessit locum*. lege Actor. 12: vers. 3 – 17. Ita ter nunc captus Petrus, & bis ab Angelo liberatus. Actor. cap. 3. 4. 8. 5: vers. 18. 19.

§. 92. Non

§. 92. Non diu superfuit *Herodes* Persecutor. In maxima pompa, cum de tribunali verba faceret, populusque clamaret, *Dei vox, non hominis, percussit illum Angelus Domini;* & *à vermibus consumtus exspiravit.* Act. 12:20 -- 23. Josephus scribit, illum sensisse τῆς κοιλίας ἄλγημα *ventris cruciatum*, & multiplici fuisse κατατεινόμενον ὀδύνῃ *agitatum dolore.* Imò quod moriens hæc ad amicos verba fecerit, ὁ θεὸς ὑμῖν ἐγὼ ἤδη καταστρέφειν ἐπιτάττομαι τὸν βίον, παραχρῆμα τῆς εἱμαρμένης τὰς κατεψευσμένας φωνὰς ἐλεγχούσης, ὁ κληθεὶς ἀθάνατος ὑφ' ὑμῶν, ἤδη θανὼν ἀπάγομαι. *Ego Deus vobis jam commutare vitam jubeor, fato ipso ementitas voces vestras jam jam redarguente. Immortalis dictus, nunc ad mortem rapior,* ἀρχαιολ. lib. 9. cap. 7. Notavimus etiam aliorum Ecclesiæ hostium miseras strages lib. II. cap. XVI, §. 159. *Herodes* hic, *Agrippa* cognominatus, fuit nepos *Herodis*, sub quo Christus natus. Matth. 2: 1. filius *Aristobuli*, ab Herode Patre interfecti. Egit aliquamdiu in extrema egestate. Ab amicis adjutus liberalius cœpit vivere. Tiberio Cæsari fuit familiaris; sed ab eodem, quod mortem illius optâsset, in vincula datus, à Cajo Caligula, successore Tiberii, liberatus, in avi principatum restitutus, & Rex factus est, qua de re ita ad Cajum scripsit, *Donasti mihi regnum, quâ sorte nulla inter mortales felicior*, &c. Quum Cajus à Judæis vellet *pro Deo haberi*, Agrippa, religione Judæus, id modestè defugit, & veritus Caji iram, ita ad eum scripsit, *Si qua in re animo tuo molestus sum, noli me vincire, ut Tiberius, sed jube mox me interimi, quid enim mihi vitâ opus est, cui spes unica fuit in tua benevolentia.* Philo de legat, ad Cajum. Claudius successor Caji regnum Agrippæ auxit; & consulares honores tribuit. Prosperis his rebus elatus, cœpit κακῶσαί τινας ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας Act. 12: 1. & ita, ut vidimus, periit; septem annos regno gavisus. *Agrippa*, de quo Act. 25: vers. 13. filius illius fuit.

Herodis mors, & historia.

§. 93. Sed nec hæc nocuit Ecclesiæ persecutio, *nam sermo Dei crevit, & multus factus est.* Actor. 12:24. *Barnabas* vero & *Saulus* πληρώσαντες διακονίαν, *ex Hierosolyma reversi sunt Antiochiam.* Act. 12:25. Non tamen diu ibi substiterunt. Impleri debebat verbum Saulo dictum, Actor. 22:21. εἰς ἔθνη μακρὰν ἐξαποστελῶ σε. Hactenus non docuerat nisi triennium in Damasco. 15. dies in Jerusalem, exinde latuerat in Tarso, nunc annum unum cum Barnaba docuerat Antiochiæ, cum illo iter Hierosolymitanum fecerat & nunc confecerat. Erant autem in *Antiochena Ecclesia* alii etiam προφῆται καὶ διδάσκαλοι. vide illorum nomina Actor. 13: 1. Illi sufficiebant isti ecclesiæ. *Gentibus*, quarum primitias conversas videmus in Cornelio & domo ejus; & in Antiochenis Ἑλληνισταῖς sive potius Ἕλλησι, sermo etiam alibi nunciari debuit. Igitur jubente Spiritu S. *Barnabas & Saulus*, facto jejunio, *impositis illis manibus*, in *gentes* ablegantur. Act. 13: ℣. 2. 3. Habuerunt *Joannem Marcum* ὑπηρέτην. vers. 5. confer Act. 12:25.

Saulus & Barnabas mittuntur in gentes.

§. 94. Illi igitur ἐκπεμφθέντες ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου, venerunt in *Seleuciam*, inde in *Cyprum*, patriam Barnabæ. Act. 13:4. In *Salamini nunciarunt sermonem Dei in Synagogis Judæorum.* vers. 5. Ita enim ἀναγκαῖον vers. 46. In Papho *invenerunt Magum*, cui nomen Βαριησοῦς, hoc tantundum est ac Ἐλύμας. Act. 13: 6. 8. *Barjesus* est quasi בר ישוע *filius salutis*, qui conferre sanitatem & salutem potens. Ἐλύμας convenire videtur cum Chaldaico חָלוֹבָא *sanator, curator*, à חלם *sanare*. Fuit autem *Magus*. Lex est Judæis. הלומד דבר מן המגוש חייב מיתה *qui discit quicquam à Mago, reus mortis esto.* Magus hic familiaris erat *proconsuli, Sergio Paulo*, quem *quæsivit divertere à fide.* Ideo *restitit* Barnabæ & Saulo; ut *Jannes & Iambres* olim *Mosi.* 2 Tim. 3:8. Saulus acriter reprehensum, *cœcitate* percussit. Act. 13:7 -- 11. Ita & Elysa *Syros* 2 Reg. 6: 15. Saulo adhuc persecutori cœcitas in salutem exiit. Act. 9: vers. 17. 18. Num & huic? certè proconsul *videns factum, credidit.* Act. 13: 12.

Magus Elymas cœcitate percutitur, Sergius Paulus conversus.

Saulus, Paulus. §. 95. Hic *Saulus* prima vice *Paulus* dicitur, σαῦλος ὁ καὶ παῦλος. Act. 13: 9. De hoc alii aliter sentiunt. Alii Saulum fuisse binominem; ut ex altero nomine Judæus, ex altero civis Romanus esse intelligeretur. Alii, cum religione illum etiam mutasse nomen. Alii, in honorem Sergii Pauli illum id nomen acceptasse; aut etiam à Romani Proconsulis familia ita vocari cœpisse. Augustinus, *Paulum* dictum, quod ex superbo Pharisæo *parvulus* Christi discipulus factus sit; alii denique, Romanis dici *Paulum* Græcisque, eo tempore Romanis magis assuetis nominibus; qui Hebræis & Syris *Saul*. *Id nomen Saulo ab hinc dari, quia hic est quasi initium Apostolatus ejus in gentibus*. Ita Cl. Beza.

Concio Pauli in Antiochia Pisidiæ. §. 96. In *Antiochiam Pisidia* delati, Paulus *in Synagoga, in die Sabbati* prolixam habuit concionem. Act. 13: 14. 15. 16. In qua multa de initiis populi Israelitici, in Ægypto, in deserto, in Canaan; de Judicibus, de Regibus, Saulo & Davide; de *excitatione Iesu Salvatoris è semine Davidis*, de *illius* morte, resurrectione, exaltatione, è Scripturis propheticis disseruit. vers. 16.. 37. & magnificis tandem hisce verbis conclusit; quæ sunt verè verba Apostoli & Præconis Novi Testamenti ac ministri reconciliationis. *Notum sit vobis, quod per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur*. Act. 13: 38. confer Act. 10: 43. Maximum bonum! confer Ephes. 1: 7. Col. 1: 14. *Et ab omnibus, quibus in lege Mosis non potuistis justificari, in hoc omnis credens justificatur*. Act. 13: 39. In lege Mosis fuere multa dogmata & instituta legalia. Illis nemo potuit justificari. Hebr. 7: 19. 10: 4. Galat. 4: 9. ὧν οὐκ ἠδυνήθητε, est tantundem ac ὅις. Ita Rom. 4: 17. κατέναντι οὗ ἐπίστευσε θεοῦ pro κατέναντι θεοῦ ᾧ ἐπίστευσε. *Ab omnibus* autem illis præceptis carnalibus & onerosis *justificatur* & liberatur *credens in Iesum Christum*. *Finis* enim *legis* ille. Rom. 10: 4. confer Galat. 3: 19. 24. 25. Gal. 4: 5. Heb. 9: 10. Matth. 11: 28. 29. 30. Galat. 5: 1. In hunc sensum vertit Joachimus Camerarius . . . . . . *& liberatur is, qui huic credit, ab omnium observatione, quibus non potuistis justi fieri præscriptis à Moyse*. Vulgatus. *Per hunc remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non poteratis in lege Mosis justificari, in hoc omnis credens justificatur*.

Gentes petunt verbum illis dici, gaudent, credunt. §. 97. *Gentes* rogarunt, ut *in sequens Sabbatum hæc illis verba dicerentur*. Act. 13: 42. Ergo non Judæis tantùm, sed & gentibus præconiatus est. Paulus & Barnabas monuerunt *Judæos & Proselytos* ἐπιμένειν τῇ χάριτι τοῦ θεοῦ *gratiæ Dei inhærere*, Act. 13: 43. nec tanto amplius zelo incumbere legalibus illis institutis, inutilibus certè & infirmis. Judæi invidentes felicibus Euangelii successibus, vehementer *contradixerunt* τοῖς ὑπὸ παύλου λεγομένοις. Ideo illis Paulus & Paulus Barnabas, *non dignos vos judicatis vita æterna. Ecce, convertimur ad gentes*. Act. 13: 46. 47. *Gavisæ* igitur illæ sunt & *laudarunt sermonem Domini*; *& crediderunt*, qui autem, & quot? ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον *quotquot erant ordinati ad vitam æternam*. Act. 13: 48. *Fides* enim *non est omnium* 2 Thes. 3: 4. sed *Dei donum*. Ephes. 2: 8. Judæi autem *excitata persecutione ejecerunt ex finibus illis* Paulum & Barnabam. Act. 13: 50. Nil minus *verbum Domini per totam ferebatur regionem*. ṽ. 49. Et *discipuli*, ii nimirum qui è gentibus crediderant, *implebantur gaudio & Spiritu Sancto*. vers. 52.

Gesta ab Apostolis in Iconio & Lycaonia. §. 98. Inde *venerunt in Iconium*. Act. 13: 51. Ibi ita *locuti sunt, ut crederet Judæorum & Græcorum magna copia*. Act. 4: 1. *Domino attestante sermoni gratiæ suæ, & dante fieri signa & portenta per manus illorum*. vers. 3. Sed & ibi *Judæi* οἱ ἀπειθοῦντες Apostolos coëgerunt *fugere*. Act. 14: 2. 4. 5. 6. Inde delati in *Lycaoniam*, & ibi *Euangelizarunt*. Actor. 14: 7. In Lystris *claudum ex utero* sanavit Paulus. vers. 8. 9. 10. ut & de Petro vidimus factum. Incolæ pagani ad tantum miraculum exclamant, *dii, assimilati hominibus, descenderunt*

runt ad nos. Act. 14: 11. Voluerunt miseri illi Paulo & Barnabæ, *sacrificare* vers. 13. Id omni nisu impediunt. *Viri, quid hæc facitis, & nos sumus homines vobis* ὁμοιοπαθεῖς, *nunciantes vobis à vanis his converti ad Deum vivum.* Act. 14: 15. Caligulæ tanta olim erat insana superbia, ut vellet *naturæ divinæ particeps* haberi, sibique *sacrificari.* Judæis Alexandrinis, jactantibus *hecatombas*, quas in gratiam illius immolassent, ferociter respondit, *esto,* inquiens; *sacra fecistis, sed alteri; mihi certè non sacrificastis.* Philo in legatione ad Cajum. Doceamur è verbis Apostolorum, quod elogium cultus paganorum mereatur, est *vanus*, ipsa vanitas. quid vanius, quàm θύειν στέμματα καὶ ταύρους *diis fictis*, hominibus, creaturis, sine sensu, sine intellectu? Etiam Israëlitarum θυσίαι fuissent *vanæ*, ni jussæ à Deo, ni umbra meliorum, ni pædagogus in Christum, ni in fide oblatæ fuissent.

§. 99. Sed nec hîc datum diu Apostolis subsistere. Judæi immorigeri incitarunt populum, ut *Paulum lapidarent*; quem *mortuum putantes* abierunt, & ita ille cum Barnaba abiit, & venit *in Derben.* Actor. 14: 20. Per hoc tempus putatur Paulus *raptus* fuisse *in tertium cœlum,* 2 Cor. 12: 2. 3. de quo raptu ipse ita. *Novi hominem in Christo,* non se ipsum directè nominat; sed obliquè & indirectè se ipsum indicat. Id eximiæ cujusdam est humilitatis. *Novi* hominem. *Nemo novit, quæ in homine, nisi Spiritus hominis, qui in illo.* 1 Cor. 2: 11. Homo nemini notus nisi Deo, & sibimetipsi, & raro sibimetipsi. Novi *in Christo.* Si enim fuisset extra Christum, ad cœlestem illam ὀπτασίαν in domicilium usque Christi evectus non fuisset. Qui *in Christo*, is demum verè *homo*, & *nova creatura* est, omnium sanctorum amore & notitia dignus. *Sive in corpore*, inquit, *non novi; sive extra corpus, non novi.* Anima certè per ἔκστασιν rapta est, num & *corpus*, non potest certò polliceri. Hunc hominem dicit ἁρπαγῆναι subitò *raptum* & evectum, cum aliud forsan ageret, aliud cogitaret, confer Act. 8: 39. *Spiritus Domini* ἥρπασε *rapuit Philippum.* Si in *corpore* Paulus fuit raptus, fuit motus localis. Si *extra corpus*, non fuit localis. Anima in ἐκστάσει, ferè extra corpus est, ubi enim agit & cogitat, ibi propriè est. Raptus est *in tertium cœlum usque.* Ibi *thronus Dei.* Ibi Angeli. Ibi Spiritus justorum consummatorum. Ibi homo, Jesus. Id illum oportet δέξασθαι cœlum. Act. 3: 21. inde redibit, Actor. 1: 11. inde illum *exspectamus.* Phil. 3: 20. Quid ibi *viderit* Paulus, non refert, tantùm quid *audiverit.* Deus invisibilis non videtur, nec Angeli Spiritus, nec animæ beatæ. Audivit ῥήματα *verba*; cujus? an Dei Patris, an Filii, an Spiritus Sancti, an Angelorum, an animarum beatarum? Tacet id Paulus. Et quidem ἄῤῥητα, quæ *homini*, in carne adhuc & in terra habitanti, οὐκ ἐξὸν λαλῆσαι. *Ineffabilia*, ob sublimatatem, ob excellentiam. Ideò puto hæc fuisse verba Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti. Nam Angelorum & beatarum animarum verba, quomodo sint ἄῤῥητα? Spiritus in cordibus nostris intercedit στεναγμοῖς ἀλαλήτοις. Rom. 8: 26. Idem in cœlo usus est ῥήμασι ἀῤῥήτοις, ὑπὲρ ὧν πάντα inquit denique καυχήσομαι. vers. 5. non enim major gloriandi materia esse potest. Moses vidit in monte typum tabernaculi. Ezechiel typum templi. Esaias gloriam Dei. Nemo tamen horum in tertium cœlum raptus est; aut audivit quod Paulus audivit. Ad hanc visionem spectare conjiciunt nonnulli illud *Triephonis*, apud Lucianum, in Dialogo, cui nomen *Philopatris. Quando me Galilæus* (Christianorum id à Christo Galilæo nomen) *ille convenit recalvaster, naso justo præditus, qui in tertium usque cœlum per aërem ingressus, quæ optima atque pulcherrima sunt, inde didicit; per aquam nos renovavit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos redemit.*

Paulus lapidatur. Raptus Pauli in tertium cœlum.

§. 100. In *Derbe discipulos fecerunt multos* ἱκανούς. Act. 14: 21. Etiam tunc *Timotheus*, & forsan antea factus est *discipulus*, fuit ille de *Derbe*, Act. 16: 1 nam ut est 2 Tim. 3: 10. 11. Timotheus discipulus.

 Ille

Ille παρηκολούθηκε τοῖς διωγμοῖς, & τοῖς παθήμασι, *quæ* Paulo *facta sunt in Antiochia, in Iconio, in Lystris; è quibus omnibus eruit* illum *Dominus*. Si autem persecutionibus & passionibus Pauli, his in locis exantlatis, adstitit, si illa secutus est, utique jam discipulus fuit.

Modus ab Apostolis observatus in ordinandis gentium Ecclesiis. §. 101. Ubique *confirmarunt animas discipulorum*, & monuerunt ἐπιμένειν τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ Act. 13:43. τῇ πίστει. Act. 14:22. illi nimirum quæ *per charitatem operosa est*. Gal. 5:6. Non obligarunt novas gentium ecclesias ad circumcisionem, ad sacrificia, ad lotiones; sed ad agnitionem & æstimationem *gratiæ salutaris*, quæ in Christo *illuxit omnibus hominibus*. Tit. 2:11. & ad *fidem*, è qua *justus vivet* Rom. 1:17. qua *homo justificatur, sine operibus legis*. Rom. 2:28. Neque enim *in Christo Iesu præputium quid valet, neque circumcisio, sed fides* sola Gal. 5:6. *è fide spem justitiæ exspectamus*. Gal. 5:5. Indicarunt etiam, quod *per multas afflictiones decet nos intrare in regnum Dei*, tum gratiæ, tum gloriæ Act. 14:22. Ita *afflictiones* & tentationes ac certamina Ecclesiæ prædixerunt. Nota sunt, quæ ecclesia passa est, certamina & discrimina, à Judæis immorigeris, à falsis fratribus, à gentibus idololatris, sub initiis suis. *Draco pugnavit & Angeli ejus contra Michaelem & Angelos ejus*. Apoc. 12: vers. 7. confer Joh. 16: vers. 33. *In mundo afflictionem habebitis*. 2 Tim. 3: vers. 12. *Omnes piè vivere volentes persecutionem patientur*. adde Rom. 8: vers. 36. *Propter te occidimur totum diem, reputati sumus, ut agni mactationis*. *Gloriata* tamen illa est in omnibus suis θλίψεσιν Rom. 5: vers. 3. 4. 5. bene gnara, quantum *pondus gloriæ operaturum* esse τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως. 2 Cor. 5:17. confer Rom. 8:18. Denique per singulas ecclesias ordinarunt *presbyteros*, neque enim obligarunt sanctos *ad cathedram Mosis*, in qua *sedebant Scribæ & Pharisæi*, Matth. 23:2. neque voluerunt *gregem* Christi carere *pastoribus*, denique debuerunt esse, qui *pro animabus* sanctorum *vigilarent*, ὡς λόγον ἀποδώσοντες Hebr. 13:17. *laborantes in verbo & doctrina*. 1 Tim. 4:17. Hisce ita actis *commendarunt* fratres *Domino, in quem crediderant*, & ita tandem *reversi sunt in Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei in opus, quod* nunc benedicente Deo, ἐπλήρωσαν *impleverant*. Act. 14: 22. 23. 26.

Saulus & Barnabas sedeunt in Antiochiam. §. 102. Ecclesiæ Antiochenæ exposuerunt, quæ *fecisset Deus cum illis, quodque gentibus aperuisset, januam fidei*. Actor. cap. 14: vers. 27. Hæc tanta fuerunt, ut nullis satis verbis magnitudinem illarum rerum eloqui potuerint, quum deinde ad Synodum missi essent Hierosolymitanam, pluribus, & sæpius de illis coram ecclesia locuti sunt. Actor. 15: vers. 4: 12. Colligamus illa in fasciculum. Paulus ἀνθύπατος conversus est. Judæi in Antiochia confusi. Gentes ibi ad fidem adductæ, ut & in Iconio, in Lystris, in Derbe, idololatria publicè pudefacta. Ecclesiæ novæ gentilium confirmatæ, ordinatæ. Presbyteri in illis constituti, adversus imminentes afflictiones illæ communitæ. Etiam multa σημεῖα & τέρατα facta. In Papho magus cæcitate percussus. In Lystris claudus sanatus. Insignes etiam persecutiones exantlatæ. In Antiochia cum Judæis litigarunt inobedientibus, & ejecti sunt. In Iconio ὕβριν incurrerunt. Act. 14: 5. & periculum lapidationis subierunt. In Lystris ad necem fere Paulus lapidatus, & quasi è morte revivificatus est. In omnibus his malis crevit ecclesia, nullum dereliquerunt locum, ubi non plantaverunt ecclesiam, & ad fidem multos adduxerunt. Ita jam plures ecclesiæ formatæ & ordinatæ sunt in gentibus, in Cæsarea, in Antiochia Syriæ, nunc & in Antiochia Pisidiæ, in Iconio, in Lystris, in Derbe, &c. Et sine dubio multa alia acta sunt in hoc itinere, quæ in actis καθ' ἓν non sunt descripta. Idem enim judicium fiat de actis Apostolorum, quod de Christi. Joh. 20:30. 31. 21:25. Forsan huc referri possunt, quæ habentur Rom. 15:19. 20. *implevi Evangelium Christi, usque ad Illyricum*; *ubi nondum nominatus Christus*. Forsan & in hac expeditione Paulus ingentia illa perpessus est, de quibus

2 Cor.

1 Cor. 11:24.25. *A Judæis quinquies* plagas *quadraginta minus una accepi. Ter cæsus virgis sum. Semel lapidatus sum*, id vidimus in Lystris; *ter naufragium feci, diem & noctem in profundo egi*, &c. Certè quædam horum indubiè hoc in itinere pertulit.

§. 103. Absoluto hoc itinere, *tempus non parvum transegerunt cum discipulis* in Antiochia. Actor. 14:28. Illo intervallo venerunt *quidam à Judæa, de secta Pharisæorum, πεπιστευκότες qui crediderant*, hoc est, fidem in Christum profitebantur. Actor. 15:1.5. Paulus illos dicit παρεισάκτους ψευδαδέλφους *irreptitios* seu *subinductitios* & emissarios, clanculum ab hostibus Euangelii submissos, *falsos fratres.* Galat. 2: vers. 4. Fratres, nomine, non re; professione, non veritate; turbones, exploratores; haut missi legitimè, sed ob & subrepentes; non agentes jussu Apostolorum; sed propria, adeoque illicita authoritate. Actor. 15: vers. 24. οἷς οὐ διεστειλάμεθα. venientes εἰς τὸ κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν *ad* fraudulenter *explorandam* & prodendam *libertatem*, quam sancti *habebant in Christo*, ἵνα αὐτοὺς καταδουλώσωνται *ut illos in servitutem redigerent* Gal. 2:4. veterem nim. illam *elementorum mundi* Gal. 4:3. Antesignanum illorum docet Epiph. hæres. 28. fuisse *Cerinthum heresiarcham.* Hic, inquit, *sub Apostolis quæstionem seditionis commovit, dicens, debere circumcidi homines*, &c. Eundem etiam Petro litem movisse, quod ad Cornelium intrasset. Act. 11:2.3. Alii addunt *Ebionem.* Sed non hæc sunt certissima.

Illuc venere quidam de Judæa, turbantes Ecclesiam.

§. 104. Hi ψευδάδελφοι urserunt *circumcisionem*, & *observationem legis Mosis.* Secus, dicentes, *non potestis salvari*, Act. 15:1.5. hoc est, voluerunt gentes ita vivere, ut Judæi ante Christum, stante lege & cultu ceremoniarum vixerant, & etiamnum vivebant; occupati *in cibo & potu, diversis lotionibus*, sacrificiorum oblationibus, & *carnis justificationibus*. Hebr. 9:10. Forsan & doctrinam de *justitia propria, statuenda* è lege, quam multi Judæorum *ignorantes Dei justitiam*, præpostere *quæsiverunt* Rom. 10:3. inculcarunt, sed apparet ex iis, quæ in Synodo Hierosolymitana deinceps acta sunt, præcipuè illos egisse, ut *jugum* imponeretur gentibus, & illæ cogerentur ad observanda dogmata & ceremonias. Post Christi ascensionem, & Spiritus Sancti effusionem, Apostoli & fideles è Judæis, aliquamdiu inhæserunt ritibus Mosaicis. Acceperant Spiritum; baptizati erant in Christum; sed templum adhuc frequentabant, discrimina ciborum servabant, & τῶν ἀλλοφύλων convictum vitabant. Actor. 2:46. 10:14.28. 11:2. Paulus *Timotheum* in *Judæorum* gratiam *circumcidit.* Act. 16:3. Jacobus Apostolus, & Presbyteri dicunt *Judæos* τοὺς πεπιστευκότας, *legis zelatores*, Act. 21:20. in quorum gratiam Paulo suadent, ut legaliter *purificandum se* in templo sisteret, ad convincendum illos, Paulum adhuc *ambulare* τὸν νόμον φυλάσσοντα. Actor. 21:24. Poterat id tolerari sub initium renovandæ & reformandæ ecclesiæ. Judæi ritibus illis innutriti, paulatim ab illis erant deducendi. Apostoli idem faciebant, non ob conscientiam; sciebant enim, circumcisionem & ceremonias in Christo non valere, sed per charitatem, quæ infirmis cedit, & proximum omni modo lucratur; & scandala fugit. Gentes autem, quæ ad Christum convertebantur, *baptizarunt* Apostoli *in nomen* Christi; & monuerunt *adhærere Domino*, Actor. 11: vers. 23. *manere in gratia Dei*, Actor. 13: vers. 43. & *in fide*, Actor. 14: vers. 22. non coëgerunt illas ad circumcisionem, ad altare, ad sacrificia, ad templum, ad legalem servitutem. Ita egit Petrus cum Cornelio. Barnabas & Saulus in gentibus, ad quas missi erant; quinimo illis nunciarunt liberationem *ab omni*, quo in lege Mosis nemo potuerat justificari, Act. 13:38.39. & docuerunt illas, *in omni gente*, quæ *timet Deum*, licet non observet ritus Mosis, esse δεκτοὺς τῷ θεῷ. Act. 10:35. Non debuerunt gentes *libertate* carere, qua Christus suos liberavit. Gal. 5: vers. 1. Atqui cum plena libertate servitus legalis consistere non poterat. Debebat

Volentes gentes circumcidi, & servare legem Mosis.

bat *in gentes* pervenire *Abraami benedictio*, qui jugum legis non bajulaverat. Gal. 3: 13. Si gentes fuissent circumcisæ, *Christus nihil illis profuisset*; *debitores factæ* essent *totam* servandi *legem*, *abolitæ* essent *à Christo*, à *gratia excidissent.* Galal. cap. 5: vers. 1. 2. 3. Hæc non perpenderunt imprudentes hi Zelotæ; perverso acti studio, clamant, circumcidendas gentes, &c. Christumque ita de throno agere præcipitem, & Mosen, ac ministerium condemnationis in sublime evehere, quantum possunt, laborant, nec cogitant, veteres ritus non amplius nunc fieri per necessitatem, sed per quandam dispensationem, & propè esse illarum abolitionem & abrogationem.

Antiocheni Doctores se illis opponunt. Legatio Hierosolymitana.

§. 105. Igitur qui erant *in Antiochia* κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν προφῆται καὶ διδάσκαλοι, Actor. 13: 1. ausibus hisce omni nisu se opposuerunt, noluerunt gentes Antiochenas ad Christum conversas, δογματίζεσθε. Col. 2: 20. In his eximios se præbuerunt *Paulus*, gentium Apostolus, & *Barnabas*. Act. 15: 2. Falsis illis fratribus, *ne ad horam quidem cessimus subjectione, ut veritas Evangelii maneret*, Gal. 2: 5. imò & re ipsa contrarium fecerunt. *Sed neque Titus, qui mecum*, inquit Paulus, Græcus *existens, coactus est circumcidi*. Gal. 2: 3. frustra clamantibus ψευδαδέλφοις, *ni circumcidamini*, &c.

§. 106. Ut autem lis hæc sopiretur, statutum fuit, ut *Paulus & Barnabas aliique nonnulli ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem ascenderent, super quæstione hac.* Act. 15: 2. Videntur hi Pseudadelphi nomine Apostolorum, ad tegendas nequitias, abusi fuisse. Actor. 15: 24. Ideo ipsi Apostoli rogandi & audiendi erant. Fuerunt illo tempore ex Apostolis *Iacobus & Petrus, & Ioannes*, Gal. 2: 9. in Hierusalem, an plures fuerint, è sacris haut constat. Petrus & Jacobus soli in Synodo narrantur verba fecisse. Scribit Clemens lib. VI. constitut. cap. XII. *omnes duodecim Apostolos per orbem dispersos, instinctu Dei, Hierosolymam venisse, & hanc quæstionem definivisse.* Sed unde hoc bonus ille scriptor hausit? quomodo potuerunt venire *duodecim omnes*, cum *Ioannis frater, Iacobus*, jam interfectus esset. Act. 12: 2. Incertum quoque, quod Eusebius tradit ex Apollonio libr. V. cap. 18. *Præcepisse Dominum Apostolis, ut ne ante duodecimum annum Hierosolymis discederent.* Num ergo Samaria, quo missus Petrus cum Johanne, post annum duodecimum, recepit demum Sermonem Domini? Act. 8: 14. Atqui Chronologia secus testatur. Præter Apostolos fuere in Hierusalem *Presbyteri*; ab Apostolis ordinati, in Ecclesiæ ædificationem, fuerunt enim illi προεστῶτες Ecclesiæ, κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ 1 Tim. 4: 17. Talem & se *Petrus* nominat. 1 Petr. 5: 1. Tales Paulus gentium Ecclesiis ἐχειροτόνησε. Act. 14: 23. Ad illos collecta Antiochena delata erat, Act. 11: 30. sine dubio Apostoli, antequam & illi ex Hierosolyma exirent, Presbyteros Ecclesiæ, quæ in illa, constituerunt; ut Grex non esset sine Pastoribus.

§. 107. De hac in Jerusalem ascensione ita Paulus. Gal. 2: 1. *Deinde post quatuordecim annos rursum ascendi Hierosolyma, cum Barnaba, assumto simul & Tito.* Tertia nunc vice illuc ascendebat Christianus factus, prima enim vice ascendit illuc triennio à conversione, Act. 9: 26. Galat. 1: 18. secunda cum collecta Antiochena. Act. 11: 30. 12: 25. nunc, ut dictum, tertia, unà cum Barnaba ascendit *Titus.* Ergo ille unus fuit ex illis, de quibus Act. 15: 2. καί τινας ἄλλους. Dicit, *ego ascendi cum Barnaba*, &c. forsan ipsius præcipuè suasu, consilio, impulsu hæc legatio decreta est. Addit, ἀνέβην δὲ κατὰ ἀποκάλυψιν. Gal. 2: 2. Ergo revelarat illi Deus, ascensionem hanc necessariam esse, & utilem fore, cujus revelationis sine dubio participes fecit Antiochenos; unde eo magis properata legatio. Tempus quod attinet, dicit, *post quatuordecim annos.* Diversimode illos supputant docti. Alii à tempore passionis Christi. Alii à conversione Pauli. Alii à profectione in Hierosolymam suscepta

triennio à conversione exacto, de qua. Gal. 1: 18. Et hæc posterior sententia mihi quidem videtur verisimillima, collatis Gal. 1: 18. cùm Gal. 2: 1. ἔπειτα πάλιν ἀνέβην.

§. 108. Legati Antiocheni Hierosolymæ *ab Ecclesia, Presbyteris* & *Apostolis* comiter *excepti*, nunciarunt τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν, quæque *per illos signa Deus in gentibus* fecisset Act. 15: 3. 4. 12. Paulus etiam *exposuit illis Euangelium, quod prædicasset in gentibus*; Gal. 2: 2. cujus instar sit Actor. 13. 38. 39. 42. 47. 48. *privatim verò τοῖς δοκοῦσι*, hoc est, Apostolis. Galat. 2: ✝. 2. confer vers. 6. cum illis enim sine dubio privatim ipsi agere datum. Deinceps enarrarunt turbas, quas quidam in Ecclesia, à qua missi erant, excitaverant, de quarum decisione Apostolorum & Ecclesiæ mentem percepturi erant. Actor. cap. 15: vers. 5.

§. 109. *Congregati igitur sunt Apostoli & Presbyteri* ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου, Act 15: 6. imò & οἱ ἀδελφοὶ *fratres*. ibidem vers. 23. adeoque ὅλη ἡ ἐκκλησία *tota Ecclesia*. ibidem vers. 22. Congregatio hæc communiter dicitur *Concilium œcumenicum primum*, non quod tota οἰκουμένη in illam convenerit; Hierosolymitani enim cum Antiochenis tantùm unà fuerunt; sed 1. Quia autoritas hujus congregationis eadem, quæ cujusvis œcumenicæ. 2. Quia statutum hujus congregationis per totam οἰκουμένην valere debuit, non in Antiochia tantùm, sed & in omni alia Ecclesia gentilium per totum mundum confer Actor. 16: 4. 21: 25. Mitto quæ Pontificii de aliis œcumenicis Apostolorum conventibus fabulantur: dicunt, Apostolos, antequam in orbem dispergerentur, Synodum universalem instituisse, in qua scriptum sit *Symbolum, Apostolicum* dictum. Etiam *Canones* illi, *Apostolici* dicti, feruntur in tali concilio statuti. Inter quos Canon 17. secundas nuptias damnat. 27. permittit nuptias clericis tantùm, Lectoribus & cantoribus. 68. præcipit jejunia in quadragesima Paschæ. 62. Laicos suffocato vescentes excommunicari jubet. Quos tamen Canones Gelasius Papa dudum declaravit apocryphos. Etiam tunc fingunt concilium habitum ab Apostolis, quum Beata Virgo Maria assumta est, fingunt illam à morte resuscitatam in cælum translatam esse. Sed hoc obiter. Bellarminus libr. 1. de Conciliis cap. xv1. in hoc Concilio Hierosolymitano docet fuisse 1. *Judices*. Apostolos. 2. *Consultatores*. Presbyteros. 3. *Adprobatores*. Ecclesiam totam, sive fratres. Sed hanc distinctionem Scriptura Sacra non habet. Licet sine dubio Apostoli, insignioribus præ cæteris donis instructi, primas in hoc concilio tenuerint; aliique ad Apostolorum sententiam cum cura attenderint, tamen solos Apostolos judicasse; Presbyteros tantùm consultatos; Fratres tantùm adprobasse, figmentum est, nullo innixum fundamento, quinimo inscriptio & initium Synodalis Epistolæ, *Apostoli, Presbyteri, Fratres; visum est nobis*, hanc fictam differentiam evidenter refutat. Ejusdem furfuris est, quod dicit; *præsidem* in hoc Concilio fuisse *Petrum*. Cornelius à Lap. *quasi princeps Apostolorum, & primas Ecclesiæ, qui audita controversia in utramque partem disceptatione, hic eam primus quasi judex defendit*. Bellarminus id inde probat, quia Petrus *primus surrexit, locutus est, & quæstionem definivit*. Sane ne minimum quidem vestigium apparet, cur Petrus magis Præses, quam Jacobus dicendus sit. Et demus, fuisse Petrum præsidem, inde non sequetur illum fuisse primatem, fundamentum, & Monarcham Ecclesiæ.

§. 110. In hac congregatione Petrus ita dixit. *Scitis, quod* ἀφ᾽ ἡμερῶν ἀρχαίων *à diebus antiquis Deus in nobis elegit per os meum audire gentes sermonem Euangelii, & credere*. Act. 15: 7. *A diebus antiquis* capiunt alii de *æternitate*; alii simpliciter interpretantur, *jam pridem, ante hac*. Clara Petri mens, non hodie, aut heri, sed longius jam Deus ministerio meo ad convertendas gentes usus est. Cornelii conversio & vocatio dudum facta erat.

Congregatio Hierosolymitana.

Sermo Petri.

erat. Cornelius à Lapide dicit *intelligi præteritum tempus, primò in actu exercito, tempus conversionis Cornelii; secundò in actu signato* Matth. 16: 18. *ubi Petrus audevit de Christo. Tu es Petrus, & super hanc Petram*; en fermentum Jesuiticum. Christus est Petra; non Simon. illi sufficit & dici & esse Petrum. Inter prærogativas Petri & hanc Bellarminus ponit, quod *primus omnium prædicare cœpit gentilibus, quemadmodum primus prædicavit Judæis.* A diebus antiquis *Deus in nobis* ἐξελέξατο. *elegit.* Vox *elegit* nunc *latius* venit Joh. 6: 70. *Nonne ego vos duodecim elegi & unus è vobis Diabolus est*, hoc est, ab aliis hominibus separavi, & in meum servitium assumsi. *Specialius* significat Joh. 13: vers. 18. *Ego novi, quos elegi.* Joh. 15: 16. *Non vos me elegistis. Sed ego vos elegi, & posui vos, ut fructum feratis.* Sumitur & pro *æterna electione*, quæ in consilio Dei facta est, Ephes. 1: 4. quam in tempore electio & vocatio ac adductio actualis sequitur. Hic nobis notabit peculiarem Petri missionem, ad perficiendum opus Dei in gentibus; ita & Actor. 1: 24. *monstra unum ex his duobus* ὃν ἐξελέξω *quem elegisti*, hoc est, fungi velis Apostolatu; & ad munus illud perficiendum separari. In electione est acceptio unius præ altero. Ergo præ aliis Apostolis Petrum in vocandis gentibus ministrare voluit Dominus. Quomodo autem Petro electionem sui ad hoc opus notificarit Dominus vide Actor. 10: 11–16. 17. 20. 28. 11: 5–17. Suppleri etiam poterit *me*. Elegit *me*, ad quid? ut *gentes audirent*, &c. Cornelius audivit. Act. 10: 33–35. & *crederent*. Cornelius baptizatus est, & credidit.

§. 111. *Et cordium scrutator* (confer Act. 1: 24.) 1 Reg. 8: 39. *Tu nosti, Tu solus, cor omnium filiorum hominis.* adde Prov. 15 vers. 11. Psalm. 7: 10. Hebr. 4: 12. Bernardus. *Solus perfectè novit, quid sit in homine, videns in eo, & quod in se ipso non videt.* *Cor* Cornelii noverat, fuisse id *pietate* plenum Act. 10: 2. 4. 34. 35. *superstitione* & opinione propriæ justitiæ vacuum, insigniter humile & contritum. Quidni cor noverit Cornelii, qui tale cor dederat Cornelio? *Deus attestatus est illis*, gentibus; hoc est, visibili testimonio ostendit, *corda* illorum δεκτὰ *grata* sibi, nec displicere. *Sermoni gratiæ attestatus* est Deus dando *signa per manus* Apostolorum. Act. 14: 3. confer Hebr. 2: vers. 3. 4. Gentibus attestatus est, *dans illis Spiritum Sanctum, ut & nobis*; modo ordinario & extraordinario. vide Act. 10: 44. 45. 11: 15. *Et nihil* διέκρινε *discrevit inter nos & illos.* Act. 15: 9. Eundem Servatorem, eandem justitiam, fidem, salutem, libertatem, eundem baptismum & Spiritum & nobis & gentibus notificavit ac communicavit Deus; ostendens se non esse προσωπολήπτην, nec in exercendo *judicio*, nec in distribuendo *beneficio.* Act. 10: 34. *Fide purgans corda illorum.* Purgans à peccati reatu, & servitute, hoc per sanctificationem; illud per justificationem. Fides est *justitiæ* medium seu applicatio Rom. 1: 17. Phil. 3: 9. Et *sanctificationis* mater. Hæc est gratia salutaris, quæ gentibus illuxit. 1. *Audiverunt verbum Evangelii*, non legis; gratiæ, non iræ; libertatis, non servitutis. 2. *Crediderunt*, præ multis Judæorum, qui *indignos vita æterna se judicarunt.* Act. 13: 46. 3. Deus dedit illis *testimonium*; gentes esse populum suum, & peculium suum ostendit, quomodo? 1. *Dans illis Spiritum Sanctum* promissionis & adoptionis. 2. *Nil discernens* inter gentes & Apostolos; adeoque ostendens, quod apud Deum in eodem sint gradu & favore; & *eandem* habeant *parrhesiam* ad *thronum gratiæ.* 3. *Corda* illarum *fide purificans*; ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς ἐῤῥαντισμένοι τὰς καρδίας, Hebr. 10: 22. unde in gentibus *fides*? à Deo purificante. confer Actor. 13: vers. 48. καὶ ἐπίστευσαν, ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι, &c.

§. 112. Concludit Petrus. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervi-*

cervicem discipulorum? Act. 15: 10. Conversi è gentibus dicuntur *discipuli*. confer Act. 13: 52. Apostoli gentes ἐμαθήτευσαν. Act. 11: 29. 14: 21. Matth. 28: 19. *circumcisionem & legem Mosis*, de qua introducenda agebatur, vocat ζυγὸν *jugum*. confer Act. 15: 28. βάρος. Gal. 5: 1. Hebr. 2: 15. Gal. 4: 3. Augustinus dicit *Sarcinam innumerabilium observationum, qua dura cervix Judæorum premenda erat, ne ad idola respiceret.* Ab hoc *jugo* veteres dicuntur κοπιῶντες ἐ πεφορτισμένοι Matth. 11: 25. vide supra cap. v. §. 103. & libr. II. cap. x1. §. 61. Hoc jugum gravissimum fuisse docet Petrus, *quod neque nos neque Patres nostri potuimus bajulare.* Act. 15: 10. Bajularunt ergo sancti, quod non potuerunt bajulare, *non potuerunt* cum gaudio, cum exsultatione, sine recordatione peccati, in consummatione conscientiæ. Hoc jugum sanctis in Christum per passiones consummatum credentibus *imponere*, est *Deum tentare*, tentare *Spiritum* promissionis S. (Act. 5: 9.) Christum *abolere, ut nil prosit*. Gal. 5: 2. 4. & τὰς ψυχὰς ἀνασκευάζειν. Act. 15: 24. Si autem & hi *falsi fratres* voluerunt persuadere gentibus, per legem Mosis moralem justificari hominem; ideò servandam illam, & justitiam ex illa quærendam ac statuendam; etiam sic illis respondent Petrus; docens hoc sensu legem moralem esse jugum omnibus hominibus insupportabile. Est enim *infirmata per carnem* Rom. 8: 3. & est *ad mortem*. Rom. 7: 10. Sed, ut antea monui, id in quæstione præcipuè fuit, an circumcisio & dogmata sint rursum sanctis gentium imponenda, id negat Petrus, etiam propterea id non debere fieri; quia sint jugum, portatu adeo grave; quod Patres portarunt, & portare non potuerunt. Atqui Patres nunquam putarunt, se ex observatione legis moralis justitiam acquirere posse; nedum ut id voluerint unquam, aut quæsiverint.

§. 113. Ita denique Petrus, *sed per gratiam Jesu Christi credimus salvari.* Act. 15: 11. non per legem. Gratia est σωτήριος Tit. 2: 11. est *Christi*, quia est διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως, quæ *in illo*. Rom. 3: 24. *quemadmodum & illi*. Patres nostri, ergo non crediderunt salvari illi per merita propria, aut per sacrificia pecuina, aut per ciborum lotionumque discrimina, sed per *gratiam* Jesu, cujus externæ hæ res fuere umbræ & sacramenta. Si igitur per *gratiam* Christi est salus, & *solam* quidem, non per legem; cur gentes subjicerentur legi; & gratia illis quasi obscuraretur. Lex enim & *umbra* gratiæ fuit, & *velum*. Adumbravit illam, & texit illam. Nunc venit *hora salutis*. Consummatus est *princeps salutis*, non fert illa nunc amplius velū, non umbras, qui nunc illâ salvantur, justificantur & liberantur ab omnibus, quibus in lege Mosis, nec justificari, nec salvari potuerunt. Potuit gratia ferre *velum*, quamdiu *velum carnis* Christi ruptum non fuit. Heb. 10: 20. Hac rupta omne aliud rumpendum est. Sociniani τὸ κἀκεῖνοι referunt, non ad *Patres*, sed ad τὰ ἔθνη, *quia frequens sit, relativum non ad proximè præcedens, sed paulo longinquius referri, & neutro sæpe relativum masculini generis jungatur*, citant Rom. 2: 14. Sed frivolum hoc nimis; & intentio illorum longè pejor. Sermo Jacobi.

§. 114. Denique cur illi susciperent *jugum*; qui jam audiverunt Euangelium, qui jam crediderunt, quibus Deus est testatus, quibus dedit Spiritum, inter quos nil discrevit, quorum corda purgavit? Ex his enim infert Petrus, Νῦν οὖν τί, &c.

§. 115. Post Petrum etiam *Iacobus* sententiam dixit; Jacobus inquam *Alphæi*; dictus *frater Domini* Gal. 1: 19. non ob *similitudinem* cum Christo, ut Photius putavit, sed ob *cognationem* & consanguinitatem. Mat. 13: 53. Christus omnes discipulos suos vocavit *fratres* Joh. 20: 17. Hic igitur Jacobus duplici jure *frater* Domini fuit, & natura & gratia; & sanguine & regeneratione. De hoc *Iacobo* Chrysostomus Hom. 33. in Acta: Ἐπίσκοπος ἦν ἐν Ἱεροσολύμοις οὗτος, διὰ ὕστερος λέγει.... Ἐκεῖνος γὰρ ἦν τὴν ἀρχὴν ἐγκεχειρισμένος *Episcopus erat in Hierosolymis, ideò & posterior dicit.... Illi enim Principatus commissus erat.* Boni Patres incerta sæpe loquuntur, illuc & hoc refer Ita autem Jacobus. Sermo Jacobi.

§. 116. *Simeon narravit, ut primum Deus* ἐπεσκέψατο *visitavit sumere è gentibus populum in nomine suo.* Act. 15: 14. Totum hoc, quod in gentibus factum, Dei opus est. Simon plantavit, Paulus irrigavit, Deus incrementum dedit. Deus excitavit Cornelium, ut accerseret Petrum. Deus in Cornelium effudit Spiritum. Agnoscit Petrus opus Dei; Act. 11: 17. *si Deus dedit.&c. qui eram potens* κωλῦσαι τὸν θεόν. adde vers. 18. *Gentibus Deus dedit resipiscentiam.* adde Act. 14: 27. *Aperuit Deus gentibus ostium fidei.* Simeon narravit, καθὼς πρῶτον *ut primum* seu prima vice, hoc est, in initio conversionis gentium cum illis egerit Deus; cum primâ vice illas *visitavit*, nimirum tunc ita egit, ut Petrus narravit. Cum *secundò* ἐπεσκέψατο Deus, quod factum imprimis, quum Paulus & Barnabas in gentes missi sunt Act. 13:2. paulo secius egit, dedit gentibus *fidem, resipiscentiam, Spiritum.* Act. 13: 12. 52. 14: 1. 27. non tamen ita mirabiliter, & cum linguarum dono, ut fecit Cornelio, iisque, quibus tunc prædicavit Petrus. Neque enim Act. 13. & 14. ubi narratur, quænam gentes ministerio Pauli & Barnabæ ad fidem adductæ sunt, scribitur, illas linguis locutas esse. Factum Dei vocat *visitationem*, ἐπεσκέψατο, cum Deus dona & beneficia confert hominibus, dicitur illos *visitare*, *Christus*, omnium donorum donum, veniens nostri causa in mundum, dicitur *nos visitasse*. Luc. 1:78. Ps. 8:4. *Quid homo, ut visites illum?* Luc. 19:44. *non nosti tempus visitationis tuæ.* Luc. 1:68. *visitavit & fecit redemtionem populo suo.* Matth. 25: 36. οὐκ ἐπεσκέψασθέ με *non visitastis me.* adde 1 Petr. 2: 12. ut gentes *glorificent Deum in die* ἐπισκοπῆς *visitationis.* Conversio gentium est *visitatio* gentium. Ut autem est visitatio *gratiæ*, ita & *iræ*. Exod. 20: 5. 6. פּוֹקֵד עָוֹן. Hic de *visitatione* gratiosa gentium & illarum *assumtione*. Visitavit λαβεῖν. Est & in verbo פקד ἐπισκέπτεσθαι significatio זכירה *recordationis.* 1 Sam. 15:2. פָּקַדְתִּי אֵת אֲשֶׁר עָשָׂה עֲמָלֵק *visitavi*, hoc est, recordatus sum, *quæ fecit Amalek.* Ita & Ps. 8: 5. תִּזְכְּרֶנּוּ תִפְקְדֶנּוּ quasi parallelè ponuntur. Ita sensus erit, *Deus visitavit*, hoc est, recordatus est *sumere*; promissionum suarum memor. Est denique τὸ ἐπισκέπτεσθαι *dispicere*, curare, providere. Act. 6:3. ἐπισκέψασθε ἄνδρας ἐξ ὑμῶν *dispicite*, curate, providete *viros è vobis.* Ita & hic posset esse. *Prospexit* & curavit Deus: quid autem? λαβεῖν ἐξ ἐθνῶν λαὸν *sumere è gentibus populum.* Hoc est beneficium divinum, & gratia divina, *è gentibus*, quæ erant ποτὲ οὐ λαὸς sumsit νῦν λαὸν 1 Petr. 2: 10. λαὸν εἰς περιποίησιν ibidem vers. 9. quo majus beneficium non est. Jerem. 31: 32. *Ero illis in Deum. Et illi erunt mihi in populum.* Hunc autem populum sumsit ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, ut à nomine ejus vocaretur, & nomen ejus invocaret, & non aliud nomen nominaret. Act. 4: 12. Conversio gentium est *visitatio ad sumendum ex illis populum.*

Lucus Amosi c. 9: 11. 12. §. 117. Et *huic consonant sermones Prophetarum*, inquit Jacobus. Act. 15: 15. Ita & Paulus conversionem gentium demonstravit è Prophetia Es. 49: 6. Actor. 13: 47. Jacobus *Amosum* citat cap. 9: 11. 12. non de verbo ad verbum, sed ut LXX. locum transtulerunt. Secesserunt illi quidem à verbis, non tamen à sensu Amosi, nec à re & veritate. Ideò & Jacobus in illorum nil immutavit translatione, videamus primò Amosum, dein conferamus versionem LXX. interpretum.

§. 118. *Die illo* אָקִים אֶת סֻכַּת דָּוִיד הַנֹּפֶלֶת *erigam tugurium Davidis lapsum.* Davidis *tugurium* notat illius *domum*, hoc est, filios & posteritatem. Posteritas Davidis *tuguris* habuit speciem, quamdiu regnum sceptrumque tenuit. Tuendo bonos, puniendo malos; id quod proprium regnantium est officium, fuit ut *tugurium in umbram ab æstu, & in refugium & latibulum præ inundatione & pluvia.* Es. 4: vers. 6. Id tugurium ut *lapsum* seu cadens notat Propheta. Lapsa est Davidis posteritas, cum sceptro & regno orbata est; tunc enim *domus* Davidis desiit *germinare* 2 Sam. 23: vers. 5. & è *vite* ejus non fuit *virga roboris.* Ezech. 19: vers. 14. Hoc lapsum seu jacens in terra quasi tugurium promittit

Domi-

Dominus se *erecturum*. Id impletum in reductione à Babel. Tunc enim posteri Davidis, non quidem Reges facti sunt, fuerunt tamen Judæ principes. Ita Zerubabel dictus est, *Princeps Juda*. Regnum, quod sub secundo templō fuit, non fuit domûs Davidis, sed Asmonæorum. Sed & ille principatus posterorum David haut longæ fuit durationis, desiitque ille paulatim in infimum posterorum statum. Joseph, Maria, posteri Zerubabelis, quàm procul fuerunt à principatu? Filii Zerubabelis nominati in tertia tessaradecade Genealogiæ apud Matthæum, sunt omnes obscura nomina. Igitur quærenda alia & plenior hujus oraculi impletio. *Erectum* itaque est *tugurium* Davidis lapsum, cum natus est ex illo *Immanuel*, Christus, semen Davidis. Ille enim *magnus exstitit*, *Filius Altissimi vocatus est*; *datus ipsi thronus Davidis, regnavit in domum Iacob*. Luc. cap. 1: vers. 31. 32. In hoc Filio Davidis erectum est tugurium Davidis, quàmvis non *secundùm mundum*, *sed secundum Deum*, ut per hunc gloria posterioris & exilioris domus major fuit, quàm primæ, multo pulchrioris, Hag. 2: vers. 9. Ita & in hoc magis erecta & exaltata est domus David, quàm unquam fuit antea. In eo enim est *gloria* Israëlis, & domus David, quod ex illa est *Immanuel nobiscum-Deus*, omni nos perfundens benedictione. Hoc Spiritu prævidens David, prædixit, tunc fore *omnem suam salutem*, *& omnem voluptatem* seu delectationem, cum *non germinatura* esset *domus* ejus, secundùm mundum, privata regio decore & splendore. 2 Sam. 23:5. Pergit prophetia. וְגָדַרְתִּי אֶת פִּרְצֵיהֶן *& circumsepiam fracturas illarum*. De fracturis seu rupturis loquitur, quod frangitur, dividitur, loquitur in genere fœminino, intelligens duodecim tribus Israëlis, aut potius filios 12. tribuum, qui in sacris sub nomine fœminino, *filia* Zion, *filia* Israël, *filia* Jerusalem proponi solent. Ruptura hæc in divisione & scissione tribuum facta est, diu duravit. Per captivitatem Assyriacam aucta est; tunc enim decem tribus Israëlis ita dispersæ sunt, ut parum de fide, & vix nomen Israëlis retinuerint. Tamen has rupturas Dominus sepe circumduxit, & stante templo secundo ita de rebus disposuit, ut plurimi de decem tribubus reversi, veterem fidem Israëlis rursum adoptaverint, *exstitit* tunc *numerus filiorum Israel*, *ut sabulum maris*, dictumque illis, *filii Dei vivi vos*, Hos. 2: vers. 1. 2. tuncque factum, ut est Jer. 3: vers. 14. *Revertimini filii refractarii*, *& sumam vos unum è civitate*, *& duos ex urbe*, *& adducam vos Zionem*; adeo ut tunc rursum τὸ δωδεκάφυλον, de novo unitum, *in assiduitate de nocte & die* λατρεῦον *speravit venire ad promissionem patribus factam*. Actor. cap. 26: vers. 7. Fracturas ergo circumsepsit Dominus; dum duodecim tribus in unam quasi religionem & fidem & ad unum cor rursum reduxit, unde & Angelus dixit, *Nuncio gaudium*, *quod erit* παντὶ τῷ λαῷ *toti populo*. Luc. 2: vers. 10. omnibus duodecim tribubus. וַהֲרִסֹתָיו אָקִים *& destructa ejus excitabo*. Tugurium Davidis habebit suas *destructiones*. In illo interfectus est is, in quo est erectio Israëlis. Solutum est templum corporis ejus, corpus ejus fractum est. Discipuli ejus dispersi, & distracti, & destructi sunt; ut fugerent omnes, quilibet εἰς τὰ ἴδια. Hæc *destructa excitavit Dominus*, Jesum excitando è mortuis, evehendo in cœlum, discipulos colligendo, & reuniendo invicem, וּבְנִיתִיהָ כִּימֵי עוֹלָם *& ædificabo illam ut diebus seculi*. Tugurium Davidis, & Israëlem, cujus rupturas redintegravit, *ædificabit* Dominus spirituali ædificatione. Matth. 16: 18. *Super hac Petra ædificabo Ecclesiam*. Ephes. 2: vers. 20. *Inædificati fundamento Apostolorum & Prophetarum*. confer vers. 22. *in quo & vos ædificamini in domicilium Dei in Spiritu* confer Prov. 9: vers. 1. 2 Sam. 7: 13. Zach. 6: 12. 13. Hæc *ædificatio* includit Ecclesiæ Israëliticæ *benedictionem*, *exaltationem*, & omnia illa beneficia, quæ Messiam sequuntur; liberationem à servitute legali, sitis expletionem, & bonorum satietatem ac abundantiam.

dantiam. Hæc ædificatio facta est, ut *diebus seculi*, ad exemplum quasi benedicti Abraami, qui liber ab onere legis, & scriptione chirographi exemplar exstitit illorum, qui benedicuntur è fide, sublata lege servitutis Gal. 3:8.9.10. Ecclesia Israëlitica liberata ab iis, quibus in lege Mosis non potuit justificari, ædificata est, ut diebus seculi; in illamque libertatem & structuræ formam restituta est, in qua vixit Abraam & ecclesia, quæ cum illo & post illum. Imò hoc habet præ Abraamo; quod status illius liber in statum servitutis potuit mutari; ut in deserto & Canaan mutatus est. Ecclesiæ autem status non mutari potest; sed ut ædificata est, statque in libertate, ita in illa stabit in æternum.

§. 119. Ita ædificata domus David *hæreditate* aucta est לְמַעַן יִירְשׁוּ אֶת־שְׁאֵרִית אֱדוֹם וְכָל־הַגּוֹיִם *ut hæreditent, reliquias Edomi, & omnes gentes.* Abraamo promissa est & *semini* ejus *κληρονομία τοῦ κόσμου non per legem*, sed *per justitiam fidei* Rom 4:13. *Hæreditas mundi* est ejus conversio & adductio ad communionem fidei, justitiæ, benedictionis. Cum mundus cœpit ambulare *in vestigiis fidei* Abraam, & *justificari ex fide, & cum fideli Abraamo benedici* Gal. 3:8.9. Abraam mundum cœpit hæreditare. Eadem *hæreditas* hic nunc promittitur, nimirum conversio gentium & adductio, & ædificatio in structuram unam, & templum unum sanctum Domino, & communionem omnium spiritualium benedictionum. Ea *hæreditas* est 1. *Christi.* Heb. 1:2. *Posuit illum hæredem omnium.* Ps. 2. *Dabo gentes hæreditatem tuam.* 2. Fidelium & Sanctorum *Israelitarum.* Sunt enim illi Christi *cohæredes* Rom. 8:17. confer Jer. 3:19. *Dabo tibi terram desiderii, hæreditatem decoris, exercituum gentium.* Hæredium ipsum dicitur 1. *Reliquum Edom*, non omnis Edom; sed *reliquia Edomi. λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος.* Rom. 11:5. Duplex est *hæreditas* Edomi, una totius, una reliquiarum, una mundana & terrestris, altera Spiritualis & cœlestis, de prima Num. 24:18. *Et erit Edom hæreditas* יְרֵשָׁה: *Et erit hæreditas Seir inimici sui, & Israel faciet strenuè.* Hæc hæreditas Edom facta est tempore Regis *Iohannis Hircani*, qui, subjugatis omnibus Idumæis, coëgit illos circumcidi, ni vellent è sedibus suis expelli. Circumcisi ergo illi sunt, & omnem consuetudinem Judaicam vivendi susceperunt, de eo vide libr. II. cap. xx. §. 60. 61. De posteriore hîc. Ergo tugurium Davidis, hoc est, Ecclesia Israëlitica, ædificata ut diebus seculi, in Christo fratre primogenito & filio Davidis hæreditavit reliquias Edom, hoc est, multos ex Edomitis in communionem fidei, justitiæ, libertatis accepit. Nec reliquias *Edom* tantùm, sed & *omnes gentes*, promiscuè, sine discrimine, id ex actis Apostolorum hactenus jam apparuit. Sed quarum *gentium?* Illarum inquit Deus, אֲשֶׁר נִקְרָא שְׁמִי עֲלֵיהֶם *super quibus nuncupabitur nomen meum*, hoc est, quibus *nomen meum*, salus, redemtio, justitia nunciabitur, quique nomen meum nominabunt, colent, amabunt, & de nomine meo nominabuntur, sancti, vocati, redemti. Conclusio vaticinii est. *Dicit Dominus, faciens hæc.* Vocans & adducens gentes, dans illis Spiritum, purificans fide corda illarum.

§. 120. Igitur hoc docuit oraculum, fore ut gentes in *hæreditatem* cedant Israëli, & cum illo fiant ἓν unum; & eadem sorte cum illo gaudeant, quod fieri non potuit, nisi sublata servitute legali, & abolito cultu ceremoniali, qui fuit *μεσότοιχον*, hæreditatem gentium impediens. Neque ergo potuerunt gentes subjici legi; quia illa exclusit gentes à communione & hæreditate Israëlis.

§. 121. Conferenda nunc versio LXX. interpretum, quâ usus est Jacobus. *Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum Davidis collapsum, καὶ τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς & diruta ejus reædificabo, καὶ ἀνορθώσω αὐτὴν & erigam illud.* Addiderunt verba & omiserunt. *Revertar* in textu non est. *Fracturas earum sepiam* omiserunt, pro verbis, *Ædificabo ut diebus seculi*, habent, καὶ ἀνορθώσω, sed hæc transeant. Reliqua longius abscedunt,

ut

ut hæreditent reliquias Edom, pro illis habent, *ut requirant reliqui hominum Dominum*, pro יִירְשׁוּ videntur legisse יִדְרְשׁוּ: pro אֱדוֹם legerunt אָדָם Addiderunt *Dominum*, seu ut est apud LXX. *me*. Sensus tamen coincidit, *Reliqui hominum*, quales imprimis erant *Edomitæ*, Judæis proximi & cognati, *requirent Dominum*; non cultum Mosaicum, non servitutem legalem, sed *Dominum in carne manifestatum*; & ad illius *libertatem* & benedictionem confugient. Reliqua conveniunt.

§. 122. Pergit Jacobus. *Nota à seculo sunt Deo omnia opera ejus*, quæ in tempore facit, ante tempora novit. Vocatio gentium, maximum Dei opus, factum in tempore, ante tempus, à seculo, Deo fuit cognitum; ideò & diu ante in Prophetis prædictum; & ita tandem concludit. *Ideò ego judico μὴ παρενοχλεῖν non obturbare*, nec turbas aut molestiam facere *iis*, *qui à gentibus convertuntur ad Deum.* τὸ παρενοχλεῖν usurpatur à LXX. pro הציק *affligere*, arctare, Jud. 14: vers. 17. pro הרגיז *commovere*, inquietare. 1 Sam. 28: vers. 19. pro אלץ *molestare* Jud. 16: vers. 16. pro החריד *pavefacere*, perturbare, Jerem. 46: vers. 26. pro הלאה *fatigationem* ac *molestiam parere*. Mich. 6: vers. 3. Neque enim justum est, illis facere molestiam, illis jugum imponere, qui ad hæreditandum meliora adducti sunt. Insuper addit, quid illis *scribendum* censeat. Judicium Jacobi approbavit Synodus, ut ex epistola synodica apparebit. Rationem ejus addit. *Moses enim ab antiquis ætatibus secundum urbes habet prædicantes ipsum, in Synagogis per omne Sabbatum lectus*: quasi dicat, ideò scribendum censeo gentibus, ut abstineant à sanguine & quia Moses adhuc legitur & prædicatur, & instituta Mosaica in quibus sanguis & suffocatum severissimè prohibetur, cottidie divulgantur; ut ne gens Judaica, infirma cognitione, nimium capiat scandalum, & pax Ecclesiæ turbetur. Th. Beza; *Fieri non posse, ut tam citò quasi uno impetu aboleantur ceremoniæ, quia jam à multis seculis assueti legis Doctrina, & Moses suos haberet præcones; ideo redimendam ad tempus breve concordiam esse, donec paulatim innotesceret clariùs libertas per Christum parta.*

§. 123. Accedamus nunc ad epistolam, quam Synodus Hierosolymitana ad Antiochenses scripsit. Illa ita incipit. *Apostoli, & seniores, & fratres.* Ita communi judicio & consensu omnium epistola hæc scripta est. Cornelius à Lapide sine fundamento docet, *Ecclesiam decretum non condidisse, sed ab Apostolis conditum probasse & sparsisse: unde epistolam nomine Apostolorum fuisse scriptam, & in ea ipsos locutos, non ecclesiam.* Evidenter hæc inscriptio hanc assertionem refellit; ita porro inscriptio. *Illis qui sunt* in *Antiochia, Syria, Cilicia è gentibus fratribus.* Ita non uni gentium ecclesiæ hæc epistola, sed pluribus, pro norma esse debuit. *Quandoquidem audivimus, quod quidam è nobis egressi, turbarunt vos verbis* (confer Galat. cap. 5: vers. 10. ὁ δὲ ταράσσων ὑμᾶς vers. 12. οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς.) *ἀνασκευάζοντες animas vestras evertentes*, labefactantes, *transferentes* (confer Galat. cap. 1: vers. 6. *μετατίθεσθε transferimini*) à Christo ad Mosen, ab Euangelio ad legem, à libertate ad servitutem. Hezychius. ἀνασκευάζειν, μετατιθέναι. Budæus docet, ἀνασκευάζεσθαι de iis propriè dici, qui collectis vasis alio migrant. Hezychius. ἀνασκευαζόμενοι, μετοικιζόμενοι. *dicentes circumcidi, & servare legem*; οἷς οὐ διεστειλάμεθα *quibus non mandavimus.* Ergo proprio egerant motu, *Visum est nobis, unanimiter congregatis, electos viros mittere ad vos*, &c. *qui per sermonem annuncient eadem.* vers. 24 -- 27. ut ita sancti & per sermonem, & per epistolam docerentur. confer 2 Thess. cap. 2: vers. 15.

Epistola synodalis.

Visum est Spiritui Sancto & & nobis.

§. 124. Medulla Epistolæ & totius negocii his in verbis est. *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nullum amplius imponi vobis onus* πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων. Act. 15: 28. Spiritum nominant & se ipsos. Ita indicant, mentem illorum cum mente æterni Spiritus suaviter concordare; nec illos contraria Spiritui dicere; nedum hæc statuentes, Spiritui Sancto resistere. Invocarunt sine dubio Spiritum, gratiam illius & auxilium in definienda quæstione. Adfuit illis Spiritus, & forsan speciali revelatione ostendit, placere sibi, quæ agitarent consilia. Igitur de mente illius certiores facti, id ecclesiam, cui scribebant, omninò scire volebant; ut adversantes eò fortius cogerentur, & sancti salutarius confirmarentur. Sed cur dicunt, *Spiritui & nobis*; annon sola Spiritus mentio sufficiebat? aut num Spiritui non crederetur, nisi ecclesiæ accederet consensus & authoritas? absit. Authoritas Spiritus absoluta, summa, independens, alienis haut indiget suffragiis. Alia ergo subest ratio. Quæ Apostoli statuebant de abstinentia sanguinis, idolothytorum, & suffocati, de illis expressum Domini mandatum non habebant. Distinguenda sunt, quæ Apostoli dixerunt κατὰ συγγνώμην, & quæ κατ' ἐπιταγήν; de quibus γνώμην ἐδίδου, ὡς ἠλεημένοι ὑπὸ κυρίου πιστοὶ εἶναι, & de quibus ἐπιταγὴν κυρίου εἶχον. Id monstrat Paulus 1 Cor. 7: 5. Conjugibus dicit, *Ne destituite vos invicem, nisi è communi consensu ad tempus*, &c. De illo consilio pronunciat. *Hoc autem dico* κατὰ συγγνώμην *secundum concessionem*; ita pro meo arbitratu & judicio in cordis fidelitate suadeo. οὐ κατ' ἐπιταγὴν *non secundùm mandatum*, aut è *mandato Domini*, quo me disertè jusserit ita vobis dicere. vers. 10. ita loquitur. *Illis qui nupserunt* παραγγέλλω *præcipio, non ego, sed Dominus, ut mulier à viro non separetur*. En id dicit è *mandato* divino, non è concessione privata. Rursum vers. 25. De *virginibus* ut nimirum virginitatem servent & conjugium non intrent, *mandatum Domini non habeo, sententiam autem*, seu consilium *do, ut cujus misertus est Dominus, ut fidelis sit*, nec quicquam dicat temerè, & sine magnis rationibus, & non in bona conscientia. Eadem ratione hic se res habet. Quæ in Synodo definita sunt, de iis quoad *maximam partem*, Apostoli ἐπιταγὴν Domini non habebant: sed κατὰ συγγνώμην decernebant, ut ad Ecclesiæ pacem, & Hierosolymæ ædificationem maximè facientia. Ex. gratia. Gentes debere ad tempus à sanguine, suffocato, idolothytis abstinere, id Dominus diserto haut præceperat mandato. Apostoli tamen decernunt, ut abstineant; agentes κατὰ συγγνώμην, dantes γνώμην; ut fideles servi Dei, sanctorum οἰκοδομὴν quærentes; & cum his jungunt etiam præceptum de fugienda *scortatione*, quam non κατὰ συγγνώμην, sed κατ' ἐπιταγὴν κυρίου vetabant, dixit enim Dominus, *non scortaberis*. Igitur quia pleraque hæc statuta Apostoli imposuerunt κατὰ συγγνώμην, ideò dixerunt, visum est *nobis*; ut fidelibus Christi ministris in commune bonum ita decernentibus. Imò & dixerunt, *Spiritui Sancto*; quia forsan, ut dixi, peculiari Spiritus Sancti revelatione in hac definitione confirmati fuerunt; quia sancti non debebant putare, hoc illorum decretum esse merè humanum, quod citra contumeliam & peccatum quis transgredi posset, sed & *Spiritui S.* placitum; igitur eo libentius accipiendum. Denique propterea & *sui* mentionem fecerunt, *visum est nobis*; ut ostendant, se turbatoribus *haut* quaquam *præcepisse*, quæ imprudenter urgebant; nunquam illis illam mentem aut sententiam hæsisse.

§. 125. Hæc tamen cui non placent, is ita sciat. Quæ in Synodo statuta sunt, duplicis sunt naturæ & indolis, de quibusdam habebant Apostoli ἐπιταγὴν; de quibusdam non, quædam præceperat & dixerat illis *Spiritus* Dominus, quædam non. Ex. gratia. *Nullum amplius onus imponendum gentibus*, id dicebant κατ' ἐπιταγήν. Ita dixerat illis *Spiritus*, doctor veritatis, docens illos omnia. In vocatione Cornelii *attestatus* erat, cui non

ex

ex operibus legis, sed ex solo *auditu fidei*, fidem & omnia dederat. In *prophetiis*, ut in Amosi oraculô alibique idem indicaverat. Et ratio divinæ hujus voluntatis aperta erat. Gentes debebant *benedici*, atqui benedictio *legis servitutem*, in qua erat commemoratio maledictionis, excludit. *Benedictio* Abraami in illas debebat venire. Atqui benedictus Abraam sub legis jugo & onere non sudavit. Debebant illæ *Siloh obedire*. Ergo non legi carnali vacare. Si circumciderentur, etiam totam legem servare debuissent. Atqui tunc nihil illis profuisset Christus. Igitur ex his aliisque rationibus certi fuerunt Apostoli, *visum Spiritui Sancto gentibus onus* ultra ne imponeretur. Vocatæ erant ut susciperent *dulce jugum* Christi. Atqui non poterant duo juga & onera portare. Pariter præceptum de abstinentia à *scortatione* etiam à Spiritu Sancto in lege & verbo vetitum erat. Et natura idem docebat. Ergo & hujus respectu dicere potuerunt. *Visum est Spiritui S.* Alia autem illa præcepta, de suffocato, sanguine, idolothytis, de illis non habebant expressum Spiritus mandatum; nec, si neges specialem revelationem accessisse, posteà acceperunt. Ideò illa injunxerunt è privata concessione, vi muneris impositi, & fidelitatis donatæ. Et magnas rationes habuerunt. Recenter ab *idolis* conversæ erant gentes, ut omninò illis repudium misisse viderentur, nec Judæi suspicionem fovere possent, illas tacitè adhuc cum idolis colludere, ideò consilium dant Apostoli, ut omnino ab idolothytis abstineant, *sanguinis* usus, sub lege severissimè erat interdictus, ad vitandum Judæorum scandalum, volunt Apostoli gentes abstinere ab illo; imprimis quia citra magnam incommoditatem sanguine carere poterant. In *suffocato* sanguis superest, & suffocata gustare, indecentius videtur; ideò & de illorum usu abstinentiam suadent Apostoli; ut ne & in illa re Judæi, *carnis puritati* vehementer intenti, offenderentur. Πορνείαν denique prohibent; non in gratiam Judæorum, qui ipsi nimium quantum illius rei erant; sed ob præceptum Dei immutabile; & ob sanctitatem, ad quam Redemptor nos vocavit. Ergo in his præceptis caverunt synodales viri præcipuè duo 1. *Scandalum*, ne id infirmis daretur Judæis. 2. *Licentiam*, ne libertas Christiana ulli esset *tegmen* impuritatis, malitiæ & peccati. Addamus & hoc. Quæ Spiritui S. & synodalibus visum est præcipere, sunt omnis temporis, & non omnis temporis; servari debuerunt perpetuò, nec tamen perpetuò. nimirum ecclesiam debere nullo legali onere gravari, & abstinere à scortatione, id æternæ veritatis est, nec unquam debet mutarier. Alia autem, *abstinere* à *sanguine*, *suffocato*, *idolothyto*; non sunt perpetuæ durationis. Sed obligarunt, usque dum ecclesia in fide libertatis cresceret; & qui è circumcisione magis illuminarentur; & Judæi ἀπειθοῦντες planè à populo Dei separarentur, & *Dei inimici* declararentur. Rom. 11: vers. 28. Concludo denique; quia decreta synodalia ejusmodi sunt, ut de quibusdam Spiritus Sanctus apertè pronunciaverit; de quibusdam verò synodici è lege prudentiæ, charitatis Christianæ, & ædificationis mutuæ definiverunt, ideò dixerunt, visum est *Spiritui Sancto* & *nobis*.

§. 126. Audiamus autem distinctius, quidnam visum sit Spiritui S. & illis. μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος. Lex de circumcisione, sacrificiis, &c. *onus* fuit. Ita Petrus judicaverat. Ita Jacobus. Ita Scriptura passim; hoc *onus* gentibus conversis nolunt *imponi*, & Spiritus S. & Apostoli, rationes vidimus. Pauca tamen notant. πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων, *præter hæc necessaria*. Illa imponi volunt illis, non opus est verba hæc mutare, in πλὴν τῶν ἐπ' ἀνάγκης τούτων; nam omnes codices habent ἐπάναγκες; & *Græcum* est, nec semper adverbiascit, sed sæpe est *nomen* indeclinabile; notatque quasi aut *propemodum necessarium*. Pulchra est Cl. Cloppenburgii observatio in *schola* sacrificiorum; ubi docet præpositionem

sitionem ἐπὶ *in compositione ita modificare multa vocabula, ut non semper exprimant rerum significatarum τὸ ἀκριβὲς, sed solam nonnunquam cum re significatâ vicinitatem aut affinitatem, qualia sunt* ἐπίγαμος *nubilis, nuptiis vicina,* ἐπίτεξ *partui vicina,* ἐπιθανὴς *morti vicinus,* ἐπίδοξος *opinabilis,* ἐπίδασυς *aliquantulum densus*, &c. Ita & hic ἐπάναγκες notat, ut diximus. Gradus sunt in necessitate; quædam sunt *necessaria* ἁπλῶς *simpliciter* & absolutè; quædam κατά τι *secundùm quid*, & relatè. Quæ *absolutè* sunt necessaria, sunt omnis temporis, nec abrogari possunt, quæ *relatè*, non sunt omnis temporis, & abrogationi sunt obnoxia. Ea, de quibus Synodales viri statuerunt, sunt utriusque generis. Idolothytorum, suffocati, sanguinis abstinentia sunt necessaria κατά τι, *relatè.* πορνείας, *absolutè.* Tamen quia potior pars illorum, quæ statuerunt, sunt tantùm necessaria relatè, ideò dicuntur τὰ ἐπάναγκες *quasi necessaria*; neque adeò negatur, abstinentiam πορνείας, esse *necessariam* ἁπλῶς.

§. 127. Quatuor autem sunt τὰ ἐπάναγκες, à quibus volunt ἀπέχεσθαι *abstinere.* 1. εἰδωλόθυτα 2. αἷμα. 3. πνικτὸν, 4. πορνεία. Paucis expendamus singula.

§. 128. Εἰδωλόθυτα sunt illa, quæ *idolis* & simulacris à gentibus olim mactabantur. Gentes idolis suis sacrificabant; de sacrificatis comedebant; de illis domi nonnunquam cum amicis & familiaribus convivabantur, ut & illi participes fierent sacrificii. Jacobus dixerat τὰ ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων. Actor. 15: vers. 20. Notatum doctis, τὸ ἀλίσγημα notare imprimis *pollutionem*, quæ in cibis est idolo consecratis. Daniel *abstinuit à cibo*, ὡς οὐ μὴ ἀλισγηθῇ *ne pollueretur* Dan. 1: vers. 18. Malach. 1: vers. 6. 7. לחם מגאל ἄρτος ἠλισγημένος *panis pollutus.* Igitur ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων sunt cibi polluti idolorum, hoc est, idolis sacri. Esum *idolothytorum* etiam Moses vetuit. Exod. 34: vers. 15. *Ne ferias fœdus cum habitatore terræ, & sacrificent Diis suis & invitet te,* וְאָכַלְתָּ מִזִּבְחוֹ *& comedas de idolothyto ejus. Capita populi* suspendebantur, eo quod participarant & *ederant* de *sacrificiis Deorum filiarum Moab.* Num. 25: 1. 2. 3. 4. Julianus emansor Christianos mitis nequitiis & artibus cogere voluit, ut *vescerentur cibis immolatitiis.* Abstinentia ab idolorum esu in se necessaria haut erat, *non* enim *polluit hominem, quod in os intrat* Matth. 15: vers. 11. 17. Audiamus autem è Paulo, qui Hierosolymitano interfuit conventui, cur abstinentia illorum gentibus olim commendata fuerit. 1 Cor. 8: vers. 4. dicit, *de esu idolothytorum novimus,* ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν τῷ κόσμῳ *quod nihil idolum in mundo, & non est Deus alius, nisi unus.* Igitur nullus honor fit idolo, licet idolothytum comedatur, ut enim non entis nullæ sunt affectiones; ita & non entis nullæ sunt honorationes; ita ut loquar. Nil minus ab illis abstinentiam suasit ob seqnentes rationes. 1. *Non est in omnibus scientia.* vers. 7. non omnes eo cognitionis profecerunt. 2. *Cibus non commendat nos Deo; sive ergo edamus,* aut *non edamus,* nec *abundabimus,* nec *deficiemus* vers. 8. 3. *Libertas vestra hæc ne fiat offendiculum infirmis,* vers. 9. qui putant idolum esse aliquid. 4. Possèt ita *infirmus* moveti εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν vers. 10. contra *conscientiam*, & sic *perdi*, hoc est, magnopere lædi, magno bono exui. 5. *Conscientiam infirmam fratrum verberantes, in Christum peccatis.* vers. 12. 6. Se ipsum proponit in exemplum, habebat ἐξουσίαν φαγεῖν καὶ πιεῖν 1 Cor. 9: vers. 4. & tamen ἐλεύθερος ὢν ἐκ πάντων, *omnibus* inquit, ἐμαυτὸν ἐδούλωσα. 1 Cor. 9: vers. 19. 7. ἃ θύει τὰ ἔθνη, δαιμονίοις θύει, καὶ οὐ θεῷ. *nolo autem vos* κοινωνοὺς τῶν δαιμονίων γίνεσθαι. 1 Cor. 10: 20. 8. *Omnia mihi licet, sed non omnia conducunt, nec ædificant.* 1 Cor. 10: 23. Hactenus Paulus.

Sanguis. §. 129. Secundum est αἷμα *sanguis*, quidam putant *homicidium* vetari, & vertunt *à san-*

sanguinis effusione, sed convenit id sumi aut accipi de sanguine *brutorum*, cujus usu serio interdictum Israëlitis. vide libr. II. cap. XI. §. 80 – 87.

§. 130. Tertium est πνικτὸν *suffocatum*. In visceribus animalium suffocatorum hæret sanguis, ideo nec illa edenda fuere. Sunt, qui hanc explicationem huic non convenire loco putant: quia Deut. 14:20. vetatur quidem Israëli, ne *ipse* comedat כָּל־נְבֵלָה *omne cadaver*; attamen jubetur *dare id comedendum* לַגֵּר *peregrino in portis*, aut etiam *vendere* לְנָכְרִי *extraneo*. Sed parum hoc ad rem. Quam diu gentes erant in inimicitia, ita potuit fieri, nunc junctæ cum Israële, ad vitandum scandalum, ad tempus ab iis debuit intermitti. In hunc sensum concilium Constantinopolitanum rectè dicit, licet observantiam hujus statuti nimis latè extendat, *sacra Scriptura nobis præcipit, ut abstineamus a sanguine & suffocato & fornicatione.* Tertullianus in Apologet. *Propterea suffocato etiam & morticinis abstinemus.* Suffocatum.

§. 131. Quartum, πορνεία *scortatio*. Heinsius, vir acutissimus in sacris exercitationibus: *Nullum*, ait, *in his libris locum esse, in quo plus difficultatis invenerunt, plus reliquerunt summi viri.* Si enim de corporali scortatione loquatur Synodus, non satis decenter illa inter res natura sua indifferentes, ut est abstinentia à suffocato, sanguine, &c. videtur referri. Sunt, qui dicant, ideo *scortationem* in ordine & numero collocatam adiaphororum, quia à gentibus olim haut habita sit pro flagitio. 1 Cor. 6: ✝. 15. 16. secundùm illud Terentianum, *Non est flagitium crede mihi adolescentulum scortari.* Ita Erasmus & Piscator. Alii intelligunt, *Spiritualem scortationem*. Ita Beza. *In hanc autem*, inquit, *me sententiam deducit Paulus, hujus epistolæ Synodicæ optimus interpres.* 1 Cor. 8. & 10. *duas species constituens hujus interdicti; unam* τῆ εἰδωλοθύτων *extra Idolorum templum & sacrificia; alteram convivii in ipso idolorum templo & ipsius sacrificii appendicem.* Ita *scortatio* erit accubitus in idoleo. Alii πορνείαν interpretantur πορνικὴν θυσίαν; secundùm legem Deut. 23:18. *Non adduces* אֶתְנַן זוֹנָה *mercedem meretricis, nec pretium canis ad domum Dei tui*, לְכָל־נֶדֶר ad satisfaciendum *ulli voto*. Prov. 7: ✝. 14. זִבְחֵי שְׁלָמִים עָלָי *sacrificia pacifica super me*, hoc est, debeo; verba Meretricis, *hodie solvi vota mea.* Athanasius libr. contra gentes de fœminabus in Phœniciæ templis, νομίζουσι τῇ πορνείᾳ τὸ θεὸν ἑαυτῶν ἱλάσκεσθαι *putantes meretricia oblatione Deum expiari* seu placari, πορνεία pro θυσίᾳ πορνικῇ. Illuc facere videtur, quod Act. 15:20. non πορνεία simpliciter, sed ἀλίσγημα πορνείας interdicitur; quod *cibum impurum* scortationis quasi notat. Hujus sententiæ autor est jam jam laudatus Heinsius. Alii denique per *scortationem* intelligunt *divortia & polygamiam*; quæ recepta olim fuere inter Judæos & gentes, & pro scortatione non habita, sed pro re media; Judæis olim à Deo permissa πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν, ad detegendam *duritiem cordis illorum* Mat. 19:8. Ita Mat. 19:9. Marc. 10:11. Luc. 16:8. dicitur μοιχᾶσθαι, qui *repudiat mulierem*, extra causam πορνείας. Illa divortiorum licentia à Judæis ad gentes quasi demigravit. Alex. ab Alex. l. IV. genial. dier. c. 8. *Apud Athenienses libello repudii porrecto, vel a viro, vel ab uxore, an concedi debeat, Magistratus decernit.* Charondæ lege licuit mulieri virum linquere quamvis ob causam. Tertull. Apol. c. 6. de Romanis, *per annos*, inquit, *ferè sexcentos ab urbe condita nullam domum repudium misisse.* Romulus, Plutarcho teste, dedit viro jus γυναῖκα ἐκβάλλειν ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων, κλειδῶν ὑποβολῇ, καὶ μοιχευθεῖσαν. De *Polygamia* inter Judæos Joseph. ἀρχαιολ. XVII. I. Πάτριον ἐν ταυτῷ πλείοσιν ἡμῖν συνοικεῖν *mos nobis patrius eodem tempore, pluribus cohabitare.* Justinus Triphoni objicit in Dialog. *Magistri vestri ad hoc usque tempus, quatuor & quinque uxores unumquemque vestrum habere permittunt.* Plura de Polygamia diximus libr. II. cap. XVI. §. 94 – 97. De hac igitur πορνείᾳ, tum in divortiis olim commissa, tum in polygamia, teneamus vetuisse Apostolos, pugnat enim hæc Scortatio.

 licen-

licentia cum justitia, sanctitate & charitate; nec gentibus, ad Christum nunc conversis, diutius licita esse debuit. Neque putandum est, hanc *scortationem* pro re adiaphora habitam ab Apostolis, eò quod unà cum aliis adiaphoris illam hic conjungant. Nam eadem sententiâ licuit & de rebus adiaphoris & de re minimè adiaphora legem ponere.

§. 132. In nonnullis codicibus hæc sequuntur verba, καὶ ὅσα ἂν μὴ θέλωσιν αὐτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν, *& quæ non velint sibi fieri, aliis non facere.* vide Matth. 7: ✝. 12. Luc. 6: 31.

§. 133. Sunt, qui putant, Apostolos hic renovasse & repetiisse præcepta Noacho olim & posteris ejus data. Schickardus in jure regio Hebr. cap. v. *Præcepta Noachidarum in primitiva etiam ecclesia Christianorum, gentibus conversis, loco Mosaicæ legis rigidissimæ, ex decreto Apostolorum & Synodi Hierosolymitanæ imposita fuerunt.* Addamus, quænam Judæi narrent præcepta Noachidis data esse, *septem* numerant. 1. על עבודה זרה *de idololatria.* 2. על ברכת השם *de benedictione numinis* ut solus Deus creator adoretur. 3. על שפיכת דמים *de sanguinis effusione*, ne homines occiderent. 4. על גלוי עריות *de revelatione pudendorum.* 5. על הגזל *de rapina* & furto. 6. על הדינים *de judiciis*, ut justum & æquum administrarent. 7. על אבר מן החי *de membro vivi*; hoc est, ne edant membrum viventis. Alii hoc explicant, de esu sanguinis & suffocati, sed hæc obiter.

§. 134. Sequitur conclusio Synodalis Epistolæ, ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς, εὖ πράξετε. Actor. 15: 29. Ita decisa res fuit. Zelotæ legis depulsi. Gentes à legis servitute absolutæ; & in libertate, à Christo parta confirmatæ fuerunt.

Antiochenses Legati redeunt de Synodo. §. 135. Narrat præterea Paulus, *datas sibi & Barnabæ dextras communionis à Jacobo, Cepha, Johanne*; & ita inter illos convenisse, ut Paulus & Barnabas *in gentes* porro proficiscerentur. Illi verò εἰς τὴν περιτομήν. Galat. 2: 7-9. Ita tandem *dimissi redierunt in Antiochiam*; *traditaque* & *lecta epistolâ* coram *multitudine*, *gavisi sunt* ἐπὶ τῇ παρακλήσει. Actor. 15: 30. 31. Imò *Judas* & *Silas*, legati Hierosolymitanorum (Act. 15: 27.) & ipsi προφῆται ὄντες, *per sermonem multum confirmarunt fratres.* Actor. 15: ✝. 31. 32. Tandem peractâ legatione abiit Judas *ad Apostolos.* Silæ autem *visum est manere Antiochiæ.* Act. 15: 33. 34. Paulus etiam & Barnabas *morati sunt in Antiochia.* Act. cap. 15. vers. 35.

Petri adventus in Antiochiam, & lapsus. §. 136. Per hoc tempus *Petrus venit Antiochiam.* Galat. 2: vers. 11. Iter hoc statuimus factum post Synodum Hierosolymitanam, nam Paulus Galat. 2: vers. 1. ascensum suum in Hierosolymam ad Synodum præponit adventui, nec videtur Paulus in Petrum à gentium convictu abstinentem ita potuisse aut debuisse invehi; nisi res illa publicè & solemniter Hierosolymæ jam decisa fuisset. Quid Petrus Antiochiæ tunc fecerit, cur illuc venerit, sacræ tacent literæ, voluit forsan florentem hanc gentium Ecclesiam invisere, & de gaudiis ejus communicare. Certè non venit illuc, ut Episcopatu fungeretur. Docet Baronius, secundo anno Claudii Petrum fixisse Romæ sedem Episcopalem, & ibi mansisse ad ultimum usque supplicium, continuos viginti quinque annos. Atqui Synodus Hierosolymitana habita est anno nono Claudii; & tunc Petrus prius venit Antiochiam, quomodo ergo tunc jam Romanus Episcopus fuit? & quando incepit Episcopatus Antiochenus? Ita hæc figmenta se evertunt. Petrum Antiochiæ insigniter lapsum, narrat Paulus. *In faciem restiti ei*, inquit, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν *quia damnabilis* seu damnandus *erat.* Gal. 2: 11. Cur autem? *antequam quidam venirent à Iacobo, cum gentibus comedit.* Gal. 2: ✝. 12. Non Jacobus ipse venit; sed quidam missi à Jacobo. Ita fraterna inter ecclesias erat con-

conversatio, una aliam visitabat. Ante horum adventum, edebat *cum gentibus*. Ita cœlestis illum docuerat visio. Ita fecerat cum Cornelio. Ita ipse definiverat in Synodo. Comedit ergo, & habuit gentes ut concives sanctorum, & domesticos Dei. Sed prout adsuere legati Jacobi ὑπέστελλε *subduxit se & separavit, timens illos, qui è circumcisione*. Galat. 2: 12. Hierosolymitani adhuc secundùm patrios ritus viventes à gentibus abstinebant. confer Act. 21: 25. 26. Damnabilis hæc fuit actio, & reprehendendus propterea Petrus, *non enim incedebat recto talo secundùm veritatem Euangelii*. Gal. 2: 14. Ita Hierosolymitanos circumcisos in errore confirmavit, gentibus scrupulos injecit, contra conscientiam suam egit, aliud intus sentiens, aliud foris agens; quodque antea ipse judicaverat, damnans; & indignam sibi, ut magno viro, *hypocrisin* & simulationem commisit. Galat. 2: 13. *Hypocrisis* est simulatio ejus, quod non est: vitiosa habetur in rebus humanis, & species mendacii; quidni ergo in rebus Dei? Paucis. Petrus ita agendo destruxit, quod ædificaverat; invertit Euangelii veritatem, solvit ecclesiæ unitatem, & ostendit aliquam cordis debilitatem, animi infirmitatem, pectoris inconstantiam.

§. 137. De hac actione Petri, & resistentia Pauli non idem Patres senserunt. Putarunt nonnulli, omnia hæc in speciem tantùm acta, non vere simulasse Petrum, nec simulando peccasse, sed recessisse à gentibus per dispensationem, ut ne offenderet Judæos, & Paulo objurgandi se, in convictionem Judæorum, ansam præberet; ut hac ratione Judæis scrupulus eximeretur, convictum gentium haut esse licitum; Petrum, ita errando, Paulum, ita objurgando, scienter invicem collusisse. Hac de re magna lis fuit Hieronymum inter & Augustinum. Occasio fuit de mendacio officioso, id Hieronymus in sanctos cadere posse putabat scriptores. Augustinus verò negabat. Deinde &, ut refelleretur *Porphyrius*, qui calumniabatur, Petrum, Apostolorum primum, errasse in doctrina, & hunc casum frequenter in ore habebat, Hieronymus hoc effugium excogitavit; & errorem Petri, ac invectivam Pauli per collusionem excusavit. Alii vero commenti sunt, *Petrum* hunc non fuisse Petrum Apostolum; sed alium quendam de septuaginta discipulis. Sed hos nunc mittimus. Ad Hieronymum redimus: si Petrus simulavit, & Paulus collusit, quomodo verum illud Pauli, *Restiti illi*? Erat *damnabilis, non ambulabat secundùm veritatem*, cur *hypocrisin* culpat? bene ergo Augustinus, *satius est*, inquit, *credere, Paulum verè omnia scripsisse, quàm Petrum rectè aliquid gessisse*. Neque ita juvatur Porphyrius. Non in doctrina erravit Petrus, sed in doctrinæ praxi, non in fide, sed in moribus. Inde Paulus, *restiti ei*; non quod in doctrina impegisset; sed *quia reprehensibilis erat*, quia, *se subduxit à gentibus*. Certè talis simulatio non decuit Apostolos. Nulla talis simulationis causa fuit, nec Petro, nec Paulo. Poterant Judæi sine illa melius informari. Mentitus fuisset Paulus, dicens, *Erat damnabilis, subducebat se*, quid *gentes cogis Judaizare*? si nihil tale egit Petrus. Instat Hieronymus. 1. Restitit ei κατὰ πρόσωπον *in speciem* non verè, sed ex composito. Resp. κατὰ πρόσωπον est *in faciem* 2 Cor. 10: 1. & Galat. 2: 14. idem dicitur ἔμπροσθεν πάντων. 2. *Si seriò reprehendit, scandalum dedit Paulus*. Resp. Id tribuatur authori, non depulsori scandali, sed si per simulationem reprehendit, nonne idem scandalum dedit? Certè Judæi gentesque, coram quibus reprehendit, nil sciverunt de simulatione, si simulatio fuit. 3. Matth. 18: 15. *Argue fratrem tuum inter te & ipsum*. Resp. Publica peccata publicè sunt castiganda. 1 Tim. 5: 20. *Peccantes argue coram omnibus*. 4. *Amor Pauli erga Petrum & reverentia id non permisit*. Resp. Magis reverendus Deus erat; magis amanda veritas. Errantem reprehendere etiam amoris est. 5. *Paulus ipse factus est omnia omnibus*. Resp. Petrus se subducendo noluit esse omnia omnibus, noluit enim videri ἐθνικῶς *vivere*. 6. Septem Patrum, quos inter *Origenes* & *Chrysostomus*, autho-

De lapsu Petri certamina Patrum.

authoritates objecit Hieronymus Augustino. Augustinus pro se *Ambrosium* citavit & *Cyprianum. Et possem, quidem*, inquit, *ut arbitror facile plures reperire, si multa legissem. Veruntamen ipse mihi pro his omnibus, imò supra omnes Apostolus Paulus occurrit. Ad ipsum confugio, ad ipsum, ab omnibus, qui aliquid sentiunt literarum ejus tractatoribus provoco. Ipsum interrogans interpello, & requiro in eo quod scripsit ad Galatas, vidisse se Petrum, non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii.*

Bellarmini sententia. §. 138. Bellarminus libro de Pontifice Romano c. 28. opinionem collusionis haut quidem probat; sed peccasse Petrum, & acriter satis à Paulo reprehensum fatetur; sed peccatum Petri dicit esse *veniale*, levissimum, absque ulla Petri culpa, magis illum vitasse Judæorum offensionem, quàm gentium; quia Judæorum imprimis & circumcisionis Apostolus fuit. Igitur cum una pars offendenda esset, gentes potius offendendas fuisse. Sed si peccatum Petri ita leve fuit, cur tam graviter id correxit Paulus? οὐκ ὀρθοποδοῦν πρὸς τὴν ἀλήθειαν Galat. cap. 2: verf. 14. non adeo leve peccatum est. Non debuit Petrus facere malum, ut eveniret bonum; offendere gentes, ne offenderet Judæos. *Væ homini, per quem scandala veniunt.* Matth. 18: vers. 7.

§. 139. Non solus Petrus lapsus est; sed exemplum ejus secuti συνυπεκρίθησαν *unà simularunt cum eo etiam reliqui Judæi*, qui cum Petro forsan advenerant; imò & ipse *Barnabas*, laudatus ille vir, Pauli in gentibus συνεργός, *simul abreptus fuit per illorum hypocrisin*. Gal. 2: ℣. 13. Adeò & sanctissimi lapsibus sunt obnoxii. Paulus in solum *Petrum* invectus est. Erat enim caput, & auctor erroris. *Si tu*, inquit, *Judæus existens, vivis ethnicè, & non Judaicè, quid cogis gentes* ἰουδαΐζειν. Gal. 2: 14. Exemplo Petri se substrahentis gentes motæ, potuerunt hæsitare, annon & ipsis jugum legale subeundum esset. Ita Petrus exstitit ferè *proditor* libertatis; quam tanto pretio Servator adduxerat. vide porro Pauli rationes Gal. 2: 15-21. Petrus redargutionis patiens nil scribitur respondisse, convictus enim erat de errore suo. Errare humanum. Errorem agnoscere, bonum & sanctum est. Imò & post hanc actionem videtur brevi rediisse Hierosolymam.

Pauli secunda expeditio in gentes: circumcidit Timotheum. §. 140. Paulo & Barnabæ tunc è re visum est, ut *visitarent fratres, secundùm omnem civitatem*, πῶς ἔχουσι. Act. 15: 36. sed exstitit παροξυσμὸς *inter illos, & separarunt se* ἀπ' ἀλλήλων. Act. 15: 37. 38. 39. Igitur Paulus cum *Sila* (Act. 15: 22. 32. 34.) iter iniit. Act. 15: 40. In *Derbe & Lystra* (confer Act. 14: 6.) *Timotheum*, de quo supra §. 100. *filium mulieris Judææ fidelis*, cui nomen *Eunia* 2 Tim. 1: 5. (μάμμη illius fuit *Lois*. 2 Tim. 1: 5.) *Patris* verò ἕλληνος, assumsit σὺν αὐτῷ ἐξελθεῖν, *ut cum ipso exiret*. Act. 16: 1. 2. 3. illumque *circumcidit*. ibidem. (Ergo huc usque incircumcisus fuerat.) *propter Judæos*. vide Act. 16: 3. Titum noluit circumcidi. Galat. 2: 3. quia totus *Græcus* erat, μητρόθεν καὶ πατρόθεν, ne cederet Judæis, circumcisionem, ut ad salutem necessariam, urgentibus. Timotheum verò circumcidit. Semi-Judæum, Semi-Græcum; ut & Judæorum offendiculum evitaret. *Omnibus* factus *omnia* omnes studuit lucrari. Poterant, qui è Judæis erant, circumcidi; quia cultus Judaicus à Deo adhuc tolerabatur. Qui erant è gentibus, non debebant circumcidi, ne in Judaicas ceremonias initiarentur & *debitores* fierent ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι. Gal. 5: 3.

Tradit ubique dogmata Hierosolymitana. §. 141. Per quas Paulus, cum sociis *Sila*, & *Timotheo*, *transiit civitates, tradidit illis observare dogmata* Hierosolymitanæ Synodi. Actor. 16: 4. Hoc enim omnes ecclesiæ gentium debebant φρονεῖν, hocque στοιχεῖν κανόνι. Phil. 3: ℣. 16. confer Actor. 21: 25. In hoc itinere Paulus sæpe fuit *prohibitus a Spiritu S.* non *sivit illum Spiritus* vadere, quo instituerat. Actor. cap. 16: vers. 6. 7. In Troade *visio nocturna apparuit illi, vir quidam Mace-*

Macedo stans, rogabat illum, descendens in Macedoniam auxiliare nobis. Actor. 16: vers. 5--9. Inde *concluserunt* Paulus & socii, *vocasse illos Dominum*, ut *Euangelium illis nunciarent.* Act. 16: 10. Autor libri actorum Apostolicorum, qui hucusque in tertia persona de Paulo & sociis ejus locutus est; nunc in prima persona incipit de illis loqui. ἐζητήσαμεν, συμβιβάζοντες, εὐθυδρομήσαμεν, &c. Actor. 16: 10. 11. & se quasi illis annumerare. Inde colligimus, ab hoc tempore etiam *Lucam* Euangelistam, qui Acta Apostolica scripsit, comitem Pauli exstitisse. In *Asia* igitur prohibitus λαλῆσαι τὸν λόγον Act. 16: 6. Paulus in *Europam* transit. Lucas Euangelista.

§. 142. Ita venerunt εἰς Φιλίππους *in Philippos*; quæ erat *primaria* tractus illius Macedoniæ *civitas.* Actor. 16: 12. Ibi lucratus est Paulus *Lydiam* πορφυρόπωλιν Domino. *Illius aperuit Dominus cor, ut attenderet dictis à Paulo, baptizata est & domus ejus.* Actor. 16: 14. 15. Erat Philippis *puella*, habens πνεῦμα πύθωνος *Spiritum Pythonis*, (πύθων est aut à πυνθάνεσθαι, aut à פֶּתֶן *serpens Aspis*; qui Apollini sacer erat; & per quem divinationes olim instituebantur) μαντευομένη *fatidica*, *Dominis suis multum quæstum exhibens.* Act. 16: 16. Hæc pluries cum inclamasset Paulum & socios, *Hi homines sunt servi Dei Altissimi, qui nunciant vobis viam salutis*, Paulus διαπονηθεὶς jussit *Spiritum exire*, & *illico exiit.* Actor. 16: 17. 18. Id malè habuit Dominos, tantæ jacturæ impatientes; igitur accusati & comprehensi, Paulus & Silas, *virgis cæsi*, *multas plagas* acceperunt; & in *carcerem* squalidum, ac *compedes* inclusi sunt. Actor. 16: 19--24. Sed & hæc vincula uberem pepererunt fructum. Media *nocte* σεισμὸς ἐγένετο μέγας, ut *quaterentur fundamenta carceris*; & *omnes januæ apertæ sunt*, & omnium *vincula soluta.* Actor. 16: vers. 25. 26. ὁ δεσμοφύλαξ tanto miraculo commotus *in ipsa illa hora noctis, baptizatus est ipse*, καὶ οἱ αὐτοῦ πάντες. Actor. 16: vers. 27--34. Ita & in vinculis *regnum Dei* βιάζεται. Postridie ab ipsis Præfectis comiter è custodia educuntur. Actor. cap. 16: vers. 35--39. Paulus venit in Philippos.

§. 143. Inde venerunt *in Thessalonicam*, totius Macedoniæ metropolim. Actor. 17: vers. 1. Ibi in *Synagogam Iudæorum per tria Sabbata disseruit è Scripturis*, de Christi *passione & resurrectione*, & quod *ille est* ὁ χριστὸς *Christus*, Messias, promissus, exspectatus. Actor. 16: 2. 3. *Quidam* è Judæis ἐπείσθησαν. *Græcorum* autem & *mulierum magna copia adjuncti sunt Paulo & Silæ.* vers. 4. De omni hoc ita Paulus ipse 1 Thess. 2: vers. 1. 2. *Nostis, fratres, introitum nostrum ad vos, quod non inanis exstitit. Sed & ante passi ac contumelia notati, ut nostis, in Philippis, libere locuti sumus in Deo nostro ad vos Euangelium Dei*, ἐν πολλῷ ἀγῶνι *in multo certamine.* Nam & ibi οἱ ἀπειθοῦντες Ἰουδαῖοι fugere illum coëgerunt. Actor. 17: vers. 5--9. confer Actor. 13: 50. 14: 5. 6. 19. adde Actor. 9: 23. 24. 25. 29. 30. Cum apud Thessalonicenses esset, *dixit* illis de *ventura Apostasia*, & *revelando homine peccati.* 2 Thess. 2: 3. 5. Illuc Philippenses καὶ ἅπαξ καὶ δὶς εἰς τὴν χρείαν αὐτῷ ἔπεμψαν. Phil. 4: 16. In Thessalonicam.

§. 144. In *Berœam* inde delati sunt. Fuit & illa Macedoniæ urbs; non procul à Thessalonica. Fuit & in cava Syria Berœa, infra Palmyræ solitudines. Etiam ibi εἰς τὴν συναγωγὴν τῶν Ἰουδαίων ἀπῄεσαν Actor. 17: 10. Berœenses fuere εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ non tam genere & prosapia, ut vox illa venit Luc. 19: vers. 12. 1 Cor. 1: vers. 26. quàm *animo*, seu generosiores. Hujus discriminis causam, cum naturæ conditione Thessalonicensibus essent pares, cui tribues, nisi uni soli Deo, omnium bonorum donorum auctori? hi igitur *receperunt sermonem cum omni promptitudine, quotidie scrutantes Scripturas, an* quæ audiebant à Paulo de Christo Jesu, *ita haberent.* Actor. cap. 17: vers. 11. In Berœam.

Aaa 3 *Multi*

Multi itaque *crediderunt*, & *mulierum Græcanicarum*, & *virorum non pauci.* Act. 17. vers. 11. 12. Sed & illuc supervenientes Thessalonicensium immorigeri, effecerunt, ut demigraret Paulus. Act. 17: 13. 14.

In Athenas. §. 145. Abiit Paulus ἕως Ἀθηνῶν *usque ad Athenas.* Act. 17: 15. Athenæ civitas Græciæ inter Achajam & Macedoniam, ita dictæ à Pallade, quæ Græcis Ἀθήνη. Varro de L 1; *Cum trinæ fuerint Athenæ, ab una dicti Athenæi, ab altera Athenienses, à tertia Atheneopolitæ.* Civitas illa *antiquitate & humanitate ac doctrina, omnes alias urbes præstitit.* Cor. Nepos in vita Attici. Cicero libr. 1. de oratore OMNIUM DOCTRINARUM INVENTRICES *Athenas* dixit, *in quibus summa dicendi vis & inventa est, & perfecta.* Dicta etiam *frugum Parens.* Cicero pro Flacco. *Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur.* Hanc civitatem Paulus comperit esse κατείδωλον *idolis refertam.* Act. 17: 16. Pausanias libr. 1. plura Athenis idola nominat, quàm alibi. Xenophon in Republica Atheniensium docet, quod duplo plura, quàm aliæ gentes Græciæ festa agitarint. Demosthenes in Olynthiacis nimium festorum studium passim eis exprobrat. Igitur Paulus, cujus *Spiritus* παρωξύνετο, Act. 17: 16. disseruit *in Synagoga Iudæis & religiosis, & in foro per totam diem quibusvis obviis.* vers. 17. *Jesum* nuncians & *resurrectionem.* vers. 18. Ita *Epicureis & Stoicis* visus est *præco peregrinorum Deorum.* vers. 18. Ductus in Ἄρειον πάγον *in Martium pagum* seu collem (ubi δικαστήριον erat, cujus judices seu senatores Ἀρεοπαγῖται dicti; quorum fuit, capitalia, cædes & vulnera, etiam *leges* contemnentium causas cognoscere, quare & Paulus, ut annunciator novorum Deorum, illuc raptus est) doctam orationem habuit.

§. 146. Dicit se invenisse βωμὸν *aram, cui inscriptum* Ἀγνώστῳ Θεῷ Act. 17: 23. Plures aræ in Agro Attico fuere, Ἀγνώστοις θεοῖς sacræ, teste Pausania. Pestis aliquando sæva dicitur Athenis grassata. Accersitus *Epimenides* Cretensis, in tota Græcia Diis charissimus, ut urbem expiaret, sumsit ille oves nigras & candidas; duxit in Areopagum; indeque, quò vellent, abire permisit; ubicunque illæ quievissent, ibidem singulas jussit mactari τῷ προσήκοντι θεῷ. *Deo convenienti.* Quum autem non possent unicuique loco peculiarem & προσήκοντα suum θεὸν assignare, factum, ut in Atheniensium pagis passim aræ ἀνώνυμοι, ut habet Laërtius in vita Epimenidis, sive, ut Pausanias, ἀγνώστων θεῶν βωμοὶ invenirentur, in expiationis hujus memoriam. Hieronymus in epist. ad Titum. *Inscriptio aræ non ita erat, ut Paulus asseruit; sed ita, Diis Asiæ, & Europæ, & Africæ, Diis ignotis & peregrinis? verùm quia Paulus non pluribus indigebat Diis ignotis; sed uno tantùm ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in ara titulo prænotassent.* &c. Græca Scholia hanc citant inscriptionem. ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ ΘΕῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ. Lucianus in Philopatride bis meminit τοῦ ἐν Ἀθήναις ἀγνώστου.

§. 147. Miseræ gentes, *incognitum Deum* colentes, etiam Judæorum Deum per contemtum solebant dicere *ignotum*, imò *incertum Deum, incertum numen*; imò & INNOMINATUM. ita Caligula ad Judæorum Alexandrinorum legatos, *Vosne estis illi Diis invisi, qui me omnium confessione Deum declaratum soli aspernamini, mavultisque vestrum innominatum colere.* Philo in legat. ad Cajum. Hunc *incognitum* Deum narrat Paulus se καταγγέλλειν Actor. 17: vers. 23. Laudat illum *conditorem & Dominum omnium, non habitare in templis manu factis*; *non coli à manibus humanis*: præcipuæ enim partes *cordi* sunt in divino cultu. Aut, à manibus humanis non *ministrari*, nullum inde

inde ministerium aut usum capit, *non* enim *eget cujusquam*, *ipse dans omnibus vitam & halitum*, *& omnia.* Actor. 17: vers. 24. 25. *Prope illum esse ad palpationem usque. In ipso enim nos vivere, moveri & esse.* Ibi citat, Poëtæ cujusdam dictum, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Non fuit Paulus ἀγράμματος & ἰδιώτης; nam & Græcorum Poëtas legit. confer Tit. 1: vers. 2. Hieron. in epist. ad Galatas cap. 4. *Hoc hemistichium fertur in Arato, qui de cœlo stellisque conscripsit.* Idem in Tit. cap. 1. *Ipsius enim & genus sumus, quod hemistichium in Phænomenis Arati legitur, quem Cicero in latinum sermonem transtulit, & Germanicus Cæsar, & nuper Avienus.* Inde concludit, *Numen*, rebus materialibus, *auro*, *argento*, *lapidi*, &c. *haut esse simile.* Actor. 17: vers. 27. 28. 29. Statius libr. 12. Thebaidos, *Nulla autem effigies, nulli commissa metallo forma Dei, mentes habitare, & pectora gaudet.* Addit, *tempora ignorantiæ* (præterita tempora gentium fuerunt tempora ignorantiæ; ubi nec Deus cognitus, nec via Dei, nec justitia, nec salus, nec regnum Dei) *despexisse Deum, nunc nunciare hominibus omnibus, ubique*, μετανοεῖν. Actor. 17: vers. 30. confer Actor. 14: vers. 15. *Ideò statuisse Deum diem* universalis judicii, *in viro*, *quem prædefinivit*, *fide facta omnibus*, *excitato illo è mortuis* Act. 17: 31. Hactenus oratio Pauli, qua seculi hujus sapientes confudit.

§. 148. *Pauci* ad Sermonem hunc conversi *crediderunt.* Actor. 17: vers. 32. 34. Inter quos Senator fuit, *Dionysius Areopagita & uxor Damaris* (incertum, an Dionysii fuerit) *& alii cum illis.* Actor. 17: vers. 34. Hic Dionysius Eclipsin illam solis quæ facta est, cum Christus in cruce esset, dicitur cum attentione observasse; ut supra allegavimus. Exstant monumenta quædam de Hierarchia cœlesti & ecclesiastica, sub hujus Dionysii nomine, sed autor horum scriptorum satis ostendit se serius vixisse. Notemus, ex omni turba immorigerorum, Deum ubique per præconium Pauli & servorum suorum, aliquas reliquias sanctificasse. Verbum enim Dei non debuit redire frustra. confer Actor. 14: 1. 21. 13: 48. 16: 14. 33. 34. 17: 4. 12.

§. 149. Ex Athenis migravit Paulus εἰς Κόρινθον Act. 18: vers. 1. *Corinthus* Achajæ metropolis, *Græciæ decus* ac *lumen.* Habuit arcem editam, antiquo nomine dictam *Acrocorinthus*; unde proverbium, οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ᾽ ὁ πλοῦς. *Non est cujuslibet Corinthum appellere*, seu ut habet Horatius in epist. *Non cuivis homini contingit adire Corinthum.* Corinthii nomine οἰνοφλυγίας malè olim audierunt. Ibi commodè *invenit* Paulus *Iudæum*, nomine *Aquilam & Priscillam uxorem ejus. Venerant nuperè ex Italia*, ob edictum Claudii Actor. 18: vers. 2. cujus etiam mentionem facit Suetonius in vita Claudii; dicens *Claudium Iudæos Romæ degentes, impulsore Christo assidue tumultuantes, Roma expulisse.* Ethnicus homo rebelles Judæos cum Christianis miscuit. Paulus *mansit cum illis*; quia erat ὁμότεχνος; & *operatus est.* καὶ εἰργάζετο Actor. 18: vers. 3. voluit, quantum potuit, ἀδάπανον τιθέναι τὸ εὐαγγέλιον. 1 Cor. 9: vers. 18. confer Actor. 26: vers. 33. 34. *non cupivi argentum, aut aurum, aut vestimentum. Necessitatibus meis & illorum, qui mecum, ministrarunt manus hæ.* 1 Cor. 4: vers. 12. *& laboramus, operantes propriis manibus.* Neque ergo tantùm Paulus studiis operam in juventute addixerat, sed & opificium didicerat; ut simul esset literatus, simul opificiarius, nimirum σκηνοποιός. Actor. 18: 3. In usu fuit Judæorum sapientibus, artificium aliquod ut addiscerent & exercerent, ne alios gravarent. In Juchasin dicitur, *Plerique sapientes alicujus artificii erant, ne utilitatem caperent ab aliis.* Ab eo quandoque cognominabantur. Rabbi Josæ erat מעבר עורות *confector pellium*; Rabbi Nahum הלבלר *librarius.* Rabbi Meir סופר *scriba.* Rabbi Jochanan סנדלר *calcearius*, sutor; Rabbi

In Corinthum.

Rabbi Juda נחתום *Pistor.* Neque tamen Paulus Euangelii fuit neglectior; sed *διελέγετο κατὰ πᾶν σάββατον in Synagoga*, & *persuasit* seu duxit in suas partes, *Judæos & Græcos.* Actor. 18: 4. In Corintho baptizavit sua manu Apostolus *Crispum*, & *Gajum*, & *Stephanæ domum* 1 Cor. 1: 14. 16. *Achajæ primitias.* 1 Cor. 16: 15. Crispus fuit ἀρχισυνάγωγος. Act. 18: 8.

§. 150. Sed & ibi habuit Paulus è Judæis ἀντιτασσομένους & βλασφημοῦντας. Actor. 18: vers. 6. *In visione nocturna* dixit *Dominus Paulo*; *Ne time, loquere, & ne tace. Nam ego tecum* &c: *Populus est mihi multus in civitate hac.* Actor. 18: 9. 10. Igitur *sedit* ibi *unum annum & sex menses.* vers. 11. A Judæis ad *Gallionis* præsidis tribunal ductus & accusatus, à Gallione dimissus est. lege Actor. 18: 14. 15. 16. Hac occasione *Sostenes* à Judæis vapulavit. ibid. vers. 17. *Gallio* hic etiam *Novatus* dictus Lucii Annæi Senecæ frater major natu fuit; unde & *Dominum* cum Seneca dixit, notante Lipsio, *illud mihi in ore erat Domini mei Gallionis, qui cum in Achaja febrem habere cœpisset, protinus navem ascendit, clamitans, non corporis esse, sed loci morbum.* Dio narrat illum irrisisse Claudii Cæsaris ἀποθέωσιν, & unco cum in cœlum raptum, per ludibrium dixisse.

Inde in Ephesum, Hierosolymam: denique reversus in Antiochiam.

§. 151. Post turbas has adhuc *mansit* Paulus ἡμέρας ἱκανὰς in Corintho. Inde *in Syriam* navigavit, unà cum *Priscilla & Aquila*, Actor. 18: 18. & in *Ephesum* venit vers. 19. inde mox ἀνήχθη *abscessit* vers. 21. pollicitus se rediturum. *Festum* imminebat, id *omnino agere constituerat in Hierosolyma.* ibid. Relicta Epheso *venit in Cæsaream*, & ἀναβὰς *ascendens* inde, Hierosolymam nimirum; unde peractis rebus sacris, *Ecclesia salutata, rursum descendit in Antiochiam* Actor. cap. 18: vers. 22. antiquam suam sedem, unde exierat, παραδοθεὶς τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν. Actor. cap. 15: vers. 40.

§. 152. Et hæc fuit secunda Pauli in gentes expeditio; feliciter cœpta, feliciter absoluta: multo tamen cum labore & angustia. Philippis crudeliter fustigatus; è Thessalonica à Judæis expulsus; etiam è Berœa. Athenis ductus in Areopagum, in Corintho raptus ad Tribunal; ubique tamen opus Dei perfecit, & triumphum de mundo obtinuit. In Philippis Lydiam lucratus est, & τὸν δεσμοφύλακα. Spiritum è puella fatidica ejecit. In Thessalonica *magnam multitudinem* ad fidem adduxit. Non pauciores in Berœa. Athenis Areopagitam. In Corintho λαὸν πολύν. Observetur etiam quartum illius iter in Hierosolymam. Primum, triennio à conversione. Secundum, cum collecta Antiochena. Tertium, ad Concilium Hierosolymitanum. Quartum, hoc. Sed de hoc paucissima habemus in sacris literis; ut & de festo, quod Hierosolymis tunc actum fuit. Ideò & ἐπέχομεν.

Tertia expeditio Pauli in gentes.

§. 153. Cum egisset χρόνον τινὰ in Antiochia *rursum exivit* Act. 18: 23. & tertiam quasi in gentes suscepit expeditionem. Transiit *Galaticam regionem & Phrygiam* Act. cap. 18: vers. 23. ἐπιστηρίζων πάντας τοὺς μαθητάς. ibid. Cum in expeditione secunda ibi transiret, *cohibuit Spiritus S.* illum, ne *loqueretur sermonem.* Actor. 16: 6. Nunc non fuit cohibitus. Benevolentia ingenti à Galatis exceptus est, Galat. 4: vers. 14. 15. *ut Angelum Dei, ut Christum Jesum me excepistis. Si possibile oculos vestros effossos dedissetis mihi. Ecclesiis Galatiæ præcepit* περὶ τῆς λογίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους *de collecta in pauperes.* 1 Cor. 16: 1. 2.

Apollos.

§. 154. Interea Ephesum venit, *Iudæus*, quidam *Alexandrinus*, *Apollos*, ἀνὴρ λόγιος *vir eloquens.* (Hezychius. ὁ τῆς ἱστορίας ἔμπειρος, πεπαιδευμένος *historiarum peritus, erudi-*

eruditus.) potens in Scripturis, institutus in via Domini; sciens tantùm baptisma Ioannis. Act. 18:25. Ita discipulos Johannes ad Christum Dominum duxit. Hic *locutus est, & docuit* ἀκριβῶς *accurate* τὰ περὶ τοῦ κυρίου. Ab Aquila & Priscilla plenius informatus, vers. 25.26. cum commendatione ecclesiæ in *Achajam* profectus est; ubi *multum contulit* ædificationis *credentibus* διὰ τῆς χάριτος, & *Christi* causam seriò egit. Act. 18:27.28. venit & in *Corinthum* Act. 19:1. ubi magnam autoritatem adeptus est. confer 1 Cor. 1:12. 3:4.5.6. 1 Cor. 16:12. Tit. 3:13.

§.155. Ut promisit Paulus, ita fecit. Rediit *Ephesum.* Actor. 19:1. Ephesus urbs fuit omnium Jonicarum clarissima, condita ab Amazonibus. Justin. libr. II. Plin. libr. v. cap. 29. Habuit opulentissimum & celeberrimum templum Dianæ, mundi miraculum, & *Græca magnificentiæ admirationem*, ut Plinii utar verbis, ducentis id annis à tota Asia conditum fuit, juxta illud asylum libertatis fuit; ab Alexandro Magno structum, ab Augusto destructum: quod impunitate proposita multorum libido ad scelera *perpetranda* invitaretur. Ephesii fuerunt luxuriosi ac nequam, quos ita describit Heraclius apud Strabonem lib. xiv. *Digni sunt Ephesii, qui ad puerum usque omnes strangulentur, qui Hermodorum vivum inter ipsos frugi ejecerunt*, addito, NEMO NOSTRUM FRUGI ESTO, AUT ALIBI ID ESTO & INTER ALIOS. Ephesus.

§.156. Paulus Ephesi *invenit discipulos quosdam*, Actor. 19:1. ὡσεὶ δεκαδύο. vers. 7. *baptizatos in Ioannis baptisma*; quique *nondum audiverant*, *Spiritum Sanctum* esse Actor. 19:2. 3. Illis Paulus *imposuit manus*, *& venit Spiritus S. super illos*, *& locuti sunt linguis*, *& prophetarunt* Actor. cap. 19:6. Ergo etiamnum dona Spiritus extraordinaria vigebant. Acta Pauli in Epheso.

§.157. Ut porro vixerit Paulus Ephesi ipse pluribus narrat Actor. 20:18.19.20.21.22.27.31. *Triennium diem & noctem non cessavi cum lacrymis monere unumquemque vestrum, non subduxi me, quo minus annunciarem vobis omne consilium Dei*, δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκους, *serviens Domino cum omni humilitate*, *& multis lacrymis & tentationibus, quæ evenerunt mihi* ἐν ταῖς ἐπιβουλαῖς τῶν Ἰουδαίων *in Iudæorum insidiis*. A quibus, quum non desinerent κακολογεῖν, σκληρύνεσθαι, καὶ ἀπειθεῖν tandem *se separavit*, nec amplius in Synagoga illorum docuit, sed *per integrum biennium* prædicavit ἐν τῇ σχολῇ τυράννου τινὸς *in schola Tyranni cujusdam*, ubi *tota Asia sermonem Domini Iesu audivit.* Actor. 19:8.9.10. Multi putant τὸ τυράννου esse nomen proprium viri cujusdam. Syrus. *In schola viri, cui nomen erat Tyrannus.* Æthiopicus vertit, *coram prætorio & præsidibus.* Putat σχολὴν τυράννου fuisse prætorium, ubi præsides convenirent apud summum scilicet Tyrannum & urbis præsidem, σχολή Rabbinis dicitur אסכלא, & interpretantur locum, ubi docentur pueri.

§.158. Maximas δυνάμεις fecit Dominus Ephesi *per manus* Pauli. *Ad ægrotos sudaria deferebantur à corpore ejus*, & *liberabantur à morbis*; imò & *Spiritus maligni expellebantur.* Act. 19:11.12. *umbra* Petri sanavit multos, nunc & *sudaria* Pauli Act. 5:15. Volebant Judæi quidam *exorcistæ* etiam in *nomine Iesu dæmonia* expellere. Sed miserè ab *obsessis excepti* sunt. Act. 19:13–18.

§.159. Multi *Ephesiorum*, qui *crediderant*, *venerunt confitentes & nunciantes* τὰς πράξεις αὐτῶν *acta sua.* Actor. 19:ṿ.18. ad quæ verba ita Beza, *publicè igitur isti metu divini judicii perterriti, errata sua professi ac detestati sunt. Sed quorsum hoc ad carnificinam illam confessionis, quam auricularem vocant?* Multi quoque τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, *qui curiosa exercuerant*; (putant nonnulli indicari nigromantiam.

 tur-

turpesque incantationes & magica præstigia; quibus Ephesii nimium quantum addicti fuerant) *attulerunt libros*, in quibus turpium præcepta habebant artium, & *combusserunt*. Deinde & *τιμὰς αὐτῶν*, *pretium* τῶν περιέργων, quod exercendis olim malis illis artibus acquisiverant, *supputarunt*, & *magnam* nummorum summam *invenerunt*. Act. 19:19. Ita *sermo Dei*, κατὰ κράτος ηὔξανε καὶ ἴσχυεν. vers. 20.

§. 160. Magnum *tumultum* Demetrius ἀργυροκόπος *argentarius faber* excitavit Paulo; eo quod docuerat, *non esse Deos, qui per manus facti sunt*. Act. 19:26. Ita putabat & *quæstus* suo decessurum, & *gloriæ magnæ Deæ* Ἀρτέμιδος *Dianæ*, cujus *templum* ibi erat. lege Act. 19:24-40. In hoc periculo magnam illi opem videntur tulisse, *Aquila & Priscilla*. Rom. 16:3.4. *Pro anima mea cervicem suam supposuerunt, quibus non ego solus gratias ago, sed & omnes Ecclesiæ gentium*. Sedato tumultu Paulus *valedixit discipulis*, & *profectus est in Macedoniam*. Act. 20:1.

§. 161. Macedones, intellige, Philippenses, Thessalonicenses, Beroënses, *multo sermone hortatus*, secessit εἰς τὴν Ἑλλάδα *in Græciam* Act. 20:2. ubi *insidiis* Judæorum detectis, abiens, rursum per *Macedoniam* reversus, venit εἰς Τρῳάδα. Act. 20:3-6. confer Act. 16:8.9. Ibi *prima Sabbatorum*, qui nobis est dies dominicus *congregatis discipulis* τοῦ κλάσαι ἄρτον (NB. hic jam videtur dies Dominicus fuisse institutus) Paulus concionatus est; cumque longius sermonem extenderet, *Eutychus juvenis*, somno abreptus, de superiore contignatione *cecidit*, ἐ ἤρθη νεκρός, à Paulo in vitam revocatus est, Act. 20:7-12. Denique composuit se rursum Paulus ad iter Hierosolymitanum, *festinabat, si possibile esset ipsi, die Pentecostes esse in Hierosolyma*. Act. 20:16. *Mileto* misit in Ephesum, & *ecclesiæ illius* πρεσβυτέρους *seniores* (confer Act. 14:23.) ad se *evocavit*. Act. 20:17. Quibus exposuit, *se vinctum Spiritu, tendere in Ierusalem, nec scire, quæ ipsi sibi eventura essent*. vers. 22. *Spiritum S.* testatum esse de *vinculis & angustiis* vers. 22. id se non curare, nec *animam suam habere pretiosam sibi*. vers. 24. Dixit illis; *novi, quod non amplius videbitis faciem meam vos omnes*. vers. 25. Monuit, *cavete vobis & toti gregi, in quo vos Spiritus S. posuit* ἐπισκόπους. vers. 28. (NB. Presbyteri sunt Episcopi) imò & vaticinatus est, *venturos in ipsos lupos graves* vers. 29. *surrecturos ex illis viros loquentes perversa* vers. 30. Denique *commendavit illos Deo & verbo gratiæ ejus*: vers. 32. & ita *precibus* fusis vers. 36. multisque lacrimis, illos dimisit. vers. 37:38. Itinere longius instituto Act. 21:1--3. venit Paulus in *Tyrum*. Ibi *dixerunt ipsi quidam discipuli per Spiritum*, μὴ ἀναβαίνειν εἰς Ἱερουσαλήμ Act. 21:℣.4. Inde *in Cæsaream*, ubi divertit apud *Philippum Evangelistam*. Actor. 20:℣.8.9. Illuc venit Propheta *Agabus*, & *vincula* Hierosolymitana injicienda Paulo prænunciavit, vers. 10.11. Nil territus Paulus protestatus est, se ἑτοίμως ἔχειν *mori pro nomine Domini Iesu*. vers. 13. Venit tandem in Hierosolymam, ἀσμένως *lubenter* exceptus à *fratribus*. Actor. 20: vers. 15.16.17. Ita nunc quinta vice intravit in Hierosolymam, & θλίψεις prædictas sustinuit, ac vincula subiit. Tantæ fortitudinis pectus habuit, ut sciens volensque persecutoribus suis se exposuerit, Servatorem suum imitatus; qui sponte se in manus illorum conjecerat. Joh. 18:4.8.

Paulus rursum ascendit Hierosolymam.

Acta in Hierosolyma.

§. 162. *Postero* die visitavit Paulus *Iacobum*, fratrem Domini; ubi omnes adfuerunt πρεσβύτεροι, narravit acta sua in gentibus. Actor. 21:18.19. Illi autem narrant, inter *fideles* Judæorum, *Zelotas legis* famam increbuisse, Paulum docere *Iudæos*, qui in gentibus habitabant, *apostasiam à Mose*. Quare suadent, ut publicè in templo contrarium exhibeat testimonium. Actor. cap. 21: vers. 20--24. Id non præjudicare decreto gentibus misso vers, 25. Paulus, ut *Iudæos lucraretur* 1 Cor. 9:20. assensus est. Act. 21:26.

sed

ſed viſus in templo à Judæis Aſiaticis ingens in illum excitatus eſt tumultus. Act. 21: 27-31. ad quem ſedandum advolavit *Claudius Lyſias*, Romanorum *Chiliarchus*; qui Paulum *acceptum* duxit εἰς τὴν παρεμβολὴν *in caſtrum* vers. 31 -- 34. hoc eſt, in arcem Antoniam, quam præſidio tenebant Romani; quæque in edito collocata fuit, è qua videri poterat, quid in urbe Hieroſolyma ageretur. Chiliarchus rogavit Paulum, numquid eſſet *Ægyptius* ille, qui nuperè ſeditionem excitaverat. vers. 37. de quo vide Joſeph. ἀρχαιολογ. libr. 20. cap. 9. & ἁλώσ. libr. 2. cap. 12. Paulus negans, veniam petiit & accepit, ut de gradibus caſtri loqueretur ad populum, id quod fecit ἑβραΐδι διαλέκτῳ. Actor. cap. 21: ṽ. 39. 40. 22: 2.

§. 163. Illo ſermone, in quo *ortum* ſuum, converſationem ſuam in Judaiſmo, mirabilem converſionem, Domini & in via ad Damaſcum, & in Hieruſalem apparitionem, aliaque expoſuit, parum promovit. Act. 22: 1 -- 23. & parum abfuit quin juſſu Chiliarchi *flagellis* examinaretur. verſ. 24-29. Poſtridie advocato *Synedrio* ſiſtitur ibi Paulus vers. 30. Rurſum eximiè peroravit. Sed tumultu oborto concio deſiit Act. 23: 1 -- 10. Proxima nocte, viſus eſt illi *Dominus*, dicens, Θάρσει παῦλε. *Oportet te & in Roma de me teſtari.* verſ. 11. Cumque Chiliarchus de inſidiis in Paulum factis audiviſſet, miſit illum una cùm literis in *Cæſaream* ad *Præſidem Felicem*. Act. 23: 12 -- 35.

§. 164. Paulo poſt Judæi de Hieroſolyma ſolemniter adſunt, & vehementer coram Felice Paulum accuſant Actor. 24: 1 -- 9. Sed defendit ſe cordate vers. 10 -- 21. adeo ut Præſes ſententiam differret. vers. 22. & interea juberet, Paulum leniter in cuſtodia haberi. vers. 23. ſubinde etiam præſes, cujus uxor *Druſilla*, *Iudæa* erat, ſoror Agrippæ Regis, quæ priorem maritum *Azizum*, Emeſinorum Regem repudiaverat, ut *Felici* nuberet, Paulum accerſivit; ut *audiret illum de fide in Chriſtum*. vers 24. ſed territus fuit doctrina de *juſtitia*, & *continentia*, & *futuro judicio*. vers. 25. Felix *biennio integro* in vinculis tenuit Paulum; & cum *Porcius Feſtus* in provincia ſuccederet, in gratiam Judæorum *vinctum reliquit*. Act. 24: 27.

§. 165. Nil ſegnius Judæi adverſarii coram Feſto Paulum incuſant. Act. 25: 1 -- 7. Paulus eo neceſſitatis adactus fuit, ut *ad Cæſarem provocaret*. vers. 8 -- 12. id quod Feſtus renuere haut auſus fuit. Per idem tempus venit *Agrippa Rex* filius illius *Herodis*, de quo Act. 12. cum *Bernice* ſorore, *ſalutaturus* Feſtum. Act. 25: 13. Etiam coram illo, præſente Feſto, Paulus divinè concionatus eſt. Act. 26: 1 -- 23. Feſtus quidem, *magnâ voce* clamavit, *inſanis Paule, literæ tuæ inſanire te faciunt*. vers. 24. Agrippa autem ingenuè confeſſus, ἐν ὀλίγῳ με πείθεις χριστιανὸν γενέσθαι. Act. 26: 28. uterque judicavit, *nil dignum morte aut vinculis* à Paulo commiſſum, &c. Act. 26: 31. 32.

§. 166. Et hæc ſunt, quæ paſſus eſt Paulus in Hieroſolymis, prædicta à *Spiritu* Actor. 20: 23. à diſcipulis Tyriis. Actor. 21: 4. à Propheta *Agabo*. ibidem. vers. 10. 11. Verbera tulit Actor. 21: 32. 23: vers. 2. flagellis ut cæderetur propè fuit Actor. 22: 25. conjurationem in vitam ſuam evaſit Actor. 23: 24. graviter accuſatus, ſed nullius criminis convictus Act. 24: 13. 25: 7. Eximiis Apologiis cauſam veritatis heroicè defendit. Primò de gradibus caſtri Actor. 22: 1 -- 22. dein coram Synedrio audiente chiliarcho Actor. 23: 1 -- 6. Poſtea Cæſareæ, præſidente *Felice* Act. 24: 10 -- 21. Rurſum ibi præſidente *Feſto* Actor. 25: ṽ. 10. 11. Et nunc denique coram Agrippa Rege. Mediis in vinculis adfuit illi Deus. Act. 23: 11. nec animus defuit Paulo, ut reſponderet fortiter adverſariis; nec prudentia, ut technas illorum evaderet; nec ſapientia, ut crimina objecta ſolidè refutaret. Gratiam invenit coram judicibus & captivatoribus ſuis. Lyſias è præſentiſſimo periculo illum bis eripuit. Act. 21: 31.

21:31.32. 23:23.24. nec flagella, quæ volebat, illi dedit. Act.22:29. Sub Felice tolerabilem habuit custodiam, & quasi in vinculis libertatem Act.24:23. Ab ipsis Judicibus innocens pronunciatus, à *Felice* primum, dein à *Festo*, denique & ab *Agrippa* Rege.

Paulus mittitur Romam. §. 167. Mittendus ad Cæsarem Paulus in navem cogitur, difficillima fuit navigatio, periculorum plena & discriminum. lege Act. 27. In hoc itinere observabis 1. Apparitionem Angeli, qui dixit Paulo, *ne time, Cæsari te oportet sisti. Et ecce donavit tibi Dominus omnes qui in navi tecum* Actor. 27: 23. 24. 2. Pauli vaticinia vers. 26. dicit, *in insulam oportet nos appellere.* Nautarum consilium de fuga detexit. vers. 30. 31. *Nemini vestrum capillus de capite cadet.* ℣. 34. confer vers. 44. 3. Pauli miracula. Viperam de manu sua excussit, nec veneno ejus infectus fuit. Act. 28: 3 – 7. *Poplii* Patrem à *febribus* & *dysenteria* curavit. Actor. 28: vers. 8. deinde & multos alios *infirmitatibus* obnoxios sanavit. ibidem vers. 9.

Acta Romæ. §. 168. *Romæ* à fratribus obviam venientibus exceptus est. Ita *gratias agens Deo*, ἔλαβε θάρσος. Act.28:15. *Præfectus prætorio* permisit, ut Paulus *maneret seorsim, cum uno milite custode.* vers. 16. Judæorum πρώτοις occasionem vinculorum exposuit. vers. 17 -- 20. deinde concionatus est coram illis in *diversorio* suo de *regno Dei*, de *Iesu*, è *Mose* & *prophetis* (secundùm consuetudinem suam Act.26:22.23. 17:2.3.) Audientium οἱ μὲν ἐπείθοντο τοῖς λεγομένοις, οἱ δὲ ἠπίστουν Act.28:23.24. Ita in omnibus Pauli concionibus factum. Fides enim non est omnium. Infidelitatem illorum ex *Esaia* redarguit. vers. 25 -- 27. confer Matth. 13:14.15. Joh. 12:37.39.40. Et ita tandem conclusit, *Notum igitur sit vobis, quod gentibus missum est salutare Dei. Illi & audient.* Act.28:28. confer Act. 13:46. 18:6. Mansit Paulus *integrum biennium Romæ in condicto proprio, prædicans Regnum Dei, & docens de Jesu Christo, cum omni parrhesia,* ἀκωλύτως. Act. 28: 30. 31. Ita factum ipsi, quod sæpe habuerat in votis. Rom. cap. 1: ℣. 15. τὸ κατ᾽ ἐμὲ πρόθυμον καὶ ὑμῖν τοῖς ἐν ῥώμῃ εὐαγγελίσασθαι.

§. 169. Et hic quidem historia à Luca scripta desinit; necdum tamen Apostolorum acta desinunt, quæ proinde ex ipsis Apostolorum scriptis, & fide dignis ἱστορίαις addenda & describenda sunt.

Jacobi fratris Domini Martyrium. §. 170. Per hoc tempus *Iacobus Apostolus*, frater Domini supplicium subiit. Ananias Pontifex, è secta Sadducæorum, illum, aliosque quosdam impietatis accusatos lapidandos tradidit. Joseph. ἀρχαιολ. libr. xx. cap. 8. Ananias, inquit, (quem ita describit, θρασὺς ἦν τὸν τρόπον, καὶ τολμητὴς διαφερόντως; αἵρεσιν δὲ μετῄει, τὴν σαδδουκαίων) καθίζει συνέδριον κριτῶν, καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ, τοῦ λεγομένου χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἑτέρους, ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος, παρέδωκε ἐπιλιτοθησομένους, ὅσοι δὲ ἐδόκουν ἐπιεικέστατοι τῶν κατὰ τὴν πόλιν εἶναι, καὶ περὶ τοὺς νόμους ἀκριβεῖς, βαρέως ἤνεγκαν ἐπὶ τούτῳ, hoc est, *Ananias coacto Iudicum conventu, & adducto illuc fratre Iesu Christi, Iacobo, & quibusdam aliis; quos incusavit de commissa iniquitate, tradidit illos lapidandos. Qui autem in civitate videbantur æquitatis amantissimi; & circa leges accurati, graviter id tulerunt.* Ananias brevi functus est Pontificatu. Quod enim hanc sibi arrogasset potestatem, elapsis tribus pontificatus mensibus, à Rege Agrippa, qui Paulum apud Festum audiverat, depositus est.

§. 271. Paulus Romæ dum in vinculis commoratus est, à sanctis & exteris ecclesiis sæpè refectus est. *Onephorus* ἐν ῥώμῃ γενόμενος, *quæsivit* Paulum *diligentius, & invenit*; & sine dubio, ut antea, illum ἀνέψυξε, quare & precatur; *Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino, in illo die.* 2 Timoth. cap. 1: vers. 16. 17. 18.

Phi-

Philippenses Epaphroditum cum donis miserunt; Phil. 4: 18. δεξάμενος παρὰ Ἐπαφροδίτου τὰ παρ' ὑμῶν ὀσμὴν εὐωδίας, θυσίαν δεκτὴν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ. *Onesimum*, servum Philemonis, Paulus πρεσβύτης in his suis *vinculis* videtur *genuisse*. Philem. vers. 9. 10. Quæ autem circa Pauli personam evenerunt, μᾶλλον εἰς προκοπὴν τοῦ εὐαγγελίου ἐλήλυθεν; *adeo ut vincula ejus in Christo manifesta exstiterint toti Prætorio & reliquis omnibus* Phil. 1: 12. 13. nam & *è Cæsaris domo* exstiterunt *sancti*, & amici sanctorum. Phil. 4: 22. A Cæsare enim missus in carcerem, notior familiæ ejus factus, persecutoris domum Christi fecit ecclesiam. Hieron. comment. in epist. ad Philemonem.

§. 172. Expleto biennio, quo ut diximus in libera custodia egit Romæ, Paulus in Asiam inde navigasse, & Colossis hospitio à Philemone exceptus fuisse videtur. Philem. vers. 22. ἑτοίμαζέ μοι ξενίαν, ἐλπίζω γὰρ, ὅτι διὰ τῶν προσευχῶν ὑμῶν χαρισθήσομαι ὑμῖν. In Creta insula videtur Paulus post liberationem Euangelium prædicasse, ubi Titum reliquit, ut *reliqua curaret, & presbyteros in civitatibus constitueret.* Etiam videtur fuisse in Epheso, & inde relicto ibi Timotheo, profectus in *Macedoniam* 1 Tim. 1: 3. In *Macedonia* antem apud *Philippenses* permansit. Phil. 1: 15. 26. *Et id confisus novi, quod manebo & unà manebo vobiscum, ut gloriatio vestra abundet, per adventum meum ad vos.* confer Phil. 2: vers. 24. *Confido in Domino*, ὅτι καὶ αὐτὸς ταχέως ἐλεύσομαι. **Paulus expleto biennio è vinculis liberatur.**

§. 173. Per hoc tempus *Nero* Romam incendit, *lætusque flammæ*, ut ajebat, *pulchritudine* incendium è turri Mæcenatiana prospectavit. Abolendo huic rumori incusavit Christianos, quos exquisitissimis pœnis affecit. Nonnullos tæda, papyro, & cera supervestivit, & sic ad ignem admoveri jussit. Hæc prima fuit persecutio Christianis excitata à Romanis Imperatoribus. Sueton. in Nerone cap. 16. *Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ.* Tertull. in Apologet. cap. 5. *Consulite commentarios, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur, qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum.* **Persecutio Christianorum Romæ sub Nerone.**

§. 174. Paulus secunda vice Romam venit, & à Nerone auditus ac rursum absolutus est, de eo ipse ita 2 Timoth. 4: 16. 17. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit. Sed omnes me dereliquerunt. Ne illis imputetur. Dominus autem mihi adstitit, & corroboravit me; ut per me præconium certioraretur, & audirent omnes gentes. Et liberatus sum ex ore Leonis*, hoc est, Neronis. **Paulus secunda vice Romam venit.**

§. 175. Apostoli non *voce* tantùm docuerunt præsentes, sed & *Scriptura* absentes. *Igitur fratres, state & tenete traditiones quas docti estis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*, 2 Thessal. 2: vers. 15. Scripsit Paulus; scripsit Petrus, etiam Jacobus, etiam Johannes, etiam Judas. Solus Paulus plus scripsit reliquis omnibus. Epistolæ Paulinæ sunt missæ certis ecclesiis; velut Romanis, Corinthiis, Galatis, &c. tamen Catholica & universalis inde ædificata est ecclesia, quæ Romanos docuit de justitia ex fide; Corinthios de concordia, unitate, & resurrectione; Galatas de Christiana libertate; illa omnes & singulæ ecclesiæ, per totum orbem terrarum, tenere, sequi, credere tenentur. Quædam etiam particularibus scriptæ sunt personis; velut illæ ad Timotheum, Titum, Philemonem; sed & doctrina in illis contenta, universalis est; necessaria scitu omnibus. Non sunt ergo particulares epistolæ Paulinæ, sed & universales. Epistolæ autem aliorum Apostolorum pluribus simul ecclesiis missæ & inscriptæ sunt. Jacobus scripsit *duodecim tribubus*. Jacob. cap. 1 vers. 1. Petrus *electis advenis* **Apostolorum scripta.**

dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bithyniæ. 1 Petr. 1: vers. 1. *Omnibus ejusdem pretii fidem sortitus.* 2 Petr. 1: vers. 1. Judas *Iis*, qui in *Deo Patre sanctificati, & Jesu Christo servati sunt.* vers. 1. Prima Johannis caret inscriptione. Secunda inscripta est ἐκλεκτῇ κυρίᾳ vers. 1. Tertia γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ vers. 1. Omnes tres tamen dicuntur *Catholicæ.* Argumenta harum epistolarum enarrare, & præstantiam ac utilitatem commendare, hujus nec loci, nec argumenti est. Scripsit etiam Johannes librum, cui titulus *Apocalypsis*, de quo libro Sulpicius Severus libr. 2. cap. 45. *In Pathmo Johannes arcanis sibi mysteriis revelatis, librum sacræ Apocalypsis (qui quidem a plerisque aut stultè, aut impie non recipitur) conscriptum edidit.* Idem etiam scripsit *historiam* Christi, quæ dicitur *Euangelium*; rogatus, ut fertur, ab Episcopis Asiæ, ad retundendam hæresin Ebionis & Cerinthi. Jejunium dicitur indixisse, pro felici successu, antequam ad scribendum se adjungeret. Præterea tres alii historiam Euangelicam conscripserunt; Matthæus, Marcus, Lucas; qui idem & Actorum Autor est Apostolicorum, ut liquet è collatione Luc. 1: vers. 3. Actor. 1: 1. Circumferuntur etiam alia quædam scripta, sub nomine Barnabæ, Thomæ; etiam epistola ad Laodicenses, sub nomine Pauli, sed illa omnia suo se satis produnt charactere.

§. 176. Per hæc scripta doctrina Euangelistarum & Apostolorum etiam ad nos pervenit, quæ loquuti sunt, non audivimus nos; quæ scripserunt, etiam legere possumus nos & meditari. Imò ita fit, ut cottidie illos quasi audiamus loquentes nobis. Non locuti sunt alia; nec scripserunt alia; sed quæ locuti sunt, scripserunt; & quæ scripserunt, locuti sunt. Habitet ergo verbum hoc Dei copiosè in nobis; & gratias agamus Deo pro thesauro tanto.

Compendiosa dictorum repetitio.

§. 177. Et hæc quidem de actis Apostolorum dicere habuimus è Scripturis sacris; quæ quia prolixiora sunt, ut uno quasi intuitu complecti illa queas, age contrahamus illa in compendium, & summatim rursum enarremus.

§. 178. Apostolorum numerus per electionem Matthiæ, post ascensionem Christi, completus rursum & redintegratus est. Ex Apostolis omnium primus obiit *Iacobus* Zebedæi, ab Herode interfectus. In ejus quasi locum successit *Saulus*, à Christo ipso, non per hominem electus, & è pertinace Pharisæo subitò Christianus factus. In Apostolos effusus est Spiritus Sanctus, ut in illis esset Spiritus gratiæ, consolationis & libertatis; & Spiritus donorum extraordinariorum, qualia sunt dona linguarum, miraculorum, vaticiniorum. Ita datus est illis οὐκ ἐκ μέτρου. Apostolis frequentes fuere *visiones* & somnia, ac revelationes, tum Dei, tum Christi, tum Angelorum. Angelus eduxit Apostolos è carcere, Act. 5: 19. & rursum Petrum. Actor. 12: 7. 8. Petrus in ecstasi vidit cœlos apertos, vas descendens, audivit vocem. Actor. 10: 10. 11. Saulo in via Damascena visus est Jesus. Actor. 9: 3. 4. In *visione* vidit Ananiam ad se venientem. 9: 12. raptus est in tertium cœlum. 2 Cor. 12. In visione visus est illi *vir Macedo* Actor. 16: 9. In Corintho per *visionem* dixit illi Dominus, *Ne time, loquere.* Actor. 18: 9. Imò & in castro Hierosolymitano. Actor. 23: 11. Imò & in navi, quum mitteretur vinctus in Italiam. Actor. 27: 23. 24. Etiam in *templo* exstitit ἐν ἐκστάσει. Actor. 22: 17. Per *manus* Apostolorum plurima *signa & miracula* facta sunt. Actor. 2: 43. 5: 12. 14: 3. 19: 11. Ita placuit Deo ad convictionem pertinacium, confusionem infidelium, confirmationem credentium. Paucissima ex illis scripta sunt & in divinas relata literas; nam mundus libros non caperet. Pauca Petri & Pauli notata. Petrus *claudo* usum dedit pedum. Actor. 4: 6. 7. Ananiæ tectam exprobravit fraudem, & subitam nunciavit mortem. Actor. 5. Æneam Paralyticum sanavit Act. 9: 33. 34. Dorcam mortuam

tuam resuscitavit, Actor. 9: 40. plurimos ægrotos & obsessos curavit, Actor. 5: 16. etiam quos *umbra* ejus tantùm tetigisset. vers. 15. Paulus Elymam Magum cœcitate percussit Actor. 13: 11. Claudum in Lystris ire fecit, Actor. 14: 8. 9. super quos ægrotos sudaria ejus & simicinthia ponebantur, illi reconvaluerunt. Act. 19: 12. Eutychum in vitam revocavit. Act. 20: 12. Spiritum impurum è puella fatidica expulit, Act. 16: 18. ipse illæsus à viperæ dente mansit. Act. 28: 5. 6. Poplii parentem à febribus liberavit; & alios plures insulanos ab infirmitatibus. Act. 28: 8. 9. Fuit Deus mirabiliter cum Apostolis. Hierosolymis, ubi erant orantes, *quatitur locus* Act. 4: 31. In carcere, ubi Paulus & Silas, quatiuntur τὰ θεμέλια τοῦ δεσμωτηρίου, Act. 16: 26. janua ferrea carceris sponte se Petro aperuit. Act. 12: 10. Apostoli fuerunt viri magni Spiritus, impleti prudentia, sapientia, zelo. Prudentia & sapientia apparuit in rebus gestis, & in sermonibus habitis coràm Synedriis, populis, gentibus, Regibus, tribunalibus. Zelus in corripiendis nequitiis. Ita Petrus Simonem Magum, Act. 8: 20. Paulus Barjesum acriter corripuit. Fortitudo in vinculis & passionibus. Cæsi erant à Sacerdotibus Apostoli, redeunt χαίροντες, quod digni essent habiti. Act. 5: 41. Judæis silentium de nomine Jesu illis imponentibus, heroico pectore & ore, respondent, *Deo decet obedire magis.* Act. 4: vers. 20. 5: 29. Paulus & Silas vehementer flagellati, canunt in carcere & laudant. Actor. 16: 25. Paulus non tantùm vinciri, sed & mori paratus erat. Act. 21: 13. Non timuerunt splendidas judicum suorum facies, veritatem confessi sunt intrepidè; vitia illis objecerunt perspicuè, & iniqua illorum mandata respuerunt constantissimè. Tot instructi donis fuerunt humillimi, & ab omni fastu & vanitate carnis longissimè remoti. Cornelio Petrus. *Et ego homo sum* Act. 10: 26. Gentibus in Lystris Paulus & Barnabas, *Viri quid facitis, homines sumus, vobis* ὁμοιοπαθεῖς. Actor. 14: 15. Paulus ita humilis fuit, ut & labore manuum se nutriverit. Actor. 18: 3. Nec liberi fuerunt ab humanis infirmitatibus. Inde Petri & Barnabæ ὑπόκρισις in Antiochia. Galat. 2. Pauli & Barnabæ παροξυσμὸς Act. 16: 39. Omnes ferè martyria subierunt, postquam in vita plurima pericula, plagas, cædes, expulsiones, & lapidationes pertulissent, & ita pluries quasi occisi & mortificati essent. Paulum in Lystris lapidatum, putabant τεθνάναι. Act. 14: 19.

§. 179. Etiam in initio Euangelii Spiritus aliis datus est ita mirabiliter. Nam & in festo Pentecostes super alios effusus est, quàm Apostolos. Stephanus plenus fidei & potentiæ *magna fecit signa & prodigia.* Actor. 6: 8. Philippus in Samaria. Actor. 8: 6. 13. Ananias Saulum cæcum fecit videre. Actor. 9: 17. 18. Super Cornelium, & qui ipsius, *cecidit Spiritus S. ut* super Apostolos *in initio.* Actor. 10: 44. 45. Agabus fuit *Propheta.* Act. 11: 28. 20: 10. 11. Etiam *filiæ* Philippi. Actor. 21: 9. Etiam duodecim viri in Epheso locuti sunt linguis & prophetarunt. Act. 19: 6. 7. Spiritus S. dabatur per impositionem manuum Apostolorum. Act. 8: 18. Act. 16: 6. Sæpe etiam ante impositionem; ut factum in Cornelio. Act. 10: 44. 11: 15.

§. 180. In collectione Ecclesiæ ita servitio ac ministerio Apostolorum Deus usus est; ut omnis laus soli Deo maneret; unde & notatur: *Et Dominus addebat, qui salvabantur, cottidie Ecclesiæ.* Act. 2: 47. Cum Petrus desiisset loqui in Pentecoste, *eodem statim die additæ sunt animæ ter mille.* Act. 2: 41. Cum audivissent sermonem Petri de claudo sanato, *Crediderunt multi, & fuit numerus virorum circiter quinque mille.* Act. 4: 4. *Cottidie magis* προσετίθεντο *credentes Domino,* πλήθη ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν Act. 5: 14. *Et sermo Dei crescebat, &* ἐπληθύνετο ὁ ἀριθμὸς τῶν μαθητῶν σφόδρα; imò & multi Sacerdotum *obedierunt fidei.* Act. 6: 7. Digitum divinum quis hîc non videt?

§. 181. In

§. 181. In Hierosolyma prima ecclesia collecta est, *ex omni gente*, quæ sub cœlo, tunc in Hierusalem agente; sed in Judaicam instituta religionem, Actor. 2: vers. 5. convertentibus μετάνοιαν prædicarunt Apostoli, & *baptizarunt* illos. Actor. 2: vers. 38. 3: 19. Jesum, & mortem illius, ac resurrectionem, μεγάλῃ δυνάμει nunciarunt. Actor. 2: vers. 23. 24. 36. 3: 13. 14. 15. 4: 33. Etiam *panem* illis fregerunt: hoc est, eucharistiam fecerunt illos celebrare. Actor. 2: 42. Etiam judicia quædam Dei, ut in Anania & Sapphira, & *Scevæ* filiis, timorem credentibus injecerunt & reverentiam. Actor. 2: vers. 43. 5: 5. 11. 19: 14 -- 17. Fuit primitiva illa ecclesia Hierosolymitana, quæ mater exstitit omnium ecclesiarum in toto mundo, quasi una magna domus & familia; cujus Patres, Apostoli; & sancti omnes fratres ac sorores inter sese. *Omnis multitudinis credentium* fuit *unum cor*, *una anima*. Nemo bona sua dicebat sibi *propria*, sed vendebant, qui habebant, & pretium Apostolis afferebant, qui inde necessaria cuivis distribuebant. Et *erant* omnia illis *communia*, Actor. 2: vers. 44. 4: 32. quæ salva nimirum honestate, charitate, ac sanctitate communia esse poterant, procul erant ab omni avaritia, πλεονεξίᾳ, quæstu, lucro. Communio illa bonorum tunc erat necessaria; ut qui bona habebant, non abstraherentur; & pauperes sublevarentur. In sola ecclesia primitiva hanc communionem tantum observo; in qua plurimi videntur fuisse pauperum; unde & tot collectæ aliunde allatæ sunt in illius subsidium. Ecclesiæ è gentibus collectæ non habuerunt illam communionem terrestrium bonorum. Tenebat quilibet sua, & dabant καθὼς ηὐπορεῖτό τις. Actor. 11: vers. 29. Omnis pecunia Hierosolymis ab initio ad Apostolos est delata, & ad illorum pedes posita. Actor. 4: vers. 35. Ita faciebat *Barnabas*. ibid. vers. 36. Ita *Ananias* & *Sapphira*, sed subdolè. Actor. cap. 5: vers. 2. Apostoli tamen planè fuerunt ἀφιλάργυροι. Petrus claudo, *Argentum & aurum non habeo* Actor. 3: vers. 6. Simoni Mago χρήματα offerenti. *Aurum tuum tecum sit in perditionem.* Actor. 8: vers. 20. Imò & paulò post petierunt à cura distribuendi argenti sublevari, & alios ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης constitui. Actor. 6: vers. 3. 4. Adeò procul ab iis fuit cor & mens proditoris Judæ. Porrò sancti, quibus cura nulla mundi, & περὶ τῶν βιωτικῶν erat, erant semper ἐπὶ τὸ αὐτὸ, perdurantes in *doctrina* Apostolorum, & *communione* & *precibus*; *laudantes Deum.* Actor. 2: 42. 46. *Templum*, Actor. 2: 46. *Porticus Salomonis* Actor. 5: 12. erat ordinarius illorum conventus. Cum edendum esset, ibant *domum*, & *sumebant cibum in hilaritate & simplicitate cordis.* Actor. 2: 46. Apostoli inserviérunt *mensis.* Actor. 6: 2. Sed cum hoc servitio impedirentur in ministerio *verbi*, electi sunt *septem*, quibus mensarum cura imposita. Actor. 6: 5. 6: Ita tunc Apostoli soli vacarunt præconio, quod tamen etiam hi septem viri curarunt, ut patet è *Stephano* & *Philippo.* Actor. 8: 5. Et, ut nihil in rebus perfectum humanis, initio lis quædam ratione *cottidianæ ministrationis* oborta, sed mox sopita est. Act. 6: 1. 2.

§. 182. Quod autem attinet statum spiritualem primitivæ hujus ecclesiæ, vivebat illa adhuc secundùm instituta Mosis, baptizabantur quidem in nomine Jesu; frangebant *panem*, hoc est, faciebant cœnam; nihilominus tamen circumcidebantur adhuc, & ita vivebant, ut hactenus sub lege vixerant. Stephanus videtur prior de dissolutione templi, & *mutatione morum* ac institutionum Mosaicarum locutus esse. Actor. cap. 6. vers. 14. Apostoli ipsi ritibus illis fuere addicti. Petrus cavebat, ne ederet *immundum*, & ἀθέμιτον judicavit accedere πρὸς ἀλλόφυλον. Actor. cap. 10: vers. 14. 28. Ita quasi Moses cum Christo copulabatur; servitus cum libertate; lex dogmatica cum Euangelio. Quamdiu templum stetit, fideles è Judæis fuerunt, ζηλωταὶ τοῦ νόμου. Actor. 21: vers. 20.

& τῶ πατρικῶν παραδόσεων & ipsi Apostoli cum Judæis vixerunt ἰυδαϊκῶς; adeo ut & ipse Paulus, libertatis præco, sisteret se purgandum in templo, & votum Nazireatus faceret, & caput tonderet. Actor. 18:18. 21:24. Et Timotheum ipse circumcidit. Act. 16:3. Poterat id ita fieri in Judæis sub initium conversionis; ut confusio vitaretur, & infirmiores paulatim erudirentur, & ecclesiæ incrementum promoveretur, & ipsa Synagoga non sine honore aliquo sepeliretur, ut scitè Augustinus. Igitur quàmvis in Ecclesia primitiva essent *Apostoli*, & electi illi septem-viri, tamen, ut verbis utar Sulpicii Severi libr. 2. cap. 45. *Hierosolymæ non nisi è circumcisione habebat Ecclesia Sacerdotem.* Credentes in Christum Judæi adhuc frequentabant templum, & honorabant Aharonicum sacerdotium, & altare visitabant, & licet fide nunc differrent ab inobedientibus, eosdem tamen ritus aliquamdiu cum illis tenuerunt communes. Paulus nefas ducebat, Sacerdoti summo convicium dicere. Actot. cap. 23: vers. 5. Hæc primitivæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ & Judæorum credentium cum aliis in observatione Mosaicorum rituum Judæis conformitas, duravit, quamdiu templum stetit. Tunc enim templo & altari ablato sponte destiterunt à sacrificiis & ritibus. Judæi immorigeri ipsi fatentur, se ab illo die nullibi in toto terrarum orbe sacrificia offerre posse. Imò & magis, cum tempore Hadriani Imperatoris, cohors militum jn perpetuum jussa est agitare custodias, quæ Judæos omnes Hierosolymæ aditu arceret. *Et id quidem*, ut rursum Severi utar verbis, *Christianæ fidei proficiebat, quia tum penè omnes Christum Deum sub legis observatione credebant*, NIMIRUM, ID DOMINO ORDINANTE DISPOSITUM, ut LEGIS SERVITUS à LIBERTATE FIDEI ATQUE ECCLESIÆ TOLLERETUR. lib. 2. cap. 45. Sciendum tamen & hoc. Apostolos Ecclesiæ Hierosolymitanæ ab initio *Presbyteros* constituisse Actot. cap. 11: vers. 30. cap. 15: vers. 6. 22. 25. quales ubique in aliis deinceps Ecclesiis, tum Judæorum, tum gentium instituti sunt; quorum fuit, docere populum, ædificare ecclesiam, necessitatibus succurrere, & in opere ac doctrina laborare.

§. 183. Sed omnis ecclesia Christi hucusque intra mœnia Hierosolymæ inclusa fuit. Tempore *Stephani*, protomartyris, *persecutio magna super ecclesiam, quæ in Hierosolymis, exstitit.* Actor. cap. 8: vers. 1. Ita plurimi sanctorum *dispersi sunt per regiones alias* Actor. 8:1. Soli *Apostoli* manserunt Hierosolymis; quos Dominus ibi ad tempus manere, & velut de sublimi specula voluit intueri, quæ gentes & nationes auxilio & institutione illorum maximè indigerent. Hæc sanctorum dispersio uberrimam messem fecit. Philippus Samariam adiit, & illa recepit sermonem Dei Actor. 8: 5. 14. Petrus & Joannes illuc missi, & *Samariam* confirmarunt, & plurimis aliis *pagis* Euangelium nunciarunt. Actor. 8: vers. 25. Ananias Syriam ingressus & Damascum, ibi Domino genuisse videtur sanctos illos, è quibus Saulus vinctos volebat adducere in Hierosolymam. Actor. cap. 9: vers. 2. 3. subitò multæ ecclesiæ exstiterunt per totam *Syriam*, *Galilæam*, *Samariam*, *ædificatæ & ambulantes in timore Domini.* Actor. 10: 31. In *Phœniciam*, *Cyprum*, *Antiochiam*, multi sanctorum delati, plantarunt ibi ecclesias, quas Domino vidimus adductas. Act. 11: 19.

§. 184. Sed hactenus è *Judæis* tantùm erant, qui ad Christum adducti erant. Illis tantùm *sermo* de Jesu *dictus.* Actor. 11: 19. Apostoli gentium hucusque rationem needum habuere; cum tamen & illarum esset *promissio* Act. 2: 39. & *Christus.* Joh. 10: vers. 16. cap. 11: 52. Ideò tempus erat, ut & illarum Deus misereretur. Philippus Euangelista, reformator Samariæ, in via occurrit Æthiopi; illumque baptizavit & inseruit Christo: ita

qui hactenus fuerat proselytus, nunc per baptismum factus est Christianus. Act. 8:36.37. Petrus missus ad Cornelium, nunciavit illi Jesum, accepit Spiritum & paulo post baptismum. Act. 10:47.48. Ita Eunuchus & Cornelius primitiæ gentium convertendarum extiterunt. Sed parum illud erat. In Ecclesia Antiochena cœperunt fratres quidam Cyprii & Cyrenii Euangelizare ἑλληνιστὰς, sive, ut in alio codice est, Ἕλληνας, τὸ κύριον Ἰησοῦν, & *manus Dei fuit cum illis, & multus numerus credens conversus* est ad Dominum Actor. 11:20.21. Ita & Antiochenis gentibus Christus Servator innotuit. Missus est illuc illicò ex Hierosolyma *Barnabas*, qui illam gentium Ecclesiam confirmavit, monuitque τῇ προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ κυρίῳ Act. 11:23. Barnabas introduxit illuc *Paulum*; qui duo insignes fuere in ecclesia hac doctores, cujus confessores omnium primò cœperunt dici *Christiani*. Act. 11.25.26. Ecclesiam enim Antiochenam maximè constitisse è *gentibus*, liquet è cap. 15. Act. 1.5.23.29.30.31.

§. 185. Ex hac ecclesia, jubente Deo, Paulus & Barnabas emissi sunt in mundum, ad omnes gentes. Actor. 13:11. Illi plurimas regiones & urbes percurrerunt, & sic in Antiochiam reversi sunt. Quæ Deus magna in gentibus egisset, quomodo illis *januam fidei* aperuisset, nullis satis verbis laudare potuerunt. Actor. 14:27. 15:3.4.12. ἐκδιηγούμενοι τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν. Ita autem in hac egerunt expeditione. Judæis *necessum erat prius* λαληθῆναι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ Actor. 13:℣.46. Ideò in *Synagogas* illorum ubique intrarunt. Act. 13:14. 15:3. 17:1.10. 18:4–19. in illas videntur etiam intrasse τὰ ἔθνη. Actor. 13:vers. 42. 14:1. Sed ubi Judæi *sermonem Dei repulerunt, indignos se judicantes vitâ æternâ*, excusso in illos pulvere pedum, *conversi sunt ad gentes*. Actor. 13:46. 18:6. 28:28. & *separarunt ab illis discipulos*. Actor. 19:9. In sermonibus & concionibus allâ usi sunt methodo, cum locuti sunt *ad Judæos*; alia cum *ad gentes* tantùm. Ad *Judæos*. Plerumque inceperunt disserere de Patribus Israelitarum, de eductione illorum ex Ægypto, illorum conversatione in deserto, introductione in Canaan, de regimine Judicum, de Regibus, de *Davide* imprimis; illi factam promissionem de *excitando* è semine ejus *Servatore Jesu*. Hunc à Deo nunc missum, sed citra ipsius noxam à Judæis occisum, sed à Deo resuscitatum, in gloriam assumtum. Per illum *remissionem annunciari*, & libertatem à Mosaicis institutionibus. Denique, in illum credendum esse. Ita fecit Paulus in Antiochia Pisidiæ Act. 13:16--41. Ita Petrus Act. 2:22-36. 3:12-46. 4:10–12. 5:29--32. 10: vers. 34--43. Ita *Stephanus*. Act. 7: vers. 2–50. Imprimis probatum dederunt, hunc Jesum esse *Christum*, promissum illum ab initio, & exspectatum *Messiam*. Ita faciebat Paulus in *Damasco*, Actor. 9: vers. 22. in *Thessalonica* Actor. 17: vers. 3. Ita *Apollo* in Achaja. Act. 18:27.28. Ad *gentes*. Depingebant *vanam* illarum *conversationem, vias proprias*, in quibus hactenus ambulassent; Dei *longanimitatem*; illum fuisse hucusque *ignotum*; idolis argenteis, aureis, quibus hactenus servíverant, minimè similem; judicem esse peccatorum, hortatorem pœnitentiæ, judicem *in viro prædefinito*, Christo, excitato à mortuis. Ita fecit Paulus in *Lystris* Actor. 14:15--17. *Athenis* Actor. 17:22--32. Et quàmvis ubique habuerint contradicentes, & è *Judæis*, quorum ἀπείθεια insignis fuit. vide Actor. 4:18. 5:17.33. 6:9.12. 9:22.29. 13:45.50. 14:2.5.19. 17:℣.5.6.13. 18:6.12. 19:9.&c. & è *gentibus*, à quibus imprimis Paulus malè habitus est *Philippis* Act. 16:19--24. & *Ephesi* Act. 19:23–40. ubique ferè expulsi & ignominiâ notati, tamen ubivis reliquerunt credentes, & Euangelio obedientes.

§. 186. Neque gentibus consuetudines mosaicas, aut legis placita commendarunt, sed resipiscentiam tantùm, & fidem in Jesum & permanentiam in gratia Dei. Actor. 11: vers. 23.

verf. 23. *Confirmarunt animas discipulorum, monentes, manere in fide* Actor. 14: 22. & *persuaserunt τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ.* Act. 19: 8. Imò in solemni conventu Hierosolymitano decretum fecerunt, nullum legale jugum imponendum gentibus, sed à nonnullis abstinendum. Actor. 15. quod decretum omnibus omninò gentium ecclesiis communicatum est. Actor. 16: 4. 21: 25. Ita gentes ab initio initiarunt in libertatem à Christo partam; in quam etiam Judæi post paulum intrare debebant, ni è Christo excidere vellent. Gal. 5: 4. Et ne ecclesiæ gentium carerent ductoribus, ubique κατ' ἐκκλησίαν πρεσβυτέρους ordinarunt Actor. 14: 23. verf. 17. qui & *Episcopi* dicti sunt. Actor. 20: verf. 28. Fuerunt tales in singulis ecclesiis complures, nam unicuique unum datum fuisse Episcopum, sacræ literæ non docent; licet antiquitas illum ferè ab initio morem servaverit. Indubium est, Apostolos, quo venerunt, ab ecclesiis singulariter & cum reverentia habitos ac auditos esse; sed fuisse illos particularium ecclesiarum Episcopos; Jacobum Hierosolymitanæ; Petrum Antiochenæ, dein cum Paulo Romanæ; & ab illis jus episcopatus in successores devolutum; id è Scriptura Sacra firmis haut constat indiciis. Quod autem *presbyteros* ecclesiis constituerunt, haut fecerunt motu proprio; sed divino; imò *Jesus* dedit. Ephes. 4: 11. 12. *Et ille dedit, alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores, ad concinnationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi*, quorum & reverentiam, & honorem ac obedientiam de de meliore nota commendarunt. *Benè* προεστῶτες πρεσβύτεροι *duplo honore digni sunt* 1 Tim. 5: 17. *Contra presbyterum accusationem non suscipe* ibidem verf. 19. τὸν τοιούτους ἐντίμους ἔχετε. Phil. 2: 29. *Obedite ductoribus vestris, & cedite.* Hebr. 13: 17.

§. 187. Ita Ecclesiæ gentium, serius aliquanto ad Christum adductæ, quàm Judæorum, prius in libertatem Domini & gaudia intrarunt, quàm Judæi; quibus, quamdiu templum stetit, semper hæc mens sedit; honorandum templum, altare, sacerdotium; servanda statuta Mosis; donec ablatis illis, & hoc præjudicium ablatum est.

§. 188. Hac methodo Apostoli deinceps ubique usi sunt omnibus in locis; & ita innumeras Christo Domino lucrari sunt animas. Et hic quidem summoperè admiremur Dei manum & Servatoris potentiam. Judæi, hostes Christi, legi adeo adfixi coacti sunt in obedientiam Christi. Nulla adhibita externa vis; nullæ artes, nulla eloquentia. *Ex ore Apostolorum, ut infantium & sugentium, fundatum* omne *robur* hoc. Psalm. 8. Gentes idololatræ, excæcatæ, à Dæmone rectæ & seductæ, non obstante malitia mundi, violentia Diaboli, potentia seculari, maximo numero, paucorum intervallo annorum, ad Christum adductæ & conversæ. Miseri piscatores nudo verbi præconio, plurimas nationes, gentes, urbes, piscati & Servatori Deo lucrati sunt; adeò ut nulla fere sit terra, nulla urbs; ubi non fuerit Jesus prædicatus, & creditus. Tertullianus circa annum nati Christi 139. cum omnes regiones universi orbis terrarum recensuisset, quo religio Christiana pervenisset, tandem concludit, *Christi igitur nomen & regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur.* Imò apud Scythas & Nomades prædicatum nomen Christi Irenæus testatur, & Justinus. E sacris literis catalogus texi potest innumerarum ferè ecclesiarum, ad Christum adductarum. *Samariæ* fuit ecclesia, Actor. cap. 8: verf. 14. in *vicis Samariæ* verf. 25. *Damasci* Act. cap. 9: verf. 21. *Lyddæ* ibidem verf. 32. In *Ioppe*, ibidem 36. 38. In *Cæsarea* Actor. cap. 10: verf. 47. In *Antiochia.* Actor. cap. 11: verf. 20. 26. In *Salamine*. Actor. cap. 13: verf. 5. In *Papho.* Actor. cap. 13: verf. 6. 12. In *Antiochia Pisidiæ* Actor. 13: 14. 48. 49. In *Iconio* Actor. cap. 14: verf. 1, In *Lystra* & *Derbe*. Actor. cap. 14: verf. 6. 20. 21. 22.

In *Perga* Actor. 14: 25. In *Syria* & *Cilicia*. Actor. 15: vers. 23. *Philippis* Actor. 16: vers. 13. 14. 15. In *Lydia* Actor. 16: vers. 40. In *Thessalonica* Actor. 17: vers. 4. *Beroea*, ibidem. vers. 12. *Athenis*, ibidem vers. 34. In *Corintho* Actor. 18. 4. In *Epheso*. Actor. 18: vers. 19. 19: 1. 8. 10. In *Galatia* & *Phrygia* Actor. 18: 23. In *Troade*. Actor. 20: 5. 7. In *Asso* ibidem vers. 13. in *Tyro* Actor. 21: 3. 4. In *Ptolemaide* Actor. 21: 7. Sed hæc narrare nunc non juvat.

§. 189. De peregrinationibus Apostolorum paucissima scripta sunt. Id fixum maneat, illos indubiè fecisse, ut Christus jusserat, ite *in totum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ* Marc. 16: 15. *Eritis mihi testes in Jerusalem & tota Judæa & Samaria*, καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς *& usque ad extremum terræ.* Actor. cap. 1: vers. 8. Igitur εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν. Rom. 10: vers. 18. Paucæ peregrinationes Petri; in Samariam, Antiochiam, Lyddam, Joppen; plures Pauli; ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ Rom. 15: 19. Cæterorum Apostolorum, Thomæ, Philippi, Jacobi, &c. nullæ in Sacris literis descriptæ sunt. Igitur addamus pauca ex antiquitate de Apostolorum itineribus; deque illorum obitu & martyriis.

Apostolorum itinera & martyria ex historia. Petrus.

§. 190. De *Petro* opinatur Origenes tomo tertio in Genesin, prædicasse illum dispersis *in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia* Judæis. Certè ad illos scripsit. 1 Petr. cap. 1: vers. 1. cur non & apud illos prædicavit? Videtur fuisse in *Babylone* 1 Petr. cap. 5: vers. 13. *salutat vos* ἡ ἐν βαβυλῶνι συνεκλεκτή. Communis veterum opinio est, Petrum etiam *Romam* vidisse. Irenæus libr. 3. cap. 1. & 3. disertè asserit, *Petrum & Paulum Romæ euangelizasse, eamque ecclesiam fundasse.* Eusebius libr. 2. cap. 25. narrat, *Cajum* quendam Ecclesiasticum virum, & *Dionysium Corinthium* affirmare, *Petrum Romæ fuisse.* Sub *Claudio* Petrum illuc profectum omnes ferè tradunt, sed alii *secundo* Claudii anno, alii *tertio*, alii *quarto* factum id contendunt. Sedisse ibi, & Episcopatu functum 25 annos, 2 menses, 7 dies; postquam Antiochiæ septennium docuisset. Sed variè hæc sententia impingit. Anno septimo aut octavo Claudii Synodus Hierosolymitana habita est, illi Petrus interfuit; quomodo ergo jam Episcopus Romanus fuit? dices; descendit Româ ad Synodum, sed probari id nequit. Si Petrus Romæ tanto tempore fuit, cur Paulus, in Epistola ad Romanos, ubi cap. 16: 1 -- 15. multos plurimosque salutat, Petri non meminit; qui ut Episcopus primum in salutandis locum debuisset obtinere? Cur non Petrus Paulo Romam in vinculis deducto, unà cum aliis fratribus extra urbem occurrit? Actor. cap. 28: vers. 15. Si fuisset inter occurrentes, nominatus sine dubio fuisset. Verbo dicam; è sacris literis minimè evinci potest, neque iter Petri Romanum; nedum Episcopatus Romanus, utrumque tamen antiquitas statuit. Imò *Petrum* & *Paulum* junctim constituit *primos* Romæ Episcopos. Epiphanius in hæresi Carpocratiana, ἐν ῥώμῃ πέτρος καὶ παῦλος πρῶτοι γεγόνασιν Ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι. Sulpicius Severus libr. II. cap. 40. *Namque eo tempore divina apud urbem religio invaluerat*, PETRO *ibi episcopatum gerente &* PAULO. Egesippus libro 3. capite 2. excidii Judaici, *Erant tunc temporis Romæ, Petrus & Paulus, doctores Christianorum, sublimes operibus, clari Magisterio.* Narrant, obiisse illo tempore propinquum quendam Cæsaris Neronis; huncque à Petro resuscitatum his verbis, *Adolescens, surge; sanet te Dominus Iesus.* Tandem jussu Neronis dicitur interfectus. Sulpicius libro secundo, capite 41. *Tum Paulus ac Petrus capitis damnati; quorum uni cervix gladio desecta, Petrus in crucem sublatus est.* Eutychius, vertente Seldeno. *Petrum Nero Cæsar cruci affigit, corpore inverso. Nam & dixerat ei Petrus, si vis*

si vis ut ego cruci affigar, corpore me inverso affige cruci, ne mors mihi inflicta similis sit ei, quæ affligebatur Domino meo Christo, qui cruci affixus est. Impetravit quod petiit, nam *persecutor non invitus indulget pœnarum incrementa*, inquit Egesippus. Tertullianus, *Petrum dominicæ passioni adæquatum esse*, scribit. Clemens in epistola ad Corinthios, cum dixisset *Paulum sub Romanis principibus passum*; subjungit paulò post, *Petrum martyrium esse passum*; nullius loci mentione facta; unde colligere licet, non omnibus probatum fuisse, Petrum *Romæ* petiisse.

§. 191. De *Andrea* tradunt, illum in *Scythiam* concessisse, *Sogdianis & Scytis* Euangelium prædicasse; per *Cappadociam, Galatiam, & Bithyniam, in Scytarum solitudines, ad utrumque pontem Euxinum* commigrasse, imò & in *Epirum* missum, & *Achajam*, Epiro conterminam. Alii eum apud *Scythas* dicunt passum esse; alii in crucem ab *Ægea* præfecto Edessenorum actum. Cyprianus libro, de duplici martyrio, *Beatus Andreas*, inquit, *ut habet humana quidem historia, sed satis probatæ fidei, gaudens, sibique gratulans ibat ad crucem.* Andreas.

§. 192. *Iacobus* Zebedæi non nisi in vicinia videtur docuisse; & reliquum tempus Hierosolymæ transegisse, maturè martyrium subiit. vide supra §. 91. Jacobus Zebedæi.

§. 193. *Iohannes* Zebedæi fertur docuisse in *Asia*; etiam *Ephesi* commoratus esse tanquam Pastor. Dicitur à Proconsule in Asia Romam ad Domitianum missus esse; illiusque jussu in oleum igneum demersus; cumque salvus evasisset, in *Pathmum* insulam relegatus, & tandem Ephesi sua morte mortuus, & juxta eam urbem sepultus. Irenæus libr. 3. cap. 3. Sunt, qui *audierunt Polycarpum dicentem, quod Iohannes in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus; dicens, se timere, ne balneum concidat, ubi intus erat tantus veritatis inimicus.* Johannes Zebedæi.

§. 194. *Philippus* dicitur *viginti annis* in *Scythia* concionatus esse; alii *novem* dicunt; quodque tunc ad gentes Oceano junctas venerit, & ad fidem illas adduxerit. Tandem Ebionitarum vi oppressum eum, & in crucem actum, & lapidibus obrutum. Ita Eusebius in Chronico. Aliter Polycrates. *Philippus unus ex duodecim, obdormivit Hierapoli.* Sophronius. *Philippus Apostolus in Phrygia prædicavit Euangelium, sepelitur autem Hierapoli cum filiabus honorificè.* Cum filiabus, inquit, teste enim Eusebio libr. 3. cap. 30. *Philippus maritus fuit, liberis procreandis operam dedit, & filias elocavit.* Philippus.

§. 195. *Bartholomæus* Indis fertur concionatus esse; iisdemque Euangelium Matthæi Ebraicè scriptum reliquisse. Ita Sophronius, Sozomenus, Hieronymus. Alii, in *Lycaonia* primum, inde in *India*, ac postremo *Armenia* illum docuisse tradunt. Nicephorus libr. 2. cap. 39. Alii, Philippum & Bartholomæum, Syriam & Asiam superiorem sortitos scripserunt. Hierapoli in crucem actus; miraculosè primum evasit; dein rursum suspensus exspiravit, teste Nicephoro. Alii in Armeniæ urbe Allana interfectum illum narrant, pelle prius detracta. Bartholomæus.

§. 196. *Matthæus* narratur in Æthiopiæ civitatem *Naddaver* venisse; duos ibi Magos, se Deos venditantes, confudisse; Regis Ægelippi filium excitasse, & ibi Eunuchum Candaces reginæ invenisse; denique ab Hyrtaco Rege, Ægelippi successore, capite truncatus esse, ita Julianus Africanus. Nicephorus autem libr. 2. cap. 41. scribit, illum apud Antropophagos in civitate Myrmena docuisse; ac clavis denique in terram defixum esse. Matthæus.

§. 197. *Thomæ* Parthiam in divisione Apostolorum obtigisse, Eusebius autor est. libr. 3. c. 1. Hieronymus. *Thomas Apostolus, quemadmodum traditum est nobis, Parthis & Medis,* Thomas.

 & Per-

& Persis, & Germanis, & Hyrcanis, & Bactris, & Magis prædicavit Evangelium Domini. Etiam in *India* dicitur docuisse. Alii lanceis transverberatum; alii gladio eum percussum scribunt.

Jacobus Alphæi. §. 198. *Iacobum* Alphæi plerique constanter affirmant fuisse *Episcopum* Hierosolymorum per annos triginta. In ardenti siccitate pluviam precibus è cœlo deduxisse, narrat Epiphanius, de illius martyrio vide §. 170.

Judas. §. 199. *Iudas Lebbæus* vicinas regiones Judæam, Galilæam, Samariam, Idumæam, Arabiam, *Syriam*, Mesopotamiam percurrit. Edessæ placida tandem morte quievit. Ita Nicephorus libr. 2. cap. 40. & 44. Alii in Perside interfectum dicunt.

Simon. §. 200. *Simon Zelotes*; dicitur Jacobo in Episcopatu Hierosolymitano successisse, illoque 47. annis functus. Item propagasse Euangelium per Ægyptum, Cyrenem, Africam, Libyam, Regiones ad occidentalem Oceanum sitas, & insulas Britannicas. Accusatus coram Trajano, quod esset de stirpe Davidis, & Christianus, subiit martyrium, annos natus 120. Multis diebus flagris cæsus, & tandem cruci suffixus est.

Matthias. §. 201. *Matthias*, qui de nobili dicitur fuisse familia, à Sophronio scribitur in Æthiopiæ quandam partem maximè agrestem concessisse, ibique mortuus esse.

Paulus. §. 202. *Paulus Neronis gladium cruentavit*, inquit Hieronymus in epist. ad Casmirium; multatus capite, in urbe Roma, & in via Ostiensi sepultus; quadriennio, ut nonnulli volunt, ante excidium Hierosolymorum; eodem anno & die, quo Petrus in crucem actus est; alii, duobus annis à passione Petri. Quidam mortem illius referunt in annum Neronis 12. alii in annum 14. & in 37. conversionis Pauli. Diem mortis illius notiorem, quam ipsius Alexandri esse, scripsit Chrysostomus in 2 Cor. homil. 26. Idem libr. 1. adversus vituperatores vitæ monasticæ narrat, Paulum pellicem Neronis convertisse; quæ conversa congressus illius fugit. Nero ira in Paulum commotus, corruptorem, nebulonem, flagitiosum hominem illum vocans, in vincula conjecit, & tandem interfecit. Petrus de Natalibus aliam mortis causam retulit; nimirum Paulum *Regem* Jesum prædicasse; inde Neronem conclusisse Paulum seditionem meditari. Idem scribit, pro sanguine è venis Pauli lac emanasse; Paulumque post mortem, ut prædixerat, Neroni apparuisse.

Marcus Euangelista. §. 203. *Marcus Euangelista* (de illo vide Actor. 12: 12. 25. 13: 13. 15: 37. 38. 39.) Barnabæ *consobrinus* Col. 4: 10. dicitur missus in Ægyptum; & Alexandriæ suum, quod composuerat Euangelium, prædicasse. Euseb. libr. 2. cap. 16. Hieronymus de viris illustribus narrat, eum Alexandriæ anno octavo Neronis mortuum & sepultum. In Legendis verò traditum est, eum Ægyptum, Libyam, Marmaricam, Ammonicam, & Pentapolin peragrasse; denique tractum per civitatem interiisse.

Lucas Euangelista. §. 204. *Lucas Euangelista, medicus* arte Col. 4: 14. antiochenus gente, proselytus religione, putatur à Paulo conversus esse. Niceph. libr. 2. cap. 43. Lucam Thebis, quæ septem portas habuit, ad Paulum venisse. Tertullian. libr. 4. adversus Marcionem, *Lucas, non Apostolus, sed apostolicus; non magister, sed discipulus, utique magistro minor; certè tanto posterior, quanto posterioris Apostoli sectator.* Post Paulum, dicitur docuisse in Macedonia, Italia, Dalmatia, Gallia. Nicephorus in *Græcia* à divini verbi contemtoribus ex fructifera oleæ arbore suspensum, quod aridi ligni, unde crux fieret, copia non esset, memorat. Reliquiæ ejus Constantinopolin dicuntur translatæ, apud quas Dæmones rugiant, à Constantino Magno; alii à filio ejus Constantio. Hieronymus adversus Vigilantium.

Philippus Euangel. §. 205. *Philippus* Diaconus & Euangelista Actor. cap. 6: vers. 5. 8: 5. 6. 21: 8. tran-

tranquilla dicitur morte obiisse. Vincentius libr. 7. cap. 72. Petrus Natalis libr. 5. cap. 91.

§. 206. *Barnabas* (multi putant illum eundem esse cum *Ioseph Barsabah* Act. 1:23.) cujus quædam circumfertur epistola; quem nonnulli olim, Tertulliano teste, pro autore epistolæ ad Hebræos habuerunt; dicitur docuisse in Italia, Lombardia, Gallia Cisalpina, & Mediolano; ibique episcopatu functus. Alii septimo Neronis anno interfectum; alii in Salamine passum, alii in Cypro, (unde ortum habebat Act. 4:36.) funibus extra civitatem protractum, crematum narrant. Sed humanæ satis historiæ. Barnabas.

CAPUT NONUM.

De ecclesiæ post Christum benedictionibus & meliore statu.

§. 1. Vidimus, ut cœperunt Apostoli è Judæis & gentibus colligere *ecclesiam* Servatori Deo. Agamus nunc distinctius de ecclesiæ hujus statu; hoc est, de *donis*, quæ Servator *dedit hominibus* Ephes. 4: 8. deque *melioribus promissionibus melioris Testamenti* Hebr. 8: 6. cujus *filii* sumus Actor. 3: vers. 25. quæque omnes in Christo Jesu, Mediatore Novi Testamenti Hebr. 9: vers. 15. factæ sunt *Na & Amen.* 2 Cor. cap. 1. vers. 20. Bona ecclesiæ Nov. Testamenti.

§. 2. Et de his quidem *scriptum est*, *Oculus non vidit*, *auris non audivit*, *& in cor hominis non ascendit*, *quæ præparavit Deus amantibus ipsum.* 1 Cor. 2: 9. Licet enim hæc verba vulgò accipiantur de futuris bonis vitæ æternæ; *necdum* enim ἐφανερώθη τί ἐσόμεθα 1 Joh. 2: 2. tamen docente Apostolo, illa propriè dicta sunt *de sapientia Dei*, olim *abscondita*, *principibus seculi* illius incognita, nunc *nobis per Spiritum Dei manifestata.* 1 Cor. 2: 7. 8. 10. quæ *sapientia* omnia Novi Testamenti bona explicat & notificat, Eph. cap. 3: vers. 10. ἵνα γνωρισθῇ ἡ πολυποίκιλος σοφία Θεοῦ.

§. 3. Excellentia hæc dona compendiosis passim sententiis Scriptura sacra complexa est. *Gloria in excelsis Deo*; *in terra Pax*, *in hominibus beneplacitum.* Luc. 2: vers. 14. *E plenitudine ejus nos omnes accepimus*, *& gratiam pro gratia.* Joh. 1: 16. *Non enim est regnum Dei esus & potus*; *sed justitia & pax*, *& gaudium in Spiritu Sancto*: è re tamen nostra erit, paulo fusius illa enarrare, ut sciamus, quæ & quanta *donavit nobis divina* Servatoris *potentia*, *ad vitam & ad pietatem* 2 Petr. 1: 4. & ut agnoscamus, quibus in rebus *sors nostra*, quam *tenet* Dominus Psalm. 16: 5. excedat sortem sanctorum ante Christum, qui *cupiverunt videre*, *quæ videmus*, *& non viderunt*; *& audire*, *quæ audimus*, *& non audiverunt*, Matth. 13: 17. & ut ne cessemus dicere indesinenter, *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi*, *qui benedixit nobis in omni benedictione spirituali in supercælestibus in Christo.* Ephes. 1: 3.

§. 4. Caput omnis nostræ gloriationis, & summa felicitatis ac beatitudinis præ iis, qui *ante speraverunt in Christo* Ephes. 1: 12. est, quod *Christus Iesus venit in mundum.* 1 Tim. 1: 15. Christus, per Spiritum æternum Patri oblatus, ab initio promissus, in ceremoniis & umbris legalibus præfiguratus, à Patribus magno desiderio exspectatus, nunc apparuit. *In visceribus misericordiæ Dei nostri visitavit nos Germen ex alto*, Luc. 1: 78. de eò petiit Simeon *in pace dimitti.* Luc. 2: 29. Nec visitavit tantùm, sed & *implevit justitiam* Christus consummatus Servator.

tiam omnem Matth. 3: 15. *enarravit Deum* Joh. 1: 18. *locutus est verba Dei* Joh. 3: 34. *sanguinem fudit* Matth. 26: 28. *animam dedit lytrum* Matth. 20: 28. *conciliavit mundum Deo* 2 Cor. 5: 19. & devicta morte *super omnes cœlos ascendit* Ephes. 4: 10. *Per passiones consummatus est salutis Princeps.* Hebr. 2: 10. τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι Luc. 13: 32. estque adeò *sacerdos εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένος* Hebr. 7: 28. καὶ τελειωθεὶς ἐγένετο πᾶσιν αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου Hebr. 5: 9. ita exstitit *perfectus* Servator, à quo nec *justitia* Dei, nec *lex*, sub quam *nascens è muliere factus est*, Galat. 4: 4. requirere quicquam amplius potest, neque adeò *necessum habet sæpius se offerre*; *fecit enim id ἐφάπαξ semel* Hebr. 7: 27. 9: 25. 26. *semel oblatus*, ἐκ δευτέρου *secunda vice* χωρὶς ἁμαρτίας *sine peccato*, hoc est, non ut victima pro peccato, ὀφθήσεται *apparebit exspectantibus illum ad salutem*, Hebr. 9: vers. 28. *estque* interea *in dextra Dei*, *& intercedit pro nobis*, Rom. 8: 34. gloriosa nimirum intercessione, fundata *in sanguine Testamenti æterni*, Hebr 13: 20. & in perfectissima peccatorum nostrorum expiatione. Igitur jam nunc in ecclesia auditur præconium *magni* illius *pietatis mysterii*, *Deus manifestatus est in carne*, *justificatus in Spiritu*, *visus Angelis*, *prædicatus in gentibus*, *creditus in mundo*, *assumtus in gloria.* 1 Tim. 3: 16. *Ne dicas in corde tuo*, *Quis ascendet in cœlum*? *hoc est Christum deducere*, & gloriosam ejus, ut victoris, ascensionem negare. *Aut*, *quis descendet in abyssum*; hoc est, *Christum è mortuis reducere* & secunda quasi vice mortis doloribus exponere ac committere. Rom. 10: 6. 7. Et valida viget παράκλησις. *Quis est*, *qui condemnet*? *Christus est*, *qui mortuus est*; *magis verò*, *&*, *qui resuscitatus est*, *qui & est in dextra Dei.* Rom. 8: 34. *Advocatum habemus apud Patrem*, *Jesum Christum justum*; *& ille est propitiatio pro peccatis nostris.* 1 Joh. 2: 1. 2. Est *Iesus Christus heri*, *& hodie*, *idem*, *& in secula.* Hebr. 13: 8. Sed *heri* incubuit illi venire, pati, & sic in gloriam intrare. Luc. 24: 26. Id nunc *hodie* haut amplius ipsi incumbit. *Heri* egit apud Patrem, ut *Sponsor*, qui pro debitis suorum soluturus erat pretium. Nunc agit, ut Sacerdos, qui omnia solvit, & omne chirographum abolevit. Heri promittebatur, hodie Euangelizatur. Est ergo *idem*, & *non idem.* Idem, respectu Personæ, officii, beneficii. Non-idem, respectu carnis assumtæ, & oblatæ, meriti, & juris acquisiti. Gaudet nunc jure Servatoris titulo satisfactionis præstitæ; qui heri illo gaudebat titulo præstandæ. In hoc igitur Jesu, consummato Servatore, est *gloria populi Israël*, *& lux gentium.* Luc. 2: 32. *Gaude valdè*, *filia Zion*; *jubila*, *filia Ierusalem*; *ecce Rex tuus venit tibi.* Zach. 9: 9. *Super montem altum ascende tibi euangelizatrix Zion*; *effer in potentia vocem tuam*, *euangelizatrix Ierusalem. Effer*, *ne time*, *dic civitatibus Iudæ*, *ecce Deus vester* Es. 40: 9. *parum infra Deum honoratus*, *sed gloria* nunc & æterna *majestate coronatus* Psalm. 8: 6. ὁ ζῶν, qui factus est *mortuus*, *& nunc vivus est in secula seculorum.* Apoc 1: 18.

Spiritus promissionis Sanctus.

§. 5. Servator in cœlum evectus, *non reliquit* suos ὀρφανούς, Joh. 14: 18. *rogavit Patrem*, *ut daret illis alium Paracletum*, *Spiritum veritatis*, ibid. vers. 16. 17. quem & *Pater in nomine ejus misit* Joh. cap. 14: vers. 26. imò ille *misit à Patre* Joh. 15: vers. 26. qui *non venisset*, *nisi Servator abiisset* Joh. cap. 16: vers. 7. quique *manet* cum sanctis *in seculum.* Joh. cap. 14: vers. 16. De illo Christus Joh. cap. 7: vers. 38. 39. *Qui credit in me*, *fluvii è ventre ejus manabunt aquæ vivæ. Hoc verò dixit*, *de Spiritu*, *quem credentes in illum accepturi erant*; *necdum enim erat Spiritus Sanctus*; *quia Iesus nondum erat glorificatus.* Effusus est hic Spiritus in Pentecoste, ac deinceps, in Apostolos, aliosque, cum donis extraordinariis; effunditur cottidie in sanctos cum donis ordinariis; sed longè maximis, majoribus quàm olim sancti acceperunt, & ita abundantibus, ut videatur

Deus

Deus *dare Spiritum* οὐκ ἐκ μέτρου *non è mensura.* Joh. cap. 3: vers. 34. De hoc Spiritu passim Scriptura. Ephes. cap. 1: vers. 13. *Obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* confer Ephes. 4: 30. Galat. 3: 14. *ut promissionem Spiritus acciperemus.* 2 Cor. 1: 22. *dans pignus Spiritus in cordibus nostris.* confer 2 Cor. 5: 5. adde 1 Cor. 2: 10. *Non accepimus Spiritum mundi, sed* τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ, ἵνα εἰδῶμεν τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν. Galat. 4: 6. *Quia verò estis filii, emisit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem* Ἀββᾶ ὁ πατήρ. Sumus *filii*, accepimus ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι Joh. 1: 12. Spiritus *Filii* in corda nostra emissus est; eô modô, & mensurâ, quæ *filiis* convenit, *clamat*, docet nos clamare, generans in mentibus nostris fiduciam filialem; *Abba Pater.* Ita & Christus clamavit in agone. Marc. 14: 36. Ἀββᾶ vox est Syriaca, ex Hebræo אב: ὁ πατήρ est pro πάτερ, ut ὁ θεός pro θεὲ Joh. 20: 28. Marc. 15: 34. collato Matth. 27: 46. & ἡ γυνή pro γύναι Joh. 8: 10. Ita Spiritus in variis linguis facit inclamare *Deum Patrem.* Deinde & hoc cogitemus. Balbutientes pueruli patres suos compellant *Papa*, id Græcis dicitur παππάζειν. Homerus Iliad. ε. οὐδέ τι μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσι, hoc est, ut interpres παραφράζει, πάππα φωνοῦσι, πατέρα καλοῦσι. Latinis *pappare.* Pers. Sat. 3. *Et similis Regum pueris pappare minutum poscis. Pappare* est ὑποκοριστικῶς *blandè* ac suaviter patrem *Papa* vocare, id quod Magnatum Regumque imprimis solebant pueri. Inde πάππας Græcis, *Papa* Latinis honoris nomen exstitit. Et ut balbutientes infantuli πάππα dicere edocebantur, ita simul usu venit, ut dicerent ἄππα; ob facilitatem pronunciationis. A vocalis teneris labiis pronunciatu facillima est. Quemadmodum ex πα factum est ἄττα. Ita *Achilles* dicit Iliad. θ. φοῖνιξ ἄττα γεραιὲ *Phœnix, Pater senior.* Cum ἀππὰ convenit ἀπφά, ἀπφῦς, ἀπφία, ἀπφάριον, quibus vocibus pueri parentes, fratrem frater, sororem soror blandè appellabat. Apud Suidam ἀπφὰ est fratris vel sororis ὑποκόρισμα, ita & Eustathius notat sororem à sorore vocari ἀπφᾶν καθ' ὑποκορισμόν. Apud Theocritum καλὸς ἀπφῦς est *bonus Pater.* Ἀπφία & ἀπφάριον, inquit Pollux, libr. 3. onomastici, sunt apud comicos *nova Domina* ὑποκορίσματα. Apud Callimachum Hymno in Dianam, vers. 6. Diana Jovem vocat ἀππά, & inducitur ibi, ut virguncula in sinu & amplexibus Jovis Patris ludens. Ab ἀππὰ est latinorum *Aba*, *Abare* apud Ausonium venit pro ἀδελφίζειν; hoc est, blandè aliquem compellare, ut frater fratrem. Et Græcis ἀππὰ & ἀββὰ una eademque res, per mutationem literarum. Ergo Ἀββᾶ est formula, Græcis olim pueris familiaris, quâ patrem blandè, & inferior superiorem, reverentiæ testandæ gratia, compellabant. De hisce vide plura in spicilegio Cl. Viri Ludovici Cappelli. Quum igitur Scriptura ait, *Spiritum clamare*, Ἀββᾶ ὁ πατήρ, docemur, Spiritum filialem affectum in animam nostram effundere, ut Deum, filiorum instar balbutientium, plenissima affectus contestatione, nec sine reverentiæ demonstratione, accedamus, exosculemur, amplectamur; dicentes & ἀββᾶ, quod est oris tenerioris & infirmioris; & *Pater*, quod est perfectiorum. *Patrem* dicere Deum ipse nos Servator docuit. Matth. 6: 9. Prophetia præcepit, Jerem. 3: 19. *Pater mi, vocabis me.* Nec aliter Spiritus Domini docere nos potuit. confer Rom. 8: 15. ἐν ᾧ κράζομεν, Ἀββᾶ ὁ πατήρ. *Spiritus clamat*, quia talis clamor, non carnis, sed Spiritus effectus est. In *Spiritu* clamamus nos; quia per nos clamat ita Spiritus; & nos ita clamare facit. Hic clamor fit nunc ore, nunc cogitatione, nunc gemitu. De hoc Spiritu ita porro Paulus Rom. 8: 15. *Non accepistis Spiritum servitutis rursum ad metum*, sed accepistis πνεῦμα υἱοθεσίας. Spiritus dicitur *Spiritus servitutis*, eo quod sanctos olim docuit servire, & legalem servitutem sponte suscipere, lubenter subire. Spiritus *ad metum* (confer 2 Tim. cap. 1: vers. 7. *non*

 enim

enim dedit vobis Deus πνεῦμα δειλίας.) quia *metum* pœnæ transgressoribus legalium institutorum statutæ piorum mentibus quasi infudit; & sub pædagogo sanctos continuit. Nunc non est Spiritus servitutis, nam ablata servitus est; sed *Spiritus adoptionis filiorum*, talia operans, qualia operari æquum in illis, qui in filios adoptati, & à similitudine *servorum* liberati sunt. Galat. cap. 4: cap. 1. Non nunc est εἰς φόβον, servilem & legalem pœnæ, sed est κατ' ἐξοχὴν רוּחַ דַּעַת וְיִרְאַת יְיָ *Spiritus agnitionis & timoris Domini* Es. cap. 11: vers. 1. Spiritus δυνάμεως, καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ 2 Tim. cap. 1: vers. 7. *Spiritus gratiæ & supplicationum* Zach. cap. 12: vers. 10. Hic Spiritus *attestatur Spiritui nostro*, quod *sumus filii Dei*, Rom. 8: ℣. 16. idque tribus potissimum modis, instrumentaliter, realiter, sensibiliter; vel, mediis, reipsa, sensu. Idem *intercedit pro nobis* στεναγμοῖς ἀλαλήτοις *gemitibus ineloquacibus*, qualium pectora sanctorum sæpe sunt plena. Rom. 8: vers. 26. Ita habemus Spiritum excitantem in nobis clamores suavissimos & efficacissimos; implentem pectora gemitibus, quos nulla lingua eloqui potest, qui ipsam linguam & sermonem nostrum antevertunt. *Per Spiritum S. datum nobis effusa est charitas Dei in cordibus nostris.* Rom. 5: 5. ubi est hic *Spiritus Domini*, ἐκεῖ ἐλευθερία. 2 Cor. 3: 17. Hujus Spiritus symbolum fuit, *munus* illud *novum*, de quo Levit. 23: 15. 16. 17. Hac ratione Spiritus S. olim non fuit, licet fuerit, *duxit* enim sanctos *in via rectitudinis*. Psal. 143. 10. Prophetæ *acti* illo fuerunt. 1 Petr. 1: 11. 2 Petr. 1: 21. confer Hag. 2: 5. 2 Sam. 23: 2. sed est Christi consummati beneficium, qui *dextrâ Dei exaltatus, promissione Spiritus S. accepta* Actor. 2. 33. illum *effudit* ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως Tit 3: 5. 6. & *unxit*, hoc cœlesti & optimo chrismate *Sanctum Sanctorum*. Dan. 9: ℣. 24. confer 1 Joh. 2: 27. καὶ ὑμεῖς τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ, ἐν ὑμῖν μένει.

Regnum cælorum. §. 6. Etiam hoc facit ad agnoscendam beatitudinem sanctorum, qui post Christum manifestatum vivunt, quod tempus hoc dicitur *Regnum Dei & cælorum*. Id erat initium præconii Baptistæ, Christi, Apostolorum, *appropinquavit* ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Matth. 3: vers. 2. 4: 17. 10: 7. *Quærite prius regnum Dei.* Matth. 6: 33. *Inde à diebus Joannis usque nunc regnum cælorum vim facit.* Matth. 11: ℣. 12. Cum in terris esset Christus, regnum hoc dicitur *appropinquasse*; Quum rursum abiit, dicitur *venisse in regno suo* Matth. 16: 28. imò *Regnum Dei venisse* ἐν δυνάμει. Marc. 9: 1. De regno suo locutus est sæpius Luc. 22: 30: Joh. 18: 36. Etiam Apostoli illud nunciarunt omni creaturæ. Actor. 8: 12. 19: 8. 20: 25. Act. 28: 23. 31: confer Act. 14: 22. Docemur, *cælum*, *Deumque celi* in sanctos suos nunc solum *dominari*; exutis & abrogatis omnibus illis, quibus habitabilis prior fuit subjecta. 1 Cor. 2: 6. 8: 5. Col. 2: 15. Heb. 2: 5. Deinde, statum & conditionem sanctorum nunc esse talem, qualis beatorum *in cælis*, unde & *conversatio nostra* dicur esse *in cælis* Phil. 3: 20. & *Hierusalem superna, Mater omnium nostrûm*. Gal. 4: 26. *descendisse à Deo è cælo* Apoc. 3: 12. 21: 2. nosque dicimur *tabernaculum*, quod *è cælo est*, jam *induisse*, solummodo id ἐπενδύσασθαι *superindui* ἐπιποθοῦντες *desiderantes.* 2 Cor. 5: 2. 3. & *accessisse Hierusalem cælesti*, & *spiritibus justorum consummatorum* Hebr. 12: 22. 23. nec illos *sine nobis consummatos esse*. Hebr. 11: 40. Illaque, quæ sunt *in cælis*, & quæ *in terra*, dicuntur *in Christo* esse ἀνακεφαλαιωθέντα. Ephes. 1: 10. Sumus in multis cœlestibus dissimiles, γαμοῦμεν καὶ ἐκγαμιζόμεθα Matth. 22: 30. μεριμνῶμεν τῇ ψυχῇ τί φάγωμεν; τῷ σώματι τί ἐνδυσώμεθα Matth. 6: 25. Est nobis multiplex πάλη *lucta*. Ephes. 6: ℣. 12. Ab his omnibus cœlicolæ immunes sunt & liberi. Attamen sumus illis similes ratione spiritualis nostri status & conditionis, idem in nobis habitat Spiritus, in eodem Spiritu & veritate adoramus, eâdem justitiâ gaudemus, eâdem gratiâ stamus, gloriamur in liber-

tate,

tate, videmus Deum, *cognoscimus Deum*, *retecta facie gloriam ejus intuentes* 2 Cor. cap. 5: vers. 18. *benedicti benedictione omni Spirituali* Ephes. cap. 1: vers. 3. *unà collocati in super cælestibus in Christo Iesu.* Ephes. 2:6. Subest tamen & in his differentia, nos videmus *ut per speculum in ænigmate*, glorificati, *facie ad faciem*, nos habemus ἐκ μέρους, illis adest τὸ τέλειον 1 Cor. 13: 10. 12. nos ἀπαρχὴν habemus τοῦ πνεύματος, στενάζοντες, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι. Rom. 8: vers. 23. Illi, omnem plenitudinem. Ab hoc *regno*, in quod *nos*, *liberatos è potestate tenebrarum*, *transtulit* Servator Col. 1: 13. dicimur *facti reges*, & *sacerdotes* Apoc. 1: 6. *regium sacerdotium* 1 Petr. 2: 9. & *regnare.* 1 Cor. 4: 8. adde Rom. 5: 17. *In vita regnabunt per unum Iesum Christum.* Idque *testamentario jure* possidemus. Luc. 22: 29. 30. κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν βασιλείαν, ἵνα καθίσησθε ἐπὶ θρόνων. De hoc *regno cælorum* vide plura cap. II. §. 29 -- 40.

§. 7. Imò & hoc, quod audiunt *Euangelium* non audiunt amplius *promissionem*, sed Euangelium.
promissionum *impletionem* Actor. 13: 32. Id Euangelium, quod *ante promissum est per Prophetas in Scripturis sacris*, Rom. cap. 1: vers. 2. id audiunt. Ephes. cap. 1: vers. 13. ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας. Angelus ipse *Euangelista* extitit. Luc. 2: 10. Apostoli *separati sunt ad Euangelium Dei.* Rom. cap. 1: vers. 3. *Misit me*, Christus, εὐαγγελίζεσθαι 1 Cor. 1: 17. *Væ mihi, nisi* εὐαγγελίζωμαι 1 Cor. 9: 16. *Non pudet me Euangelii Christi. Est enim potentia Dei ad salutem* Rom. 1: 16. *In Christo Iesu per Euangelium ego genui vos* 1 Cor. 4: 15. *Quam suaves fuerunt in montibus pedes Euangelizantium.* Es. 52: 7. Rom. 10: 15. *Dominus dedit dictum, Euangelizantium turba magna* Psalm. 68. Hoc Euangelium est nuncius maximorum beneficiorum collatorum in Dei populum; semper idem est, & non est ἄλλο Galat. 1: vers. 6. 7. Non audimus *vocem verborum*, quam *qui audiverunt*, *deprecati sunt non addi illis verbum* Hebr. 12: vers. 19. Sed suavem vocem Euangelii; neque ἐν σοφίᾳ λόγου 1 Cor. 1: 17. neque ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, sed ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου 1 Cor. 2: vers. 13. רָחַשׁ לִבִּי דָּבָר טוֹב. Psalm. 45: 2.

§. 8. In hoc Euangelio *revelatur* δικαιοσύνη θεοῦ *Iustitia Dei.* Rom. 1: 17. de qua ma- Justitia.
gnificè Paulus. Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη θεοῦ πεφανέρωται. Rom. 3: 21. *Iustitia Dei*, non hic notat, quod *æquum* & *rectum* est, ut Matth. 3: 15. *decet nos implere omnem justitiam.* Ita & τὸ δίκαιον Phil. 4: 8. *quæ sunt vera*, & *honesta*, & δίκαια *justa*, *illa cogitate.* Neque illam Dei virtutem, quâ peccatum odit, illius pœnam exigit, & justè judicat, & suum tribuit unicuique, ut Actor. cap. 17: vers. 51. *judicabit habitabilem* ἐν δικαιοσύνῃ sed notat κατ᾽ ἐξοχὴν *jus* illud, quod donatur peccatori, ut liber à reatu & pœna & accusatione coram Deo comparere possit, ipsa lege peccatorem justificante & absolvente. Hæc demum est vera *justitia*, quâ *stabilitur* Ecclesia Es. cap. 54: vers. 14. jus habere comparendi coram Deo, *condemnandi omnem linguam* accusantem, & confundendi *omne instrumentum contra nos formatum.* Es. cap. 54: cap. 17. Hæc *justitia* dicitur *Dei*; ut doceamur, non esse illam, *nostram, neque è lege* Phil. cap. 3: vers. 9. sed 1: Illam à Deo adduci 2. A Deo donari. 3. Deum decere. *Adduci*, ita Dan. cap. 9: vers. 24. לְהָבִיא צֶדֶק *ad adducendum justitiam.* Christus, *justus* ille, *factus est à Deo nobis* δικαιοσύνη 1 Cor. cap. 1: vers. 30. Per obedientiam, passionem, mortem peperit nobis hoc jus; & *implevit in nobis* τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου. Rom. cap. 8: vers. 3. 4. ipsa lex per illum facta est pro nobis, quæ ante condemnabat, nunc justificat, quæ cum esset *ad vitam*, sed *per inobedientiam* primi Adami facta est *ad mortem* Rom. cap. 7: vers. 10. nunc per *obedientiam* secundi Adami Rom. cap. 5: vers. 19. rursum facta est *ad vitam*; nec est amplius iis, qui in Christo, *Lex peccati & mor-*

tis , sed *Lex Spiritus vitæ*. Rom.cap.8:vers.2. Non vivimus è lege, & tamen vita nobis donatur, nosque à morte absolvimur ipsa assentiente, approbante & absolvente lege. *Per legem, legi mortui sumus, ut Deo vivamus.* Galat. cap. 2:vers. 19. Inde quia Christus nostræ causa est justitiæ, dicitur *Jehova justitia nostra.* Jerem.cap.23:vers.6. *Donari*, jus enim à Christo nobis partum, donatur nobis à Deo. Christus est *donum*. Etiam *justitia* Christi, & *Christus* nobis *datus* est, & justitia ejus datur, τὸ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα Rom.cap.5:vers.16. τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης ibidem vers. 17. adde Rom. cap. 3: vers.24. δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι. *Deum decere. Deus sanctus in hac justitia sanctificatus est.* Es.cap.5:vers.16. demonstratus *justus, justificans impium*. Rom. cap. 3: vers.26.cap.4:vers.5. Hâc enim justitiâ exstante, hoc jure vitæ parto, hoc impleto δικαιώματι, justum est apud Deum, justificare peccatorem; & injustus esset Deus, ni justificaret; & se ipsum abnegaret. Hæc justitia ut *Dei* dicitur, ita & *è Deo.* וְצִדְקָתָם מֵאִתִּי נְאֻם יְהוָה *Et justitia illorum è me est, inquit Dominus.* Es.cap.54:vers.17. τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην Phil. cap. 3: 9. Eadem dicitur esse ἐκ πίστεως *è fide*. Rom.cap.1:vers.17. cap.3:vers.22. cap.10:vers.6. Phil. cap.3:vers.9. Fides enim, qua credimus, Jesum *traditum propter lapsus nostros, & resuscitatum propter justificationem nostram*, Rom.cap.4:vers.25. facit nos *Christi* compotes, & *justitiæ*, quæ in Christo, & è Christo. Per *fidem induimus Christum*. Galat.cap.3:vers.26.27. & *justitiam* Christi. Es.cap.61:vers.10. *Et pallio justitiæ cooperuit me.* Inde dicimur, *fide justificari*. Rom.cap.3:vers.28. 5:1. Galat. cap. 2: vers. 16. & *fides* dicitur *in justitiam reputari* Rom.cap.4:vers.5. nec consideratur fides, ut opus, aut ut meritum, aut ut conditio vitæ ex multis aliis à Deo electa; sed ut medium, instrumentum, organum, quo Christum amplectimur, & eorum, quæ in Christo, simus participes, per applicationem & fiduciam. Eadem justitia dicitur *è fide* εἰς πίστιν *ad fidem* Rom. cap. 1: vers. 17. & ἐπὶ τῇ πίστει Phil. cap. 3: vers. 9. Ita fidei omne est, totum hoc fidei negocium, nil reputatur, nisi fides, sunt *opera* fidei fructus, argumenta, testimonia; imò & suo modo ac sensu *justificant* Jacob.cap.2: vers. 21. 24. 25. tamen *justitia* non est ex operibus, 1. Quia est justitia *Dei & è Deo.* 2. Quia est justitia *fidei*. 3. Quia est è *fide ad fidem*. Progressus etiam facit fides & proficit. E fide in fidem. A fide progredimur ad fidem. A fide præsentium ad fidem futurorum. A fide gratiæ, ad fidem gloriæ. A fide infirma ad fidem perfectiorem. Ita & Psalm. 85: 14. de *justitia* dicitur, לְפָנָיו יְהַלֵּךְ *ante se*, antrorsum, *progredietur*, hoc est, progressus habebit; novis cottidie illius fructibus implebimur. Phil. 1: vers. 11. Hæc denique justitia *revelatur*, & in *Evangelio* quidem, nam in illo autor justitiæ, *Christus Jesus*; medium justitiæ, *fides*; fructus justitiæ, *charitas* describitur & enarratur. Eadem dicitur νυνὶ *nunc manifestata*; hisce posterioribus temporibus in *causa* sua, quæ est Christus; & in omni plenitudine gloriæ suæ exhibita. confer Es. 56: ✝. 1. *Prope est justitia mea* לְהִגָּלוֹת *ut manifestetur.* Psalm. 98: 2. *Coram oculis gentium* גִּלָּה צִדְקָתוֹ *revelavit justitiam suam.* Et quidem χωρὶς νόμου *sine lege*, olim hæc justitia fuit, & fides populo in justitiam imputata fuit, & *Moses* non tantùm *scripsit justitiam, quæ è lege*, sed & quid *justitia fidei dicat.* Rom. 10: 5.6. Deut.30:10–14. sed fuit justitia Sponsoris consummandi; nunc exstitit consummati; fuit justitia adducenda; nunc est adducta; deinde & fuit cum *lege* cum *chirographo*, cum *ministerio* copulata καταργήσεως, quod tunc fuit δόξα *gloria*, & ἐν δόξῃ 2 Cor.3:7.9. Nunç autem est sine lege, sine chirographo, sine umbris, sine tegmine; imò in tantum περισσεύει *abundat ministerium justitiæ in gloria*, ut *non fuerit gloriosum* τὸ δεδοξασμένον ἐν τούτῳ τῷ μέρει, ἕνεκεν τῆς ὑπερβαλλούσης δόξης. 2 Cor.3:10. Certè imminuta valdè fuit *gloria justitiæ*, quamdiu viguit *gloria* legis, sacrificiorum, donorum, in quibus fuit *recordatio peccati, & exprobratio lapsus*;

quæ

quæ cum plena justitia non conveniunt. Nunc tanto major est gloria justitiæ; quia lex abolita, chirographum cruci adfixum, & ἀνάμνησις peccatorum cottidiana in sacrificiis, & donis dudum cessat. Habet hæc justitia *testimonium in lege & Prophetis* Rom. 3: 21. nam & Moses de illa scripsit; & legales umbræ illam præfigurarunt; licet & velarunt, ac texerunt; unde tot à justitia hac aberrarunt Rom. 9: vers. 31. 32. 10: 3. & Prophetæ passim de illa locuti sunt: Es. 54: vers. 14. *In justitia constabilieris.* Psalm. 143: 1. *Responde mihi in justitia tua.* Psalm. 40: 10. *Annunciavi justitiam in cœtu magno*, Psalm. 85: 11. *justitia & pax se osculantur*, jus Christi excipit pax gentium. vers. 12. *justitia è cœlo prospectat*, jus Christi è cœlo manifestatur. Psalm. 132: 9. *Sacerdotes tui induentur justitia.* Es. 42: vers. 6. *Vocavi te cum justitia*, ut jus filiorum vitæque parares. Hos. 2: 18. *Desponsavi te mihi per justitiam.* Es. 1: vers. 21. *Zion judicio redimetur*, & *resipiscentes ejus in justitia*, Psalm. 36: 7. *justitia tua, ut montes Dei.* Es. 45: vers. 24. *In Domino* צְדָקָה *justitiæ*, perfecta causa juris filiorum. Es. 59: vers. 16. 17. *Et justitia ejus sustinet eum*, *& indutus est justitia, ut lorica.* Ab hac justitia dicimur *justi* Es. cap. 59: vers. 21. *Et populus tuus* כֻּלָּם צַדִּיקִים *omnes illi justi.* In Domino *justificati* Es. 45: vers. 24. *In Domino justificabuntur*, *& gloriabuntur omne semen Israel.* Cum alias כְּבֶגֶד עִדִּים כָּל־צִדְקֹתֵינוּ *ut vestis sordida omnes justitiæ nostræ*, hoc est, omnia nostra rectè dicta & facta valde sunt contaminata. Denique & hoc maximum est hujus justitiæ elogium, quod dicitur צֶדֶק עֹלָמִים *justitia seculorum* seu æterna Dan. cap. 9: vers. 24. confer Psalm. 119: 142. צִדְקָתְךָ צֶדֶק לְעוֹלָם *justitia tua, justitia in seculum*, ut doceamur, manere illam, causam illius, fructumque illius in æternum; imò solam illam esse, qua justificamur. In secula enim nulla alia justitia justificabitur homo, quàm quæ est per fidem Jesu Christi. Hanc Christus jussit *quærere prius.* Matth. 6: 33. *Sitientes* illam dixit *beatos* Matth. 5: 6. Paulus maximo ad illam fervore aspiravit. Phil. 3: 8. 9. *Omnia æstimo* σκύβαλα εἶναι, *ut Christum lucrer, & inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ è lege, sed quæ est per fidem Christi*, de qua magnificè fatur. Rom. 14: 17. *Non est regnum Dei esus & potus*, ἀλλὰ δικαιοσύνη.

§. 9. Cum hac justitia conjuncta est ἄφεσις, ἀπολύτρωσις, καταλλαγή. Neque enim justitia donata esset, si non haberemus ἄφεσιν, aut indigeremus ἀπολυτρώσει & καταλλαγῆ. De ἀφέσει vide Actor. 13: 38. *Notum sit vobis; quod per hunc vobis* ἄφεσις ἁμαρτιῶν καταγγέλλεται. confer Act. 10: vers. 43. *Huic omnes Prophetæ testantur*, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν. Luc. 1: 77. ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν, *sanguis Jesu* effusus est εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Matth. 26: 28. De ἀπολυτρώσει. Ephes. 1: 7. Col. 1: 14. *In quo habemus* ἀπολύτρωσιν Rom. 3: 24. δικαιούμενοι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. 1 Cor. 1: 30. *factus est nobis a Deo* ἀπολύτρωσις. De καταλλαγῇ. Rom. 5: 10. *Cum inimici essemus*, κατηλλάγημεν τῷ θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Rom. 5: 11. δι' οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν 2. Cor. 5: vers. 18. *Omnia è Deo, qui reconciliavit nos sibi ipsi per Jesum Christum, & dedit nobis ministerium* τῆς καταλλαγῆς. vers. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi ipsi.* καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς. *Reconciliatio* fit inter eos, quos inter inimicitia fuit. Inimicitia per reconciliationem tollitur. Inter Deum & homines olim inimicitia fuit; sed in Deo fuit illa effectus justitiæ; in hominibus corruptionis & malitiæ. Non poterat homo se ipsum reconciliare Deo; nam nec iratum Deum poterat placare; nec se ipsum ad amorem Dei componere. Imò nec *lex* poterat; nam illa *iram operatur* Rom. cap. 4: vers. 15. faciebat πλεονάζειν τὸ παράπτωμα Rom. cap. 5: vers. 20. & *infirmata erat per carnem.* Rom. 8: 3. Igitur quod *impossibile erat* homini & legi, fecit *Deus*, *reconciliavit mundum*

Ἄφεσις, Ἀπολύτρωσις. καταλλαγή.

sibi ipsi, quumque id non posset salva justitia sua & lege, fecit id, *ad ostensionem justitiæ* Rom. 3:25. *in Christo, per mortem ejus*. Ita per mortem Filii unigeniti potuit hostes in amicitiam recipere, & omnibus benedictionibus ad vitam æternam cumulare. Hæc reconciliatio ante mortem Jesu fuit & non fuit. *Fuit*: nam Israëlitæ fuere *gens sancta* Deo, *populus peculii* Exod. 19: vers. 5. 6. ut *Abraam*, ita & illi φίλοι θεοῦ. Jacob. 2: 23. *Non fuit*; quia causa reconciliationis nondum ipso actu præstita fuit; non gustata mors, non fusus sanguis Filii Dei; nec, ut nunc, auditus ὁ λόγος τῆς καταλλαγῆς. *Gentes*, una pars reconciliandorum, fuere conclusæ in inimicitiam, hostes Dei, & populi Dei, ἄθεοι *sine Deo*. Si reconciliatio fuisset consummata, etiam gentes ad illius communionem debuissent adduci. Quamdiu illæ relictæ sunt extra Deum, testimonium id fuit, τὴν καταλλαγὴν necdum omnibus perfectam fuisse modis. Ἀπολύτρωσις *redemtio* fit per *positionem* λύτρου *redemtionis pretii*. Id non est *aurum & argentum*, quæ sunt inter φθαρτὰ *corruptibilia*, sed τίμιον αἷμα *immaculati*. 1 Petr. 1: vers. 19. Magnam emphasin habet vox ἀπολύτρωσις, non λύτρωσιν tantùm, aut partem λυτρώσεως, sed ἀπολύτρωσιν, λύτρωσιν ἀπὸ πάντων, *ab omnibus*, adeoque plenissimam & perfectissimam λύτρωσιν indicat. Est autem illa ἀπολύτρωσις παραβάσεων Hebr. 9: 15. est λύτρωσις ἐκ τῆς ματαίας ἀναστροφῆς 1 Petr. 1: vers. 18. ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, Galat. 3: vers. 13. & ἀπὸ δουλείας, & φόβου θανάτου Hebr. 2: vers. 15. Fuere illius participes ante Christum sancti Israëlitarum; ita tamen, ut & fuerint sub servitute, & *vincti in fovea, in qua haut aqua* erat, Zach. 9: 11. & ἡ ἀπολύτρωσις τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων facta demum dicitur *morte* Christi *facta*. Hebr. 9: vers. 15. Caruere illa gentes, miseræ enim illæ omnino redemtionis fuere expertes. Nunc autem in Christo obtinetur plenè & planè; nam mortuus est Christus, posuit lytrum, ablata servitus, maledictio, & gentes conversæ sunt. Ἄφεσις *remissio*, pleno sumta sensu, omnem προσφορὰν excludit Hebr. 10: 18. & ἀνάμνησιν ἁμαρτιῶν ibid. vers. 3. & omne χειρόγραφον. Col. 2: 14. Fuit olim ἄφεσις; nam Israëlitæ, Patriarchæque, à pœna peccatorum justificati, in gloriam æternam introducti sunt. Attamen cum illa ἀφέσει fuit προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας, fuit χειρόγραφον, fuit ὀνειδισμὸς παραπτώματος. Et gentes omninò illius fuere expertes. Nunc talis *annunciatur* ἄφεσις, quæ & gentes facit participes, & ab omnibus dogmatibus liberat. Scilicet, fuso sanguine Christi, in quo uno & solo est ἄφεσις, non potuit peccatum commemorari; aut oves è gentibus datæ Christo, peccato relinqui. Quamdiu autem sanguis ille defuit, peccatum exegit expiationem, illiusque Deus per cottidiana sacrificia voluit fieri commemorationem. Igitur & Christus Sponsor obligatus fuit ad ferendum pœnam; & sancti, pro quibus spoponderat, obligati fuerunt ad edendam obligationis hujus confessionem cottidianam, neque enim illi poterant gloriari solutum pro peccatis lytrum, quamdiu Sponsor nondum solverat; nec recusare scriptionem chirographi, ni fidem in Deum, & spem venturi Mediatoris abnegare voluissent. Hæc ἄφεσις promissa est Jerem. 31: 34. *Condonabo pravitatem illorum, & peccatorum illorum non recordabor amplius*, pro illa gratias agit ecclesia Psalm. 103: 2. 3. illiusque præcellentiam laudat Psalm. 32: 1. Maxima sunt autem hæc & incomparabilia officia. καταλλαγὴ *reconciliatio* adest; neque ergo Deus hostis noster; sed amicus; & nos ejus domestici. *Si cum inimici essemus reconciliati sumus Deo, quanto magis reconciliati* σωθησόμεθα Rom. 5: vers. 10. Ἀπολύτρωσις *redemtio*, liberati ergo sumus, *emti* τιμῆς, nec ulla nos vincula tenent. Ille tantùm *glorificandus* est, qui nos *emit*. 1 Cor. 6: vers. 20. Ἄφεσις καταγγέλλεται. Ergo nec *peccati* ἔτι συνείδησιν *habemus* & plenè *purgati* sumus. Hebr. 10: vers. 2. nec Deo, nec Legi quicquam pro peccatis debemus. Denique adeò nullum

est

est κατάκριμα τοῖς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. Rom. 8: vers. 1. τίς ἐγκαλέσει, τίς ὁ κατακρίνων. Ibid. vers. 33. 34.

§. 10. Cum hisce donis juncta est ἐλευθερία *libertas*, à servitute, à jugo, ab elementis mundi, sub quibus Israëlitæ olim fuere δεδουλωμένοι. Gal. 4: vers. 3. Spiritus cessat esse *Spiritus servitutis*; ergo & servitus ipsa cessare debuit. ἡ διακονία τῆς δικαιοσύνης nunc ad summum culmen τῆς δόξης ascendit. Ergo debuit ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως καταργεῖσθαι. 2 Cor. 3: vers. 8. 9. 10. 11. ubi est ἄφεσις ἁμαρτιῶν, οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας Hebr. 10: 18. justitia Dei manifestata est *sine lege*. Rom. 3: 21. Ergo nec consistere potuit cum lege. Lex addita est, *usque dum veniret semen, cui promissum est*. Gal. 3: 19. Id nunc semen venit. *Finis legis est Christus*. Rom. 10: 4. *Lex pædagogus exstitit in Christum. Veniente fide, non amplius sumus sub pædagogo*. Galat. 3: 24. 25. Christus est *factus sub legem*, ut *redimeret* τοὺς ὑπὸ νόμον Gal. 4: vers. 5. *& liberaret, qui obnoxii erant servituti* Hebr. 2: 14. Quamdiu *hæres puer* est, *nihil differt a servo*. Galat. 4: 1. Quamdiu Israël *puer* fuit, potuit sub elementis mundi servire, ut per Christum ἄφεσις *annuntiatur*, ita & *libertas ab omnibus, quibus in lege Mosis non potuerunt justificari*. Act. 13: vers. 38. 39. Notemus obiter, omnia instituta Mosaica, omnes ritus & ceremoniæ *justificare* non potuerunt; neque enim *data est lex, quæ posset vivificare* Galat. 3: 21. *nihil consummavit lex*. Hebr. 7: vers. 18. τῆς προαγούσης ἐντολῆς τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς serio inculcat Paulus Hebr. 7: 18. *Impossibile fuit, sanguinem victimarum auferre peccata*. Hebr. 10: 4. *Circumcisio nihil fuit*, sola τήρησις τῶν ἐντολῶν θεοῦ profuit 1 Cor. 7: 19. Fides comitata cultum ceremoniarum fecit illum utilem, & ut esset ἐπεισαγωγὴ κρείττονος ἐλπίδος Hebr. 7: 19. & σκιὰ τῶν μελλόντων. Hebr. 10: 1. Post Christum ergo desinere debuit lex, umbra corpori cedit. *Lex umbra* fuit. *Corpus Christi* est, Col. 2: 17. suum *onus & jugum tollere* commendavit Christus, non jugum Mosis. Matth. cap. 11: vers. 28. quinimo de hoc est Es. 9: vers. 3. *Iugum oneris ejus, virgam humeri ejus, baculum exactoris confregisti, ut in die Midian*. Igitur cessat nunc *circumcisio* manualis, cessant dona & oblationes, cessant differentiæ dierum, discrimina cibi & potus, diversæ *lotiones*, & *justificationes carnis*; quæ omnia *imposita* tantùm fuere *usque ad tempus emendationis* Hebr. 9: vers. 10. Id tempus Christus adduxit. *Ne igitur quis vos judicet in cibo aut potu, aut in parte festi, aut novilunii, aut Sabbatorum*. Col. 2: 16. *Regnum Dei non est esus & potus*, Rom. 14: 17. *ubi Spiritus Domini* ἐκεῖ ἐλευθερία 2 Cor. 3: 17. *Superna Hierusalem mater omnium nostrum est*, illa autem ἐλευθέρα ἐστιν Galat. 4: 25. *Inferior servivit cum filiis suis*. ibid. Sed non illa amplius; ergo nec servitus illius amplius. *Agar serva cum filio ejus ejecta est. Non sumus servæ filii, sed liberæ* Galat. 4: 30. 31. *Standum ergo in libertate est, qua Christus nos liberavit; nec rursum jugo servitutis innodemur*. Gal. 5: 1. *Si circumcidamini*, inquit Paulus, *nil vobis Christus proderit* Gal. 5: 2. quid ergo, si & sacrificemus, & lavemur, & diem præ die æstimemus. *Aboliti estis a Christo, qui in lege justificamini; gratia excidistis*. ibid. vers. 4. *In Christo Jesu circumcisio nil valet, ut nec præputium, sed fides per charitatem operosa* Galat. 5: 6. Omnis alia πεισμονὴ non est ἐκ τοῦ καλοῦντος. Galat. 5: 8. Galatarum ecclesiam *turbatores* quidam invaserant, suadentes circumcisionem, & observationem legis. Galat. 4: 9. 10. Galatæ illis obsecuti erant. vide, quot contra Paulus rationibus agat; Dicit, id esse *transferri a vocante nos in gratia Christi ad aliud Euangelium*; & ita *perverti* τὸ εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ Galat. 1: 6. 7. Illos, qui id moliebantur, vocat παρεισάκτους ψευδαδέλφους, qui *subintrarint* κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν, quam *in Christo habemus*, Gal. 2: 4. *veritatem Euangelii manere* non potuisse,

Ἐλευθερία. Libertas.

si

si illis vel πρὸς ὥραν cederetur ὑποταγῇ. ibid. vers. 5. Petrum, qui exemplo suo huic patrocinabatur errori, *coram omnibus* reprehendit. Galat. 2: vers. 11 -- 14. &c. Christum fore *ministrum peccati*, si qui illius, *adhuc deprehenderentur* ἁμαρτωλοὶ Galat. 2: 17. imò illum fore παραβάτην, si *quæ dissolverat, illa rursum ædificaret*. Gal. 2: 18. *O amentes,* inquit, *Galatæ, quis vos fascinavit*, τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι. Gal. 3: 1. *num ex operibus legis Spiritum accepistis, aut ex auditu fidei* vers. 2. *qui cæpistis Spiritu, nunc* σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε. vers. 3. *Qui ex operibus legis, sub maledictione* vers. 10. *cognoscentes Deum, magis vero cogniti à Deo, quomodo revertimini rursum ad infirma & egena elementa.* Galat. 4: 9. *Timeo vos, ne frustra laboraverim in vobis.* vers. 11. Tanti duxit demonstrare Paulus, quàm malum & noxium sit, post Christum, *velle esse* ὑπὸ νόμον, & *elementis mundi* velle πάλιν ἄνωθεν δουλεύειν, ἡμέρας παρατηρεῖσθαι, καὶ μῆνας, καὶ καιροὺς, καὶ ἐνιαυτούς. Galat. 4: 9. 10. 21. Imò id longè expressissimis verbis declaratur Esai. 66: 3. *Mactans bovem* est *percutiens virum*; *sacrificans agnum, decervicans canem*; *offerens munus, sanguinem porci*; *adolens thus, benedicens vanitati.* Ideò & Apostoli *gentibus* ad Christum *conversis* noluerunt *jugum* legis imponi, ut pluribus patet ex actis in Synodo Hierosolymitana. Actor. 15: 10 -- 29. Judæis, pro lege *zelantibus* Act. 21: 10. aliquantisper cesserunt Apostoli. Paulus ἐλεύθερος ἐκ πάντων, πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσε 1 Corinth. 9: 19. Imò & suasit, *bonum* esse τὸ μὴ φαγεῖν κρέα, μηδὲ πιεῖν οἶνον, nec quicquam facere, in quo *frater* infirmus, aut *offendat*, aut *scandalizetur*, aut *infirmetur*. Rom. 14: 21. Sed paulatim desierunt ritus Judaici; imò destructa Hierusalem & sanctuario typico planè ab omnibus Christianis deserti sunt. Deo insuper Christianos à Judæis defectoribus separante, *Recedite, recedite, exite inde, exite è medio illius*, Hierosolymæ, *separamini*, &c. Esai. cap. 52: vers. 11. *Visionem & prophetam obsignante*: Dan. 9: 24. imò & *sacrificium & munus septimana una & dimidia abolente.* Dan. 9: 27. Gentibus dedit Spiritum incircumcisis. Petrum in visione erudivit, nihil esse impurum, quod Deus purgavit. Fide corda gentium purgavit; nil discernens illas inter & Judæorum sanctissimos. Ita legis inutilitatem ostendit; zelotas illius confudit, libertatem propius commendavit. Imò & *Principes prioris seculi abolevit* 1 Corinth. 2: 6. qui *in cathedra Mosis sedentes, ligabant onera*, & servitutis erant *exactores* Matth. 23: vers. 2. 3. 4. Zach. 9: 7. Hæc ἐλευθερία maximum Testamenti Novi bonum est, quantum enim onus legis jugum fuit, Act. 15: 10. tantum bonum hæc *libertas* est; quæ nullo mutanda pretio; nullaque imminuenda parte est. Qui putant, Christum rediturum in terris, & cultum talem, ut Leviticus olim fuit, rursum instituturum, illi, quid Christus sit, quid libertas à Christo parta, imò quid Servitus vetus planè ignorant. *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid ut viventes in mundo* δογματίζεσθε Coloss. 2: 20. Tenenda ergo libertas est; id unum tantùm cavendum, ne ἡ ἐξουσία ὑμῶν γένηται πρόσκομμα 1 Cor. 8: vers. 9. & ne ἡ ἐλευθερία ἐφ' ᾗ ἐκλήθημεν, fit εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκὶ Galat. 5: 13. neque habeatur ὡς ἐπικάλυμμα κακίας 1 Petr. 2: 16. *Si Filius vos* ἐλευθερώσῃ, ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε Joh. 8: 36. Duplex est *libertas*, quæ beneficium Filii; una à *peccato*, una à *lege*. Illa & heri fuit, hæc hodie tantùm. Libertas à peccato, ut & à lege servitutem Dei non excludit. νυνὶ δὲ ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, δουλωθέντες δὲ τῷ Θεῷ. Rom. 6: 22. *Liberum* enim esse *justitiæ* & Deo, est minimè liberum, sed maximè servum esse. Rom. 6: 20. Hanc sanctorum *libertatem* ἐν ὑστέροις καιροῖς, multos, qui *defecturi essent à fide*, tentaturos, *Spiritus* ῥητῶς *dixit*. 1 Tim. 4: 1. 2. 3. confer Col. 2: 21.

Εἰρήνη Pax. §. 11. Inter bona, quæ adduxit Christus, haut infimum *Pax* est. *In terra Pax.* Luc. 2: 14.

Regnum

Regnum Dei est justitia & pax. Rom. 14: 17. Pax cum *Deo*; pax cum *mundo*, pax Israëlis & gentium; ut nimirum gentes habeantur *pro concivibus & domesticis Dei* Ephes. 2: vers. 19. & ne quis se *ab illis subducat & separet.* Galat. 2: 12. Hæc pax sequela est τῆς καταλλαγῆς *reconciliationis*, quâ *Deus mundum reconciliavit sibi in Christo*, neque enim gentes reconciliatæ Deo potuerunt manere Israëlis hostes; quinimò debuit *rumpi* τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, & τὰ ἀμφότερα fieri ἓν, & οἱ δύο *creari in unum novum hominem*, & utrisque προσαγωγὴ concedi ἐν ἑνὶ πνεύματι πρὸς τὸν πατέρα Ephes. 2:14 - 18. *Et in gentes venire* ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραάμ. Gal. 3: 12. Hæc pax, ut effectus est τῆς καταλλαγῆς, ita ejusdem est argumentum & clarum testimonium; per illam hæreditas Christi dilatata; & promissio Abraamo facta, fore illum *haeredem mundi* Rom. 4: 13. impleta est. *Inimicitia* adversus gentes, *quarum etiam erat promissio* Act. 2: 39. non potuit non sanctos *pacem* quærentes Hierosolymæ, & ampliationem regni Christi, tristitia afficere. Ergo hæc pax, inimicitiam tollens, non potuit non sanctè illos gaudio implere. Ita *unus pastor* exstitit, *unus grex* Joh. 10: 16. Deus, *gentium & Judaeorum Deus* Rom. 3: 39. Nec amplius fuit *distinctio Judei & Greci*, ὁ γὰρ αὐτὸς κύριος πάντων, πλουτῶν εἰς πάντας Rom. 10: 12. confer 1 Cor. 12: 13. Gal. 3: 28. Col. 3: 11. *ubi non est Judaeus & Graecus, circumcisio & praeputium, Barbarus, Scytha, servus, liber, sed omnia, & in omnibus Christus.* Igitur & *gentes* causam habent ὑπὲρ ἐλέους δοξάσαι τὸν θεὸν Rom. 15: 9. quod factæ sunt *cohaeredes, concorpores, & participes promissionis in Christo* Ephes. 3: 6. & dicere, *mactatus es, & emisti Deo nos in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo & gente.* Apoc. 5: 9. Lege hic Es. 56: 3 – 8. Apostoli & fratres Hierosolymitani audientes à Petro conversionem gentium, ἐδόξασαν τὸν θεὸν, Actor. 11: 18. Hanc *pacem* Christus *fecit per sanguinem crucis* Col. 1: 20. *inimicitiam in carne sua abolevit* Ephes. 2: 15. & *alias has oves adduxit* Joh. 10: 16. De hac *pace* plura diximus cap. IV. §. 183. 184. Lege Es. 54: 1. 2. 3. *semen tuum gentes hereditabit.*

§. 12. Sed audiamus Deum ipsum bona *Novi Testamenti*, quod in diebus posterioribus pepigit *cum domo Judah & Israel* enarrantem Jerem. 31: ℣. 32. 33. 34. ita igitur ille, נָתַתִּי אֶת־תּוֹרָתִי בְּקִרְבָּם *dabo legem meam in medio illorum.* Paulus Hebr. 8: 16. διδοὺς νόμους μου εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν *dans leges meas in mentem* seu cogitationem eorum, confer Heb. cap. 10: vers. 16. Jehovah, qui Novum Testamentum pangit, Mediator melioris Testamenti, *legem* habet. Esai. cap. 42: vers. 1. 4. *Ecce servus meus,* וּלְתוֹרָתוֹ *& ad legem ejus insulae praestolabuntur.* Deut. 33: vers. 3. 4. *Accipit è sermonibus tuis* תּוֹרָה *legem* quam *praecepit nobis Moseh*; *haereditatem Ecclesiae Iacobi.* Ergo & Moses illam *legem* præcepit, unde & apud Malachiam, in quo prophetia concludit, monet Deus, *recordamini legis Mosis servi mei, quam praecepi illi in Horeb, ad omnem Israelem statuta & judicia.* Mal. 4: 4. seu 3: 22. Nam & *Moses describit*, quomodo ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη λέγει. Rom. 10: 6. 7. 8. Et de *Christo* Moses *scripsit* Joh. 5: 46. *Et justitia Dei in lege & Prophetis testimonium habet.* Rom. 3: 21. Tamen præter hanc Moses & aliam *legem* scripsit. *Moses enim scribit justitiam, quae è lege, quod qui fecerit illa homo vivet in illis.* Rom. 10: ℣. 5. Lev. 18: 5. Imposuit etiam *legem praeceptorum in placitis.* Ephes. cap. 2: vers. 15. Hebr. cap. 9: 9. 10. Unde ministerium illius vocatur διακονία τοῦ θανάτου & τῆς κατακρίσεως. Τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει 2 Cor. 3: 6. 7. 9. Quo respectu distinctio ponitur Mosen inter & Christum, *Lex per Mosen data est; gratia & veritas per Iesum Christum exstitit.* Johan. cap. 1: vers. 17. Lex Mediatoris Novi Testamenti, non est Lex de carnalibus sacrificiis; nec Lex operum, defectum propriæ justitiæ & κατάραν exprobrans; sed

Bona Novi Test. prædicta per Jeremiam.

Legem meam dabo in medio illorum.

sed est Lex *gratiæ & veritatis*, Lex *justitiæ fidei*, λόγος ἀληθείας, & εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας Ephes. 1:13. λόγος τῆς καταλλαγῆς 2 Corinth. 5: vers. 19. πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ὅτι Χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον, ἁμαρτωλοὺς σῶσαι. 1 Tim. 1:15. Est λόγος, in quo ἄφεσις καταγγέλλεται, καὶ ἀπὸ πάντων, &c. Actor. 13: ℣. 39. Hæc Lex vetat *dicere*, *quis ascendet in cælum*; post secundam scilicet cum morte & inferno luctam, & impetratam victoriam. *Aut, quis descendet in abyssum*, ut secundò moriatur, & ex abysso ac orco redimat. Sed jubet *confiteri ore Dominum Iesum*, manifestatum in carne, traditum in mortem; *& credere, quod resuscitavit illum Deus è mortuis.* Rom. 10: vers. 6–9. Ergo hæc Lex, quam Messias dat, est Lex injungens fidem mortis & resurrectionis Domini, adeoque satisfactionis pro peccato, reconciliationis cum Deo, liberationis ab omni jugo. Hæc Lex dicitur Paulo νόμος πίστεως, quam distinguit à νόμῳ τῶν ἔργων, & docet *excludere* καύχησιν; non tamen *legem* καταργεῖν sed ἱστᾶν *stabilire*. Rom. cap. 3: 27. 31. Lex enim fidei docet, haut gloriandum in nobis. 1 Cor. 1:29. *ut ne* καυχήσηται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ, sed ὁ καυχώμενος, ἐν κυρίῳ καυχάσθω ibidem vers. 31. Et *legem* operum non abolet, sed *stabilit*, illius enim *justitiam omnem* Christus autor legis fidei implevit; adeoque ipsum τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου in credentibus impletum est. Rom. cap. 8: vers. 4. Et semper illa Lex est sanctis *Lex regia, Lex libertatis, per quam* μέλλομεν κρίνεσθαι. Jacob. cap. 8: vers. 12. Lex hæc fidei magna in sacris encomia habet. Prov. cap. 6: vers. 23. נֵר מִצְוָה וְתוֹרָה אוֹר *præceptum* est *lucerna*, & *Lex* est *Lux*. Psalm. 1:2. *Beatus, cujus* בְּתוֹרַת יְיָ *in lege Domini voluptas, & in lege ejus meditatur interdiu & noctu.* Psal. 19:8. *Lex Jehovæ integra, restituens animam.*

§. 13. De hac lege promittit Mediator, *dabo in medio illorum*, domus nimirum Judah & Israel. Vox בְּקֶרֶב notat sæpè *interius* hominis. Ezech. cap. 11: vers. 19. *Spiritum meum dabo* בְּקִרְבְּכֶם *in medium vestri*, hoc est faciam esse intra vos. Zach. cap. 12: vers. 1. *Formans Spiritum hominis* בְּקִרְבּוֹ Psalm. 40:9. *Lex tua* בְּתוֹךְ מֵעָי *in medio viscerum meorum.* Sæpe notat id, quod est inter homines, quod propè illos est, & non procul ab illis distat. Genes. 45:6. *Famies est* בְּקֶרֶב הָאָרֶץ *in medio terræ.* confer Psalm. 74: 12. Psalm. 82: 1. *Deus stat in cœtu Dei,* בְּקֶרֶב אֱלֹהִים *in medio Deorum judicat.* Hos. 11:9. בְּקִרְבְּךָ קָדוֹשׁ *in medio tui sanctus.* adde Joël. 2: 27. utroque modo hic. *Dabo in medio illarum*; ut mentibus obversetur; ita Paulus εἰς τὴν καρδίαν αὐτῶν, & omnium auribus & oculis exposita sit. Quomodo autem? 1. Per impletionem. 2. Per præconium. Cum legem fidei *implevit* Jesus, hoc est, cum mortuus est, resurrexit, & ascendit, nonne legem fidei posuit in medio nostri; hoc est, annon te ipsa præstitit id, quod ad salutem & solatium credendum est? Tunc Lex illa *vera* facta est in Christo, adeoque & in nobis. 1 Joh. cap. 2: vers. 8. Deinde cum ipse Christus Euangelizavit, Ephes. cap. 2: vers. 17. *Et veniens Euangelizavit pacem*; & Apostolos misit in habitabilem totam, ut Euangelium annunciarent omni creaturæ, annon tunc posuit in medio omnium? Ideò Lex hæc, & *verbum* hoc, & *præceptum* hoc, *non est mirabile præ nobis, neque longinquum id. Non in cælo ad dicendum, quis ascendet nobis in cælum, & accipiet illud nobis, & faciet audire illud nos. Et non ultra mare id, ad dicendum, quis transibit nobis ad ultra mare & accipiet illud nobis*, &c. *Sed propinquum est ad te verbum valde, in ore tuo, & corde tuo, ut facias illud.* Deut. 30: 11. 12. 13. *In omnem terram exivit sonitus illorum, & usque ad terminos habitabilis verba illorum.* Rom. 10:18. *Verbum hoc Domini manet in seculum.* Es. 40: 8. τοῦτο δέ ἐστι τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς. 1 Petr. 1:25.

§. 14. Observemus 1. Unde Lex hæc exierit. Es. 2:3. *Ex Zion exibit* תּוֹרָה *Lex, & verbum*

bum Domini è Ierusalem, è Sione prodiit Christus. Psal. 50:2. è Sione exiverunt Apostoli. Actor.1:8. Inde verbum de Christo prolatum est. *Et* Zionis civibus fuit ἀναγκαῖον πρῶτον λαληθῆναι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. Act.13:46. 2. Quousque processerit, ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς Act. 1: ℣.8. εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης. Rom.10:18. Non mansit intra Zionis terminos, sed & in desertum permeavit, & in *insulas*. *Ad legem ejus insulæ præstolabuntur*, si præstolabuntur ad legem, oportet ut in medio illarum posita fuerit Lex; Christus *veniens Euangelizavit* τοῖς μακρὰν, καὶ τοῖς ἐγγύς. Ephes.2:17. confer 3:8. ἐν τοῖς ἔθνεσιν εὐαγγελίσασθαι Act.28:28. τοῖς ἔθνεσι ἀπεστάλη τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ; αὐτοὶ καὶ ἀκούσονται. 1 Tim.3:16. ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ. Inde gentium gloriatio. *Quæ abscondita fuerunt Domino Deo nostro revelata sunt nobis & filiis nostris in seculum.* Deut.29:29. confer Rom.16:25.26. μυστηρίου.... εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθέντος.

§.15. Denique notandum, quomodo hæc promissio sit propria Novi Testamenti, nam & sub Vet. Testamento lex fidei innotuit, fides reputata illis est in justitiam. Moses justitiam fidei scripsit. Tamen nunc demum plenè dicitur *posita in medio*. 1. Quia nunc Lex illa actu in Christo est impleta, quæ olim in illo erat implenda; Ἐπαγγελία versa est in εὐαγγέλιον. 2. Quia nunc sine velo, tegmine figurarum, sine mixtura iræ & κατάρας promulgatur, ut justitia Dei nunc sine lege manifestatur, ita & hæc Lex. Velum id fecit, ut multi Israëlitarum legem fidei in medio illarum positam non agnoscerent, & ex lege operum justificari quærerent. Rom.9:31. 10:3. Imò *velum* Mosis, hunc usque in diem, *super cor infidelium* horum κεῖται. 2 Cor.3:15. 3. Quia ita posita est in medio Israëlis, ut & promulgata sit extra Israëlem; & notificata gentibus; quæ fide ad Israëlem accedentes, unum cum illo, adeoque & ipsæ *Israel* factæ sunt. Es.27:℣.6. *Advenientes radicabit Iacob. Non omnes, qui ex Israel sunt Israel.* Rom.9:6. Gentes, quæ non sunt ex Israël, factæ sunt Israël.

§.16. Hæc Lex posita in medio nostri, *manifestavit & notificavit nomen Dei* Joh. 17: vers.6.26. *Mysterium temporibus secularibus tacitum* Rom. 16:25.26. σοφίαν τοῦ θεοῦ τὴν πολυποίκιλον 1 Cor.2:7. Ephes.3:10. τὸ πλοῦτον τοῦ χριστοῦ τὸ ἀνεξιχνίαστον Ephes.3:8. fecitque καταλαβέσθαι, τί τὸ πλάτος, καὶ μῆκος, καὶ βάθος, καὶ ὕψος. Ephes.3:18.

§.17. Secundò promittit Dominus, se *datam in medio legem*, hoc est, positam in publico, in omnium oculis, auribus, & cogitationibus, in *corda inscripturum*. וְעַל לִבָּם אֶכְתֲּבֶנָּה *Et in corda illorum inscribam illam* confer Heb.8:10. 10:16. καὶ ἐπὶ καρδίας αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτούς. Cor hominis naturâ *malum* est Genes.6:4. 8:21. Jerem.17:9. Est לֵב הָאֶבֶן *cor lapideum* Ezech.11:19. omnis sensus & vitæ expers; spiritualiter mortuum. In multorum cordibus est damnabilis quædam שְׁרִירוּת *firmitas*, obstinatio Deut.29:19. Omni cordi naturaliter *inscriptum est* τὸ ἔργον τοῦ νόμου *opus legis*. Rom.2:vers.15. Ipsa enim docet natura, quæ Lex præcipit & vetat. Jerem.17:vers.1. *Peccatum Iudæ exaratum est* עַל לוּחַ לִבָּם *super tabula cordis illorum*, nam cor naturaliter de peccato redarguit & convincit hominem. Hæc lex fidei, de qua Nov. Testamet. pollicetur, non est φύσει in corde scripta. Mysteria illius *excedunt omnem cogitationem* Phil.4:7. ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη 1 Cor.2:℣.9. confer 1 Cor.2:14. Igitur quod in homine non est per naturam, promittit Deus se facturum per gratiam. Non scribit Deus μέλανι *atramento*, sed πνεύματι *Spiritu*. 2 Cor.3:3. Dum *mittit* in *corda Spiritum*, & illa *purgat per fidem*, & *aperit* Actor.15:9. 16:vers.14. Galat.4:6. Legem suam in illa inscribit. Tunc inscripta est Lex Dei in corda nostra, cum illam amamus, retinemus, observamus, & in fide amplectimur. Non id fit, nisi *cor* creetur *novum* Psalm.51:12. & è lapideo fiat *carneum* Ezech.11:19. & incircumcisum *circumciditur* Deut.30:6. & *a conscientia mala aspergatur*. Heb.10:22. Ergo & hæc omnia promit-

Et in corda illorum inscribam illam.

mittuntur, quum inſcriptio legis in cor promittitur. Promiſſio inſcriptionis legis in cor eſt numeranda inter illa promiſſa, quæ ſunt τὰ κρείττονα καὶ ἐχόμενα σωτηρίας. Heb. 6:9. In quorum enim corda inſcripta Lex eſt; illis *fides* data eſt, cujus τέλος, σωτηρία ψυχῶν. 1 Pet. 1:9. Lex ponitur in medio etiam illorum, qui ſunt πρόσκαιροι, & παραπίπτοντες, nam & illi dicuntur *illuminari, guſtare donum cœleſte, participes fieri Spiritus S.* &c. Heb. 6:4.5. imò & *cognoviſſe viam juſtitiæ*. 2 Pet. 2:21. Sed in nullorum inſcribitur corda, niſi qui ſunt τεταγμένοι εἰς ζωήν. Illi enim ſoli *credunt*. Act. 13:48. Verbum de Sina pronunciatum inſculptum fuit lapidibus, ἡ διακονία τοῦ θανάτου fuit ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις 2 Cor. 3:7. Lex hæc melior inſcribitur οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλ᾽ ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις 2 Cor. 3:3. Tabulæ lapideæ rumpi potuerunt, & ob transgreſſionem ruptæ ſunt. Tabulæ carneæ ſervantur Deo integræ, per interceſſionem Mediatoris, ut ne unquam ex illis fides deficiat. Luc. 22: ℣. 32. Scripſit olim Deus in lapidibus, docens, ſe & ſcribere in cordibus. In lapidibus ſcribendo tacitè exprobravit lapideum Iſraëlis cor. Rumpendo lapides redarguit illos rupti fœderis. Jubendo Moſen ſecundas tabulas ſculpere Exod. 34:1. oſtendit lubitum ſibi eſſe experiri, quantum διακονία θανάτου lapidibus inſculpta, ἐν δόξῃ conſtituta, apud peccatorem poſſit. Eventus docuit, ad converſionem peccatoris illam nihil potuiſſe. Nemo enim Iſraëlitarum è mero legis auditu amantior Dei factus eſt. Nunc meliora promittit. *Inſcribam in corda*; quæ ut conſentaneè Novi Teſtamenti *melioribus promiſſionibus* accipiantur, cogitandum eſt 1. Deum promittere *inſcriptionem legis in cor*; & quidem in cor tantùm; non amplius in tabulas, ergo *miniſterium* lapidum, & *mortis*, & *condemnationis* debuiſſe abrogari. 2. Neminem eſſe hæredem Novi Teſtamenti, cujus in cor non ſit inſcripta Lex. Ita promittitur *coërcitio defectionis* Dan. 9:24. *ſeparatio* defectoris populi *ab omnibus tribubus Iſrael* Deut. 29:21. qui ſpreta lege juſtitiæ fidei *dixit Pax mihi, quum in obſtinatione cordis mei ambulabo*. ibidem vers. 19. qui tabulas lapideas geſſit, *in carne confiſus eſt*, & caruit *cordis circumciſione* Rom. 2:28.29. & legis in cor inſcriptione & ſub veteri diſpenſatione eodem nomine, & ejuſdem terreni pignoris poſſeſſione gaviſus eſt. 3. Legem hanc inſcribendam per Spiritum filiationis, per circumciſionem ἀχειροποίητον, per effuſionem charitatis filialis in corda noſtra. Nam Lex, nuncians Servatorem carne mortificatum, Spiritu vivificatum, ſublimè exaltatum, non potuit niſi per talem Spiritum inſcribi, nec tunc amplius potuit Spiritus ut Spiritus ſervitutis operari; aut ſanctis Dei ulla benedictio ſpiritualis parcius diſtribui.

Et ero illis in Deum. §. 18. Tertio. וְהָיִיתִי לָהֶם לֵאלֹהִים וְהֵמָּה יִהְיוּ לִי לְעָם *Et ero illis in Deum, & illi erunt mihi in populum* confer Hebr. 8:10. καὶ ἔσομαι αὐτοῖς εἰς Θεόν, καὶ αὐτοὶ μοι εἰς λαόν. confer Ezech. 11:20. Jer. 7:22. Deus olim Abraamo dixerat, *ut ſim tibi in Deum, & ſemini tuo poſt te*. Ideò & è rubo dixit, *ego Deus Abraam, Deus Iſaac, Deus Iacob*. Exod. 3:6. & de Sina, *ego Iehova Deus tuus*. Exod. 20:1. De emphaſi hujus appellationis diximus lib. II. cap. VII. §. 16–22. Deus, qui erat Deus Iſraëlis, promittit; ſe ſub Nov. Teſt. fore Deum Iſraëlis. Ergo fuit Iſraëlis Deus; & non fuit; dicit enim, *& ero*. Id & obſervare licet è Geneſ. 17. cum verſ. 6. dixiſſet, *ut ſim tibi in Deum & ſemini tuo*, pergit vers. 7. *Et dabo ſemini tuo poſt te totam terram Canaan*, וְהָיִיתִי לָהֶם לֵאלֹהִים *Et ero illis in Deum*, jam erat in Deum, nil minus dicit, *& ero*, imò & *tempus* notat; cum *tota* terra Canaan ſemini Abraami ceſſerit in poſſeſſionem, id quod ſtante ſecundo templo, ſubjugatis Idumæis, Philiſtiniſque omnibus, imprimis factum; ad quod templum *Dominus, Angelus fœderis venit*. Mal. 3:3. ut & inde doceamur, Deum per Mediatorem ita demum fieri in Deum. confer Levit. 26: vers. 12. *Et ambulabo in medio veſtri, & fiam vobis in Deum, & vos eritis mihi populus*. En. poſtquam ambulavit in medio noſtri Deus, h. e. Sermo caro factus habitavit in nobis, fit

Deus

Deus in Deum. Observetur nunc differentia. Ante Christum natum & consummatum, fuit Deus certè Deus sanctorum; sed Deus adhuc reconciliandus per actuale lytrum, *per mortem Filii*, Rom. 5: vers. 10. exaltandus in judicio, sanctificandus in justitia, demonstrandus justus in impiorum justificatione. Per Christum factus est Deus, Deus reconciliatus, exaltatus, sanctificatus, & demonstratus justus. Igitur hoc est, quod promittit, *Et ero illis in Deum*, per oblationem Filii plenissimè reconciliatus mundo. Ante fuit Deus Israëlis Deus; sed Deus, qui dicit וְאָנֹכִי בָּעַלְתִּי בָם *Ego dominatus sum in illis* Jerem. 31: vers. 32. ἠμέλησα αὐτῶν *neglectius habui illos*. Hebr. 8: 9. Imò *Deus* מַסְתִּיר פָּנָיו *abscondens facies suas a domo Iacob*. Es. 8: 17. confer Es. 54: 8. *In pauxillo effervescentiæ abscondi facies meas momento à te*. Imò *Deus*, qui & alios dixit אֱלֹהִים *Deos*. Psalm. 82: 6. *Ego dixi, Dii vos*. confer Joh. 10. *Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est*, 1 Cor. 8: 5. *siquidem sunt* λεγόμενοι θεοὶ *dicti Dii in cœlo, & in terra*. Non erant Dei per naturam; sed *dicti* tantùm sunt Dii per œconomiam. Nunc sub Novo Testamento promittit, *Ero vobis in Deum*; Deus *consolator* Es. 40. vers. 1. 66: 13. qui *miseratur tui in gratia seculi* Es. 54: vers. 7. 8. qui facit *lucere faciem* gratiosam *super te* Psalm. 4: 7. qui dictos illos Deos *abolet*, & *exuit* 2 Cor. 2: vers. 6. Col. 2: vers. 15. & *intermori ac occidere* facit Psalm. 82: 7. Ero in *Deum*, imò & in *Patrem* 2 Cor. 6: vers. 18. καὶ ἔσομαι ὑμῖν εἰς πατέρα confer Hos. 2: vers. 18. *Et vocabis me* אִישִׁי *vir meus*; & *non amplius vocabis me* בַּעְלִי *Herus meus*. Est igitur in his promissio plenissimæ reconciliationis, & libertatis, & manifestandi Regni Dei. Pari accipienda emphasi est altera pars promissionis, *Et eritis mihi in populum*. Cicero apud August. de civitate Dei libr. 2. cap. 21. *Populus, non omnis cœtus multitudinis; sed cœtus juris consensu, & utilitatis communione sociatus*. Ita & *populus* in sacris κατ' ἐξοχὴν dicitur multitudo fœdere Dei consociata, ad audiendum verbum Dei, & fruendum bonis & benedictionibus Dei. Fuit Israël ab initio Dei populus, Exod. 6: vers. 7. *& accipiam vos mihi in populum*, Deuter. 4: vers. 2. *ut esses ei populus hæreditatis*, Deuter. 7: vers. 6. *populus sanctus es tu Iehovæ; te elegit Dominus, ut esses ipsi* לְעַם סְגֻלָּה *populus peculii*. confer Deuter. 14: vers. 2. 26: vers. 18. Nil minus tamen promittit Deus, *Eritis mihi in populum*. Ita & Jerem. 7: vers. 23. 11: vers. 4. 13: vers. 11. 24: vers. 7. 30: vers. 22. 31: vers. 1. 32: vers. 38. Adeò & hæc gratia quoad πλείωσιν *consummationem* ad Novum Testamentum pertinet. Scilicet sumus nunc præstantiore modo *populus Dei*; soli Deo in Spiritu & veritate servientes; ad solum Deum, non ad terrestrem cathedram aut templum manufactum convenientes; non Mosen, non Legislatores, Mosis successores, pro œconomis & tutoribus agnoscentes; in quem sensum etiam dicimur *Ecclesia Dei vivi*. Ita sumus *populus*, ut & *filii & filiæ*. καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι εἰς υἱοὺς καὶ θυγατέρας, λέγει κύριος παντοκράτωρ. 2 Cor. 6: 18. Maxima hæc est promissio. Psalm. 33: 11. *Beata gens, cujus Iehovah Deus. Populus, quem elegit hæreditatem sibi*. Deut. 33: 29. *Beatus tu Israël! quis ut tu, populus salvatus in Domino*. Es. 60: 21. *Populus tuus omnes justi*.

Et illi erunt mihi in populum.

§. 19. Quartò. *Et non docebunt adhuc vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicendo* דְּעוּ אֶת יְיָ *cognoscite Dominum. Nam omnes illi cognoscent me inde a parvulo illorum & usque ad magnum illorum, dicit Dominus*. confer Hebr. 8: 11. Hujus sententiæ pars prior est negativa, posterior affirmativa. *Non docebunt adhuc vir proximum suum*, πάλαι olim docuit vir proximum suum; id nunc *non adhuc* fiet. *Locutus est olim Deus Patribus in Prophetis*, Heb. 1: 1. omnium Prophetarum Pater fuit *Moses, servus ille fidelis in tota domo Dei*, εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων Hebr. 3: 5. Prophetæ post Mosen aliis verbis,

Et non docebunt adhuc vir proximum suum.

 alio

alio ſtilo, alia methodo ſunt locuti & ad alias perſonas. Tamen radix & ſubſtantia omnis verbi in Moſe eſt. *Omnes Prophetæ & lex ad Joannem uſque prophetarunt.* Matth. 11: verſ. 13. ἀπὸ τότε ἡ βασιλεία τ͂ θεῦ διαγγελίζε) Luc. 16: verſ. 16. Johannes etiam *Propheta* fuit Luc. 1: 76. Chriſtus, Propheta omnium maximus. Actor. 3: 22. Etiam Apoſtoli fuere Doctores & Prophetæ. Johannes ſcripſit totum librum Propheticum. In illo deſiit prophetia; unde & ita concludit, *Si quis addat ad ſermones Prophetiæ hujus, addet ſuper illum Deus plagas*, Apoc. 22: 18. confer Dan. 12: 4. omnes hi prophetæ non tantùm fuere nuncii futurorum, ſed & monitores præſentium, & doctores rudium. Modo docendi uſi ſunt planè extraordinario. *Locuti ſunt, acti à Spiritu Sancto.* 2 Petr. 1: verſ. 21. Illa omnia, cum authoritate prolocuti ſunt, dicentes, *ſic dicit Dominus Zebaot, Deus Iſraël.* Jerem. 44: 2. Ezech. 20: 5. Jerem. 31: 1. 22: 1. Eſ. 8: 11. Hoſ. 1: verſ. 1. 2. Joël 1: 1. Hag. 1: 13. Ita etiam Apoſtoli. 1 Theſ. 2: 13. *Accipientes ſermonem auditus a nobis, accepiſtis non ſermonem hominum, ſed, ut eſt verè, ſermonem Dei.* 2 Tim. 3: 16. πᾶσα γραφὴ, θεόπνευςος. Hanc prophetiam & doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum defituram; imò non tam prophetian, quàm modum prophetiæ; non doctrinam, ſed modum doctrinæ, docet Deus, *Non docebunt adhuc vir proximum ſuum, &c.* ac ſi dicat: Non amplius erunt Prophetæ & Apoſtoli, cum infallibili authoritate loquentes, & novas prophetias ſubinde afferentes; quique dicant, *ſic locutus eſt ad me Dominus.* Dices. Ita videbitur conditio noſtra deterior, quàm veterum. Nam etiamnum pulchrum eſſet, ſi ſubinde mitterentur Prophetæ, de futuris & præſentibus docentes infallibiliter. Reſp. minimè. Prophetia obſignata eſt, & perfecta; continet omnia, quæ ad ſalutem & conſolationem ſcitu ac creditu ſunt neceſſaria; ea ita clarè ſunt dicta, & plenè pronunciata, ut nihil addi opus ſit. Si alii adhuc venirent Prophetæ, viderentur nondum perfecta eſſe, quæ dicta ſunt; aut etiam addi illis aliquid poſſe. Quamdiu Prophetas & Apoſtolos dedit Dominus, ſignum id fuit, ſermonem Dei & verbum ad majorem adhuc proficere debuiſſe perfectionem; quæ brevius dicta, copioſius fuiſſe explicanda; quæ prætermiſſa, addenda. Docet igitur hæc promiſſio, *non docebit*, &c. obſignandam fuiſſe prophetiam & doctrinam cœleſtem; nec deinceps venturos amplius Prophetas & Apoſtolos, cœleſti & divina authoritate loquentes & ſcribentes. Et hæc ſanctorum Novi Teſtamenti, haut exigua felicitas eſt. Ita copioſè habitat in illis verbum Dei; ita perfectus eſt theſaurus doctrinæ cœleſtis; ut nullo egeamus doctore, qui præter ea, quæ dicta & ſcripta ſunt, loqui aut tradere quid ſuſtineat; non egent novis Prophetis, novis Apoſtolis. Satis illis proviſum de omnibus. Eandem ſanctorum præcellentiam inculcat Johannes 1. epiſt. 2: 20. *Vos habetis unctionem à ſancto, & noſtis omnia.* verſ. 24. *Vos quod audiiſtis ab initio, in vobis maneto.* verſ. 27. *Et vos unctionem, quam accepiſtis ab illo in vobis manet, & non neceſſe habetis,* ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς, UT QUIS DOCEAT VOS; *ſed ut eadem unctio docet vos de omnibus, & ut docuit vos, manete in illo; unctionem* habemus, hoc eſt, Spiritum promiſſionis ſanctum, ſuaviſſimum unguentum. Hæc unctio *nos docet de omnibus*, per verbum Prophetarum & Apoſtolorum, aperiens nobis cor, illuminans oculos, ut & attendamus Scripturis, & intelligamus illas; non habemus ergo neceſſe, *ut quis nos doceat*; alia nimirum ratione, quàm unctio nos docet; jactans revelationes privatas, & ſapientiam quandam non ſcriptam, ut *unctio docet de omnibus*, ita qui docent, doceant; nec cuilibet liceat ſapere ὑπὲρ ὃ γέγραπται, *unctio* manet; nam & Spiritus Sanctus manet. Joh. 14: 16. & *Verbum Domini*, per quod unctio docet, manet. 1 Petr. 1: 25. Ita ſano ſenſu hoc verbum Jeremiæ accipiendum eſt. Non negat fore

διδασκά-

διδασκάλους in ecclesia, donis præcellentes, sapientia claros, agnitione instructos; non tollit ministerium ecclesiasticum; quinimò Christus ipse *dedit alios Pastores, alios Doctores* Ephes. 4: 11. Scriptura docet, *Episcopum* debere esse διδακτικὸν 1 Tim. 3: 2. *potentem in doctrina sana.* Tit. 1: 9. Illos *imprimis honorandos presbyteros, qui laborant ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ* 1 Tim. 4: 17. sine doctoribus ecclesia in ingentem rueret ignorantiam, hæreses invalescerent, & zizania in agro Dei crescerent. Sed hic sensus est prophetiæ, ut diximus, sub Novo Testamento obsignandam prophetiam & doctrinam cœlestem, ut novis Prophetis & Apostolis non indigeamus, qui doctrinam augeant, prophetiam multiplicent, de novo voluntatem Dei revelent. *Non enim docebit adhuc vir proximum, dicendo, Agnoscite Dominum:* Ideò & nunc κατ' ἐξοχὴν impletur promissio. Es. 54: 13. *Et omnes filii tui* לִמּוּדֵי יְיָ *discipuli Domini*, *unctio* enim, hoc est, Dominus nos docet, ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν. 2 Cor. 3: 17.

§. 20. Præter Prophetas fuit olim *Cathedra Mosis*, in qua *Scribæ sederunt & Pharisæi.* Matth. 23: 2. & ante illos, *Sacerdotes, Levitæ, Seniores, Iudices.* Voluit Deus in populo suo esse רֹעִים *pastores*, & quidem שְׁלֹשֶׁת *tres* Zach. 11: 8. hoc est, triplicis ordinis, (*Vigil*, Judex, qui pro politia vigilat, *Respondens*, hoc est, Doctor, qui ad dubia & difficultates respondet, *offerens munus*, Sacerdotes & Levitæ, Mal. 2: 12.) utque *sederent in loco*, quem *elegit Dominus*, hoc est, Hierosolyma. Deuter. 17: 8. Judæis dicuntur *concredita oracula Dei* Rom. 3: ℣. 3. hoc imprimis de hisce intelligendum Judæorum. Mal. 2: 6. *Labia Sacerdotis servabunt scientiam, & legem requirent ab ore ejus; quia Angelus Domini Zebaot est. Ad illos, quos Deos dixit, Sermo Dei factus est* Joh. 10: vers. 35. *Clavis cognitionis* penes τοὺς νομικοὺς fuit, Luc. 11: 52. cum esset *difficilior* in Israële *res, inquirendi* erant illi, *indicarunt* אֵת דְּבַר הַמִּשְׁפָּט *verbum juris, faciendum erat* עַל פִּי הַתּוֹרָה *secundum legem* seu institutionem אֲשֶׁר יוֹרוּ *quam docebant*, statuta pœna mortis inobedientibus. Deuter. 17: 8 -- 13. Horum Pastorum officium fuit, docere populum *legem, præceptum, & judicium* ac *statuta*, *monere* ac *erudire* 2 Chron. 19: 8. 9. 10. *dicere*, quæ *facienda & servanda essent*, Matth. 23: 3. etiam legem imponere, sub onere & jugo continere; & pro rerum exigentia, alia δεσμεύειν φορτία, qua potestate admodum abusi sunt, Matth. 23: vers. 4. legis figuras & ænigmata explicare, & Mosen κηρύσσειν Actor. 15: 21. Et *bonum* fuit tales fuisse; & *onus* fuit, facultatem docendi, tanta cum severitate, ad unum ordinem, cathedram, locum, certasque personas alligatam fuisse. Id sub Novo Testamento, haut ita debuit esse. Ibi *vir non* debuit *docere proximum, cognoscite Dominum*, cum severitate quadam & imperio. Ergo cathedra hæc fuit removenda, Pastores hi *abolendi* Zach. 11: 8. *potestates hæ exuendæ* Col. 2: 15. & *exscindenda è tentoriis Iacob.* Mal. 2: 12. Non tenemur in rebus dubiis adire Hierosolymam, non ascendere Romam, non rogare Levitas, Sacerdotes. Facultas docendi proximum nulli priva est. Nullus homo dicere cum autoritate potest, *cognoscite Dominum*; ac si ipsi soli concessa sit autoritas cognitionem docendi alios. Hoc ipso, quod olim *vir dixit proximo, cognosce Dominum*, cum autoritate & obligatione obedientiæ & subjectionis, populus per impietatem multorum ex his Docentibus, ab officio suo aberrantium, idque transgredientium, in magna onera conjectus est; quæ portare debuit; dummodo non pugnarent contra Deum; ubi locum habuit, δεῖ πειθαρχεῖν Θεῷ μᾶλλον. Actor. cap. 5: vers. 29. vide Matth. cap. 23: vers. 4. Luc. cap. 11: vers. 46. Necesse fuit olim, tales sedisse Doctores, qui cum auctoritate dicerent, *Cognoscite*. Populus enim *Puer* erat, duræ cervicis, Pædagogi metu continendus, nunc non amplius sumus pueri, sed filii. Ideò

illis

illis haut indigemus. Spiritus filiationis *Doctor* noster & *Advocatus* est. Joh. 14:26. מַדְרִיךְ *Index* Zach. 9: 12.

Nam omnes cognoscent me. §. 21. Affirmativa sententiæ pars ita dicit. *Nam omnes illi cognoscent me.* Promittit Dominus se facturum, ut cognitio illius inter omnes habitet. Non ergo cathedra illa opus amplius, quæ cogat & dicat; *cognoscite Dominum*; nec prophetia opus ulteriore, quia declarat Dominus; illam, quæ exstat, sufficere, ut omnes cognoscant se. *Cognoscere Deum, & quem misit Jesum Christum, vita æterna* est, Joh. 17: 3. *cognitio Domini* præstat omnibus *victimis.* Hos. 6: vers. 6. Illa promissa est in ultimum tempus. Es. 11: 9. *Plena erit terra cognitione Domini, ut aquæ mare tegunt.* Daniel. 12: vers. 4. וְתִרְבֶּה הַדָּעַת Es. 33: vers. 6. *Et erit fides temporis tui possessio salutum, sapientiæ & cognitionis.* In illa *gloriatio.* Jerem. 9: vers. 23. *In hoc glorietur qui gloriatur*, הַשְׂכֵּל וְיָדֹעַ אוֹתִי. *Cognoscent me*, inquit Dominus. Quomodo autem & unde? *Filius qui in sinu meo, Deum, quem nemo vidit, enarrabit* Joh. 1: vers. 18. *quæ audivit & vidit, testabitur* Joh. 3: 22. qui illum *vidit, vidit Patrem.* Joh. 14: 9. Paracletus alius, post illum venturus, *docebit illos omnia.* Joh. 14: 26. Est *Spiritus* σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως, qui *illuminat oculos mentis ad cognoscendum, quæ sit spes vocationis,* &c. Ephes. 1: 17. 18. Effusus ille fecit *prophetare filios & filias* Joël 3: 1. 2. & *nosse* πάντα *omnia.* 1 Joh. 2: 20. Christus factus est à Deo *sapientia.* 1 Cor. 1: 30. *In mysterio Christi omnes thesauri sapientiæ & cognitionis sunt absconditi.* Col. 2: 3. 4. Ille *illuminavit vitam & incorruptionem per Euangelium.* 2 Tim. 1: 10. Et hæc nosse, est certè Deum *nosse*, & τὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν. 1 Cor. 2: 12. Christus ascensurus *aperuit* discipulorum *mentem*, τοῦ συνιέναι τὰς γραφάς Luc. 24: 45. *Apollos* dicitur fuisse δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς Actor. 18: 24. Id est, *cognoscent me. Omnes*, inquit, multi non agnoscunt. *Israël non cognoscit, populus meus animum non advertit.* Es. 1: 3. Sunt, qui οὐ δοκιμάζουσι τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει Rom. 1: 28. quibus Christus σκάνδαλον καὶ μωρία. 1 Cor. 1: 22. Multis *tectum* est *Euangelium.* 2 Cor. 4: 3. 4. Sed omnes illi sunt ἐκ τῶν ἀπολλυμένων καὶ τῶν ἀπίστων. ibid. Promissio autem de hæredibus Nov. Test. loquitur, hos *omnes* cognituros Dominum. Non est hæres Nov. Test. qui caret cognitione. *Norunt* illi *omnes* 1. Quatenus promta & aperta illis porta intrandi in cognitionem Domini. 2. Quia multi ex illis norunt eximiè. 3. Quia *omnes* norunt ex parte, & norunt *fundamentum*, & norunt *Jesum*; in quo omnis notitia abscondita. Noscent, inquit, *à parvo ad magnum.* Sunt in Christo *magni, columnæ,* Gal. 2: 9. τέλειοι, *perfecti.* 1 Cor. 2: 6. 14: 20. Heb. 5: 14. πνευματικοὶ. Gal. 6: 1. sunt & *parvi*, νήπιοι 1 Cor. 3: 1. עוֹלְלִים וְיֹנְקִים Psalm. 8: 3. σαρκικοὶ 1 Cor. 3: vers. 3. *Omnes* illi noscent, *parvi* notitia parvorum; *magni*, notitia magnorum. Igitur ut sunt parvi & magni; ita erit notitia major & minor. Norunt & *fœminæ*, *omnes enim εἷς in Christo Jesu* Gal. 3: 28. confer Joël 2: 28. Et hic notabilis est præcellentia Novi Testamenti præ veteris. Noverunt & ibi; sed imperfectius, umbræ & ceremoniæ fuerunt quasi tegmen, notitiam obscurans; quamvis & indices *corporis.* Multi nil noverunt; *in quorum cor velum Mosis jacuit.* 2 Cor. 3: 15. De priore populo querela est. *Quis cæcus, nisi servus meus*, &c. Es. 42: 19. 20. 21. *Non dedit vobis Dominus cor ad cognoscendum.* Deut. 29: vers. 4. Denique & hoc addendum, *Noscent me*, non *theoretica* tantùm, sed imprimis *practica* notitia, quæ est salutaris illa, *vita æterna* dicta Joh. 17: 3. & *justificat.* Es. 53: 11. *Noscent*, ut credant, ament, obediant, confugiant, & spem in me collocent. Hæc notitia in Novo Testamento abundat. *Amor enim Dei effusus est in corda nostra per Spiritum S.* Rom. 5: 5. *Populus* hic est *voluntaria oblatio.* Psalm. 110: 3. Christus factus est illis *sanctificatio.* 1 Cor. 1. 30.

§. 22. Quin-

§. 22. Quintò. *Nam condonabo pravitates illorum, & peccatorum illorum non recordabor amplius.* confer Heb. 8: 12. Ergo erit ἄφεσις & cessabit ἁμαρτίας ἀνάμνησις. Heb. 10: 17. 18. Fides remissionis peccatorum facit notitiam & amorem in Deum abundare. confer §. 9.

§. 23. Eximia hæc Novi Testamenti dona & ingentes glorias, de quibus hactenus, aliis aliisque phrasibus & formulis Spiritus S. in sacris expressit. Nonnunquam illa sub promissione *quietis* indigitat. Ita Servator ipse *venite ad me. Et ego faciam vos requiescere. Tollite jugum meum, & invenietis requiem animabus vestris.* De hac *requie agitur* Es. 28: 12. *Hæc est requies, date quietem lasso, & hæc tranquillitas.* Psalm. 95: 11. *Si intrabunt in requiem meam.* Apostolus illam dicit κατάπαυσιν θεοῦ, ut & *justitiam* dixit δικαιοσύνην θεοῦ. Hebr. 4: 10. *Qui enim intrat in requiem ejus, & ipse requievit ab operibus suis, ut à propriis Deus.* Monet, σπουδάσωμεν εἰσελθεῖν εἰς ἐκείνην τὴν κατάπαυσιν. ibidem vers. 11. Imò & σαββατισμόν. *Igitur relinquitur σαββατισμὸς populo Dei.* Hebr. 4: 9. Sabbata enim veteris populi illius umbræ fuere. Certè justificari in Deo, à peccatorum conscientia purgari, Spiritu filiationis perfundi, ab oblationibus victimarum & jugo ceremoniarum liberari, audire Euangelium, introduci in Regnum cælorum, pace frui, est in veram *requiem* introduci. Qui hisce caret, quiete caret, licet quoad mundum totus quietus videatur. Hæc est quies cordis, animæ, Spiritus, conscientiæ, quies sanctorum, vocatorum, justificatorum. Jehosuah in quietem introduxit in terram Canaan. Heb. 4: 8. sed quietem terrestrem, corruptibilem, mutabilem. Hæc quies æterna est. Est etiam ubi in mundo nulla quies est; & finis illius quies cælestis est. Ab hac quiete tempus Novi Testamenti *Sabbatum* dicitur. Es. 56: 2. 58: 13. 66: 23. Quies Nov. Test.

§. 24. Est & ubi sub nomine *circumcisionis* veniunt. Deut. 30: 6. ומל *Et circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui*; nova quadam circumcisione, per purificationem à conscientia peccati, & aspersionem cordis à conscientia mala, quæ fit per mortem Christi, & Euangelium remissionis peccatorum. Col. 2: 11. *In quo circumcisi estis circumcisione, quæ non fit manu.* vers. 13. *condonans vobis omnes lapsus, & delens, quod contra vos erat chirographum, exuens principatus & potestates,* vers. 14. Phil. 3: 2. *Nos enim sumus ἡ περιτομή, qui Spiritu Deo servimus, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne confidimus.* Rom. 2: 29. περιτομὴ καρδίας, ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι. Circumcisio.

§. 25. Imò & *satietatis, irrigationis, plenitudinis.* Psalm. 90: 4. *satia nos manè gratia tua.* Psalm. 103: 5. *qui satiat bono maxillam tuam.* Psalm. 16: 11. *Facies me cognoscere iter vitæ, satietatem gaudiorum.* Matth. 5: 6. αὐτοὶ χορτασθήσονται. 1 Cor. 4: 8. ἤδη κεκορεσμένοι ἐστε. Jer. 31: 14. *irrigabo animam sacerdotum pinguedine, & populus meus* את טובי ישבעו: vers. 26. *Satiavi*, feci abundare, *animam fessam, & omnem animam anxiam* מלאתי *implevi.* Psalm. 36: 9. ירויֻן *irrigui erunt opimitate domus tuæ*, abundabunt eâ Es. 58: 11. *& eris* כגן רוה *ut hortus irriguus.* confer Jerem. 31: 12. Deut. 29: 19. *ad addendum irriguam sitienti.* Psalm. 23: ℣. 5. כוסי רויה *calix meus abundantia.* vers. 1. לא אחסר: Psalm. 66: ℣. 12. ותוציאנו לרויה *& eduxisti nos ad satietatem.* Col. 2: 10. καὶ ἐστε ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι Ephes. 4: 10. *Ascendit super omnes cælos, ut omnia impleat.* Ephes. 3: 19. ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν πλήρωμα τοῦ θεοῦ. Ephes. 1: 23. τὸ πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου. Satietas, irrigatio, plenitudo.

§. 26. Imò & *novitatis.* 2 Cor. 5: 17. *Si quis in Christo καινὴ κτίσις, vetera transierunt,* ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα Rom. cap. 7: vers. 6. *ut serviamus nos in novitate Spiritus, & non in vetustate literæ* Galat. 6: 15. *In Christo Iesu neque circumcisio quid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Ephes. 2: 15. ἵνα τοὺς δύο κτίσῃ ἐν ἑαυτῷ εἰς ἕνα καινὸν Novitas.

ἄνθρωπον. Matth. 26: 29. *Cum bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei.* Matth. 9:17. *Non infundunt vinum novum in utres veteres.* 1 Cor. 5:7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova massa.* Joh. 13:34. *Præceptum novum do vobis.* confer 1 Joh. 2:7. 8. Apoc. 21: 1. *Vidi novum cælum & novam terram.* vers. 5. *Et dixit sedens in throno, ecce nova omnia facio.* Es. cap. 66: ℣. 22. *cælum novum & terram novam ego facio*, notatur novus ecclesiæ *status* in comparatione proximè præteriti; videlicet liber à lege servitutis & dominatione hominum. Apoc. cap. 3: vers. 12. *Nova Ierusalem, quæ descendit à Deo meo è cælo.* confer Apoc. 21:2. Canimus nunc שִׁיר חָדָשׁ *Canticum novum.* Psalm. 33: 3. 40: 4. 96: 1. 98: 1. 144: 9. 149: 1. Es. 42: 10. novum gaudium ob nova beneficia confitemur. Datum est *nomen novum* Apoc. 2: 17. confer Es. 62: 2. *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini exprimet.* Imò & adhuc *cælos novos, & terram novam secundùm promissum ejus exspectamus.* 2 Petr. 3: 13.

Veritas & gratia — §. 27. Imò & *veritatis & gratiæ.* Joh. 1: 14. *Habitavit in nobis plenus gratiæ & veritatis.* vers. 16. *è plenitudine ejus accepimus gratiam pro gratiâ.* vers. 17. *Gratia & veritas per Jesum Christum exstitit.* Joh. 4: 23. *Adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* confer vers. 24. Joh. 8: vers. 32. *Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Joh. 14: vers. 17. 15: 26. 16: 13. τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Joh. 17: 17. *Sanctifica illos in veritate. Sermo tuus veritas est.* confer vers. 19. Gal. 2: 5. *ut veritas Evangelii maneat.* confer vers. 14. Galat. 3: vers. 1. τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι. confer 5: 7. Ephes. 1: 13. *audivistis sermonem veritatis.* Col. 1: 5. *spem, quam ante audivistis in sermone veritatis Evangelii.* 1 Tim. cap. 3: vers. 15. *Ecclesia est* στῦλος καὶ ἑδραίωμα ἀληθείας. confer 1 Petr. cap. 1: vers. 22. 2 Petr. 1: vers. 12. ἐστηριγμένους ἐν τῇ παρούσῃ ἀληθείᾳ. De *gratia* vide Tit. 2: vers. 11. *Illuxit* ἡ χάρις ἡ σωτήριος. 2 Tim. 1: 9. 10. χάριν, φανερωθεῖσαν δὲ νῦν διὰ τῆς ἐπιφανείας *Servatoris nostri Iesu.* confer Galat. 1: 6. 5: 4. Ephes. 1: 6. *in laudem gloriæ* τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Rom. 6: 14. *Non estis sub lege, sed sub gratiâ.* Rom. 5: 2. εἰς τὴν χάριν ταύτην, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν. Hebr. 13: 9. *Bonum est gratia confirmari cor, non cibis.* Hebr. 4: 16. *accedamus cum parrhesia ad thronum gratiæ.* Es. 55: 4. *Pangam vobis fœdus æternum, gratias Davidis permanentes.* 1 Petr. 1: 10. οἱ περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος προφητεύσαντες.

υἱοθεσία. — §. 28. Etiam υἱοθεσία sublimè laudatur. Gal. 4: 5. *ut qui erant sub legem redimeret*, ἵνα τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν, Rom. 8: 16. *accepistis Spiritum* υἱοθεσίας. Joh. 1: 12. *Qui autem acceperunt illum, dedit illis potestatem* τέκνα Θεοῦ γενέσθαι. Gal. 4: 6. ὅτι δέ ἐστε υἱοί. Fuerunt & Israëlitæ Filii, sed ita filii, ut & *servi*, serviliter habiti, pædagogo subjecti. Nunc ita sumus filii, ut non amplius simus servi; sed plenâ libertate filiorum fruimur. *Igitur non amplius es servus, sed filius. Si autem filius, etiam hæres Dei per Christum.* Gal. 4: 7. *Si filii, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. 8: 17. *Et dixi, quomodo ponam te in filiis. Pater mi, vocabis me.* Jerem. 3: 19. *Dicemini, Filii Dei vivi.* Hos. 2: 1. *Hi filii manent in seculum. Servi* autem illi *non manserunt in domo in seculum.* Joh. 8: 35. Nam aut è servitute transierunt in libertatem, & sic è servis exstiterunt merè filii; aut servitutem illam perditè amantes, in æternam pariter servitutem immersi, & è domo ejecti, & à fidelibus in perpetuum separati sunt, in quibus plenè impletum, quod *Scriptura dicit, ejice ancillam & filium ejus, non enim hæreditabit filius ancillæ cum filio liberæ.* Gal. 4: 30.

τελείωσις. — §. 29. Etiam τελείωσις *consummatio.* Hebr. 10: 14. *Unâ oblatione* τετελείωκεν *consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur.* Hebr. 11: 40. *Deo de nobis melius quid providente*, ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι *ut ne sine nobis consummarentur*; Patres in gloriam intro-

introducti, olim sine filiis consummati sunt; quos reliquerunt in terra sub jugo & chirographo, nunc non sine nobis consummati sunt. Hebr.cap.12:vers.22.23. *Accessistis spiritibus justorum consummatorum.* Sub lege hæc non fuit τελείωσις. Hebr.7:11. εἰ μὲν οὖν τελείωσις διὰ τῆς λευιτικῆς ἱερωσύνης ἦν. vers.19. οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος, Hebr. cap.9:vers.9. *dona & sacrificia non potuerunt* κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι *secundum conscientiam consummare.* Hebr.cap.10:vers.1. *Lex* οὐδέποτε δύναται τοὺς προσερχομένους τελειῶσαι. In Christo autem exstitit. Illo enim *per passiones consummato*, Hebr. cap. 2:vers. 10. 5:9. 7:28. Luc. 13:32. non potuerunt non & ii, pro quibus passus erat, consummari. *Consummati* dicimur, non quoad *gloriæ possessionem*, cujus hic tantùm *primitias* habemus; neque quoad *regenerationem*; cottidie enim in multis offendimus omnes; Jacob.3:2. neque quoad *dona* sanctorum, in quibus multipliciter deficimus; sed *quoad conscientiam*, & juris plenissimi titulum. Consummatam habemus conscientiam, Dei reconciliati, peccati expiati, lytri soluti, pacis factæ, non possumus cogi stare procul, ferre jugum, scribere Chirographum. Consummati sumus titulo justitiæ adductæ, Spiritus filiationis effusi, libertatis adductæ, consummati & in foro Dei, & in foro conscientiæ. *Nulla nobis* superest *condemnatio*, Rom.8:1. nihil pro peccatis nostris debetur, ultimus quadrans solutus. Et hæc est nostra consummatio, unde & *amor Dei in nobis* τετελείωται 1 Joh.2:5. confer 1 Joh.4: ℣.17. *In hoc consummata est dilectio nobiscum, ut parrhesiam habeamus in die judicii.* Ita tamen *consummati* adhuc cum Paulo dicere necesse habemus, Phil.3:12. οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον ἢ ἤδη τετελείωμαι, διώκω δὲ εἰ καὶ καταλάβω, ἐφ᾽ ᾧ καὶ κατελήφθην ὑπὸ τοῦ χριστοῦ Ἰησοῦ, & exspectamus, *ut veniat* τὸ τέλειον, & τὸ ἐκ μέρους καταργηθῇ. 1 Cor.13:10.

§. 30. Dicimur etiam *neminem secundùm carnem amplius cognoscere* 2 Cor.5:16. *Ideò à nunc nos neminem* οἴδαμεν κατὰ σάρκα. Olim, qui carnalia obibat munera, servabat legem præcepti carnalis, carnem habebat circumcisam, nōscebatur pro cive politiæ, & hærede terræ Canaan, pignoris à Deo dati; nec excludi à communione altaris poterat. Nunc neminem *secundùm carnem* & carnalia instituta, & carnalia munera novimus, æstimamus, accipimus. Qui non invocat nomen Dei, qui non credit in Christum crucifixum & resuscitatum, illum non novimus, non admittimus, non pro fratre & hærede Dei habemus. Imò etiamsi *Christum cognovimus olim secundùm carnem*, ministrum circumcisionis. Rom.15:8. factum sub legem, etiam carnalem illam Galat.4:4. id ad tempus tantùm fuit, quinimo νῦν *nunc non amplius cognoscimus* talem, sed liberum à lege, justificatum Spiritu 2 Cor.5:16. confer Phil. 3:3. οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες.

§. 31. Tempus Novi Testamenti ut *Sabbatum*, ita & *Festum* vocatur. 1 Cor.5:7.8. *Pascha nostrum pro nobis mactatum est. Igitur festum agamus in azymis sinceritatis & veritatis* Psalm.118:27. *Vincite Festum funibus usque ad cornua altaris.* Omnia veterum festa, Sabbata, novilunia, hujus æterni & perpetui Festi, cujus initium in terra, consummatio in cœlo, *umbræ* fuerunt. Col.2:16.17. vide Es.66:23. *Et erit è novilunio in novilunium, & è Sabbato in Sabbatum, veniet omnis caro ad adorandum.* Zach.14:16. *Ascendent ad agendum festum tabernaculorum. Et erit, qui non ascendet, non erit super illos pluvia.* Quomodo vetera Festa olim meliora hæc tempora adumbrârunt, vide lib. II. cap XI. §. 92 - 101.

Tempus Novi Testam. Festum dicitur.

§. 32. Idem dicitur καιρὸς διορθώσεως, Heb. 9:10. *Annus beneplaciti Domini* Es.61:2. καιρὸς εὐπρόσδεκτος, ἡμέρα σωτηρίας 2 Cor.6:2. In id conveniunt insignia hæc Prophetarum dicta. *Misericordiis magnis colligam te. Gratiâ seculi miserebor tui. Gratia mea non recedet. Testamentum pacis meum non vacillabit. Iubila sterilis,* &c. Es.54:1 - 10. *Misit me Dominus ad obligandum fractos corde, ad præconiandum vinctis libertatem, captivis*

Alia illius prædicata & elogia.

omnimodam apertionem,&c. Es.61:1.2.3. *Consolamini,consolamini populum meum, loquimini ad cor Hierusalem*,&c. Es.40:1.2. *Gaude filia Zion. In sanguine fœderis tui dimisi vinctos tuos. Revertimini ad arcem vincti exspectationis*,&c. Zach.9:11.12.confer Dan.9:24. Nunc decet laudare & μεγαλιώειν cum Davide è Psal.32:1.2.3. Psal.103.1.2.&c.cum Maria Luc.1:46 -- 55.cum Zach. Luc.1:68 -- 79.cum Simeone Luc.2:29 -- 32.cum Paulo Ephes. 1:3 -- 15. 3:14 -- 21.& dicere ex Hebr.12:22. προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει,&c.& è Joh.3:16. *Sic Deus dilexit mundum*,&c.& ex Apoc.5:9.10.12. *Dignus est agnus*, &c.

Sacramenta N. T. §.33. Habet & Novum Testamentum sua symbola, sigilla, & sacramenta; *pauca pro multis, factu facillima, intellectu augustissima, significatione præstantissima, observatione castissima, sicut est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini*, ut pulchrè Augustinus, de illis egimus super cap. v. hisce salus parta obsignatur, libertas confirmatur, justitia Dei illustratur, conscientia magis magisque consummatur, recordatio Domini nostri renovatur; & quæ pro nobis egit, annunciatur.

Vita hæredum Novi Test. §.34. Et quamvis non simus *sub lege, sed gratia*. Rom.6:14. Imò *per legem legi mortui* Galat.2:19.confer Rom.7:6. *Nunc verò aboliti sumus a lege, mortua in illo, cui detinebamur*, tamen nemo nostrum est ἄνομος θεῷ; sed sumus ἔννομοι χριστῷ. 1 Cor. 9: vers.21. *Gratia Dei salutaris, quæ illuxit omnibus hominibus, erudit nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiscentiis, sobriè & justè, & piè vivamus in hoc seculo.* Tit.2:11.12. *conditi sumus in Christo Iesu in operibus bonis, quæ ante præparavit Deus, ut in illis ambularemus.* Ephes.2:10. Decet nos sedulos esse ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς & εὐσεβείαις. 2 Petr.3:11. *nec vivere nobis ipsis, sed illi qui pro nobis mortuus est, & resurrexit.* 2 Cor.5:15. Fecit nos Christus *liberos*, sed à peccato, à condemnatione, à lege oneris, non autem *liberos* τῇ δικαιοσύνῃ, jussit abjecto jugo veteri tollere suum. Matth.11:28.29.30. Igitur *liberati a peccato; servi autem facti Deo, fructum habeamus* εἰς ἁγιασμόν. Rom.6:22. *Præceptum novum do vobis*, inquit Christus, *ut ametis vos invicem*. Joh.14:34. *Hoc est præceptum meum*, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. Joh.15:12. confer 1 Joh.2:5.6.7.8. *Si legem perficitis regiam, secundùm Scripturam, amabis proximum tuum, sicut te ipsum, benè facitis* Jacob.2: vers.8. *Sic loquimini & sic facite, ut per legem libertatis futuri judicari.* Jacob.2:12. *Fides enim, nisi opera habeat, mortua est secundùm se ipsam.* Jacob.2:17. *In Christo Iesu neque circumcisio quid valet, neque præputium, sed fides per charitatem operosa.* Galat.5: vers.6.

§.35. Vitam hæredis Novi Testamenti egregiè depingit Paulus Galat.2:20. *Christo sum concrucifixus. Vivo autem, non amplius ego, vivit autem in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Rom.14:7.8.9. *Nemo nostrûm sibi ipsi vivit, & nemo sibi ipsi moritur. Sive igitur vivamus, Domino vivamus; sive moriamur, Domino moriamur*,&c. *suppeditate in fide vestra virtutem; in virtute cognitionem; in cognitione continentiam; in continentia patientiam; in patientia pietatem; in pietate fraternum amorem; in fraterno amore dilectionem.* 2 Petr.1:5 -- 8.

§.36. Ut autem Paulus queritur, *ut ne se extolleret excellentiâ revelationum, datum sibi in carne vermem, Angelum Satanæ.* 1 Cor.cap.12:vers.7.&c. ita & de omnibus hæredibus Novi Testamenti dicere possumus; ne magnitudine divinorum beneficiorum moti incipiant superbire, aut illis ad carnis indulgentiam abuti, datum omnibus in carne vermem. Ita voco *peccatum in illis habitans*, infirmitatem illis adjacentem, & τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν Hebr.12:1. & multiplicem *luctam*, quam sentiunt cottidie. Rom.7:14.23. unde & Paulus, tot benedictionibus cumulatus spiritualibus, exclamat,

Miser

Miser ego homo Rom. 7: 24. Et sancti omnes dum sunt in hoc σκήνει στενάζουσι βαρούμενοι. 2 Cor. 5: 4. In quo tamen ita sunt, & agunt, ut non *glorientur* tantùm *in spe gloriæ Dei*; sed in ipsis *infirmitatibus*, contenti *gratia* Christi, cujus δύναμις in ipsorum ἀσθενείᾳ τελειοῦται 2 Cor. 12: 9. & in omnibus *afflictionibus*; *scientes, quod afflictio patientiam operatur, patientia experientiam, experientia spem, spes verò non pudefacit*, Rom. 5: 3. 4. 5. interea optantes ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι. Phil. 1: 23.

§. 37. Magnæ igitur, ut concludam, sunt benedictiones spirituales Novi Testamenti, attamen non sunt secundùm mundum; nec ditati illis, semper ditati sunt in mundo; quinimò *ignobilibus mundi, pauperibus, nihil existentibus* maxima in his pars. 1 Cor. 1: vers. 26. 27. 28. Quid fuerunt Apostoli? θέατρον τῷ κόσμῳ, μωροὶ διὰ Χριστὸν, ἀσθενεῖς, ἄτιμοι, λοιδορούμενοι, διωκόμενοι, κοπιῶντες, ἐργαζόμενοι ταῖς ἰδίαις χερσὶ, βλασφημούμενοι, περικαθάρματα, πάντων περίψημα 1 Cor. 4: 9 -- 13. & tamen præ omnibus aliis benedicti fuere in Christo. Illis *dispositum regnum*; illi adhibiti *mensæ Christi in regno ejus*; illi *collocati in thronis ad judicandum*. Luc. 22: 29. 30. Igitur ne putemus carere hisce Novi Testamenti benedictionibus, qui carent externis mundi. Sub sordida & humillima specie hominis, abscondita sæpè est gloriosissima communio Christi & beneficiorum ejus. Glorietur fortis in fortitudine, dives in divitiis, sapiens in sapientia; nos gloriamur in uno & solo Jesu, *qui factus est nobis à Deo sapientia, justitia, & sanctificatio, & redemtio*. 1 Cor. 1: vers. 30. Hæc est *melior pars, quæ non auferetur a nobis* Luc. 10: 42. πόλεμος οὐ λαφυραγωγεῖ ἀρετήν, respondebat Stilpo Megarensis Demetrio roganti, numquid, cum urbs caperetur, amisisset. Id dicit Plutarchus de educatione ἀξιομνημόνευτον ἀπόκρισιν. Nos à Spiritu docti ita potius. *Quis nos separabit ab amore Christi*, & à communione sanctarum benedictionum ejus? *Persuasus sum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque potentiæ, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla alia creatura, poterit nos separare a dilectione Dei, quæ in Christo Jesu Domino nostro*. Rom. 8: vers. 35. 38. 39. Ne igitur *solliciti simus*, & τυρβαζώμεθα περὶ πολλὰ Luc. 10: vers. 41. *qui filii sui non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non & cum ipso omnia nobis donabit?* Rom. cap. 8: vers. 32. *Quæramus primo regnum Dei, & justitiam ejus, & omnia* alia *addentur nobis*. Matth. cap. 6: vers. 33. Ne nos moveat ἡ μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, ut humilius de spiritualibus Jesu Christi beneficiis sentiamus. In Christo *beati* sunt *pauperes, lugentes, mansueti, esurientes & sitientes*. Matth. cap. 5: vers. 3 -- 6. Dicamus igitur è Psalm. 16: 5. 6. *Iehova est portio ferculi mei, & calix meus*, &c. *Funes mihi ceciderunt in amœnis*, &c. *Laudabo Dominum, qui consuluit mihi*. Psalm. 23: 1. *Iehova Pastor meus, non destituar ulla re*. Psalm. 73: 23. *Tenes me in manu dextra mea. In consilio tuo ducis me, & posteà in gloriam assumes me*. *Deo* autem *pacis, qui è mortuis eduxit Pastorem ovium, magnum illum, in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum*, sit laus & gloria sempiterna in seculorum secula.

Benedictiones N. Test. non sunt secundùm mundum.

CAPUT DECIMUM.

De Regimine Ecclesiæ Novi Testamenti, *hoc est*, de illis, quos in illa dedit Christus Ductores & Antistites.

Christus ecclesiæ §. 1. Ecclesiæ, quam Jesus Christus, *magnus Deus & Servator* Tit. cap. 2: vers. 13. *proprio sanguine acquisivit*, Actor. 20:28. quam per Apostolos è Judæis & gentibus colligere cœpit, quam tot spiritualibus benedictionibus perfudit, ut idem unicus est Redemtor, Sacerdos, Mediator; ita & *Rex*, *Hæres*, *Dominus*, *Caput*.

Rex. §. 2. *Rex.* A Pilato rogatus, *Num Rex es Tu*, respondit, *Tu dicis. Ego ad id natus sum & veni in mundum.* Joh. 18:37. *Disposuit mihi Pater regnum* Luc. 22: 29. confer Luc. 1: 32. 33. Est *Rex Regum.* 1 Tim. 6: 15. Judæi dicebant. *Non habemus Regem nisi Cæsarem* Joh. 19: 15. ecclesia non habet Regem, nisi Jesum Christum, ut autem *Regnum ejus non est ex hoc mundo* Joh. 18: vers. 36. neque adeò ipse est Rex ex hoc mundo, ita potest ferre & fert, quamdiu mundus est, Reges de hoc mundo; pro quibus & ecclesia ποιεῖται δέησις 1 Tim. 2: 1. 2. quibus ὑποτάσσεται Rom. 13: 1. qui & ipsi sunt facti *Domini nostri, & Christi ejus.* Apoc. 11: 15. Ecclesiæ *Nutricii & Nutrices.* Es. 49: vers. 23.

Hæres. §. 3. *Hæres. Posuit* illum Deus *hæredem omnium.* Hebr. 1: 2. *Dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ*, Psalm. 2: 8. *funes mihi ceciderunt in amœnis. Etiam hæreditas decora mihi.* Psalm. 16:6. *Surge Deus. Iudica terram; nam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Psalm. 82: 8. Est natura hæres; quia Filius unigenitus: est acquisito jure hæres; quia *Filius* per passiones *in secula consummatus.* Hebr. 7: 28. Est hæres, ut abalienati à Deo & vita ejus, fiant ipsius סְגֻלָּה *peculium* & περιποίησις; ut & ipsi illius fiant *cohæredes.* συγκληρονόμοι χριστοῦ. Rom. 8: 17.

Dominus. §. 4. *Dominus, ut omnis lingua confiteatur quod Dominus* est *Jesus Christus, in gloriam Dei Patris.* Phil. 2: 11. *Dominum & Christum illum Deus fecit.* Actor. 2: 36. *Mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut mortuis & vivis dominetur.* Rom. 14: 9. *Nobis unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per illum.* 1 Cor. 8: 6. κύριος τῶν κυριευόντων. 1 Tim. 6: 15.

Caput. §. 5. *Caput. Et ipsum dedit Caput super omnia Ecclesiæ.* Eph. 1: 22. ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ, ὁ χριστὸς Eph. 4: 15. καὶ αὐτός ἐστιν ἡ κεφαλὴ Col. 1: 18. κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας. Col. 2: 10. confer vers. 19. οὐ κρατῶν τὴν κεφαλήν. Omne *caput* respectum habet ad *corpus.* Ideò & *ecclesia*, cujus Christus *caput*, illius *corpus* dicitur, ἥ τις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ Eph. 1: 23. *Et ille est caput corporis ecclesiæ.* Col. 1: 18. confer vers. 24. *Pro corpore ejus, quod est ecclesia.* 1 Cor. 12: 27. *Vos verò estis corpus Christi*, καὶ μέλη ἐκ μέρους, ut igitur caput se habet ad corpus, & corpus ad caput, ita Christus se habet ad ecclesiam, & ecclesia ad Christum. Id ostendere operæ pretium. 1. Caput est primum & nobilissimum in corpore. Christus est primus in ecclesia, major omnibus; ἀρχὴ πρωτότοκος, ἐν πᾶσιν πρωτεύων, Col. 1: 18. *caput omnis principatus & potestatis.* Col. 2: 10. Omnis potestas, quæ fuit olim, & nunc est, infra Christum est. 2. E capite corpus quasi enatum est, per varias juncturas, partes, commissuras, compages conjunctum & compactum. Ecclesia è Christo enata est; qui *radix* illius. Es. 11: 10. Ex illo habet *esse*, & *vivere*, & omnia.

omnia. *Ex ipso omne corpus coaptatum & coagmentatum, per omnem commissuram suppeditationis augmentum corporis facit.* Ephes. cap. 4: vers. 16. confer Col. 2: vers. 19. 3. Caput & corpus sunt *unum* quid; neque enim caput est *homo*, nec corpus, sed caput & corpus conjuncta constituunt perfectum quid. Christus non est Redemtor sine ecclesia. Nec ecclesia περιποίησις sine Christo. 4. In corpore est caput *unum*, & caput non habet nisi corpus *unum*. Non est nisi *unus* Mediator Christus; nec est, nisi *una* sancta catholica ecclesia. 5. Caput est sedes perfectionis. Anima in illo habitat; nam ubi cogitat, ibi sine dubio est. In Christo habitat πᾶν τὸ πλήρωμα. Col. 1: 19. 6. E capite communicatur corpori: è Christo gratiæ in nos redundant. *Ex illius plenitudine omnes accepimus.* Joh. 1: vers. 16. καὶ ἐστὲ ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι. Col. 2: 10. 7. Caput est gloria & decus corporis. Christus ecclesiæ. Luc. 2: 32. 8. Caput & corpus sunt de una massa carnea. Et *qui sanctificat, & qui sanctificantur sunt omnes ex uno.* Hebr. 2: 11. 9. Caput curat corpus & illi prospicit. Christus ecclesiæ. 2 Petr. 1: vers. 3. 10. Caput ducatum gerit in corpore. Christus in ecclesia. 11. Caput omnia membra pariter amat & fovet; & nobiliora, & ignobiliora. Christus omnes suos; non est apud ipsum προσωποληψία. 12. Incommoda corporis sentit caput. Incommoda ecclesiæ, Christi sunt. Col. 1: 24. Actor. 9: 4. Zach. 2: 12. 13. Caput & corpus arctissimè unita sunt. Christus ab ecclesia separari non potest; nec ecclesia à Christo. Rom. 8: 35. Non est integrum corpus sublato capite; nec caput sublato corpore. Ita nec Christus integer esset, si deficeret ecclesia. 14. Sine pede, brachio potest quis vivere, non sine capite. Sine Christo capite nulla nobis vita, nulla salus. 15. Caput τοῖς μέλεσι συμπαθεῖ. Si ruant, erigit. Si deficiant, confirmat. Ita Christus in ecclesia. Hebr. 4: 15.

§. 6. Christus dicitur *datus* ecclesiæ *caput*, & quidem post *resurrectionem è mortuis*; *sessionem in dextra, in supercœlestibus, & subjectionem omnium sub pedibus ejus.* Ephes. cap. 1: vers. 20. 21. 22. Licet igitur Christus *heri & hodie sit idem*, Hebr. 13: 8. caputque omnium, tamen post passionem & in gloriam introitum illustriore modo est caput omnium. Est *factus Dominus & Christus* Actor. 2: 37. ita & caput. Per *resurrectionem è mortuis demonstratus est Filius Dei.* Rom. 1: 4. Per exaltationem ad dextram Dei demonstratus est caput ecclesiæ Dei. Per effusionem Spiritus Sanctus, est *unctus Rex in monte sancto Dei.* Psalm. 2: 6. Erat heri caput, jure Sponsionis; nunc caput est, jure satisfactionis. Erat heri caput *Judæorum* tantùm. Gentes erant *sine illo.* Ephes. 2: 12. Nunc est, ut *Deus*, Rom. 3: 29. ita & caput *Judæorum & Gentium.* Erat heri caput ecclesiæ, quam *subjecerat Angelis* Hebr. 2: 5. Actor. 7: 53. & *Legislatoribus*, Genes. 49: 10. qui *Dii dicti sunt.* Joh. 10: 35. Nunc *caput* est solus, *exutis* omnibus illis ἀρχαῖς & ἐξουσίαις. Col. 2: 15. Erat heri caput, qui caput suum depressurus erat. Nunc exstitit caput elato capite in perpetuum. *E torrente in via bibet; ideo efferet caput.* Psalm. 110: 6. Est nunc caput, contrito omni alio capite. *Illud conteret tibi caput.* Genes. 3: vers. 16. *Factus est* לְרֹאשׁ פִּנָּה *in caput anguli.* Psalm. 118: 22. Caput datus est θεάνθρωπος, qua θεὸς, factus, demonstratus, quod erat; qua ἄνθρωπος, factus, quod nondum fuerat. Non nunc est amplius *servus*, Es. 49: 6. nam est in *caput* datus; *omnisque* ἐξουσία *illi data.* Matth. 28: vers. 18. Quomodo datus caput.

§. 7. Unum & unicum hoc ecclesiæ caput fecit omnia, quæ fieri debebant εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος αὐτοῦ Ephes. 4: 12. ut id fieret τέλειον, & *in ipso cresceret* εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος αὐτοῦ. Ephes. 4: 13. 15. Et quia non est ἀκαταστασίας ὁ θεὸς ἀλλ' εἰρήνης 1 Cor. 14: 33. ut in corpore suo, ecclesia, dum in terris militat, *omnia fierent* εὐσχημόνως Legati capitis ecclesiæ ad ecclesiam.

καὶ κατὰ τάξιν 1 Cor. 14:40. dedit & posuit in illa, qui *legatione fungerentur pro ipso, & annunciarent Christum, qui est* ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης, *admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, ut sisterent omnem hominem perfectum in Christo Iesu* Col. 1:28. 29. dicentes, ὑπὲρ χριστοῦ πρεσβεύομεν. 2 Cor. 5:20. Quales Legati omninò necessarii fuerunt. *Fides est ex auditu. Quomodo crederent de quo non audiverunt? quomodo audirent sine prædicante? quomodo prædicassent, nisi missi essent?* Rom. 10:14. 15. Igitur ut audirent πάντα τὰ ἔθνη, debuerunt venire κηρύσσοντες, ut venirent κηρύσσοντες, debuerunt à Christo mitti, institui, & ut venirent juberi. Imò tales κηρύσσοντες manere, quamdiu manebunt οἱ ἀκούοντες. Quamdiu enim sunt, qui audiant, decens est, ut sint, qui prædicent.

Multi & varii. §. 8. De his Legatis ita Scriptura. καὶ αὐτὸς ἔδωκε τοὺς μὲν ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δὲ εὐαγγελιστάς, τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους. Ephes. 4:11. καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους, ἔπειτα δυνάμεις, εἶτα χαρίσματα ἰαμάτων, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν, μὴ πάντες ἀπόστολοι; μὴ πάντες προφῆται; μὴ πάντες διδάσκαλοι; μὴ πάντες δυνάμεις; &c. 1 Cor. 12:28. 29. 30.

Ministerii ecclesiastici Autor, Deus Christus, Spiritus. §. 9. Christus *dedit*, Deus *posuit*; imò & *Spiritus Sanctus posuit*. Actor. 20:28. Adeò non est inventum humanum sed opus Dei, fuisse Apostolos, Prophetas, Euangelistas, & etiamnum esse Pastores & Doctores; neque sunt illi ἀνθρώπιναι κτίσεις. Quia Christus dedit, Deus posuit, ideò ex æquo se Paulus dicit χριστοῦ δοῦλον, θεοῦ ἀπόστολον, θεοῦ δοῦλον, χριστοῦ ἀπόστολον. Ἀυτὸς ἔδωκε, inquit. Ita & de *Christo* ipso dicitur Es. 49:6. וּנְתַתִּיךָ & *dedi te in lucem gentium* Ephes. 1:22. & *illum* ἔδωκε *dedit caput*, Actor. 4:12. *non est aliud nomen*, τὸ διδόμενον *datum in hominibus, in quo decet salvari nos.* confer Act. 13: vers. 20. *Post hæc* ἔδωκε κριτὰς *dedit judices usque ad Samuelem*, & vers. 21. *Postularunt Regem*, & ἔδωκεν *dedit illis Deus Saulum*. Ita & Moses dicitur *dedisse legem*, & *circumcisionem*. Joh. 7: vers. 19. 22. *Dedit* Apostolos, Prophetas, &c. est, instituit, ordinavit, jussit esse, qui Apostolatu, Doctoratu, Pastoratu fungerentur. Imò ἔθετο *posuit*. Ita & de *Christo*. ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων Hebr. cap. 1: vers. 2. τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν Actor. cap. 13: vers. 47. *Ecce* τίθημι *pono in Zion lapidem.* 1 Petr. cap. 2. vers. 6. Ita & de *Abraamo*. *Patrem multarum gentium* τέθεικά σε *posui te.* Rom. cap. 4: vers. 17. In eundem sensum dicitur, 1 Thess. cap. 5: vers. 9. οὐκ ἔθετο *non posuit nos Deus ad iram, sed ad acquisitionem salutis*, & 1 Petr. cap. 2: vers. 6. *qui offendunt* in *sermone, immorigeri*, εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν *ad quod & positi sunt.* Et alibi Joh. cap. 15: vers. 16. *Ego elegi vos*, καὶ ἔθηκα ὑμᾶς & *posui vos, ut vos eatis, & fructum feratis.* Paulus de se 1 Tim. cap. 2: vers. 7. *In quod*, μαρτύριον, ἐτέθην ἐγὼ, *positus sum ego Præco & Apostolus.* confer 2 Tim. cap. 1: vers. 11. & 1 Tim. cap. 1: vers. 12. *Dominus fidelem me reputavit*, θέμενος εἰς διακονίαν. Etiam ita notatur Dei institutio & ordinatio. Nec tantùm, sed & innuitur, Deum illos, quos dedit & posuit, ad tanta munia aptos fecisse. *Qui &* ἱκάνωσεν *aptos fecit nos Ministros Novi Testamenti.* 2 Cor. cap. 3: vers. 6. *Ad hæc enim quis* ἱκανός 2 Cor. cap. 2: vers. 16. ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ. 2 Cor. cap. 3: vers. 5. Quos Deus posuit & dedit olim, imò quos adhuc dat & ponit Pastores & Doctores ecclesiæ suæ, illos *aptos facit muneribus* suis, ut sint ἱκανοὶ καὶ ἑτέρους διδάξαι. 2 Tim. cap. 2: vers. 2. Quibus dat διακονίαν, illis & dat χαρίσματα. *datur* ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον, 1 Cor. cap. 12: vers. 7. *gratia Dei, per quam sunt, quod sunt*, non est in illis κενὴ, 1 Cor. 15: vers. 10. Superest, ut videamus,

quam-

quando & quomodo dederit Christus tot ministeria. De Apostolis clarum, quod illos ἔδωκε καὶ ἔθετο, sed non ita de pastoribus & doctoribus, ubi legimus, Christum instituisse, ut præter Apostolos, Euangelistas, Prophetas, essent in ecclesia pastores & doctores, presbyteri, episcopi, diaconi? Christus certè nullos instituit, nec mandatum Christi, ut ab Apostolis tales instituerentur, in sacris exstat. Responsio facilis. Quosdam ipse Christus posuit immediatè, Apostolos nimirum & Euangelistas, quosdam mediatè per Apostolos. Quod Apostoli Presbyteros, Episcopos, Pastores constituerunt κατ' ἐκκλησίαν Actor. 14: vers. 23. ut & Paulus Titum jussit κατὰ πόλιν *constituere presbyteros*, Tit. cap. 1: vers. 4. id fecerunt jussi à Domino, adeo ut dicere in promtu habuerint, *ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* 1 Cor. cap. 11: vers. 23. certè Apostoli, ὡς ἠλεημένοι ὑπὸ κυρίου πιστοὶ εἶναι 1 Cor. cap. 7: vers. 25. non hoc fecissent, nisi ἐπιταγὴν κυρίου habuissent; nisi scivissent ita *visum Spiritui Sancto* Actor. cap. 15: vers. 28. unde & Paulus de Presbyteris Ephesinis, à se sine dubio institutis, dicit *vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos.* Actor. cap. 20: 28. Certè Apostoli in iis, quæ statuerunt κατὰ συγγνώμην, 1 Cor. 7: 6. de quibus *dederunt* γνώμην ibidem ✝. 25. & inter illa, quæ dixerunt κατ' ἐπιταγὴν κυρίου sedulo semper distinxerunt, unde & in decreto Hierosolymitano, *visum est*, inquiunt, *Spiritui Sancti & nobis*, quia nimirum in illo aliquid erat de quo ἐπιταγὴν κυρίου εἶχον; aliquid, de quo tantùm γνώμην ἐδίδουν. Igitur si institutio pastorum, doctorum, presbyterorum, episcoporum, diaconorum è sententia tantùm esset Apostolorum, non ex ordinatione divina & mandato Domini, certè hautquaquam dixisset Paulus, *& ipse* Christus *dedit. Et alios Deus posuit.* Confirmemus hæc verbis magni *Salmasii* in apparatu ad libros de Primatu Papæ. *Non per se autem*, inquit, *Christus posuit in ecclesia Presbyteros & Episcopos, sed per Apostolos; quia post resurrectionem ejus & ascensionem illi in ecclesiis, quas ædificabant, Presbyteros & Episcopos ordinare soliti sunt, qui ex ordinatione Christi ordinari omnino videbantur. Quæcunque enim Apostoli in ecclesia instituebant, ea Christus ipse per Spiritum S. censebatur instituere*, & paulo post. *Non enim privato & proprio consilio hoc fecerunt.*

§. 10. Inter illos, quos dedit Christus, numerat Paulus πρῶτον *prius* seu priore loco ἀποστόλους *Apostolos*. Christus, ὁ ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας ἡμῶν Hebr. 3: ✝. 1. dedit posuitque Apostolos. Cum in terra esset, *multos* fecit μαθητὰς *discipulos*. Joh. 4: vers. 1. Illos quodam die *advocavit*, & ἐκλέξατο ἀπ' αὐτῶν δώδεκα, οὓς καὶ Ἀποστόλους ὠνόμασε, *elegit ab illis duodecim, quos & Apostolos nominavit* Luc. 6: 13-16. Qui tamen etiam deinceps dicti sunt *Discipuli.* Matth. 10: 1. καὶ προσκαλεσάμενος τοὺς δώδεκα μαθητὰς αὐτοῦ, quia & discipuli erant, & è medio discipulorum in Apostolos electi erant. Quâ facultate, quibusque illos instruxerit mandatis, vide Matth. 10. cur illos elegerit, cur duodecim, cap. v. §. 234. &c. exposuimus. Post mortem se illis aliquoties manifestavit. Act. 10: 40. 41. 1 Cor. 15: 5. 7. Quid illos tunc jusserit, quidque promiserit lege Matth. 28: 18-20. Marc. 16: 15-18. Luc. 24: 45-49. Joh. 20: 21-23. Actor. 1: 4. 5. 8. Post ascensionem Christi in locum Judæ proditoris electus est *Matthias.* Act. 1: 15-26. Spiritus S. in die Pentecostes visibiliter in illos effusus est. Act. 2. Ab illo tempore, *induti virtute ex alto* Luc. 24: 49. *baptizati in Spiritu S.* Actor. 1: 15. locuti sunt *linguis*, fecerunt miracula, narrarunt *magnalia Dei*, & seduli fuerunt in διδαχῇ Actor. 2: 42. 5: 21. 42. & in προσευχῇ καὶ διακονίᾳ τοῦ λόγου. Act. 6: 2. 4. Additus est ad duodecim illos Saulus persecutor; qui quasi præoccupavit locum Jacobi Zebedæi, qui maturè martyrium subiit. Act. 12: 2. Hic Saulus, quamvis se dicat τὸ ἐλάχιστον τῶν ἀποστόλων 1 Cor. 15: 9. tamen confitetur, se μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπὲρ

Apostoli.

λίαν ἀποστόλων. 2 Cor. 11: 5. 12: 11. Imprimis fuit deſignatus *præco & apoſtolus, & doctor gentium* 1 Tim. 2: 7. 2 Tim. 1: 11. Rom. 11: 13. fuitque adeò *εἰς τὰ ἔθνη*, cum alii eſſent *εἰς τὴν περιτομὴν*. Galat. 2: 9. Quod non ita accipiendum eſt, ac ſi alii etiam Apoſtoli gentibus non prædicarint, nam Petrus expreſsè teſtatur, *a diebus antiquis gentes per os illius audiviſſe ſermonem Euangelii.* Actor. 15: 7. & Antiochiam venit, ac cum gentibus converſatus eſt. Galat. 2: 12. Et Chriſtus juſſerat illos eſſe *teſtes ſuos, ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς* Actor. 1: 8. & ire ac proficiſci *εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα* Marc. 16: 15. & *nunciare Euangelium πάσῃ τῇ κτίσει, & diſcipulos facere πάντα τὰ ἔθνη.* Matth. 28: 19. Sed quia imprimis illorum Apoſtolorum miniſterium in convertenda ad Chriſtum circumciſione occupatum fuit, unde & Petrus ſcripſit *τῇ διασπορᾷ πόντου, γαλατίας,* &c. 1 Petr. 1: 1. Jacobus *ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ.* Jacob. 1: v. 1. Imò & Paulus neceſſum habuit ipſis primum Judæis *verbum loqui.* Actor. 13: 46. 28: 28. Omnes hi Apoſtoli, licet fuerint naturâ peccatores, *ὁμοιοπαθεῖς ἡμῖν* Act. 14: 15. & etiam in vita ſæpius peccarint & lapſi ſint, ut in Petro Antiochiæ apparuit Gal. 2: 11. 12. 13. 14. taceo, quod *ſcandalizavit* Dominum Matth. 16: 23. & *abnegavit* Matth. 26: 70. & in *παροξυσμῷ*, qui exſtitit inter Saulum & Barnabam Act. 15: 39. Paulus dicit ſe *peccatorum primum* 1 Tim. 1: 15. nec *idoneum, qui vocetur Apoſtolus* 1 Cor. 15: 9. ſeque *εἶναι οὐδὲν* 2 Cor. 12: 11. tamen in opere Dei, in doctrina, in ſcriptis fuere *ἠλεημένοι πιστὸν εἶναι* 1 Cor. 7: 25. adeò ut nec in docendo errarint, nec in ſcribendo unquam; verbumque illorum, & ſcriptura ſit tota *θεόπνευστος*; & pari amplectenda veneratione, ac ſi ipſo ore viventis Dei ſingula verba enunciata, & digito ejus ſcripta eſſent. Nam præterquam, quod *nil dixerunt extra Moſen & Prophetas.* Act. 26: 22. Spiritus Paracletus miſſus ad illos, *Spiritus ille veritatis, duxit illos in omnem veritatem* Joh. 16: 13. & *docuit illos omnia, & recordari fecit illos omnium,* quæ Chriſtus *dixerat illis.* Joh. 14: 26. Inde divina illorum præconia, & profundiſſimæ epiſtolæ, cùm alias eſſent *ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται* Act. 4: 13. Solo Paulo excepto, qui erat benè *πεπαιδευμένος* Act. 22: 3. ſed in illa lege & religione, quæ *velum* fuit, agnitionem *juſti* obſcurans. Apoſtolorum horum characteres ſunt 1. Vidiſſe Chriſtum & audiviſſe. *Annon ſum Apoſtolus? annon Chriſtum Dominum noſtrum vidi?* 1 Cor. 9: 1. 1 Joh. 1: 1. Act. 4: 20. 10: 41. 13: 31. 22: 15. 26: 16. 2. Reſurrectionis illius teſtes eſſe. Act. 1: 22. 2: 32. 3: 15. 5: 31. 32. 10: 40. 41. 22: 15. cujus *teſtimonium* reddiderunt *magnâ potentiâ* Actor. 4: 33. 4: 33. 3. *Operari τὰ σημεῖα τοῦ ἀποστόλου ſigna Apoſtoli* in illis, ad quos miſſi fuerunt; quæ dicit Paulus eſſe, *in omni patientia, in ſignis, & portentis, & potentiis.* 2 Cor. 12: 2. 4. Eſſe *non ab hominibus, aut per homines, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem* Galat. 1: 1. confer Rom. 1: 5. *per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum.* Paulus à Jeſu in via Damaſcena vocatus eſt. Alii undecim pariter à Jeſu. Solus *Matthias* per *ſortem* electus; ſed quam direxit Dominus, qui eam ob cauſam ab eligentibus anxiè fuit invocatus Act. 1: 24. 25. adeoque nec ille *ab hominibus.* 5. Eſſe *miniſtros Novi Teſtamenti, non literæ, ſed Spiritus* 2 Cor. 3: vers. 6. accepiſſe *τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς* 2 Cor. 5: vers. 18: 19. 6. *Virtute ex alto* indutos eſſe, pollere *γένεσι γλωσσῶν, ἑρμηνείᾳ γλωσσῶν* 1 Cor. 12: 10. 14: 18. & abundare Spiritu ſuper omnem modum. 7. Proficiſci in *totum mundum,* docere *omnes gentes,* unde & *Apoſtoli,* hoc eſt, miſſi audiunt. 8. Loqui & ſcribere *θεοπνεύστως* 2 Tim. 3: 16. ut Jeſus omnibus innoteſceret, & *Lex Dei* poneretur *in medio omnium.* Jerem. 31: vers. 33. Magna horum Apoſtolorum fuit authoritas, in præcomando, in monendo, in reprehendendo. Eccleſias formarunt. Presbyteros conſtituerunt, & *dogmata* à gentium Eccleſiis initio ſervanda ſtatuerunt. Act. 16: 4. 21: 25. Magnus fuit Apoſtolo-

rum

rum usus post Christum. Ecclesia sine illis Christo colligi non potuit. Debuerunt adesse viri oculati testes Christi, potentes in operibus & verbis, infallibiles in loquendo, docendo, scribendo; ut Christus prædicaretur in gentibus, crederetur in mundo, ut doctrina de Christo, de passionibus ejus & gloriis, de Sacramentis illius, de ecclesia Christi; totum denique pietatis mysterium, magnum illud citra controversiam & sublime, in omnem memoriam & perpetuitatem divulgaretur; ut fideles in cœtus colligerentur, in ordinem sanctum & bonum redigerentur; & necessariis præceptis, secundùm mentem Domini, ad servandam τάξιν instruerentur; ut *fundamentum poneretur*, præter quod nemo aliud ponere potest 1 Cor. 3: 11. cui inædificati sancti crescerent *in templum sanctum in Domino*. Ephes. 2:20.21. Officium Apostolorum temporarium fuit, nam non alii Apostolis successerunt Apostoli, prædicato enim Christo, notificato mysterio Christi, nunciatis in gentibus impervestigabilibus divitiis Christi, & illuminatis omnibus, quæ communio mysterii, absconditi à sæculis in Deo Ephes. 3: 5. 8. 9. obsignandum erat verbum Dei; ut fides fieret verbo, *non docebunt vir amplius proximum suum, dicendo, cognoscite Dominum*. Quamdiu *Apostoli* erant, Doctores immediatè missi à Christo, revelantes cottidie magis magisque magnalia Dei, dici sanctis debebat, *cognoscite Dominum*; illorumque verbum accipi, non ut hominum, sed ut Dei. Imò hi duodecim Apostoli *non subduxerunt sese quo* minus *annunciarint nobis omnem voluntatem Dei*. Act. 20: 20. 27. Ideò & *Judas*, qui inter ultimos scripsit, *omnem diligentiam adhibens scribere nobis de communi salute*, nil invenit, ac *necesse* duxit *scribere*, quam ut *admoneret*, ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει. Judæ vers. 3. Cum igitur omnis fides de Deo, de Christo, de regno Dei, de justitia, de salute plenissimè descripta, & nunciata esset, novos Apostolos, successores priorum, dari, hautquaquam necesse fuit. Sufficit cura Christi pro ecclesia; Spiritus inhabitans sanctorum corda; verbum Dei, per Prophetas & Apostolos consignatum, manens in perpetuum; ministerium verbi ordinarium in secula omnia vigens. Apostolorum præsentia cessat; ministerium non cessat. Testimonium illorum manet & doctrina, ac si etiamnum inter homines versarentur. *Apostolorum* nomen in sacris latius nonnunquam venit; & alios etiam, quam τῶν δώδεκα, quibus accessit Saulus, notat. *Barnabas* vocatur *Apostolus*, qui tamen in collegium Apostolorum ascitus nullibi legitur. Actor. 14: 4. 14. *Andronicus & Junias*, Pauli *cognati*, dicuntur ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις. Rom. 16: 7. *Epaphroditus* dicitur Philippensium ἀπόστολος Phil. 2: 25. adde 2 Cor. 8: 11. εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν, ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν. Apostolus queritur 2 Cor. 11: 13. de ψευδαποστόλοις, ἐργάταις δολίοις, μετασχηματιζομένοις εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ. adde Apoc. 2: vers. 2. φάσκοντας εἶναι ἀποστόλους, καὶ οὐκ εἰσί. *Clemens*, autor epistolæ cujusdam ad Corinthios scriptæ, quæ ita incipit, ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Ῥώμην, τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ παροικούσῃ Κόρινθον; hic inquam Clemens, qui fuit συνεργὸς Pauli Phil. 4: vers. 3. à Clemente Alexandrino *Apostolus* dicitur, libro iv. Stromateon. Ναὶ μὴν ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῇ, Ἀπόστολος Κλήμης. Scilicet *comites* Apostolorum & *cooperarii*, possunt Apostoli dici; sunt tamen minorum tantùm gentium Apostoli, ut ita loquar; imò fuerunt Apostolorum Apostoli, nam duodecim Apostoli, quos dicas licet majorum gentium Apostolos, pro rerum exigentia opera & ministerio illorum frequenter usi sunt. Qui hodie Apostolorum se jactant *successores*, nullum *signum Apostoli* habent. Non audiverunt, nec viderunt Christum; non spectarunt ejus opera, mortem, resurrectionem, ascensionem, non ex alto virtute induti sunt, non loquuntur linguis, nec in demonstratione Spiritus & sapientiæ: non sunt missi in gentes, non operantur potentias, nec habent Spiritum Domini; & quod non debebant, dominantur fidei.

Prophetæ. §. 11. Apostolos sequuntur προφῆται *Prophetæ*. Patribus olim Deus sæpè locutus est *in Prophetis*. Hebr. 1: 1. de illis lege Actor. 7: 52. 10: 43. 26: 22. Rom. 1: ℣. 2. 3: 21. 1 Petr. 1: 19. 20. 21. Hi *prophetæ* ponuntur ante Apostolos, nam & tempore & ordine Apostolos præcedunt; illorumque quasi Præceptores fuerunt, extra quos nil loquuti sunt. Actor. 26: vers. 22. Id videre est 2 Petr. cap. 3: vers. 2. monemur *memores esse verborum ante dictorum à sanctis Prophetis, & præcepti Apostolorum Domini nostri & Servatoris.* Nobis nunc dicendum de *Prophetis*, qui ordine sunt posteriores Apostolis, quosque Deus in ecclesia Novi Testamenti posuit. Joël promiserat, post effusum Spiritum Sanctum *prophetaturos filios, filias, servos, ancillas*. Act. 2: vers. 17. 18. προφητεύειν est futura prædicere. Illo dono polluerunt Apostoli; adeoque & illi fuerunt προφῆται. Vide *Paulum* futura prædicentem. Act. 20: 29. 30. 27: 22. 1 Cor. 2: 6. 2 Thes. 2: 3. 4. 8. 1 Tim. 4. 1. 2. 3. *Petrum*. 2 Pet. 2: 1. 2. 3. 3: 10. *Johannem*. 1 Ephes. 2: 18. 19. 22. & in totâ Apocalypsi. Sed & alios prophetandi dono instruxit Dominus. *Ab Hierosolymis venerunt Prophetæ Antiochiam*, inter quos *Agabus*, qui *per Spiritum famem* imminentem *magnam significavit*. Act. 11. 27. 28. deinde etiam *Cæsareæ* Pauli passiones & vincula in Hierosolyma Act. 21: 10. 11. Etiam *Tyri* inventi fuerunt *discipuli*, *qui Paulo dixerunt per Spiritum*, propheticum certè, *ne ascenderet in Hierusalem*. Act. 21: 4. Etiam Act. 13: 1. dicuntur fuisse in *Ecclesia Antiochena* προφῆται καὶ διδάσκαλοι. Hi *Prophetæ* fuerunt tantùm, non *Apostoli*. Ergo videmus, ut verum sit, *Posuit in ecclesia primum Apostolos, dein Prophetas*. Ex horum forsan numero fuerunt *duodecim* illi *viri*, quibus Paulus in Epheso imponebat manus; *loquebantur linguis, &* προεφήτευον Act. 19: 6. 7. usus horum *Prophetarum* in primitiva ecclesia insignis fuit, nam & ita Spiritus omni modo deprehensus est operari, nec in ullo dono parcus esse, & ecclesia de imminentibus sibi, aut malis, aut tentationibus, aut liberationibus erudita, & priores prophetiæ continuatæ quasi & adauctæ. De Timotheo *prophetiæ* factæ erant. 1 Tim. 1: 18. κατὰ τὰς προαγούσας ἐπὶ σὲ προφητείας, & cap. 4: 14. *Donum, quod datum est tibi* διὰ προφητείας. Quinimò ut sub V. T. etiam mulieres fuere *Prophetissæ*, Deborah, Hannah, Hulda. adde Luc. 2: 36. Ἄννα προφῆτις, ita & sub Novo dicuntur Philippi *quatuor filiæ virgines* προφητεύουσαι. Act. 21: 8. 9. ut autem post Apostolos non alii successerunt Apostoli; ita nec post hos Prophetas alii Prophetæ. Fuere ergo & hi *Prophetæ* tantùm ad tempus; nec post hos surrexerunt novi, h. e. alii, ut genera linguarum, & charismata sanationum, ita & dona desierunt prophetiarum. *Obsignata visione & Prophetâ* Dan. 9: 24. etiam hi Prophetæ obsignari debuerunt & desinere; ut ita omni modo impleretur, *non docebit amplius vir proximum suum*.

§. 12. Præter hos Prophetas dedit Deus alios adhuc *Prophetas*, h. e. viros in Scripturis propheticis potentes, ad demonstrandum ex illis Jesum Christum, veritatem Euangelii, & mysteria ejus; ad confirmandum fratres, & erudiendum sanctos. Tales *Prophetæ* fuere *Judas & Silah* qui *Antiochiæ* διὰ λόγου πολλοῦ παρεκάλεσαν τοὺς ἀδελφοὺς καὶ ἐπεστήριξαν. Actor. 15: 32. Talis *Apollo, fervens* ille *Spiritu, qui demonstrabat per Scripturas, Jesum esse Christum*. Actor. cap. 18: vers. 25. 28. Hoc dono polluerunt insigniter Apostoli, *Paulus* Actor. 9: 22. 17: 3. 26: 22. *Petrus*. Act. 2: 16. 25. 28. 3: 22. 10: 43. *Jacobus*. Actor. 15: ℣. 14. 15. 16. confer Jacob. 2: 23. 25. 5: 11. Imò & inde *Scripturæ* illorum videntur dici προφητικαὶ *Propheticæ*. Rom. 16: 26. Omnes δυνατοὶ ἐν ταῖς γραφαῖς Actor. 18: ℣. 24. optimo jure dicuntur *Prophetæ*. Objectum, circa quod versantur, est *prophetia*. Spiritus, in cujus sensum inquirunt, est *Spiritus Prophetiæ*. Homines, quorum scripta explicant, sunt *Prophetæ*, denique nec sine prophetico Spiritu Prophetiæ explicantur. De his προφήταις, qui illo tempore sine dubio Apostolorum fuere συνεργοὶ καὶ κοινωνοὶ censendus est Paulus loqui Ephes. 2: 20.

Ædi-

Ædificati in fundamento Apostolorum & Prophetarum. Idem fundamentum posuerunt & Apostoli & Prophetæ hi, *Christum Jesum*, 1 Cor 3: 11. ut *lex Mosis* dicitur, quæ per Mosen data & promulgata est; *Baptismus Johannis*, qui per Johannem publicatus & peractus est; ita & *fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, quod per præconium ac doctrinam illorum positum ac confirmatum est. Ephes. 3: 5. *Mysterium, quod in aliis generationibus non est notificatum filiis hominum, ut nunc revelatur sanctis Apostolis ipsius, & Prophetis in Spiritu.* 1 Cor. 14: 32. *Spiritus Prophetarum subjiciuntur Prophetis.* Hoc donum dicitur προφητεία. Rom. 12: 6. *Habentes charismata diversa, sive prophetiam*, habeamus *juxta analogiam fidei.* 1 Cor. 12: 9. 10. *Alii verò* προφητεία datur *in eodem Spiritu.* 1 Cor. 14: 6. *Si linguis loquar, quid vobis prodero, nisi vobis loquar,* ἢ ἐν ἀποκαλύψει, ἢ ἐν γνώσει, ἢ ἐν προφητείᾳ, ἢ ἐν διδαχῇ. 1 Cor. 13: 2. *Si habeam prophetiam, & noverim omnia mysteria, & omnem cognitionem.* Ergo hæc *prophetia* est, nosse mysteria Dei. 1 Cor. 14: 22. *Linguæ in signum sunt; non credentibus, sed infidelibus. Prophetia verò non infidelibus, sed credentibus.* 1 Thess. 5: 20. προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε. Tamen & de hoc dono dicit, *Prophetiæ abolebuntur*, 1 Cor. 13: 8. in futura nimirum vita, ubi videbimus *facie ad faciem.* Hoc donum qui habet & exercet, dicitur προφητεύειν, sive *vir.* 1 Cor. 11: 4. *Omnis vir orans*, ἢ προφητεύων, sive *mulier.* ibid. vers. 5. *Omnis verò mulier orans*, ἢ προφητεύουσα. Huic ut seriò studeamus, valdè urget Paulus 1 Cor. 14: 1. ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικά; *magis verò, ut prophetetis.* confer vers. 39. ζηλοῦτε τὸ προφητεύειν. 1 Cor. 14: 4. *Qui prophetat, ecclesiam ædificat.* vers. 5. *major est qui prophetat, quam qui linguis loquitur.* confer 1 Cor. 14: 24. 31. Hoc προφητεύειν habemus hîc tantùm ἐκ μέρους *ex parte*, ut & τὸ γινώσκειν, 1 Cor. 13: 9. nec quicquam prodest, si ἀγάπη desit. 1 Cor. 13: 2. 3. Donum hoc manet per totum tempus seculi, tepet autem & languet valdè hac seculi perversitate, *utinam omnis populus Domini essent Prophetæ*, vovebat Moses Num. 11: 29. utinam omnes nos prophetiæ dono polleremus. Si impleri debuit prophetia Novi Testamenti, *omnes illi cognoscent me; omnes Filii tui docti à Domino*; debuerunt certè dari multi plurimique προφῆται. Et sine dubio, ut illo primo ecclesiæ novæ tempore, Spiritus præsentia gloriosior fuit, & in Apostolis, & in sanctis, ita & tunc fuere maximè illustres *Prophetæ*; qui zelo Dei pleni, & *zelarunt* προφητεύειν, & *prophetarunt*, quos & Apostolus ante Euangelistas & Doctores, proximè post Apostolos numeravit; à quibus sine dubio ecclesia tunc maximum fructum percepit. Omnis autem illorum προφητεία fuit *secundùm analogiam fidei.* Nam extra Mosen & Prophetas, qui loquitur, is non prophetat, sed fabulatur. Omnes decet operam dare, ut prophetent, & Doctores & Auditores; & Pastores & oves. Prophetare enim est, Dei in verbo loquentis sensum percipere, explicare; & mysteria salutis è Scripturis sacris detegere. Doctores id faciunt publicè. Auditores privatim; & utrique dum faciunt, verè prophetant. Cretensium Poëtam dicit Paulus προφήτην. Tit. 1: 12.

§. 13. Præter hos dedit Christus εὐαγγελιστάς. Hoc nomen in sacris datur Philippo Diacono. Actor. 21: 8. εἰς τὸν οἶκον Φιλίππου τοῦ εὐαγγελιστοῦ. Timotheo Paulus, ἔργον ποίησον εὐαγγελιστοῦ 2 Tim. 4: 5. Vulgo illi, qui historiam nativitatis, vitæ, passionis, exaltationis Jesu scripserunt, *Euangelistæ* dicuntur, quorum duo fuere Apostoli, Matthæus & Johannes; reliqui, Euangelistæ tantùm. Scriptores historiæ Jesu, partim ipsi omnia viderunt & audiverunt, ut Matthæus & Johannes, quidam tradita illa acceperunt ab illis, qui fuerunt αὐτόπται & ὑπηρέται τοῦ λόγου, ut Lucas, Luc. 1: 2. qui idem & *Acta Apostolorum* scripsit, ut liquet è Luc. 1: vers. 3. Actor. 1: vers. 1. Hac historia nulla est utilior, nulla suavior, Euangelistæ.

nulla certior, nulla perfectior, nulla sublimior, & mirabilibus exemplis refertior. *Utilior*: ex illa enim vitam Christi discimus, cujus debemus *inhærere vestigiis* 1 Petr. 2:21. ex illa sermones Christi, in quibus vita, lux, salus, discimus. *Suavior*: ex illa nativitatem Dei, qua factus est, ut unus è nobis, carnis nostræ & sanguinis particeps percipimus; mortem ejus, in qua est nostra redemtio, & cum Deo reconciliatio, & peccatorum remissio, audimus; imò & *glorias*; de quibus & nos, ut membra corporis, cujus ille caput, participamus. In illa cottidie gratæ illæ voces, quibus usus est Dominus erga miseros & ægrotos, occurrunt, & nobis quasi insinuantur ac repetuntur. *Certior*: diversis temporibus à diversis scripta in summa rei convenit; cum Mose & Prophetis concordat; qui talia Messiam acturum prædixerunt, ut Euangelistæ narrarunt; non est scripta ad aucupandam mundi gratiam; ad captandum lucrum, sed mero pietatis & veritatis zelo ac ardore. *Perfectior*: multa dixit, multa fecit Jesus, quæ non sunt scripta. Joh. 21:25. Tamen omnia scripserunt Euangelistæ, quæ ad salutem, & consolationem & institutionem de Jesu Servatore scire expedit. Plenissimè ejus divinitatem, incarnationem, sermones, passionem, resurrectionem, glorias consignarunt. Quod unus præteriit, alter adnotavit. *Sublimior*: Magnum citra controversiam illud pietatis mysterium in illa traditur. Regnum cœlorum, & beneficia ejus enarrantur. Sublimis Christi doctrina, veritas cœlestis, parabolæ, æterna ejus lex, justitia, veritas ex illa percipitur. *Mirabilibus plenior exemplis*; quid mirabilius est nativitate, morte, resurrectione magni Dei? ubi sunt à seculo audita tot miracula, in hominibus & elementis perpetrata? ubi ita Diaboli tentationes, nequitiæ, fraudes expositæ? ubi tot Angelorum apparitiones, descensiones, ascensiones descriptæ? Hanc historiam qui sedulò legunt, illi adhuc vident nascentem Jesum; adhuc palpant illum manibus; adhuc audiunt loquentem verba vitæ; adhuc vident, pendentem de cruce, stillantem sanguine, jacentem in sepulchro, resurgentem, in cœlum ascendentem. Imò qui & Apostolorum acta diligentius evolvit, ita informatur ac πληροφορεῖται, ac si adhuc videret Spiritum Sanctum effundi; audiret Apostolos magnalia Dei narrantes; spectaret in mundum proficiscentes, ecclesias Domino colligentes, pro nomine ejus dira patientes, & omnem rationem in obedientiam Christi cogentes. Apostoli etiam fuerunt *Euangelistæ*, qui enim Euangelium Dei de Filio ejus narrat, prædicat, Euangelista est. Quàm *suaves* seu speciosi fuerunt *pedes* horum, εὐαγγελιζομένων εἰρήνην, τῶν εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθά. Rom. 10:15. *Misit me Christus*, inquit Paulus, εὐαγγελίζεσθαι 1 Cor. 1:17. *Væ mihi, ni Euangelizem.* 1 Cor. 9:16, Tamen hic, in contradistinctione Apostolorum, intelligendi sunt ii, qui è proposito historiam Christi narrandam & scribendam susceperunt; Narrandam, inquam, non enim omnes Euangelistæ scripserunt. Philippus Euangelista *euangelizavit* Actor. 8:12. nec tamen scripsit, imò nec Timotheus. Omnis Apostolus, ut Propheta, ita & Euangelista est; non tamen omnis Euangelista Apostolus. Euangelistæ fuere perpetui comites Apostolorum. *Marcus* Sauli & Barnabæ. Actor. 13: vers. 5. 15:39. confer 2 Tim. 4: vers. 11. *Marcum duc tecum.* ἔστι γάρ μοι εὔχρηστος εἰς διακονίαν. Lucas peregrinatus est cum Paulo. Col. 4: vers. 14. *salutat vos Lucas, medicus, dilectus.* Philem. vers. 24. *Aristarchus, Demas, Lucas,* οἱ συνεργοί μου. Ad numerum *Prophetarum & Euangelistarum*, quos posuit Deus in ecclesia, possunt omnes illi referri, quorum opera insignis fuit in Euangelio; quorum integros passim catalogos texit Paulus. vide Rom. 16:2.7.9.12.21. Col. 4:12. 17. *Septuaginta* illos, de quibus Luc. 10: vers. 1. imò & Barnabam, qui tamen & *Propheta & Doctor* dicitur Actor. 13: vers. 1. ac Titum ad hanc classem referunt multi. Euangelistarum munus desiit, & etiam temporarium fuit, absoluta enim & perfectè conscripta

semel

semel historia Christi, nil amplius Euangelistis opus fuit. Attamen fructus ministerii illorum in omne seculum redundat. Opus illorum perpetuum est. Per illos Euangelium ἐξεβαιώθη usque ad nos.

§. 14. Præterea dedit & Christus ποιμένας καὶ διδασκάλους. *Pastores & Doctores.* Christus etiam ποιμὴν dicitur Matth. 26: vers. 31. Marc. 14: vers. 27. Joh. 10: vers. 14. 16. Hebr. 13: vers. 20. 1 Petr. 2: vers. 25. Imò ἀρχιποίμην 1 Petr. 5: 4. denique & ποιμαίνειν. Matth. 2: 6. Es. 40: 11. Mich. 5: 3. Hic ποιμὴν ecclesiæ suæ dedit ποιμένας; ipse tamen est manetque *magnus Pastor, & Archipastor.* In Novi Testamenti libris hoc tantùm loco hoc nomen *duis Ecclesiæ* imponitur. Sæpius tamen Ministri ecclesiæ jubentur ποιμαίνειν quod est *Pastorum.* Actor. 20: 28. 1 Petr. 5: 12. adde Joh. 21: 15. 16. 17. Jerem. 3: vers. 15. promittitur, quod hìc impletum legitur, *Et dabo vobis* רֹעִים כְּלִבִּי *Pastores secundum cor meum, & pascent vos cognitione & prudentia.* Exstat vaticinium de רֹעִי הָאֱלִיל *Pastore nihili* Zach. 11: 7. & querela de Pastoribus Es. 56: 11. וְהֵמָּה רֹעִים *Et illi Pastores ? nesciunt docere.* Fuere & olim רוֹעֵי יִשְׂרָאֵל *Pastores Israëlis.* Zach. 11: vers. 3. Ezech. 34: vers. 1. Sed illi excisi & aboliti sunt Zach. 11: vers. 8. *Delebo tres Pastores*, ut Christus *Pastor*, ita & διδάσκαλος *Doctor* audit. Matth. 10: vers. 24. Joh. 3: 2. Joh. 13: 13. 14. Habuit & Israël suos διδασκάλους Joh. 3: 10. Luc. 2: 46. Rom. 2: 20. Dedit Jesus etiam Ecclesiæ suæ *Doctores.* In ecclesia Antiochena erant προφῆται καὶ διδάσκαλοι; *Barnabas, Simeon, Lucius, Manaem, & Saulus* Apostolus; qui se alibi dicit διδάσκαλον ἐθνῶν. 1 Tim. cap. 2: vers. 7. 2 Tim. cap. 1: vers. 11. Grave munus est *Doctoris.* Ideò monet Iacobus cap. 3: vers. 1. *Ne multi Doctores fiatis, scientes, quod majus judicium accipiemus.* Omnes sanctos eousque decet proficere, ut Doctoribus pares sint, profectu nimirum & scientia. Hebr. 5: 12. καὶ γὰρ ὀφείλοντες εἶναι διδάσκαλοι διὰ τὸν χρόνον.

Pastores & Doctores.

§. 15. Theodoretus ποιμένας & διδασκάλους interpretatur τοὺς κατὰ πόλιν καὶ κώμην ἀφωρισμένους; particularibus *civitatibus & vicis* præstitutos; quos ideò & post Euangelistas recenseri ait, quia ἐκεῖνοι περιιόντες ἐκήρυττον *circumeuntes Euangelium prædicabant*, Pastores & Doctores ad singulas civitates defixi erant; privatisque cœtibus præerant. Fuere etiam Apostoli Pastores & Doctores, sed illos haut malè dixeris Doctores οἰκουμενικούς; cum hi, de quibus nunc sermo nobis, fuerint Doctores τοπικοί; Apostoli *universales* omnium ecclesiarum; hi *particulares* unius particularis ecclesiæ. *Pastorum* est pascere oves. Sancti fideles sunt *oves* Christi, Ioh. 10: 16. 21: 16. qui olim erant ὡς πρόβατα πλανώμενα. 1 Petr. 2: 25. Christus invisibiliter pascit per gratiam, potentiam, spiritum. *Pastores* ipsis dati pascunt visibiliter per verbum, Sacramenta, & charitatis ministerium, & curam, ut omnia ordine fiant, & decorè, ut sanctos decet; ut scandala vitentur, veritas doctrinæ, & integritas fidei maneat, inordinati cohibeantur; & pascuum Dei à lupis integrum servetur. Intelligimus ergo per *Pastores*, præcones verbi divini, dispensatores mysteriorum Dei, rectores ecclesiæ, verbo & opere in illa laborantes. Cum Pastoribus junguntur *Doctores*; *Pastores & Doctores.* Sine dubio Pastores debent esse ἱκανοὶ *ad docendum*; quomodo pascent gregem, nisi docere illum possint, imò doceant. Pascunt verbo; oportet ergo, ut verbum docere possint. Hic igitur per διδασκάλους intelligendi sunt *Doctores* altiore quodam gradu. Alii intelligunt *exorcistas*; alii *metropolitas*; alii *scholarum Doctores*, Sacrarum literarum interpretes; cognitione linguarum, historiarum, controversiarum instructos. Chrysostomus, *Prophetia tota est muneris divini, doctorum verò officium etiam laboris humani; nam & ex suis multa Doctor adfert, modo congruant Scripturæ.* His

Docto-

Doctoribus imprimis convenit λόγος σοφίας *sermo sapientiæ*, λόγος γνώσεως *sermo cognitionis* seu circumspectionis, γένη γλωσσῶν *genera linguarum*, ut loqui multis gentibus, & intelligere multas gentes possint, & ἑρμηνεία γλωσσῶν *interpretatio linguarum*, donum ad prophetandum necessarium. 1 Cor. 12:8. 10. In 1 ad Corinth. 12:28. posuit Paulus tantùm διδασκάλους; non ποιμένας; sed paulò post addit κυβερνήσεις *gubernationes*, forsan intelligens illos, quos per *Pastores* indicavit. Pastorum enim est κυβερνᾶν *gubernare*. Alibi, ut Rom. 12: vers. 7. 8. omnem διακονίαν, seu totum *ministerium*, distribuit Paulus in διδάσκοντας *docentes*, παρακαλοῦντας *admonentes*, μεταδίδοντας *distribuentes*, προϊσταμένους *præstantes*, seu qui præsunt, & ἐλεοῦντας *miserantes*. Per *distribuentes* intelligit illos, quos in specie διακόνους vocat 1 Tim. 3:8. Per *miserantes*, qui pio motu eleemosynas largiuntur. Per *docentes* autem, & *adhortantes*, & *eos, qui præsunt*, intelligit eosdem, quos hic *Pastores* & *Doctores* dicit; unde hæc distinctio colligitur, esse in ecclesia, qui *docent*, *adhortantur*, & *præsunt*; esse, qui non docent, sed *præsunt* tantùm; quam differentiam etiam Paulus inculcat. 1 Tim. 4: 17. Adeoque non malè forsan & in hoc loco per *Pastores* intelligemus eos, qui res ecclesiæ curant, & clavo ecclesiæ adsident, ut omnia fiant κατὰ τάξιν; per *doctores* autem, qui insuper in verbo laborant, & ecclesiam ad salutem è verbo Dei erudiunt. Tuncque non opus erit per *doctores* intelligere Exorcistas, Metropolitas, &c. ut ab aliis fieri ostendimus. Omnis, qui aliis præponitur, ut doceat, eo niti debet, ut ad perfectissimam eruditionem perficiat; quò verè *Doctor* audiat, & perfecti Doctoris requisita habeat, nec in ullo deficiat.

Presbyteri. §. 16. Frequentissima etiam in sacris Novi Testamenti mentio fit τῶν πρεσβυτέρων καὶ ἐπισκόπων *Presbyterorum & Episcoporum*. Act. 11:30. *Antiocheni fideles miserunt per Paulum* & Barnabam collectam in Judæam πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους. Paulus & Barnabas dicuntur constituisse πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν. Act. 14: 23. In Synodo Hierosolymitana decernunt *Apostoli*, & *Presbyteri*, & *fratres*. Actor. 15:2. 4. 22. 23. 16:4. 21:18. Mileti cum esset Paulus, accersivit ad se *ecclesiæ* Ephesinæ πρεσβυτέρους *Presbyteros*. Actor. 20: 17. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplo honore digni sunt*. 1 Tim. 4: 17. *Si quis in vobis infirmus est, advocet* τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας. Jac. 5: 14. Titum jusserat Paulus, ut constitueret κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους. Tit. 1: 5. πρεσβυτέρους, *qui in vobis, hortor*, inquit Petrus 1 Petr. 5: 1. In Ep. 1. ad Tim. 5: 1. dicit Paulus, *Presbyterum non redargue*. vers. 19. *contra Presbyterum accusationem ne accipe*. Petrus Apostolus se dicit συμπρεσβύτερον. 1 Petr. 5: 1. Johannes se vocat πρεσβύτερον. 2 ep. vers. 1. 3. ep. vers. 1. In ep. Petr. 5: 5. *Iuniores obedite* πρεσβυτέροις *Presbyteris*.

Episcopi. §. 17. Ἐπισκόπου appellationem habes Act. 20: 28. *In quo posuit vos Spiritus S. Episcopos*. Phil. 1: 1. σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις. 1 Tim. 3: 2. δεῖ οὖν τὸν ἐπίσκοπον. confer Tit. 1: 7. Christus Dominus dicitur ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν. 1 Petr. 2: 25.

Iidem qui Pastores & Doctores. §. 18. *Presbyteri* hi & *Episcopi* sunt iidem planè, qui *Pastores* & *Doctores*. Unde & illis attribuitur τὸ ποιμαίνειν, quod est *Pastorum*, & διδάσκειν, quod est *Doctorum*. vide 1 Petr. 5: 1. 2. Act. 20: 28. Tit. 1: 5. 7. 9. 1 Tim. 3: 2. 5. 4: 17. Qui enim tenentur idem agere, quis negabit iisdem idem officium incumbere? videndum autem, cur iidem *Presbyteri*, imò & *Episcopi* dicantur.

Cur dicti presbyteri? §. 19. *Presbyter* seniorem notat. Seniores ætate Græci *presbyteros* appellabant. Hesychius, πρεσβύτερος, μείζων, γέρων. Igitur ab *ætate* ita dicti sunt. *Seniores* ab Apostolis electi sunt, quibus ecclesiæ curam committerent. In Episcopo desiderat Paulus, ne sit νεόφυτος *novitius*; nuper satus, nuper plantatus. 1 Tim. cap. 3: vers. 6. Petrus νεωτέρους

monens ὑποτάσσεσθαι πρεσβυτέροις 1 Epist. 5: vers. 5. simul innuit; τοὺς πρεσβυτέρους non esse νεωτέρους. In Israële summam olim habuerunt auctoritatem *seniores*, זקני ישראל: Regentes populi Israëlitici dicti sunt, οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ Matth. cap. 21: vers. 23. 27: 1. πρεσβύτεροι τῶν Ἰουδαίων. Luc. cap. 7: vers. 3. Ἄρχοντες τοῦ λαοῦ, καὶ πρεσβύτεροι τοῦ Ἰσραήλ. Actor. 4: vers. 8. Omnes antiquæ ecclesiæ Patres, *Abel*, *Enoch*, *Noah*, *Abraam*, &c. dicuntur πρεσβύτεροι Hebr. 11: vers. 2. ἐν ταύτῃ γὰρ, *fide* nimirum ἐμαρτυρήθησαν οἱ πρεσβύτεροι. Habuit & suos Synagoga Judaica *presbyteros*. Codex Theodosius de *Judæis Cælicolis* leg. II. *Qui devotione tota Synagogis Judæorum patriarchis, vel presbyteris se dediderunt*, & lege XIV. *Superstitionis indigna est, ut archisynagogi, sive presbyteri Judæorum, vel, quos ipsi Apostolos vocant.* Inter *gentes* Respublica senioribus committi solebat, unde rectores populi γέροντες & πρεσβύτεροι dicebantur, & cœtus illorum γερουσία & πρεσβυτέριον; quemadmodum & à consiliis dandis βουλευταὶ dicti sunt; *collegium* verò βουλή. Et notum inter antiquos proverbium, ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ γερόντων. Problema inter illos fuit, an *juveni committenda respublica.* Hanc formam sequuti Apostoli Christi ex æquo gentilibus ac Judæis usitatam, plebi Christianæ moderandæ seniores imposuerunt. Incomparabilis vir, Claudius Salmasius, ostendit, capite primo libri de primatu Papæ, *à primis ecclesiæ nascentis incunabulis id obtinuisse, ut regimen spirituale ad formam ac typum civilis politiæ constitueretur, sub iisdem nominibus potestatum ac dignitatum, qualia usurpata cum in civili administratione, tum in sacra, tam apud Judæos, quàm gentiles*, quod certo respectu verum est. Ambrosius in 1. Epist. ad Timotheum putat Antistites ecclesiæ nomen *Presbyterorum*, non ab *ætate*, sed *honoris contemplatione* accepisse. *Antiquis enim temporibus*, inquit, *quando pietati studebant presbyteri, omni in loco ordinabantur, hoc quidem nomen contemplatione honoris accipientes, sicut & apud Judæos presbyteri dicebantur, qui populo præerant.* Hæc Ambrosii verba citat *Amalarius*.

§. 20. Ἐπίσκοπος ab officio procurationis, & munere inspectionis dicitur. Episcopi est ἐπισκοπεῖν *curam agere*. Munus enim Episcopi est ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἐκκλησίας. 1 Timot. cap. 3: vers. 5. Ἐπισκοπεῖν Græcis est curam agere, providere, prospicere. 1 Petr. cap. 5: vers. 2. *Pascite gregem Dei*, ἐπισκοποῦντες *curam ejus agentes.* Hebræorum cap. 12: vers. 14. 15. *Pacem persequimini, & sanctificationem*, ἐπισκοποῦντες μήτις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ *curantes, ne quis deficiat à gratia Dei.* Ἀλλοτριοεπίσκοποι dicuntur, *qui curant aliena, & quæ nil ad se attinent.* Græci ἐπισκόπους ἀγώνων dixere certaminum moderatores, qui prospiciebant, ut omnia rectè atque ordine agerentur, qui & ἐπιμεληταὶ, id est, *curatores* dicti. Pollux, ἄθλων ἐπιμεληταὶ, ἔφοροι, ἐπόπται, προστάται, ἐπίσκοποι. Apud Athenienses ἐπίσκοποι dicti, qui quotannis mittebantur, ut inspicerent & curarent civitates ipsis subjectas. Ἐπίσκοποι οἱ παρ' Ἀθηναίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἑκάστοις πεμπόμενοι, οἱ καὶ φύλακες ἐκαλοῦντο, οὓς οἱ Λάκωνες Ἁρμοστὰς ἔλεγον. Etiam Medici dicuntur ἐπισκοπεῖν ægros, quos curant. Est ergo nomen ἐπισκόπου non imperii & potestatis, sed curæ, & sollicitudinis atque tutelæ. *Curatio* à potestate & imperio distincta est. Id & Petrus docet, monens, ne Presbyteri *curent gregem Dei* ἀναγκαστῶς *coactè*, *sed* ἑκουσίως *voluntariè*, μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων *nec tanquam dominantes in cleris*, h. e. in hæreditatibus Domini. Legitur quidem apud Hesychium, ἐπίσκοπος, βασιλεύς. Nam ut Reges sunt λαῶν ποιμένες *populorum pastores*, ita & ἐπίσκοποι *inspectores, curatores*, inde tamen non sequitur, regia pollere potestate, qui ἐπισκοπὴν agit. Ἐπίσκοποι etiam dicuntur populi *præsides* ac procuratores, à Rege constituti 1 Macab. 1. κατὰ πάντας

Cur Episcopi.

τας

τας τὰς λόγυς τύτυς ἔγραψε πάσῃ τῇ βασιλείᾳ αὐτῦ, καὶ ἐποίησεν ἐπισκόπυς ἐπὶ πάντα τὸ λαόν. Igitur ut qui ecclesiæ administrandæ impositi sunt ab Apostolis, dicuntur *πρεσβύτεροι ab ætate*, sive etiam ab *honore*; ita iidem dicti sunt ἐπίσκοποι, hoc est, *curatores* vel procuratores *a cura & officio*. Et hæc quidem magno Salmasio debemus, quem vide cap. 1. de primatu Papæ. Adde Ambrosium. *Vocabantur autem & Episcopi ab illo opere, quod & implere videbantur, eo quod considerare omnia, quæ ad cultum pertinent pietatis, fuerunt constituti, ita ut universorum dispensationem haberent commissam.* Hactenus Ambrosius in 1. ad Timoth.

Idem Presbyter, qui Episcopus.

§. 21. Idem ex usu Scripturæ *Episcopus* & *Presbyter*; re, nomine, ordine, officio, dignitate. Episcopus est Presbyter, & Presbyter Episcopus, Episcopus presbyteri, presbyter Episcopi nomine venit. Id liquidò apparet ex Actor. 20:17. Paulus *a Mileto mittens in Ephesum, accersivit τὰς πρεσβυτέρυς τῆς ἐκκλησίας.* Illis ita dicit vers. 28. *Attendite vobis, & toti gregi, in quo vos Spiritus S. posuit ἐπισκόπυς.* Ecce, qui antea dicebantur *Presbyteri*, nunc dicuntur *Episcopi*: quare? quia iidem Presbyteri, qui Episcopi; & Episcopi qui presbyteri. Item ex Tit. 1: ✝. 5. *Relinqui te in Creta, ut constituas* κατὰ πόλιν πρεσβυτέρυς. Versu autem septimo dicit, *decet enim* τὸν ἐπίσκοπον *esse inculpabilem.* Quos ante in universum *presbyteros* dixerat, illorum quemlibet nunc *Episcopum* vocat. Imò & è 1 Petr. 5: vers. 1.2. de πρεσβυτέροις dicitur ἐπισκοπῦντες. Atqui ἐπισκόπυ est ἐπισκοπεῖν. Denique ex Epist. ad Philip. 1: 1. *Omnibus sanctis, qui sunt in Philippis,* σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις *unà cum Episcopis & Diaconis.* Ita & 1 Tim. 3: 2–7. Postquam præcepta dedisset de *Episcopo*, statim deinde progreditur ad διακόνυς. vers. 8. Ad quem locum ita Theophylactus. Ἐπίσκοπον ἐνταῦθα τὸ πρεσβύτερον λέγει, μετὰ γὰρ τὰς ἐπισκοπικὰς νόμυς τὰς τοῖς διακόνοις προσήκοντας γράφει, τὰς πρεσβυτέρυς παραλιπών. ἀλλ᾽ ὅπερ ἔφην τὰς αὐτὰς ἐκάλυν ποτὲ πρεσβυτέρυς καὶ ἐπισκόπυς. *Episcopum hic Presbyterum dicit, nam post leges episcopales, Diaconorum leges scribit, omissis Presbyteris. Sed, ut dixi, eosdem vocabant olim Presbyteros & Episcopos.* Idem in cap. 1. ad Tit. καὶ ἐντεῦθεν δῆλον, ὡς τὰς πρεσβυτέρυς ἐπισκόπυς ὠνόμαζον. *Etiam hinc manifestum, quomodo Presbyteros nominarint Episcopos.* Igitur iidem fuerunt Presbyteri & Episcopi Apostolorum ætate; pares omnes & æquales, neque unus altero dignitate superior, neque nomen Episcopi privatim uni alicui tributum fuit.

§. 22. Consentit antiquitas. Hieronymus in Epist. ad Titum. *Si quis putat, non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum & Presbyterum unum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officii, relegat Apostoli ad Philippenses verba,* &c. citat Phil. 1: vers. 1. *Philippi una est urbs Macedoniæ, & certè in una civitate plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant, sed quia eosdem Episcopos illo tempore quos presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis quasi presbyteris loquutus est.* Theodoretus ad eum locum Epistolæ ad Philippenses, ἐπισκόπυς δὲ τὰς πρεσβυτέρυς καλεῖ. Ἀμφότερα γὰρ εἶχον κατ᾽ ἐκεῖνον τὸ καιρὸν ὀνόματα, καὶ τῦτο ἡμᾶς καὶ ἡ τῶν πράξεων ἱστορία διδάσκει. Hieronym. in cap. 1. ad Titum. *Idem ergo est presbyter, qui episcopus . . . . . Hac propterea ut ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos & episcopos.* Benè ergo olim conclusit Aërius, licet pro hæretico habitus, Episcopi & Presbyteri esse μίαν τάξιν *unum ordinem*, μίαν τιμὴν *unum honorem*, ἓν ἀξίωμα *unam dignitatem.* Dicebat enim Aërius, ut est apud Epiphanium, χειροθετεῖ ἐπίσκοπος, ἀλλὰ καὶ ὁ πρεσβύτερος. *Manum imponit Episcopus; verùm & Presbyter,* λυτρὸν δίδωσιν ὁ ἐπίσκοπος, ὁμοίως καὶ ὁ πρεσβύτερος. *Baptizat episcopus, similiter & Presbyter,* τὴν οἰκονομίαν τῆς λα-

τελείας ποιεῖ ὁ ἐπίσκοπος, ἢ ὁ πρεσβύτερος ὡσαύτως. *Sacramentum Eucharistiæ celebrat & administrat Episcopus; pariter & presbyter.* Vixit Aërius tempore concilii Ancyrani; quod habitum est undecim circiter annis ante Synodum Nicænam.

§. 23. Malè ergo concludit Petavius cap. 2. de Hierarchia Ecclesiastica, *Apostolorum tempore, & horum auctoritate duos in ecclesia ordines fuisse*; hoc est, non omnes, qui presbyteri erant, fuisse Episcopos; sed hos illis *gradu, ordine, functione antecessisse.* Et alibi, *ambos illos ordines, ex sese, ac natura sua, & ex institutione ac voluntate Christi diversos esse.* Idem tamen in eodem libro, vi veritatis victus, fatetur, *præcipuam dubitandi causam continere Apostolica scripta, quæ ita de Episcopis & presbyteris loquuntur, ut utrosque eodem habere loco ac nihil inter illos discriminis statuere videantur.* Et frustra ferit anathemate Concilium Tridentinum eum, *qui dixerit in ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris.*

§. 24. Hos ita dictos Pastores, Doctores, Presbyteros, Episcopos Apostoli ipsi initio constituerunt; deinde & per συνεργοὺς *cooperarios* suos ecclesiis constitui curarunt. (De συνεργοῖς Apostolorum vide Rom. 16: vers. 3. 9. 21. 2 Cor. 8: vers. 23. Phil. 2: vers. 25. 4: 3. Col. 4: vers. 11. 1 Thess. 2: vers. 3. Philem. vers. 1. 24.) *Apostoli* inquam ipsi Actor. 14: vers. 23. de Paulo dicitur & Barnaba, χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ᾽ ἐκκλησίαν. Qui dicuntur in *Hierusalem* Actor. 11: 30. 15: 2. in *Ephesو*. Actor. 20: 17. alibique fuisse *Presbyteri*, à quibus illos constitutos putabimus, nisi ab Apostolis? *Clemens*, in epistola quam scripsit ad Corinthios, idem testatur de *Apostolis*, κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίσανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν, τοῦτο δὲ οὐ καινῶς, ἐκ γὰρ δὴ πολλῶν χρόνων ἐγέγραπτο περὶ ἐπισκόπων καὶ διακόνων. *Per vicos igitur & urbes præconiantes* Apostoli, *constituerunt primitias illorum*, hoc est, optimos & sanctissimos, *probantes Spiritu, in episcopos & diaconos. Neque hoc novè, è multis enim temporibus scriptum est de episcopis & diaconis.* Dein citat locum Esaiæ, καταστήσω τοὺς ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ τοὺς διακόνους ἐν πίστει. Clemens Alexandrinus apud Eusebium ita de *Iohanne*, postquam è Pathmo Ephesum migravit, testatur, ἀπῄει παρακαλούμενος καὶ ἐπὶ τὰ πλησιόχωρα τῶν ἐθνῶν, ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ ἐκκλησίας ὅλας ἁρμόσων, &c. *Et vocatus inde* Johannes *finitimas provincias lustravit, alicubi ut episcopos constitueret; alicubi ut totas ecclesias coaptaret.* Apostolorum etiam συνεργοὶ. Ita Titum jussit Paulus Tit. 1: 5. *Propterea te reliqui in Creta, ut reliqua emendares, & constitueres per civitates Presbyteros, ut ego te jussi.* Et *Timotheum.* 1 Tim. cap. 2: vers. 2. *Hæc trade fidis hominibus, qui apti erunt & alios docere.* 1 Tim. 5: vers. 22. *Manus cito nemini impone.* Post Apostolos illorumque cooperarios quælibet Ecclesia suos sibi in locum decedentium elegit Presbyteros & Episcopos; nam quo *illi perpetuo manerent*, *instituerunt* Apostoli, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν; *ut, postquam decessissent, in eorum locum subrogarentur alii viri probati, qui idem munus implere possent*; ut rursum Clemens in Epistola sua ad Corinthios. Traditum porro est, Apostolos in majoribus civitatibus ad Ecclesiarum gubernationem *duodecim* Presbyteros præposuisse; ut quot in orbe fuerunt Apostoli, tot in qualibet majore ecclesia essent presbyteri. Clemens in itinerario prædicationis Petri, *Hæc autem*, inquit, *& iis similia cum dixisset Petrus, manibus superpositis Zachæo oravit, ut inculpabiliter Episcopatus sui servaret officium. Post hæc duodecim Episcopos ordinavit, & Diaconos quatuor*, ita scribit *Cæsareæ* factum à Petro, quinimo duodecim illorum Presbyterorum seu Episcoporum, qui Cæsareæ à Petro ordinati sunt,

Presbyteri & Episcopi ab Apostolis & illorum cooperariis initio instituti sunt.

nomi-

nomina ordine enumerat. *Ibique adstantibus sibi duodecim, id est, Zachæo & Sophonia, Josepho & Michæa, Eleazaro & Phinea, Lazaro, Elisæo, me Clemente & Nicodemo, Niceta, & Aquila, hoc modo prolocutus est.* Sed ficta hæc facile quivis videt, nam & sibi contradicit *Clemens*, aut ut rectius dicam, Pseudoclemens, cum antea dixisset *Zachæum* ad Episcopatus dignitatem elatum; talem autem episcopatum innuit, ut postea, per sæculi perversitatem intravit; nunc eundem *Zachæum* in numero duodecim Episcoporum seu presbyterorum reponit. Id quod è more illius temporis haut licuit. Postquam enim *discreta fuere nomina*, imò & officia, presbyterorum & Episcoporum, *neque Episcopus dici potest presbyter*, haut ergo Zachæus Episcopus inter Presbyteros numerari debuit, *neque Presbyter Episcopi nuncupationem sibi potuit vindicare, usque dum presbyter esse desiit*; ut Ambrosius loquitur in Ep. ad Timotheum. *Alexandriæ* Marcum Euangelistam etiam duodecim presbyteros constituisse Eutychius ejusdem civitatis Patriarcha docet.

Adhibita χειροτονία. §. 25. In constituendis autem Episcopis & Presbyteris usi sunt 1. Χειροτονίᾳ. 2. Χειροθεσίᾳ. Χειροτονία est propriè *manus protensio*; notatque ecclesiæ, cui Presbyteri constituebantur, suffragationem & approbationem. Presbyteri constituendi sistebantur ecclesiæ, si grati erant, ecclesiæ cives manum extendebant in signum acceptionis, id dictum χειροτονία: χειροτονέω est *manum protendo*, protensa manu eligo, per suffragia creo; quoniam in suffragiis ferendis manus elevari solebant. Demosthenes, ὁ δῆμος τὰς ἐμὰς γνώμας περὶ σωτηρίας τῆς πόλεως ἐχειροτόνει. *Populus sententiam meam pro salute civitatis* procuranda, *scito suo probabat*, ad verbum, *sublatione manuum testabatur*, *se habere decreta mea rata*. Ita factum in constituendis ecclesiæ Presbyteris, constat ex Actor. cap. 14: vers. 23. χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν. *Quumque ipsis per suffragia creassent Presbyteros secundùm ecclesiam.* Paulus dicit de *fratre* quodam, *cujus laus in Euangelio per omnes ecclesias*, χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν συνέκδημος ἡμῶν. *Suffragiis electus ab ecclesiis; ut esset socius peregrinationis noster.* 2 Cor. cap. 8: vers. 18. 19. Igitur haut quenquam Apostoli sua authoritate Ecclesiasticis præfecerunt muneribus; sed consensum semper petierunt & approbationem ecclesiæ. Cum vellent *viros septem constituere* ἐπὶ τῆς χρείας τῶν τραπέζων, *omnem multitudinem discipulorum* convocant, illisque *electionem* illorum commendant; solùm ipsi electis *manum imponunt*. Actor. cap. 6: vers. 2 – 6. Jus pastores eligendi, hoc est, suffragio suo Presbyterii de eligendis pastoribus judicium, aut approbandi, aut improbandi, ecclesia primitiva aliquamdiu ab Apostolorum ætate retinuit. Cyprianus libr. 1. Epist. 4. *Plebs maximè habet potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi*, & Epist. 68. *Videmus de divina autoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.* In Synodo Nicæna, Episcopi provinciæ debent convenire, & eligere cum consensu populi. Ita & in Synodo Constantinopolitana. Augustinus id secutus, quum *Eradium* in successorem elegisset, Ecclesiam suam rogavit, ut ad Episcopatum eum reciperet. Imò id duravit ad tempora usque *Caroli magni*, in cujus legibus expressè *honorati in populo*, *populus*, & *clerus* conjunguntur. Posterioribus temptibus vox χειροτονία in aliam transiit significationem, & idem quod ἐπίθεσις χειρῶν valuit, ut quum apud Theophylactum *Presbyteri* dicuntur, μόνῃ τῇ χειροτονίᾳ ὑποβεβηκότες *solo ordinandi jure*, seu consecrandi, & manus imponendi, *inferiores* Episcopis. Idem Theophylactus in 1 ad Tim. 4:4. οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν, *neque enim Presbyteri Episcopum ordinabant*, imponendo illi manus.

Et χειροθεσία. §. 26. Χειροθεσία notat *manuum impositionem*: χειροθεσία variè olim adhibita fuit. Apostoli

ſtoli illam adhibebant, quum Spiritus Sanctus in credentes deſcenſurus erat. Actor. 8: 17. 19: 6. Ananias in Saulum cœcum *imponeb..t manus.* Actor. 9: 17. Poſtmodum etiam adhibita eſt in benedictionem ſimplicem, & ad pœnitentiam dandam, & ad reconciliandos pœnitentes; denique ad quamcunque aliam ceremoniam. In ſpecie adhibita fuit in *ordinatione* & conſecratione miniſtrorum eccleſiæ. Actor. 6: 6. 1 Tim. 4: 14. 5: 22. Presbyteri per manuum impoſitionem in conſpectum eccleſiæ producebantur; ut ita in officio faciendo eſſent extra ὀνειδισμὸν ἀλλοτριοεπισκοπίας *exprobrationem invaſæ curationis*, & non legitimæ vocationis. Etiam χειροθεσία inſerviit *unitati* eccleſiæ. Finis enim illius ritus fuit, ut nemo audens privatim colligere cœtus, & ſeparare ab eccleſia abſque ſuſpicione ſub nomine Chriſtiani conventus latere & venena ſpargere facilè poſſet; quinimò ut medium eſſet continuandi miniſterii & κατηχήσεως ab Apoſtolis ad omnes eccleſias per omnia ſecula. Ita optimè Coccejus noſter in ſumma Theologiæ cap. LXXVII. §. 28.

§. 27. Presbyteri in Eccleſiis Chriſti conſtituti, & in collegium quaſi aptati dicuntur πρεσβυτέριον 1 Tim. 4: 14. imò & ut nonnullis videtur, ἐκκλησία. Matth. 18: 17.

§. 28. Duo autem genera Presbyterorum ab Apoſtolis ſunt inſtituta. 1. Presbyteri *regentes & docentes.* 2. Presbyteri *regentes* tantùm, dicti κυβερνήσεις 1 Cor. 12: verſ. 28. προεστῶτες *primo loco ſtantes*, & quaſi anteſignani, & προϊστάμενοι. 1 Tim. 5: 17. vide ſupra §. 15. Hi non inſtituendæ, ſed regendæ duntaxat vacant eccleſiæ; nec doctrinæ, & adminiſtrandis Sacramentis, ſed diſciplinæ tantùm cum Doctoribus exercendæ adhibentur. Scandalis partim impediendis, partim detegendis, partim coërcendis, & ordini Eccleſiaſtico procurando deſtinati. Id ita eſſe liquido apparet è 1 Tim. 5: 17. οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι *qui bene præſunt presbyteri duplo honore digni habeantur* μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, *maximè qui laborant in verbo & doctrina.* En clarè diſtinguuntur *presbyteri.* Sunt 1. Presbyteri προεστῶτες. Sunt 2. Et προεστῶτες, & κοπιῶντες ἐν λόγῳ, utrique honore digni ſunt; maximè verò poſteriores hi; nam ut diſtincta ſunt præeſſe, regere, & docere; ita qui ſimul præeſt ſimul docet, duplo labore fungitur; ideoque & duplo honore dignus eſt. Fruſtra nonnulli in voce κοπιῶντες acumen oſtendunt, ac ſi illi Presbyteri, qui majore ſtudio deſudarent in functione ſua, opponerentur iis, qui remiſſius agerent; & præ illis honorandi ſint. Certè omnes, qui verbo & doctrinæ vacant, debent in illo κοπιᾶν; quod ni faciant, non aliquo ſed nullo honore digni ſunt, Rom. 12: verſ. 7. 8. ut diſtincta narrantur ὁ διδάσκων, & ὁ προϊστάμενος. Addamus Teſtimonia Patrum. Tertullianus, Apologetico adverſus gentes cap. 39. deſcribens conventus Eccleſiaſticos Chriſtianorum, *Ibidem*, inquit, *etiam fiunt exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina; nam & judicatur magno cum pondere*, &c. *præſident probati quique ſeniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti.* Ambroſius ad verba 1 Tim. 5: verſ. 1. *Seniorem ne increpato*, &c. *Apud omnes gentes*, inquit, *honorabilis eſt ſenectus; unde & Synagoga & poſteà Eccleſia ſeniores habuit, quorum ſine conſilio nihil agebatur in eccleſia; quod qua negligentia obſoleverit, neſcio, niſi forte Doctorum deſidia; aut magis ſuperbia, dum ſoli volunt aliquid videri.*

Duo genera Presbyterorum.

§. 29. Epiſcopi & Presbyteri ab Apoſtolis inſtituti, non debent Apoſtolorum *ſucceſſores* dici. Lata enim nimis inter Apoſtolorum munus, & epiſcopale differentia. Apoſtoli orbem perambulabant. Epiſcopi in civitatibus, quarum præficiebantur eccleſiis, manebant. Apoſtoli creabant Epiſcopos, non Epiſcopi Apoſtolos. Apoſtoli primum in eccleſia obtinent locum, Prophetæ ſecundum, Euangeliſtæ tertium, Epiſcopi & Paſto-

Epiſcopi & Presbyteri non debent dici Apoſtolorum ſucceſſores.

Pastores ultimum. Singuli Apostoli plures Episcopos & Presbyteros per unamquamque instituerunt civitatem. Pluralitas non succedit unitati, præcipuè dispar & inferior, ut nec unitas pluralitati. Nullibi Episcopi appellantur Apostoli, nec Apostoli *signa* & requisita sunt in illis. Apostolatus est ἀδιάδοχος. Apostoli non fuerunt certarum urbium Episcopi; quicquid etiam de Episcopatu Petri & Pauli Romano, Jacobi Hierosolymitano, Johannis Ephesio pia olim Antiquitas finxerit. Missio Apostolorum est extraordinaria. Episcoporum ordinaria. Et licet Apostoli etiam se dicant *episcopos & presbyteros*; ut id non infert paritatem, ita nec successionem. Apostoli fuere ἐπίσκοποι οἰκουμενικοὶ, ab illis instituti, sunt tantùm τοπικοί.

Quales olim personæ in Episcopos electæ sint.

§. 30. Quales personas Apostoli in episcopos & presbyteros constituerint, apparet ex iis, quæ Paulus docet decere esse episcopum. *Decet*, inquit, *Episcopum esse* 1. ἀνεπίληπτον, *irreprehensibilem*; vitæ integræ, quæ justa careat reprehensione. 2 *Unius uxoris virum*, neque adeò πολύγαμον. Polygamia est πορνεία. Actor. cap. 15: vers. 20. 29. Illa olim obtinuit inter Judæos & gentes. Deus πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν illam *permisit* Matth. 19: 8. Debuerunt ab illa sancti abstinere, postquam *apparuit gratia Dei salutaris omnibus.* Tit. 2: vers. 11. 12. Fuit olim editum Athenis, ut vir quisque duas uxores haberet. διὰ τὸ λειπανδρεῖν γαμεῖν μὲν ἀστὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας. 3. νηφάλιον *vigilantem*, νήφειν significat aliquando *apud se esse*, προσέχειν ἑαυτῷ. 2 Tim. 2: 26. 4: 5. Imò nec μεθυσκόμενον *ebrietati addictum.* τὸ νήφειν opponitur τῷ μεθύσκεσθαι. 1 Thess. 5: vers. 6. 7. 8. neque adeò οἴνῳ πολλῷ προσέχοντα, *proclivem ad vini abundantiam.* 1 Tim. cap. 3: vers. 8. 4. σώφρονα, *modesti* & moderati animi. 5. κόσμιον *ornatum*, & benè *compositum*, non sordidum, rusticum, turbulentum, inordinatum. 6. φιλόξενον *hospitalem*, ut omnibus sanctis, quum egent, pro modulo communicet. confer Hebr. cap. 13: vers. 2. Julianus Apostata fertur dixisse, διὰ τὴν πρὸς τοὺς ξένους φιλανθρωπίαν, Galilæorum θρησκείαν subitò profecisse. 7. διδακτικόν, *docendi peritum*; & *aptum ad docendum*, 2 Tim. 2: vers. 2. & *promtum* ad docendum & *assuetum* docendo. 8. μὴ πάροινον *non petulantem*, hoc est, ὑβριστὴν; quales solent esse, qui vino incaluerunt, sed ἐπιεικῆ, *benignum*, æquum. 9. μὴ πλήκτην *non percussorem*; qui statim *pugnet.* 2 Tim. cap. 2: vers. 24. neque adeò gladio & armis carnalibus utatur. 10. μὴ αἰσχροκερδῆ *non avarum*; *turpilucrem*, sed ἀφιλάργυρον, nec deditum thesauris coacervandis. confer Hebr. cap. 13: vers. 5. 1 Tim. 6: 10. 11. τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενον *domui suæ benè consulentem*, & prospicere de necessariis familiæ, & peccata ac scandala à familia coercere. Imprimis *liberos* benè educare *ad honestatem & obedientiam.* Pulchrè Cicero fratri Bithyniæ præsidi consulit. *Sint hæc fundamenta dignitatis tuæ, integritas & continentia*, &c. *familiæ gravis & constans disciplina.* 12. μὴ νεόφυτον *non novitium*, *ne inflatus in judicium incidat Diaboli.* Intelligit non propriè *juvenem*, necdum multos annos habentem; qualis Timotheus erat. 1 Tim. 4: 12. Sed νεοκατήχητον *eum*, qui recenter Christianismum suscepit. Debet habere ætatem in Christianismo, & δοκιμὴ illius φανερὰ εἶναι; νεόφυτος seu nuperus Christianus facilè *inflatus*, insolens factus, *in judicium incidit Diaboli*, hoc est, in idem crimen, quod Diabolum reum fecit; in superbiam, cupidinem dominandi, & fastidium salutis hominum. 13. Denique *ut habeat testimonium bonum ab iis, qui foris sunt*, hoc est, ut ipsi infideles benè de illo loquantur & sentiant, *ne in exprobrationem incidat*; hoc est, ne turpia facta ipsi exprobrari, & pudore confundi possit, *& in laqueum Diaboli*, hoc est, ne Diabolus illum in promtu habeat illaqueare & irretire, & ob conscientiam sceleris commissi ad conniventiam alienorum delictorum adi-

gere.

gere. vide 1 Tim. 3: verſ. 2. 7. confer Tit. 1: 6–9. Tales decet eſſe veros Epiſcopos domus Dei; & hunc typum continuo ante oculos habere, & ſecundùm illum ſedulò converſari.

§. 31. Ἔργον *opus* & officium Epiſcoporum ac Presbyterorum eſt. 1. *Loqui ſermonem Dei* Hebr. 13: 7. *laborare in verbo & doctrina* 1 Tim. 4: 17. διδάσκειν *docere* Rom. 12: verſ. 7. *prædicare verbum*, 2 Tim. 4: verſ. 2. & *contradicentes redarguere*. Tit. 1: 9. 2. *Hortari*, *monere* Rom. 12: 8. *conſolari in doctrina ſana*, Tit. 1: 9. *conſolari in omni manſuetudine*. 2 Tim. 4: 2. Etiam *redarguere*, *reprehendere*, *inſtare*, εὐκαίρως, ἀκαίρως. 2 Tim. 4: 2. 3. *Gregem Dei & eccleſiam Dei paſcere*, *& curare illam*, *non coactè*, *ſed ſpontaneè*, *promtè* & lubenter, non ut *dominatores* hæreditatis Domini. 1 Petr. 5: verſ. 1. 2. 3. Actor. 20: 28. confer 1 Tim. 3: 5. ἐκκλησίας θεοῦ ἐπιμελήσεται. 4. *Ægrotos viſitare*, *ſuper illos orare*, *etiam ungere oleo in nomine Domini*. Jacob. 5: 14. hoc eſt, ubi neceſſitas poſtulat ægrotorum, de remediis illis proſpicere. 5. *Pro ſalute animarum vigilare* Hebr. 13: 17. & illius gratia noctes inſomnes ducere. 6. Inobedientes & inordinatos, & peccantes caſtigare. *Monete* τοὺς ἀτάκτους. 1 Theſſal. 5: 14. *Si quis non obedit ſermoni noſtro*, τοῦτον σημειοῦσθε *illum notate*; *& ne commiſceamini illi*, ἵνα ἐντραπῇ. *Et non ut inimicum reputate*, *ſed ut fratrem hortamini* 2 Theſ. 3: 14. 15. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam hortationem repelle*. παραιτοῦ Tit. 2. 10. *Peccantes coram omnibus reprehende*, *ut & reliqui timorem habeant*. 1 Tim. 5: 10. *In virga veniam ad vos?* 1 Cor. 4: 21. *Satis huic* ἡ ἐπιτιμία αὕτη, ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων *reprehenſio hæc*, *facta à pluribus*, hoc eſt, ab eccleſiæ antiſtitibus. 2 Cor. 2: 6. *Removete malum ex vobis ipſis*. 1 Cor. 5: 13. confer verſ. 6. *Ego judicavi illum*, *qui hoc* ſcelus *fecit*, *congregato veſtro & meo Spiritu*, *tradere talem Satanæ*, *ad interitum carnis*. 1 Cor. 5: verſ. 3. 4. 5. *Si non audiat eccleſiam*, *ſit tibi*, *ut Ethnicus & Publicanus*. Matth. 18: 17. 7. Etiam *impoſitio manuum* penes *presbyterium* fuit. 1 Tim. 4: 14. μετὰ ἐπιθέσεως χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου.

Officium Epiſcoporum & Presbyterorum.

§. 32. Ἐπισκοπὴν dicit Paulus καλὸν ἔργον. *Si quis inſpectionem deſiderat*, *bonum opus concupiſcit*. 1 Tim. 3: 1. Eſt certè bonum opus & pulchrum, tum reſpectu illius, qui injunxit, qui Chriſtus eſt; tum reſpectu ejus, quod injungitur; quale eſt, annunciatio Euangelii, verbum reconciliationis, ædificatio eccleſiæ; tum denique reſpectu ejus, quod fit is, cui hoc opus injungitur; nimirum fit *œconomus Dei* Tit. 1: 7. *miniſter Chriſti*, *& diſpenſator myſteriorum Dei* 1 Cor. 4: 1. *Paſtor ovium* προϊστάμενος, ἡγούμενος. Hebr. 13: 7. 17. Nec pulchrum tantùm opus, ſed & *arduum*. Eſt opus, non ludus; cura, non luxus; non imperium, ſed miniſterium; non tyrannica licentia, ſed paterna procuratio; eſt munus reddendis rationibus obnoxium; ὡς λόγον ἀποδώσοντες. Hebr. cap. 13: verſ. 17.

Ἐπισκοπὴ bonum opus.

§. 33. Honorem Dominus & reverentiam erga illos, qui opere hoc funguntur, ſeriò commendavit. *Obedite ductoribus veſtris*, *& cedite*, *ut cum gaudio faciant*, *haut ſuſpirantes*. *Inutile enim vobis hoc*. Hebr. cap. 13: verſ. 17. *Rogamus vos fratres*, εἰδέναι, *noſſe*, hoc eſt, amare *laborantes in vobis*, *& qui præſunt in Domino*, *& hortantes vos*, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπερεκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ, διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν *& æſtimare illos perquam abundanter ob opus illorum*. 1 Theſſ. 5: verſ. 12. *Seniorem ne redarguas*, *ſed mone ut Patrem*, 1 Tim. cap. 4: verſ. 1. *contra presbyterum accuſationem ne recipe*, *niſi ſuper duobus aut tribus teſtibus*. 1 Tim. cap. 4: verſ. 19. Imò & juſſit *honorario* compenſari. διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν *duplo honore* & retributione *digni cenſeantur*. *Dicit enim Scriptura*:

Epiſcopi & Presbyteri honorandi & remunerandi.

ptura : bovem triturantem οὐ φιμώσεις. Et. Dignus operarius mercede sua. 1 Tim. 5. vers. 17. 18. confer Matth. 10: vers. 18. *Precepit Dominus Euangelium annunciantibus, ἐκ τοῦ εὐαγγελίου ζῆν ex Euangelio vivere.* 1 Cor. 9: 14. κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. Galat. 6: 6.

Diaconi. §. 34. Præter Presbyteros & Episcopos dedit Deus etiam ecclesiæ διακόνους *diaconos.* Omnes Presbyteri & Episcopi sunt διάκονοι 2 Cor. 6: 4. ὡς θεοῦ διάκονοι. confer 1 Cor. 3: vers. 5. 2 Cor. 11: 23. Ephes. 3: 7. 6: 21. Col. 1: 25. 4: 7. 1 Thess. 3: 2. 1 Tim. 4: 6. καλὸς ἔσῃ διάκονος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Idem nomen datur *magistratui.* Rom. 13: 6. θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστί σοι. Sed hi in specie διάκονοι dicuntur, & Episcopis contradistinguuntur. Phil. 1: 1. σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις. Hos docuit Paulus decere esse 1. σεμνοὺς *honestos, graves.* 2. μὴ διλόγους *non bilingues*, alia dicentes, alia cogitantes, non fallaces, non mendaces. 3. *Non ad vinum multum propensos.* confer Tit. 2: 3. 4. *Habentes mysterium fidei in bona conscientia*, hoc est, intelligentes doctrinam salutis, profitentes, amantes, secundùm illam ambulantes. 5. Benè *probatos, &* ἀνεγκλήτους *vacantes accusatione.* 6. *Mulieres habentes fideles in omnibus*; ut ne, propter mulieres malæ notæ, diaconi in suspicionem incidant. 7. *Unius mulieris viros.* Adeò decuit sanctos Novi Testamenti *abstinere à scortatione*, quæ in polygamia committitur. 8. Liberorum seduli curatores. 1 Tim. 3: 8 -- 12. Primam *diaconorum* institutionem vide Actor. 6: 2 -- 6. Apostoli ipsi eousque diaconorum munere functi erant. Diaconorum est *distribuere.* ὁ μεταδιδοὺς, ἐν ἁπλότητι *qui distribuit, in simplicitate* distribuat. Fuere illi *ministri*, ærario sacro colligendo, constituendo, distribuendo, & pauperum ac infirmorum curæ destinati. Illorum fuit διακονεῖν τραπέζαις, *mensis pauperum* prospicere. Act. 6: 2. Horum non fuit docere. Licet enim *Stephanus* diaconus, etiam *Philippus* docuerint Actor. 6: 10. 8: 5. tamen id non fecerunt, qua Diaconi; sed Philippus, ut *Euangelista* Actor. 21: 8. & Stephanus singulariter à Deo excitatus, & *fide* ac *Spiritu Sancto* plenus. Actor. 6: 5. 8. Quinimo opus Diaconorum adeò totos illos requirebat, ut verbo & doctrinæ vacare commodè non possent. Inde & Apostoli, Diaconorum adhuc munia insimul & pariter subeuntes, dicunt, *Non bonum est, nos derelinquentes sermonem Dei,* διακονεῖν. Actor. 6: vers. 2. Tamen οἱ καλῶς διακονήσαντες, *qui benè ministraverint*, βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται *gradum sibi bonum parant* 1 Tim. 3: 13. ad ascendendum ad ἐπισκοπὴν; ut ex Diaconis fiant Episcopi & Presbyteri.

δυνάμεις, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις &c. §. 35. Præter hos *posuit* Deus in prima ecclesia δυνάμεις, χαρίσματα ἰαμάτων, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν 1 Cor. 12: 28. Per δυνάμεις intellige singulari potentia in agendo & operando instructos. vers. 10. dixerat ἐνεργήματα δυνάμεων. Donum hoc fuit extraordinarium. Officium, ad quod conferebatur, quale fuerit, vix divinare licet, cum illo tamdiu ecclesia caruerit. Videntur dono hoc instructi adhibiti fuisse, ubi miraculis, vel etiam pœnis opus esset. Per χαρίσματα ἰαμάτων intellige illos, qui donum sanandi habuerunt, qui ægrotis curandis videntur accensiti. Per ἀντιλήψεις *opitulationes*, hoc est, subsidia vel curationes pauperum & infirmorum. Id munus est τῶν διακόνων. Per κυβερνήσεις, *gubernationes*; idem quod οἱ προϊστάμενοι. Rom. 12: 8. Presbyteri, regentes, seniores, præsides disciplinæ; quorum potestas est spiritualis, ad conscientiam spectans, à potestate & autoritate magistratuum longissimè diversa; nec est αὐτοκρατορική, nec in eorum posita arbitrio, sed tota διακονητική *administratoria*, certis finibus à summo Capite præscriptis, definita; à quo uno omnis ejus vis pendet & efficacia. Per *genera* denique *linguarum* intellige illos, qui linguis loquebantur in ecclesia.

§. 36. Mu-

§. 36. Mulieres in ecclesia docendi & gubernandi vices nullas acceperunt. *Mulieres vestræ in ecclesiis taceant: non enim permissum est illis loqui, sed subjici.* 1 Cor. 14: vers. 34. confer vers. 35. *Si verò quid discere velint, in domo suos viros rogent. Turpe enim est mulieribus, in ecclesia loqui.* ibid. 1 Tim. 1: 11. 12. *Mulier, in quiete discat in omni subjectione. Mulieri verò docere non permitto, nec auctoritatem usurpare in virum, sed esse in quiete.* Licet & dono prophetiæ olim fuerint præditæ. 1 Cor. 11: 5. Actor. 2: 17. 21: 9. Tamen in munere Diaconorum habuerunt partem. Rom. 16: 1. *Commendo vobis Phœbem,* οὖσαν διάκονον *quæ est diaconissa ecclesiæ, quæ in Cenchreis.* Solebant *viduæ* adhiberi. 1 Tim. 5: 9. χήρα καταλεγέσθω μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα. In initio ecclesiæ murmur exstitit inter *Hellenistas & Hebræos, quod despiciebantur in quotidiana administratione viduæ illorum.* Actor. 6: 1. Diaconissæ.

§. 37. Hos omnes, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores, dedit posuitque Dominus, πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων *ad concinnationem & exaptationem sanctorum*, ut perficerentur illi & *constituerentur perfecti in Christo Jesu.* Col. 1: 28. Hi à Christo dati, hæcque διάφορα, quæ habuerunt, χαρίσματα Rom. 12: 6. apta fuere & sufficientia ad concinnandum sanctos, ad monstrandum illis Christum, ad ponendum in medio illorum legem Domini, ad cogendum illos in obedientiam Servatoris, ad illuminandum illos salutari cognitione, ad accendendum in illis charitatem, ad fovendum fidem & spem, ad redigendum illos in sanctum & decorum ordinem; in quibus sanctorum consistit καταρτισμός. Deinde dati sunt Apostoli, Prophetæ, &c. εἰς ἔργον διακονίας *ad opus ministerii*, ad perficiendum & exsequendum opus ministerii reconciliationis. Non sunt *dati*, ut otio fruantur; sed ad *opus*, ut operentur; non sunt dati ad dominandum; sed ad ministerium subeundum; & illud quidem laboriosum, sedulum, enixum. Hoc est verè διάκονον esse Christi, sedulo & multum laborare, cum ἀνοχῇ, μακροθυμίᾳ, πρᾳότητι ἐν ἀγάπῃ. Ephes. 4: 2. Ἔργον διακονίας *Apostolorum* fuit, prædicare, docere, scribere, ecclesias erigere, confirmare, Euangelium omni creaturæ nunciare; *Prophetarum*, Christum & Euangelium è Mose & Prophetis demonstrare; *Euangelistarum*, facta & dicta Christi consignare, & quæ pro nobis passus est, annotare; *Pastorum*, curare gregem Domini, pascere oves ejus, verbo, Sacramentis, adhortationibus, consolationibus; *Doctorum*, *docere*, sanam doctrinam tradere, errantes redarguere, contradicentes convincere. Denique dati sunt Apostoli, Prophetæ, &c. εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ *ad ædificationem corporis Christi*, Ephes. 4: 12. ut spirituale corpus Domini, ecclesia, cresceret in cognitione, proficeret in fide, confirmaretur in spe, charitate, pietate; consummaretur in salutis acquisitæ possessione, & omni plenitudine gratiæ impleretur ac imbueretur; ut omnia ejus membra arctissimo vinculo copulata pervenirent ad unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum ad mensuram staturæ plenitudinis Christi. Ad quid & in quem finem dati sint Apostoli, Prophetæ, &c.

§. 38. Christus Dominus licet ipse in specie nullos instituerit Pastores, Doctores, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, tamen quales illi debeant esse, quod opus facere, qua potestate frui, utique satis aperuit in iis, quæ ad Discipulos locutus est, qui, licet in altiore ministerii gradu collocati, & ipsi *Presbyteri*, Doctores, Episcopi, Pastores fuerunt; imò ex iis, quæ de *ecclesia sua* passim dixit & pronunciavit. Igitur quum dicit Discipulis, *Vos estis sal terræ, lux mundi.* Matth. 5: vers. 13. 14. *Estote sapientes ut serpentes*; *simplices, ut columbæ* Matth. 10: vers. 16. etiam id nostris ἡγουμένοις debemus dictum putare. Quum dixit Petro, *Dabo tibi claves Regni cœlorum, quicquid ligaveris, erit ligatum; quicquid solveris, erit solutum* Matth. 16: 19. & omnibus A- Christi instituta de Ecclesiæ Regimine & Potestate spirituali.

postolis, *quorum peccata remiseritis, erunt remissa, quorum tenebitis, tenebuntur* Joh. 20:23. toti ecclesiæ id dictum voluit, cui id etiam in specie applicavit, Matth. 18:15.16. 17.18. *Si peccet in te frater tuus, i & ἔλεγξον redargue illum*, (demonstra illi meliora, convince illum de sua injustitia; ἔλεγχος enim est certa rei demonstratio Hebr. 11:1.) *inter te, & illum solum; si verò te non audiat, sume tecum adhuc unum aut duo. Si vero & illis inobediens fit, dic τῇ ἐκκλησίᾳ ecclesiæ toti. Si verò nec ecclesiam audiat, sit tibi, ut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo: & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in cælo.* Quibus in verbis Servator perfectissimè descripsit modum agendi cum *peccantibus*, sive in opere, sive in verbo, sive in doctrina impingant. Finis ultimus debet esse, ut *fratrem lucremur*, veritati, cælo, Christo. Modus illuc pertingendi non erit externa vis, violentia, verbum imperii, sed, ἔλεγχος, justa, debita, amica redargutio, solida ἀπόδειξις *demonstratio*, ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. Hic ἔλεγχος erit primò *privatus*, inter eum qui peccavit & eum, in quem peccavit, quem opere offendit, aut verbo scandalizavit. Igitur commendatur hæc unicuique perfectio, ut possit ἐλέγχειν redarguere, convincere, meliora suadere fratri peccanti. Dein, si peccans sit obstinatior, idem fiet & coram nonnullis aliis, coram *uno, duobus*, aut *tribus*. Si forsan, qui per unum noluit *convinci*, per duos aut tres, convinci possit, & informari melius. Tales *duo & tres* sunt in Ecclesia Christiana imprimis Presbyteri, Episcopi, Pastores, quorum conventus *Presbyterium* dicitur, horum officium est *docere, monere, ἐλέγχειν redarguere, hortari.* 2 Tim. 4:2. Hi certè ante omnes consuli debent, ubi in fratrem frater peccavit, & à fratre in melius corrigi noluerit. Denique si & hisce *peccans* obstiterit, tota advocanda *ecclesia* est, omnis fidelium, Christumque confitentium multitudo: ut & illa operam det, quo peccans reducatur in viam; quod facit orando, etiam monendo, etiam meliora exempla ostendendo. Si, qui peccavit, adhuc rebellet, nil porro ad ejus correctionem tentandum, nisi ut *sit & ei*, in quem peccavit; & *duobus* aut *tribus*, quos audire noluit; & *ecclesiæ*, cujus verbis, monitionibus, exemplis, precibus, obstitit, *ut Ethnicus & publicanus*, nec amplius habeatur pro fratre, nec gaudeat sanctorum communione. Hoc extremum est, quod in peccantem Ecclesia facit, non cogit externa vi, non loquitur ἀναποδείκτως, non percutit, non rapit ad carceres, supplicia, furcam, ignem. Sed seriò ἐλέγχει hortatur, monet, redarguit, denique excludit, ejicit, & ut membrum mortuum à corpore suo sancto abscindit. Nec vana sunt, quæ ecclesia hac ratione per ἔλεγχον & ἀπόδειξιν agit; quinimo Servator declarat, *in cælo fore ligata, & soluta, quæcunque ecclesia* in terra *solverit, ligaverit.* Adeò ut ligatus in terra ab ecclesia, etiam pro ligato & peccatore impœnitente, peccati vinculis constricto habeatur in cælo coram Deo; & solutus in ecclesia, eadem gratia gaudeat coram Deo, Angelis, justorumque spiritibus consummatis. Porro Servator dicens, *ubi sunt duo & tres congregati in nomen meum, ibi sum in medio illorum* Matth. 18:20. docuit legitimos esse sanctorum conventus & congregationes, sed ut ne in aliud nomen, quàm Christi unius & solius, instituantur, habeantur, in quo verbo fundamentum est omnium sacrorum conventuum, Synodorum, conciliorum, communicationum; quas ecclesia ab initio observavit, & ad finem usque observabit; denique Servator *æqualitatem* seriò commendans discipulis, & ne unus velit *major* haberi alio Matth. 20:26.27. 23:11. Luc 22:24–27. docuit omnem tyrannidem, elationem, dominationem, fastum monarchalem, ab ecclesia longissimè debere abesse.

Descriptio spiritualis §. 39. Post obitum Apostolorum non sunt dati alii Apostoli, neque enim Apostoli esse pos-

possunt, qui *non viderunt Dominum.* Nec Euangelistis successerunt alii Euangelistæ, neque enim Euangelistæ esse possunt, qui aut ipsi non *audiverunt*, non *spectarunt*, non *attrectarunt sermonem vitæ*; 1 Joh. 1: 1. aut qui res Christi non acceperunt traditas ab illis, qui *ab initio fuerunt αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου.* Luc. 1: 2. Cessant etiam *potentiæ, dona sanationum, genera linguarum*, quæ imprimis fuere *in signum incredulis.* 1 Cor. cap. 14: vers. 22. Manent autem *Prophetæ*, potentes demonstrare Christum è Mose & Prophetis. Manent *doctores, pastores, episcopi, presbyteri, diaconi, gubernationes, opitulationes*, quæ χαρίσματα Deus T. O. M. servat & servabit in Ecclesia. Estque igitur ut concludam, hic modus spiritualis regiminis ecclesiæ militantis, hæque functionis in illa destinatæ sunt ad finem usque mundi; quæ servandæ sunt ex ordinatione Dei, ex institutione Christi, ex Apostolorum praxi; à qua qui recedit, aut in qua qui quid mutat, à Deo recedit, & instituta Domini mutat. Nim: unus & solus Christus est caput Ecclesiæ, Dominus, Rex; sed nunc haut conspicuus humanis oculis, nec palpabilis humanis manibus, nec perceptibilis humanis auribus. Spiritus Jesu Christi est Advocatus sanctorum, qui illos ducit in omnem veritatem, ducit in terra planitiei; docet illos orare, credere, sperare, amare; qui illos ungit, & obsignat ad redemtionis usque diem. *Legati* Jesu Christi in terra apud ecclesiam, sunt *pastores* pascentes sanctos in pascuis Domini; *Doctores*, docentes, explicantes mysteria altissimi; *Episcopi*, curantes & consulentes animarum saluti; *Presbyteri*, laborantes in verbo & doctrina; gubernantes gregem ovesque Jesu Christi; *Diaconi*, opitulantes & succurrentes pauperum fratrum egestati; *Diaconissæ*, distribuentes in simplicitate. Tales *excitat* Dominus Jesus; hoc est, necessariis donis, & sufficiente gratia instruit & ornat; *eligit* ecclesia inter preces & invocationem Domini per libera & communia suffragia, *confirmat* presbyterium per manuum impositionem, per publicam ordinationem, & in munus sacrum introductionem. Quæ si adsint ritè; hoc est, si is, qui præerit Ecclesiæ in verbo, doctrina, gubernatione, inveniat in se dona ad munus necessaria, si per liberam electionem sit vocatus, & publicè coram cœtu confirmatus, & sine contradictione à cœtu acceptatus, potest is sine mendacio dicere & gloriari in Domino, *posuit, dedit, me Deus & Christus, in ecclesia* sua, *pastorem, doctorem, episcopum, presbyterum*; gratia Dei sum, quod sum. Legatione fungor pro Christo. Deus orat per me. Sic nos reputet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. 1 Cor. cap. 4: vers. 1. cap. 15: vers. 10. 2 Cor. cap. 5: vers. 20. Per hos doctores, pastores, presbyteros, &c. annunciatur Christus Jesus, sermo crucis, lex Dei. Per illos Sacramenta administrantur, scandala amoventur, doctrinæ puritas conservatur, fratrum unitas fovetur, omnisque ἀταξία removetur. Per illos lupi arcentur à grege Dei, zizania colliguntur ex agro Domini, seductores & mendacii doctores excluduntur è cœtu Jesu Christi. Omnes hi sunt ex æquo Dei ministri, & legati Christi, potest in illis esse primatus, respectu ætatis, πρωτοκλησίας, πρεσβείας; ut qui diutius in verbo laborarunt, primi audiantur, qui diutissimè clavum ecclesiæ tenuerunt, ante omnes honorentur; ut juvenes cedant senioribus, seniores præcedant juvenes. Nullus autem est in illis primatus juris, dignitatis, imperii. Omnibus idem nomen. Sunt Episcopi, sunt Presbyteri. Omnibus idem officium, ἐπισκοποῦσι, ποιμαίνουσι, non tondent pecus, non deglubunt, Domino pascunt, Domino curant. Omnibus eadem merces, reposita in cœlis. Matth. cap. 5: vers. 12. Disertè monet Spiritus; ne pascant gregem Domini *violenter*, cum coactione, ne agant *ὡς κατακυριεύοντες ut dominatores*, sed ut *διάκονοι ministri*; ne lo-

Regiminis in ecclesia Novi Test.

quantur ἀναποδείκτως, sed per ἐλέγχειν, ne *percutiant*, nec gladio feriant, sed *ligent*, qui ligari merentur; & rursum *solvant*, quos solvi æquum; & peccata teneant impœnitentibus; remittant pœnitentibus. Et ut uno verbo absolvam. Non norunt tempora Apostolorum nisi solos Presbyteros & Diaconos ad regendam ecclesiam, non norunt Pontificem summum; non norunt Cardinales, Archiepiscopos; non norunt Episcopos, distinctos à presbyteris; non norunt Hierarchiam ullam Ecclesiasticam; non norunt visibilem aliquam cathedram. Tale igitur, ut descripsimus, est Regimen spirituale ecclesiæ Novi Testamenti.

Comparatio illius cum Regimine ecclesiæ Vet. Test.

§. 40. Et ut ecclesia hæc in omnibus præcellit & meliore sorte gaudet ecclesiâ V. Testita & respectu regiminis, quod in illa, olim erant Levitæ & Sacerdotes; nunc ex omni tribu & gente sunt presbyteri & episcopi. Olim erat ejusdem familiæ successio, nunc libera ecclesiæ electio & ordinatio. Olim certa sedes, in qua Synedrium fixum erat; ad quam omnes convenire, & verbum inde petere ac cognitionem tenebantur. Nunc quælibet ecclesia suum habet Presbyterium; nec ad aliam urbem cogitur ascendere, nisi per contesserationem fraternam; & conventionem amicam. Olim rigidius castigabant morte inobedientes & suppliciis afficiebant. Heb. 2:2. 10:28. Nunc mansuetius omnia agunt, ἐλέγχουσι, semel, bis, ter; denique ligant, excludunt, & quod maximum, Satanæ tradunt, ad interitum non animæ, sed carnis. Olim cogebant ad legalem servitutem; nunc ducunt ad Christianam libertatem, olim cura illorum versabatur circa populum Israël tantùm, inclusum & separatum à gentibus μεσοτοίχῳ. Nunc omnes sine discrimine invitant, ut invocent nomen Domini. Olim poterant *castigare* κατὰ τὸ δοκοῦν, & δεσμεύειν φορτία. Heb. 12:9. 10. Mat. 23:3. 5. Nunc sermonem perpetuò narrant reconciliationis; nec quid imponunt ecclesiæ, nisi per consensum ecclesiæ; non imperantes, sed ut γνώμην dantes; non per coactionem, sed per suasionem, & æquitatis ejus, quod agunt, demonstrationem.

Mutatio illius introducta.

§. 41. Ab hac institutione Dominica paulatim homines recesserunt, donec planè abalienati ab illa sunt, adeò ut posterotibus temporibus nova planè forma regiminis, contraria illi, quam Christus instituit, introducta sit; talesque constituti ecclesiæ Rectores, quales Scriptura vetuit esse, nim. ἐπισκοποῦντες ἀναγκαστῶς, & ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων. 1 Pet. 5:2. 3. Prius cœpit unus presbyterio præponi, & *Episcopus* præ aliis dici. Huic in initio solum jus ordinandi concessum est; reliqua habebat communia cum Presbyteris, & Presbyteri cum illo. Sed paulatim illius potestas eousque crevit, ut tandem surrexerit, qui ut Episcopi presbyteris, ita ipse omnibus prælatus est Episcopis; & universalis Sacerdos, ac episcopus œcumenicus dici voluit, ubi in mentem venit illud Gregorii Papæ, *ego fidenter dico, quia, quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Anti-christum præcurrit*, imò, dicamus potius, Anti-christus est.

An Petro principatus in Ecclesia à Christo traditus?

§. 42. Imprimis hoc animadvertamus. Christus Apostolos suos omnes voluit esse æquales, nec unum aliis prætulit, nedum ut unum omnibus aliis præposuerit, unum videtur præ omnibus *amasse* Joh. 13:23. 19:26. 21:20. nec tamen illum majorem aliis ullibi invenitur nominasse. Cum esset in illis φιλονεικία, *quis illorum videretur major esse*, egregiè respondit, *Reges gentium dominantur illis, & potestatem habentes, Euergetæ vocantur. Vos autem non ita. Sed major in vobis, fiat ut junior, & Antistes, ut minister*. Luc. 22:24-27. Adeò perquam falsissimum est, Petro à Christo primatum concessum, & principatum super omnes; ipsiusq; à Christo commissum fuisse arbitrio; ut locum, quem vellet, eligeret, ibiq; sedem figeret, & in illo, ut Vicarius Dei omnipotentis, Monarcha visibilis, caput omnium sanctorum sederet, & leges daret, loqueretur ex auctoritate; & successores relinqueret, pari majestate, ad finem usq; mundi, qui Regibus imperarent, regna darent & auferrent, conscientiis leges ponerent, libertatem

filio-

filiorum Dei pro arbitrio mutarent, minuerent, auferrent, leges imponerent novas cottidie ecclesiæ, de rebus naturâ suâ immutabilibus dispensarent, licita illicita, illicita licita facerent, conscientias cogerent, & ut in nomen suum jurarent, quæ sanè non sunt Christiana, sed Anti-Christiana, omni Scripturæ adversa, primæ ecclesiæ contraria, cœlo & Deo injuria, & cum omnibus Scripturis pugnantia.

§.43. Sed unde quæso probabunt, potestatem talem tantamq; concessam Petro? num è Mat. 16:18. *Tu es Petrus, & super hac Petra ædificabo ecclesiam meam?* Atqui Petrus non est Petra, nec Petra Petrus. Christus est Petra; super illum, & non Petrum ædificata est ecclesia. Num è ℣. 19. *Dabo tibi claves Regni cælorum, quicquid ligaveris,* &c. Atqui hæc prærogativa non solius Petri est, sed & omnium Apostolorum Joh. 20:23. imò omnium fidelium Mat. 18:18. Num è triplici dicto, *Petre, Amas me,* &c. *Pasce oves meas,* &c. quam *Regiam vocem* dicit Bellarminus: Joh. 21:15. 16. 17. Atqui in hoc verbo est exprobratio infirmitatis, quem toties de amore rogat, illi tacitè amoris inconstantiam exprobrat. Et in verbo *pasce*, non est commendatio alterius muneris, quàm quod Apostoli omnes commune habuerunt; & cum illis presbyteri omnes & episcopi, qui & *pastores*, & *pascere* dicuntur. Pascunt Reges more Regum Ita non pascunt Apostoli. Pascunt ministri Christi, more Christi; ita non pascunt Reges. Certè si verum fateri volumus; nullius, excipe Iscariotem, graviora sunt descripta peccata, quàm Petri, nullus gravius reprehensus à Christo magistro, quàm Petrus, idem in gravem justamque Pauli reprehensionem incurrit. Gal. 2. Adeò fragili stabit ecclesia fundamento, si Petrus ecclesiæ fundamentum est, super quod ædificata illa est. Dicitur Petrus πρῶτος *primus*, prior. Mat. 10:2. Sed non innuitur primatus majestatis, regiminis, potestatis; sed vocationis & ætatis. Num ab Apostolis major agnitus est Petrus? minimè. Paulus disertè dicit, *nil sibi differre* à Petro. Gal. 2:6. 9. nec veritus est publicè illum reprehendere. ibid. ℣. 14. In concilio Hierosolymitano nulla major autoritas apparuit in Petro, quàm in Jacobo. Act. 15. Num Petrus in Epistolis suis aliquid peculiare sibi arrogavit? certè nec tale quicquam apparuit. Vocat se συμπρεσβύτερον Presbyterum, è grege quasi presbyterorum; *& testem Christi passionum.* 1 Petr. 5: ℣. 1. Denique, quo firmo constabit argumento, Petrum fuisse Romæ? oportet enim ut Romæ fuerit, si verum, quod sedem Apostolicam in urbe Roma fixit. Atqui è tota sacra Scriptura ne verbum unum promi potest, quo probetur, Petrum unquam fuisse Romæ. Act. 12: 16. 17. dicitur de Petro, cum è carcere Herodis evasisset, ἐξελθὼν ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον; & *exiens* ex Hierosolyma, *profectus est in alium locum*, sed unde probabis, hunc locum fuisse *Romam*, annon potuit in alium migrare locum, nisi in urbem Romam? Atqui non diu post habita est Synodus Hierosolymitana, cui interfuit Petrus Act. 15. quomodo tam citò è Roma regressus est, si *hic locus* Roma est? Quod Petrus venit *Antiochiam*, notavit Scriptura Galat. 2: 11. si etiam *Romam* venisset, num hoc tacuisset, præsertim cum tanti interfuit, illud scire certius. Cum Paulus Romam abductus est Actor. 28. certè Petrus Romæ nondum fuit, si enim fuisset, sine dubio illius mentio facta fuisset; sine dubio Paulo occurrisset, Paulum visitasset; nec scriptor Actorum Apostolicorum id silentio præteriisset. Videtur Petrus fuisse in *Babylone* 1 Pet. 5:13. Putant *Romam* figuratè intelligi. Atqui non est Roma *Babylon*, si non mystica Babylon. Id si Roma est, legat Encomia sua Apoc. 18:2:3. &c. Novi omnem ferè antiquitatem sentire, Romæ fuisse Petrum. Sed non potest valere Autoritatis antiquitatis in præjudicium Scripturæ & veritatis. Tradit Hieronymus, Petrum post prædicationem in Ponto, Asia, Bithynia venisse Romam; & eam quidem ob causam, ut *Simonem* Magum, quo cum Samariæ rem habuerat, Actor. 8: vers. 18 -- 24. quique ab illo tempore scribitur Romam migrasse, expugnaret. Sed æquè incertum est, an Simon Magus

unquam Romæ fuerit. Justinus, Irenæus, Tertullianus, Cyrillus, Eusebius aliique tradunt, *statua & ara* honoratum fuisse à Romanis Simonem Magum, quæ posita ei fuit in insula Tiberina inter duos pontes. Atqui magnus docuit Salmasius, errasse in eo Patres, & *errorem omnino hausisse ex similitudine nominis Semonis & Simonis. Nam*, inquit, *in illo ipso loco aevorum ætate reperta est ara dedicata* SEMONI SANCTO; *quem illi pro* Simone Mago *acceperunt*. Atqui aliud est *Semon* seu *Semo*, aliud *Simeon*; nec Semon Sanctus, est Simon, à Romanis, ut ita dicam, sanctificatus. Hactenus Salmasius in apparatu ad Libros de PRIMATU. De *Semone* vide Liv. libr. VIII. *Bona Semoni Sancto censuerunt consecranda.* Romanis olim *Semones* dicebantur illi, qui ex hominibus relati in Deos essent; quos *majores* statuebant hominibus; *minores*, Diis. Fulgentius de vocibus antiquis. SEMONES *dici voluerunt Deos, quos cœlo nec dignos adscriberent ob meriti paupertatem, sicut* PRIAPUS, VERTUMNUS; *nec terrenos eos deputare vellent, per gratiæ venerationem.* Concludo, quandoquidem incertissimum, an Petrus unquam fuerit Romæ, in vanum Pontificem Romanum gloriari, se tenere *sedem Petri*, & illius successorem esse.

Quomodo paulatim Novum in ecclesia introductum sit regimen.

§. 44. Sed nunc docere lubet, quomodo paulatim Ecclesiæ regimen, ab Apostolis institutum, post tempora Apostolorum, mutari & in aliam transfundi formam cœperit.

§. 45. *Antequam Diaboli instinctu*, inquit Hieronymus, *studia in religione fierent & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cepha, communi Presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur.* Non habebat ecclesia Presbyteros subjectos Episcopo; nec Episcopum præpositum Presbyteris. Sed ut Apostoli inter se fuere pares, ita & Episcopi, qui & Presbyteri; duplex enim unius muneris & officii appellatio fuit, pari ubique potestate & dignitate fuere præditi; horumque, ut habet Hieronymus, communi consilio regebantur ecclesiæ. Qui cum Apostolis vixerunt, illorumque fuerunt συνεργοὶ, ut *Clemens* fuit Petri aut Pauli συνεργὸς; aut etiam discipuli, ut Papias, Polycarpus, Ignatius dicuntur fuisse à Johanne instituti; illi in scriptis suis non aliam ecclesiasticæ gubernationis ἰδέαν agnoscunt, quam qualem ab Apostolis docuimus institutam, consistentem nimirum ex Episcopis seu Presbyteris, & Diaconis. Clemens in epistola, quam nomine Romanæ ecclesiæ ad ecclesiam, quæ in Corintho, scripsit, *Episcopos* tantùm nominat & *Diaconos*, planè ut Paulus Phil. 1: 1. Deinde in eadem dicit epistola, μόνον τὸ ποιμνίον τοῦ χριστοῦ εἰρηνευέτω μετὰ τῶν καθισταμένων πρεσβυτέρων, *solummodo Grex Christi pace fruatur cum constitutis presbyteris*, & postea, ὑποτάγητε τοῖς πρεσβυτέροις *obedite presbyteris*, quos passim in epistola *Episcopos* dixerat, in his *Presbyteros* vocat. De Episcopo singulari in tota certè epistola nil invenies. Eadem ratione *Polycarpus*, in epistola, quam scripsit ad Philippenses, διὸ δέον ἀπέχεσθαι ἀπὸ πάντων τούτων ὑποτασσομένους τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ὡς θεῷ καὶ χριστῷ, &c. *ideò decet*, inquit, *abstinere ab omnibus his obedientes Presbyteris & Diaconis, ut Deo & Christo.* Et anteà de πρεσβυτέροις dixerat, quod sint εὔσπλαγχνοι, εἰς πάντας ἐλεήμονες; ἐπισκεπτόμενοι πάντας ἀσθενεῖς *visitantes*, curantes *omnes infirmos*. Ergo Presbyterorum dicit esse ἐπισκέπτεσθαι; quod officium ipsum ἐπισκόπου nomen notat. Etiam *Hermes*, qui *Pastorem* scripsit, & Pauli dicitur discipulus fuisse, duos tantùm in ecclesia agnoscit ordines, *Episcopos*, quos & *seniores* dicit, qui *Ecclesiæ præsunt*, & *ministros* seu *diaconos*.

§. 46. Et certè mirum est, hæc cum ita sint, antiquissimos quosque autores ordinem texere Episcoporum, qui inde à temporibus Apostolorum, in certarum urbium ecclesiis episcopatu functi sint. Ita Episcopi *Romani*, post Petrum, numerantur, *Clemens*, idem ille cujus jam jam meminimus, *Linus*, *Cletus* seu Anacletus, *Evaristus*, *Alexander*, *Xystus*, *Telesphorus*, *Hyginus*, *Anicetus*, *Pius*, *Soter*, *Eulutherius*, *Victor*, &c. *Hierosolymitani*

tani post Jacobum, *Simeon*, *Zacharias*, *Tobias*, *Benjamin*, *Johannes*, *Matthæus*, *Levis*, *Ephraim*, *Joseph*, *Judas*; usque ad Hadrianum, sub quo eversa est Hierosolyma. Certè ut incertum, an Petrus unquàm fuerit Romæ, ita & incertum, imò falsum, quod de his Episcopis proditum est. Certè *Clemens* non fuit Episcopus, non enim se inscribit in epistola sua ad Corinthios, *Episcopum urbis Romæ*; quod sine dubio fecisset, si fuisset; licet maxima in ecclesia Romana authoritate polluerit. Idem judicium fit de cæteris. Quid autem dicemus de hac veterum hallucinatione? illa hinc orta videtur. Boni illi præterita tempora secundum sua, ubi singulares in singulis civitatibus Episcopi ordinati erant, metientes; & audientes, Clementem, Linum, Cletum, in Romana constituenda ecclesia notabilem navasse operam, judicarunt, illos fuisse totidem Episcopos, qui sibi invicem successerint; nec cogitarunt, illos unà fuisse ab *Apostolis* illuc missos, ut in curanda ecclesia operam jungerent; adeoque in una ecclesia uno eodemque tempore complures fuisse Episcopos & Presbyteros.

§. 47. Marcus Euangelista, Petri *filius* 1 Petri 5: 13. non aliam Ecclesiasticæ gubernationis formam, in ecclesia Alexandrina, cujus etiam secundùm communem veterum morem dicitur fuisse Episcopus, instituit. De Presbyteris illius ecclesiæ, à Marco primùm constitutis, ita tradidit Hieronymus, *Nam & Alexandriæ a Marco Euangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat; aut diaconi eligant, quem industrium noverint & archidiaconum vocent.* Ex quibus verbis patet. 1. Illum *Episcopum* esse electum *semper* è presbyteris, non ergo fuit talis episcopus, quales posteà ordinati sunt, qui non ex presbyteris tantùm, sed & ex laicis, qui id videbantur promereri, eligebantur. 2. Fuisse electum à presbyteris, id liquet è modo loquendi. *Presbyteri unum electum, nominabant.* Totum id presbyterorum negotium fuit, atqui novi Episcopi introducti, nec à Presbyteris sunt electi, nec ab iisdem ordinati. 3. Fuisse *collocatum in excelsiore gradu*, neque adeò officium toto genere diversum à presbyterali adeptum fuisse; sed tantùm in excelsiore aliquo gradu collocatum, & aliis quodammodo præpositum. 4. Quod dictus est *Episcopus*, inde non sequitur, reliquos Presbyteros non fuisse Episcopos, sed illos nomine Presbyterorum ut plurimum insignitos; hunc autem ex se electum voluisse dici expresse speciatimque *Episcopum*, ut illo nomine agnosceretur esse is, qui in excelsiore gradu collocatus esset. 5. Hic mos duravit usque ad *Dionysium & Heraclam.* Nam post illos statuit Alexander Episcopus, ut ne liceret amplius Presbyteris Episcopum eligere & consecrare. 6. Ut *Archidiaconus* à *Diaconis* electus, Diaconus manet; excelsius tantùm nomen & excelsiorem tantùm gradum obtinet; ita hic ex Presbyteris electus, & *Episcopus* dictus, nimirum Episcopus in excelsiore gradu, etiam Presbyter, seu de illorum grege mansit. Sciendum denique, hunc ita electum *Episcopum* non fuisse rursùm ordinatum, nec consecratum nova manuum impositione, sed simpliciter tantùm electum; quemadmodum & in Archidiaconis observatum fuit. Amilarius. *Archidiaconus eandem consecrationem habet, quam cæteri Diaconi, sed electione fratrum preponitur.*

§. 48. Quamvis autem omnes Episcopi & Presbyteri, (rursùm moneo. Antiquissimis temporibus utrisque nominibus vocabantur Presbyteri) ex Apostolica institutione, pares essent dignitate, honore, potestate, tamen potuit inter illos esse *Primatus* quis; & quidam dici, *Primi Presbyterorum* seu Episcoporum. Scilicet est primatus ex ordine πρωτοκλησίας & πρεσβυγενείας, est primatus ex electione; & sola meriti contemplatione. Prima illa primatus

matus ratio semper observata fuit, quamdiu Apostoli ecclesiis præfuerunt. Secundæ ab Alexandrinis, ut vidimus, ratio habita est. In omni collegio, quod è pluribus constat, potest is, qui prior in collegium intravit, qui diligentius in illo laboravit, certo modo aliis præferri. Ita primatu quodam gaudebit, & tamen de collegio manebit.

§. 49. Post Apostolorum seculum alia planè consuetudo introducta est, alius exstitit ordo *episcopalis*, alius *presbyteralis*, qui antea unus idemque erat. Episcopus à presbyteris separatus, illisque superior dignitate & potestate factus est, unus singulis urbibus datus est Episcopus, qui omnibus presbyteris præfectus est. Post distinctum ita plenè & planè episcopatum à Presbyteratu, Episcopi non amplius sustinuerunt *presbyterorum* nomine vocari; nec Presbyteri *Episcopi* nomen sibi debuerunt arrogare. Ambrosius in epist. 1. ad Timoth. *Discreta nunc sunt nomina, & neque Episcopus dici potest Presbyter; neque presbyter unquam Episcopi nuncupationem sibi poterit vindicare, usque dum presbyter esse desistat.* Et rursum. *Beatis Apostolis decedentibus, diviserunt nomina ipsa, & eisdem presbyteris presbyterii nomen reliquerunt; alii verò Episcopi sunt nominati.*

§. 50. De hac institutione ita Hieronymus. *Postquam verò unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* In toto orbe, inquit, hoc est, in omnibus orbis universi ecclesiis. Eodem tempore, & quasi uno decreto per omnes ecclesias novus ille mos receptus est. Idem Hieronymus, *Quod autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in Schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens ecclesiam Christi rumperet.* Et alibi. *Hæc propterea, ut ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos & Episcopos, paulatim verò, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam.* Ex quibus verbis colligere est. 1. Schismata & dissensiones; imprimis, quod quisque in populum Christi, ut suum, dominari vellet, huic instituto ansam præbuisse. 2. Electum de presbyteris *superpositum cæteris esse*. Ambrosius de illis, *ut plenissimè iidem præpositos se ecclesiarum agnoscerent*. 3. *Omnem curam & sollicitudinem ecclesiæ ad illum pertinuisse*. 4. Eum in finem hoc statutum factum, ut schismata & dissensiones tollerentur. 5. Id *in orbe* decretum esse, hoc est, ab hominibus; adeoque non esse Episcopatum de jure divino; sed de decreto humano, de illo clarè & expresse Hieronymus in epist. ad Titum. *Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ* CONSUETUDINE, *ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ita Episcopi noverint, se magis* CONSUETUDINE, *quam dispositionis* DOMINICÆ VERITATE *presbyteris esse majores, & in commune debere ecclesiam regere.*

§. 51. In initio novellæ hujus institutionis non statim ad extrema ventum est, neque ordinum distinctio prorsus facta, nec divisio potestatis jurisque; sola pœnè nominis mutatio intercessit, ut diceretur κατ' ἐξοχὴν ἐπίσκοπος. Deinde & *ordinatio* Episcopis solis attributa; Presbyteris adempta. Chrysostomus docet, Episcopum super Presbyteros μόνῃ τῇ χειροτονίᾳ ἀναβεβηκέναι *sola ordinatione superiorem esse*. Theophylactus, καὶ γὰρ αὐτοὶ, de *Presbyteris* loquitur, διδασκαλίαν καὶ προστασίαν τῆς ἐκκλησίας ἐγκεχειρισμένοι εἰσὶ, μόνῃ τῇ χειροτονίᾳ ὑποβεβηκότες, *quoniam & ipsi docendæ & administrandæ ecclesiæ potestatem habent, solo ordinandi jure inferiores.* Aërium docuisse supra allegavimus, ὅτι καὶ ὁ πρεσβύτερος χειροθετεῖ, quòd *& presbyter manum imponat* seu ordinet. Ad hanc thesin ita Epiphanius. καὶ πῶς οἷόν τε ἦν πρεσβύτερον καθιστᾶν, μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν; ἢ εἰπεῖν αὐτὸν ἴσον εἶναι τῷ ἐπισκόπῳ. *Quomodo possibile est, Presbyter ut constituat*

Pres-

Presbyterum, ad quem ordinandum manuum imponendarum potestatem non habet? aut quomodo presbyter Episcopo dici potest æqualis. Isidorus libr. II. de officiis ecclesiasticis. *Sed sola propter auctoritatem summo Sacerdoti*, id est, Episcopo, *Clericorum ordinatio & consecratio reservata est, ne a multis ecclesiæ disciplina vindicata concordiam solveret, & scandala generaret.* Synodus Ancyrana undecim circiter annis ante Nicænam habita ademit omnem Presbyteris ordinandorum presbyterorum & diaconorum potestatem. Canone XIII. Synodus Nicæna statuit, ut solis Episcopis Episcopum liceret ordinare. Canone IV. statuitur, ut *Episcopus ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinetur.* Ad minimum à tribus, absentibus per scripta sua consentientibus. Inde & Ambrosius. *Episcopos ordinationis præditos esse potestate.* Et Theophyl. in 1 Tim. οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν. Hieron. in Epist. ad Evagrium. *Quid enim facit, exceptâ ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non facit?* Inde & Epiphanius vocat τὴν ἐπισκόπου τάξιν γεννητικὴν πατέρων; quod πατέρας, hoc est, presbyteros ecclesiæ generet per ordinationem; cum Presbyteri solos filios pariant ecclesiæ διὰ τοῦ τῆς λουτροῦ παλιγγενεσίας *per baptismi, quem confert, regenerationem.* Addamus denique Canonem Antiochenum x. unde simul constabit, etiam majorem Episcopis potestatem fuisse, & ad alia omnia se paulatim extendisse. Ita autem sancitum est, ἕκαστον ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, διοικεῖν τε κατὰ τὴν ἑκάστῳ ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν, καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν αὐτοῦ πόλιν, ὡς καὶ χειροτονεῖν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, καὶ μετὰ κρίσεως ἕκαστα διαλαμβάνειν, hoc est, vertente Dyonisio Exiguo. *Unusquisque Episcopus habeat suæ parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, & providentiam gerat omnis possessionis, quæ sub ejus est civitate, ita ut Presbyteros & Diaconos ordinet, & singula suo judicio comprehendat.*

§. 52. Fuit, quum Episcopi & Presbyteri distinctio fieri cœpit, autor quidam, qui se *Ignatium* vocavit; doctis tamen subditivus Ignatius videtur. Hic in Epistolis, quas scripsit, ferè omnibus nil aliud tinnit quàm Episcopalem supra presbyteros eminentem gradum, adeo ut videatur operam suam condixisse firmandæ Episcoporum magnitudini. In Epistola ad Magnesios fatetur νεωτερικὴν illam esse τάξιν *novellam institutionem*, quæ Episcopum super presbyteros evehit. Dein πρεσβυτέριον dicit esse νόμον χριστοῦ, quia ex institutione & voluntate Christi introductum sit. Hic Ignatius laudat *Sotionem* Diaconum, quod se submissum præbeat Episcopo, καὶ τοῦ συνδούλου μου Σωτίωνος, οὗ ἐγὼ ὀναίμην, ὅτι ὑποτάσσεται τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς χάριτι θεοῦ, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς νόμῳ Ἰησοῦ χριστοῦ. *Et Sotionis conservi mei, qui mihi gratus est eo nomine, quod Episcopo subjicitur, ut* GRATIÆ DEI; *& presbyterio, ut* LEGI *seu instituto Christi*, καὶ ὑμῖν δὲ πρέπει μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ ἐπισκόπου, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν θεοῦ πατρὸς πᾶσαν ἐντροπὴν αὐτῷ ἀπονέμειν, καθὼς ἔγνων καὶ τοὺς ἁγίους πρεσβυτέρους, οὐ προσειληφότας τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν, ἀλλ' ὡς φρονίμους ἐν θεῷ, συγχωροῦντας αὐτῷ, οὐκ αὐτῷ δὲ, ἀλλὰ τῷ πατρὶ θεοῦ Ἰησοῦ χριστοῦ τῷ πάντων ἐπισκόπῳ. *Et vos quidem decet non nimium familiariter uti ætate Episcopi; sed secundum virtutem Dei Patris omnem reverentiam illi tribuere, sicut cognovi presbyteros sanctos, non ut accipientes eam, quæ nova videtur, institutionem, sed tanquam prudentes in Deo; cedentes ipsi; non ipsi verò, sed Patri Dei Jesu Christi; omnium Episcopo.* Et inferius; παρακαλῶ ἐν ὁμονοίᾳ θεοῦ σπουδάζετε ταῦτα πράσσειν, προκαθημένου ἐπισκόπου εἰς τόπον θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων. *Sedente Episcopo in locum Dei; Presbyteris* tenentibus *locum Apostolorum.* Denique, suadet, ne quis quid faciat *sine episcopo*, πρέπον οὖν ἐστὶ μὴ μόνον καλεῖσθαι χριστιανοὺς, ἀλλ' εἶναι, ὥσπερ καὶ τινες Ἐπίσκοπον μὲν καλοῦσι, χωρὶς δὲ αὐτοῦ πάντα πράσσουσιν, ubi Episcopatus tales buccinatores

 habuit,

habuit, quid mirum illum ſuccedente tempore ad ſummum poteſtatis culmen aſcendiſſe; utque, quot fuerunt Epiſcopi, tot quaſi extiterint ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι.

§. 53. Tempus novellæ inſtitutionis, ſive quando illa primùm cœpit & in eccleſiam introducta eſt diviſio graduum & nominum inter Epiſcopos & Presbyteros, id inquam nullibi notatum invenimus; certè non diu poſt mortem Apoſtolorum, & illorum, qui Apoſtolorum fuerunt comites & cooperarii, videtur invecta. Quamdiu ſuperſtites fuere aliqui, qui Regimen Eccleſiarum, quale ab ipſis Apoſtolis inſtitutum eſſet, didicerant, forſan ii non paſſi ſunt morem hunc novum, nec à Deo, nec ab Apoſtolis præceptum, uſurpari. Ambroſius clarè docet in epiſt. ad Timotheum, *Beatis Apoſtolis decedentibus* diviſa eſſe nomina, alios *Presbyteros* tantùm, alios *Epiſcopos* tantùm nominatos; ubi per *Apoſtolos* non tantùm τοὺς δώδεκα intelligit, ſed & omnes illos, qui illorum fuerunt συνεργοὶ καὶ συνέκδημοι, & quaſi Apoſtolorum Apoſtoli; quos ſupra oſtendimus paſſim antiquis ἀποστόλους dici, & apud Amalarium idem Ambroſius novæ huic inſtitutioni anſam factam aſſerit, quia *beatis Apoſtolis decedentibus illi*, qui poſt illos ordinati ſunt, ut præeſſent eccleſiis, illis primis exæquari non poterant, neque miraculorum Teſtimonium par illis habere; ſed in multis aliis inferiores illis eſſe videbantur, quæ adde ad opinionem Hieronymi, §. 54. citatam. Ille Pſeudepigraphus Ignatius, epiſcopalis eminentiæ tantus laudator, vixit tempore *Valentini* hæretici, aut etiam poſt illum brevi; nam dogma ejus, λόγος ἀπὸ σιγῆς προελθὼν, de quo Valentino ita Cyrillus Hieroſolymitanus, καὶ ἀπὸ σιγῆς τεκνοποιεῖ λόγον; adeoque docuit, *Sermonem Dei æternum proceſſiſſe è* SIGE, paſſim citat & confutat. Hic autem Valentinus fanaticus dicitur vixiſſe imperante *Antonino*, aut etiam *Marco Aurelio*. Ergo introductio hæc nova, diſtinctio nimirum ordinis & diſcretio nominis inter Epiſcopos & Presbyteros exſtitit ſub ſeculo ſecundo, aut etiam ſub initium tertii ſeculi. Certè cum Concilium Nicænum primum contra *Arium* & alios hæreticos, anno Dom. 325. haberetur, epiſcopalis functio, diſtincta à presbyterali, jam plenè invaluerat. Illi concilio dicuntur interfuiſſe ex *Epiſcopis*, qui *ſedes* tenebant *Apoſtolicas*, *Macarius* Hieroſolymorum antiſtes, *Euſtathius* Antiochiæ ad Orontem ſitæ Epiſcopus, & *Alexander* Alexandriæ propter lacum Maream ſitæ Epiſcopus; *Silveſter* autem Epiſcopus Romanus nimia ſenectute impeditus dicitur abfuiſſe, miſiſſeque *Presbyteros* duos, *Vitum* & *Vincentium*, poteſtate illis conceſſa, actis Concilii aſſentiendi. vide Theodoretum libr. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 7. Sozom. libr. 1. cap. 16. Hujus tamen Concilii ſtatutis plenè confirmata eſt ordinum presbyteralis & epiſcopalis diſtinctio; & idem juſſit Can. VI. τὰ ἀρχαῖα ἔθη *priſcas conſuetudines*, & παράδοσιν ἀρχαίαν *traditionem antiquam* firmiter obſervari. Ita autem vocat diſtinctionem illam Epiſcoporum & Presbyterorum, & regimen Eccleſiaſticum; quod dum perpendo, omninò ſtatuo, ſub medio ſeculo ſecundo inſtitutionem hanc novam jam invaluiſſe. Eadem Synodus, ut ſupra memini, præcepit, ne ordinaret Epiſcopum niſi Epiſcopus; quod antea licuerat Presbyteris. Ita plenè tunc factum, *Epiſcopus ordinat. Presbyter ordinatur.*

§. 54. Inter hos ita novè introductos Epiſcopos ad tempora uſque Hieronymi ſumma paritas fuit, nec ullus illorum univerſalis aut œcumenicus dictus eſt. Hieronym. Tom. 2. epiſt. ad Evagrium. *Si autoritas*, inquit, *quæritur*, *orbis major eſt urbe. Quid mihi profers unius urbis conſuetudinem? ubicunque Epiſcopus fuerit, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Regii, ſive Alexandriæ, ſive Tunis, ejuſdem meriti eſt, & ejuſdem Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas ſublimiorem, & inferiorem epiſcopum non facit, cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.*

§. 55. Fa-

§. 55. Facta autem hac distinctione nominum, muneris, ordinis inter Presbyterum & Episcopum, episcopatus factus est ἀρχὴ & *Præfectura*; illorumque *thronus elevatus super stellas Dei* Es. 14: vers. 13. Presbyteri & ecclesiæ Doctores sunt *stellæ* Dei; Dan. 12: vers. 3.

§. 56. Et licet primi distinctionis hujus auctores plausibilibus satis usi sint rationibus, ut liquet è verbis Hieronymi §. 50. & forsan multi pia mente assensi sunt, ut nova hæc consuetudo introduceretur, tamen multorum φιλοπρωτία & πλεονεξία egregiè hunc conatum juvit. Certè omnis consuetudo, quæ contra mentem Domini & Servatoris recipitur, vitiosa & defectuosa est. Atqui ille expressè cavit, ne quis è suis *vellet esse* πρῶτος Matth. 20:27. μείζων Matth. 23:11. Luc. 22:24. 26. Et quanta paulatim mala ex humana hac *consuetudine*, ut rursum cum Hieronymo loquar, in ecclesiam Dei intrarint, tristis experientia docuit. Nam ut ingenium hominum omnium malorum & mendaciorum ferax est, ita ubi semel licentia datur, humanas adinventiones inducendi in domum Dei, inventa inventis abundè augentur & adduntur. Non enim satis fuit posterioribus esse *Episcopos*, sed & præterea introducti sunt *Archiepiscopi*, *Patriarchæ*, *Metropolitæ*, *Cardinales*, & Episcoporum ac Archiepiscoporum omnium *Episcopus*, Sacerdos universalis totius οἰκουμένης, Monarcha visibilis, cui potestas data, judicandi omnes, deponendi Imperatores, subjectos à fidelitate Dominorum absolvendi, Synodos convocandi, libros Canonizandi; quodque ipse à nemine judicari possit. Imò & introducta sunt nomina & officia *Cancellariorum*, *Suffraganeorum*, *Officialium*, *Ostiariorum*, *Exorcistarum*, *Lectorum*, *Acoluthorum*, *Archidiaconorum*, *Subdiaconorum*; & quæ non?

§. 57. Non laudat Johannes Apostolus & Presbyter τὸ φιλοπρωτεύοντα Διοτρεφῆ, qui potestatem sibi arrogabat *non recipiendi fratres*, *& volentes* recipere *prohibendi*, *& ex Ecclesia ejiciendi*. 3 Joh. vers. 9. 10. Quid ergo laudandi sint Antiqui illi φιλοπρωτεύοντες, qui uni homini dederunt & commiserunt *curam Ecclesiæ*, & *superposuerunt cæteris* omnibus; & soli illi arroganter dederunt nomen, quod Christus, quod Apostoli dederunt omnibus, in verbo & doctrina laborantibus?

§. 58. Sed non vacat impræsentiarum nobis in his esse longioribus. Sufficit docuisse Regimen illud ecclesiæ, quo Episcopus unus pluribus præficitur Presbyteris, & κατ' ἐξοχὴν, imò solus, *Episcopus* dicitur, quo illi Præfectura & Imperium in ecclesiam datur, & in Presbyteros omnes, esse novum, à Christo non præceptum, ab Apostolis non institutum, à primitiva ecclesia Apostolorum haut observatum; neque adeò etiamnum admittendum. Id prolixissimè è scriptura, & historia, & antiquitate ecclesiastica probatum dedit admirandi ingenii, & stupendæ eruditionis vir *Claudius Salmasius* in aureo opere, de Primatu Papæ; quod etiam atque etiam commendamus.

Caput XI.

Epilogus.

§. 1. ET hîc à Typographo moniti, finiemus. Congruum enim visum est, ut ne secundus Tomus priorem mole superaret. Igitur nunc quidem hoc definit volumen, non tamen tertius operis nostri liber; cujus altera pars pari volumine proximè, si placuerit Deo, prodibit; quæ multitudine rerum tractandarum, & historiarum inserendarum, & prophetiarum explicandarum jucundam forsan faciet lectionem.

§. 2. In hoc autem volumine habes doctrinam de Jesu Christo haut obiter traditam. Præcipua enim è quatuor Euangelistis excerpsimus & explicavimus. Neque enim tædio erit prolixior tractatio de Servatore Jesu iis, quibus omnis spes salutis in Jesu reposita est, quique credunt, justum Dei servum *justificare in agnitione sui*. Dein acta Apostolorum percurrimus, & plurima ex illis annotavimus, inde videbis, quomodo Christus ecclesiam sibi collegit è Judæis & gentibus, non per externam vim, sed per verbi præconium, & Sacramentorum administrationem, & Spiritus S. internam operationem; quæ & insigniter crevit, & eximiè profecit, & illustria specimina fidei, constantiæ, patientiæ, charitatis, spei edidit. Denique quid sit Novum & Melius Testamentum, quænam meliores illius sint promissiones & benedictiones in supercælestibus; quodnam illius Regimen, in hoc volumine non indiligenter docuimus.

§. 3. Quod si exspectationi bonorum non satisfecimus, confido tamen, viros bonos & pios diligentiam nostram haut contemturos, & hoc nomine à vituperio nos liberaturos esse. Studuimus prodesse Ecclesiæ; quod si non plenè obtinuimus, saltem speramus obtinuisse nos ex parte; imò si nec ex parte, id solatio nobis cedet, quod talis certè voluntas in nobis fuit. Quod superest commendo studia mea ecclesiæ reformatæ, cui ego me totum devovi, à cujus fide & confessionibus vel latum unguem secedere, summa mihi religio est. Sanctificet illam Deus in veritate, & faciat triumphare magis magisque de mendacio.

FINIS.

INDEX Locorum Scripturæ, qui prolixius in Tomo Secundo explicantur.



WILHELMI MOMMAE
PRAELECTIONES THEOLOGICAE:
DE
ADVENTU SCHILOH,
AD GENES. XLIX. 10.

ET DE

VARIIS THEOLOGIAE CAPITIBUS.

OPUS POSTHUMUM.



AMSTELODAMI,
Apud Viduam JOANNIS à SOMEREN.
M DC LXXXIII.

EXPLICATIO
Vaticinii JACOBI,
Quod exstat
GENES. XLIX. 10.



INitium Professionis meæ Theologicæ facturus, Præstantissimi, Ornatissimi Domini Studiosi, Discipuli mei charissimi, meritò in ipso initio precibus humillimis compello Illum, qui dona dat hominibus, & Spiritum agnitionis in corda effundit nostra, & aptos nos facit in partem sortis sanctorum in luce. Jungite igitur preces vestras cum meis, votaque vestra cum meis, sicque dicite in spiritu & in veritate.

Magne Deus, Æterna Lux, Creator mundi, Rector universi, Deus vivorum, Deus noster, à quo descendit πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον; sint tibi gratæ preces meæ humillimæ, sint odor fragrantiæ. Offero illas in nomine Jesu Filii tui, quem semper exaudis. Non à te peto aurum & argentum, quæ sunt ἐν φθαρτοῖς: non honores & delicias mundanas, quæ ut fumus evanescunt: Sed meliora illa, & ἐχόμενα σωτηρίας, *sapientiam*, non mundi, sed quæ *desuper* est, quæ πρῶτον μὲν ἁγνή ἐστιν, ἔπειτα εἰρηνική, ἐπιεικής, εὐπειθής, μεστὴ ἐλέους καὶ καρπῶν ἀγαθῶν, ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος; *Spiritum* sapientiæ & ἀποκαλύψεως, illuminatos *oculos* mentis, *sanctitatis* gratiam, & *charitatis* in te tuosque affectum intensissimum. Aperi os meum; dirige linguam meam; sit sermo meus sale conditus; sit ἐνεργὴς efficax & penetrans; da gratiam, ut corda flectat, voluntates moveat, intellectum illuminet, fidem excitet, charitatem augeat, spem confirmet, & in me, & in illis, quos Auditores dedisti mihi. Sanctifica juventutem, fidei nostræ commissam; sanctifica illam in veritate; verbum tuum veritas est; fac illam obedire Euangelio tuo, auscultare indignissimo servo tuo, verbumque illius recipere, non ut *verbum hominis*, sed ut *verbum Dei*; serva illam à peccatis juventutis, ambulet coram te integra & inculpata, per & propter Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum est æternus & verus & benedictus Deus in secula. Amen.

Festum, in memoriam miraculosæ nativitatis Filii Dei unigeniti institutum, prope est, Auditores; feriæ, quæ hac occasione ex antiqua consuetudine in hac Schola aguntur, imminent. Ideò haud è re duco, ut incipiam telam, quæ ut pertexatur, longiore intervallo indiget: illa enim mox in initio & ob festum, & ob ferias, abrumpenda esset; id quod ex opinione mea noxam quandam & attentioni vestræ & profectui ac incremento afferret. Sed textum unum illustrem è sacris literis petitum, aliquot lectionibus exponam, & commentatione succincta explicabo: absolutis autem ferijs aggrediar pleniorem explicationem Locorum, ut vulgo dicitur, Communium, & libri cujusdam Scripturæ, sive Prophetici, sive Apostolici, prout ad usum vestrum & utilitatem vestram, cui unice nos intentos esse decet, facere judicabimus.

Tempus, in quo hodie versamur, *Adventus* dicitur. Nam & textus Euangelici, qui diebus his dominicis explicantur, de Adventu Christi asino vecti in Hierosolymam; de adventu magnorum miraculorum, signorum & portentorum; de legatione Johannis Bapti-

 stæ

ſtæ ad Chriſtum: Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν? loquuntur & agunt; & dies inſtat, quo in mundum venit Jeſus, qui ſalvat peccatores. Ideo non incongruum erit, ut talem proferamus textum; qui de eodem Adventu verba faciat. Cumque tales multi ſint, imò plurimi; & in Geneſi quatuor imprimis ſint loca, quæ agunt de manifeſtatione Dei in carne; nunc elegimus illum, quem Jacobus Patriarcha, letho proximus, in benedictione, quâ benedixit & quaſi valedixit filiis ſuis, effatus eſt Geneſ. X L I X. 10. לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים׃

Targum Onkelos: עד דייתי משיחא דדיליה היא מלכותא.

Targum Hieroſolymitanum: עד זמן דייתי מלכא משיחא דדיליה היא מלכותא

Targum Jonathanis: עד זמן די ייתי מלכא משיחא זעיר בנוי

Aben Ezra: יש אומרים שהוא כגזרת וכשליתה ויש מי שהוציאו מלשון קדמונו ז"ל שליל (embryo) ויש מי שפירש אותו על עיר שילה (Deut. 28: 57.) ופרש יבא כמו בא השמש או עד כי יבא קץ שילה כי כן כתוב (Pſalm. 78: 60.) ויטוש משכן שלו או יהיה שילה כמו בנו והוא תחת ויו כמי בתוך אהלה מגזרת לא תשלה אותי (2 Reg. 4: 28.) שפירוש לא תוליד׃

Aben Ezra per שילה intelligit *Davidem* עד שבא דוד

R. Bechai: אמר עד כי יבא שילה והוא רמז על משה. Dicit, Moſen regnaſſe in Iſraëlem. *Fuit in Ieſchurun Rex.* Et per שילה intelligit *urbem Siloh.* אחר שנחרב שילה בא שמואל הנביא ומשחו לדוד. Deinde narrat, poſſe per שילה intelligi duos Meſſias futuros דוד המלך ומלך המשיח

Talmud Babylonicum in Sanhedrin, cap. 11. מה שמו רבי ר' שילא אמרי שילה שמו שנאמר עד שיבוא שילו׃

R. Salomoh: מלך המשיח שהמלוכה שלו

LXX. ἕως ἂν ἔλθῃ (ᾧ) τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *donec venerit* (cujus ſunt; nam ᾧ ſupplendum monet Mercerus) *quæ repoſita ei*; vel ut alii, ᾧ ἀπόκειται, *cui repoſitum eſt.* Alii שַׁי לוֹ *Munus ei*; ex eo quod legitur Pſalm. 76: 12. יוֹבִילוּ שַׁי לַמּוֹרָא *afferant munus tremendo.*

David Kimchi in radicibus *ad* שיל ſcribit שילה פירושו בנו

Mercerus. שילה. Radix eſt שָׁלָה, Pacificari, tranquillum, felicem, & fortunatum eſſe, ſalvum eſſe; & vox Latina ad Hebræam alludit. שלו enim ſignificat tranquillum, pacificum, qui ſalvus eſt. Quidam faciunt contrarium verbo שלל; quod ſpoliationem & detractionem notat, cum hoc ſit Bonis affluere, bonorum acceſſione frui, & proſpere habere. Errandi ſignificatio ex Syro ſermone eſt.

שילה ad formam כידר *acies*, Job. cap. 15: verſ. 24. ציגק *nervus*, vinculum, Jerem. cap. 29: verſ. 26. קיטור *fumus*, Geneſ. cap. 19: verſ. 28. קימוש *carduus*, Hoſ. cap. 9: verſ. 6.

Mercerus. Si שיל idem ſit cum שליה ſecundina, & שליל embryone, ego שילה adjectivè expoſuerim, quaſi embryo, aut embryoneus Meſſias dicatur, ob exigua & tenuia initia; ſicut & ob eandem cauſam in Prophetis צמח *Germen* vocatur. Ab exiguis enim initiis ad magna incrementa pervenit. Malim tamen cum aliis hoc epitheton à שלה deduci, ut ſonet tranquillum, proſperum, pacatum, felicem, auguſtum, victorem, cui omnia proſperè ſuccedant, devictâ morte, Satanâ, mundo, peccato, omnibus adverſariis poteſtatibus. Quidam recentiorum *Soſpitatorem*, ab effectu, verterunt, qui veram ſalutem & tranquillitatem ſolidam nobis pepererit & conciliârit.

Vatablus. שילה, id eſt, felicitas, ſive auctor felicitatis, & abundantiæ omnium rerum,

num, à verbo שלה, quod prosperè & feliciter agere significat, Christum, Salvatorem significat.

Kimchius ad Psalm. 45. ימות המשיח יהיו שלום. & in vers. 6. Psalm. 72. אם על מלך המשיח בימיו יהיה ישראל בהבטחה גדולה ובשלום אין כמוהו.

Schiloh non est civitas *Siloh*, quæ in terrâ Canaan. Jos. 22: ℣. 9. מִשִּׁלֹה אֲשֶׁר בְּאֶרֶץ כְּנַעַן in tribu Ephraim; in quâ tempore Josuæ collocatum *Tentorium conventus* &c. Jos. cap. 18: vers. 1. *Et congregati sunt omnis coetus filiorum Israël.* וַיִּקָּהֲלוּ שִׁלֹה וַיַּשְׁכִּינוּ שָׁם אֶת־אֹהֶל מוֹעֵד. de quâ Siloh est Psalm. 78: ℣. 60. וַיִּטֹּשׁ מִשְׁכַּן שִׁלוֹ אֹהֶל שִׁכֵּן בָּאָדָם. & Jerem. 7: 11. *Ite ad locum meum, qui in Schiloh, ubi feci habitare nomen meum in initio, & videte quid fecerim illi ob malitiam populi mei Israël.* ut supra ex Aben-Esra audivimus nonnullos interpretati. Nam 1. de *Sole* dicitur quidem, quod בָּא occidit, sed non de urbe. 2. Alienum est, inserere עַד. 3. Deberet dici תָּבוֹא. 4. Nec sceptrum ablatum est, nec legislator post occasum Siloh, sed cœpit potiùs esse plenius. 5. Res ipsa ostendit, de civitate sermonem non esse, sed de certâ personâ. וְלוֹ *& illi* viro Siloh, genere masculino, erit obedientia. 6. Imò nec unquam hoc modo populi Siloni urbi sunt obedientes facti.

Imò nec *Achijah* ille *propheta*, de quo 1 Reg. 11: 29. dicitur invenisse אֲחִיָּה הַשִּׁילֹנִי הַנָּבִיא Jeroboamum in via. Nam 1. aliud est *Siloh*, aliud *Achijah Siloni*. 2. Etsi post prophetiam Achijæ sceptrum cœpit recedere, tamen non *recessit* plenè & planè: imò legislator non recessit. Sub templo secundo potestas ejus ad summum crevit cacumen. 3. Nec huic Achijæ sunt populi facti obedientes.

Imò nec *Nebucadnezar*, ut Julianus Apostata finxit. Nam 1. etsi sub illo recessit sceptrum, non tamen recessit legislator, ita ut non redierit. 2. Nec illi facti sunt obedientes populi: regnum ejus in filio filii Belteschazaro occidit. 3. Nec illi nomen Siloh competit: multò minus veritas nominis. 4. Non hic tantus est, cujus debuerit Patriarcha Jacobus in solemni hac benedictione mentionem facere.

Schiloh non est Moses. 1. Non competit illi veritas nominis. 2. Non in illum quadrant prædicata. Imò nec *David*: ob easdem rationes.

Quis ergò est שִׁילֹה זה מלך המשיח Ita Talmud in Sanhedrin, cap. 11. & R. Salomoh; utrumque superius citatum. Qui in textu nostro *Schiloh* à Jacobo dictus est, idem in hâc benedictione venit sub nomine אִישׁ, שׁוֹר ℣. 6. יְשׁוּעָה ℣. 18. אֶבֶן יִשְׂרָאֵל, רֹעֶה; אֲבִיר יַעֲקֹב ℣. 24. & Gen. 47. *Angelus, qui redemit me ex omni malo.* Imò in Genesi dicitur *Semen mulieris.* Gen. 3: 15. *Semen Abrahæ.* Gen. 22 De illo Eva: *Acquisivi Virum, Dominum.* Gen. 4: 5. Lamech: *Hic consolabitur nos à laboribus nostris.* Genes. 5: 29. Hic Abraamo dixit: *Ego clypeus tuus.* Gen. 15: 1. Hunc vidit Abraam instar fornacis fumantis & tædæ igneæ transeuntem inter dissectarum pecudum frusta. Gen. 15: 17. Hunc Hagar vidit in deserto, apud fontem aquarum, in viâ Schur: hic cum illa locutus est: illius nomen Hagar vocavit אַתָּה אֵל רֳאִי. *Nam dixit.* הֲגַם הֲלֹם רָאִיתִי אַחֲרֵי רֹאִי. Genes. 16: 13. & puteum, apud quem vidit, בְּאֵר לַחַי רֹאִי ib. ℣. 14. Hic repræsentatus est Jacobo, cum tenderet in Charan, in specie *scalæ*, quæ posita erat in terrâ, & cujus caput pertingebat in cœlum. Genes. 28: 11. 12. Cum hoc luctatus est, apud vadum Jabbok. Genes. 32: 22 -- 30. Hic visus est Mosi in rubo ardente. Exod. 3. Hujus typus Manna è cœlo pluens. Exod. 16. & petra percussa. Exod. 17. Hic locutus est de monte Sinai. Hunc vidit Aharon, Nadab, Abihu, & 70 è Senioribus Israël Exod. 24. Hic Mosi dicitur *Angelus Iehovæ*, *Iehova*, Exod. 3. *Angelus.* Exod. 23: 20. *Propheta excitandus è medio fratrum Israëlis.* Deut. 18: 15. 18. *Rupes salutis.* Deut. 32: 15. De eo & Deut. 33: 2. 3. 4. De eo Bileam Num. 23: 21. *Dominus Deus cum*

illo, Israële, *& jubilatio Regis in illo: Deus ducens illum ex Ægypto, ut cornua Monocerotis illi.* & cap. 24: 17. *Et surget sceptrum ex Israële, & destruet omnes filios Sethi. Et dominabitur è Iacobo, & perdet superstitem decivitate.*

Dum *Schiloh* dicitur, indicatur, quòd pacem, ἀνάπαυσιν, tranquillitatem, requiem adducat. Nisi æternæ hujus salutis auctor essèt, nomen id portare non posset. Inde rursum concludere licet, nec Mosen, nec Davidem, nec hominem nudum, *Siloh* esse, aut in veritate dici posse. Nam ut Jehova est Justitia, Salus nostra, Redemtor noster; ita & Siloh noster. Hæc est *gloria ejus*, quam *alii non dat.* Es. 42: vers. 8. *Quis in fidem recipiat cor suum, ad accedendum ad me: inquit Dominus*, ut fungatur munere Siloh & tranquillatoris. Jerem. 30. vers. 21. *Vanum est à collibus* &c. *Certè in Domino Deo nostro Salus Israel.* Jerem. 3: vers. 23. *Frater redimendo haut redimet virum*, &c. Psal. 49:6. *Dominus redimet animam meam è manu inferni: nam assumet me.* Psalm. 49:16. *In Domino justitia & robur* &c. Es. 45: 23. 24. Potuit Josuas καταπαύειν Israëlem, Hebr. 4: 8. sed καταπαύσει tantùm σωματικῇ & φθαρτῇ. Siloh solus καταπαύει καταπαύσει πνευματικῇ καὶ μονίμῳ. Hinc licet Josuas κατέπαυσεν, tamen & de alio adhuc postea die sermo factus est. Hebr. 4: 8. Sunt quædam opera Dei, quæ potest facere per hominem. Per Mosen fecit signa in Ægypto; eduxit Israëlem ex Ægypto; duxit per mare rubrum; duxit in deserto. Per Josuam duxit per Jordanem; sorte distribuit terram Canaan. Sed opera salutis, justitiæ æternæ, quietis veræ, vitæ immortalis facit per se ipsum. Hæc si faceret per alium, à se diversum, *a se alienaret*; tumque dicere possent alii: *Manus nostra exaltata est; & non Iehova fecit omne hoc.* Deut. 32: vers. 27. Hinc dicitur: *Et salvabo illos in Domino Deo illorum.* Hos. cap. 1: vers. 6.

Et ut certò constet, non aliam Deitatis personam per *Siloh* intelligi, quàm secundam, quæ Filius est, animadvertamus 1. Quòd de Filio ubique dicitur τὸ *venire*, nasci, intrare in mundum, manifestari in carne. 2. Quòd ille est omnis pacis & *tranquillitatis* Auctor. Matth. 11: vers. 28. 29. quod *pacem* relinquit, dat. Joh. 14: vers. 27. Imò est εἰρήνη ἡμῶν. Ephes. 2: 14. confer Luc. 2: vers. 14. Imò & dicitur esse εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ. Col cap. 1: vers. 20. 3. Filius est, qui in plenitudine temporis, à Jacobo definiti, apparuit; cum *sceptrum recessisset*, & *legislator* adhuc esset; *& illi populi facti sunt obedientes.* 4. Es. cap. 9: vers. 5. *Filius datus nobis, Puer natus nobis* dicitur nominari שַׂר־שָׁלוֹם. quod æquipollet τῷ *Siloh.* & è Judæorum sententiâ *Pax* est beneficium singulare, quod Messiæ advenienti acceptum referri debet. Vide suprà Kimchium. 5. Qui est Redemtor, Mediator Dei hominumque, Fœdus nostrum, Lux nostra, Vita nostra, Causa salutis nostræ, qui factus est nobis à Deo sapientia, sanctificatio, justitia, redemtio; in quo mundum Deus reconciliavit secum, is certè *Siloh* est. Ergò Jesus Christus *Siloh* est, nec alius ullus. *Nomen nullum est datum sub cœlo & salus* ἐν ἄλλῳ οὐδενί. Act. 4: 12.

Considerandum nunc autem pluribus venit, quænam sit illa *pax*, *tranquillitas*, *requies*, *salus*, à quâ Messias *Schiloh* audit. 1. Est *Pax* cum *Deo.* Per peccatum offensus erat Deus homini: peccatum enim inimicitiam ponit Deum inter & hominem: *Est enim Deus, qui non delectatur malo.* Psalm. 5: 5. *Purus* est *oculis præ videre malum.* Habac. 1: 13. Nomen ejus est, *Visitans peccatum* &c. Exod. 34: 7. Hic Deus offensus per Christum nobiscum est reconciliatus, & amicus noster factus. Ita ut & Abraham & nos *Amici* ejus vocemur Jac. 2: 23. confer Rom. 5: 1. 10. Es. 27: 5. *Aut apprehendat arcem meam, faciat*

ciat pacem mecum; pacem faciat mecum. Et est ὑπὲρ ἡμῶν, imò Θεὸς ὁ δικαιῶν. Rom. 8:31.33. 2. Est *Pax* cum *conscientia* & *corde* nostro, ut ne condemnet nos. Si enim *condemnet nos cor nostrum, major est Deus corde nostro. Dilecti, si cor nostrum non condemnet nos, fiduciam habemus ad Deum.* 1 Joh. 3: 20.21. Accedere possumus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda à *conscientiâ malâ.* Hebr. 10: 22. Charitas enim Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Rom. 5: 5. Spiritus noster testatur, quòd sumus filii Dei, & illi attestatur Spiritus Dei. Rom. 8: 16. 3. Est *Pax* Israëlis & gentium; quos inter olim erat ἔχθρα. Eph. 2: 15. effectus illius אֵיבָה, quam Deus posuit serpentem inter & mulierem. Gen. 3: 15. Creati enim sunt ambo in unum novum hominem. Lex præceptorum in placitis, τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, abolita & soluta. Τὰ ἀμφότερα facta sunt ἕν. Pax nunciata καὶ τοῖς μακρὰν, καὶ τοῖς ἐγγύς: utrisque est προσαγωγὴ πρὸς τὸν Πατέρα &c. Eph. 2: 13--22. Hæc Pax constituit Abrahamum hæredem mundi; & gentes facit concives sanctorum, domesticos Dei, hæredes cœli; & obstaculum ingens adfert regno Diaboli. 4. Est *Pax* ab omnibus operibus; tum persecutionum in hoc mundo, tum molestiarum, à quibus ἀναπαύονται οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες. Apoc. 14: 13. 5. Est *Pax* ab operibus servitutis veteris legis, quæ grave jugum fuit. Hebr. 4: 10. & quies ad exemplum Dei, quiescentis ἀπὸ τῶν ἰδίων ἔργων. ibid. 6. Est *Pax* à morte & corruptione. Quamvis enim videamus διαφθορὰν, tamen hæreditabimus, & resurgendo intrabimus εἰς ἀφθαρσίαν. 1 Cor. 15: 13.

Pax & Tranquillitas hæc magno pretio adducta est. Ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς. 1 Cor. 6: 20. Omne argentum, aurum totius mundi non fuit sufficiens illam redimere: Solus sanguis pretiosus agni immaculati & inculpati Jesu Christi illam aptus natus fuit parere & adducere. *Prope facti estis in sanguine Jesu. inimicitiam* abolens *in carne.* Eph. 2: 13. 15. Et Pax hæc ita facta est, ut τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου *in nobis impleatur.* Rom. 8: 4.

In tranquillitate hac & pace nulla pars *improbis.* Es. 57: 20. hoc est, illis, qui in carne confidunt, justitiam propriam statuere satagunt, & in peccatis perdurant. *Mundus* pacem hanc nec *dat*, nec accipit. Joh. 14: 27.

Sed gaudent illâ omnes, qui peccata agnoscunt sua & deplorant, qui Diabolo valedicunt & mundo, quia justitiam Dei sitiunt, & regnum ejus quærunt; qui tenent fidem, spem, charitatem. Illis Messias est *Siloh*; nec ullis aliis.

Pax & tranquillitas hæc oblata est à Jesu omnibus venientibus ad ipsum, κοπιῶσι καὶ πεφορτισμένοις. Est non tam corporis, quàm animæ. Καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν. Matth. 11: 29. Illâ exstante dici fas est: Μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία, μηδὲ δειλιάτω. Joh. 14: 27. Qui illâ gaudent, debent tollere super se jugum Domini mansuetum, & onus ejus facile. Matth. 11: 30.

Pax hæc adducta est in sanguine Jesu: applicatur à Spiritu Jesu. Is enim de illâ certa facit corda nostra; & illa facit in quiete Deo incumbere.

Pax hæc summa omnium debet esse votorum. Ita Christus, *Pax vobis*; cùm introductus in habitabilem appareret rursum discipulis. Joh. 20: 21. 26. Ita Apostoli in initio ferè omnium Epistolarum. Rom. 1: 7. 1 Cor. 1: 1. Gal. 1: 3. 1 Petr. 1: 2. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη πληθυνθείη. Hanc etiamnum vobis apprecamur, dicentes è Phil. 4: 7. ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν καὶ τὰ νοήματα ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

Qui hac pace gaudent, sunt vocati, justificati, sanctificati, & certò glorificabuntur.

De hoc *Schiloh*, Jesu Christo, Messia, vaticinatur Patriarcha, quod *veniet*, יָבֹא כִּי־שִׁ.

Venire quis dicitur non uno modo. 1. Cùm quis corpus ſuum transfert è loco uno ad locum alium. Ita de *Regina Auſtri* dicitur, quod ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς, Matth. 12: 42. Et Chriſtus duobus diſcipulis rogantibus, πῦ μένεις? dicebat, ἔρχεσθε καὶ ἴδετε. Joh. 1: 37. 40. Hæc eſt ἔλευσις σωματικὴ. confer 1 Cor. 4: 19. ἐλεύσομαι δὲ ταχέως πρὸς ὑμᾶς, ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ. confer verſ. 18. ὡς μὴ ἐρχομένυ δέ μυ πρὸς ὑμᾶς, *inflati ſunt nonnulli.* Geneſ. 19: 1. *Et venerunt duo legati Sodomam veſpere.* 2. Cùm quis vota ſua, deſideria, cor, cogitationes alıorſum dirigit. *Ubi eſt theſaurus noſter, ibi cor noſtrum.* Matth. 6: 21. Ubi vota noſtra & cogitationes, ibi proprie eſt παρουσία noſtra. Ita Apoſtolus ἀπὼν τῷ σώματι erat παρὼν τῷ πνεύματι Corinthiis, & agebat ὡς παρὼν *ut præſens.* 1 Cor. 5: 3. confer verſ. 4. συναχθέντων ὑμῶν καὶ τῦ ἐμῦ πνεύματος. Hæc ἔλευσις eſt, ut ita dicam, πνευματικὴ. De tali adventu ſermo eſt Eſ. 45: 24. *In Domino juſtitia* עָדָיו יָבוֹא. Jerem. 16: 19. *Ad te gentes venient.* Pſalm. 86: 9. *Omnes gentes, quas feciſti, venient.* confer Apoc. 15: 4. πάντα τὰ ἔθνη ἥξυσι καὶ προσκυνήσυσιν ἐνώπιόν συ. adde Joh. 6: 35. ὁ ἐρχόμενος πρός με, ὐ μὴ πεινάσῃ. καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, ὐ μὴ διψήσῃ πώποτε. confer verſ. 44. *Nemo poteſt* ἐλθεῖν πρός με. & verſ. 37. *Omne quod dat mihi Pater,* πρὸς ἐμὲ ἥξει. καὶ τὸν ἐρχόμενον πρός με ὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω. Matth. 11: 28. Δεῦτε πρός με πάντες. Hagg. 2: 8. וּבָאוּ *& venient ad deſiderium omnium gentium.*

Sed nunc agendum nobis de *Adventu* Schiloh, magni verique Dei.

Deus dicitur *deſcendere* non uno modo, ita & *venire.*

Deſcendere. Geneſ. 11: 5. וַיֵּרֶד *Et deſcendit Dominus ad videndum civitatem, quam ædificàrant filii hominis.* confer verſ. 7. *Age deſcendamus & confundamus ibi labium illorum.* Gen. 18: 20. אֵרְדָה־נָּא *Deſcendam age & videbo, an ſecundum clamorem, qui venit ad me, fecerint,* Sodomitæ. Exod. 2: 8. וָאֵרֵד *& deſcendi* לְהַצִּילוֹ *è manu Ægyptiorum;* וּלְהַעֲלֹתוֹ &c. Hic *deſcenſus,* κατάβασις, non eſt propriè corporalis, ſed notat effectum quendam inſignem, quem Deus fecit & peregit ἐν τοῖς κατωτέροις μέρεσι: qualis eſt confuſio linguarum, everſio Sodomæ, eductio ex Ægypto.

Alius etiam *deſcenſus* Jehovæ Elohim notatur, Pſalm. 68: 19. עָלִיתָ לַמָּרוֹם, unde Paulus *deſcenſionem* colligit, Eph. 4: 9. Τὸ δὲ, ἀνέβη, τί ἐστιν εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον. & verſ. 10. Ὁ καταβὰς, αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβάς. de quâ Joh. 3: 13. *Nemo* ἀναβέβηκεν εἰς τὸν ὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τῦ ὐρανῦ καταβάς. Qui *deſcenſus* incarnationem ejus notat: ut & aſcenſio evectionem aſſumtæ carnis & tranſlationem glorioſam in cœlos.

Venire Dei quod attinet, Deut. 33: 2. *Dominus* בָּא מִסִּינַי ... וְאָתָה *venit è myriadibus* קֹדֶשׁ. Etiam Joſ. 5: 14. *Ego ſum Princeps exercitus Dei.* עַתָּה בָאתִי *nunc veni.* Sed hic adventus notat tantùm apparitionem Dei in Sina monte; & particularem illam, quæ facta Joſuæ; & propoſitum ejus ad implendam promiſſionem, factam Patribus, de danda in hæreditatem terra Canaan.

Alius *adventus* Dei paſſim in Prophetis notatur. Pſalm. 40: 8. *Tunc dixi. Ecce* בָאתִי *veni: in volumine libri ſcriptum eſt de me.* Habac. 2: 3. כִּי־בֹא יָבֹא *non tardabit.* Malach. 3: 1. *Subitò veniet Dominus, Angelus fœderis.* Zach. 9: 9. *Rex tuus* יָבוֹא לָךְ. Malach. 4: 4. *Antequam veniat dies Jehovæ.* Ezech. 21: 32. עַד־בֹּא *cujus eſt judicium, & dabo illud.* Zach. 2: 14. *Ecce ego venio.*

In hoc adventu conſideranda ſunt imprimis *quinque,* de quibus ordine.

Siloh dicitur non tantùm *deſcendere, venire,* ſed & *Oriri.* Mal. 4: 2. וְזָרְחָה *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ.* 2 Sam. 23: 3. *Et ut lucente matutino* יִזְרַח שָׁמֶשׁ.

Viſi-

Visitare. Psal. 8: 5. *Quid Filius hominis* כִּי תִפְקְדֶנּוּ. Luc. 1: 78. ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. confer Hos. 9:7. *Venerunt dies visitationis.* Mich. 7: 4. *Visitatio tua venit. Exire.* Mich. 5: 1. *Ex te exibit mihi.* confer Matth. 2: 6. ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος. Jer. 30: 20. *Et aderit magnificus ejus ex illo; & dominator ejus è medio ejus* יֵצֵא. Imò dicitur *Mitti.* Zach. 2: 14. Es. 48: 16. Es. 61: 1. Gal. 4: 4. & *Excitari.* Jer. 23: 5. *Excitabo Davidi semen justum.* confer Jer. 33: 15. 16. *In diebus illis* אַצְמִיחַ, *& in tempore hoc Davidi Germen justitiæ.* confer Hebr. 7: 14. ἀνατέταλκεν. Ita videmus verum Stephani verbum Act. 7: 52. *Prophetas antè nunciâsse* περὶ τῆς ἐλεύσεως τοῦ δικαίου.

Venit Siloh. Considera

1. *Unde? Exivi à Patre, & veni.* Joh. 16: 28. Est Filius *in sinu Patris.* Joh. 1: 18. Ergo è sinu Patris venit. *Deus* illum ἐξαπέστειλεν Gal. 4: 4. nimirum ἐκ τοῦ κόλπου αὐτοῦ. Dicitur ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Luc. 1: 78. quia ex alto originem habet. & ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ 1 Cor. 15: 47. quia è cœlo est. & ἄνωθεν ἔρχεσθαι, imò ἐκ τοῦ οὐρανοῦ Joh. 3: 31. & *esse panem,* τὸν καταβαίνοντα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Joh. 6: 33. confer vers. 50. *Hic est panis,* ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων. & vers. 51. *Ego sum panis vivus,* ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς. & non esse ἐκ τῶν κάτω, sed ἐκ τῶν ἄνω, & *non esse* ἐκ τοῦ κόσμου τούτου. Joh. 8: 23. Adde denique Psalm. 68: 18. *Ascendisti in altum.* Si ascendit, utique ex alto antea descendit. Ita exivit à Patre, & venit è cœlo, ut & manserit apud Patrem, & in cœlo. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui è cœlo descendit, Filius hominis,* ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Joh. 3: 13. Est enim Deus, *implens cœlum & terram.* Cum Deus hic verus & magnus dicitur *venisse* & *descendisse è cœlo,* intelligendum illud ἀξιοπρεπῶς, ne putes, Deum mutâsse locum, aut dereliquisse cœlum; sed ut docearis, illum Deum, qui ἐν τοῖς κατωτέροις μέρεσι τῆς γῆς ἐφάνη, è cœlo esse, in cœlo esse, idque illius esse habitaculum, solium, domum.

2. *Quò? Exivi à Patre,* καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον. Joh. 16: 28. ἦν τὸ φῶς ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Joh. 1: 9. ὅτι Χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον. 1 Tim. 1: 15. *Erat in mundo*: nam *mundus* δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Joh. 1: 10. & tamen in mundum venit; quia illam μορφὴν, quam ἔλαβε, *novam* in mundum introduxit, hoc est, quæ ante nec in rerum natura, nec in mundo fuerat. Humana enim illa forma, assumta à Christo, non fuit, antequam illam Christus assumsit. Cumque *mundus* & *cœlum* & *terram* in significationis suæ latitudine complectatur, quum Christus dicitur venisse in *mundum*, in specie *terra* intelligenda est, non infima, nec minima pars mundi: in quam *terram* ita venit, ut & in *inferiores ejus partes descendere* haut dedignatus sit. Eph. 4: 9. Ita ille, qui non est ἐκ τῆς γῆς, nec ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ. Joh. 3: 31. neque est χοϊκὸς, quemadmodum ὁ πρῶτος ἄνθρωπος. 1 Cor. 15: 47. in *terram* tamen venit. In hac terra in specie notatur *venisse* εἰς τὰ ἴδια *ad propria,* Joh. 1: 11. hoc est, in terram Canaan, quam *propriam* sibi longo ante tempore fecerat, illamque inhabitandam τοῖς ἰδίοις dederat, hoc est, populo illi, quem ex omnibus familiis terræ tantùm agnoverat. Cumque in terram veniens ex aliqua parte terræ necessariò primùm prodierit, & illa *pars* terræ, imò & *familia* terræ, notata est, ex qua prodiit. *Ex te Betlehem Ephratah exibit mihi.* Mich. 5: 1. *Non recedet sceptrum à Juda, donec veniat Siloh,* subintellige, è Juda. πρόδηλον γὰρ ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ Κύριος ἡμῶν. Hebr. 7: 14. In specie & id notatum, Messiam, qui in terram venit, venturum ad *Hierosolymam* & *Zionem. Rex tuus venit ad Te.* Zach. 9: 9. ut ita Hierosolyma vocaretur כִּסֵּא יְהוָה, Jer. 3: 17. & ut Zion *mons* domus Domini *aptaretur in capite montium, & efferretur* מִגְּבָעוֹת, Es. 2: 2. Imò & ad *Templum. Derepentè veniet ad templum suum Dominus ille.* Malach. 3: 3. *Quid dilecto meo in domo meâ?* Jerem. 11: 15. pro

quo

quo *templo* & zelavit. *Zelus domus tuæ comedit me.* Psalm. 69: 10. confer Joh. 2: 17. Ita, inquam, venturum ad Zionem, Templum, Hierosolymam, ut *salvaret*, hoc est, salutem annunciaret *tentoriis Judæ* בָּרִאשֹׁנָה Zach. 12: 7. adeoque *prius* veniret ad illa: imò & ut גְּלִיל הַגּוֹיִם *Galilæa gentium*, prima quasi videret *lucem* illam *magnam*, quam *viderunt sedentes in tenebris*. Es. 8: 23. 9: 1. unde & *Nazarenus vocatus* est Matth. 2: 23. Joh. 1: vers. 46. 47. & à multis erroneè judicatus, ἐκ τῆς Γαλιλαίας *surrexisse*. Joh. 7: vers. 52.

3. *Quando*? *Visio ad statutum est*: & יָפֵחַ *Præco in fine* scilicet visionis aderit. Habac. 2: 3. Per *visionem* intelligitur cultus ceremoniarum & figurarum à Mose institutus, qui non debuit durare in æternum, sed impositus tantùm fuit μέχρι καιρῦ διορθώσεως, Hebr. 9: 10. habuitque adeo suum מוֹעֵד condictum tempus & præfixum terminum. Cum *visione* jungitur נָבִיא *Propheta*. Dan. 9: 24. Sub *finem* igitur œconomiæ legalis adesse debuit Præco Messias. Tempus exaltandi montis Zion, quæ exaltatio facta, cum manifestatus est in Zion Dominus, dicitur אַחֲרִית הַיָּמִים *postremum dierum horum*. Es. 2: 2. Mich. 4: 1. & missi Filii Dei, τὸ πλήρωμα τῦ χρόνου. Gal. 4: 4. & ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τέτων. Hebr. 1: 1. Et *dies* illi vocantur יְמֵי הַפְּקֻדָּה, יְמֵי הַשִּׁלֻּם Hos. 9: 7. Imò *dies* ille, יוֹם יְהוָה הַגָּדוֹל וְהַנּוֹרָא Mal. 4: 5. ἡ ἡμέρα Κυρίου, ἡ μεγάλη καὶ ἐπιφανής. Act. 2: 20. adde Dan. 9: 26. *Et post septimanas sexaginta & duas.*

4. Μορφή, *Habitus*, *forma*, in qua venit. Venit *natus*. *Puer natus est nobis*. Es. 9: 5. *Virgo gravida facta est*, *& pepetit Filium*, *Immanuel*. Es. 7: 14. *Fœmina circumdedit* גָּבֶר. Jer. 31: 22. Id quod Esaias אוֹת *signum*, *dandum* à Domino, Jeremias, חֲדָשָׁה *rem novam*, *creandam* à Jehova *in terra*, dicit; & Agur, inter *tria* illa, *mirabilia præ illo*, & *quatuor*, quæ *non noverat*, numerat, דֶּרֶךְ גֶּבֶר בְּעַלְמָה. Prov. 30: 19. Venit *carnis* particeps. בְּשָׂרִי מֵהֶם *caro mea ex illis*. Hos. 9: 12. Ita nunc legemus secundum תִּקּוּן סוֹפְרִים. *Ecce ego & pueri*, Es. 8: 18. hoc est, quemadmodum illi κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, sic & ego παραπλησίως μετέχον τῶν αὐτῶν. Hebr. 2: 14. Ita *veniens* שָׁכַן *habitavit in medio nostri*. Zach. 2: 14. *Sermo caro factus*, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Joh. 1: 14. Venit *corpus* habens. *Aures perforâsti mihi*. Psalm. 40: 7. hoc est, explicante Paulo, *corpus aptâsti mihi*. Hebr. 10: 5. in corpore enim sunt aures, decorè è capite, præcipua corporis parte, enatæ. Quod corpus cum *templo* comparatur. Joh. 2: 19. λύσατε τὸν ναὸν τῦτον; & cum *sanctuario* וְהָיָה לְמִקְדָּשׁ. Es. 8: 14. In hoc corpore fuere *Viscera*. Psalm. 40: 9. *Lex tua* בְּתוֹךְ מֵעָי. Es. 16: 11. *Viscera mea ut cithara strepunt*. *Cor*. *Iustitiam tuam non abscondi* בְּתוֹךְ לִבִּי. Psalm. 40: 11. *Ideo lætatur* לִבִּי. Psalm. 16: 9. Psalm. 22: 15. *Exstitit* לִבִּי *ut cera*, *liquefactum* בְּתוֹךְ מֵעָי. *Anima*. *Non derelinques* נַפְשִׁי *animam meam in inferno*. Psalm. 16: 10. *Mens*. Psalm. 16: 9. יָגֵל כְּבוֹדִי. Mens *gloria* creaturæ rationalis est. adde Psal. 22: 21. *Eripe è gladio* נַפְשִׁי. *è manu canis* יְחִידָתִי. *Manus & pedes*. כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי Psalm. 22: 17. *Caput* cum *pilis*. *Invaluerunt* מִשַּׂעֲרוֹת ראשי *& cor meum dereliquit me*. Psalm. 40: 13. *Ossa*. Psalm. 22: 18. *Narrabo* כָּל־עַצְמוֹתָי. & vers. 15. *Dissipata sunt omnia ossa mea*. *Tergum*, *gena*, *facies*. Es. 50: 6. *Tergum dedi & maxillas*. *Faciem non abscondi*. *Posui faciem meam instar silicis*. *Os*. Es. 40: 5. *Os Domini locutum est*. Hoc corpus ex *utero matris* prodiit, & ubera suxit. Psalm. 22: 10. 11. *Tu eduxis me ex utero*; *facis me securum ad ubera matris*. *Ex utero matris meæ tu Dominus meus*. In illo fuit *sanguis*. Zach. 9: 11. בְּדַם־בְּרִיתֵךְ. *Calces*. Gen. 3: 16. *Punges illi* עָקֵב. In hoc corpore ὁ ἀόρατος factus est ὁρατός. Es. 52: 8. *Oculo ad oculum vident*, *Domino redeunte Zionem*. Ab assumto hoc corpore, illique inditâ animâ rationali, vocatur *Filius mulieris*.

Semen

Semen Abrahæ, fructus terræ. Es.4:℣.2. *Virga ex Isai, & surculus.* Es.11:1. יוֹנֵק *Stolo.* Es.53:2. בֵּית דָּוִיד. Zach.12:8. *Semen Davidis.* 2 Sam.7. Imò *Homo.* 1 Chronic.17:17. וּרְאִיתַנִי כְּתוֹר הָאָדָם הַמַּעֲלָה *& vidisti me, ut in serie hominis, qui supra est.* adde Psalm.8. *Quid est Filius hominis, ut visites illum?* Ab illâ est, quod non pudet illum nos *Fratres* vocare. Hebr. 2:11. Psalm.22:23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Quod Deus per sannam de *Adamo* dixit: *Ecce Adam exstitit,* כְּאַחַד מִמֶּנּוּ Genes. 3:vers.22. id nobis nunc licet secundùm veritatem dicere de *Deo*: *Ecce Deus factus est ut unus è nobis.* Quanta dignatio? *Quid est homo, ut recorderis ejus?* Psalm. 8: vers.5. confer Hebr. cap. 2: vers. 6. τί ἐστιν ἄνθρωπος, ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ. ἢ υἱὸς ἀνθρώπου, ὅτι ἐπισκέπτῃ αὐτόν.

Formæ hujus præterea *vilitatem* notavit Prophetia & *gloriam.*

Vilitatem. Es.52:14. *Obstupuerunt super te multi: sic corruptus præ viro aspectus ejus,* וְתֹאֲרוֹ *& forma ejus præ filiis hominum.* Es.53:2. *Non forma illi,* וְלֹא הָדָר *& non decus: & vidimus illum, & non erat aspectus, ut concupisceremus illum.* Zach.9:9. *Rex tuus venit: pauper & equitans in asino.* Dan.9:26. *Messias,* וְאֵין לוֹ. adde Es.53:3. *Spretus fuit, & non æstimavimus illum.* Hinc dicitur *spretus animâ, abominatio gentium,* Es.49:7. *Ego vermis, & non vir.* Psalm.22: vers. 7. Inde etiam fuit *contemtus & desertus à viris, vir dolorum, & cognitus infirmitate.* Es.53:3. exstitit *in petram offendiculi, & lapidem scandali.* Es.8:14.

Gloriam. Pulcherrimus es præ filiis hominum: effusa est gratia in labia tua. Psalm.45: vers.3. *Vidimus gloriam illius.* Joh.1:vers.14. *Domus David, ut Deus, ut Angelus Dei, ante illos.* Zach.12:8. *Manifestata est gloria Domini, & vidit omnis caro.* Es.40:vers.5. *Major fuit gloria domus secundæ.* Hag.2:9. *Radix Iesse. quies illius* כָּבוֹד Es.11:10. *Plena tota terra gloriâ ejus.* Es.6:3. *Dominum gloriæ crucifixerunt.* 1 Cor.2:7. confer Psalm. 24:6.

5. Ἔργον *opus,* ad quod faciendum venit. Joh.4:34. Ἐμὸν βρῶμά ἐστιν ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, καὶ τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον. Joh. 17:4. τὸ ἔργον ἐτελείωσα ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω. Hab. 1:5. פֹּעַל *opus molior in diebus vestris: non credetis, cum narrabitur.* adde Joh.5:17. *Pater meus* ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι. Psalm.40:9. *Ecce veni; ad faciendum beneplacitum tuum delector.* confer Hebr.10:9.

Opus hoc varias partes habet, in quarum nulla deficere aut deesse Silonem oportuit. Ita enim *decens fuit implere ipsum* πᾶσαν δικαιοσύνην. Matth.3:15.

Venit, ut *subjiceretur legi.* Psalm. 40:7. *Aures perfodisti mihi.* *Servorum*, qui nolebant manumitti, *perforabantur aures* בַּמַּרְצֵעַ: & tunc serviebant לְעֹלָם *in seculum.* Exod. 21:6. Ita & Filius *servus* factus est, in servitutem redactus elementorum mundi. Ephes. 4:3. Hinc & *servus* audit Es.49:3. *Et dixit mihi: Servus meus es tu.* & *servus* מֹשְׁלִים ibid. vers. 7. Et dicitur *minor factus præ diis*, Psalm. 8: 6. hoc est, *Angelis*, in quorum διαταγὰς lex accepta est. Act. 7:53. & hominibus, qui vocantur in textu nostro *Legislatores.* Nonne servus *legis* factus est, qui, prout natus est, secundùm legem *circumcisus est.* Luc.2:21. &, impletis diebus purificationis, ductus Hierosolymam, ut sisteretur Domino. ibid. ℣. 22. imò &, ut anno 12. ætatis, ita & sine dubio subinde postea, ad celebrandum festum τοῦ πάσχα? ibid. ℣.41. confer Gal.4:4. γενόμενος ὑπὸ νόμον.

Venit, ut *doceret*, loqueretur, testaretur. Es.61:12. *Misit me Dominus ad Evangelizandum mansuetis, ad obligandum fractos corde, ad consolandum omnes mœstos.* Es.50: 5. *Dominus Deus dedit mihi linguam eruditorum, ad sciendum, ad tempestivè loquendum cum*

B fesso

fesso verbum. Psal.45:3. *Effusa est gratia in labia tua.* Joël. 2:23. *Et filii Zion gaudete & hilaramini in Domino Deo vestro; nam dedit vobis Doctorem illum ad justitiam.* confer Psalm.40:10.11. Es.42:1-4. confer Deut.18:18. *Prophetam excitabo illu &c. verba mea.*

Venit, ut miraculis doctrinam confirmaret & auctoritatem sibi acquireret. *Dominus Deus venit cum robore, & brachium ipsius dominabitur ipsi.* Es.40:10.

Venit, ut *judicium* exerceret. Ezech.21:32. *Antequam veniat,* אֲשֶׁר־לוֹ הַמִּשְׁפָּט *& dabo illud.* Mal 4:6. *Ne veniam & percutiam terram anathemate.* Es.42:4. *Donec ponat in terra judicium.* Es.2:4. *Et judicabit inter gentes.* Ps.72:1. *Deus, judicia tua Regi da.* Ps.82:1. *In medio Deorum judicabit.* Jer.30:20. *Et faciet judicium & justitiam in terra.* Es.9:6. *Ad stabiliendum illud* regnum, *& fulciendum in judicio & justitia.* confer Joh.9:39. Εἰς κρίμα *in mundum veni.* adde Joh.5:22. *Pater* κρίνει *neminem, sed* τὴν κρίσιν πᾶσαν *dedit Filio.* confer vers. 27. *Et* ἐξουσίαν *dedit ipsi* καὶ κρίσιν ποιεῖν, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί.

Venit, ut *salvet.* Venit ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, 1 Tim.1:15. *In diebus ejus salvabitur Iehudah & Israel habitabit securè.* Jerem.30:20. *Aspicite ad me & salvamini omnes fines terra.* Es.45:22. *ad expiandum peccatum & ad adducendum justitiam, ad obsignandum visionem & Prophetam, & ad ungendum Sanctum Sanctorum.* Dan. 9:24.

Venit, ut *patiatur.* Es.63:1. *Quis est* זֶה *veniens ex Edom, fermentatus vestibus è Bozrah?* vers.2. *Quare ruber vestitus tuus, & vestes tua, ut calcantis torcular?* vers.3. *Torcular calcavi solus ego.* vers.4. *nam annus assertorum meorum venit.* Dan.4:26. *Messias exscindetur.* Es. 53:8. *Excisus est è terra viventium.* Gen.3:15. *Tu illi conteres calcaneum.* Quæ παθήματα Prophetæ scrutati sunt. 1 Petr.1:11.

Venit, ut accedat ad Deum, cum hostia & sacrificio, ut Sacerdos. Jerem.30: vers.20. *Et dominator illius,* cœtus, *Israël, è medio ejus exibit, & faciam illum accedere, & accedet ad me. Quis enim ille est, qui spondeat pro corde suo ad accedendum ad me.* Psal.110:4. *Iuravit Dominus, & non pœnitebit. Tu Sacerdos in seculum.*

Venit, ut exaltetur & regnet. Psalm.110:1. *Dominus dixit Domino meo: Sede ad dextram meam.* vers.7. *E torrente in via bibet: ideo efferet caput.* Es.42. *Ecce servus meus exaltabitur, elevabitur, & sublimis erit valde.* Ps. 8. *Honore & gloria coronasti eum.* Psal.2. *Et ego unxi Regem meum in Zione monte sancto meo.*

Denique id in adventu Siloh notatur, quod *venit* פִּתְאֹם *subito, repente.* Mal.3: vers.1. quemadmodum & Spiritus S. venit ἄφνω, Actor.2:2. & dies novissimus superveniet αἰφνίδιος, Luc.21:34.35.

Adventus hic Siloh totus mirabilis est. Ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. 1 Tim.3:16. Deum venire in carne, nasci è muliere, virgine, visitare filium hominis, assumere semen Abrahæ, hoc est, naturam humanam, pati, mori, ignominia affici, omnia alia miracula excedit.

Adventus hic præfiguratus est πάλαι, & ἀπ' ἀρχῆς. Ubi Deus visus est in rubo, Exod.3. visus in Sina monte, & sub ejus pedibus, ut opus pavimenti sapphirei, Exod.24. visus Esaiæ, indutus toga, cujus fimbriæ implebant totum templum, Es.6. Ezechieli, in *similitudine* כְּמַרְאֵה אָדָם Ezech.1. Quid omnis hæc visio nisi præmonstratio fuit formæ humanæ, visibilis & palpabilis, in qua Deus in fine dierum appariturus erat?

Adventus hic seriò & multo cum desiderio exspectatus est. *Salutem tuam exspecto Domine.* Gen.49:18. *Et exspectabo Dominum, & præstolabor illum.* Es.8:17. *Si tardet, præstolare illum.* Habac.2:3. A qua exspectatione sancti dicuntur *speculatores.* Mich.7:4. comparantur cum *gravidis & parturientibus* cum *dolore.* Apoc.12:1.2. & dicuntur οἱ ἀπεκδεχόμενοι

ἐν χριστῷ. Eph.1:12. conf. Luc.2:25. προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ. & ℣.38. Anna loquebatur de Jesu πᾶσι τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ. adde Act.26:6.7.

Adventus hic magni *gaudii* causa est. Zach.9:9. *Gaude, Zion, exulta Ierusalem. Ecce Rex tuus venit.* Joel.2. *Et filii Zion hilaramini & gaudete in Domino Deo vestro: nam dedit vobis Doctorem.* Es.40:9. *Super montem altum ascende tibi Euangelisatrix Zion; effer in robore vocem tuam; effer, ne time; dic civitatibus Iudæ: Ecce Deus vester.* Luc.2:10. *Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo,* &c. Ipse *Pater Abraam videns hanc diem* ἐχάρη *gavisus est.* Joh.8:56. Es.52:8. *Vox speculatorum tuorum; efferunt vocem, pariter jubilant: quia oculo in oculum vident.* Venit enim *Servator,* qui à peccatis salvat: *Rex,* qui ab hostibus protegit, & in salutarem ordinem redigit ἀτακτοῦντας: *Sacerdos,* qui captivatos redimit, maledictosque à maledictione liberat: *Propheta,* qui excœcatos illuminat, & ἀγνοοῦντας salvifica cognitione implet: *Medicus,* qui à morbis letalibus sanat. Venit αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου. Hebr.5:9. Venit ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας. Hebr.2:10. ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας. Hebr.3:vers.1. τῆς πίστεως τελειωτής. Hebr.12:2. ὁ ποιμὴν τῶν προβάτων ὁ μέγας. Hebr.13:20.

In hoc adventu mirare Dei 1. *charitatem. Ita dilexit mundum, ut dederit venire Filium.* Joh.3:16. 1 Joh.4:10. 2. *justitiam.* Ut bona ejus venirent ad nos, voluit ante venire Filium, qui illa acciperet in hominibus. 3. *veritatem.* Ab initio hunc adventum promiserat, quem nunc re ipsâ præstitit. 4. *sapientiam.*

Adventus hujus etiam cognoscenda *necessitas.* Decuit Christum pati; decuit illum venire, flagitante id æterno Dei consilio, promissionis verbo, justitiâ, lege.

Adventus hic certissimè ita factus est, ut nunciatus est. πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, 1 Tim. 1:15.

Adventus hujus ne culpes procrastinationem & tardam & seriorem & cunctantem adimpletionem. Venire enim decuit Filium, postquam satis & abundè, & in Judæis & in gentibus, demonstrata esset carnis corruptio, impotentia, legis infirmitas, maledictionis vis ac efficacia, adeoque omnis mundus de necessitate Messiæ venientis convictus esset eaque affecta.

Adventus hic excitet & in nobis amorem veniendi. Venit Dominus ad nos: Quidni & veniamus ad illum? Ille venit in nostram ignominiam: Veniamus & intremus in illius gloriam. Venienti olim occurrit populus, clamans, *Hosanna.* vide Matth.21:8.9. Joh. 12: vers.13. Occurramus & nos.

Adventus hic Messiæ ab alio & secundo & toto glorioso adventu excipietur, cujus *diem & horam Pater posuit* ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ, Act. 1:7. de quo Angeli: οὕτως ἐλεύσεται. Act. 1: vers.11. & de quo Enoch prophetavit: *Ecce venit Dominus* ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ. Jud. vers. 14.15. quem decet nos continuis expetere gemitibus. Ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ. Apoc.22:vers.20. confer 2 Petr.3:12. προσδοκῶντας καὶ σπεύδοντας τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ Θεοῦ ἡμέρας. Nam nunc ferè dicere possumus, ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ χριστοῦ; quia venit, quæ antecedere debuit, ἡ ἀποστασία, & dudum *revelatus est Homo peccati.* 2 Thess.2:3. nec superest, quam ut *veniat* Dominus, & consumat *improbum hunc spiritu oris, & aboleat* τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ. ibid. vers.8. & faciat intrare τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν; & totum servet Israëlem.

Concludamus. Unâ hâc voce, *Siloh veniet,* complexus est sanctissimus Patriarcha & Vates totam fidem Catholicam de Dei incarnatione, passione, gloria; de redemtione, reconciliatione, acquisitione sanctorum vocatorum. Veniet è cœlo: veniet in carne, in mun-

dum: veniet, ut moriatur, & pro peccatis victimam solvat: veniet, ut è morte resurgat, & in gloriam intret: veniet, ut maximis nos beneficiis cumulet, & in omni bono consummet. Jacob dicit, *Veniet*, quia venturus adhuc erat. Quod Jacob dicere non potuit, id nos nunc possumus, dicimusque, *Venit*. Sed de adventu futuro & nobis etiamnum dicendum est, *Veniet*. Quando venies Jesu, ut videamus faciem tuam, & liberemur à servitute corruptionis?

Adventus autem Siloh specificatus est à signis, 1. antecedentibus. 2. consequentibus.

Ante adventum Siloh debuit esse 1. שֵׁבֶט. 2. מְחֹקֵק. 3. Hoc sceptrum non debuit recedere à Juda, & legislator hic, donec veniret Siloh. 4. Legislator hic in specie describitur, quòd fuerit מִבֵּין רַגְלָיו *ex inter pedes*, sive ex eo, quod est inter pedes Judæ.

Vox שֵׁבֶט est *πολύσημον*, hoc est, variæ significationis. Significat enim

1. *Virgam* tenuiorem densioremve, qualis baculus. *Tenuiorem*. Prov. 23:12. *Cum percusseris eum*, filium seu puerum, בַּשֵּׁבֶט *virgâ, non morietur*. Prov. 22:19. *Stultitia ligata est in corde pueri*, שֵׁבֶט מוּסָר יַרְחִיקֶנָּה מִמֶּנּוּ *virga castigationis elongabit illam ex illo*. Prov. 13:24. *Cohibens* שִׁבְטוֹ *odit filium suum*. Prov. 29:15. שֵׁבֶט וְתוֹכַחַת יִתֵּן חָכְמָה. *Densiorem*. Exod. 21:20. *Cum quis percusserit servum aut ancillam suam* בַּשֵּׁבֶט *virgâ*, *& moriatur*. Et quia, qui virga ac baculo percutiuntur, in castigationem solent percuti, hinc שֵׁבֶט pro *castigatione* venit. 2 Sam. 7:10. *Et redarguam illud* semen, בְּשֵׁבֶט אֲנָשִׁים *virgâ hominum*. Job. 21:9. וְלֹא שֵׁבֶט אֱלוֹהַּ עֲלֵיהֶם. Thren. 3:1. בְּשֵׁבֶט עֶבְרָתוֹ. Es. 10:5. *Væ Assyrio* שֵׁבֶט אַפִּי. Psalm. 2:9. *Confringes eos* בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל.

2. *Sceptrum*, quale gerere solent imperantes & dominantes seu Reges. Psalm. 45:7. שֵׁבֶט מִישֹׁר שֵׁבֶט מַלְכוּתֶךָ. Es. 14:5. *Fregit Deus* מַטֵּה *improborum*, שֵׁבֶט מֹשְׁלִים. Ezech. 19: vers. 14. *Et non exstitit in vite illa* מַטֵּה עֹז שֵׁבֶט לִמְשׁוֹל. Amos. 1:5. *Exscindam* שֵׁבֶט *è Beth-Eden*. vers. 8. *Exscindam* תּוֹמֵךְ שֵׁבֶט *ex Ascalon*. Ezech. 21:19. שֵׁבֶט בְּנִי מֹאֶסֶת כָּל־עֵץ. Psalm. 128:3. *Nam non requiescet* שֵׁבֶט הָרֶשַׁע *sceptrum improbitatis super sorte justorum*. R. D. Kimchi. השופט והראש יקרא שבט *Iudex & caput vocatur* שֵׁבֶט: ita ille in 1 Chron: 17:6. adde Num. 24:17. וְקָם שֵׁבֶט מִיִּשְׂרָאֵל.

3. *Tribum* seu familiam, ex eodem progenitam patre, sicut plures virgæ ex eadem progerminant radice & stirpe. Jud. 21:3. לְהִפָּקֵד הַיּוֹם מִיִּשְׂרָאֵל שֵׁבֶט אֶחָד. 1 Reg. 11:11. שֵׁבֶט אֶחָד *dabo filio tuo*. Psalm. 78:68. *& elegit* אֶת־שֵׁבֶט יְהוּדָה *montem Zion, quem* אָהֵב. Psalm. 122:4. *Ierusalem urbs* שֶׁשָּׁם עָלוּ שְׁבָטִים שִׁבְטֵי־יָהּ. Psalm. 74:2. *Memento cœtus tui, quem acquisivisti* קֶּדֶם: *redemisti* שֵׁבֶט נַחֲלָתֶךָ. Exod. 24:4. *duodecim* שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל. Jos. 7:16. *Appropinquare fecit Israëlem* לִשְׁבָטָיו *secundum tribus suas*. Jerem. 10. vers. 16. *& Israël* שֵׁבֶט נַחֲלָתוֹ *virga, tribus hæreditatis ipsius*. In hisce locis accipitur vox שֵׁבֶט 1. *latissimè* pro *omni posteritate Iacobi*; ut in loco Jerem. 10:16. & Psalm. 74:2. 2. *communiter* pro *posteritate unius filiorum Iacobi*. Priori sensu dicitur: ויהיה שבט כלל לכל השבטים *& erit* שבט *comprehendens* generaliter complectens *omnes tribus*. Posteriori השבט גדול מהמשפחה *tribus major est, quam familia*. Sed præterea est, ubi vox שֵׁבֶט venit 3. *strictissime*, pro una privata *familia* alicujus *tribus*. In hunc sensum R. Levi ben Gerson inquit apud Buxtorfium de Sponsalibus & divortiis pag. 6. המטה או השבט יאמר על המשפחה. Voces *Matteh & Schebhet dicuntur de familia*. Ita Jud. 20:12: *Miserunt Tribus Israël homines* בְּכָל־שִׁבְטֵי בִנְיָמִן *per omnes tribus Benjamin*, hoc est, familias. 1 Sam. 9:21. *Annon Benjaminita ego ex minimis tribuum Israëlis, & familia mea exigua* מִכָּל־מִשְׁפְּחוֹת שִׁבְטֵי בִנְיָמִן. Num. 4:18.

Ne

Ne exscindatis אֶת־שֵׁבֶט מִשְׁפְּחֹת הַקְּהָתִי *tribum familiarum Cohatitarum è medio Levitarum.*

De hac significatione haut malè ita commentatus est Abarbenel in Legem fol. 122. col.
4. כל אלה שבטי ישראל שנים עשר הנה כלם היו שבטי ישראל שבטים יוצאים באותו גזע הנכבד
ובלם היו שלמים במעשיהם ולכן קראם שבטים :

Est & ubi שֵׁבֶט *calamum* notat *scriptorium.* Jud. 5: 14. *Ex Sebulon descenderunt* מֹשְׁכִים בְּשֵׁבֶט סֹפֵר *trahentes*, ducentes sive tractantes, *virgam*, stilum, *scribæ.* Targum קולמוס *calamus*, & Kimchi עט *stylus.* L X X. ἐν ῥάβδῳ διηγήσεως γραμματέως.

Imò ubi & *telum* seu spiculum. 2 Sam. 18: 14. *Et accepit* Joab שְׁלֹשָׁה שְׁבָטִים *in volam suam*, וַיִּתְקָעֵם *in cor Absolonis.* Kimchi חניתות היו *Lanceæ fuerunt.*

Denique & pro *fulcro* ac sustentaculo venire videtur nonnullis Psal. 23: 4. שִׁבְטְךָ וּמִשְׁעַנְתֶּךָ *virga tua & fulcimentum tuum, ista me consolabuntur.*

Vox יָסוּר notat *recedet.* Ita Num. 12: 10. *Et nubes* סָר מֵעַל הָאֹהֶל. 1 Sam. 28: 15. *Et Deus* סָר מֵעָלַי. 1 Sam. 16: 14. *Et Spiritus Domini* סָרָה *a Saule.* 2 Sam. 7: 15. *Et gratia mea* לֹא־יָסוּר מִמֶּנּוּ. Exod. 8: 29. וַיָּסַר *Et recessit* הֶעָרֹב *à Pharaone, & à servis & à populo ejus.* Es. 8: 11. וְסָרוּ *& recedent ranæ a te.* Adde denique Zach. 10: 11. וְהוּרַד גְּאוֹן אַשּׁוּר וְשֵׁבֶט מִצְרַיִם יָסוּר

Cum autem vox שֵׁבֶט ita variè veniat, etiam interpretatio hujus loci apud doctos variat.

Tremellius. Non desistet Tribus à Juda, neque Legislator è medio pedum ejus, usque dum
„ *venerit filius ejus, & sit ei obedientia populorum.* Et ita παραφράζει. Non prius Jehudæ ge-
„ nus confundetur, & distinctæ tribûs nomen amittet, neque prius regnum Dei ab eâ ad
„ alias gentes derivabitur, quàm ex se promissum humani generis Servatorem, qui lux est
„ gentium, genuerit. Nam cùm regnum decem tribuum diu ante captivitatem Babyloni-
„ cam planè dissipatum fuerit, & populus esse desierit, tribus tamen Jehuda divinâ provi-
„ dentiâ à reliquis distincta gente & religione mansit...... Denique post reditum à captivi-
„ tate mansit impermixta semper usque ad exhibitionem Christi. Eo autem exhibito planè
„ utrumque contigit.... tribus per Romanos abducta est, atque ita dissipata, ut ne Judæi
„ quidem ipsi possint eos, qui sunt tribus Jehudæ, à reliquis discernère. Jungunt enim sine
„ discrimine inter se connubia, & nulla est cura reservandi generis sui seriem distinctam, aut
„ ratio eam distinguendi.

Altingius in Schiloh, pag. 144. שבט *Tribus* est, distincta ab aliis tribubus ab eadem stirpe prognatis. Aquila Ponticus reddidit σκῆπτρον, & ita interpretatur. Σκῆπτρον δὲ ἡ φυλὴ ὀνομάζεται. *Sceptrum autem vocatur tribus.* Ita in Græco σκῆπτρον pro *tribu.* 1 Sam. 9: 21. 10: 19. 20. 21. 1 Reg. 11: 13. 32. 35. 36. 20: 20. 21. Et ita hîc reddendum probat *Altingius.* 1. Ab *usurpatione ipsiusmet Iacobi.* vers. 16. *Dan judicabit populum suum, uti ulla* שבטי ישראל. 2. Ab *epilogo*, qui est in fine benedictionis, vers. 28. כל אלה שבטי ישראל שנים עשר. 3. è *Iosepho*, ἀρχαιολογ. libr. 2. cap. 4. Jacobus, cum decimum septimum annum in Ægypto exegisset, inter manus filiorum vitam finivit, precatus eis prius prosperitatem & abundantiam, & vaticinatus, quod *singulorum posteri* in partem possessionis Chananææ terræ essent perventuri. *Altingius. Nullum hîc vestigium sceptri aut dominatus. Liquet, illum vocem* שבט *ubique de tribu intellexisse.*

Paraphrasis *Altingii.* p. 147. *Non recedet Tribus, id est, certa familiarum consanguinearum series à Iudâ, id est, ejus posteritate, donec venerit Siloh.* Sensus: *Posteritas Iudæ semper habebit familias distinctas, ab eadem stirpe non interrupta nec incerta serie descendentes, usque ad adventum Messiæ.*

Sed hanc quod attinet interpretationem, licet sensus illius haud sit malus, nec contra analogiam fidei pugnet, imò & veritas illius certa; usque ad adventum enim Messiæ genealogia tribus Iudæ certò constitit; inde cum certitudine dici potuit & ostendi, è *Iuda* Messiam *progerminâsse* Hebr. 7. id quod Matthæus cap. 1. & Lucas cap. 3. ostenderunt: tamen videtur modus hic loquendi insolitus, *Tribum recedere*: quinimo videtur potius dicendum fuisse, לא יסור vel לא יסוף שבט יהודה *Non recedet Tribus Iehudah.* Aut לא יחדל יהודה מהיות שבט *Non definet Iehuda esse Tribus.* Deinde *Sceptrum*, quod Judah tenuit, non adeo vile fuit, ut nulla ejus mentio à Jacobo fieret. Legislatoris, hoc est, Synedrii, meminit Jacob, & sceptri, hoc est, imperii regii, non meminerit? Denique nec commodè videtur dici, *Tribum non recedere à Iudah*, quum ipse Judah sit שֵׁבֶט.

Rationes *Altingii* quod attinet: Josephi Judæi locus generalis nimis est, quàm ut ex eo in specie probari possit, vocem שבט de *Tribu* esse sumendam. Et licet in hac ipsa benedictione Jacobi vox שבט pro *Tribu* veniat, haud tamen sequitur, & in hoc loco ita debere venire. Potest enim vox πολύσημος in una eademque oratione varia significare.

Si qui autem sunt, qui שבט de *Virga* sive castigatione explicent in hunc sensum: *Non recedet Virga*, hoc est, castigatio & afflictio à Judah, *usque dum* &c. illis respondendum erit

1. Fuit sæpè afflictio in Judah ante adventum Siloh: nimirum servitus in Ægypto; varia sors in Canaan; abductio & captivitas Babylonica: tamen & fuere tempora gaudii, tempora bona, plura præ malis: imò ipsa Messiæ tempora describuntur in Prophetis, quod bona & læta futura sint; ita ut reædificata sit urbs, ut reductus Populus, ut numero major factus præ Patribus, ut præ abundantia lac comedat & mel, ut hostes antè indomitos domuerit, ut jugum ab humeris excusserit. Ergo non vera esset Prophetiæ mens, hæc si esset: *Non recessuram virgam afflictionis à Iudah*; quandoquidem illam sæpius recessisse, imò non incubuisse Iudæ proximè ante Messiæ adventum, ostendimus.

2. Nec recessit virga à Iudah cum adventu Siloh; sed, postquam ille venerat, & rejectus fuerat, venit illa primùm, & gravius, quàm antea. Inobedientes enim Iudæi rejecti; & finis illorum fuit cum inundatione; & consummatio, eaque decisa, exstitit super illos: sub qua virga hunc usque in diem gemunt.

3. Nec responderent verba, nec congruitas sive harmonia esset in verbis Jacobi. Conjungeret enim, quæ disjuncta & diversa sunt: *Virgam*, hoc est, castigationem, & *Legislatorem*, hoc est, potestatem ac imperium. Imò regiminis Seniorum, quod minus fuit splendidum, meminisset, & regiminis regii, quod magis fuit splendidum, non meminisset?

4. Cùm conjunguntur שבט & מחקק, quis non illa, quatenus & inter se conjuncta sunt, intelliget, & utrumque de modo & forma imperii ac regiminis & superioritatis cujusdam?

Illa igitur interpretatio, *Non recedet sceptrum*, nobis videtur optima, & præ omnibus aliis tenenda. 1. Quia est verbis apta. Ut enim hìc dicitur, *Non recedet sceptrum à Iuda*, ita dicitur Zach. 10: 1. simili ferè phrasi; *Et sceptrum Ægypti recedet.* 2. Quia est *sensu commoda*; ut ostendemus. 3. Quia cum analogia & veritate rei convenit. 4. Quia nulla novitate est suspecta, sed antiquissima, longissimis temporibus recepta.

Sequentia autem docemur. 1. *Sceptrum* fore. 2. Sceptrum id fore *in Iuda*, Iudæ quasi prærogativam & eminentiam; ita in Iudah, ut & sit è Iuda, hoc est, ut prognati è tribu Iudæ id teneant. 3. Sceptrum id *recessurum*. 4. *Non* recessurum ante fixum tempus.

Re-

Regum ac imperantium est *ſceptra* ferre, coronas & diademata. Antigono vitio versum est, quod Διόνυσον Liberum Patrem πάντα μιμούμενος imposuerit capiti κισσὸν ἀντὶ καυσίας καὶ διαδήματος Μακεδονικοῦ, *hederam pro causia & diademate Macedonico*, θύρσον δὲ ἀντὶ σκήπτρου φέρων, *thyrsumque pro sceptro* gestare solitus, ut apud Herodianum habetur, libro 1. in initio. Thyrsus, hasta aculeata, hederis obtecta, quam in Orgiis Bacchicis quatiebant. Tacit. Rex Ahasuerus inclinavit ad Estheram שַׁרְבִיט הַזָּהָב אֲשֶׁר בְּיָדוֹ *sceptrum aureum, quod in manu ejus. Et attigit Esther* בְּרֹאשׁ הַשַּׁרְבִיט *in capite sceptri*. Esth. 5:2. Igitur vaticinatus est Patriarcha sceptri latores in Iuda exstituros, hoc est, Regem & regnum.

E quo populus exiit ex Ægypto, *Moses* fuit dux, caput & δικαστὴς judex populi, & τοῦτον ὁ Θεὸς ἄρχοντα καὶ λυτρωτὴν ἀπέστειλεν ἐν χειρὶ ἀγγέλου τοῦ ὀφθέντος αὐτῷ ἐν τῇ βάτῳ. Act. 7:35. confer Exod. 18:13. *Et sedit Moses ad judicandum* עָם: *& stetit populus coram Mose à mane usque ad vesperam.* Cumque soli ipsi *res* nimis *gravis* esset, elegit è populo, *& posuit super illos Principes millium, centum quinquaginta decem*, judicaturos כָּל־הַדָּבָר הַקָּטֹן, ut ita כָּל־הַדָּבָר הַגָּדוֹל ad Mosen tantum adduceretur. ibid. vers. 21. 22.

Hic Moses, licet magnâ in populo usus potestate, tamen Rex populi nunquam constitutus est, nec coronam ambiit, nec regale solium conscendit. Quod dicitur Deut. 33:5. *Et exstitit in Ieschurun* מֶלֶךְ *Rex*, non de *Mose*, qui *precepit nobis legem*, sed de ipso *Domino* Iehovah, qui & *è Sina venit, populos ulnis* amplexus est, & tandem *medios perambulavit pede suo*, hoc est, de Deo in carne manifestato, intelligendum est. Et licet Moses *Rex* dici posset, tamen in illo implementum haud est vaticinii hujus de *Sceptro* è *Iuda*. Nam Moses non è *Iuda* fuit, sed è *Levi*. Exod. 2:1.2.

Post *Mosen*, famulumque ejus *Iehosuam*, qui in locum quasi ejus successit, cui & *manus imposuit* Num. 27:15–23. de quo ibidem Dominus ad Mosen וְנָתַתָּה מֵהוֹדְךָ עָלָיו *ut audiant*, obediant, *omnis cœtus filiorum Israel*. ibid. vers. 20. excitavit Deus populo שֹׁפְטִים *Iudices*, qui *servárunt*, hoc est, liberarunt illum è manu hostium. Jud. 2:17. ad quos etiam filii Israel accesserunt לַמִּשְׁפָּט, ut de *Debora* dicitur Judic. 4:5. Hi Iudices aliquo modo *principatum* gesserunt. Ita dicitur de Abimelecho Iudice, וַיָּשַׂר *super Israëlem tres annos*. Judic. 9:22. & ibidem vers. 6. dicuntur domini Sichem, & omnis domus Millo *illum fecisse regnare in Regem* וַיַּמְלִיכוּ אֶת־אֲבִימֶלֶךְ לְמֶלֶךְ. Et Gideon Judex inquit: *Non* אֶמְשֹׁל *ego in vos, & non* יִמְשֹׁל *filius meus in vos, Iehova* יִמְשֹׁל *in vos*. Iudic. 8:23. Et Judic. 17:6. dicitur: *In diebus Micha non erat* מֶלֶךְ *in Israël*, confer Jud.c. 19:1. Et Absolon principatum ambiens, scribitur dixisse: *Quis ponet me Iudicem in terra?* 2 Sam. 15:4.

Attamen hi Judices *Reges* propriè non fuerunt: neque enim uncti sunt in Reges, aut coronati, nec filiis reliquerunt regnum; nec regiâ gavisi sunt majestate, etsi in nonnullis proximè accederent ad regiam gloriam. Dein nec illi fuerunt omnes è *Iuda*. *Barach* fuit è *Naphtali*. Iudic. 4:6. Gideon erat è *Menasseh*. Iud. 6:15. *Jephtah*, è *Gilead*. Iud. 11:1. de quo dicitur ibidem vers. 11. *Posuerunt illum populus super se* לְרֹאשׁ וּלְקָצִין. *Simson*, è *Dan*. Iud. 13:2. & sic de cæteris. Tales κριτὰς dedit Deus ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, 450. annis, usque ad *Samuelem Prophetam*, Judicum ultimum κἀκεῖθεν ᾐτήσαντο βασιλέα. Act. 13:19. 20. 21. Ergo κριταὶ non fuerunt βασιλεῖς. Fuerunt illi in universum, si Iosuas & Samuel adnumerentur, numero sedecim. 1. *Iosuas*, filius Nun. 2. *Otniel*, filius Kenas, frater Caleb הַקָּטֹן מִמֶּנּוּ. Iud. 3:9. 3. *Ehud*, filius Gera, filius Iemini. Iud. 3:15. 4. *Schamgar*, filius Anat. Iud. 3:31. 5. *Debora Prophetissa*, uxor *Lappidoth*. Iud. 4:5.

6. *Ba-*

6. *Barak*, filius Abinoam. Jud. 5: 12.15. 7. *Gideon*, qui & *Jerubaal*, filius Joas. Jud. 6: 11. 8. *Abimelech*, filius Gideon, è concubina. Jud. 8: 31. 9. *Tolah*, filius Puah, ex tribu Isaschar. Jud. 10: 1. 10. *Iair*, Gileadita. Jud. 10: 3. 11. *Jephtah*, filius meretricis. Jud. 11: 1. 12. *Ibzan*, è Bethlehem. Iud. 12: 8. 13. *Elon*, Sebulonita. Iud. 12: 11. 14. *Abdon*, filius Hillel, Pirhathoneus. Iud. 12: 13. 15. *Simson*, filius Manoæ. Iud. 13: 25. 16. *Eli*. 17. *Samuel*. Sed si Deborah & Barac pro uno supputentur, numerus non erit ultra 16.

Tempore Samuelis, inclinante ad finem ætate ejus, petierunt filii Israël *Regem*. *Da nobis Regem ad judicandum nos, ut omnes gentes*. 1 Sam. 8: 5.6. confer ibid. 18. 19. Hucusque *Israel per Prophetam eductus ex Ægypto, & per Prophetam custoditus*, & per Iudices rectus erat, Hos. 12: 14. Sed nunc pertæsus *aquarum Siloa leniter fluentium*, Es. 8: 6. & delectatus φρυάγματι regio, *Regem* petit. Fuit id *reprobare Deum*. 1 Sam. 8: 7. 1 Sam. 10: 18. & *malitia magna*. 1 Sam. 12: 7. *Cognoscite, quam magna fuit malitia vestra, ad petendum vobis Regem*. confer vers. 19. Adeò ut verum sit, quod Deus conqueritur Hos. 8: 4. *Illi fecerunt Regem, & non à me; Principes, & non fui conscius*, non auctor, nec jussi, nec approbavi. Neque enim verum est, nec probari potest è loco Deut. 17: 15. Deum Israëlitis mandâsse, ut prout in terram Canaan venissent, *Regem ponerent super se*, sed Deus illis exponit, qualem Regem debeant constituere, si eò aliquando delabantur, ut cogitationes forment de eligendo Rege כְּכָל הַגּוֹיִם.

Supervacua fuit petitio Regis illis, qui tam diu sine Rege, sub ductu solius Dei, res suas benè gesserant, & sub moderamine virorum, quos Deus subinde miserat. Volunt stulti *Regem* habere *ut gentes*, quæ erant abalienatæ ab illis, & illorum politiâ.

Imperium regium plurimis gentium perplacuit, statuentibus, non bonam esse πολυκοιρανίην; unum debere esse κοίρανον, quemadmodum unus in orbe tantùm est Sol. Unde & illud est antiquissimum. Iustin. lib. 1. *Principio rerum, gentium nationumque imperium penes Reges erat: quos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Populus nullus legibus tenebatur: arbitria Principum pro legibus erant*. Multi tamen etiam gentium Regium in populare mutârunt regimen. Romæ ejecti Tarquinii. Attici, postquam Tyrannus Pisistratus libertatem occupâsset, tristem flebant servitutem. Ita grave insuetis onus videbatur. Cato de *Eumene* Rege, Romanos visitante: τοῦτο τὸ ζῶον, ὁ βασιλεὺς σαρκοφάγον ἐστιν. Sine cæde enim & vulnere pauci descendunt Reges, & siccâ morte Tyranni. Cicero ad Atticum libr. x i i i. de Alexandro Magno. *Quid tu non vides ipsum illum Aristotelis discipulum, summo ingenio, summâ modestiâ, posteaquam Rex appellatus sit; superbum, crudelem, immoderatum fuisse?* Pleraque bella moventur à Regibus, sæpè eo tantùm fine, ut libidini satisfaciant. Ita luctuosæ strages hominum eduntur, qui tantâ curâ & labore ad staturam quandam & perfectionem adolescunt. Nam, ut Varro verè dixit, *vix decem mensibus duo homines unum edolatum reddunt puerum: sed puncto temporis hostica acies immanes acervos facit*.

Regem igitur cum Israëlitæ peterent, & eligerent δουλικῶς ἄρχεσθαι, *dedit illis Deus Saulum, filium Kis, virum è tribu Benjamin*, ἔτη τεσσαράκοντα. Actor. 13: 21. Minima tribuum *Regem* dedit. *Ego sum Saul è minimis tribuum Israël*. 1 Sam. 9: 21. *Unctus* fuit. *Annon te unxit Dominus super hereditatem suam in Principem?* 1 Sam. 10: 1. & in *Mizpah* etiam *sors* projecta super illum. 1 Sam. 10: 17 - 24. Denique in *Gilgal* secundâ vice *innovatum regnum* est. 1 Sam. 11: 15.

Hic Saul insigniter *peccavit*, inobedientiâ, crudelitate, defectione, ἀντιχειρίᾳ.

Ideò

Ideò & Deus *μεταστήσας αὐτὸν, ἤγειρεν αὐτοῖς τὸν Δαβὶδ εἰς βασιλέα.* Actor. 13:22.

David fuit τοῦ Ἰεσσαί. ibid. ætate omnibus fratribus minor. 1 Sam. 16:12. *Et dixit Dominus, Surge, unge illum,* כִּי־זֶה הוּא. Saulî initio factus *citharœdus* est. 1 Sam. 16:18-22. Dein illius *gener.* 1 Sam. 18: 17-28. Denique *successor.* Prius à solâ domo Juda receptus. 2 Sam. 2: 1-4. Deinde, elapso septennio & sex mensibus, 2 Sam. 2: 21. interfecto Isboseth, ab omnibus tribubus Israël. 2 Sam. 5: 1-4. 1 Chron. 11: 3. *Et unxerunt David in Regem super Israël,* Seniores Israël, qui venerant ad Davidem חֶבְרוֹנָה. De hoc Davide vaticinatus est Bileam Num. 24:17. *Procedit stella è Jacob: & destiget angulos Moab.* Ita sceptrum fuit & in Juda, & è Juda. XL annos regnavit. 1 Reg. 2: vers. 11. 1 Chron. 29: vers. 27.

Davidi successor datus *Solomoh*, filius Bathsebæ, vir sapientiæ insignis, sed & lapsibus insignis. *Fecit malum in oculis Domini, & non implevit post Dominum. Deflexit cor suum a Domino Deo Israël. Non observavit fœdus & statuta Domini.* 1 Reg. 11:4-11. Ideò in Salomonem *iratus Deus fissuram* sive lacerationem *regni* in pœnam peccati ipsi nunciari jussit: *non tamen id fore in diebus ejus.* Hæ sunt *plaga humana*, & *virga filiorum hominis.* 2 Sam. cap. 7: vers. 14. XL annos regnavit. 1 Reg. 11:42. 2 Chron. 9: vers. 30. Igitur post mortem illius laceratum Regnum est. Una tribus Juda adhæsit Rehabeamo, unà cum tribu Benjamin: reliquæ decem elegerunt *Ieroboamum filium Nebat.* 1 Reg. 11: 29-40. 2 Chron. 10: 1-19. Hic habemus initium *recessionis* sceptri à Judah.

Rehabeam Rex non Israëlis, sed Jehudæ, successores habuit *Abiam, Asam, Iehosaphatum, Ieboramum, Achasiam, Ataliam,* matrem Achasjæ, *Joasum, Amaziam, Asariam* seu *Ussam, Jotamum, Achasum, Hiskiam, Menassen, Amon, Josiam, Jehoachasum, Eljakimum* seu *Jehojakimum, Jehojach* in seu *Chonjahu, Zedekiam.* Fuere in universum Reges, unà cum Ataliah, *viginti*; regnarunt annos 393. menses 6. dies 10.

Menasseh ab Assyriis captus & Babelem abductus est. Sed postquam se humiliasset coram Deo, restitutus redditusque regno. *Jehoachas* à Pharaone Necoh victus & in Ægyptum translatus est: ubi & mortuus est. 2 Reg. 23:31-33. 2 Chron. 36:1-4. E manu Pharaonis accepit regnum *Eljakim*, frater Jehoachasi, cujus nomen victor Pharao voluit esse Johjakim. 2 Reg. 23:34. 2 Chron. 36:4. Sed & ille anno regni tertio *servus* factus est Regis Babel. Dan. 1:1. Sed expertus, quam gravis sit casus in servitium de regno, interjectis tribus annis *rebellavit*, 2 Reg. 24:1. tuncque *ligatus compedibus* duci debuit *Babelem*, quò tamen non venisse, sed in via mortuus esse videtur. 2 Chron. 36:6. Jer. 22:18. 19. *Jechonias*, filius Jehojakim, regni post parentem potitus est. 2 Reg. 24:6. Sed factum illud haut à Deo comprobatum brevitate apparuit imperii. Nam postquam *tribus mensibus, decemque diebus* regnasset, sponte se Regi Babel dedidit; & Babelem deportatus, ac diuturno multatus carcere fuit. 2 Reg. 25:27-30. Rex Nebucadnezar reliquiis Judæorum, quas non abduxerat cum Jechoniah, patruum illius, *Zedekiam*, Regem constituit. Sed ille rebellans in Regem Babel, in Hierosolyma obsessus, postea captus est, oculis privatus, Babelemque abductus, filiis ejus omnibus ante oculos ejus mactatis; templumque flammis consumtum. 2 Reg. cap. 25.

Post abductum Zedekiam *reliquiis* de populo infimis אֲשֶׁר אֵין לָהֶם מְאוּמָה præfecit Nebucadnezar *Gedaliam*, filium Achikam, absque insigni tamen regio & imperii nomine. *Paucis enim praeesse & calamitosis nulla dignitas erat:* Sulpitii verba. Habitavit ille in *Mitzpah,*

pah, ubi inopinanter non ita diu post ab *Ismaële*, viro *regii generis*, dolosè & malitiosè interfectus est, unà cum Judæis & Chaldæis, qui ipsi aderant. Inde fuga reliquorum Judæorum in Ægyptum, contra Dei consilium. 2 Reg. 25:24.25.26. Jerem. 41: 17.18. Ita nunc planè & omnino *recessit sceptrum à Juda*. Omnis periodus regni Judaïci est annorum 513. Regnum hoc incepit 800. annos post pronunciatum Jacobi vaticinium: desiit 600. circiter annis ante Silonis adventum.

Casus hujus regni potentis & splendidi doceat nos,

1. Omnium humanarum rerum fragilitatem & inconstantiam. Maxima quæque imperia labuntur & corruunt. Quatuor monarchiæ Danieli visæ lapsæ sunt: una aliam attrivit. *Caput aureum*; regnum Nebucadnezaris. *Pectus & brachia argentea*; regnum Persarum & Medorum. *Viscera & latus ænea*; regnum Macedonum & Græcorum, ducumque Alexandri, Lagidarum, & Seleucidarum. *Crura ferrea*; Romanum Imperium, unà cum duplici sede, Roma & Byzantio, quæ *nova Roma* dicta fuit: hæc crura ferrea mutata quasi sunt in *pedes* partim *testaceos*, partim *ferreos*: quo notatur validitas & invaliditas hujus imperii & mixtura: & divisio. Hanc imaginem percussit super pedes ferreos & testaceos ac comminuit *lapis excisus è monte*, implens totam terram, factus in *montem magnum* ipse. Dan. 2:31-45. confer Dan. 8: 3. *Aries unus*, וְלוֹ קְרָנַיִם, *unum altius alio*, *& altius ascendens posterius*. Dein *hircus caprarum*, *qui habuit* קֶרֶן חָזוּת בֵּין עֵינָיו, *percussit arietem*, *& fregit duo cornua ejus*, *& projecit ac conculcavit*, & ipsum *hoc cornu magnum fractum est* כְּעָצְמוֹ; *& ascenderunt species quatuor pro illo*, *secundum quatuor ventos cælorum*. Dan. 8:4-8.

2. Peccati turpitudinem. Punit illud Deus etiam ad jacturam rerum pretiosissimarum in populo electo. Peccata sunt causa interitus regnorum: ut primi mundi.

3. Terminum omnibus rebus præstitutum & fixum; etiam regnis. Non *recedet*, *usque dum veniat*. confer Act. 17:26. Ita & vitæ hominis termini fixi sunt, & dies numerati.

Igitur sceptrum recessit ante adventum Siloh; & sic debuit. Cum enim venit *Siloh*, sceptrum nullum in Juda & domo David esse debuit. 2 Sam. 23:5. *Salus mea* erit, cum *non germinabit domus mea*. Es. 11:1: *Et exibit virga ex stipite Jesse*. Amos. 9:26. *Erigam tugurium Davidis lapsum*. Ezech. 21:31. *Remove cidarim*, *aufer coronam*. זאת לא זאת *humilem exaltabo*, *altam humiliabo*. *Corruptam*, *corruptam*, *corruptam ponam illam*, *usque dum veniat Is cujus est judicium*, *& dabo illud*.

Ita congruenter fieri potuit, quod, si familia Davidica in flore mansisset, non potuisset fieri congruenter, ut Christus nasceretur humilis, *pauper*, *spretus*, *ignotus*, morte notandus ignominiosa. Christus, haut de hoc mundo Rex, de gloria regni mundani participare non debuit. Participâsset autem, si è florente familia Regia prodiisset. Excepisset illum ἡ βασίλειος πόρφυρας; fuisset natus & educatus ἐν τοῖς βασιλείοις; non tetigissent illum ἰδιωτικὰ σπάργανα; ὁμῶς vidisset illum ἥλιος ἄνθρωπον καὶ βασιλέα. Ideo cadere debuit domus, ut pauper inde prodiret Jesus.

Et hîc admiranda venit sapientia Dei & prudentissima omnium rerum directio. Domus Davidica regio exuta est splendore, ob multiplicia peccata. Ita factum, ut, quod fieri debuit, Jesus in paupertate & insigni ταπεινώσει oriretur ex illa. Ergo simul judicia hic vides impleta Dei; simul viam stratam contemtibilis ac humillimæ apparitionis Jesu Christi. Remotio sceptri occisio fuit & medium implendi de Jesu paupertate vaticinii. Potuit familia Davidica humiliari, nec ex illa Christus prodire: non potuit pauper ex illa prodire, nisi humilia-

ta

ta eſſet. Ergo debuit humiliari, ut & pro peccatis ſuis lueret, & Meſſias ex illius medio humilis & vilis prodiret. Similia alia animadvertamus. Cæſar Auguſtus edixit, ut deſcriberetur habitabilis. Quilibet debuit vi illius edicti πορεύεσθαι εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. Ergo & Maria ἐπίκληρος ſe ſiſtere *Betleemum*, quia erat ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβίδ. Luc. 2:4. Nunc & Meſſias debuit *exire ex Betleem*. Mich. 5:1. Ita ergo providentia Dei mirabiliter curavit, ut Maria coacta aliundè, & ob aliud negotium Betleemum peteret, & ſimul ut voluntati Dei, quæ partum Meſſiæ olim ad hanc urbem determinaverat, ſatisfaceret. Adiit Betleemum virgo, ob Cæſaris mandatum: & ita implet, pariens ſibi puerum, Dei decretum. Nebucadnezar familiam Davidis humilians, Auguſtus omnem orbem deſcribens, & ſic jubens ire Mariam Betleemum, uterque neſcius aliud cogitans & agens Dei decreto & propoſito famulatus eſt.

Poſtquam captivitas Babylonica deſiit, (cujus conſummationi 70 anni deſtinati erant, Dan. 9:1.2. Jerem. 29:10. *Sic dicit Dominus, ut impleti fuerint Babyloni 70 anni, viſitabo vos, ad reducendum vos ad locum hunc.*) & populus in terram reductus eſt, etiam familia Davidica illuc rediit. Sed ad regnum non rediit. Neque enim fuit in familia illa *virga roboris, & ſceptrum ad dominandum*. Ezech. 19:12. Impleri debuit verbum Jechoniæ dictum: *Non proſperabitur de ſemine ejus vir ſedens in ſolio Davidis, & dominans in Juda.* Jerem. 22:30. *Serubabel filius Schealtiel*, (remotiore gradu; fuit enim filius *Pedaje*, fratris Salatielis, 1 Chron. 3:17.18.19.) qui Babyloniis aulico nomine videtur dictus *Sesbazar* Eſr. 1:8. ut Daniel *Belteſchatzar*, dicitur fuiſſe quidem פַּחַה ſeu פֶּחָה Eſr. 5:14. hoc eſt, ἐθνάρχης, præſes populi. Item נָשִׂיא *princeps Juda* Eſr. 1:8. & תִּרְשָׁתָא Eſr. 2:63. (à רְשָׁה unde רְשִׁיון ἐξουσία *facultas* Eſr. 3:7. כְּרִשְׁיוֹן *ſecundum facultatem* Cyri *collatam illis*) non tamen conſtitutus aut inſignitus unquam *Rex* eſt. Noluerunt Reges Babel & Perſiæ omnem deeſſe dignitatem magnorum regum poſteris: ideo *Principis* titulo gaudere illos licuit; & à regio tantùm abſtinere debuerunt. Jechonias ipſe antea Rex, à Rege Babel exaltatus fuit. Sesbazarem Cyrus פֶּחָה שָׂמֵהּ Eſr. 5:14. Fuit ergo etiam omnis illorum poteſtas delegata & permiſſa à Rege Cyro. Igitur fuit quidem *Serubabel* Princeps & ſummus *Præſes* populi: nec officium ejus *politicam* tantùm ſpectaſſe videtur, ſed & *Eccleſiam*: legitur enim à ſacerdotio removiſſe Sacerdotes quoſdam ἀγενεαλογήτους Eſr. 2:62.63. & curæ illius demandata fuiſſe vaſa templi Eſr. 1:℣. 8.11. 5:14.15. & illius juſſu ac nomine Altare exſtructum & templum fundatum Eſr. cap. 3: verſ. 8. 10. & conſummatum eſſe. Zach. cap. 4: verſ. 9.

De hoc *Serubabele* narrat Joſephus, illum fuiſſe Darii Hyſtaſpis veterem amicum, & ab illo, cum regnum adeptus eſſet, cuſtodem corporis cum aliis duobus electum; Regemque, cum aliquando noctem tranſigeret inſomnem, tres hos rogaſſe cuſtodes. Primum, εἰ ὁ οἶνος ὑπερέχοι. Secundum, εἰ οἱ βασιλεῖς. Tertium, Serubabelem, εἰ αἱ γυναῖκες, ἢ τούτων μᾶλλον ἡ ἀλήθεια. Commodam autem Serubabelis reſponſionem tam vehementer Dario placuiſſe, ut Serubabeli omnia, quæ de ædificanda petierat urbe & ſanctuario, conceſſerit.

Poſteri hujus *Serubabelis* narrantur *Abiud*, *Eljakim*, *Azor*, &c. in genealogia recitata à Matth. cap. 1:℣. 13.14. ex quibus tandem deſcendit *Ioſeph*, vir *Mariæ* virginis, *è qua natus eſt Ieſus, qui dictus eſt Chriſtus.* Matth. 1:16. Hic Joſeph fuit infimæ ſortis homo, faber, Matth. 13:55. οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός? unde & Chriſtus ipſe audiit τέκτων. Marc. 6:3. οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς Μαρίας. Sententia in Euripide exſtat: τέκτων γὰρ ὢν

ἐπεχείρησες ἢ ξυλεργικὰ tractasti, faber qui esses, haut fabrilia. In Josepho id ita fuit. nim. fecit ξυλεργικά. Maria etiam è familia David *τὴν ταπείνωσιν humilem statum suum* fatetur Luc. 1:48. Unde colligitur, ad quam vilitatem posteritas Davidis succedentibus temporibus, secundo stante templo, delapsa sit. Adeo omne sceptrum & omne decus regium a Juda, & familia Davidis, quæ è Juda, recessit, ut posteri nil planè regii tenuerint, imò quo discerni potuerint ab infimis.

Cum itaque sceptrum à Juda recessisset in captivitate Babylonica, nec post illam ad Judam & familiam Jesse rediisset, tamen sciendum, aliud sceptrum, aliamque coronam ortam esse, quæ aliquamdiu Judæos obumbravit & protexit.

Sublato Persarum imperio, sub quo exierunt è captivitate Babel, & reædificarunt urbem ac templum, & recuperarunt politiam, suoque modo *αὐτονομίαν*, Judæi cum ipsis Persis in ditionem Alexandri Magni venere, diuque in potestate Macedonici imperii subjecti regno Syriæ fuere. Justinus lib. 36. 3. Huic regno cum per artes nequitiosas admotus esset *Antiochus*, frater Regis *Seleuci*, excluso filio ejus *Demetrio*, cui jure regnum debebatur, *Antiochus*, inquam, Syris cognominatus *Epiphanes*, aliis verò *Epimanes*, homo in Sacris dictus נִבְזֶה *spretus* seu vilis, contemtibilis, levis, futilis, cui *non tribuerant majestatem regiam*, & *qui venit in tranquillitate*, & *occupavit regnum per blanditias*, tutoris nimirum nomine, Dan. 11:21. *is cor* suum deflexit *contra fœdus sanctum*, Dan. 11:28. & *indignatus est contra illud*, vers. 30. *animum advertit*, hoc est, æstimavit & promovit, *ad desertores fœderis sancti*. ỽ. 30. Illo curante *Sanctuarium profanatum est, juge ablatum, & abominatio desolans data*. ỽ. 31. & *populus sanctorum perditus est*. Dan. 8:24.

Hâc sævitiâ Antiochi flagrante extulit caput *Matathias* quidam, Hierosolymitanus Sacerdos, è familia *Joaribi*, (de qua vide 1 Chron. 24:7.) habitans illo tempore in oppido *Modi*, *vico* juxta Diospolin. Quinque illi erant filii. 1. *Johannes*. 2. *Simon*. 3. *Judas*, cognominatus *Maccabæus*. 4. *Eleazar*. 5. *Ionathan*. A Juda *Maccabæo* dicti omnes *Maccabæi* sunt; vel quia Judas ætate fuit omnibus superior, vel quia præcelluit virtute & robore. Pater verò *Matathias*, etiam *Asmonæi* filius dictus est. Josephus libr. 12. Antiq. cap. 8. υἱὸς Ἰωάννου, τοῦ Συμεῶνος, τοῦ Ἀσαμωναίου. Inde posteri illius etiam *Assamonæi* dicti.

Igitur hic Matathias Regi Antiocho se opposuit; Præfectum Regium, *Apellem* trucidavit; denique cum suis in montes fugit, cum *Asidæis*, viris religiosis, qui per arma tueri Legem decreverant, societatem junxit. Tandem autem, postquam annum unum miseræ & exulanti præfuisset turbæ, mortuus est.

Judas, Patris successor, strenuè pariter egit. Exercitus potentissimos, quos *Antiochus* sub diversis ducibus, Lysia, Gorgio, Nicanore, Ptolemæo, Timotheo, Bachide, in illum subinde misit, fugavit & repulit. Templum & civitatem Hierosolymam, excepta arce Sionis, recepit, & mundato sanctuario, sacrificiorum usum rursus introduxit. Hic Judas Legatos Romam misit, suo, fratrum & Reipublicæ Judæorum nomine, societatemque cum Romanis iniit. Sed & ipse anno *sexto*, ab excessu *Mattathiæ* Patris, in prælio contra Bachidem, cecidit; & post mortem ejus maxima in Israële afflictio exstitit.

De hoc fœdere inito cum Romanis ita habet Justinus libr. 36:3. *A Demetrio cum descivissent*, Judæi, *amicitiâ Romanorum petitâ, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus*.

In locum cæsi Judæ *Ionathan* frater electus est. Hic, victo Bacchide & sublato ex Israële bello, *judicavit* populum. Alexander Rex illum *summum* constituit *Sacerdotem*, Ami-

cum

cum suum illum declaravit, imò & *purpuram* ei misit ac *coronam auream*. Etiam hic *Jonathan* Legatos Romam misit, qui societatem, cum Juda fratre initam, renovarent: ut & factum est. Denique ipse à *Tryphone*, procuratore Regis *Antiochi*, Ptolemaïdem invitatus, dolose interfectus est, superstes Judæ annos septendecim, & Pontificatu summo functus annos novem.

Loco Jonathanis dux electus est *Simon* frater illius; cum quo Romani per literas pactam cum fratribus amicitiam renovarunt, Amicum, socium, & fratrem illum appellantes. Demetrius Rex *Principatum* confirmavit Simoni, & ita ad illum scripsit: *Rex Demetrius, Simoni Pontifici & amico Regum, & Senioribus, gentique Judæorum, Salutem.* Etiam tributa omnia illi remisit. Ab illo tempore cœpit populus in syngraphis & contractibus scribere: *Anno primo, Simone Pontifice magno, & Stratego ac Duce Judæorum.* Anno tertio Pontificatus Simonis, in congregatione magna Sacerdotum & populi principumque gentis & seniorum, Scriptura publica est edita, in qua *jura majestatis* ipsi & posteris concessa, ut esset eorum *Imperator*, & summus *Pontifex*, utque obediretur ei ab omnibus. Placuit igitur Simoni, Pontificatu fungi, esseque Imperatorem, & Ethnarcham Judæorum ac Sacerdotum. Sed & ille, cum annis tantùm octo præfuisset, insidiis generi sui *Ptolemæi* interfectus est.

Successit tunc *Johannes Hyrcanus*, filius Simonis. Quamvis anno illius primo Rex *Antiochus Sedetes* urbem Hierosolymam vi cepit, muros ejus destruxit, Hyrcanumque coëgit arma omnia tradere, obsides dare, inter quos frater Hyrcani: de quo ita Justinus libr. 36:1. *Antiochus Judæos, qui in imperio Macedonico sub Demetrio Patre*, (adde & Fratre) *armis se in libertatem vindicaverant, subigit.* Tamen cæso à Parthis *Antiocho*, defecit à Macedonibus *Hyrcanus*, & ad urbes Syriæ exercitum duxit, & multas cepit. Justinus testis est libr. 36:1. *Post Antiochum Judæi nullum Macedonum Regem tulerunt, domesticisque imperiis usi, Syriam magnis bellis infestaverunt.* Strabo libr. 16. *Syria & Phœnicia non pauca subegerunt.* Cepit etiam Hyrcanus *Sicima* & *Garizim*; multas etiam urbes Idumææ, Adoram & Marissam; Idumæosque coëgit, ut circumciderentur. Ita *Edom facta hereditas* Israelis, ut Bileam prædixerat. Functus est Sacerdotio & Principatu Hyrcanus annos viginti novem.

Post illum filius natu maximus *Judas*, alio nomine dictus *Aristobulus*, Principatum simul & Pontificatum per *unum* tantùm annum obtinuit: & Principatum, imposito diademate, in *Regni* formam transtulit. Hic fratrem *Antigonum*, licet initio in societatem regni assumtum, falsa motus suspicione, postea interfecit. *Matrem*, quam Hyrcanus Pater dominam rerum reliquerat, fame necavit in vinculis: reliquos tres fratres custodiæ tradidit.

Illo igitur fatis functo, *Alexander Jannæus*, unus è tribus fratribus, Rex constitutus est. Hic Jannæus res præclaras gessit, urbes plurimas cepit, cumque 27. annos regnasset, mortuus est, relictis duobus filiis *Hyrcano* & *Aristobulo*. Regni autem administrationem *Alexandræ* conjugi commisit.

Alexandra, Jannæi conjux, *novem annis* regno functa est; ita autem, ut regni quidem nomen penes illam esset, exercitium autem & auctoritas penes *Pharisæos*; è quorum secta etiam Rex Johannes Hyrcanus fuerat: qui tamen ob offensam, à Pharisæis acceptam, ad Sadducæos transiit.

Mortuâ Alexandrâ regnum adeptus est major natu filius *Hyrcanus*. Sed elapsis tribus mensibus à fratre *Aristobulo* regno pulsus est. Dein cessit solemni fœdere regno & summo

ſacerdotio. Utrumque uſurpavit Ariſtobulus annis tribus. Ita rebus ſtantibus induxit *Antipater*, Idumæus, Pater *Herodis* Regis, ſub quo Chriſtus natus, Hyrcani partibus ſtudens, *Aretam* Arabiæ Regem, ut Hyrcanum in regnum rurſum induceret. Victus prœlio Ariſtobulus confugit Hieroſolymam, & ab Areta oppugnatus eſt in templo. Tandem ad componendam litem advocatus eſt *Pompejus*, Romani exercitus dux, tunc Damaſci agens. Hic Ariſtobulum cuſtodiæ tradidit, templumque à factione Ariſtobuli occupatum, vi expugnavit. Hyrcano reddidit Pontificatum & Principatum gentis ſuæ; vetuit tamen *diadema* ferre: id quod fecit Hyrcanus 24. *annos*. Judæos voluit Romanis eſſe tributarios. Urbes, quas habebant in Cœleſyria, rurſum illis ademit, totamque adeò gentem, prius elatam rebus proſperis, intra veteres terminos contraxit.

De hac Pompeji expeditione Livius in Epit. libr. 102. *Cneus Pompejus Iudæos ſubegit; fanum eorum Hieroſolyma, inviolatum ante id tempus, cepit.* Appianus in Syriacis. *Una Iudæorum gens armis ſubigenda ſuperfuit, cujus Regem Ariſtobulum victor Pompejus Romam miſit, & Hieroſolymorum, maxime ſanctiſſimæque in ea regione urbis, mœnia diruit.* Tacitus Hiſtor. libr. 5: 9. *Romanorum primus Cneus Pompejus Iudæos domuit, templumque jure victoriæ ingreſſus eſt.* Florus libr. 3: 5. *Hieroſolymam defendere tentavere Judæi. Verùm hanc quoque intravit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, ſub aureo vitem cœlo; diſſidentibuſque de regno fratribus, arbiter factus regnare juſſit Hyrcanum. Ariſtobulo, quia renuebat eam rem, catenas dedit.* Addatur Joſephus Ἀρχαιολ. 14: 8. *Hujus calamitatis cauſa fuere Hieroſolymitanis Hyrcanus & Ariſtobulus inter ſe diſſidentes invicem. Nam tum primum libertatem amiſimus, ſubjecti Romanorum imperio, & regionem de Syris bello captam reddere ipſis coacti ſumus.*

Pompejum in Judææ directione excepit *A. Gabinius*, qui Syriæ Præſes fuit. Is etiam demandavit curam templi & ſacerdotii Hyrcano; cæteris Reipub. partibus optimates præfecit; & conſtitutis quinque Juridicis conventibus, in totidem æquales partes totam provinciam diſtribuit. Ita ſingulari unius dominatione Judæi liberati, ariſtocraticè cœperunt regi.

Julius Cæſar, devicto Pompejo, confirmavit *Hyrcano* Pontificatum. *Antipatrum* autem Idumæum Judææ *Procuratorem* conſtituit: cujus deinde filius *Herodes* duxit in uxorem *Mariamnem* ſeu Mariam, ex *Alexandro*, filio Ariſtobuli, fratris Hyrcani, Antiochiæ, ob ſecunda vice occupatam Judæam, juſſu Romanorum, ſecuri percuſſo, & *Alexandrâ* filiâ Hyrcani genitam. Hyrcanus hic tandem ab Antigono, altero filio fratris Ariſtobuli captus & in Parthiam abductus eſt, amputatis illi auribus, ut ad Pontificatum redderetur ineptus. *Hyrcanus* à Parthorum Rege tandem dimiſſus, inſidiis Herodis circumventus interiit.

Et hoc ſceptrum, hæc corona Aſmonæorum ſeu Machabæorum fuit, ſi fas *coronam* dicere eſt, imperium tam exiguæ durationis. Omnes anni, quibus Machabæi præfuerunt rebus, indeà Matathia, ad Hyrcanum uſque, faciunt annos 122. Sed tamen haut illi *anni regni* merentur dici. Matathias non fuit Rex, nec Judas, imò nec Jonathan. Simon prius *jura majeſtatis* obtinuit. Johannes Hyrcanus illa ſtabilivit, Judas Hyrcani tenuit, Iannæus conſervavit, Alexandra Iannæi conjux retinuit; Hyrcanus Iannæi filius cœpit amittere, ut & cum vita ſua plenè amiſit, nec in filios ſuos derivavit per ſucceſſionem.

De

De hac *corona* dicitur Ezech. 21:32. גַּם־זֹאת לֹא הָיָה *etiam hac nihil facta est*, hoc est, in nihilum redacta.

De hac autem corona non videtur locutus Iacobus. Loquitur enim de *sceptro è Juda*, hoc est, cujus tenentes è tribu Iuda ortum haberent. Machabæi autem non fuerunt è Iuda, sed è familia Aharonis, è tribu Levi. Nec sufficit dicere, *Matres* illorum fuisse è tribu Iuda. Nam משפחת אם אינה משפחה. Chrysost. Homil. 11. in Matthæum. οὐκ ἦν νόμος παρὰ Ἰουδαίοις γενεαλογεῖσθαι γυναῖκας. Hieronymus in cap. 1 Matthæi. *Non est consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur.*

Præter Assamonæos coronam etiam gessit sub adventum Siloh, & post illum, *Herodes*, in cujus *Regis diebus Iesus natus* est. Matth. 2:1. Cujus hæc origo est seu fuit.

Altercantibus de regno Hyrcano & Aristobulo, Alexandri Iannæi filiis, Antipater Idumæus, vir naturâ factiosus, Hyrcano studens, Aristobulo infensus, persuasit *Aretæ* Arabiæ regi, ut Hyrcano opem ferret. Romanis dein supervenientibus, devicto *Pompejo*, qui, ut vidimus, primus subegit *Iudæos*, templumque illorum cepit, confirmavit Iulius Cæsar Hyrcano Pontificatum, quem Pompejus Iudææ domitor illi reddiderat. *Antipatrum* autem Idumæum Iudææ Procuratorem constituit. Fuit hic Antipater ex *Ascalon*, urbe Idumææ, unde Herodes filius *Ascalonita* audit. Uxori junctus fuit *Cypridi* Arabissæ.

Antipater Iudææ Procurator, *Phasaelem* filium natu maximum, Hyrcano stupido & segni haut refragante, Hierosolymis & circumjacenti regioni Ducem constituit. *Herodi*, admodum adolescenti, Galilæam curandam commisit. Antipatro & Herodi, cujus violentum & audax ingenium ac tyrannidis cupidum (Flavius Iosephus ἀρχαιολ. 19. cap. 13. dicit, fuisse Herodi πονηρὸν ἦθος, ἐπὶ τιμωρίαν ἀπότομον, καὶ κατὰ τῶν ἀπηχθημένων ἀπαραίτητον.) Iudæi ab initio metuerunt, insidiati sunt optimates Iudæorum. Antipater tandem à Malicho veneno interfectus est. Herodes verò evasit.

Cum deinde *Antigonus*, filius fratris Hyrcani, Iudæam secunda vice, adhuc regente Hyrcano, invaderet, ab *Herode* repulsus est: quem revertentem Hyrcanus coronis coronavit; & paulo post in familiam ascivit, datâ ipsi in uxorem *Mariamne* seu Mariâ, ex *Alexandro*, filio *Aristobuli*, fratris *Hyrcani*, & *Alexandra*, filia Hyrcani, genita. Hic *Alexander*, ob occupatam secunda vice Iudæam, *Antiochiæ* à Romanis securi percussus erat.

Mortuo Iulio Cæsare, & succedente *Cajo Octavio Augusto*, favore illius & studio, ac Antonii in pleno Romanorum Senatu, regium Herodi nomen omnium suffragiis delatum est. Qui regium adeptus fastigium, Hierosolymam ab *Antigono* occupatam, (qui ipse captus, & ad Antonium missus, *virgis cæsus, & ad palum deligatus, (id quod in nullo unquam Rege a Romanis factum fuerat) postea etiam occisus est*, referente Dione) vi expugnavit, & rebus ita prosperè succedentibus, *Hyrcanum* avum uxoris suæ insidiis circumventum sustulit. Ita Hasmonæorum principatus planè sublatus fuit, & *Herodis* regnum cœpit.

De hoc Herode Tacitus Histor. libr. 1. c. 9. *Regnum, ab Antonio Herodi datum, victor Augustus auxit.* Igitur in gratitudinem quasi, servus per omnem vitam Cæsaris Augusti fuit, & sine illius nutu vix quicquam egit. Fuit Herodes *Rex Iudææ*, sed precariò quasi & ἐπὶ φόροις τεταγμένοις, ut Appiani utar verbis.

Hujus Herodis hæc gesta & scelera narrantur. In Sione ædificavit regiam splendidam. *Templum* Hierosolymitanum cœpit instaurare: in quo perficiendo novem anni & medius con-

consumti, *omnesque thesauri sacri, quos toto orbe Deo missos Judæi repleverant*; ut habet Josephus. Idem testis est, *Templum totum ab ipsis fundamentis instauratum novumque ab Herode factum esse.* Sanguinolentis cædibus omnia miscuit. Uxorem *Mariamnem* publico supplicio affecit. *Alexandrum & Aristobulum*, filios ex illa, strangulavit. *Antipatrum* filium è plebeja, & ab ipso adhuc privato genitum, quinque ante mortem diebus interfecit. Pueros in Bethlehem sustulit. Augustus Cæsar, reputans, quot filios interfecisset Herodes, referente Macrobio, libr. 2. Saturnal. cap. 4. fertur dixisse: *Melius est Herodis porcum esse, quam filium.*

Moriens reliquit *Archelaum*, cui legavit regnum; *Herodem Antipam*, à quo interfectus Joannes Baptista, cui dedit Galilæam ac Peræam; *Philippum*, cui dedit Gaulonitica, Trachonitica, Batanææ tetrarchiam. Et ita mortuus est, annos 37. regno potitus, ex quo à Romanis Rex declaratus fuerat.

Archelaus, Herodis Patris successor, adiit Romam, à Cæsare petiturus confirmationem regni. Augustus non illum quidem *Regem* declaravit, *Ethnarcham* tamen Judææ, Samariæ, Idumææ declaravit. Et licet eodem tempore Judæi 50. legatos Romam misissent, deprecaturos ἀπηλλάχθαι βασιλείας καὶ τοιῶν δὲ ἀρχῶν. προσθήκην δὲ Συρίας γεγονότας ὑποτάσσεσθαι τοῖς ἐκεῖσε πεμπομένοις στρατηγοῖς, ut habet Josephus, tamen nihil obtinuerunt. Sed cùm iidem, non ferentes illius tyrannidem, secunda vice Archelaum ad Cæsarem detulissent, tandem Archelaus in exilium missus Viennam Galliæ est, & ditio illius in provinciæ formam redacta est, & Syriæ attributa; adeò ut ab illo tempore *Damascus*, Syriæ metropolis, exstiterit *caput Judææ*: id quod signum fuit certissimum, *Immanuelem* jam è virgine *natum* esse. Es. 7.

De hac accusatione & deportatione Archelai legendus Josephus; & ita quidem ipse de illo. Ægrè ferentibus Judæorum & Samaritanorum primoribus τὴν ὠμότητα αὐτοῦ καὶ τυραννίδα, accusarunt coram Augusto. καὶ ἐκεῖνον μὲν, Archelaum, φυγάδα ἐλαύνει, Cæsar Augustus, δοὺς οἰκητήριον αὐτῷ Βίενναν πόλιν τῆς Γαλλίας. Τὰ δὲ χρήματα ἀπηνέγκατο. Id quod factum δεκάτῳ ἔτει τῆς ἀρχῆς Ἀρχελάου, *decimo anno imperii Iulii Cesaris.* Κυρήνιος, de quo Luc. 2: 2. missus est ab Augusto, ἀποδωσόμενος τὰ Ἀρχελάου χρήματα καὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ.

Ita sceptrum Herodis momentaneum tantùm fuit, nec ullius durationis, nec sceptrum dici meruit.

Herodes Antipas, Tetrarcha Galilææ, frater Archelai, eodem sub Caligula Cæsare modo ἐξωρίσθη. Nam & ipsi Cajus Caligula regnum abstulit & bona omnia; αὐτόν τε φυγῇ ἀϊδίῳ ἐζημίωσεν *perpetuo multavit exilio*, ἀποδείξας τὸ οἰκητήριον αὐτῷ Λούγδουνον, πόλιν τῆς Γαλλίας.

Fuit etiam *Herodes* quidam *Agrippa* dictus, nepos *Herodis* Magni, filius *Aristobuli*, filii Herodis, è Mariamne geniti, sed a Patre, ut dixi, occisi. Hic initio in extrema egit egestate. Ab amicis adjutus cœpit vivere liberalius. Tiberio Cæsari fuit familiaris; sed ab eodem, quòd mortem illius optasset, in vincula datus; a Cajo Caligula, successore Tiberii, liberatus, in Avi principatum restitutus, & *Rex* factus est: qua de re ipse ita ad Cajum scripsit: *Donasti mihi regnum, quâ sorte nulla inter mortales felicior* &c. Et ut particularius dicam, Caligula donavit illum tetrarchia *Philippi*; dein & *Herodis* Antipæ. *Claudius* autem, successor Caligulæ, auxit illi regnum, addita insuper Judæa & Samaria, quod olim ad Avi ejus Herodis regnum pertinuissent. Consulares etiam ei honores tribuit, & fœdus cum illo

pepi-

pepigit, in æs incisum in medio urbis foro. Ita regnum Herodiadarum, Archelao ablatum, Agrippæ redditum, revixisse videtur. *Septem annos* regnans, ab Angelo percussus obiit. Lege historiam Act. 12:1-4. 19-23. Ab adulatoribus sæpius Θεὸς dictus erat. Letho proximo fertur dixisse illis: Ὁ θεὸς ὑμῖν ἐγὼ ἤδη καταστρέφειν ἐπιτάττομαι τὸν βίον. παραχρῆμα τῆς εἱμαρμένης τὰς κατεψευσμένας φωνὰς ἐλεγχούσης. ὁ κληθεὶς ἀθάνατος ὑφ' ὑμῶν, ἤδη θανεῖν ἀπάγομαι. *Immortalis dictus, nunc ad mortem rapior.* Josephus ἀρχαιολ. l.9. cap.7.

Hujus Herodis Agrippæ filius fuit *Agrippa* ille dictus *Junior*, de quo Act. 25: 24. 26. *Et dixit Festus*, Ἀγρίππα βασιλεῦ. & Paulus Act. 26: 2. βασιλεῦ Ἀγρίππα. & vers. 27. πιστεύεις βασιλεῦ Ἀγρίππα. & vers. 30. *Et cum hæc dixisset* Paulus ἀνέστη ὁ βασιλεύς, Agrippa, καὶ ὁ ἡγεμών, Festus, ἥ τε Βερνίκη, &c. Ergo & hic Agrippa *Rex* fuit. Hunc ferunt *Agrippam* exuisse *Ananiam* Pontificem Pontificatu, eo quòd arrogasset potestatem sibi, quæ ipsi non conveniebat, & coëgisset συνέδριον κριτῶν, & in illo τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ, τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἑτέρους; incusatos de commissa iniquitate, tradidisset ἐπιλιθασθησομένους. Etiam hic *Agrippa* dehortatus est Judæos, ne arma contra Romanos moverent. *Duravit*, inquit Tacitus libr. 5: 10. *Iudæis patientia usque ad Gessium Florum Procuratorem. Sub eo bellum ortum.* Hujus belli *finis* fuit *decisio desolationum*. Dan. 9:26. Post excidium templi & urbis non diu floruit progenies Herodis. Agrippa hic regum Herodiadarum ultimus fuit. Cum Judæis interiit Herodis domus, & illa, ut observavit Josephus, numerosissima licet, centum intra annos tota ferè occubuit.

Imò neque de hoc Herodis regno & sceptro vaticinatus est Jacobus Patriarcha. Nam loquitur de sceptro Judæ, quod à Juda recessurum esset, & quod posteri Judæ gesturi essent. Atqui Herodes non fuit è Juda, imò nec ex ulla tribuum Israëlis, sed Idumæus ex Idumæis. Deinde sceptrum, quod Herodes tenuit, haut meretur *sceptrum* dici, quia nec à majoribus id accepit, sed precarium fuit, & à Romanis ipsi concessum per singularem gratiam, nec diu posteri illius illo gavisi sunt. Archelaus successor post paucos annos à regio depositus est officio. Herodes Agrippa, nepos Herodis, id è gratia Caligulæ & Claudii recepit; & Deo non placuit, ut diu illo gauderet, quia matura morte abreptus est. Agrippa filius *Rex* dictus est: sed & cum Hierosolyma regnum ejus desiit: Imò nec propriè Rex fuit, quia Judæi citra illius consensum arma sumserunt in Romanos; id quod non potuissent, si Agrippam Regem habuissent. Et Judæi, ipso regnante Agrippa, crudelem illum Gessium Florum Procuratorem habuerunt.

Concludamus. Jacobus nec de sceptro Asmonæorum, nec de sceptro Herodiadarum, sed de solo sceptro Davidico, quod in Davide cœpit, & in captivitate Babel desiit, quod fuit in Judah, & è Juda, locutus est, dicens: *Non recedet sceptrum à Iudah.*

Non *Sceptrum* tantùm prævidit Jacob fore in Judah, sed & *Legislatorem*. Non *recedet* Sceptrum è Judah & *Legislator è medio pedum ejus*, seu *Præceptor*.

מְחֹקֵק idem quod νομοθέτης, θεσμοθέτης, νομοφύλαξ, *legislator*, *definitor*, qui dicit, quid faciendum sit, quid non. Es. 33: 22. יְהוָה מְחֹקְקֵנוּ *Iehovah est legislator noster*, qui definit nostra officia. Psal. 108:9. *Iuda* מְחֹקְקִי *legislator meus*, definitor meus, dicens, & quemvis docens officia.

Paraphrasis: Judah habebit sceptrum, quod ex ipso sit, saltem præceptorem, qui sit è medio pedum ejus, donec veniat Siloh.

מחקק septies reperitur. Kimchius in Radicibus. כלם ענין כתיבה *omnia habent significatum scribendi.* Eo sensu dicitur, quo סופר *Scriba*; qualis *Esra* fuit. Esr. 7:6.

Per מחקק & *Politici* Psalm. 60: 9. 108: 9. *Iuda legislator meus.* Jatchi, מחקקי שרים שלי, מחקק לשון שורות שמחוקק ושולח כפרים ומצוה. De iisdem Es. 10: 1. הוי החקקים *Væ decernentibus decreta iniquitatis, & scribentibus, ærumnam scribunt.* confer Jud. 5: 9. *Cor meum* לחוקקי ישראל &c. Deinde & *Ecclesiastici* intelliguntur. Num. 21: ÿ. 18. *Puteo, quem foderunt principes, quem effoderunt ingenui populi,* במחקק *cum legis Doctore* seu *Scriba, suis scipionibus.*

Onkelos in loco Genes. ספרא *scriba.* Hierosolymitanus & Ionathan, סברין או ספרין מלפי אוריתא *periti aut scribæ docentes legem.* R. Salomoh. תלמידים *discipuli,* quo nomine ipsi nonnunquam sapientes indigitantur. Abenezra פי' מחקק כופר שיחוק על הכפר *Expositio vocis* מחקק est *scriba, qui inscribit libro.*

Hillelis posteri vocantur מחוקקים *quia docuerunt legem inter multos* seu *publicè.*

Altingius. *Significatur* per מחוקק *ordo Doctorum Ecclesiæ*, quorum operâ cognitio veri Dei & voluntatis ejus conservaretur. Sensus: *Non deficiet Doctor Ecclesiæ in tribu Iudæ, donec exhibitus fuerit Meßias.* in Siloh. pag. 153.

מבין רגליו jungit Altingius cum יסור. Pergit: Quid designatur phrasi, *inter pedes ejus? Locus inter pedes posterorum Iudæ, unde Doctores recessuri non erant.* Siloh. pag. 154. Est enim is locus Doctorum, institutioni discipulorum vacantium; adeoque locus muneri ipsorum obeundo destinatus.

Sed cur non *Doctores Ecclesiæ* præcisè intelligi possint, propterea videtur, quia licet, cum Christus veniret, fuerint διδάσκαλοι, Luc. 2: 46. qualis & *Nicodemus*, Joh. 3: 10. tamen illi ferè omnes fuerunt *cæci*, Doctorum ductores. *In mendacium mutârat stilus falsus scribarum legem Domini.* Multis illi traditionibus onerârant populum Dei; & ob illas *transgrediebantur præceptum Dei.* Matth. 15: 3. Hi ergo ψευδοδιδάσκαλοι non tanti sunt, ut de illis Jacobus putandus sit vaticinatus esse.

Per *Legislatorem* intellexit potius illos, qui Judææ præfuerunt, & Synedrium in Judah constituerunt, qui & Christum Pilato crucifigendum dederunt, & legalium statutorum rigidi fuerunt exactores. Triplex illorum *ordo.* Unde *tres pastores*, Zach. 11: 8. ער *vigil*, Judices. ענה *respondens*, Doctores, qui super dubiis consulti respondent. מגיש מנחה *munus offerens*, Sacerdotes.

Ergo intelligitur *Synedrium, Senatus*, è principibus & primariis compositus populi. Hoc Synedrium præcipuè exstitit post reductionem è Babel. Et Davidis & Aharonis id constituit domus. Fuit in illo Serubabel & nepotes ejus. Imò & Jehosuah & ejus successores, Sacerdotes, Esra; imò & seniores populi è Juda aliisque tribubus.

Ante captivitatem Babylonicam, omni tempore, quo Israël fuit populus, exstitit in illo Synedrium, sed id inferius fuit longè potentia, auctoritate, & latitudine dominationis illo, quod soluta captivitate stetit, & rebus præfuit.

Hoc Synedrium Jer. 30: 19. dicitur עדה *cœtus.* Assessores ejus *Dominatores.* Es. 49: 7. 52: 5. *Exactores.* Zach. 9: 8. *Principes Iehudæ.* Zach. 12: 5. 6. *Principes populi.* Nehem. 11: 1. *Antistites sanctuarii.* Es. 43: 8. *Interpretes.* Es. 43: 7. *Iudices & consiliarii.* Es. 1: 25. רוזנים Ps. 2: 2. אישים Es. 53: 3. אלהים Ps. 8: 6. 82: 1. רעים *Pastores.* Zach. 11: 8.

Hæc multitudo Legislatorum Patrumque nomine *Matris* describitur. Hos. 2: 4. *Contendite cum matre vestra.* vers. 7. *Scortata est mater illorum.*

Synedrium hoc Legislatorum Ecclesiæ & Politiæ habuit curam: nam & bella gessit & nationes subegit. Zach. 12: 5. 6.

In Novo Testamento dicuntur ἄρχοντες. 1 Cor. 2:8. ἀρχαὶ & ἐξουσίαι. Col. 2:15. Ephes. 1:21. *Patres carnis.* Hebr. 12:9.

Recessionem illorum prædicit Jacob. Post adventum Siloh debuerunt recedere. Zach. 11:8. *Abolebo.* Mal. 2:12. *Exscindet Deus è tentoriis Jacob.* Es. 43:8. *Profanabo principes sanctuarii; & dabo in anathema Jacobum, & Israëlem in opprobria.* Es. 52:5. *Dominatores ejus ejulant.* Psal. 82:6.7. *Certè ut homo moriemini, & ut unus principum cadetis.* Hos. 2:5. *Exuam*, matrem vestram, *nudam ponam illam, ut desertum.* Hos. 3:4. *Sedebunt sine Rege, Principe, Ephod.* Dan. 9:27. *Super alam abominationum Desolator erit. Consummatio stillabit in stupentem.* 1 Cor. 2:6. τῶν ἀρχόντων τῶν καταργουμένων. Col. 2:15. ἀπεκδυσάμενος ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ.

Per Mosen Deus olim præceperat, ut ita fieret in terra Canaan. *Judices & Moderatores dabis tibi in omnibus portis tuis & judicabunt populum judicio justitiæ.* Deut. 16:18. 21:19. 22:15.

In loco autem, quem elegit Dominus ad figendum habitaculum nomini suo ibi, quem eventus docuit fuisse Hierosolymam, voluit habitare *Sacerdotes, Levitas, & Judicem*, adeoque maximum Senatum & summum Judicium in Ecclesiasticis & Politicis in illo loco fixit & constituit. Si igitur essent *res litigiosæ in portis*, hoc est, aliis locis & civitatibus, difficiliores, quam ut ibi componi & enodari possent, debuit populus petere Hierosolymam, & scrutari ac vestigare à Sacerdotibus, Levitis, Judicibus, *qui forent in diebus illis*.

Tantam autem Deus illorum voluit esse auctoritatem, ut omnes jusserit *facere secundùm os verbi*, hoc est, tenorem responsi, *& observare secundum omne, quod ab illis edocti essent, & ab institutione illorum ac judicio non recedere.* imò & in mortem dari, qui *per petulantiam & pertinaciam non obediret Sacerdoti, stanti ad serviendum Domino & Judici.* Deut. 17:8-14.

Populus obligatus fuit *facere & observare omnia, quæ illis dicerent.* Matth. 23:7.

Dicuntur *sedisse in cathedra Mosis.* Matth. 23:2. *clavem cognitionis habuisse.* Luc. 11:52. *& verbum Dei* dicitur *factum ad illos.* Joh. 10:35.

Imprimis videntur occupati fuisse circa observationem institutorum carnalium, ut illa ritè fierent, & à populo, qui jugi pertæsus facile eò delabi posset, ut funes illos rumperet, (ut visus erat moliri Korach cum caterva sua) non negligerentur, nec spernerentur. Qua in re fieri potuit, ut & ultimis temporibus factum est, ut abuterentur illi potestate concessa, *ligantes onera gravia & insupportabilia, & illa humeris hominum imponentes.* Matth. 23:4.

Rex *Iehosaphat* constituit rursum *in Hierusalem* Senatum Ecclesiasticum, compositum *è Levitis, Sacerdotibus, & capitibus familiarum*, qui debebant judicare totum Israëlem *inter legem & præceptum, & judicia & statuta, & illum monere ac erudire.* 2 Chron. 19:8.9.10. Videtur hic Senatus inter tam longas turbas & confusiones multum à dignitate sua amisisse, & ferè sublatus fuisse. Hinc non tantum dicitur, *& in Ierusalem constituit è Sacerdotibus &c. ad exercendum judicium Domini*, sed & additur, *& reversi sunt Hierosolymam.* 2 Chron. 19:9. quasi dicat: antiquam suam sedem & cathedram, quam hactenus dereliquerunt, de novo repetierunt & occuparunt. *Amariah* כֹּהֵן הָרֹאשׁ *sacerdos summus, fuit super illis* לְכֹל דְּבַר יְהוָה *in omni negotio Domini*, hoc est, præsidium habuit in rebus Ecclesiasticis. *Sebadjahu* autem, *Princeps domus Judah*, לְכֹל דְּבַר הַמֶּלֶךְ præsedit *in rebus Regis*, hoc est, in talibus rebus, quæ politiam tangebant, & ad regiam inspectionem, curam & decisionem pertinebant.

Post reductionem è Babel *Principes hi populi* rursum *sederunt in Ierusalem.* Nehem. 11:1. Sederunt ad fungendum antiquo munere. Hi vocantur Judæis *Viri Synagogæ magnæ* Hi principes successoresque illorum asseruerunt se deinceps in ἀυτονομίαν. Ef. 52:2. *Solve tibi vincula colli, captiva filia Zion.*

Illi in Euangelio dicuntur τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, ἀρχιερεῖς τε καὶ γραμματεῖς. Luc. 22:6. Cum Christus illi sisteretur, erat *Caiphas summus Pontifex illius anni.* Fuit etiam in illo Senatu כהן משנה *Pontifex subalternus*, qui Sacerdotis summi vicarius erat. Etiam in Talmude mentio fit משוח מלחמה, hoc est, *uncti* Sacerdotis *belli* causa; cui bellica negotia incumbebant. Etiam סגן הכהנים *Antistes* seu *adituus Sacerdotum* quidam dictus fuit. Et hi omnes pertinuerunt ad τὸ πρεσβυτέριον. Deinde & οἱ γραμματεῖς, & οἱ Φαρισαῖοι. Joh. 7: 32.45. 11:47. Hoc συνέδριον majus constitit LXXI. assessoribus. שבעים ואחד. in Tractatu Sanhedrin.

Legislator dicitur *esse ex inter pedes Judah*, hoc est, è Juda satus & natus. Confer Phrasin Deut. 28:57. Rem, Psalm. 108:9.

Nunc denique sensus dicti Jacobæi: *Non recedet sceptrum à Iudah, & legislator, donec veniat.* Est sermo indefinitus. Ante complementum potuit habere aliquam difficultatem; post complementum clarus satis est & distinctus. Sensus est: Ante adventum Siloh sceptrum & legislatorem non recessurum, nim. simul & totaliter. Impossibile fuit propter veritatem dicti hujus, ut utrumque simul recederet. Aut sceptrum debuit manere, aut legislator, hoc est, Synedrium legislatorum. Non fuit opus, ut utrumque maneret: sed opus fuit, ne utrumque simul recederet. Eventus docuit, Sceptrum recessisse, Legislatorem mansisse, atque adeò sensum Jacobi fuisse eum, quem diximus.

Hæc cum ita se habeant, ubi Judæi viderunt Sceptrum recedere, debuerunt omnino concludere, tempus & horam Adventûs Siloh appropinquare.

Sed ubi Legislatores etiam recedere viderunt, non potuerunt sine impudentissima pertinacia dubitare, aut negare, Siloh venisse, & nullum amplius exspectandum esse.

Judæi ex his aliisque oraculis certi, Messiæ adventum jam impletum fuisse, & Messiam jam debere adesse, in diversa & omnia alia abierunt.

Alii dicunt, Messiam jam esse in Terra, sed occultare se, nec manifestare ob peccata illorum & scelera.

Alii maledicunt, qui tempora supputant. 126. יתפח רוחן של מחשבי קצין

Hinc tam faciles se exhibuerunt seductoribus, jactantibus, se esse Messiam. Hinc tanta turba secuta est Barcosbam, in urbe Bitter: inter quos etiam R. Akibah, qui factus est armiger ejus. Et *David Eldavid* in Persia An. 1150. Et ante 8. annos *Sabbeta Sebbi.*

Ita multiplicantur dolores illorum, alium qui dotarunt.

Quæ post adventum Silonis eventura essent, his Patriarcha complexus est verbis: ולו יקהת עמים.

Populi intelliguntur illi, qui contradistinguuntur Judæ. *Non recedet à Juda, & illi obedientia populorum*, nimirum illorum, qui hactenus à Juda separati vixerunt.

Judæ posteri etiam fuerunt *populus*. Num. 23: 9. *Ecce* עם *seorsim habitabit.* Genes. 48: 18. dicit Jacobus de Manasse. *Etiam hic erit* לעם. adde Ef. 40:7. *Gramen* העם. Imò *populus Dei.* Exod. 6:7. *Et sumam vos mihi* לעם.. Jerem. 7:23. *Et vos eritis mihi in populum.* confer Deut. 27: 9.

Tamen passim distinguuntur à *populis.* Hos. 7:8. *Ephrajim in populis ille miscetur.* Ef. 9: 3.

9: verſ. 3. *Et ſemen ſanctum mixtum eſt* בְּעַמֵּי הָאֲרָצוֹת. confer verſ. 2. Nehem. 9: 30. *Et dediſti illos in manum populorum terræ.* Joſ. 4: 24. *Ut cognoſcant omnes populi terræ manum Domini.* Exod. 19: 5. *Et eritis mihi peculium* מִכָּל־הָעַמִּים. Lev. 20: 24. *Separavi vos* מִן־הָעַמִּים. confer verſ. 26.

Populi & gentes in Sacris veniunt parallelè. confer Eſ. 2: verſ. 2. 3. 4. cum Mich. 4: verſ. 1. 2. 3. Ergo quod hic dicitur, *Et ei populi* &c. tantundem valet, ac, *Ei gentes obedient.*

Hæ gentes hique populi dicuntur Geneſ. 12: 3. *omnes familiæ terræ.* Gen. 17: 4. *multitudo gentium.* Geneſ. 22: 18. *omnes gentes terræ.*

Omnes hi *populi* poſt diluvium è Japheto & Chamo orti ſunt. Japheti poſteris *inſulæ* in habitationem ceſſerunt. Geneſ. 10: 5. Unde & illi intelligendi ſunt, ubi de *inſulis* prophetia loquitur. veluti Eſ. 41: 1. 42: 4. Ergo & Japhetidæ & Chamitæ per *populos* intelligendi ſunt.

Populus, non omnis cœtus multitudinis eſt, ſed cœtus juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatus, inquit Cicero apud Auguſt. libr. 2. cap. 21.

Ideo & *gentes*, quia ſociatæ fuerunt ad communionem utilitatis, ſub juſtis & in ſe non iniquis ſtatutis & legibus, *populi* dicuntur.

Horum *populorum* promittitur יִקְּהַת. Vox hæc occurrit Prov. 30: 17. *Oculus, qui ſpernit* לִיקֲּהַת־אֵם. Notatur *adhæſio*, ſeu *obedientia* populorum, qua ſe dedituri ſint in obſequium Silonis.

Per hanc *obedientiam* intelligit Patriarcha omnem cultum, quem Siloh à ſuis requirit. Huncque modum loquendi Euangelium imitatur, ubi ſub vocabulo *obedientiæ* paſſim omnem ſanctificationem cultumque intelligit Chriſtianum. Rom. 1: verſ. 4. *Per quem accepimus apoſtolatum* εἰς ὑπακοὴν πίστεως. Rom. cap. 6: verſ. 16. ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην. Rom. cap. 16: verſ. 19. ἡ γὰρ ὑμῶν ὑπακοὴ εἰς πάντας ἀφίκετο. Ibid. verſ. 26. *myſterii nunc manifeſtati*, εἰς ὑπακοὴν πίστεως. 2 Cor. cap. 10: verſ. 5. *captivantes omnem cogitationem* εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ χριστοῦ. 1 Petr. cap. 1: verſ. 12. *electis* εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ. confer verſ. 22. *animas veſtras purificantes* ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας διὰ πνεύματος, εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον.

Imo ubi & per verbum *obedire* eundem indicat. Hebr. 5: 9. *exſtitit* τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ πᾶσιν αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου. Phil. 2: 20. *ut ſemper* ὑπηκούσατε, *cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini.* Rom. 6: 17. *Gratia Deo* &c. ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας, *in quem traditi eſtis typum doctrinæ.*

Et certè quid eſt *Fides*, quàm *obedientia*? Fide enim teſtimonium, quod teſtis verax Deus tulit, obedienter acceptamus. Quid *Charitas*? Illa in obedientia ſiſtit ſe Deo ad faciendum voluntatem ejus. Quid *Spes*? firmiter in obedientia exſpectare implementa promiſſorum Dei.

Quod hîc *obedientia populorum* dicitur, in prophetiis aliis aliiſque phraſibus enunciatur. Geneſ. cap. 9: verſ. 28. *Japhet habitabit in tentoriis Sem.* Geneſ. cap. 22: verſ. 18. וְהִתְבָּרְכוּ *& benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes.* Eſ. 11: verſ. 10. *Radix Ieſſe, ad illam* גּוֹיִם יִדְרֹשׁוּ *gentes requirent.* Eſ. 42: verſ. 4. *Ad legem ejus inſulæ præſtolabuntur.* Eſ. 51: verſ. 6. *Ad me inſulæ exſpectabunt.* Eſ. 2: verſ. 3. *Ibunt populi multi, & dicent: Aſcendamus ad montem Domini, & doceat nos de viis ſuis* &c. Eſ. 45: verſ. 21. *Reſpicite*

ad me, omnes fines terra. Zophon. 3:9. *Ad gentes, ut invocent omnes illa in nomen Domini, & ad serviendum illi humero uno.* Zach. 8:22. *Et venient populi multi, & gentes valida, ad quærendum Dominum Deum exercituum in Jerusalem, & ad supplicandum faciei Domini.* Hag. 2: 7. *Omnes gentes venient ad desiderium omnium gentium.* Psalm. 2: 11. *Osculamini Filium. Beati confugientes ad illum.*

Postquam ita sensum vaticinii explicuimus, nunc & de illius implemento videamus.

Videtur Deus olim contra tenorem illius directè egisse & præcepisse. *Sivit* enim *in præteritis illis generationibus* πάντα τὰ ἔθνη *ire in viis illarum.* Act. 14: 16. Deinde & *abalienavit illas à politia Israël.* Eph. 2: 12. ponendo μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ. quo tempore fuerunt *sine Christo, Deo, spe*, sine *testamentis promissionis.* ibid. *Deos* coluerunt, de quibus 1 Chron. 16: 24. *Omnes Dii populorum* אֱלִילִים. confer Psalm. 96: 5. adde Rom. 1:25. ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει. Et *statuta* illorum omnia fuerunt, ut est Jerem. 10:3. *statuta populorum* הֶבֶל הוּא. adde Jerem. 3: 17. *Iverunt post duritiem cordis illorum mali.*

Fuere quidem semper pauci è gentibus, & ut λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος. Talis *Melchisedek, Jobus, Jetroh*, & *Proselyti*, qui passim ad Ecclesiam se adjunxerunt Israëlis; *Rahab, Naaman, Eunuchus Candaces*, & alii, qui laudantur *timuisse Deum, & operati justitiam:* ut *Cornelius*; qui tamen ἀκροβυστίαν servarunt, nec circumcidi se passi sunt. Actor. 10: 35. 11: 3. Sed in illis multum abfuit, ne impleta sit hæc Jacobi prophetia.

Potius cogitandum est de illa *obedientia* gentium, quam obtulerunt Siloni, postquam in carne venisset. De illa enim loquitur Jacob. *Usque dum Siloh veniet, & illi obedientia*, venienti nimirum.

Christus Dominus paucas ipse in diebus carnis suæ ad obedientiam suam adduxit gentes. Cum *Centurione* Kapernaumi negotium habuit, & illi testimonium dedit. *Neque in Israële tantam fidem inveni.* ibique prædixit, *multos ab Oriente & Occidente venturos, & accubituros cum Abraam* &c. Matth. 8: 5–11. *Cananea* verò mulieri dicebat: *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israël.* Matth. 15: 14. Discipulis præcepit: *In viam gentium non abite, & in civitatem Samaritanorum non intrate. Ite verò* μᾶλλον *magis*, potius *ad oves Israëlis.* Matth. 10: 5. 6. Ipse tamen cum Samaritana familiarius egit. Joh. 4: 7. 10. 13. 14. 16. 21. 22. 23. 24. Et cum Samaritanis id petentibus *mansit* δύο ἡμέρας. Joh. 4: 40. Etiam Joh. 10: 16. dixit. *Et alias oves habeo, quæ non sunt è caula hac; & illas me decet adducere; & audient vocem meam; & erit unus Grex, unus Pastor.*

Sub finem autem suæ in terris conversationis injunxit Discipulis: *Ite & discipulos facite omnes gentes*, πάντα τὰ ἔθνη, *baptizantes* &c. Matth. 28: 19. *Profecti* εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, *prædicate Euangelium* πάσῃ τῇ κτίσει. Marc. 16: 15. *Eritis mihi testes in Judæa, Samaria*, καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. Act. 1: 8.

Inde & Apostoli post ascensionem Christi statim de gentium conversione agere & cogitare cœperunt. Petrus in festo Pentecostes *promissionem Dei* appropriat etiam πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν *omnibus qui procul, quoscunque advocaturus esset Dominus.* Act. 2: 39. Et cœlesti *visione* edoctus deprehendit, non esse προσωπολήπτην Θεόν. Act. 10: 34. & *baptizavit* Cornelium. ibid. vers. 47.

In Synodo Hierosolymitana docet, quod Deus *à diebus antiquis elegisset per os ipsius*

ipsius gentes audire sermonem Euangelii, & credere. Actor. 15: 7.

Imprimis Paulus testatur, quod *concreditum ipsi esset* τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυστίας, quodque Deus ἐνήργησε αὐτῷ εἰς τὰ ἔθνη. Gal. 2: 7. 8. Imò decretum inter se & Jacobum, Cepham & Joannem, ait, ut *ipse* cum *Barnaba* esset εἰς τὰ ἔθνη. ibid. vers. 9. Inde dicit Rom. 11: 13. *Ego sum gentium Apostolus. ministerium meum glorifico.* confer Rom. 15: 16. εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, ἡγιασμένη ἐν Πνεύματι ἁγίῳ.

Igitur & Paulus in *gentes* abiit: in quibus expeditionibus Barnabam cooperarium habuit. Rom. 15: 19. dicit, se *a Jerusalem, & circumjacentibus locis, usque Illyricum implevisse Euangelium Christi.* In quibus itineribus prius *locutus est sermonem Judæis.* Illis autem refragantibus, versus est ad gentes. ἰδοὺ στρεφόμεθα εἰς τὰ ἔθνη. Act. 13: 46. 47. confer Act. 28: 28. *Notum sit vobis, quod* τοῖς ἔθνεσι *missum est salutare Dei. Illa & audient.*

Sed videamus, quis *obedientiam* hanc in gentibus seu populis operatus sit. Certè non homo, non ipsi, sed Deus ipse. Gen. 9: 27. *Alliciet Deus Japhetum.* allexit Deus Japhetidas. Hag. 2: 7. *Et commovebo omnes gentes.* commovit illas. Quæris, quomodo & quibus mediis? 1. Zoph. 3: 9. *Vertam ad gentes labium selectum* sive clarum. Zach. 9: 10. *Et* LOQUETUR *Pacem gentibus.* 2. dando *fidem.* Act. 14: 27. *Aperuit gentibus Deus januam fidei. Resipiscentiam.* Act. 11: 18. *Utique & gentibus dedit Deus* μετάνοιαν εἰς ζωήν. adde Act. 15: 8. Τῇ πίστει καθαρίσας τὰς καρδίας αὐτῶν. *Spiritum.* Joel. 3: 1. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Act. 15: 8. *Deus attestatus est gentibus,* δοὺς αὐτοῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Id quod fecit initio cum donis extraordinariis, ut in Cornelio videre est. Act. 10: 44. 45. 47. 11: 15. 17. adde Psalm. 68: 19. *Ascendisti in altum. accepisti dona in hominibus. etiam refractarios habitare decentiam Domini.* Quia accepit *dona*, & dedit Spiritum, refractariæ gentes accesserunt ad habitacula Jovæ. Quæris denique in quibus gentium? Certè non in omnibus. In quibus ergo? καὶ ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Act. 13: 48. *Fides* enim *non est omnium.* 2 Thess. 3: 2. nec *obedientia* omnium.

Gentes tanto numero ad obedientiam Silonis confluxerunt, ut paulo tempore infinitæ ferè gentium Ecclesiæ in omnibus mundi plagis exstiterint. Tertullianus circa annum nati Christi 139. cum omnes regiones universi orbis terrarum recensuisset, quo religio Christiana pervenisset, tandem concludit: *Christi igitur nomen & regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur.* Imò apud Scythas & Nomades prædicatum nomen Christi Irenæus testatur, & Justinus.

Hanc conversionem gentium, & illarum ad obedientiam Silonis adductionem, nullis satis verbis Apostoli laudare potuerunt. Barnabas & Paulus à gentium expeditione reversi, ἀνήγγειλαν ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς μετ' αὐτῶν, καὶ ὅτι ἤνοιξε τοῖς ἔθνεσι θύραν πίστεως. Act. 15: 3. διήρχοντο *Phœniciam & Samariam,* ἐκδιηγούμενοι τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν. confer vers. 4. 12. Adeò illis mirabilis & cœlestis & divina visa illa est. Gentes idololatræ, excæcatæ, potentia seculari sustentatæ, longissimo intervallo erroribus assuetæ, à Dracone rectæ & obsessæ, rebus mundanis implicitæ, & voluptatibus ac deliciis totæ quantæ immersæ, ad Jesum, non auditum ante, nec cognitum, nec creditum, *stultitiam* mundi,

scan-

ſcandalum Judæorum 1 Cor. 1: 23. *rupem* offendiculi, adducuntur, non vi, non armis, non arcu coactæ & miſſilibus, non per humanam & perſuaſoriam carnis ſapientiam, non per miniſterium hominum magnorum, & ſapientum à mundo æſtimatorum, ſed ſolo verbi præconio, ſacramentorum adminiſtratione & diſtributione, Spiritus Sancti effuſione, per miniſterium infantium & ſugentium, ſpreta morte, igne, exſilio, & jactura rerum carni chariſſimarum.

In hâc adductione etiam obſervandum eſt, quod Paulus docet Galatas cap. 3: 2. *Num ex operibus legis Spiritum accepiſtis, aut ex auditu fidei* ? verſ. 3. ἐναρξάμενοι πνεύματι. Adducti ſunt ad obedientiam Silonis, & non initiati aut coacti ſunt ſub *legem*, quam priori populo Siloh olim impoſuerat: non impoſitum jugum *cervicibus* illorum, Act. 15: 10. non coactæ illæ ad *circumciſionem*, & ad legis carnalis obſervationem. Id quod Apoſtoli in Synodum coacti Hieroſolymæ ſolemni decreto publicarunt, Act. 15: 7–30. certis tantùm nonnullis δόγμασι initio illas volentes eſſe ſubjectas. Hæc eſt ἐλευθερία, maximum Chriſti beneficium. Lege Galat. 5: 1–6. Actor. 13: 38. 39. Gal. 3: 13. 14. 15. 4: 1–5.

Hæc gentium converſio eſt *vivificatio* quaſi mortuorum. Joh. 5: 25. *Venit hora, & nunc eſt*, ὅτι οἱ νεκροὶ ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται. Eph. 2: 1. & 5. καὶ ὑμᾶς νεκροὺς ταῖς ἁμαρτίαις, συνεζωοποίησε. confer Col. 2: 13. Eſt *excitatio* filiorum è lapidibus. Matth. 3: 9. *Poteſt Deus* ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα *Abraamo*. confer Pſalm. 114: 8. *Mutat petram in ſtagnum aquarum, ſilicem in fontem aquarum*. Ezech. 11: 19. *Removebo cor lapideum è carne illorum, & dabo illis cor carneum*. Eſt quaſi *creatio* nova. Pſalm. 102: 19. וְעָם נִבְרָא יְהַלֶּל־יָהּ. Eſ. 43: 21. *Populum, quem formavi mihi, laudem meam narrabunt*. Pſalm. 87: 16. *Et Zioni dicetur*. אִישׁ וְאִישׁ יֻלַּד־בָּהּ. *Jehova recenſebit, quum deſcribet populos*. זֶה יֻלַּד־שָׁם *hic natus eſt ibi*. Eph. 2: 15. κτίσῃ. Eſt *apertio oculorum cæcorum. eductio è clauſtro vinctorum; è domo carceris ſedentium in tenebris*. Eſ. 42: 7.

In hac mirabili converſione, quam Paulus narrat ut partem *myſterii pietatis* ὁμολογουμένως μεγάλου 1 Tim. 3: 16. etiam hoc advertendum eſt, quod illæ adductæ ad Silonem, cum Iſraële unum factæ atque illis inſertæ ſunt. Eſ. 27: 6. *Venientes radicabit Jacob, efflореſcet & germinabit Iſrael, & implebuntur facies habitabilis proventu*. Adeoque gentes quaſi πρoσθήκη τοῦ Ἰσραὴλ γεγόνασι. Fecit τὰ ἀμφότερα ἕν. *duos creavit in unum novum hominem*. eſtis *concives ſanctorum*. Eph. 2: 14. 15. 18. Imò *in ſemine* Abrahæ, id eſt, Iſraële benedictæ, ut typo & exemplari. Converſæ gentes dixerunt. *Aſcendamus ad montem Domini, ad domum Dei Jacob; nam ex Zione veniet lex, & verbum Domini è Ieruſalem*. Eſ. 2: 3. *Sic dicit Dominus: In diebus illis apprehendent decem viri, ex omnibus linguis gentium, & apprehendent alam viri Iudæi, dicendo, Ibimus vobiſcum; nam audivimus, quod Deus vobiſcum*. Zach. 8: 23. Nam ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν. Joh. 4: 22. Illi ſunt *filii Prophetarum & Teſtamenti. Illis* πρῶτον *miſit Deus puerum Jeſum benedicentem illos*. Act. 3: 25. 26. Gentes, ante ἀγριέλαιος, ἐνεκεντρίσθησαν ἐν αὐτοῖς, καὶ συγκοινωνοὶ τῆς ῥίζης καὶ τῆς πιότητος τῆς ἐλαίας ἐγένοντο. Rom. 11: 17. ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐξεκόπησαν ἀγριελαίου, καὶ παρὰ φύσιν ἐνεκεντρίσθησαν εἰς καλλιέλαιον. Rom. 11: 24. Igitur gentes ab illo tempore ſunt *Iſrael*; ſed Ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ. Gal. 6: 16. *non omnes*, qui ex *Iſrael*, fuerunt *Iſrael*. *Gentes*, non ex Iſraël, factæ ſunt Iſraël. *Dedit illis* Deus *in domo ſua & muris ſuis locum & nomen, bonum præ filiis & filiabus, nomen æternum, quod non exſcindetur*. Eſ. 56: 5.

Eſ. 56: 5. *Hic dicet, Domini ego. & hic nominabit in nomine Jacobi. & hic ſcribet manum ſuam Domino.* וּבְשֵׁם יִשְׂרָאֵל יְכַנֶּה *& in nomine Iſraël ſe cognominabit.* Eſ. 44: 5. Ergo Iſraël per acceſſionem gentium numeroſior factus eſt, quam unquam antea: factus ut חוֹל הַיָּם Hoſ. 2: 1. ut *ſtellæ cœli.* Geneſ. 15: 6. ut *pulvis terræ.* Gen. 13: 16. *Plures* exſtiterunt *filii deſolatæ præ filiis maritatæ.* Dilatandus fuit *locus tabernaculi ejus, & cortinæ manſionum ejus.* &c. *Semen* Iſraëlis *gentes hereditavit, & civitates deſolatas fecerunt habitari.* Eſ. 54: 1. 2. 3. Gentes hæ converſæ ſunt *hæreditas* Abraami. Exſtitit ille tunc κληρονόμ© κόσμε. Rom. 4: 13. Sunt *hæreditas* Meſſiæ. *Poſtula à me, & dabo gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam fines terræ.* Pſalm. 2: 8. *Tu hæreditabis omnes gentes.* Pſal. 82. 7. *Diſtribuam illi in multis, & cum robuſtis dividet ſpolium.* Eſ. 53: 12. *Sanguine* enim Meſſiæ emtæ ſunt. Eſ. 52: 15. *Sic aſperget gentes multas.* confer 1 Petr. 1: 2. εἰς ῥαντισμὸν αἵματ© Ἰησοῦ Χριςοῦ. & *ſponſione* ac interceſſione ejus ſuſtentatæ ac ſervatæ. Deut. 33: 3. אַף חֹבֵב עַמִּים *etiam ſinu geſſit populos.* Ita *dominium* ejus exſtitit *à mari ad mare, & à fluvio ad fines terræ.* Zach. 9: 10. confer Pſalm. 72: 8. Etiam *honorati* è gentibus ad Meſſiam converſi ſunt. Pſalm. 72: 10. 11. *Reges Tarſis & inſularum munus reddiderunt. Reges Scheba & Sebah donum obtulerunt. Et adorabunt illum omnes Reges; omnes gentes ſervient illi.*

Gentibus ita converſis Deus, qui *unus* eſt, factus eſt *unus*, Gal. 3: 20. ὁ δὲ Θεὸς, εἷς ἐςιν. Rom. 3: 29. 30. *An Judæorum Deus ſolùm, annon & gentium? Certè & gentium. Siquidem* εἷς ὁ Θεὸς, ὃς δικαιώσει περιτομὴν καὶ ἀκροβυςίαν. Gal. 3: 28. *Non eſt Iudæus, neque Græcus; non ſervus, neque liber; non mas & fœmina: omnes enim vos* εἷς *unus eſtis in Chriſto Ieſu.* confer Coloſ. 3: 11.

In hac autem gentium converſione cerni debet *Dei* 1. χρηςότης. 2. ἀποτομία. Illa gentes impuriſſimas aſſumſit. *Sumſit panem filiorum, & projecit* τοῖς κυναρίοις. Matth. 15: 27. Hæc Judæos, tamdiu populum ſuum, ἀπώσατο. Τῷ αὐτῶν παραπτώματι ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν. τὸ παράπτωμα αὐτῶν πλοῦτ© κόσμε. καὶ τὸ ἥττημα αὐτῶν πλοῦτ© ἐθνῶν. ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν, καταλλαγὴ κόσμε. Rom. 11: 11. 12. 15. *Dices,* Ἐξεκλάσθησαν οἱ κλάδοι, ἵνα ἐγὼ ἐγκεντρισθῶ. Καλῶς. Rom. 11: 19. 20. adde verſ. 22. *Ecce Dei bonitatem & ſeveritatem. In eos qui ceciderunt, ſeveritatem; in te autem bonitatem, ſi maneas in bonitate.* ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ. confer verſ. 20. Τῇ ἀπιςίᾳ ἐξεκλάσθησαν, σὺ δὲ τῇ πίςει ἕςηκας. μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ.

Gentium converſarum officium eſt, Judæos rejectos ad zelum provocare. Deut. 32: 21. וַאֲנִי אַקְנִיאֵם בְּלֹא־עָם *& ego ad zelum excitabo illos per non-populum,* hoc eſt, gentes. confer Rom. 11: 14. εἴ πως παραζηλώσω μυ τὴν σάρκα, καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν.

Hactenus monſtravimus Gentium *converſionem.* Sciendum tamen, Converſionem, quæ hucuſque exſtitit, non exhaurire vim Prophetiæ Jacobi. Quinimò ſecundùm illam jure exſpectamus illarum adhuc converſionem gentium, quæ hucuſque agunt ſine Deo, Chriſto, ſpe; quarumque ferè numerus converſarum major eſt numero gentium. Nam & Apoſtolus docet, τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν *multitudinem gentium intraturam* adhuc. Rom. 11: 25. & Jacobus univerſaliter. *Et illi obedientia* P O P V L O R V M.

Etiam Chriſtus prædixit, *antequam veniat finis*, fore, ut *Euangelium regni prædicetur in tota habitabili*, εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι. Matth. 24: 14. Johannes vidit Apoc. 7: 9. *populum multum*, ὃν ἀριθμῆσαι αὐτὸν οὐδεὶς ἠδύνατο, ἐκ παντὸς ἔθνους καὶ φυλῶν καὶ λαῶν καὶ γλωσσῶν. & Pſalm. 68: 32. *Venient Chaſmannim ex Ægypto*

Æthiopia accelerabit manus suas Domino. vers. 33. *Regna terræ* NB. *canite Deo, psallite Domino. Selah.*

Hoc ubi factum erit, speramus, ὅτι καὶ πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται. Rom. 11:26.

Quis dabit è Zione salutem Israelis: quum reduxerit Dominus captivitatem populi sui, hilarabitur Jacob, lætabitur Israël. Psalm. 14:7.

Psal. 18:44. 45. *Pones me in caput* גּוֹיִם. *Populus, quem non novi, servient mihi ad auditum auris* יִשָּׁמְעוּ לִי.

Es. 25:3. *Ideo glorificabunt te* עַם־עָז, *civitas* גּוֹיִם *gentium violentarum timebunt Te. nam exstitisti* מָעוֹז *tenui, pauperi, in arcto illi;* מַחְסֶה *a pluvia, umbra ab æstu.* Es. 30:19. *Nam* עַם *in Zion habitabit, in Jerusalem flendo non flebit,* חָנוֹן יָחְנְךָ *ad vocem clamoris tui.* כְּשָׁמְעָתוֹ עָנָךְ.

Es. 49:22. אֶשָּׂא *ad gentes* יָדִי, *& ad populos* אָרִים נִסִּי, *& adducent filios tuos* בָנַיִךְ *& filias tuas* בְּנֹתַיִךְ *ferent.*

Populi conversi ad Silonem & ipsi *Populus* Dei facti sunt. Psal. 72:3. *Ferent montes pacem Populo.* Es. 64:9. *En respice, age, Populus tuus omnes nos.* Psalm. 148:14. *Et extollet cornu* לְעַמּוֹ*: laudem omnibus sanctis suis. filiis Israël* עַם קְרֹבוֹ. Zach. 2:15. *Agglutinabuntur gentes multæ ad Dominum die illo, & erunt* לִי לְעָם *mihi in populum.*

Psalm. 45:18. *Commemorabo nomen tuum in omni* דֹּר וָדֹר. *Idcirco* עַמִּים *laudabunt te in seculum & perpetuitatem.*

Psalm. 66:8. *Laudate populi Dominum nostrum, & facite audire vocem laudis ejus,* Psal. 96:7. *Date Domino familiæ* עַמִּים. *date Domino* כָּבוֹד עֹז.

Psalm. 102:23. *Cum congregarentur* עַמִּים *pariter, & regna* לַעֲבֹד *Domino.*

Populi, qui non sunt populus, illis metuendum quod est Es. 63:6. וְאָבוּס עַמִּים *in ira mea, & inebriabo illos in æstu meo, & dejiciam in terram* נִצְחָם.

Ezech. 3:5. 6. *Non ad populos multos, profundos labio, & graves lingua, quorum verba non intelligis, mitteris.*

Et hinc nunc firmissimum promitur argumentum pro adventu Silonis jam facto. *Ubi Siloh venerit, gentes illi obedient.* Atqui gentes obedierunt. Ergo Siloh venit.

F I N I S.

PRAELECTIONES
THEOLOGICAE
De
Variis Theologiae Capitibus.

SERIES LOCORUM.

LECTI-

LECTIONES

Locorum Communium.

Locus Primus

DE THEOLOGIA.

Θεολογία vox Græca est, derivata à voce θεολόγος, (non rectè scribitur, θεόλογος. nam verbalia in ος, derivata à præterito medio, & cum nominibus composita, si activè capiuntur, accentum habent in penultima. ut θεοτόκος, θεομάχος, ἀνδροφόνος, σπερμολόγος, σαρκοφάγος, λαοτρόφος.) & significat περὶ Θεοῦ λόγον, *sermonem de Deo.*

Θεολόγος est, qui λέγει θεὸν. id quod Apostolus exprimit, πείθει *suadet* τὸν θεὸν Gal. 1: vers. 10. *Iohannes* Apostolus id nomen à prisca obtinuit Ecclesia. Etiam à recentioribus *Gregorius Nazianzenus.*

Gentilibus utraque vox in usu olim fuit. Distinxerunt illi *Theologiam* in μυθικὴν *fabulosam*, φυσικὴν *naturalem*, & πολιτικὴν *politicam* seu civilem. *Fabulosa* seu historica Poëtarum obtinuit in Theatris. *Naturalis* seu mystica Philosophorum in Scholis. *Civilis* seu politica in Urbibus & Templis, consuetudine Sacerdotum, magistratûs, & civitatum introducta, & legibus tandem publicis confirmata ac approbata. Hinc *Poëta* ob θεολογουμένους μύθους prolatas de Deo fabulas, quemadmodum scimus *Homerum*, *Orpheum*, aliosque de *diis deabusque* suis multa absurda & ridicula fabulari, nomen θεολόγου meruerunt.

Christianos perquam decet θεολογεῖν. Basilius in Epistola quadam conqueritur: τεχνολογοῦσιν λοιπὸν, οὐ θεολογοῦσιν οἱ ἄνθρωποι. *Ex artificio deinceps loquuntur homines; non verò Deum dicunt*, sive suadent. Deus enim est summum bonum, finis ultimus, justitia, vita, salus illorum.

Theologiam vulgò distinguunt in ἀρχέτυπον, & ἔκτυπον.

Illam dicunt esse in Deo, ipsius Dei, imò ipsum Deum, *qui se ipsum novit in se ipso*, & extra se universa & singula, per se ipsum, æterno & individuo actu.

Hanc dicunt esse notitiam illam de Deo, quæ creaturis communicata est. ad quas creaturas cùm referri possit 1. Christus θεάνθρωπος, τὴν χριστοῦ θεολογίαν vocant *Unionis*. 2. *Angeli* & *spiritus* justorum consummatorum, illorum *Theologiam* dicunt *Visionis*. 3. *Viatores*, seu homines in terra degentes. quorum Theologiam appellant *Revelationis*, seu viæ, seu studii, seu stadii. Communicatur diversis his Creaturis Theologia diversimodè, *Unione, Visione, Revelatione.*

Theologia, hominibus revelata, quam nonnulli *nostram* vocant, est vel *naturalis*, vel

supernaturalis. utraque *revelata* dici potest. nam & quæ è natura habentur, revelavit Deus in natura, & nota reddidit omnibus.

Naturalis est vel *congenita* & innata, vel *acquisita* studio, usu, experientiâ.

Omnes homines *naturâ* Theologiæ notitiam habent. φύσει norunt esse *Deum*. τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *manifestum est in illis*, Rom. 1: 19. nulla gens est tam barbara, quæ non habeat sensum numinis. Atheos qui se jactant, sunt carcinomata & monstra hominum, non homines. imò *stulti*, Psalm. 14: 1. Præterea habent κοινὰς ἐννοίας *communes notiones*. τὸ ἔργον τοῦ νόμου *in illorum cordibus scriptum est, conscientiâ illorum coattestante, & cogitationibus se invicem accusantibus aut etiam defendentibus*. Rom. 2: 15.

Hæc innata notitia multum augetur per *acquisitam*. nam è consideratione τῶν ποιημάτων *cernitur* magis magisque, quod cor dictat unicuique. Rom. 1: 20.

Quousque proficere naturalis hæc notitia possit, gentium exempla docent, quarum multæ de Deo, de lege, de bono & malo, de vita & morte nec leviter, nec segniter cogitarunt, & multa eximiè ac prudenter locuti sunt.

Hæc tamen naturalis ad obtinendam haut sufficit salutem.

Pelagiani olim statuerunt, è bono usu harum reliquiarum pendere imaginis Dei in homine per Christum factam restaurationem. alias hominem per earum abusum haut posse fieri inexcusabilem.

Remonstrantes magna ex parte dicunt; *Etsi* Euangelium sit efficacior & apertior ad salutem via, per legem tamen hanc naturæ, hominem servari posse, si homines eâ rectè utantur. id quod in Synodo Milevitana atque Arausicana, ut hæreticum, condemnatum olim fuit. Addunt alii Remonstrantium; *Etsi nemo possit per solam legem naturæ servari*, tamen, si homo naturalis rectè donis illis utatur, Deum ipsi gratiam Euangelicam revelaturum, vel per præcones ad eum missos, vel per se ipsum, vel per Angelum.

Pelagiani olim condemnati sunt, quia docebant, *gratiam dari secundùm merita & bonos motus voluntatis*. contrariè Es. 65: 1. Rom. 10: 20. Rom. 11: 35. Rom. 9: 15. Tit. 3: 4. 5. Abutuntur loco Matth. 13: 12. Matth. 25: 29. Etiam exemplo Hiobi & Cornelii.

Sed contra hos errores Scriptura multipliciter pugnat. *In sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum*. 1 Cor. 1: 21. *Animalis homo non recipit, quæ sunt Spiritus Dei. & non potest* γνῶναι *cognoscere*. 1 Cor. 2: 14. Etiam experientia. Quibusnam gentibus, etiamsi optimè donis naturalibus usæ sunt, Euangelium olim nunciatum est? Potiùs id corruptissimis oblatum. Denique, quo non deducimur ad notitiam Jesu, consilii pacis Jesum inter & Patrem, id ad salutem hautquaquam sufficit.

Supernaturalis Theologia est, quam nec *caro* nec *sanguis*, hoc est, ullus homo aut creatura, nec mundus, nec cor nostrum, nec ipsa *Lex*, sed *Deus*, qui in cœlis, *revelavit* è cœlis. Matth. 16: 17. sine qua nec Deum nosse, nec salutari fide gaudere, nec viam salutis ingredi potuissemus.

Vocatur illa à nonnullis *Doctrina*, *divina* nimirum, de Deo, rebusque divinis, singulari modo à Deo revelatis ad gloriam Dei, & nostram salutem. Non est enim è natura & indagine humana, sed è revelatione & institutione divina. Es. 51: 4. *Doctrina à me prodibit. E cœlo, quare ergo non credidistis ei?* Matth. 21: 25. *Nos scimus, Deum Mosi esse locutum.* Joh. 9: 29. *Euangelium* .... οὐκ ἔστι κατὰ τὸν ἄνθρωπον. *neque ab homine ego illud accepi*, οὔτε ἐδιδάχθην, sed διὰ ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. Gal. 1: 11. 12.

Christus omnem suam, quam tradidit, Theologiam, sæpius vocat διδαχήν. Joh. 7: 16. ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔστιν ἐμή, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με. vers. 17. *Si quis velit voluntatem*

ejus

ejus facere, γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς, num è Deo sit. Joh. 18: 19. ὁ ἀρχιερεὺς rogavit Jesum περὶ τῆς διδαχῆς αὐτοῦ. & 1 Tim. 6: 3. comprehenditur sub phrasi τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ.

Neque tamen aliena hic est *intelligentiæ*, *sapientiæ*, *artis*, *prudentiæ*, aut *scientiæ* appellatio. cuilibet enim accuratæ hæc insunt disciplinæ. inprimis ergo Theologiæ.

Etiam ita dici potest. Theologia est *sermo de Deo*, *è Deo*, *coram Deo*, *ad gloriam Dei*, è 2 Cor. 2: 17.

Hanc Theologiam Deus initio ipse docuit & elocutus est, & per patrum traditionem propagari sivit ad filios, accedente crebra ejus apparitione & loquela. dein Mosen jussit illam scribere, id quod & per Prophetas & Apostolos & Euangelistas voluit repeti. Ergo quæ initio erat ἄγραφος, facta est ἔγγραφος.

Theologia hæc nostra est tota *practica*, hoc est, comparata ad praxin sanctissimæ vitæ, quæ in amore consistit Dei & proximi, in siti & fame justitiæ, commendandam, excitandam & jubendam. Docet illa sanctissimam πρᾶξιν, beatè vivere & mori. nulla in illa est veritas, quæ non per se πρᾶξιν doceat. Nam ex. gr. *Deus* est, *Christus* est *Servator*, multiplicem actionem excitat in verè illa perpendentibus. Omninò ergo illa vocatur ex Tit. 1: 1. *cognitio veritatis* τῆς κατ' εὐσέβειαν. & è 1 Tim. 6: 3. ἡ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλία. & è 1 Tim. 3: 16. τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον.

Imò non est possibile, proficere in illa sine vera pietate. *Timor* enim *Dei* est *sapientiæ initium* Psalm. 111: 10. Prov. 1: 7. 9: 10. Imò *sapientia* Job. 28: 28. & *secretum* seu familiare commercium Dei est *timentibus ipsum*, & *fœdus ipsius*, *ad notificandum illud*. Psalm. 25: 14. confer Joh. 14: 21. *Qui habet mea præcepta*, & *ea retinet*, *is est*, *qui me diligit*. Nazianzenus. βούλει θεολόγος γενέσθαι ποτὲ καὶ τῆς θεότητος ἄξιος, τὰς ἐντολὰς φύλασσε. διὰ τῶν προσταγμάτων ὁδεύσον. Πρᾶξις γὰρ ἐπίβασις θεωρίας. Justinus Martyr in Parænesi ad Græcos. οὐκ ἐν λόγοις, ἀλλ' ἐν ἔργοις τὰ τῆς ἡμετέρας θεοσεβείας πράγματα.

Practica est, non communi tantùm illâ ratione, quâ omnes disciplinæ pro fine suam habent εὐπραξίαν, sed præcipuè, strictè, ac præ aliis omnibus practica est. *Amesius*.

Itaque illi vehementer errant, qui Theologiam scientiis, quarum finis præcipuus est contemplatio, ἀνάλογον esse statuerunt. tota enim ad praxin tendit. *Maccovius*.

Theologia hæc nostra in hac vita est tantùm ἐκ μέρους, *è parte*. ἐκ μέρους γινώσκομεν, ἐκ μέρους προφητεύομεν. 1 Cor. 13: 9. Quis intelligit omnia mysteria verbi divini? Quis scrutatus est & exhausit illius βάθη? Quantum est, quod nescimus!

In *Patria* Theologia nostra erit perfectior. ibi enim videbimus πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. 1 Cor. 13: 12. Igitur si quæras, *An eadem sit Theologia Viatorum & Beatorum?* seu *An Theologia in hisce terris acquisita etiam in altera vita sit mansura?* Respondebimus, esse eandem respectu objectorum, quæ cognoscuntur in illa & creduntur. non esse eandem, respectu mensuræ cognoscendi, modi, & ipsorum illorum, qui cognoscunt. qui hac in vita sunt imperfecti, in futura erunt perfecti.

Utut autem imperfectè in hac vitâ θεολογοῦμεν, tamen habemus sufficientissimè, ut ἐπὶ μείζονα cottidie ferri possimus τελειότητα. Habemus *Christum*, in quo omnes *thesauri* σοφίας καὶ τῆς γνώσεως sunt ἀπόκρυφοι. Col. 2: 3. Habemus τὰ ἱερὰ γράμματα, τὰ δυνάμενα εἰς σωτηρίαν σοφίσαι. 2 Tim. 3: 15. Habemus *fundamentum*, cui omnia alia debent inædificari. 1 Cor. 3: 11. 12. *accepimus* τὸ χρίσμα, ὃ διδάσκει ἡμᾶς περὶ πάντων. 1 Joh. 2: 27.

Modus Theologiam tractandi est vel *didacticus*, vel *polemicus*. positivus aut Scholasticus.

cus. κατασκευαστικὸς & ἀνασκευαστικὸς. rudis magis, vel exquisitus. methodo vel analytica, vel synthetica, ad dogmaticam magis, vel ad practicam. Methodus *analytica* faciliorem & meliorem sequitur cognitionis ordinem. *synthetica naturæ ordinem.* & à primis orditur principiis.

Præstat in illa usum suum *Ratio*, non *judicis* quidem, aut *normæ*, sed *instrumenti.*

Theologia enim non tantùm est νοητικὴ & σημαντικὴ, sed etiam διανοητικὴ. utitur argumentis ad convincendos contradicentes. è principiis suis elicit conclusiones. etiam inde petit solutiones, ad refellenda adversariorum sophismata. Non decet nos esse, ὡς τὰ ἄλογα ζῶα. *animalia*, nec ratione prædita, nec utentia. Theodoretus. *Utamur ratione, etiam cum verba facimus de creatione & Servatore nostro. Mente enim nos praeditos fecit Deus.* Scriptura requirit σύνεσιν Matth. 15:10. ἐρεύνησιν Joh. 5:39. μνημοσύνην Joh. 14:26. 2 Tim. 2:8. διάνοιαν 1 Joh. 5:20. νουνέχειαν Marc. 12:34. βλέψιν τῆς ἀκοῆς. Luc. 8:18. νόησιν 2 Tim. 2:7. δοκιμασίαν 1 Thess. 5:21. 1 Joh. 4:1. At hi actus omnes sunt rationis.

Multa sunt mysteria fidei, quæ captum rationis excedunt. Etiam ratio illuminata in hac imperfectione perfecta non est. Ibi ergo captivanda est.

Scripturæ magis credendum, quàm rationi. Igitur si in Scriptura quid occurrat, quod cum ratione videatur non convenire, Spiritui S. Scripturæ Auctori, credendum magis, quàm rationi; & cogitandum, Spiritum magis sapere, quàm rationem. & in Scriptura majorem esse lucem, quàm in ratione, quantam, quantam etiam perfectionem illa assequi & sibi comparare possit.

Attamen rationis usus multiplex est. 1. In percipienda mente Spiritus S. 2. In comparandis verbis Spiritus S. invicem. 3. In educendis è verbo Dei legitimis consequentiis. 4. In urgenda vi verborum Spiritus. 5. In iis materiis, quæ non planè superant rationem. ut cum agitur de ubiquitate corporis Christi; de orali manducatione, &c.

„ Veritas à veritate verti aut aboleri nullo modo potest; quamvis una alteram sæpè supe-
„ ret & transcendat. Qui rationem à fide non secus ac stellam à sole obscurari imò exstin-
„ gui clamitant, nec rationis, nec fidei, imò nec stellæ, nec solis naturam norunt. . . .
„ Discant, non dirui rationem à fide, sed stabiliri potius & staminari hoc fulcro, adeo-
„ que, quicquid in ea, ut in caliginoso aëre, nubilum, discuti & illustrari ab hoc sole. Ac
„ minus illud luminare propter novi hujus multoque majoris accessionem non magis abdi-
„ candum aut extinguendum, *quam oculos cum stultissimo illo Democrito eruendos, eo quod mente plura & majora intueamur.* Masson. part. 1. cap. 11.

Sociniani plus æquo deferunt Rationi in rebus Theologicis, & ad ejus trutinam exigunt omnes res fidei.

Papistæ Verroniani, & Lutheranorum aliqui omnem rationis usum in Theologica argumentatione & formandis consequentiis adimere satagunt.

Sunt alii, qui inter *Theologiam* & *fidem* distinguunt. Theologus quidem plura novit, quàm quivis fidelis. Attamen Theologus verus non est nisi fidelis. & *fides* non tantùm fundamentalem veritatem amplectitur, sed & quæ è veritate illa consequuntur. Et res, quas Theologia tradit, sunt pleræque tales, ut non nisi fide acceptentur. Tolle à Theologo fidem, & è Theologo facies ἀθεόλογον.

Theologia tradit *Religionem*, hoc est, veram normam Deum agnoscendi & colendi, ad obtinendam εὐζωίαν καὶ εὐδαιμονίαν. Ad id enim omnis sermo & doctrina de Deo tendit, ut certissima ratio constet, quomodo cum Deo ita cognito agendum, & coram illo ambulandum sit.

Re-

Religio est à *religando*, quia illâ cum Deo religamur. est ligamentum & vinculum pietatis. Aug. in libr. de vera Relig. cap. 55. *Religet ergò nos Religio uni omnipotenti Deo.* Vel à *relegendo*, quia habetur è crebra relectione verbi divini. Deut. 17:18. August. libr. 10. de civitate Dei, cap. 1. *Hunc* Deum *eligentes vel potius relegentes. Amiseramus enim negligentes. Hunc ergò relegentes, unde Religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus: Ideo beati, quia illo fine perfecti.*

Aliter venit *Religio*, quando definitur *Observantia*, quæ Deo defertur, quâque quæ ad honorem Dei spectant sanctè præstantur. vel, *Virtus animis* per Spiritum S. indita, ad Deum ritè agnoscendum & colendum.

Picus Mirandulanus. *Veritatem Philosophia quærit. Theologia invenit. Religio possidet.*

Religio certis comprehenditur articulis, qui à nonnullis in *Catholicos*, quos omnes omninò homines ad salutem obtinendam scire & credere necessum est, & *Theologicos*, quos ita dictos Theologos, Professores, Doctores, Ministros seu Pastores, accuratè scire interest, quique ad Theologicam propriè pertinent scientiam, distinguuntur.

Religioni adversa est *superstitio*. de qua Cicero libr. 2. de natura Deorum. *Qui tota*, inquit, *die precabantur & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod nomen patuit postea latius. Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, dicti sunt religiosi à relegendo.*

Κριτήρια & notæ veræ Religionis sunt. 1. Ducere ad verum & æternum Deum. 2. Cultum præscribere à Deo institutum, illi decentem, semperque manentem. 3. Docere veram peccatoris cum Deo reconciliationem, & peccatoris justificationem.

Non datur *Religio* quædam *communis*, ut volunt Pelagiani & Sociniani, per quam omnes promiscuè homines, etiam extra Christum, possint salvari. cujus *duo* ponunt *capita*. Primum de *agnitione Dei in natura se manifestantis*. Secundum, *de ejusdem cultu, à ratione* dictato, quique per *naturam* ab homine præstari possit.

Figmentum par huic est de *fide communi & naturali*, quæ pro objecto Euangelium non habet, & tamen salvare statuitur.

Quia autem, ut supra monuimus, Theologia supernaturalis à Deo in verbo suo est descripta; de illo *verbo Dei* nunc agendum est.

Locus II.

DE SCRIPTURA.

Et in specie *de Necessitate Verbi Dei*, dein *Scripturæ*.

Vulgare dictum est, *Ens & bonum reciprocari*; *Bonumque esse sui communicativum.* Ideò Deus *Ens Entium* summè *bonus* esse statuendus est, & non tantum se ac bonitatem suam communicare posse, sed re ipsa communicasse.

Bonum aliud est *Physicum*, aliud *Ethicum* seu morale. Est in Deo bonitas *physica*, quæ in *Essentia* ejus & *Potentia* spectari potest. est & in illo *moralis*, quæ in ejus *justitia*, sapientia, sanctitate cernitur. Si creaturas à Deo vocatas aspicimus, aliæ sunt inanimatæ, & animatæ & irrationales. aliæ sunt animatæ, rationales, intellectu præditæ & voluntate.

Istæ præcipuè participant de bono Dei Physico. nam in illis *cernitur æterna Dei potentia & divinitas.* Rom. 1:20. Hæ & de bono Ethico. nam in *justitia*, sapientia, sanctitate, rectitudine creatæ sunt.

Cumque creaturæ hæ intelligentes vel *Angeli* sint vel *homines*, non potuit non Deus pleniore se illis modo communicare. Est autem Deus ἀόρατος, ὃν εἶδεν οὐδεὶς ἀνθρώπων, οὐδὲ ἰδεῖν δύναται 1 Tim. 6: 16. imò ἀκατάληπτος, immensus, & prorsus & omni modo infinitus. Ut igitur se communicaret *homini*, (de Angelis enim nunc non agimus) debuit signis uti externis, per quæ cognoscendum se & quasi conspiciendum illi præberet. Hæc signa autem deprehendimus duplicia, vel *naturalia* vel κατὰ συνθήκην. *Naturalia* vocamus illa, per quæ ita ad causam, cujus signa sunt, quis deducitur, ut per effecta ad causas duci solemus. Ergo *naturalia signa* sunt omnia Θεοῦ ποιήματα, quæ aspecta ad notitiam causæ primæ illicò deducunt. *Signa* autem κατὰ συνθήκην sunt illa, quæ ex pacto & instituto valent ac significant, ut *voces* & *verba.*

Utrisque signis, ut se communicaret Deus hominibus & manifestaret, usum illum videmus. *Naturalibus*, quæ naturâ suâ aliquid significant. qualia sunt ποιήματα *creaturæ Dei*, & opera manuum ejus, quæ gloriam ejus enarrant homini attendenti. Ex *instituto* valentibus, ut sunt verba Dei & sermones ejus, tum ore traditi, tum denique Scripturâ consignati. Inde in homine orta duplex Dei cognitio, una *naturalis*, quâ ex creaturis quis & qualis & quantus sit Deus, Creator & Auctor omnium, ratiocinando potuit discere. *Supernaturalis* altera, quâ se in Verbo Deus illi patefecit.

Adamo integro utroque se revelavit modo. nam ad naturalem cognitionem, quâ omninò polluit Adam, intellectu & rationis usu præditus, accessit revelatio, quæ est per Verbum. Affatus est Deus Adamum, quum imperium ipsi concessit in animantia, quum usum creaturarum liberum ipsi permisit, & esum omnium fructuum, qui in horto Eden, concessit, uno excepto, imò quum jussit ipsum hortum colere, & Evam *auxilium* ad illum adduxit & indissolubili matrimonii vinculo illi sociavit. & etiam *Mortis* comminationem, cui opposita fuit, & simul facta esse censenda est *Vita* promissio, illi insinuavit.

Adamo lapso, ut verbum suum communicaret, multo magis necessarium fuit. Per peccatum enim mens illius tenebris est obscurata, voluntas depravata, appetitus sensitivus corruptus, ejusque motus evasere inordinati.

Ideò & Deus non siluit. In paradiso Euangelium illi προεπηγγείλατο. imò & sacrificiorum cultum illi posterisque ejus injunxit. non enim ille cultus ἐθελοθρησκείαις accenseri debet. tunc enim Deus non *testatus* fuisset ἐπὶ τοῖς δώροις τούτοις, Hebr. 11: vers. 4.

Et postmodum etiam vel in somniis θεοπέμπτοις, vel per visiones, vel per Angelorum apparitiones & alloquia, vel per voces immediatè de cœlo editas, denique & per afflatus Propheticos, adeoque πολυτρόπως, idque ad Mosen usque πολυμερῶς, cum hominibus egit.

Per id tempus salutaris doctrina potuit Patriarcharum ministerio, viva voce & institutione, sine scriptione & literarum subsidio, integra facile & incorrupta conservari; ut & reipsa conservata est. Paucitas hominum, longævitas Patriarcharum, frequentia revelationum, & compendiosa res credendas tradendi ratio à Deo observata, facilem illius ostendunt possibilitatem. Adamum Metusalah, Metusalam Semus, Semum Abrahamus, Abrahamum Jacobus, Jacobum Josephus, Josephum Mosis parentes videre

& au-

& audire, ac ab illo institutionem & doctrinam accipere potuerunt. Ita septem hominum continua serie succedentium operâ & voce potuit salutaris doctrina, ab orbe condito ad Mosen usque per plusquam bis mille annos, conservari, sine literarum S. Scripturæ subsidio.

At sequentium sæculorum longè alia fuit ratio. Sumsit Deus posteros Jacobi in populum, & secrevit illos à gentibus omnibus. deinde & de Sina ipse locutus est. ac postmodum *judicia* dedit, & multis carnalibus populum institutis oneravit. Tot tantæque res non poterant facilè memoria per multa sæcula conservari, nec ab hominum corruptione defendi. Ideò Deus ad perpetuandam istarum rerum memoriam, omnia illa, unà cum creationis & primitivæ Ecclesiæ historia, ad Mosis usque tempora, literis consignari jussit. & ipse exemplo quasi præire voluit, scribendo decem verba in lapideis tabulis.

Imò & Mosi disertè præcepit Exod. 34: 27. *Scribe tibi verba hæc, nam super os horum verborum pepigi tecum fœdus & cum Israële.* Deut. 31: 19. *Et nunc scribite vobis canticum hoc & doce id filios Israël; pone id in ore illorum. ut sit mihi canticum hoc in testem in filiis Israël.* confer ℣. 22. *Et scripsit Moses canticum hoc die illo.* confer ℣. 24. Et fuit ככלות משה לכתב *verba legis hujus in libro* עד תמם: imò Moses jussit Levitas: *Accipite* את ספר התורה *librum legis hunc, & ponetis illum è latere arcæ fœderis Jehovæ Dei vestri*, ibid. ℣. 26. Imò de illo scripto libro legis monuit Dominus Josuam Jos. 1: 8. *Non recedet liber Legis hujus ab ore tuo*, &c. Imò paulo post pronunciatum Decalogum jam fit sermo de *Libro Legis*, è quo Moses *legit in auribus populi.* Exod. 24: 7. De quo & Paulus Hebr. 9: 10. *αὐτό τε τὸ βιβλίον καὶ πάντα τὸν λαὸν ἐῤῥάντισε.*

Scriptionem esse optimum & securissimum modum servandi rerum gestarum memoriam, ipse sensus communis, & experientia omnium testatur sæculorum & gentium. Cur enim Leges publicæ, statuta atque edicta Regum; cur Plebiscita inciduntur in ære, inscribuntur tabulis, nisi quia ita incorruptè servari & ad posteros memoria illarum rerum certissimè propagari potest?

Quæ viva voce & orali tantùm institutione per manus quasi traduntur, facilius multo possunt immutari, corrumpi, obliterari, ob innatam hominum socordiam, sublestam fidem, nativam levitatem, pravosque affectus, quibus ad veritatem sibi adversam vel supprimendam & exstinguendam, vel adulterandam & corrumpendam sæpè sollicitantur. Hæc autem pravitas & licentia non potest tam facilè in his grassari, quæ publicè sunt consignata, & omnium oculis ac manibus obvia & trita.

Ut Mosen scribere, ita & subsequentes deinceps Prophetas Deus jussit. nam quæ illi primum voce, ea mox, *acti* à Spiritu Sancto, scripto tradiderunt. cui illorum *λόγῳ*, scripto certè, ut *βεβαιοτέρῳ προσέχειν, καλὸν* judicavit Petrus 2. Ep. 1: 19. 20. 21.

Idem ab Apostolis factum est. qui non scripsissent, nisi judicâssent, hanc servandæ veritatis divinæ rationem etiam sub Novo Testamento Ecclesiæ summopere utilem esse & necessariam. Sub Veteri Testamento quietior erat Ecclesiæ status, & Prophetarum opera pœnè cottidiana. & tamen verbum suum committi Scripturæ voluit Dominus. Quanto hoc magis necessarium sub Novo Testamento Ecclesiæ fuit, ubi plures persecutiones, hæreses, fraudes, Antichristi corruptiones essent surrecturæ, nec Prophetæ novi post Apostolos excitandi.

Hanc Scripturæ utilitatem & necessitatem docet Johannes cap. 20: 30. *Hæc scripsi vobis*,

bis, ut credatis, Jesum esse Filium Dei, &c. confer 1 Joh. 1: 4. *Et hæc scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit consummatum.* confer 1 Joh. 2: 1. & 1 Joh. 5: 13. Addatur Judas ў. 3. *Studium faciens scribere vobis de communi salute,* ἀνάγκην ἔσχον γράψαι ὑμῖν. & Phil. 3: 1. τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρὸν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές. Et quoties accepit Johannes in Apocalypsi mandatum scribendi Apoc. 1: 19. & ў. 11. γράψον εἰς βιβλίον. 2: 1. 8. 3: 1. 7. 14. 14: 13. 21: 5? Cur jussus est scribere? quia necessarium fuit illa scribi. Si verò illa, quæ istic memorantur, quanto magis alia, Ecclesiæ longè magis necessaria, scribi necessum fuit? Denique cum 2 Tim. 3: 16. *omnis Scriptura divinitus inspirata & utilis ad doctrinam* &c. dicitur, an non superabundè utilitas & necessitas Scripturæ constabit? In Lege Deus scripsit in *tabulis*. in Euangelio Christus scripsit in *pulvere*. Joh. 8: 6. 8. & illa humillima licet scriptione terruit *hostes*. ibid. ў. 9. Innuisse videtur Dominus facto hoc, *Scripturæ* in posterum tradendæ, imò jam traditæ, ad hominum commovendos animos, futuram aliquam efficaciam. Nil aliud legitur Christus scripsisse propriâ manu. Epistola ad Abgarum Edessenorum Regem, cui Christus dicitur sui decrevisse effigiem, est commentitia. Neque enim id Christum decuit. Etiam Deus ipse nil scripsit nisi decem verba.

Ad disseminandam properè, per universum terrarum orbem, Christi doctrinam, nil aptius potuit esse vivo Apostolorum præconio. Sed ad eandem à corruptelis puram ac integram conservandam, nil convenientius fuit, quàm ut præconium suum referrent in literas.

Si Scriptura omnia continet, quæ ad salutem sunt necessaria, ea procul dubio & Ecclesiæ necessaria est. Atqui.

Sique hominibus necessaria est revelatio, qua edoceantur viam æternæ consequendæ beatitudinis, utique Scriptura in eum finem est necessaria. in qua, & haut extra illam illa revelatio occurrit & invenitur.

Si non exstaret *verbum Dei*, nemo posset esse Theologus. Quis posset θεολογεῖν, si non extet θεοῦ λόγος? *Si quis loquitur, ut oracula Dei* 1 Petr. 4: 11. *ut recipientes recipiant non verbum hominum, sed verbum Dei.* 1 Thess. 2: 13. Christus ipse narravit אל חק Ps. 2: 7.

Verbum Dei & revelatio necessaria fuit, ut per id excitaretur homo & convinceretur de Dei existentia, essentia, debito suo, peccato, quod sine lege & verbo silet ac latet. Rom. 7: 8. 9. 13. 5: 20. Sine eo nemo rectè considerat, quæ in natura Deus de se ἐφανέρωσε. Rom. 1: 21.

Sine verbo Dei, quod *gratiam* Dei promittit, non amare potest homo Deum & glorificare. Sine verbo Dei justificatio & justitiæ causa non potuit cognosci. ne Angeli quidem illam sciunt ex seipsis. 1 Petr. 1: 12.

Hoc verbum *scripto* tradi necessum fuit.

1. Ut publico instrumento divina veritas comprehensa Judæis, & per illos mundo communicaretur.

2. Ut idololatria confirmata debellaretur, & Judæorum ἀπιστία convinceretur, & hæreses ac defectiones ultimo tempore exstituræ fortius redarguerentur.

3. Ut Christi venientis legitima missio & auctoritas & veritas ex illo demonstraretur.

4. Ut Lex Dei in omnium auribus, oculis, ore esse & versari posset, juxta prophetiam Jerem. 31: 33. 34. Es. 54: 13. Joh. 6: 45. 1 Joh. 2: 27.

Aliud est principium *essendi* Theologiæ, aliud *cognoscendi*. Illud Deus est; hoc Verbum Dei seu Scriptura. Verbum Dei in se & essentia sua simpliciter consideratum prius est Ecclesia. *Scriptura* verò Ecclesiâ illâ primâ est posterior.

Du-

Duplex est necessitas, una absoluta, altera ex hypothesi. seu necessarium aliquid dicitur duobus modis, vel ut causa, vel ut concausa. Verbum Dei revelatum omnibus simpliciter necessarium est, ut causa; Scriptura verò ut concausa. Non sequitur autem, Patres ad Mosen usque causa necessaria, absque hac concausa. Ergo & nos. A temporis enim mutatione fallax est conclusio. *Trelcatius.*

Si reputemus, quàm lubricus sit humanæ mentis lapsus in Dei oblivionem, quanta in omne genus erroris proclivitas, quanta ad confingendas identidem novas & fictitias religiones libido, perspicere licebit, quàm necessaria fuerit talis cœlestis doctrinæ consignatio, ne vel oblivione deperiret, vel errore evanesceret, vel audacia hominum corrumperetur. *Calvinus.*

Emerserunt nuper vertiginosi quidam, inquit *Calvinus*, qui Spiritus magisterium fastuosissimè obtendentes, lectionem ipsi omnem respuunt, & eorum irrident simplicitatem, qui emortuam & occidentem, ut ipsi vocant, literam adhuc consectantur.

Libertini, *David Georgius*, *Franciscus*, *Henricus Nicolai*, qui se appellant *Zelotas Spiritus*, docent, Deum suos sine ullo verbo externo, solo Spiritus instinctu velle ducere & docere. Ministerium Novi Testamenti dici *ministerium Spiritus*, non *literæ*. 2 Cor. 3: 6.

Opus quidem est efficaciâ Spiritûs Sancti, ut homo credat. Spiritus autem facit credere *Verbo Dei* tantùm. quod illius impulsu dictum & scriptum est. Rom. 10: 14. Πῶς *credent*, οὗ οὐκ ἤκουσαν. Πῶς δὲ *audient* χωρὶς κηρύσσοντος; ♰. 17. Ἄρα *fides est ex auditu. auditus verò per verbum Dei.* Joan. 14: 26. *Et vobis in memoriam revocabit* πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. Es. 59: 21. *Spiritus meus, qui in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent &c. à nunc in seculum.* Act. 16: 14. *Lydiæ cor aperuit Dominus*, προσέχειν τοῖς λαλουμένοις à Paulo. Luc. 24: 45. Christus discipulis *aperuit mentem*, τοῦ συνιέναι τὰς γραφάς. Eph. 5: 26. *Purgans* λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι. Dati sunt *Doctores*, qui nimirum verbum Dei docent, πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας. Eph. 4: 12. Igitur ministerium verbi à Spiritus ductu non sejungimus, sed cum eo conjungimus. ducit docetque Spiritus ex verbo & secundùm verbum Dei. Galat. 3: 2. *An Spiritum accepistis ex auditu fidei, an ex operibus legis?*

Alii mollius agere volentes, concedunt quidem, Verbum & Sacramenta non esse planè abjicienda, ob alphabetarios scilicet & rudimentarios in Christianismo; eis verò, qui jam sunt confirmatiores, ea non esse necessaria; illos solum Spiritus ductum sequi. Sed & hæc absurda est sententia. Rom. 1: 14. σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις *debitor sum.* Hebr. 5: 14. etiam τελείοις suppeditat Scriptura τροφήν. 1 Joh. 2: 13. γράφω ὑμῖν, πατέρες, γράφω ὑμῖν, νεανίσκοι. Epistolæ Apostolicæ inscriptæ sunt etiam profectissimis 1 Petr. 1: 1. ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις. confer. ♰. 13. 14. 2 Petr. 1: 1. τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχοῦσι πίστιν. 1 Cor. 10: 15. ὡς φρονίμοις λέγω. Phil. 3: 15. ὅσοι τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν. 1 Tim. 4: 13. πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει.

Objiciunt loca, in quibus *Spiritus Sanctus* sub Novo Testamento promittitur. Joël. 3: 1. 2. Es. 44: 3. Ezech. 36: 26. Resp. Promittitur Spiritus, citra exclusionem & abrogationem Verbi.

Etiam locum 2 Cor. 3: 6. *aptavit nos ministros* Novi Testamenti, οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος. Τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ. Resp. Per γράμμα intelligitur id, quod ἐν λίθοις fuit insculptum, *Lex*, & sequelæ ejus onus impositum Israëli à Mose, non sine *gloria*, quæ & ipsa *in facie* Mosis refulsit. Hæc διακονία τῆς καταργουμένης (Lex enim *operatur iram.* Rom. 4: 15) cum omni sua δόξῃ abolita est.

verſ. 11. εἰ γὰρ τὸ καταργούμενον, διὰ δόξης. Non ergo negat Paulus, ſe eſſe Miniſtrum Scripturæ. quinimò dum ſe dicit *Novi Teſt. Miniſtrum*, ſimul ſe dicit verbi ejus & Sacramentorum Miniſtrum. Pariter Novo Teſt. adſcribitur *πνεῦμα Spiritus*. non ut excludatur verbum, ſed ut oſtendatur Spiritus effuſi magna copia, & omnem cultum nunc debere eſſe ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ. Joh. 4:23.

Etiam Pontificii *neceßitatem* Scripturæ impugnant. Bellarminus de verbo Dei non ſcripto, libr. 4. cap. 4. Scripturas docet *ſine traditionibus nec fuiſſe ſimpliciter neceſſarias, nec ſufficientes*. Potuiſſe doctrinam Chriſtianam conſervari ſine Scriptura ad 1500 annos. Illam *neceſſariam* poſſe dici *non ſimpliciter*, *ſed ad bene eſſe*, hoc eſt, *utilitatis* cujuſdam cauſâ.

Extra Scripturam non habemus aliud idoneum medium 1. *Revelationis*, quo Eccleſia ſerior uti poſſit ut canone infallibili. 2. Arguendi Judaicam traditionem corruptionis. 3. Conſervandi Euangelii puritatem. 4. Proficiendi ad ſapientiam. 5. Probandi Chriſtum & regnum ejus. 6. Legem Dei ponendi in medio omnium. 7. Cognoſcendi prophetias. 8. Confutandi Anti-chriſtum, prætextu Traditionis hominibus illudentem.

Chryſoſtomus homil. 3. de Lazaro. *Magna adverſus peccatum munitio eſt lectio Scripturarum.* Magnum præcipitium, profundum barathrum, Scripturarum ignoratio. Magna ſalutis perditio, nihil ſcire ex divinis legibus. Ea res & hæreſes peperit, & vitam corruptam invexit. Hæc ſurſum deorſum miſcuit omnia. Nam fieri non poteſt, ut quis ſine fructu diſcedat, qui aſſiduâ attentâque Scripturarum lectione fruatur.

E contra quidam dixit Pontificius. *Melius conſultum fuiſſe Eccleſiæ, ſi nulla unquam exſtitiſſet Scriptura.* Vulgo appellant Scripturam *Euangelium nigrum, Theologiam atramentariam*, & Scripturæ Lectores *Scripturarios*.

Objiciunt 1. *Chriſtus non dedit mandatum ſcribendi diſcipulis.* Ergò non neceſſaria Scriptura. Reſp. Impulſus Spiritus Chriſti, quo acti locuti ſunt, & ſcripſerunt, mandati inſtar eſt. Attamen Moſen juſſit Deus ſcribere. in Euangelio Johannem. Et Judas ſui *ſtudii* putavit eſſe γράφειν. verſ. 3. Auguſtinus de conſenſu Euangeliſt. lib. 1. cap. ult. *Quicquid de ſuis factis & dictis legere nos voluit*, Chriſtus, *hoc ſcribendum illis*, (Euangeliſtis & Apoſtolis) *tanquam manibus ſuis imperavit.* Irenæus Martyr libr. 3. adverſus hæreſes. *Non per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos, per quos Euangelium venit ad nos. quod quidem tunc præconiaverunt; poſtea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt*, fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.

2. Apoſtoli non confecerunt Catechiſmum, nec conjunctim communem doctrinæ ediderunt formulam; ſed vel hiſtoriam tantùm ſcripſerunt, vel Epiſtolas, in quibus diſputationes de fidei dogmatibus obiter tantùm tractarunt. Reſp. quælibet Apoſtolica Epiſtola Catechiſmus eſt. communem doctrinam in omnibus ſcriptis ſeu Epiſtolis tradiderunt. eamque perfectâ quaſi formulâ. unde & loquuntur de τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει. Jud. ℣. 3. & Paulus monuit Timotheum, ὑποτύπωσιν ἔχειν ὑγιαινόντων λόγων, *quos ab ipſo audierat.* 2 Tim. 1:13. Hæc ὑποτύπωσις quid eſt niſi doctrinæ formula? Imò & 2 Tim. 3:5. loquitur de μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας, cujus δύναμιν *negans* φιλήδονοι. Mendacium eſt, *hiſtoriam* tantùm ſcripſiſſe Apoſtolos, aut obiter tantùm de fidei egiſſe dogmatis.

3. Eccleſia ab Adamo uſque ad Moſen caruit verbo Dei ſcripto. Reſp. à temporis mutatione fallax eſt concluſio.

4. *Apoſtoli diu abſque Scripturâ & vivâ tantùm voce docuerunt. & ſerò ſcripſerunt.* Reſp. *Nil* docuerunt *extra Moſen & Prophetas.* Actor. 26:22.23. Petrus, ut eſt apud Cle-

Clementem Alexandrinum Strom. libr. 6. dicere solitus est, ἐδὲν ἄπε γραφῆς λέγομεν. Scripserunt Apostoli non serò, sed ubi id necessitas exegit, occasio suppeditavit, Ecclesia flagitavit. Jam maturè Paulus scribere incepit. unde & monet κρατεῖν τὰς παραδόσεις, *quas docti erant* δι᾽ ἐπιστολῆς Thessalonicenses. 2 Ep. 2: 15.

5. *Apostoli multo plura docuerunt, quàm scripserunt.* Resp. omnia, quæ docuerunt, etiam scripserunt; non quoad numerum verborum. sed vim rerum. utique fuere ἠλεημένοι ὑπὸ Κυρίου πιστοὶ εἶναι. ut de se Paulus 1 Cor. 7: 25.

6. *Apostoli habuerunt tantùm partiales* & accidentales causas scribendi ad certas Ecclesias vel personas spectantes. Resp. ex Irenæo libr. 3. cap. 1. *Scripserunt suo tempore ad particulares Ecclesias, ut futuris quoque temporibus Ecclesia fundamentum & columnam fidei haberet.*

7. *A Christi adventu per annos multos Ecclesia fuit sine Scripturis.* Irenæus fertur scripsisse, *suo tempore fuisse gentes Christianas Barbaras, quæ solis traditionibus, sine Scripturis, optimè vixerunt.* Resp. à Christi adventu Ecclesia & ante illum semper habuit Mosen & Prophetas. Barbaræ gentes, de quibus Irenæus, è Scriptura fuere institutæ. quàmvis forsan non omnes legerint Scripturas.

Argumenta *Libertinorum*, qui se *spirituales* appellant, & *desideriorum viri* haberi volunt, hæc etiam præter supra allegata notentur. 1. *Scripta litera interpretatione falsâ potest corrumpi.* Ergò non est verbum Dei. 2. Scripta litera non est ipse Deus. Ergò non est verbum Dei. 3. *Non est Christus.* Ergò. 4. Multi in scriptâ literâ diu versati, eam non intelligunt. Ergò non est verbum Dei. 5. Scriptura est *litera occidens.* 6. *Scriptura* non est Spiritus & vita.

Ita porrò necessitatem Scripturæ impugnant. 1. *Omnes erunt à Deo docti*, Esai. 54: 13. Ergò Scriptura non est necessaria. 2. *Dabo legem meam in cordibus ipsorum.* Jer. 31: 33. 34. 3. *Unus est Magister noster Christus.* Matth. 23: 4. 4. *Spiritualis omnia dijudicat.* 1 Cor. 2: 15. 5. *Unctionem habetis à Sancto, & nostis omnia, &c.* 1 Joh. 2: 20. 27.

DE S. SCRIPTURÆ AUCTORITATE.

SCripturæ *auctoritas* est *eminentissima*, hoc est, evidentissimis argumentis constat, eam à Deo esse; habetque primam auctoritatem apud Ecclesiam. est enim in illa multiplex divinitatis radiatio.

Pontificii omnem *Verbo Dei*, nisi quam habeat ab Ecclesiæ testimonio, auctoritatem detrahere videntur. *Nisi*, inquiunt, *accederet Ecclesiæ auctoritas*, homines non magis credituros esse *Scripturæ Sacræ, quam Tito Livio, Æsopi Fabulis, aut Mahumedis Alcorano.* Quidam Wolfgangus Hermannus hanc blasphemiam defendere ausus fuit. Hosius de auctoritate Scripturæ, pag. 271. putat, hoc aliquo modo & bono sensu dici posse, quia nisi Ecclesia nos doceret, S. Scripturam esse Canonicam, exigui ea ponderis apud nos esset. Jesuita Baleus, recens in Gallia scriptor, in sua Catechesi dicit, se sine Ecclesiæ auctoritate non magis crediturum S. Matthæo, quam Tito Livio. Addunt: *Spiritum S. si* quid ipse hodie loqueretur, non debere fidem impetrare, nisi comprobaretur ab Ecclesia. denique haut absurdum esse, si quis dicat, nos nullam habere fidem in Deum, nisi *quod Ecclesia sic suasit.* Nil quicquam divinitatis inesse Scripturæ, quæ nos ad credendum, quæ in illis, religione aliqua constringat. Biblia tota tolli de medio, vivorum judicum auctoritate sublatâ.

Nonnulli illorum sic procedunt. Agnoscunt Scripturæ auctoritatem *in se* summam, quam non habet ab Ecclesia. derogant illi tantùm auctoritatem *quoad nos*, nisi eam ab Ecclesia mutuetur. Ut quæstio sit, non, an Scriptura vera sit. id enim habet ab auctore omnis veri. sed quâ ratione nobis constet, esse veram & Deum auctorem habere. πῶς πεισώμεθα περὶ αὐτῆς, ὅτι ἐστὶ θεόπνευστος. Idem hic usu venire, quod in judicio Salomonis. non fecit ille, ut infans, de quo quærebatur, esset suæ matris filius: patefecit tamen, cujus filius esset, & natalibus restituit.

Sed perincommoda est distinctio *auctoritatis in se*, & *auctoritatis quoad nos*. omnimodam adimit auctoritatem Scripturæ, & excogitata potiùs videtur amoliendæ invidiæ, quàm explicandæ veritatis causâ.

Id quod *auctoritatis* nomine designari solet est ejusmodi, ut neque dici neque esse possit citra respectum ad aliquem, apud quem valere debet. Est enim *auctoritas* in hoc negocio & similibus, *jubendi* vel *persuadendi* facultas ab *excellentia* aliqua. *Iubendi* auctoritas est ab excellentia *muneris* sive *naturæ*. qualis est in magistratibus erga τοὺς ὑπηκόους, in parentibus erga liberos. *Persuadendi* est à *præstantia* quadam prudentiæ atque fidei apud eos, quibus consilio opus est. Si igitur Scripturæ nulla inest *quoad nos* vel jubendi vel persuadendi auctoritas, nisi à testimonio Ecclesiæ, certè illudunt illi, qui auctoritatem illi quandam *in se* tantummodò, nullam *quoad nos* attribuunt. Nempè sic nullam habet præstantiam, ex qua nascitur omnis auctoritas.

Quod omnem auctoritatem, quam Ecclesia habet, ipsi Ecclesiæ tribuit, id ab Ecclesia suam auctoritatem non accipit.

Certum est, *jubere* & *suadere* Scripturam, etiam ubi nulla Ecclesiæ auctoritatis mentio. Id facit, ut *pareamus* illi. Absurdum enim est, jubere & suadere, ubi nolis tibi præberi obsequium. Igitur auctoritatem *apud nos* illa indubiè *ex se*, non ex Ecclesiæ testimonio usurpare voluit. Ubi jubet suadetque Scriptura, liberumne nobis atque solutum, obsequi, vel non, pro arbitrio? Si detrectantes obsequium non peccamus, non modò nullam habet auctoritatem *quoad nos*, verùm omnino nullam *in se*. nulla enim vera & legitima auctoritas sine peccato spernitur. Si peccamus, ex se habet illa auctoritatem de jure non modò *in se*, sed etiam *apud nos*, licet de *facto* auctoritati illius non obtemperamus.

Demonstrandum.

1. Veritatem verbi Dei non pendere ex Ecclesiæ testimonio, sed ex se illud esse verum.
2. Nusquam verbum Dei reperiri posse, quàm *in* & *e* Scriptura.
3. Verbum Dei Scripturâ S. contineri, non aliunde certò sciri posse, quàm ex ipsa Scriptura.
4. Indubitatò sciri è Scriptura S. verbum Dei in illa contineri, & sic *ex se*, non aliunde, habere auctoritatem *apud nos*.

Distinctio auctoritatis *in se* & *quoad nos* est conjuncta cum blasphemia: Dei voluntas, promissio, minæ, historiæ & doctrinæ à Spiritu S. explicatæ, nullius erunt momenti, nisi hominum confirmentur testimonio, nullamque habebunt nisi mutuatitiam aliunde veritatem. Ita Deus humano subjicietur imperio, ut quæcunque dicit rata sint aut irrita pro eo ac ab hominibus vel approbantur vel infirmantur. Et æterna ac inviolabilis Dei veritas hominum arbitrio nitetur.

Imò & ab omni aliena est ratione. Omnis doctrinæ veritas consistit in consensione doctrinæ ipsius cum rebus, quæ doctrinâ explicantur. consensio autem fluit ex ipsa rerum natura. nec est ad libitum mutabilis. quomodo ergo doctrinæ sacræ pendeat ex hominum.

minum testimonio Veritas vel Falsitas, adeoque natura ipsa rerum?

Non obscuriorem veritatis suæ sensum ultro Scriptura præ se fert, quam *coloris* sui res albæ ac nigræ; *saporis*, dulces & amaræ. Nulla principia, nulla norma, Lex, nullum Testamentum pendet ab auctoritate eorum, quibus ea præscribuntur, sed ab eo, qui eorum est auctor.

Verbum Dei, quod est doctrina Religionis ab ipso Deo explicata, absolutissimam habet & immutabilem consensionem inter doctrinam & res ipsas doctrinâ traditas, ob infinitam Dei auctoris sapientiam.

Verbum Dei Ecclesiâ est antiquius. sine illius enim fide, ut & promissionum, minarum, revelationum ejus, & quæ adhibetur rerum gestarum narrationibus, & futurarum prædictionibus, Ecclesia non est Ecclesia. Igitur Ecclesia agnovit *verbum Dei* pro vero, antequam illi ullum testimonium perhiberet. Nec dare ei potuit testimonio suo, quod habebat ante omnem testimonii lationem.

Omne testimonium naturâ posterius est ea re, de qua perhibetur. & verum est aut falsum, pro eo ac recedit à rei ipsius natura, vel ad eam accedit. Si igitur testimonium Ecclesiæ de Dei verbo verum est, sequitur, Dei verbum ex se, non ex illo testimonio verum esse.

Verbum Dei ab hominum verbo non magis potest pendere, quam Deus potest hominum auctoritati subjici. Neque etiam magistratuum edicta ulli subjiciuntur.

Sequitur altera propositio.

Omne verbum Dei (loquimur nunc de verbo Dei revelato, non quod è natura depromitur) vel scriptum est, vel non scriptum. Non scriptum vel est ab *antiqua traditione* per manus accepta, vel est à nuperis ac veluti hodiernis seu *oraculis* seu *afflatibus*.

Afflatus quod attinet, recensent quidem Pontificii inter notas Ecclesiæ *lumen Propheticum*, tamen haut facile singularis quidam inter illos invenietur homo, qui se *Prophetam* profiteri ausit. Papæ attogant sibi Apostolicam quandam auctoritatem, & prærogativam *infallibilitatis*. tamen non præsumunt revelare nova & inaudita antè dogmata, sed in Scripturæ interpretatione, aut potius depravatione, & dijudicatione ac dispensatione Traditionum toti occupati sunt.

Oraculorum cœlitùs editorum nullus planè hodie in Ecclesia usus. Romana ipsa nihil istiusmodi obtendit. Illæ animatum à corporibus sejunctarum apparitiones, quas multi olim magni fecerunt, obsoleverunt jam pridem.

Ad *Traditiones* ergo eundum est. Nemo hactenus Pontificiorum, ut ut multa dicant de Traditionibus non scriptis, ausus est conficere catalogum earum rerum ad salutem creditu necessariarum, quas per manus ab Apostolica traditione accepimus, nullo ministerio Scripturæ. quinimo omnia sua dogmata testimoniis Scripturæ & argumentis demonstrare annituntur. id quod ab ipso Concilio Tridentino observatum.

Imò si utique ἄγραφα nonnulla ab Apostolis per manus propagata sint, unde constabit, illa huc usque incorrupta pervenisse. quum homines sint mendaces, obliviosi, novaturientes, impostores, & imposturæ obnoxii, & tanta fiat rerum humanarum mutatio uno sæculo, ut & maxima imperia pessum eant? Vix Scriptura hæreticorum sacrilegas effugere potuit manus. & hæ traditiones in aëre volitantes, & ut Sibyllina folia ab omni spiritu pro ludibrio jactatæ effugerint?

Igitur cum *verbum Dei* non possit reperiri infallibile & incorruptum nec in afflatibus, nec in oraculis, nec in traditionibus, vel in *Scriptura*, vel è *Scriptura* sacra id nobis unicè quærendum est.

Ad tertium ita accessimus...

Si aliundè certò sciri posset, Verbum Dei Scripturâ contineri, quam ex ipsâ Scriptura, sciretur procul dubio ab *Ecclesiæ* testimonio, atqui nec id potest.

Ecclesia enim hic significabit 1. vel universitatem omnium & singulorum Christianorum. 2. vel Pastores dissipatos. 3. vel Pastores congregatos in Concilium. 4. vel Papam solum. 5. vel Papam cum Concilio conjunctim.

Primum non convenit. Nam Scriptura debet habere auctoritatem apud Ecclesiam sic consideratam, non autem ab illa, ipsis fatentibus Pontificiis. Ecclesia ita accepta vel considerátur in *singulis hominibus.* Illi autem cum sint errori obnoxii, nec testimonium illorum certitudinem talem habere potest, ut hic requiritur. quæ omnem dubitationem tollat. Vel in *universitate* Christianorum, unum quoddam corpus componentium. Sed non potest illa convocari in unum locum, ut uno veluti ore de Scriptura testimonium dicat. neque illa unquam tale perhibuit, neque verò perhibitura est. Credunt omnes, Scripturam esse divinam, sed id credunt alienâ auctoritate permoti, non suâ propriâ inducti.

Nec secundum. Pastores enim sigillatim considerati, nec ipsi ab errore immunes sunt. & ipsi auctoritate Ecclesiæ adducti credunt.

Nec tertium. Nunquam ex communi consensu perhibuerunt testimonium Scripturæ; & qui *singuli* errori sunt obnoxii, illi certè omnes *infallibilitatis* laude deficiuntur. Nec *Concilii* alicuius testimonium authenticum est, quamdiu dubitatur, an Pontifex Concilio sit superior, aut Concilium Pontifice. Imò etiamsi potior sit Concilii auctoritas, unde compertum erit, Concilium in tanti momenti judicio non errâsse? An è Scripturæ testimonio, *ubi duo aut tres sunt congregati*? Matth. 18: 20. At ista Scriptura nondum auctoritatem habet apud nos. An à testimonio Ecclesiæ? At illa Ecclesia est ipsum Concilium, de cujus auctoritate dubitamus.

Nec quartum. Eadem enim quæstio recurrit, unde sciamus, Pontificem errare non posse. An è Scriptura? *Tu es Petrus* &c. *Pasce* &c. Atqui de Scriptura dubitamus. An à testimonio Ecclesiæ? At Ecclesia hæc in uno Papa recollecta, de se ipsa testimonium perhibebit. id quod suspectum est è Joh. 5: 31. Et non minus dubium erit de Papa, quàm de Concilio, unde res illi tanta innotuerit.

Nec quintum. Neque enim eorum testimonium certius erit conjunctum, quàm separatum. Et testimonii duorum nulla auctoritas est, ubi loquuntur de se, vel de negotio suo. Imò necessum esset, ut vel Concilium vel Pontifex auctoritatem suam iisdem rebus & documentis ostenderet, quibus olim vocatio Prophetarum & Apostolorum ostensa fuit, hoc est, vel cœlestibus oraculis, vel miraculis vim omnem creaturarum exsuperantibus, vel aliâ quâpiam ratione, de qua non foret ambiguum, quin à Deo esset. Quod cum non faciant, nec possint, consequitur, ut nondum ex ea hypothesi certi simus, ubinam Dei Verbum nobis reperiendum sit.

Igitur superest ut ad quartum accedamus.

Unumquodque effectuum causæ suæ notas & argumenta refert. sive illa agat è necessitate quadam naturæ, sive potius ex judicio operetur atque ratione. In lignis ambustis flammæ visuntur vestigia. in arte factis ars ipsa deprehenditur. & in explicatione scientiarum apparet magnitudo scientiæ & ingenii Auctoris. Igitur & liber, qui Deum auctorem habet, clara præ se ferre tanti auctoris argumenta debet.

Reliqua Dei opera præstantiam opificis sui conspiciendam exhibent, sive spectentur in constitutione, sive in conservatione, sive extra ordinem, sive supra modum & ordinem Naturæ.

Imò

Imò in unoquoque genere rerum, quæ tantopere excellunt, ut hominum industriam, & vires naturæ excedere videantur, ea protinus quodam instinctu naturali mentis, vel cœlo delapsa, vel divinitus constituta, vel Deo duce reperta, vel ex ejus afflatu excogitata dicuntur.

Igitur si Scriptura à Deo est, & nulla tamen habet suæ divinitatis argumenta, inquirendum est, cur Deus se tantum alioqui artificem celare voluit. Id igitur fecit, vel quia *noluit*, vel quia *non potuit* sese in Sacra Scriptura repræsentare.

Non potuisse quis dicet? Homines in scriptis suis lucis & rationis stricturas spargunt; & Deus non potuerit in libro suo nonnullos saltem divinitatis suæ radios insinuare? Causantur humani sermonis infantiam, ut sapientia divina eo explicari nequiverit. Atqui humani sermonis humilitas divinarum nil quicquam detrahere potuit rerum dignitati. Etiam Paulus humanis usus verbis, se locutum narrat ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. Et Christi sermonibus, quamvis humano, simplicissimo, usitatissimoque prolatis more, perculsi sunt hominum animi.

Nec dici potest *noluisse*. Voluitne latere inter homines, (ut nonnulli reges fecisse perhibentur) pannosus, squalidus, horridus & obsoletus, nulla majestate, oris divina dignitate nulla? Ita illum decuit *loqui*, ut & reverentiam apud homines sibi conciliaret, & animos illorum alliceret doctrinæ efficacia & inusitata suavitate.

Si Scriptura nullas habet Divinitatis suæ notas, inter opera humana releganda est.

Haut de nihilo est, quod Scriptura dicitur θεόπνευστος, 2 Tim. 3: 16. (Nota. Hæc epistola est ultima omnium Pauli epistolarum, ut constat è c. 4: 6. Ideò omnes antecedentes Scripturæ, Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum sub hoc elogio comprehenduntur.) comparatur lucernæ in obscuro lucenti. & quod Sancti petunt *aperiri* sibi oculos, ad pervidenda legis divinæ *mirabilia*. Si divinum ipsa nihil spiraret, non posset dici θεόπνευστος. Ea est demum Scriptura θεόπνευστος, quæ in se habet afflatus divini altè impressa vestigia. Imò *Lucerna* esse nequit in loco caliginoso, quæ insita luce caliginem non dispellit. *Mirabilia* Legis autem quid sunt, nisi ea, quæ adspici non possunt, quin continuò moveant admirationem. Imò quomodo *Sermo Propheticus* dicitur βεβαιότερος, 2 Petr. 1: 19. si careat argumentis, quibus decet illum βεβαιοῦν.

Sed Scriptura ipsa sese Deo asserit *argumentis* partim *externis*, partim *internis*.

Externis. Hic non infimi ponderis est 1. *Antiquitas.* quod antiquissimum est, illud optimum ac verissimum esse oportet. Narrat Scriptura res omnium vetustissimas. Omnia alia scripta antiquitate vincit, ut probavit Josephus adversus Appionem. 2. *Diligentissima cura*, qua liber iste hucusque integer permansit, divinâ certè providentiâ. Omnem immanitatem Antiochi Epiphanis & Romanorum Imperatorum evitavit. E contra alii libri, qui in magno apud homines fuerunt pretio, nec ullos hostes habuerunt, à temporum injuria vindicari non potuerunt. 3. *Martyrum* in tam variis temporibus mira *constantia* in asserenda librorum istorum veritate. Unâ divinitatis, quæ in isto libro conspicua est, admiratione impulsi mortem deliberatam intrepidè oppetiverunt. Id sanè in tot myriadibus quomodo esse potuit sine aliquâ vi divinâ? 4. In libro hoc est promissio, verbum hoc nulla vi è mundo tollendum esse. imò illud in ultimis temporibus responsurum pro teste in ore non credentium. & ita videmus fieri. Integrum ergo id habemus & à Deo est.

Internis. Illorum efficacitas multo major; suntque vel in *verbis*, vel in *rebus*.

In *verbis* tria inprimis expendenda. 1. In Scriptura vel *narrantur præterita*. 2. vel *futu-*

futura prædicuntur. 3. vel *explicantur dogmata*, quæ neque futurum neque præteritum tempus habent. In *narrationibus* admirabilis est sacrorum Scriptorum summa cum verisimilitudine conjuncta *simplicitas*. Humili modo loquendi usi, secuti cie hominum judicius, usi nonnullibi, quæ magnanimitatem decebat, non invercecunda libertate, & aliquo modo incuriosi in explicatione minutiarum, mirè antecellunt facundissimis quivis Scriptoribus. Stilus verbi cum decora majestate simplex est, & in simplicitate ac ruditate sua fœcundus, & ad docendum simplices, ac erudiendum doctos aptissimus. Ita omnia dicta enunciata sunt, ut commodius & sapientius enunciari nequiverint. In *vaticiniis* verò & afflatibus Propheticis mira cernitur *sublimitas*, motus nimirum animorum, inusitata quædam libertas & audacia, splendor similitudinum.

Dulcedo incomparabilis in promissionibus & consolationibus. Terribilis quædam & fulgurans magniloquentia in denunciandis minis & vindicta. imò & ubique diffusa quædam auctoritas, omnibus aliis scriptis planè incognita. In *explicandis* autem *dogmatibus* incredibilis est δεινότης, conjuncta cum suavissima comitate. *Instituit* Scriptura mira facilitate & συγκαταβάσει inimitabili. *disputat* inusitatâ quadam auctoritate, ipsis Angelis è cœlo reverenda, & evidentia insigni. & sic stilum attemperat, ut errantes corrigere nitatur magis veri cognitione, quam minis absterrere. Est enim tota comparata ad conversionem & emendationem animorum. Sique in his omnibus inest peregrinitas nonnulla, ab hominum moribus & institutis abhorrens, id vel est ab ingenio linguæ Hebraicæ, cui rarò assuefimus. vel quod non decuit cœlestem sapientiam, cœlitus delapsam, in terra hospitem, sese penitus in mores hominum induere.

In *Rebus* verò sunt, 1. *Historia.* 2. *Vaticinia.* 3. *Dogmata.*

Historiam commendant rerum veritas & pondus atque momentum. *Vera* autem sunt Sacræ. Ipsa natura, imò & fabulæ Poëtarum, & monumenta veterum Historicorum testimonium illi perhibent in iis, quæ Moses de se, vel rebus suorum temporum narravit, mendacium non potuit esse quæstui & revinci potuit testibus innumeris. *Res* autem sunt maximè *momentosæ*. pertinent ad Reges & populos, ad Ecclesiam, ad mundum universum, ad Angelos, ad Deum ipsum. Recitat Scriptura, non quibus vectibus & ferramentis, ut Epicureus aliquis olim, sed quibus virtutibus tantam universi molem sit molitus & machinatus, & quibus artibus eam regat & moderetur.

Prophetiæ suis complementis nunquam hucusque destitutæ indicant, eum verbi auctorem esse, cujus consilium stat, & qui omne suum beneplacitum perficit.

Vaticiniorum materia ingenium humanum haut redolet. Astrologi de nive, grandine, tonitru, turbinibusque nonnulla garriunt. & ubi paulò majores assumsere spiritus, de urbium expugnationibus, Principum vita & morte, motibusque imperiorum vaticinantur. Sed quis unquam illorum vastam molem Imperii Assyriorum, Persarum, Macedonum, Romanorum, de quibus tam disertè agunt Prophetæ, animo comprehendit? Aut cujus mentem subiit unquam quidquam simile promissionibus Messiæ θεανθρώπου, mysterio pietatis, reconciliationi mundi cum Deo, Spiritus effusioni? &c. Angustior est hominis animus, quam ut res tantas concipere valeat.

Etiam divinitatem illorum testatur temporis facta præfinitio, & personarum designatio, etiam cum adnotatione nominis, non modo multis annis, sed & sæculis, antequam res ipsæ exhiberentur. 1 Reg. 13: 2. Es. 8: 2. Matth. 23: 35.

Superat autem omnem vel hominum vel dæmonum industriam prædictionum Propheticarum sapientissima dispensatio. Quæ omninò sciti & credi interetat, sæpissime, multis

par-

partibus & modis dicta sunt & repetita. Alia parcius, nec tamen defectuosius sunt pronunciata.

In *dogmatibus* divinitatis istius longè potissima pars viget. Tria notemus. 1. *Veritatem* dogmatum. 2. *Sublimitatem.* 3. *Efficaciam.*

Veritas primùm in iis conspicua est, quorum cognitionem aliquam à natura habebamus. Illa luculentius patefecit, & firmius multo Scriptura persuasit hominum mentibus. Dein docuit antea hominibus incognita, sed quæ, postquam innotuerunt, deprehensa sunt rectæ rationi esse admodùm consentanea, & cum iis, quæ naturâ novimus, arctè cohærere. Exemplum esto *satisfactio* valoris infiniti, quæ Deum atque homines immensa voragine diremptos veluti ponte facto conjunxit. Post tot irritos hominum conatus in reperienda ratione salutis, re desperatâ, quis ambiget, *Deum* illum esse, qui princeps vitæ rationem invenit, *& fluctibus è tantis vitam, tantisque tenebris, In tam tranquilla & tam clara luce locavit.* ut piè de Deo usurpem, quæ impiè de *Epicuro* suo Lucretius. ad cujus imitationem etiam exclamamus, *Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi.* Lucret. libr. 5. Denique quæ edocuit rationis humanæ captum superantia, & illa ipsa rerum naturam, & principia veritatis, naturaliter mentibus nostris impressa, haut evertunt.

Doctrina in Scriptura contenta quoad particulas est in hominum scriptis & legibus. nullum tamen illorum scriptum continet ita sinceram & integram doctrinam περὶ τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ καθήκοντος. Ita testimonium habet in conscientia omnium hominum. confer Deut. 4:8.

Sublimis est in omnibus, ac potissimum tribus in rebus.

1. Tota est comparata ad illustrandam Dei gloriam. 2. Homines avocat à rebus humanis, atque adeò à seipsis. Docuit enim, res terrenas præ cœlestibus, inanes, caducas, & omni modo contemnendas esse. dein quidquid in nobis admiramur, fœtere propemodum præ eximia illa sapientiæ, pietatis & sanctimoniæ puritate, quam Christus retexit. 3. Aditum non tantùm patefacit ad beatitudinem veram & æternam, sed hic jam beatos facit, & lectores suos illam gustare & de illa communicare.

Efficacitas doctrinæ pariter in tribus potissimum rebus observanda est.

1. Ita penetrat in animos, ut quamvis insint nobis ab ortu impietatis semina, illa semel penitius insinuata, sic occupat mentes, ut nulla oblivione deleri, nulla spe revelli, nullis, quod in martyribus apparuit, tormentis extorqueri illa persuasio possit. Est Scripturæ doctrina ab opinionibus & præjudiciis nostris quàm remotissima. it illa oppugnatum affectus nostros, quorum in nobis suavissima & efficacissima vis est. Quis igitur dubitabit, quandoquidem ita fortiter persuadet, habere eam comitem virtutem aliquam divinam & insuperabilem?

2. Insignis est illius efficacia in *terrendis* & *consolandis* conscientiis.

3. Eximia & hæc illius vis est, quod tantam in nos mutationem induxit, ut peccatum habere odio, pietatem virtutemque verò amare didicerimus. Ea est potestas pravorum habituum in mentibus & affectibus humanis, ut postquam invaluerunt, mutari haut possint, etiamsi illos velimus mutatos. præpediunt enim facultates, ne quid possimus contra conari. In corruptione verò nostra ita fit. ad vitium nativum accessit imitatio prava, & consuetudo inveteratissima. Hæc labes Philosophiam ipsam infecit, & ei venenum afflavit suum. *Doctrina*, quæ Scripturâ continetur, subegit animum humanum, pænè invitum, victumque tandem Dei legibus obtemperare coëgit; tali coactione, non ob quam gemit, sed in qua lætatur, utpote translatus è tenebris in lucem.

C Hæc

Hæc igitur *divinitas* Scripturæ hucusque asserta, firma teneatur. Veteres Doctores adversus Ethnicos disputantes de veritate Religionis Christianæ, id unum moliti sunt, ut Paganos compellerent ad agnoscendum Scripturæ divinitatem. nec usi sunt testimonio Ecclesiæ, quam nullam Pagani putabant. nec religionis veritatem & cœlestem originem ex innatis tantùm argumentis demonstrarunt, sed inprimis ad Scripturam urserunt, quæ habet quicquid in Religione est.

Sed & sic porro Scripturæ divina auctoritas potest astrui.

Moses dedit legem, & scripsit in lapidibus, & publicè coram populo professus est, hæc omnia ipsis præsentibus & videntibus & audientibus acta & dicta esse. Deut. 4: ℣. 10. *Audire faciam illos verba mea, ut discant timere me.* Ibidem vers. 12. *Et locutus est Dominus vobiscum è medio ignis. Sonum verborum audivistis.* confer vers. 15. *illo die, quo locutus est Dominus ad vos in Horeb.* Exod. 19: 17. *Et eduxit Moses populum in occursum Dei è castris, & substiterunt in inferiori montis.* Exod. 20: 16. *Et omnis populus vidit tonitrua & vocem tubæ.* confer vers. 17. *ne loquatur Deus nobiscum.* nimirum secunda vice. Deut. 5: 24. *fecit nos videre Dominus Deus noster gloriam suam, & vocem illius audivimus è medio ignis. hoc die vidimus, quod loquitur Deus cum homine & vivit.* Exod. 20: 21. *Vos vidistis, quod è cælo locutus sum vobiscum.*

Si populus non vidit, non audivit, quomodo ausus fuisset Moses publicè ad visum & auditum illorum provocare? quomodo vi proprii visus & auditus, adeoque propriæ experientiæ, obedientiam & obsequium in id, quod tradebat, exigere? Populus totus non confessus esset se vidisse, ni vidisset, & audivisse, ni audivisset; Populus, inquam, numero innumerus, naturâ immoriger & rebellis, quique pronus erat ad abjicienda jussa Mosis, & excutiendum jugum impositum, non accepisset legem verbumque, à Mose præceptum, ni de divina illius traditione convictissimus persuasissimusque fuisset. Imò populus non tradidisset id liberis suis, cum seria commendatione subjectionis & obedientiæ. Nemo enim prudens patitur lubenter imponi sibi. nedum ut lubens imponat liberis posterisque suis. Unus homo facilè seducitur, ut mendacium pro vero accipiat habeatque. vel inductus carnali quodam stupore, vel puerili quadam levitate, vel quæstus lucrique cupiditate, vel fascinatus imponentis & seducentis auctoritate, vafritie, calliditate, blandiloquentia. Ita Saraceni decepti sunt à Muhammede, dicente, sibi Angelum Gabrielem locutum esse. quem nemo illorum viderat, nec vocem illius audiverat. Sed ut multitudo innumera, illaque non credula, sed insigniter incredula, pertinax, rebellis ita decipiatur; imò quæ nulla vi & fraude inducitur ad credendum, quæque spontè se sistit testem αὐτήκοον κ̀ αὐτόπτην, & ejusdem fidei & obsequii auctor posteris suis omnibus, nulla ratione dici, nulla verisimilitudine conjecturari, nulla certitudine aseri potest.

Et ita quidem fides nobis facta est, Legem certissimè traditam Mosi à Deo. Attamen non eadem certitudo de aliis statutis Mosaicis videtur esse. illa enim non pronunciavit Deus publicè, audiente universo populo. veluti, quum quadraginta dies Moses egit in monte, ubi accepit ideam tabernaculi exstruendi, omniumque illius instrumentorum. hæc sola Deum inter & Mosen acta, nec à populo audita, sed per Mosen populo tantùm relata & narrata sunt. Fuitne possibile, in his decipi populum? Imò & in omnibus iis, quæ *locutus est* ad Mosen Deus *è tentorio conventus.* Levit. 1: 1. Exod. 24: 15. 16. 18. 34: 28.

Sed nec de his minor est certitudo. 1. Deus publicè testimonium dedit fidelitati Mosis.

Non

Non sic servus meus Moses, in tota domo mea fidelis ille. Num. 12:5.6. Pugnavit igitur cum fidelitate servi hujus, cujus *misertus erat Deus*, ut πιςὸς esset, fingere & ficta imponere. 2. Deus publico signo demonstravit & testimonio confirmavit, quæ Moses à Domino se accepisse publicavit. Cum descenderet *de monte Sina, corruscavit cutis faciei ejus.* viderunt *id Aharon & omnes filii Israël. & timuerunt accedere ad illum.* Exod. 34:29.30. Quid hic *splendor?* testimonio fuit, ita veritate corruscare & plena esse verba, à Mose dicenda & dicta. Dein cum *tentorium* à Mose esset exaptatum & perfectum, *texit illud nubes, & gloria Domini replevit tabernaculum.* Exod. 40:34.35. Nubes hæc visa ab omnibus; & gloria spectata à singulis, non humanum certè, sed divinum πρᾶγμα, satis superque attestata est, nec tentorium, nec tabernaculum humanæ inventionis opus esse. Sacrificia deinde oblata in altari coram tabernaculo consumsit *ignis* οὐρανοπετής. Levit. 9:24. *Et exivit ignis inde à facie Jehovæ, & comedit super altare holocaustum & adipem & vidit totus populus, & jubilarunt, & prostraverunt se in faciem.* Certè hôc igne *testatus est* Dominus ἐπὶ τοῖς δώροις, à Mose institutis, ut ita dicam ex Hebr. 11:4. 3. In omnibus his institutis est πολυποίκιλος quædam σοφία; divinæ veritatis valida confirmatio. divinorum bonorum clara præmonstratio. fidei obsignatio. denique in carnali hoc cultu ad spiritualia itur, venitur. 4. Lex & quicquid à Mose acceperunt Israëlitæ, data est εἰς διαταγὰς ἀγγέλων Actor. 7:53. Galat. cap. 3:vers. 19. Id certè haut officium præstitissent Angeli, si mendacium vel minimum aut figmentum exprobrari potuisset Mosi.

Sunt in libris Mosis *historiæ*, diu ante tempora ejus gestæ. ut omnia, quæ sunt in Genesi. Sed & de iis eadem est certitudo. A Patribus illa tradita fuere posteris; à Patriarchis duodecim narrata filiis. ideò &, ubi Moses in literas historias illas consignavit, illas, ut notas omnibus, pari pietatis adfectu admiserunt, & liberis suis commendarunt.

Libros *Prophetarum* quod attinet tum *priorum*, tum *posteriorum*, *res gestæ*, quæ in illis, in omnium erant memoria. ideò lubenter recepta illarum scripta historia. *Vaticinia* verò à Prophetis edita hautquaquam fuere rejecta, nec rejici potuerunt. quia auctores illorum vulgo noti, dona illorum Prophetica perspecta omnibus, & miracula ab illis facta, coram omnibus fuere facta. Ideo & libri illorum ut veri & divini excepti.

Christi historiæ, in Euangelio descriptæ, & Apostolorum πράξεις, factæ sunt videntibus, audientibus, scientibus multis, coram testibus plurimis; haut ἐν γωνίᾳ, sed in aperta orbis facie. Ideo & hujus Euangelicæ historiæ ac Scripturæ haut minor est certitudo. Imo illa tam certa sunt, ut & hostes ipsi de rebus in Euangelio contentis tulerint testimonium. Flavius Josephus bis de Christo, ejus doctrina & miraculis, morte, resurrectione, discipulis verba fecit, ἀρχαιολογ. libr. 18. cap. 4. & libr. 21. cap. 8. Etiam *Jesu Christi* mentio apud Strabonem, Suetonium, Tacitum. Ipsi Judæi in Talmude de miraculis Christi loquuntur. quamvis arte illa magicâ patrata mentiantur. ut & de suspensione ejus seu crucifixione. Et quid non scripsissent contra Jesum, nisi aperta veritas integrum servasset de illo præconium?

Deinde & invenitur perpetuus consensus harum rerum cum iis, quæ per Mosen dudum prolata erant. id quod supra omnem aleam dubitationis Scripturam ponit. Estque in hoc consensu mirabilis harmonia omnium partium. Diversi agunt de iisdem rebus. singuli aliquid proprium ad rerum explicationem exprimunt. nec ullus tamen hiatus, aut partium conturbatio reperitur. Quod nisi uno Spiritu veritatis effici non potuit.

Jerem. 23:28. *Propheta, cum quo est somnium, narret somnium; & cum quo est*

verbum meum, loquatur verbum meum, veritatem. quid palea cum tritico? Nonne sic est verbum meum, ut ignis, & ut malleus, qui facit dissilire petram? Hebr. 4: 12. *Vivus est enim sermo Dei & efficax & magis secans, quam omnis gladius anceps, & penetrans usque ad divisionem animæ & Spiritus, juncturarum & medullarum, & judicans commentationes & cogitationes cordis.*

Augustini dictum. *Non crederem Evangelio, nisi Ecclesia me commoveret auctoritas.* libro contra Epistolam fundamenti, cap. 5. Resp. 1. Augustinus in Ecclesia, cui tribuit *auctoritatem*, comprehendit Apostolos, & eorum miracula. 2. Posterioribus nullam tribuit auctoritatem, nisi quod constet, eos Scripturam ab Apostolis accepisse. 3. Scripturæ attribuit *Canonicam* & *eminentissimam auctoritatem*, & maximè propter *sincerissimam sapientiam*, & prophetias, & propter effectum, qui est amor timorque Dei, & sanatio animæ. Adde; August. de se *Manichæo* loquitur. *moveret*, id est, movisset. 2. Unum exemplum non facit regulam. 3. Instrumentalis causa hic intelligi potest, non principalis. Neque enim vox *Auctoritatis* principalem semper causam notat, sed quodvis *testimonium*. Ita in Logica argumentum à testimoniis vocatur argumentum ab auctoritate.

Henricus Holden in resolutione Fidei, libr. 1. cap. 6. pag. 82. declarat, eos, qui credunt Scripturis, *etsi omnes articulos fidei*, nec plures, nec pauciores, crediderint; si eis assensum præbeant vi propriæ suæ & privatæ ratiocinationis, eò quòd nimirum existimaverint, omnes illas veritates revelatas vel expressè reperiri in sacra pagina, vel saltem implicitè contineri, adeò ut putent, se posse omnes illas inde deducere; ita tamen, ut illis non vellent adhærere, nec credere, nisi judicarent, se posse illas ex sacris Scripturis evincere, eos nec verè Catholicos, nec Ecclesiæ Catholicæ membra debere existimari. Et quæ ratio? *Quum enim medium*, quo sibi applicarent hi credentes veritates revelatas, non sit aliud, quàm propria & privata ratiocinatio, harum non haberent *propriè fidem*, *sed opinionem.*

Non norunt ita loquentes naturam *fidei*. illa non excludit σύνεσιν & λογισμὸν, nec ἔλεγχον, nec ἐπίγνωσιν. Et licet *divinæ sit revelationis*, certè & id, quod per argumenta è sacris elicit, è revelatione agnoscit. Fides nititur *auditu*, & quidem attento. Non sine auditu fides est, non sine sermone, & quidem Dei, audito; non sine prudenti consideratione auditorum, fides est.

„Sine Spiritu quum nulla esse fides possit, sequitur, solum *Spiritum*, quem accipi-
„mus à conscientiæ nostræ fabricatore & illuminatore, efficaciter nobis, tanquam si-
„gillum Dei, affirmare, quòd verbum Scripturæ sit verbum Dei. 1 Joh. 5: 6. *Et Spiri-*
„*tus est, qui testatur, quòd Spiritus sit veritas.* In qua demonstratione nullus circulus est,
„sed divinæ lucis undique coruscantis & in semet reciprocatæ plenissimus fulgor. 2 Cor.
„3: 18. Quippe in Scriptura auctorem conscientiæ invenit animus, & in conscientia
„auctorem Scripturæ; in reparatione imaginis Dei creatorem, in creatore sanctificato-
„rem: in ejusdem imaginis typo veritatem, in ipsa formulæ divinitatem. Sic benè Coc-
„cejus Summæ Theol. Cap. 11. §. 38.

Quum loquimur de *conscientia*, quæ judicat de eo, quod Deum & hominem decet, & quod cum operibus Dei convenit, objiciunt, nos niti proprio *judicio rationis*. Id non ita est. Nihil ex nobis comminiscimur secundùm concupiscentiam, sed auditum referimus ad conscientiam, testem recti & pravi, testem ejus, quod facimus, & quod in nobis est, testem Dei, testem connexionis, quæ est inter vera; & contra propriam sapientiam & justitiam ad gloriam Dei definimus, ut eum amemus & timeamus. Coccejus Ibid. §. 46.

Junius.

Junius. Argumenta, ex quibus de auctoritate Scripturæ concludi potest, hæc sunt. 1. Quod tam cœlestis ubique & nihil terrenum redolens doctrina. 2. Quod tam pulchra omnium inter se partium consensio. 3. Quod vel ipsorum Ethnicorum testimonio antiquissima. 4. Quod, licet inculta & sermonis simplicitate constans, tamen in hominum animis sit efficacissima, vividèque eorum animos afficiat. 5. Quod vaticiniorum eventu & complemento comprobata. 6. Quod sola liberationem à morte & peccato ostendat. 7. Quod multis & insignibus miraculis sancita. 8. Quod, licet toti mundo invisa, tamen invicta perster, & mutabili successu triumphet. 9. Quod sanguine tot martyrum obsignata. 10. Quod ejus contemtores atrociter sint puniti, ut Pharao, Achab, Jesabel, Sennacherib, Antiochus, Herodes, Nero, Domitianus &c. 11. Quod Spiritus Sanctus argumentis illis vim addit, & totam mentem ad assentiendum excitat, & animos nostros mirifica quadam πληροφορίᾳ complet, facitque, ut S. Scripturam, tanquàm verè θεόπνευστον, amplectamur.

Pontificii *Circulum* nobis objiciunt. ac si rogati de veritate Verbi divini, confugiamus ad *Spiritus* testimonium, & rursum rogati, quì Spiritus motum agnoscamus, recurramus ad *Verbum.*

Non utimur Spiritus testimonio, ut argumento. sed id tantum proferimus, dum profitemur cœcitatem nostram, cui debeamus acceptum, quod agnovimus veritatem. Vir sapiens de ratione consilii, assensus, & sententiæ suæ quæsitus, non proferet is, ut argumentum, motus animi sui; sed insita veritati agnitæ argumenta. At rogatus, quì ea deprehenderit? respondebit, id omne profectum à mentis luce, cujus Deus auctor est. Ita & nos quæsiti de argumentis, quibus agnoscamus Verbum Dei esse veritatem, non confugimus ad Spiritum, sed ad impressas ab ipso Deo auctore veritatis veritati notas. ita Apostolus ministerium suum comprobavit, *commendantes nos ipsos omni conscientiæ hominum coram Deo manifestatione veritatis.* 2 Cor. 4:2.

Rectius Pontificiis veriusque à nostris objicitur circulus. Scripturæ auctoritatem volunt pendere ab Ecclesiæ testimonio. Ecclesiæ auctoritatem ostendunt è Scripturæ pronunciato. Ita Scripturam per Ecclesiam probant, & vice versa. Estque Ecclesiæ auctoritas prior auctoritate Scripturæ, in definienda ejus auctoritate. Et rursum posterior, in auctorisanda è Scriptura sua dictatura & infallibilitate. Rectè Aristoteles 1. poster. 3. ἀδύνατον ἐστὶ τὰ αὐτὰ τῶν αὐτῶν ἅμα πρότερα καὶ ὕστερα εἶναι. *impossibile est, ut eadem iisdem priora & posteriora sint*, eodem modo, nempe sive *simpliciter*, sive *ad nos.*

Præter Augustini verba citant pro se Pontificii locum Matth. 18:17. εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ. Resp. 1. Ibi per *Ecclesiam* non intelligitur Pontifex Romanus, nec Concilium, sed totus fidelium cœtus, qui præsens est in loco, ubi frater in fratrem peccavit. Atqui apud illum, secundùm Pontificios, non stat definitio auctoritatis Scripturæ. 2. Huic Ecclesiæ datur à Christo potestas, non definiendi de verbo Dei, sed fratrem peccantem *redarguendi*, ἔλεγξον, hoc est, docendi, convincendi, & ita lucrandi; &, si præfractè resistat, excludendi, hoc est, habendi ut *Ethnicum* & *Publicanum.* Atqui talis locus proferendus est, è quo liquidò probetur, Ecclesiæ hoc jus & hanc auctoritatem esse, ut ex ejus definito dependeat Veritas Verbi divini.

Etiam locum 1 Tim. 3:15. Ecclesia dicitur στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. *Columna & firmamentum veritatis.* Resp. Est utique Ecclesia *columna*, & quælibet membra Ecclesiæ, inprimis, qui πλέονι δυνάμει καὶ σοφίᾳ, sunt *columnæ* Galat. 2:9.

Apoc. 3: 12. ut enim *columna* fert domum; ita Eccleſia fert ac profert verbum Dei. ut in columna ſolent mandata Regum affigi, quo videantur publicè; ita Eccleſia publicè oſtentat, & monſtrat mundo verbum Dei. ut etiam *columna* domo non eſt major, nec potior; ita nec Eccleſia verbo. Eſt etiam *firmamentum*. firmat enim veritatem Dei per demonſtrationem, per διδασκαλίαν, ἔλεγχον, ἐπανόρθωσιν errantium, & παιδείαν inobedientium, ac refutationem falſantium. 2. ἑδραίωμα hic & paſſivè vertite aut accipi poteſt. ut notetur, Eccleſiam ἑδραιοῦσθαι ὑπὸ τῆς ἀληθείας. Ita στερέωμα notat στερεώμενόν τι, & πλήρωμα πληρούμενόν τι. Eph. 1: 23. Quatenus à veritate Eccleſia fertur, & firmatur, ut & in illa fundata, ſanctificata, liberata eſt, illa dicitur מוסד־מוסד *fundatum fundatiſſimum*. Eſ. 28: 16. 3. Nec omninò opus eſt verba illa de *Eccleſia* accipi. quinimò poſſunt cum verſu 16. jungi, ut is ita incipiat, στύλος καὶ ἑδραίωμα ἀληθείας, καὶ ὁμολ. μέγα ἐστι, ut ita illa doctrina & ſententia, Deus manifeſtatus in carne &c. ut *myſterium*, ita & *columna* ac *firmamentum* veritatis dicatur. Ita videbitur Paulus imitatus morem Judæorum, qui de re magni momenti dicturi, ſolent ejuſmodi prologos præmittere. ut Jadh Chaſakah, Part. 1. Lib. 1. יסוד היסודות ועמוד החכמות.

Ut igitur, quouſque ſe extendat Auctoritas Eccleſiæ, cui certè ſanctæ catholicæ non parum debemus omnes, conſtet, ita ſtatuendum. Auctoritas Eccleſiæ *ſecundaria* eſt, non ad ſtatuendam, ſed ad teſtificandam divinam Scripturæ auctoritatem. Utraque agnoſcenda eſt. ſed ſuo gradu & ordine; *primaria*, *ſolida & eſſentialis* eſt Scripturæ. *Subordinata*, *accidentaria*, & tota *miniſterialis* eſt Eccleſiæ.

Perkinſius divinitatem Scripturæ aſſerit libr. 2. de caſibus conſcientiæ, cap. 3. 1. ex cauſis efficientibus. 2. è materia. 3. ex effectis. 4. è proprietatibus. 5. è contrariis. 6. è variis teſtimoniis.

Criteria fide dignorum hiſtoricorum hæc ſunt. 1. Si ſint viri fide digni. 2. Si actionibus, quas ſcribunt, interfuerunt ipſi. 3. Si neque neceſſitate, nec mercede ad ſcribendum inducti fuerunt. 4. Si de iiſdem rebus varii idem ſcribant. *Arrianus* in præfat. libr. 1. de expedit. *Alexandri*: *Joſephus* contra Appionem. Hæc omnia in Prophetis & Apoſtolis ac Euangeliſtis manifeſta ſunt.

Niſi exſtitiſſent Apoſtoli, & miraculis claruiſſent, & magna veritatis luce eorum ſplenduiſſet Teſtimonium, qui potuit fieri, ut doctrina eorum, omnibus humanis præſidiis deſtituta, & omnibus humanis viribus & argumentis oppugnata, auctoritate majorum, conſuetudine populorum, favore Principum, exemplo Magnatum, conſtitutione præmiorum & pœnarum à Magiſtratibus, fama ſapientiæ, eloquentia Oratorum, ſubtilitate Philoſophorum, accommodatione ad humanos mores &c. tamen omnia obſtacula perruperit, earumque religionum, quæ his omnibus præſidiis communitæ erant, victrix per gladios, per cruces, per ignes evaſerit.

Si quæras, unde nobis conſtet, Moſen, Prophetas, Apoſtolos, fuiſſe & ſcripſiſſe; certè tali dubitatione totius nutabit Antiquitatis memoria. Si famæ tam priſcæ, & conſtanti, à nullo unquam confutatæ, ipſis Adverſariis confeſſæ fides abroganda eſt, etiam in poſterum magna ratione dubitabimus, fuiſſe unquam, aut ſcripſiſſe Platonem, aut Demoſthenem, aut Ariſtotelem, aut Ciceronem.

Certè libri, ex. gr. *Moſis*, ab aliquo ſcripti ſunt. Scripti igitur ſunt vel eodem tempore, quo res narratæ in illis geſtæ ſunt, vel brevi, vel diu poſt. Si eodem tempore, quomodo ullus perſuaderi potuit, *Moſen* fuiſſe, qui hæc ſcripſit; Moſen, inquam, omnibus notum & familiarem, ſi Moſes non ſcripſit? quis ſe Moſen dicere auſus fuiſſet, & nomi-

ne

ne Mosis assumto scribere ut Moses sustinuisset. Si brevi post; eadem recurrit difficultas. Si diu post; quis interea historiam illius populi ita continuavit, ut, ubi desiit Moses, ibi inciperet, & Mosis cum nominis, tum scriptorum, tum rerum gestarum passim inculcaret memoriam? aut qui fieri potuit, ut liber recens ab aliquo pro ingenio cusus, & tot mendaciis refertus, tantam derepentè auctoritatem consequeretur, quantam nullus alius unquam liber, ut pro lege, eaque divina, ad quam omnes omninò homines vitam & actiones suas exigerent, haberetur, cum tamen non sine molestiis & sumtibus magnis observari posset?

DE CANONE.

CAnon hoc in negocio est index seu catalogus sermonum divinorum, ad quos, ut normam, & sermo noster & fides exigi debet.

Vox Κανὼν est Gal. 6: 16. ὅσοι τῷ Κανόνι τούτῳ στοιχήσουσιν. Phil. 3: 16. τῷ αὐτῷ στοιχεῖν Κανόνι.

Verbum Dei dupliciter venit. 1. pro *doctrinis* divinitus revelatis. 2. pro *libris* divinitus conscriptis. Ita & duplex Canon institui potest, unus *dogmatum*, alter *librorum*. illorum Canon propter se est necessarius, ne perniciosa & lethalia pro salutaribus propinentur dogmatibus. horum verò est propter dogmata necessarius. ut noscantur libri, in quibus salutaria dogmata continentur.

Notæ, quibus falsa dogmata à veris internosci & discerni possunt, præcipuè hæ sunt.

Non est dogma à Deo revelatum, 1. Quod sensibus abrogat fidem. ita enim dubia fieret generatim omnis humana cognitio; speciatim Apostolorum testimonium, cui fides nostra inædificata est. 2. Quod aut usum rationis tollit, aut contra illius lucem agit. sublato enim rationis usu & lumine, nil certò potest cognosci, & natura humana evertitur. 3. Quod discrepat ab aliis dogmatibus à Deo indubitatò revelatis. Verum enim semper cum vero congruit. 4. Quod sensum miseriæ nostræ obtundit, & nos facit gloriari in nobis. Abnegatio nostri magna pars veræ religionis est. 5. Quod Dei virtutes obscurat. in quarum exercitio posita est illius gloria. 6. Quod gloriam Dei *alienat*. id enim rapina est. 7. Quod officit paci & tranquillitati conscientiæ, nec non charitati. 8. Quod comparatum est ad conciliandas opes & dignitates sæculares Doctoribus. ab utrisque enim alienos decet esse Christi ministros. 9. Quod regnum Dei & conversationem Christianam rebus terrenis & carnalibus affigit. non enim est regnum Dei ex hoc mundo. & conversatio nostra est in cœlis. 10. Quod è sacris literis probari & colligi non potest. Illa enim abundè tradidit, quæ scitu, vel factu necessaria sunt.

Canonem librorum augere nititur Ecclesia Romana, referreque in illum librum *Tobiæ*, *Judith*, *Baruch*, *Epistolam Ieremiæ*, *Hymnum trium puerorum*, *Historiam de Dracone*, *Abacuc & Susanna*, quæ est accessio *Danielis* genuini; Græcè fertur liber, cui titulus *Sapientia Salomonis*, distinguendus ab Hebraico, cui titulus משלי seu αἱ παροιμίαι; *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*, seu *Sapientiam* Ἰησοῦ τοῦ Σειράχ; primum & secundum *Machabæorum*, *Esthera* & *Danielis* additamenta. Tertium verò & quartum *Esdræ*, *Orationemque Menasse* ipsa è Canone excludit, ut & appendicem Jobi, Psalmum 105, Præfationem Jeremiæ.

Detorquet ex illis loca quædam in nos. ex gr. Eccles. 5. *De propitiato peccato noli esse sine*

sine metu. præcedit. *Ne dicas peccavi, & quid mihi accidit mali.* sequitur. *Neque adjicias peccatum super peccatum.* & è cap. 15. *Si volueris mandata servare, conservabunt te, ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.*

E 2 Machab. 15. cap. *somnium* citat Judæ Machabæi. Inde nil colligi potest, quàm animas sanctorum corporibus suis solutas orare in genere pro Ecclesia. quanquam ne id quidem. est enim non res gesta, sed somnium, ad id comparatum, ut animos militibus adderet spe victoriæ. Si ex eo, quod Judas vidit per quietem orantem *Oniam* pro populo, colligas, mortuos pro viventibus orare; ex eo, quod idem vidit *Jeremiam* sibi tradentem gladium aureum, inferes defunctos tradere viventibus gladios aureos. Si ex eo, quod dixit Onias de Jeremia, *Hic est, qui multum orat pro populo*, concludas, orasse pro populo Jeremiam mortuum; ex eo, quod dixit Jeremias de gladio aureo, quem tradebat Machabæo, *Per hunc Gladium dejicies adversarios populi mei Israel*, concludam, per *gladium* illum aureum prostravisse Machabæum hostes. Sed absurdum utrumque.

E 2 Machab. 12. narratur Judas sacrificia obtulisse pro defunctis militibus, *benè & religiosè cogitans Resurrectionem.* non autem dicitur, *cogitans Purgatorium.*

Notæ præcipuæ, quibus liber non Canonicus à verè Canonico internosci potest, ducuntur 1. Ab *Auctore.* qui si non fuit θεόπνευστος, neque etiam liber ejus talis haberi potest. 2. Ab *Auctoris professione.* Si profitetur, se humana diligentia, non verò divina scribere inspiratione, credendum illi illa in re. Jesus Syrach testatur avum suum, quæ congessit in librum suum, lectione Legis, Prophetarum, aliorumque librorum sibi comparasse. Auctor 2 Machab. se breviasse 5. libros Jasonis Cyrenæi, multa diligentia, vigiliis, & sudoribus veniamque petit, si minus rectè scripserit. 3. Ab *argumento libri.* Profanum argumentum librum arguit profanum. 4. A *lingua*, qua scriptus est. Vetus Testamentum Hebraicè, Novum Græcè scribi debuit. in Judæos enim & Græcos divisit Spiritus omnes populos. 5. A *materia* libri. Si illa sit de rebus falsis, impiis, ridiculis, levibus, curiosis magis quàm utilibus, non resipit ingenium divinum. 6. A *forma*, methodo & stilo libri. Si redolet humana vitia, ambitionem, assentationem, ignorantiam, diffidentiam, eruditionis & eloquentiæ ostentationem, rerum parvarum admirationem, prodit, auctorem suum à Spiritu Sancto haut fuisse in scribendo actum. 7. A *testimonio* illius seculi *Ecclesiæ*, quo scriptus liber est, vel saltem seculorum illi proximorum. 8. A *tempore*, quo scriptus est. Si enim illo tempore non fuerunt viri divini, neque liber potest esse divinus.

Rationes, quæ *Orationem Menasse* excludunt à Canone, duæ sunt. 1. *Lingua*, qua scripta est. 2. *Testimonium* Ecclesiæ Judaicæ.

Deinde certum est, Ecclesiam Judaicam libros istos nunquam habuisse pro Canonicis. Ei igitur aut non fuerunt concrediti. Atqui ἐπιστεύθησαν illi. Rom. 3: 2. Aut si fuerunt, depositum illud sacrum illa respuit. Sed id crimen nec à Christo, nec ab Apostolis objectum illis unquam. Ipse Christus ad tria capita Veteres Scripturas revocans, *Legem*, *Prophetas*, *Psalmos*, hoc est, hagiographa, probavit Judæorum Canonem. Neque ratio ostendi potest, qua moti Judæi in hos libros inique egerint. neque enim religioni illorum obsunt.

Canon Veteris Testamenti aut fuit constitutus ab Ecclesia & Prophetis ante Christum, vel à Christo ipso, vel ab Apostolis, Apostolicisque Viris; aut non fuit constitutus.

Si *non fuit constitutus*, 1. mirum est, Spiritum curasse istos libros scribi, eo fine, ut

essent

essent Canonici, nec tamen curasse, ut cum reliquis ejusdem generis referrentur in Canonem. 2. A Malachia ad Baptistam vel *nulli* fuerunt in Ecclesia Prophetæ & θεόπνευστοι, vel fuerunt *aliqui*. Si *nulli*, non sunt libri hi à θεοπνεύστοις scripti, neque ergo Canonici. Si *aliqui*, qui pote fuit, ut non in Canonem hos libros retulerint, si pro Canonicis illos habuerunt. 3. Si Vet. Testamenti βιβλία non fuerunt ἀθετούμενα & κεκανονισμένα, ut Athanasius loquitur, quæ Scripturæ intelligi debuerunt, ubi dixit Christus, *Scrutamini Scripturas*. Lucas, *interpretatus est in omnibus Scripturis* Christus, *quæ de ipso scripta erant*. Paulus, *Sacræ literæ te possunt sapientem reddere ad salutem*. Petrus, *Et firmiorem habemus sermonem Propheticum*? 4. Si nondum erat constitutus Veteris Testamenti Canon, decuit Christum id facere & Apostolos. Id autem ab illis non est factum, vel quia *non potuerunt*, id quod nemo dixerit, vel quia *non voluerunt*. Et hoc cur? an quia inviderunt Ecclesiæ illud bonum? an quia noluit Spiritus Sanctus libros illos in Canonem referri? an quia non è re fuit Ecclesiæ, ut fixum haberet Scripturarum Canonem? an quia reservabatur hæc gloria Concilio Tridentino? An incogitantiâ forsan id intermissum & inconsiderantia? Atqui nullum horum dici potest. 5. Omninò conducebat Veteris Testamenti constitui Canonem, antequam ad eum accessio fieret Novi, quod in Veteri fundari oportebat.

Si igitur *constitutus fuit* Veteris Testamenti *Canon*, vel à Prophetis, vel à Christo & Apostolis, aut in eum libri quæstionis sunt relati, aut non. Si non, impium esset, velle Canonem divinitus constitutum refigere & reformare. Si verò ab Ecclesia ante Christum, qui factum, ut inde ab Apostolis hucusque non extiterint in Judæorum Canone? aut si à Christo & Apostolis, unde factum, ut eos Ecclesia Christiana non pari habuerit loco, quo reliquos Canonicos libros? Multò plures & doctiores Patres eos à Canone excluserunt; imò qui Canoni illos incluserunt, latius vocem *Canonis* acceperunt.

Falsa dogmata continentur in libris quæstionis. 2 Machab. 12. laudat Auctor oblata pro mortuis sacrificia, ut à peccatis solverentur. Atqui annon scire debuit, legalibus sacrificiis peccata nulla expiari potuisse re ipsa. Cap. 14. laudat *Raziam αὐτόχειρα*. Si flagitium esse putavit, cur laudavit? Si non, certè erravit. Dices: Laudavit non ut pium & sanctum, sed ut forte & virile facinus. Atqui non potest à virtute separari fortitudo. nec elucere in eo virtutis actus, quod sine scelere fieri nequit. Et quis credat, à Spiritu Christi eam laudari fortitudinem, qua quis *se gladio petit, eligens nobiliter mori potius, quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis injuriis agi?* obolet enim Spiritum mundi ista elatio animi.

Scatent etiam *contradictionibus*, & modò sibimet-ipsis, modò libris verè Canonicis contradicunt.

Stilus etiam abscedit non rarò à stilo librorum Canonicorum, & humani aliquid sapit. Ex. gr. *Sapientia Salomonis* non divinum Samuelis stilum, sed, Hieronymo teste, Græcam redolet eloquentiam. Idem in prologo Galeato. *Igitur Sapientia, quæ vulgò Solomonis inscribitur & Jesu, filii Syrach liber, &c. non sunt in Canone.*

Vitia Apocryphorum notemus nonnulla.

In *Tobia* Latino collocantur Sara & Gabel in distinctis simul oppidis & in Rages civitate Medorum. 3:7. 4:21. 9:3. Angelus de genere suo mentitur, & de corde piscis, ac magiam docet. 6:8. sibi arrogat oblationem orationis Domino. 12:12. In *Judith*, quòd, *Holoferne*, quem Nebucadnezar miserit anno 13. regni, occiso, nemo, vivente Judith,

 & diu

& diu post, turbarit Israëlem. Atqui Nebucadnezar anno 19. cremavit urbem. Simeonem facit Rubenis filium. 8: 1. coll. 9: 2. 3. factum Simeonis laudat, 9: 3. contra Genes. 49: 5. 6. ipsius Judithæ extollit peccata; & fabulatur de festo in memoriam Judithæ instituto. In *Baruch*, quod scripserit Babylone anno quinto ad Sacerdotes in Hierusalem. Atqui Baruch cum Jeremia mansit Hierosolymis, & in Ægyptum abiit. In *Sirachide* est error de sapientia creata. 24: 14. de Samuele. 46: 23. de Elia. 48: 10. In *primo Machabæorum* error de distributione regni ab Alexandro vivo facta. c. 1: 6. 7. contra Dan. 8: 22. 11: 4. de Romanis. 8: 7. 8. 15. 16. de Alexandro filio Antiochi. 10: 1. qui fuit Pompalus. de Dario Rege Lacedæmoniorum. 12: 7. qui nec Arius esse potest. quum Sparta sub Tyrannis fuerit. In *secundo* de Epistola Judæ. 1: 10. de Antiochi cæde. 1: 13. 16. contra Dan. 8: 25. de Nehemia structore templi. 1: 18-22. contra Esr. 1: 8. de Jeremia tabernaculum & arcam & altare incensi occultante. 2: 5. & prophetia Jeremiæ de iis inveniendis. vers. 8. contra Jer. 3: 16. de biennio templi polluti. 10: 3. contra 1 Macc. 1: 57. & 4: 52. & Josephum. de oratione pro mortuis. 12: 46. De Razia. cap. 14. Auctor libri dubitat, an sibi fuerit ἐφικτὸν scribere καλῶς καὶ εὐθίκτως, & ὡς ἤθελεν. In libro *Sapientiæ* vanitas apparet c. 9: 7. 8. 4: 2. ubi suppositititius Salomoh novit certamina Græcorum. & 8: 20. jactat se ἀγαθὸν & in σῶμα venisse ἀμίαντον.

Libri Canonici sunt omnibus noti. Insignis est Canon ab *Amphilochio* sive à Nazianzeno editus in Jambis ad Seleucum, vers. 251. ibi dicit. εἰσὶν γὰρ, εἰσὶν ἔσθ' ὅτε ψευδώνυμοι βίβλοι. τινὲς μὲν ἔμμεσοι καὶ γείτονες (ὡς ἄν τις εἴποι) τῶν ἀληθείας λόγων. αἱ δ' αὖ νόθοι τε καὶ λίαν ἐπισφαλεῖς, ὡς παράσημα καὶ νόθα νομίσματα, ἃ βασιλέως μὲν τὴν ἐπιγραφὴν φέρει, κίβδηλα δ' ἐστὶ τῆς ὕλης δολώμενα. In fine verò ita habet. τινὲς δὲ φασὶ τὴν πρὸς Ἑβραίους νόθον, οὐκ εὖ λέγοντες. γνησία γὰρ ἡ χάρις. καθολικῶν ἐπιστολῶν τινὲς μὲν ἑπτά φασιν. οἱ δὲ τρεῖς μόνας χρῆναι δέχεσθαι, τὴν Ἰακώβου μίαν, μίαν δὲ Πέτρου, τήν τ' Ἰωάννου μίαν τινὲς δὲ τὰς τρεῖς, καὶ πρὸς αὐταῖς τὰς δύο Πέτρου δέχονται, τὴν Ἰούδα δ' ἑβδόμην. τὴν δ' Ἀποκάλυψιν τὴν Ἰωάννου πάλιν τινὲς μὲν ἐγκρίνουσιν, οἱ πλείους δὲ γε νόθον λέγουσιν.

Sed & illos libros pietas ac sanctitas doctrinæ, conveniens cum Mose, Prophetis, & omni Euangelio, veritas prophetiæ, conformitas ejus cum προευαγγελίῳ προφητείᾳ, & antiquitas Testimonii, satis ostendit θεοπνεύστους.

Libri Canonici sunt τῆς πίστεως οἱονεὶ ἀκροθίνια ἢ ἄγκυρα καὶ ἐρείσματα. Athanasius in Synopsi. imò sunt ἀκριβὴς ζυγὸς καὶ γνώμων καὶ κανών. ut Chrysost. ait in 2 Corinth. homil. 13.

De Epistola *Jacobi* Eusebius. *Ejus dicitur Epistola*, quæ inter Catholicas prima est. Sciendum autem est, eam esse *adulterinam*. non enim multi è veteribus mentionem illius faciunt. Sophronius de Jacobo, *Unam tantùm descripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est. quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur.* Centuriatores Centur. I. Lib. II. Cap. x. pronunciant, *non esse Epistolam eam Apostolicam*. 1. quia non mediocriter aberrat ab analogia doctrinæ Apostolicæ, dum justificationem non fidei soli, sed operibus adscribit. 2. quia legem dicit *legem libertatis*, quæ tamen est Testamentum generans in servitutem. Gal. 4. 3. quia non observat modum docendi Apostolorum. Illi semper de beneficio Christi & fide in Christum: hic verò vix semel atque iterum nominis Christi meminit. de opere autem ejus prorsus mutus est. 4. sententiis quibusdam Petri & Pauli utitur. 5. nec se appellat *Apostolum*, sed tantùm servum Christi. Concludunt: Non igitur est absimile vero, eam Epistolam à quodam discipulo Apostolorum sub finem hujus seculi, aut inferiori tempore scriptam esse.

De *Juda* Epistola ita illi porro. *Hæc arguunt non esse genuinam.* 1. non *Apostolum*, sed *Servum se appellat.* 2. *post Apostolos vixisse se* prodit ipse, inquiens: *Vos autem dilecti, memores estis verborum, quæ antehac dicta fuerunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, quòd dixerunt vobis,* &c. 3. *quædam de verbo ex posteriori Petri describit.* 4. *citat sententiam de certamine Michaelis Archangeli cum Diabolo* περὶ τοῦ Μωσέως σώματος. 5. etiam *Prophetiam Enochi.* quæ in probatis veteris Scripturæ libris non habentur. 6. Judam non in Græciam, sed in Persiam venisse, memoriæ proditum est, ubi Persicè potius, quàm Græcè scripsisset.

De Petri posteriori Epistola Eusebius. *Eam non esse legitimam accepimus: & tamen, quia multis videtur esse utilis, cum aliis est usurpata Scripturis.* libr. 2. cap. 3. *Præter hoc unum, quod testimonio antiquitatis carere dicitur, aliud nihil ei deesse videtur, quo minus pro genuina Petri habeatur. nam stilus & compositio à priori non admodum discrepat.* Testatur se cum Christo in monte fuisse. asserit se certò Apostolum Domini nostri Jesu Christi. 2 Petr. 1. & 3. ostendit etiam, se sentire cum Apostolo Paulo. Prophetico insuper Spiritu, hæreticos, Anti-Christum, & Epicureos ultimi temporis depingit.

Duabus posterioribus Epistolis Joannis contradictum esse à Veteribus, Eusebius indicat libr. 3. cap. 25. Et quum è *Papia* probet, duos ejusdem nominis fuisse Joannes, alterum Euangelistam Apostolum, alterum Joannem seniorem, qui etiam in Epheso fuerit, videtur innuere, dubitatum esse, utri Joanni eas Epistolas tribuerent. Eusebius libr. 3. cap. 39. *Verùm stilus non admodùm a priori discrepat*, inquiunt Centuriatores.

De Epistola ad Ebræos ita Centuriatores. *His & similibus rationibus mota prudens vetustas*, de Epistola ad Ebræos jure dubitasse videtur. 1. non refert phrasin Pauli. ut & Origenes scripsit, referente Euseb. libr. 6. c. 25. 2. dicit cap. 2: 3. ἥτις ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι *per Dominum* ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη. Atqui Paulus testatur Gal. 1: 12. *non ab homine accepi, neque doctus sum, sed per revelationem Iesu Christi.* 3. cap. 6: 4. 6. & 10: 26. docet, quod semel ad Christum conversi, si iterum labantur, *per seriam etiam pœnitentiam non possint recuperari.* id, inquiunt, nec doctrinæ Pauli, nec aliorum Apostolorum, nedum Christi, dicentis, *Venite ad me omnes*, consentit. Sed Paulus dicit, tales impossibile esse *renovare εἰς in pœnitentiam.* non inveniunt tales locum resipiscentiæ. ut nec illis superest θυσία. Id longè aliud est, quàm Centuriatores dicunt.

Eusebius docet, propterea illam ad Ebræos à nonnullis asseri, non esse Pauli, quòd *Romana eam non amplecteretur Ecclesia.* Nicephorus libr. 2. cap. 46. causam dubitationis fuisse dicit, quòd non esset adjectum nomen Pauli, pro more aliarum Epistolarum ejus. Eusebius tamen libr. 3. cap. 3. ait, *eam non immerito reliquis Apostoli accenseri scriptis.*

De *Apocalypsi Joannis* dicit Eusebius, de suo loquens seculo, alios eam certis & authenticis Sacræ Scripturæ libris adjudicare, alios verò eis non adnumerare. libr. 3. c. 25. Tertullianus tamen, Justinus, Irenæus, Apollonius, Theophilus Antiochenus, qui omnes Eusebio vetustiores sunt sæculo uno aut altero, eam pro Johannis Apostoli habuerunt. Qui negant Canonicam esse, hôc nituntur, 1. quod Cerinthus inde visus sit exstruere suum dogma de Christi voluptuoso regno in terram per mille annos. 2. quod phrasis non congruat cum aliis Joannis Epistolis.

In Catalogo *adulterinorum* hi libri collocantur ab Euseb. libr. 3. cap. 25. *Acta Pauli*, liber dictus *Pastor* seu *Herma*, *Apocalypsis Petri*, *Epistola Barnabæ*, *Apostolorum do-*

ctrine, Euangelium secundùm Ebreos. In numerum verò absurdorum & prorsus abjectorum refert illa, quæ sub nomine Apostolorum, sive Petri, sive Thomæ, vel Matthiæ, vel aliorum, prætereà Euangelia, aut veluti Andreæ & Joannis, & aliorum Apostolorum acta continentia, ab hæreticis proferantur. Destitui enim omnium Ecclesiasticorum Scriptorum testimonio, characterem phraseos à consuetudine Apostolorum variare, & ab analogia fidei aliena dicere.

Κάνων & Κατάλογος seu index librorum divinorum. Κανονικοὶ sunt libri in indice positi; ὄντες ἐν τῷ κανόνι. Qui *extra Canonem* sunt, dicuntur Ἀκανόνιστοι. Athanasius in Synopsi Scripturæ. πᾶσα γραφὴ ἡμῶν χριστιανῶν θεόπνευστός ἐστιν. οὐκ ἀόριστα δὲ, ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα καὶ κεκανονισμένα ἔχει τὰ βιβλία. & postea. ὁμοῦ τὰ κανονιζόμενα τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία εἴκοσι δύο ἰσάριθμα τοῖς γράμμασι τῶν Ἑβραίων. Illis opponit τὰ μὴ κανονιζόμενα. Concilium Laodicenum. ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης.

Chrysostomus homil. 13. in Genes. τῷ κανόνι τῆς θείας γραφῆς κατακολουθήσωμεν. Athanasius de libris Novi Testamenti. τοσαῦτα καὶ τὰ τῆς καινῆς διαθήκης βιβλία τά γε κανονιζόμενα καὶ τῆς πίστεως ἡμῶν οἱονεὶ ἀκροθίνια ἢ ἄγκυραι καὶ ἐρείσματα. ὡς παρ' αὐτῶν τῶν ἀποστόλων τοῦ χριστοῦ, τῶν καὶ συγγενομένων ἐκείνῳ καὶ ὑπ' αὐτοῦ μαθητευθέντων, γραφέντα καὶ ἐκτεθέντα.

August. 2. contra Crescon. 31. *Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, quos omninò judicare non audeamus, & secundùm quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium liberè judicemus.*

Libri Canonici, quia sunt alterutrius Testamenti, aut Veteris aut Novi, à Veteribus ἐνδιάθηκοι appellantur. Euseb. libr. 6. hist. Eccles. cap. 25. ex Origene in Psalm. 1. οὐκ ἀγνοητέον δ' εἶναι τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, ὡς Ἑβραῖοι παραδιδόασι, δύο καὶ εἴκοσι.

Epiphanius & Damascenus dicunt, libros Veteris Testamenti fuisse ἐν τῷ Ἀρὼν, vel ἐν τῇ κιβωτῷ τῆς διαθήκης.

Hebræi distinguunt libros ἐνδιαθήκους in *Legem*, *Prophetas* ראשנים ואחרנים, & כתובים ἁγιόγραφα. In Novo Testam. appellantur vel universè Lex Matth. 12:5. Joh. 7:49. 1 Cor. 14:21. Gal. 3:10. aut *Propheticus sermo*; vel distinguuntur in *Legem* & *Prophetas*, ita ut post Mosen primus Prophetarum, qui scripserunt, *Samuel* indigitetur. Actor. 3:22. 24. vel in *Legem, Prophetas* & *Psalmos*. Matth. 11:13. Luc. 16:16. Joh. 1:46. Act. 13:15. Luc. 20:42. Luc. 24:44. ὅτι δεῖ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως, καὶ προφήταις, καὶ ψαλμοῖς περὶ ἐμοῦ. Act. 1:20. γέγραπται γὰρ ἐν βίβλῳ ψαλμῶν.

Recensentur aliàs 24. aliàs 22. secundùm literas Alphabeti, variâ quorundam vel combinatione vel distinctione. *Esther* omittitur à Melitone & Nazianzeno. Athanasius trepidat circa *Estheram*, ob additamenta notha. Duodecim Prophetæ minores constituunt τὸ δωδεκαπρόφητον. juncti, ne propter parvitatem aliquid periret. Hinc dicitur Act. 7:42. *scriptum* ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν.

Hi libri dicuntur *Scriptura* vel *Scripturæ* Joh. 5:39. Hebræi הַכָּתוּב τὸ γεγραμμένον. הַסְּפָרִים τὰ βιβλία *libri* Dan. 9:2. סֵפֶר יְהוָה Es. 34:16. דִּרְשׁוּ מֵעַל סֵפֶר יְהוָה וּקְרָאוּ: כְּתָב אֱלֹהִים *Scriptura Dei.* dicuntur duæ *tabulæ testimonii.* Exod. 32:15. 16. γραφαὶ ἅγιαι Rom. 1:2. quippe Dei, θεόπνευστοι, θεοπρεπεῖς, ἀψευδεῖς, & λόγον continentes ἀδιάφθορον. ἱερὰ γράμματα 2 Tim. 3:15. *liber legis.* Deut. 31:26. Jos. 1:8. 2 Reg. 22:8. ὁ λόγος, οἱ λόγοι, τὰ λόγια, θεοῦ, *lex*, *Testimonium Dei.* Solent etiam dicere הַסְּפָרִים & קְרָא q. d. τὸ ἀναγινωσκόμενον.

Apo-

Apocryphi libri, quaſi dicas גְנוּזִים ἀποκρύφους & μὴ δημοσιευομένους. Synodus Laodicena. ὅτι οὐ δεῖ τὰ ἀκανόνιστα βιβλία λέγεσθαι ἤτοι ἀναγινώσκεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.

Concilium Carthaginenſe V. cui Auguſtinus interfuit, Can. 25. 28. *Præter Canonicas Scripturas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine divinarum Scripturarum.* Cyrillus Patriarcha Hieroſolym. Catech. 4. *Hos viginti duos libros lege*, (qui in Hebræorum ſunt Canone) *cum Apocryphis autem nihil habeas negotii.*

Judæi *capſarii* ac *librarii* Chriſtianorum exſtiterunt. Apocryphi autem illi poſt Artaxerxis tempora ſunt compoſiti, ab incertis nonnulli, & à propheticis viris nulli. nec Judæis concrediti, nec à Chriſto & Apoſtolis agniti, nec ab Eccleſia prima admiſſi, & vel expreſsè reprobati, vel judicati *non inutiles, ſi ſobriè legantur*, vel *audiantur.* Auguſt. ad Gaudent. l. 2. *ad ædificationem plebis, non ad dogmatum confirmationem.* ut Hieronymus habet.

Auguſt. contra Fauſtum, libr. 13. cap. 4. docet, *neminem poſſe dare auctoritatem cuiquam libro, quam per Eccleſias Chriſti ab ipſis Apoſtolis conſtitutas non accepit, ut inde ad poſteros firmata commendatione tranſcurreret.* Procul autem abeſt, ut Eccleſia *poſſit impertire Canonicam auctoritatem quibuſdam libris Scripturæ, quam ex ſe ipſis non habuerunt.* quæ è Pighio citantur.

Melchior Canus lib. 2. cap. 7. pag. 43. *Illud verò demonſtrandum eſt, Eccleſiam fidelium nunc viventium non quidem ſcribere Canonicum librum poſſe, ſed definire, an liber, de quo diſputatio eſt, Canonicus ſit, annon.* Et, *Tempore Hieronymi dubitare Catholico licuit, an Apocalypſis Johannis ſacra & Canonica eſſet, nunc autem id non licet in dubium vertere.* Pergit, *Quamobrem, cum noſtro tempore quidam in dubium vocent, An Baruch & Maccabæorum libri, ac cæteri, de quibus quæſtio in manibus eſt, Canonici ſint nec ne, hanc certè ambiguitatem præſentis Eccleſia judicium explanare poterit.*

Canus pag. 45. contra Thomam Waldenſem aſſerit, *novas revelationes nulli exſpectandas eſſe, nec Eccleſiæ, nec Papæ, nec Concilio, ad quæſtionem de fide decernendam.*

Apocryphi libri dicuntur, 1. quia non licebat eos legere publicè in Eccleſia ex ambone ſeu ſuggeſtu Paſtorum, ſed tantùm privatim. 2. quia eorum auctoritas obſcura eſt & incerta.

Poſt tempora Chriſti & Apoſtolorum demum factum eſt, ut Apocryphi cum Canonicis conjungerentur. Joſephus libr. 1. contra Appionem, in recenſione catalogi librorum Veteris Teſtamenti, nullius illorum meminit. Probabile eſt, primum Theodotionem cum verſionem ſuam Veteris Teſtamenti vellet facere commendabiliorem, libros undique conquiſitos in volumen cum Authenticis unum conjunxiſſe, & ita paulatim auctoritatem inter illos conſecuros eſſe, qui ad Chriſtianiſmum ex gentibus converſi ſunt, & in iis Eccleſiis, ubi Apoſtoli ipſi aut Euangeliſtæ non docuerunt.

Ames. Canonem Veteris Teſtamenti conſtituerunt Prophetæ, & Chriſtus ipſe teſtimonio ſuo comprobavit. Canonem N. T. unà cum Veteri comprobavit & obſignavit Johannes, auctoritate divina inſtructus. Apoc. 22: 18. 19. *Si quis adjecerit ad hæc, & abſtulerit* &c.

Libri Veteris Teſtamenti *Hebraicè* ſunt conſcripti, Novi *Græcè.* Ea enim lingua tunc Orienti & Occidenti erat communiſſima. Cic. pro *Archia Poëta.* ſtylo tamen partim vulgari, partim Hebræo-Græco Helleniſtis Judæis uſitato.

De *Matthæi* tamen Euangelio & Epiſtola ad *Hebræos* ſtatuunt nonnulli, *Hebraicè* ea ſcripta eſſe. Sed falsò. 1. Tale depoſitum fidelius ſervaſſet Eccleſia. Hebræa Euangelia, quæ exſtant, ſunt recentia, & è Græco tranſlata. 2. Quia in iis Verſio Septuaginta uſurpatur. quod futurum non eſſet, ſi originaliter Hebraicè eſſent ſcripta. 3. In Euangelio non ſo-

ſolum vocis Hebraicæ, ***Emanuel*** Matth. 1: 23. ſed etiam integræ ſententiæ, ***Eli, Eli*** &c. Matth. 27. Græca eſt interpretatio. Nam ſi Hebraicè ſcripſit Matthæus, Hebræis intelligentibus, defuit interpretatio. Si verò defuit, quâ fide potuit interpres adjicere.

Quæritur, an libri Veteris aut Novi Teſtamenti aliqui perierint. Ita contendunt Pontificii, ut imperfectionem Scripturæ inde arguant. Nullus autem verè Canonicorum periit & excidit. 1. providentia Dei non permiſit. 2. Eccleſia omne divinum depoſitum diligentiſſimè ſervavit. 3. nullus antiquorum ſcriptorum, nec Chriſtus & Apoſtoli ullam mentionem ullius ſcripti faciunt, quod in noſtro Canone non exſtet.

Num. 21: 14. עַל־כֵּן יֵאָמַר בְּסֵפֶר מִלְחֲמֹת יְהוָה ***Ideò dicitur in libro bellorum Domini.*** Joſ. 10: 13. ***An non hoc ſcriptum eſt*** עַל־סֵפֶר הַיָּשָׁר. Quidam ***librum bellorum*** putant fuiſſe recenſionem aliquam tantùm quorundam bellorum, contra Ammonitas & Emmoreos geſtorum. de quibus Jud. 11: 19. adeò ut fuerit liber tantùm politicus, ad uſum politicum populo datus. ***Liber Recti*** putatur fuiſſe commentarius forenſium annalium ſeu actorum publicorum. Idem dicendum de ***Chronicis Regum Judæ & Iſraëlis***, 1 Reg. 14: 19. & alibi. Nec ideò Canonici ſunt, quia citati à Prophetis. quum enim ex iis Prophetæ exſcripſiſſent, quæ perpetuò Sanctus Spiritus manere voluit, lectorem in cæteris ad illa ſcripta remiſerunt, ut & ad annales Perſicos remittimur. Eſther. 4: 15. 5: verſ. ult. 6: 1. 7: 11. qui tamen Canonici propterea haut ſunt. ***Libri*** verò ***Nathanis Prophetæ***, & ***Gadis Videntis***, qui deſcripſerunt res Davidis priores & poſteriores, de quibus 1 Chron. ult. verſ. 29. ſunt libri Samuelis, à cap. 25. libri primi, & deinceps, qui à Samuele conſcripti non ſunt, (moritur enim eo capite) ſed ab his Prophetis. Libri verò ***Jddonis***, ***Achiæ Siluntini***, item ***Eſaiæ*** & ***Ieremiæ***, de quibus paſſim mentio in 2. libr. Chron. ſunt ***libri Regum***, qui ab his Prophetis conſcripti ſunt, atque ideò in Chronicis ad eos paſſim remittitur lector. In Novo Teſtamento Col. 4: 16. mentio fit ***Epiſtolæ ad Laodicenſes***. ſed in Græco habetur τὴν ἐκ Λαοδικείας. Putant nonnulli, illam epiſtolam priorem ad Timotheum eſſe, quæ dicitur ſcripta ἀπὸ Λαοδικείας. ***Prophetia Enochi***, de qua Judas, etiam nonnullis fecit cogitationem amiſſi libri. ut & quod legitur de ***Ianne*** & ***Iambre***, 2 Tim. 3: 8.

Quæſitum in colloquio ***Ratisbonenſi*** eſt, ***An dogma de libris Canonicis in generali & in particulari ſit articulus fidei?*** Affirmarunt Jeſuitæ, habentes pro articulis fidei omnia etiam hiſtorica ſcripturæ; etiam, quod ***canis Tobiæ caudam motitarit***. Tob. 11: 9. Sed diſtinguendum eſt. Articulus ***fidei in genere*** eſt, quicquid in Scripturis ſacris affirmatur vel negatur, ſive expreſsè, ſive per conſequentiam. In ***ſpecie*** verò, quod in Euangelio & Symbolo credendum proponitur, ſine cujus fide & cognitione ſalvatur nemo. Priori ſenſu, omnia hiſtorica ſunt articuli fidei. Poſteriori non. ***Dogma*** verò de libris Canonicis à pleriſque non habetur pro articulo, ſed pro principio fidei, de quo dubitare nefas, cum totius noſtræ fidei ſit ordinarium fundamentum. Sic & in aliis diſciplinis diſtinguitur ***principium à concluſionibus***.

Euangelium ***Marci*** Latinè ſcriptum à nonnullis fingitur. Contrarium teſtatur ***Cajetanus***; nempe ***Marcum Romæ*** ſcripſiſſe, ſed ***Græcè***.

Hebraica, quæ hodie exſtat, Matthæi & epiſtolæ ad Hebræos, editio, non eſt ab ipſis ſacrorum illorum librorum auctoribus. fruſtra enim fuiſſet prior ipſorum labor. quo conſilio enim & bono ſuſceptus ab illis fuiſſet, qui ſtatim erat interiturus. Ergo ab aliis facta fuit illa Tranſlatio. Non fuerunt autem illi θεόπνευστοι. tales enim haut decet ſimplicem agere Metaphraſtem & Interpretem. Ita perierint ipſorum auctorum ἀντίγραφα θεό-

θεόπνευςα. & remanserit tantùm humano studio elucubrata Translatio. id quod absurdum; & Dei providentiæ, libris à se traditis invigilanti, planè repugnans. Deinde phrasis & dictio ipsa satis prodit, non esse illam Translationem ex alia lingua factam, sed esse ipsam Sacrorum Scriptorum primam editionem.

DE VERSIONIBUS SCRIPTURÆ SACRÆ.

DEus Israëli & posteris ejus sacra sua eloquia scripto tradidit linguâ populo illi familiari, propriâ & vernaculâ; nimirum Hebraicâ. Psalm. 147: 19. *Verba sua declaravit Iacobo, præcepta & statuta Israeli, non sic fecit omni nationi.* Quo facto consilium suum ostendit, velle se, ut verbum suum à quolibet è populo legeretur, & intelligeretur; non verò ab Ecclesiæ Præpositis & Senioribus tantùm. Quem in finem etiam præcepit, ut singulis *septennius*, *in anno* הַשְּׁמִטָּה *in festo tabernaculorum*, quo veniret totus Israël ad *comparendum* coram Domino, *Lex* prælegeretur publicè נֶגֶד כָּל־יִשְׂרָאֵל בְּאָזְנֵיהֶם Deut. 31: 10. 11. & Deut. 17: 18. 19. jubetur Rex Israëlis *scribere sibi in libro* מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה, & *servare secum*, & *legere in illo omnes dies vitæ suæ*, לְמַעַן יִלְמַד לְיִרְאָה אֶת יְהוָה אֱלֹהָיו quod mandatum omnibus simul datum è populo subintelligendum est, quia omnibus timor Dei discendus est. Inde & Ecclesia Judaica à multis retro sæculis, in Synagogis, singulis Sabbatis, *Parascham* seu sectionem legis aliquam, publicè populo prælegit. quam consuetudinem Christus & Apostoli, ipsorummet praxi & testimonio comprobarunt. Luc. 4: 16. Act. 13: 15. 15: 21.

Mosen & Prophetas voluit Hebræâ Deus linguâ scribere. pauca Danielis & Esdræ Chaldæorum dialecto, cui populus in Babel assueverat, scripta sunt. Omnium fortè postremus liber *Esther*, (qui sub finem Imperii Persici scriptus videtur,) *Hebraicè* scriptus est. Ita nondum tum planè exoleverat in gente illa veteris linguæ usus. Unde meritò suspecti omnes illi libri, qui dicuntur ἀπόκρυφοι. Viri Prophetæ non scripsissent linguâ populo barbarâ & peregrinâ, qualis tunc Judæis Græca fuit, facta illis utcunque demum familiaris sub Imperio Seleucidarum & Lagidarum; quo tempore nulli amplius Prophetæ θεόπνευςοι exstitisse memorantur.

Sub Novo Testamento, ut & *gentes* adducerentur, curavit ipsis Euangelium per Apostolos propria cuique genti lingua prædicare. Attamen libros Novi Testamenti *Græcâ* tantùm voluit conscribi, quia illa erat tum temporis vulgatissima, notissima, familiarissima. Lingua Hebræa solis Judæis erat nota. Latina *suis finibus, exiguis sanè, continebatur.* Græca verò *in omnibus ferè gentibus intelligebatur.* Cicero pro Archia Poëta. Dum ita veritas cœlestis narrata & scripta est, impleta est prophetia Es. 28: 11. *Nam in sannis labii, & in lingua aliena loquetur ad populum hunc.*

Ex his duabus linguis, Hebræa & Græca, in reliquas omnes linguas libri sacri translati sunt. Apostolos autem ipsos non decuit esse Interpretes, siquidem interpretatio humano studio, labore, diligentia, arte & industria perfici & elaborari potest. *Transferri* libros licitum fuit. linguæ subservire debent Verbo Dei, ut earum id interventu & adminiculo ab omnibus ad salutem percipiatur. Nulli nunc amplius genti duæ illæ linguæ, Hebræa & Græca, vernaculæ sunt. Inutilis ergo foret Scriptura, ni translata. Perinde est, nihil omninò dixisse, & ea dixisse, quæ nemo intelligat.

Hàc

Hâc mente & sententiâ pii viri, *ante & post* Christum Sacras literas in aliam linguam converterunt.

Aliquot ante Christum (anno ante æram Christianam circiter 270.) sæculis facta est interpretatio LXX. virorum. Illa avidè à Judæis τῆς διασπορᾶς Hellenistis excepta, & in Synagogas illorum introducta est. Cœperat enim tunc temporis lingua Hebraica illis jam esse barbara, nec poterant Scripturam Hebraicè scriptam legere amplius vel intelligere. Apostoli nunquam damnarunt nec publicum, nec privatum hujus versionis usum. id quod indubiè fecissent, si illicitum esset in vulgares & plebi familiares linguas verbum Dei transferre. Facta autem dicitur hæc translatio LXX. sumtibus & jussu Regis *Ptolomæi*, qui fuit filius Ptolomæi Lagi, qui per sannam *Philadelphus* dictus est, eo quod duos fratres interfecit. idem etiam celebratam illam Alexandriæ Bibliothecam instituit, in ea urbis regione, quam *Bruchium* vocant. Librorum ex omnibus terrarum partibus conquirendorum curam commisit *Demetrio Phalereo*. illius etiam hortatu libros sacros à LXXII. in Græcam linguam converti curavit, regni sui anno *septimo*. Epiphanius in libro de mensuris & ponderibus. Confer Tertullianum cap. 8. Apologetici. *Ptolemæorum eruditissimus*, (quem *Philadelphum supernominant.*) & omnis literaturæ sagacissimus, quum studio Bibliothecarum Pisistratum (ut opinor) æmularetur, inter cætera memoriarum, quibus aut vetustas aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur, ex suggestu Demetrii Phalerei, Grammaticorum tunc probatissimi, cui præfecturam mandaverat, libros, seu divinas illorum leges, à Judæis quoque postulavit. Numerus librorum ad 50. myriades pervenisse dicitur. Aristotelis *Bibliothecam*, quam ille moriens tradidisse *Theophrasto*, à quo deinceps testamento relicta fertur *Neleo* cuidam *Scepsio*, ab hoc Neleo mercatus est Ptolomæus. Eleazarus, tunc Pontifex, ex singulis tribubus. (superfuerunt enim post reditum è Babel decem tribuum reliquiæ) sex viros seniores & doctiores elegit, qui Legem divinam, ut Rex postulaverat, ex Hebræa lingua in Græcam traducerent. Horum 72. Seniorum apud Aristeam consignata habentur nomina. Seniores Alexandriam ingressi, membranas varias, in quibus Lex aureis literis lingua Judæorum perscripta erat, obtulerunt, mira arte elaboratas. Magnifico illos convivio Rex per 7. aut (ut Josephus habet,) per 12. dies excepit. Rex per intervalla quæstiones politicas & ethicas eorum singulis proposuit, quibus ex tempore scitè responderunt. Post tres dies quàm ista sunt acta, Demetrius per aggerem maris septem stadiorum cum interpretibus progressus trajecto ponte in Pharon insulam eos deduxit, & in domo, ab omni tumultu & strepitu remota, eos collocavit. Ibi interpretationem illi aggressi singula ex collationibus ad consonantiam elaborabant; quæ ita elaborata Demetrius exscribenda curavit. Et quotidie quidem ad horam usque nonam eo in studio versabantur. Dein curabant corpus. etiam cottidie benè manè veniebant in aulam, ut salutarent Regem. tunc redibant ad locum, & lotis è mari manibus, & precibus ad Deum peractis, pergebant legere & singula interpretari. Epiphanius verò ab Aristea & Josepho hic discedens, in 36. cellulis, binos scilicet in singulis à primo diluculo usque ad vesperam interpretes conclusos fuisse, scribit. Deinde sub vesperam 36. scaphis ad Ptolomæi palatium advectos ad ejus epulas fuisse adhibitos. Ac ita quidem cecidit, ut eorum interpretatio 72. diebus absolveretur, perinde ac si datâ operâ hoc ab illis factum fuisset. Quâ absolutâ, Demetrius illam Judæis omnibus in locum illum, ubi ea perfecta erat, congregatis prælegit, præsentibus etiam ipsis interpretibus, qui ut auctores magnorum bonorum ab ipsis Judæis accepti sunt. Judicarunt autem adstantes & sacerdotes, & seniores interpretum,

tum, & magistratus, & principes multitudinis. *Quoniam rectè, sanctè, & per omnia accurate perfecta est ista interpretatio; par est, ut omnia sicut sunt permaneant, nec ulla fiat immutatio.* Omnibus ad hæc cum approbatione acclamantibus, jussit Demetrius, ut diræ imprecarentur, si quis immutaturus esset quid vel addendo, vel transferendo, vel auferendo. Cum Regi quoque omnia essent perlecta, valde admiratus est Legislatoris mentem, magnamque curam librorum haberi, eosque religiosè asservari jussit. Ipsis verò interpretibus, dedit cuique tres stolas pulcherrimas, duo auri talenta, calicem talenti unius, & cœnaculi ornatum universum.

Aliquanto post, circa Christi tempus, facta est Veteris Testamenti Paraphrasis Chaldaica, à Jonathane una, ab Onkeloso altera, in Judæorum, tum Babylone, tum Hierosolymis, totâque Judæâ habitantium gratiam, quibus purus sermo Hebraicus minus ab aliquot sæculis erat familiaris.

Post Christum factæ sunt, teste Augustino de Doctrina Christiana libr. 2. cap. 11. plures ac penè innumeræ à Christianis, utriusque Testamenti, in linguam Latinam translationes. Etiam, ubi à Barbaris Euangelium susceptum esset, translata sunt Biblia in proprias singulorum linguas. Aug. lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 5. Theodoretus libr. 5. de corrigendis Græcorum affectibus.

Superiore sæculo multi sacros libros in vernaculas Europæ nostræ linguas transtulerunt. Ratio convertendi in omnes linguas est unica, & semper eadem, populorum salus atque ædificatio.

Dicunt nonnulli, linguam Latinam fuisse, unà cum Græca & Hebraica, in titulo crucis Jesu consecratam, ut inde conficiant, *non licere ex Hebræo & Græco nisi in Latinum sermonem Sacras Literas transferre.*

Aliud fuit Dei in illo titulo consilium. 1. tres istæ linguæ erant tunc toto orbe notissimæ. 2. erant accommodatissimæ, ut fama, de Christo Rege crucifixo, per totum orbem citissimè disseminaretur.

Nulla autem harum trium linguarum ulli nunc genti, jam à multis retro sæculis, familiaris est & vernacula. ideo & minus aptæ, ut ex sola illarum lectione Christiana plebs proficiat.

Excipiunt, nil esse opus, ut plebs lectioni Scripturæ vacet; esse illam periculosam. satius esse, ut doctis illa relinquatur, plebsque ex ore Pastorum suorum salutarem petat doctrinam. unde etiam interdicunt plebi lectione illa, & damnant Indicibus suis Expurgatoriis omnes in vernaculas linguas Bibliorum versiones.

Sed, si qui è Scripturæ lectione in hæresin incidunt, illi sunt οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι, στρεβλοῦντες τὰς γραφὰς, πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν. 2 Petr. 3: 16. Imò, qui Scripturas ita detorquent, non hæreses suas ex ejus lectione hauriunt, sed eas potius ad ejus lectionem adferunt. Non fiunt ex lectione Scripturæ hæretici, sed, postquam facti sunt, hæresi suæ fucum exinde illinere conantur. Iniquum autem prorsus esset, ideo lectionem Scripturæ populo fideli prohibere. Deinde hæreses ferè omnes non sunt à privatis & laïcis, sed à viris Ecclesiasticis, Præpositis Ecclesiæ, Episcopis, Patriarchis invectæ. An & his propterea interdicetur Scripturæ lectio? Non possunt autem omnes Ecclesiæ Pastores & Præpositi, per universum orbem, in tanta gentium & idiomatum varietate, tres illas linguas nosse atque callere. Imò maxima Clericorum pars in Ecclesia Romana vel ipsam linguam Latinam nescit. Denique, quid si Pastores ipsi plebem in errorem abducant, an tenebitur plebs se-

 ducen-

ducentem Pastorem per avia atque præcipitia sequi? Ergo permittenda est plebi *Δἰάκρισις* & examen. id quod aliter nequit institui, quàm si ad Scripturæ *κανόνα* omnia revocentur; cujus propterea lectio illi concedenda est.

Ergo licet, expedit, & summè necessarium est, ut è Græco & Hebræo fonte deriventur Translationum vernacularum rivuli. Nulla autem Translatio exæquanda, multo minus anteferenda est Græco Hebræoque textui originali. In fontibus res & sententiæ, verba, voces & phrases, quibus res exprimuntur, proximè à Dei Spiritu, quo Scriptores moti sunt, inspiratæ sunt. Horum verborum & phrasium vim, pondus, gratiam & efficaciam nulla versio, quæ ab humano est spiritu, quantumlibet accurata, potest assequi, nedum superare. Aliud est, esse Interpretem, aliud *Vatem*. hi soli extra errandi aleam fuerunt constitui. Ideo fieri non potuit, ut ulla versio sacrorum librorum omnis defectus expers sit. Itaque *semper purius ex ipso fonte bibuntur aquæ.*

Omnes interpretationes ad fontes revocandæ sunt, & ex illis examinandæ & æstimandæ.

Hæc fuit omnium primitivæ Ecclesiæ Doctorum sententia, paucis exceptis, qui Hebraicæ linguæ ignari falso de Græcæ LXX. interpretum Translationis divinitate persuasi, & magnâ illius, quam diu apud Judæos Hellenistas, & priores nonnullos Christianos, qui alia non utebantur Translatione, habuit, auctoritate compulsi, eam ipsi Hebraico textui, & omnibus aliis versionibus præposuerunt: timidè tamen, initio.

Nullus autem illorum ullam Versionem Græco Novi Testamenti textui prætulit. Gratianus ipse, Pontificii decreti consarcinator apertam istam agnoscit & ex Hieronymo profitetur veritatem. Dist. LX. Can. *Ut veterum* &c.

Malè ergo Pontificii tantùm extollunt *Vulgatam suam Latinam Translationem*, è decreto Concilii Tridentini, ut ipsum Hebraicum & Græcum textum ad eam velint examinari. Quod certè est Dei verba & mentem ex hominis, naturâ mendacis, verbis & sensu æstimare, corrigere & emendare.

Fingunt, antiquos Hebraici & Græci originalis textus fontes à Judæis & Hæreticis esse corruptos.

Hebraici fontis corruptio non est facta ante institutam Vulgatam Translationem. alioqui frustra in ea adornanda laborasset ejus Auctor. defluxisset enim eadem corruptio ex Hebræo in Latinam ejus Versionem.

Hieronymus, qui illius magna ex parte auctor censetur, aliique post eum & ante eum, Judæos ab illo crimine absolvunt, eosque *Christianorum fideles capsarios* appellant.

Neque facta est illa corruptio post adornatam Vulgatam Translationem. Hebræus enim codex in substantia rerum cum illa concordat. & non raro manifestiora sunt de Christo Prophetarum in Hebræo textu, quàm in Vulgata Versione testimonia. id quod Pontificii Doctores ultrò agnoscunt. Andrad. lib. 4. Defens. Concil. Trid. Imò, quæ maximè contra Judæos faciunt, in Hebræo textu integra & incorrupta sunt.

Post Hieronymum minorem habuerunt Judæi corrumpendi textum sacrum causam. quò enim remotiora fuerunt à Christo tempora, eò rariora fuerunt Judæorum cum Christianis de Religione colloquia. Nec majus illorum fuit post Hieronymum, quàm ante ipsum, in Christianos odium. Denique illius depravationis facilius post Hieronymum convinci potuerunt, Translatione ab eo recens ex Hebræo facta, operam suam ei locantibus nonnullis Judæorum, à quibus Hieronymus Hebræa didicit, ad quorum etiam testimonium de fide suæ Translationis, ejusque cum Hebræo textu consensu, passim provocat.

Dis-

Dissensio inter Vulgatam Versionem, & Hebræum textum est 1. vel à varia lectione. 2. vel ab interpretis festinatione & ἀβλεψίᾳ. 3. ab ipsius Latinæ versionis interpolatione & corruptione, profecta vel à falsariis, vel ab inscitia librariorum & scribarum. Multo major est inter Hebræum textum, & LXX. Interpretum Translationem discrepantia. Inde tamen nec Origenes, Epiphanius, nec Hieronymus unquam concluserunt, corruptos fuisse à Judæis Hebræos codices.

Græcus autem Novi Testamenti textus à quibusnam fuerit corruptus? An ab Arrianis, Samosatenianis, Eutychianis, Nestorianis, &c? Atqui illorum hæresibus non minus favet textus Græcus, quàm Vulgata. Potuerunt hæretici corruptionem illam invehere in codices suos, non verò in Orthodoxorum exemplaria. Ab Orthodoxis autem, non ab Hæreticis, sacros accepimus codices.

Aut an corruptus est à Constantinopolitana, è quo à Romana discessit, Ecclesia? At Græcorum sententiæ non magis suffragatur textus Græcus, quàm Latina Vulgata. Leo Pontifex novam ex Græco factam ab Erasmo Novi Testamenti Translationem, unà cum Græco textu conjunctam, epistola ad eum scripta laudavit & approbavit.

Licet verò non sit tanta Versionum, quàm Originalis textus auctoritas, tamen non ideo omnino nulla est. Nulla est tam mala versio, quæ non contineat res & narrationes easdem, eadem dogmata, eandem cœlestem veritatem. Ideò in Translationibus habent idiotæ quilibet, in quo fidem suam firmiter ædificent. Vident enim res & doctrinam, libris illis comprehensam, à nullo humano ingenio, neque ergo à Translatore confictam. Neque adeo pendet hac in parte fides illorum ab interpretis, vel Ecclesiæ versionem approbantis testimonio. Hieron. contra Helvid. *Multò purior manare credenda est fontis unda, quàm rivuli.* Idem Epist. ad Sun. & Fretellam. Sicut in Novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo Novum est scriptum Instrumentum; ita in Vet. Testamento, si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis.

August. de Civit. Dei, libr. 15. cap. 13. Rectè fieri nullo modo dubitaverim, ut cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, ei linguæ potius credatur, unde est, in aliam, per interpretes facta Translatio.

Hieron. Ep. ad Lucin. Tom. 1. Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat.

Basilius in Psalm. 1. *πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, διὰ τοῦτο συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ πνεύματος, ἵνα ὥσπερ ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ ἅπαντες ἄνθρωποι τὸ ἴαμα τοῦ οἰκείου πάθους ἐκλεγώμεθα.*

Objiciunt. Hebraica editio pendet ex auctoritate humana. Ergò non est authentica. Ratio, quia punctatio, quâ textus Hebraicus animatur, & ad certam significationem & sensum determinatur, longè post Prophetarum tempora editioni Hebraicæ accessit, per Masorethas Judæos, post excidium Hierosolymitanum. Contra hanc sententiam de punctorum novitate scripserunt *Cephalerius & Buxtorfius.*

De locis, è sententia Pontificiorum, in textu Hebraico corruptis, vide Chamier. lib. 12. de Canon. cap. 12. De corruptis Græcis, cap. 13.

De quæstione, *An Græcus Novi Testamenti textus quandoque impingat in Grammaticam?* vide diversorum judicia apud Mallon. part. 2. in præfat.

Pontificii. Scripturarum lectio in linguis vernaculis periculosa est plebi. 1. quia ex eis

non rectè intellectis plurimæ hæreses sunt ortæ. 2. quia multæ in eis sunt sententiæ, quæ videntur Deum peccati auctorem facere. multæ etiam occurrunt factorum historiæ, quæ malarum cogitationum ansam præbere possint. 3. quia plurima in sacris sunt, quæ intelligi à Laicis non possunt: vide Concil. Tridentin. in Indice librorum prohibitor. Regul. 4. *Ledesima* Jesuita in libro de Scripturæ lectione vernacula. *Quamvis aliquis bono animo id sæpetere dicat* (nempe, ut S. Scripturæ lectio permittatur in lingua vernacula) *& propriæ devotionis & utilitatis gratiam postulare contingat*, facile responderi potest illud Salvatoris Matt. 19. Nescitis, quid petitis; & esse eam fallacem devotionem & zelum non secundùm scientiam, aut potius divisionis eum esse spiritum & erroris. *Concedendum*, porrò inquit, *non est: quia radix hujus petitionis est hæresis.*

LXX. Interpretes videntur multis tantùm vertisse libros Mosis.

Est & *Syriaca* Testamenti Novi versio. de auctore ejus non constat. à nonnullis Ecclesiæ Antiochenæ adscribitur.

De vitiis versionis LXX. Interpretum, vide Chamier. libr. 13. de Canon. cap. 8. 9. 10.

Pontificii nonnulli authenticam illam esse, ita probant. 1. quia Ecclesia ea est usa. 2. quia facta est inspirante Spiritu. 3. quod Patres in eam sunt commentati.

DE PERFECTIONE SACRÆ SCRIPTURÆ.

Omnis rei, quæ ad aliquam comparata est effectionem, perfectio in eo consistit, quod nil ei deest eorum, quæ requiruntur ad faciendum ac præstandum id, cujus causâ instituta est. Scriptura destinata est, ut fidem, sanctimoniam, spem vitæ ingeneret. Hæ virtutes ut in animis efficiantur nostris, oportet ut Scripturæ perfectio consistat in perfecta dogmatum revelatione, illuc facientium.

Duplex autem nascitur Scripturæ perfectio. altera sita est in plenitudine & perfectione ipsorum dogmatum. altera in perspicuitate dogmatum traditorum. Pontificii negant, 1. quæ sunt absolutè ad salutem necessaria, esse in Scriptura. 2. neque, quæ sunt in Scriptura, perspicuè satis & clarè esse explicata. De priori nunc.

Dogmata ad salutem consequendam absolutè necessaria sunt vel *necessaria per se*, adeò ut sint veluti animarum alimenta; & cognitione illorum carere non possumus citra salutis dispendium; qualia *affirmativa* dixerimus. Alia *necessaria non sunt*, nisi quia sunt evitanda, suntque velut animorum venena, quæ incognita haut benè evitantur; quæ *negativa* vocaverimus.

Affirmativa dogmata necessaria sunt vel ejusmodi, ut in ipsa natura, rerum creatione & gubernatione sint revelata; & inde pateant sua sponte rationi rectæ. Alia verò sunt ejusmodi, quæ citra opem revelationis cujusdam extraordinariæ reperiri haut potuissent.

Priora sunt ita cognitu necessaria, ut illorum nemo excusare queat ignorantiam. ingerunt enim se ubique & semper in oculos & mentes nostras opera Dei, ex quibus illa manifesta fiunt. Hæc in Scripturis prolixè repeti, necessarium haut fuit. Suntque respectu dogmatum posterioris generis velut hypotheses quædam ab ipsa natura constitutæ, quibus innituntur doctrinæ religionis.

Cardinalis Perronius conatus est ostendere, *immortalitatem animæ* è Mose haut certò cognosci posse. Atqui hoc *Principium* omnis religionis naturâ notum est. Constans de illo est ab initio omnium ferè populorum consensio. Præstans ingenii vis, animis insita humanis, differt aliter ab anima asinina, quàm gradu aliquo caloris, & subtiliore humo-

humorum aut organorum corporis constitutione ac temperamento. Non ergo præcisè opus fuit, ut Moses de re hac indubitabili probanda multùm sollicitus esset. Imò tamen communis hæc ἔννοια à Mose præsupposita est. Sublata enim doctrina de animæ immortalitate, actum est de religione Christiana, imò tollitur omnis è mundo religio. nec præsupposita tantùm, sed clarè asserta.

Sunt talia dogmata, de quibus ipsa ratio sana dubitare neminem sinit, in Scripturis revelata. 1. ut, quia magna est hominum oblivio, & mens illorum læva, caveatur, ne sepulta & incognita jaceant. 2. ut, confirmatis hisce naturæ hypothesibus, reliquarum illis inædificatarum doctrinarum harmonia luculentius conspiceretur. Deum esse, adeoque unicum, virtute infinitum, optimum, sapientem, peccati vindicem, boni remuneratorem, universi moderatorem, firmissimè è libris Mosis demonstrari potest.

Igitur & *animæ immortalitas*. quam Christus ex his demonstravit verbis, *Ego Deus Abraam, Isaac, & Iacob*. Matth. 22: 32. Marc. 12:26. 27. pronunciatis ἐπὶ τῆς βάτου. Luc. 20: 37. 38.

Posterioris generis affirmativa dogmata etiam pleraque sunt necessaria. attamen tantummodo, ubi, & quando, & quatenus revelata sunt. Neque enim videtur hominibus ad condemnationem imputari potuisse ignorantia rerum, naturæ lumen fugientium & superantium, neque tamen specialiter à Deo revelatarum. Mens humana objecta sua ipsa sibi non constituit. constituta & aliundè oblata apprehendit. id si negligit, ignorantiâ peccat.

Horum dogmatum revelatio non facta est tota simul & semel. ab exiguis orta principiis, paulatim amplificata, & tandem perfecta est. Distinguenda igitur sunt tempora & momenta istius revelationis. 1. Quum Judæi solo Pentateucho gauderent. 2. Quum ad illum alia paulatim scripta accesserunt. quæ periodus ad Christi usque ἐνσάρκωσιν excurrit. 3. Quum extarent Veteris Testamenti tabulæ tantùm; Euangelium autem à Christo & Apostolis viva prædicaretur voce. 4. Cum Novi Testamenti libri adjuncti sunt libris Veteris Testamenti. quæ periodus omne tempus ad finem usque seculi complectitur. Per hæc tempora, quod scriptum est, ad salutem suffecit, & etiamnum sufficit.

Ad primam periodum quod attinet, nullum proferri dogma potest, absolutè tum ad salutem necessarium, quod non exstet in Mose. Perronius enumerat dogmata, 1. De *immortalitate animorum*. 2. De *resurrectione corporis*. 3. De *judicio novissimo*. 4. De *Paradiso*. 5. De *inferis*. 6. De *creatione* & *distinctione Angelorum*. 7. De *creatione Diaboli*. Atqui & *immortalitas* animæ, & *resurrectio* corporis asserta à Mose est. & Christus utramque è Mose asseruit. De *judicio novissimo* prophetavit Enoch. Jud. vers. 14, 15. de quo Moses scripsit Gen. 5: 21. De *Paradiso* non tacuit Moses. hortus Eden, quem descripsit, illius fuit figura & typus. dum docet, Deum non *puduisse vocari Deum* Abraami &c. docuit, *parasse* illum *illis civitatem*. Hebr. 11: 16. De *inferis* ex opposito potuit facilè colligi. De *creatione* Angelorum concludo è creatione cœlorum, cujus Angeli exercitus. Genes. 1: 1. *Distinctionem* Angelorum præteriit, quia nulla est. Et si sit, num de salute actum est, nisi æquè ad unguem calleamus hierarchiæ cœlestis dispositionem, atque Polybius & Ælianus militum Græcorum & Romanorum nobis descripserunt? non decet nos ἐμβατεύειν εἰς ἃ μὴ ἑωράκαμεν. De *creatione* Diabolorum colligere fuit ex eo, quod narrantur esse. ni creati essent, non essent. non tamen creati sunt *Diaboli*, hoc est, mali, sed *boni*. desierunt autem esse boni; & suo vitio inceperunt esse mali. creati ergo sunt boni, non creati Diaboli.

Si libri Mosis sunt adeo imperfecti, cur usque adeo Legis Mosaicæ extulit laudes David? dicit *Beatos*, qui illam *meditantur* jugiter. dicit illam *beatam*, *fidelem*, *rectam*, *puram*, *restituere & recreare animam*, *dare sapientiam*, *illuminare oculos*, quorum *in corde est*, illorum haut *labascere* posse *gressus*. Petit *revelari sibi oculos*, ut *mirabilia ejus videat*. in illa lætatur. ex illa se solatur. Ps. 1:2. 19:8.9. 37:1. 119:1.18.34. Frustra obtenditur, per *legem Dei* non intelligi librorum Mosis volumen. *Legem* enim *præcepit nobis Moses*, Deut. 33:4.

Certè *religio* à Deo in libris Mosis constituta est. Tria autem in religione insunt. 1. *Dogmata* ad fidem. 2. *Præcepta* ad mores pertinentia. 3. *Ritus externi*, seu ceremoniæ, ad ordinem & distinctionem.

Præcepta moralia, & ceremoniæ perfectissimè in libris habentur Mosaicis. An in solis *fidei præceptis* defectus sit, neque illa in scripto tradidit Moses, solisque illa tantùm secretò consignavit Sacerdotibus, ac si illius ordinis sola Deo curæ fuerit salus?

Non frustra præceptum est. *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, & non detrahetis de illo.* Deut. 4:2. Item. *Quicquid ego vobis præcipio, id observabitis, ut faciatis. ad hoc nihil addes. ab eo nihil detrahes.* Deut. 12:32. Hæc de universo fœdere libris Mosis comprehenso dicta esse, indubium est. ita nullus relictus traditionibus non scriptis locus.

De secunda temporis periodo idem sentiendum. Si solus Pentateuchus sufficit ad salutem obtinendam, multo magis sufficit, ubi novis subinde accessionibus auctior factus est. Prophetæ enim, quæ à Mose scripta erant, repetierunt, illustrarunt, confirmarunt, auxerunt. Neque illorum tempore *traditiones*, soli Sacerdotum memoriæ & fidei commissæ, ullæ notæ fuere.

A tempore ultimorum Prophetarum usque ad Christum nullus fuit usus Traditionum. Christus & Apostoli è Scripturis doctrinam suam demonstrârunt, nullâ traditionum mentione factâ. imò *traditione* seniorum sæpè redargutâ.

Si præter id, quod in libris Mosis & Prophetarum scriptum est, sacerdotum fidei concreditum aliquid fuit, ad salutem necessarium, id debuit maximè pertinere ad fidem in Messiam, ad ejus vitam, opera, passiones, glorias explicandas; ad elucidandam naturam regni cœlorum. In iis rebus enim sita est religionis medulla. Atqui hæc tam abundè in illis exstant, ut planè nullis Traditionibus egeamus.

Disertè Apostolus 2 Tim. 3:5. *Sacras literas posse sapientem facere ad salutem.* id loquitur etiam de literis Veteris Testamenti. Imò dicit, τὸ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον exinde posse reddi πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένον. & cum in finem etiam Scriptura θεόπνευστος à Deo tradita est. dicitur enim ἵνα *ut* &c. vers. 16.17. Quæ Scriptura sufficiens est *docere, redarguere, corrigere, castigare*, num illa deficiens censeri potest? Dum Apostolus illam ad hæc ὠφέλιμον *utilem* dixit, nonne & ad hæc sufficere indicavit? quomodo enim ad hæc utilis est, si ad hæc non sufficit?

Pontificii defectum & imperfectionem librorum Veteris Testamenti arguunt exemplis, miraculi patrati ab Angelo descendente in piscinam, Joh. 5:2. *exorcistarum*, dæmones è corporibus hominum ejicientium, Act. 19:13.14. hominis in festo Paschatis à supplicio quotannis liberati, Matth. 27:15. mixtæ *aquæ* cum *sanguine*, quo populus in promulgatione fœderis respersus fuit, Hebr. 9:19. imò & *libri* eadem aspersi materia, ibid. *urnæ*, habentis τὸ μάννα *in arca* vel propè arcam repositæ, Hebr. 9:4. certaminis Michaëlis cum Diabolo περὶ τοῦ Μωσέως σώματος. Jud. vers. 9. Jannis & Jambris, qui

ἀντέ-

ἀντέστησαν Μωυσεῖ, 2 Tim. 3: 8. De his, inquiunt, nil in libris Mosis & Prophetarum est. Sed & possunt hæc deesse, & tamen nil minus in tradendis rebus ad salutem necessariis perfecti esse.

Dicunt etiam, è Scriptura illa non apparere, 1. Quâ ratione *peccatum originale* deletum fuerit in fœminis, solis maribus circumcisis? 2. Quomodo notum esse potuerit universo populo, sacrificia Christum adumbrasse?

De tertia nunc dicendum temporis periodo. Non omnia, quæ Christus & Apostoli ad constitutionem novæ Ecclesiæ duxerunt necessaria, in Veteris Testamenti tabulis nominatim tradita fuerunt. Non est in libris Mosis & Prophetarum institutio Baptismi & Cœnæ, neque etiam veterum Sacramenta propriè nostrorum umbræ dici possunt.

Illa, quæ à Christo & Apostolis extra ambitum Veteris Testamenti facta & constituta sunt, non habuerunt ab antiqua traditione, sed ab instinctu Spiritus Sancti. Hoc tantùm dicimus. Quemadmodum in libris Vet. Testam. continentur omnia ad salutem necessaria; sic, quæ à Christo & Apostolis tanquam necessaria prædicata & constituta sunt, omnia literis esse cum in Veteri, tum in Novo Testamento consignata, eaque ad salutem sufficere. Nec post Christum & Apostolos amplius nova debet exspectari revelatio ad sæculi usque consummationem.

Superest, ut agamus de illa temporis periodo, quæ à constituto Novi Testamenti Canone post Apostolos usque ad rerum omnium finem excurrit. Si libri Veteris Testamenti soli suffecerunt ad salutem, quantò magis universum illud librorum corpus Veteris & Novi Testamenti sufficit? Si non, proferant in medium dogmata ad salutem necessaria, quæ in Novo haut extent Testamento.

Numerant 1. *Transsubstantiationem.* 2. *Sacrificium Missæ.* 3. *Purgatorium ignem.* 4. *Invocationem sanctorum.* 5. *Pontificis Romani potestatem*, & similia. Sed falsa omnia hæc sunt dogmata, Scripturæ contraria.

Perpetuam *Mariæ virginitatem* illuc nonnulli referunt, cum *Paschatis celebratione.* Sed nec illa ad salutem absolutè necessaria est, ut credatur. & hæc cum libertate Ecclesiæ Christianæ, si ut res necessaria & pars cultus urgeatur, non convenit.

Perronius ad quatuor capita traditiones illas revocavit. 1. Ad μετάθεσιν Sabbati in diem Dominicam. 2. Ad doctrinam de non rebaptizandis, ab hæreticis baptizatis. 3. Ad dogma de processione Spiritus Sancti à Filio. 4. Ad Pædobaptismum. Hæc solâ contendit niti traditione.

Translatio diei Sabbati facta est sapienti consilio, imò & Apostolico, ut ad eam rem consecraretur dies, quo resurrexit Dominus. Apoc. 1: 10. est mentio τῆς Κυριακῆς ἡμέρας. Dein nec hoc ad salutem absolutè est scire necessarium.

Nec dogma de non *iterando baptismò* in illis, quos hæretici baptizarunt, ad salutem absolutè necessarium est. Alias Cyprianus Martyr, qui contrariam professus est sententiam, & ita è vivis excessit, in errore salutem tangente mortuus esset. Imò hæc ipsa quæstio è Scriptura *plenario totius orbis Concilio remotis dubitationibus* decisa est. ut August. libr. 1. de Baptismo contra Donat. cap. 7. ubi addit, *Ex Euangelio profero certa documenta, quibus Domino adjuvante demonstro, quàm rectè placuerit & verè secundum Deum.* Copiam istorum argumentorum fecit Augustinus cum alibi, tum iis libris, de Baptismo contra Donatistas.

Dogma de *processione Spiritus Sancti* è Filio constat è Scriptura. Etiam *Baptismus infantium.* quinimò illum Pontificii adversus Anabaptistas disputantes è Scriptura de-

monstrant, tantis argumentis, quæ nullâ putant ratione posse solvi, nullâ arte eludi. Bellarminus libr. 1. de Sacram. Bapt. cap. 9. Cur ergo alii, ut Perronius adversus Reg. Magn. Britann. pag. 571. vociferatur, non posse Baptismum illum è Scriptura satis aperte colligi? & omnem ingenii vim ac industriam in eorundem argumentorum effundit refutationem. Dicit Perronius, traditum quidem esse Pædobaptismum in Scriptura, sed non sufficienter. Implorandam idcirco esse opem traditionis.

Dogmata *negativa* non sunt, ut superius dictum, per se & absolutè necessaria cognitu, sed tantùm ut ab iis caveamus, ubi & quando periculum fidei creant. Illa autem sunt vel *αὐτολεξεὶ* damnata in Scriptura Sacra, vel ex ea per legitimas consequentias damnari possunt. Neutrorum istorum respectu Scriptura *imperfecta* dici potest. De priori genere res clara est. Scriptura damnavit doctrinam de justificatione per legem. vindicavit dogma de Resurrectione; de Electione & Prædestinatione; de libertate à Mosaicis ceremoniis. Idololatriam passim anathemate percussit. doctrinam de vera charitate à Pharisæorum glossematis liberavit.

De posteriore genere haud minus. ut in omni disciplina, sic & in religione verum cum vero consentit. Imo in hac, ut disciplina planè divina consensio illa clarior esse debet, quàm in ulla alia. Nam & veritates in ea certiores sunt, pulchrè inter se coagmentatæ, ut ex explicatione anguli, quem rectum esse scimus, ad alios angulos, de quibus dubitamus, deprehendimus, rectine sint, an verò recto minores majoresve; sic ex applicatione veri ad ambiguum, verum sit nec ne certo concludi potest.

Nulla ratione potest Scriptura argui imperfectionis, quod non omnia *αὐτολεξεὶ* damnavit, in quibus errari potest. In omni disciplina doctrinarum verarum modus est aliquis definitus. Necessariorum thematum, quæ eadem affirmativa sunt, numerus definitus est. At mendaciorum longè fertilior est seges. nec numerus certus aliquis hæreticarum doctrinarum. Si omnes illæ exserte in Scriptura debuerint damnari, importuna sanè rerum horrendarum farragine liber divinus refertus fuisset. Et cottidie novæ hæreses excitantur.

Si eo nomine Scriptura imperfecta dicenda foret, & ipsa *traditio* imperfecta est, & religio Christiana imperfecta semper erit. Neque enim omnes hæreses, quæ fuerunt, sunt, & futuræ sunt, vel in Apostolica traditione, vel in Conciliorum decretis *αὐτολεξεὶ* damnatæ sunt.

Bellarminus libr. 4. de Eccl. cap. 3. *Quod è Scriptura evidenter deducitur, est evidenter verum, suppositis Scripturis.* Ubi docuit Scriptura totidem verbis, Filium esse Patri *ὁμοούσιον*, non *ὁμοιούσιον* tantùm? Ductis è Scriptura consequentiis evinci id debuit. Controversia de primatu Papæ non potuit ab Ecclesia Romana decidi è verbo, *Tu es Petrus*, nisi multarum interventu consequentiarum.

Duo caveant Pontificii. 1. ut ne quid invehant nomine *traditionis*, quod cum traditione scripta pugnat. 2. ut omne id, quod nomine *traditionis* commendabunt, ostendant, revera ab Apostolis promanasse.

Perfectio librorum Mosis probatur è Num. 12:7. est *servus fidelis in tota domo Dei*, nimirum, ut est Hebr. 3: 5. *in testimonium eorum, quæ in futurum dicenda erant.* Unde & Paulus Act. 26: 22. *Nil dicens extra ea, quæ tum Prophetæ loquuti erant, futura esse, tum Moses.*

Deut. 31: 19. dicit Deus, *Canticum*, quod jubebat Mosen scribere, *fore in testem in filiis Israel.* Ergò solum Canticum sufficit ad testimonium dandum pro omni veritate contra omnem fallitatem.

Deut.

Deut. 30:6. regulam obedientiæ Deus facit ea præcepta, quæ tum Moses præcipiebat. vers. 8. *At tu converteris & auscultabis voci Jehovæ, & facies omnia præcepta ejus, quæ ego tibi hodie præcipio.* & ea docet in libro legis contineri vers. 10. *Nam obedies voci Iehovæ Dei tui, ad observandum præcepta ejus & statuta ejus, quod scriptum est in libro legis hoc.*

Hos. 8:12. *Scribebam ipsi* Israëli *multitudines legis meæ*, hoc est, omnes partes ejus, quàm multæ sunt. Ita *multitudo ossium* est omnis multitudo ossium. Job. 33:19.

Præcepta à Mose sunt חֻקּוֹת *definitiones*, hoc est, talia, quæ certa definitione, modo & mensurâ inclusa sunt. In iis, quæ scripta sunt in libro legis, continetur *Testamentum*, Abrahamo notificatum, & cum Israële erectum; atqui Testamento nil licet addere vel demere. imò *fœdus*. Exod. 34:27. *Scribe tibi verba hæc. Nam juxta verba hæc pango fœdus tecum & cum Israële.* vers. 6. 7. ibid. Deus explicat *gloriam* suam, *nomen* suum, *vias* suas, & omne *bonum* suum. confer cap. 33: 18. 19. Psalm. 103:6.

Lex Mosis commendatur Malach. 4:4. *Memores estote legis Mosis servi mei, cui præcepi in Choreb ad Totum* (qui omni tempore futurus est) *Israëlem statuta* (definitiones) *& judicia*, hoc est, præcepta *fœderalia*, quæ certum & inevitabile judicium important vel justificationis vel damnationis. Hæc omnia perfectionem legis docent abundè.

In Scriptura est תּוֹרָה וּתְעוּדָה, Es. 8:20. Christus de Scripturis affirmat, quod *eæ de se testentur*, Joh. 5:38. 39. 46. ex illis haberi *vitam æternam*, Joh. 5:39. 20:31.

Jerem. 31:33. *Legem meam ponam in medio ipsorum. & in corde illorum scribam illam, & non docebunt amplius unus alterum.* 1 Joh. 2:27. *Unctionem habemus a sancto & novimus omnia. neque opus habemus, ut quis nos doceat, nisi quemadmodum unctio nos docet.*

Probatio sufficientiæ Scripturæ.

E 2 Cor. 1: 12. 13. *Non enim alia scribimus vobis, quàm & legitis*, in scripturis propheticis, *& agnoscitis*, in rebus gestis. è Rom. 2: 17. 18. 20. habuerunt Judæi μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ ἀληθείας *deformationem cognitionis & veritatis in lege.* è 1 Tim. 4: 13. πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει. Adde 2 Tim. 3:16. 17. quicquid *perfectum* facit alium, id ipsum perfectum. quicquid est enim in effectu, etiam est in causa. De loco hoc ita Theodoretus. ταῦτα ἅπαντα τῆς τελειότητος πραγματεύεται. è 2 Thess. 2: 15. *tenete traditiones, quas docti estis* εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν.

Theodoretus. ἔχετε κανόνα διδασκαλίας τοὺς παρ' ἡμῶν ὑμῖν προσενεχθέντας λόγους, οὓς καὶ παρόντες ὑμῖν ἐκηρύξαμεν, καὶ ἀπόντες ἐγράψαμεν. ex Es. 34:16. *Inquirite è libro Iehovæ & legite.* è Dan. 7: 10. vidit *libros apertos esse*, ut *judicium exerceretur*. Apoc. 20:12. Johannes vidit, *mortuos judicari ex scriptis in libris.* 22: 18. *si quis addiderit ad sermones prophetiæ hujus libri, addet Deus in ipsum plagas scriptas in eo libro.* è 2 Tim. 3: 5. *habentes* μόρφωσιν *deformationem* seu *formulam pietatis*, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι. è Judæ vers. 3. ubi de *communi salute scribere aliquid volens*, nil aliud invenit, quàm ut *decertarent in fide semel tradita sanctis.*

August. lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 9. *In iis, quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, spem scilicet & charitatem.* libr. 1: cap. 37. *Titubabit autem fides, si Scripturarum vacillat auctoritas.*

Amesius. *Scriptura non est partialis, sed perfecta regula fidei & morum.* Trelcat. *Omnia continentur in Scriptura vel expressè, vel analogicè.*

Junius. Perfectio Scripturæ probatur 1. ab ipsa definitione perfecti. Id perfectum est in suo genere, cui nihil in eo genere addi aut demi potest. 2. à causa efficiente simul & fina-

finali S. Scripturæ. ***Deus*** is est, qui nec accusari debet ***inscitia***, quod nesciverit ***perfectam*** dare; nec ***invidia***, quod noluerit; nec ***impotentia***, quod non potuerit. 3. ab effectis Scripturæ. facit ***perfectum***, 2 Tim.3:15. ***regenerat***, 1 Petr.1:23. ***salvat***, Rom.1:16. ***liberat***, Joh.8:32. ***beatum efficit***, Psalm.1:1.2. 4. ab iis Scripturæ locis, quibus traditiones ἄγραφοι damnantur. Matth.15:16. Marc.7:13. Es.29:13. ***Frustra me colunt, servantes*** &c. Gal.1:20. Paulus ait, ante conversionem se fuisse ***æmulatorem paternarum traditionum.***

Dicuntur Scripturæ *Canonicæ*, quia omnis pietatis & religionis canonem, regulam ac normam continent. quo manifestissimè ejus perfectio arguitur. nil enim aliud est κανὼν, quàm (ut Varinus definit) μέτρον ἀδιάψευστον πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον.

Traditiones sunt vel ***dogmaticæ*** vel ***historicæ***. has, si à fide dignis referantur, & cum S. Scriptura non pugnent, admittimus. quales extant quædam in veteribus historiis Ecclesiasticis, de vita & morte Apostolorum, de propagatione fidei & Euangelii. hæc enim fide ***humana*** tantùm credimus, haut ***divina***.

Dogmaticæ sunt vel de fide & moribus Christianis, vel de ordine externo Ecclesiæ, vel de ritibus quibusdam adiaphoris, pro ratione diversarum gentium in Ecclesiis observandis. De prioribus dicimus, nullum dogma fidei & morum, vel communium vel singularium, extra Scripturam in Ecclesia debere habere locum. Posteriores, si cum Scriptura non pugnent, & conscientias non gravent, & ædificationi inserviant, nonnunquam admitti possunt. 1 Cor. 14:40. *Omnia decenter & ordine fiant.*

1 Cor.4:6. ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε, τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται, φρονεῖν. Gal.1:8.9. ***Si nos, aut Angelus è cœlo euangelizet vobis*** παρ᾽ ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω. ***ut prædiximus, & nunc rursum dico, si quis vobis euangelizet***, παρ᾽ ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω.

Tertullianus de carne Christi, cap. 7. ***Non recipio, quod extra Scripturam de tuo infers. Si tu es Apostolicus, cum Apostolis senti.*** Idem de resurrectione, cap. 3. ***Aufer hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de solis Scripturis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.*** Idem adversus Hermogenem, cap. 22. ***Adoro plenitudinem Scripturæ.***

Pontificii affirmant, ***Scripturam*** esse minimam particulam veritatis revelatæ. Item: ***multo maximam Euangelii partem traditione ad nos pervenisse, perexiguam literis esse mandatam.***

Dicunt. 1. Ex Sacris literis non potest probari, Euangelium Matthæi esse Matthæi; & Thomæ non esse Thomæ.

2. Multi libri è Scriptura amissi sunt. quorum jactura Scripturam facit imperfectam. Basilius M. ultimo ἀσκητικῶν capitulo, περὶ πίστεως scribit, φανερὰ ἔκπτωσις πίστεως καὶ ὑπερηφανίας κατηγορία ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων.

Pro *traditionibus* citant Pontificii, Rom.16:17. *Rogo vos* σκοπεῖν dissensiones & scandala παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε ποιοῦντας. 1 Cor.11:2. *Laudo vos*, quod καθὼς παρέδωκα ὑμῖν, τὰς παραδόσεις κατέχετε. 1 Cor.15:3. *Tradidi vobis inprimis, quod acceperam.* 2 Thess.2:15. *Tenete traditiones.*

Instant. *Christus* non omnia per se *docuit*. Joh.16:12. ***Multa adhuc habeo dicere vobis***, ἀλλ᾽ οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι. Neque omnia scripta sunt, quæ *fecit*. Joh.20:30. ***Multa & alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta*** ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ.

Si Scriptura sine traditione perfecta est & sufficit, aut singuli Canonis libri sunt perfecti & sufficientes, aut totus Canon sufficiens & perfectus est. Atqui non singuli libri. quia non sin-

ſinguli continent omnia. Nec totus Canon, quia multi perierunt.

Stapletonus contra Whitakerum lib. 2. cap. 1. amiſſionem unius libri Canonici Eccleſiâ non minus indignam affirmat, quàm jacturam unius ſacramenti.

Hieronymus adverſus Helvidium. *Quæ abſque* auctoritate & teſtimoniis Scripturarum quaſi Apoſtolica traditione ſponte reperiunt, percutit gladius Dei. Idem Hieron. in c. 23. Matthæi. *Quod de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.*

Pontificii. *Traditiones non ſcriptæ* ſunt de omnium gentium conſuetudine. Ergo etiam Eccleſiæ ſunt neceſſariæ. 2. Traditiones non ſcriptas requirit dignitas Eccleſiæ & myſteriorum fidei. nam ſine illis nullum eſt Eccleſiæ privilegium præ hæreticis, qui Scripturas non minus noverunt, quàm fideles. Sunt & multa reticenda, quæ apud perfectos tantùm proferenda. exemplo Chriſti, Luc. 8: 10. *Vobis datum eſt noſſe myſteria. reliquis verò in parabolis.* & Pauli, 1 Cor. 2:6. *Sapientiam loquimur in perfectis.*

DE PERSPICUITATE SACRÆ SCRIPTURÆ.

OMnia dogmata & præcepta, ad ſalutem adipiſcendam neceſſaria, in Scriptura Sacra perſcripta ſunt. Videndum nunc, *perſpicuè*-ne, an *obſcurè*.

Eccleſia Romana accuſat libros à Deo ſapientiſſimo in hominum ſalutem conſcriptos tantæ obſcuritatis, quanta ulli vix humano impacta eſt ſcripto; movitque hanc Camarinam, quia ita rationibus ſuis conducere putavit. Nempe, ne Scripturarum revinceretur auctoritate, abſterruit populum à lectione Scripturarum, cauſata ancipitem & periculoſam obſcuritatem. Dein, quia de iis, quæ ſunt prora & puppis Religionis Pontificiæ, altè Scriptura ſilet, commenta eſt traditiones non ſcriptas. Denique, ne quis percelleretur locis illis, quibus errores illius paſſim condemnantur, docuit fideles ſuo ipſorum judicio diffidere, Eccleſiæ interpretationi acquieſcere.

Non quæritur inter nos & illos, an nulla in Scriptura ſint loca difficilia, ſed 1. num illa uſque adeò ſit obſcura, ut populus eam legere non debeat, imò haut poſſit cum fructu. 2. ut quæ ſit ejus de controverſiis religionis ſententia, ex ipſa conſtare non poſſit, ut propterea traditio non ſcripta in ſubſidium ſit vocanda, & teſtimonium Eccleſiæ præſentis ſæculi. Nos negamus. affirmant illi.

Expendenda quæſtionis 1. ſubjectum. 2. attributum.

Subjectum eſt *Scriptura.* in qua diſtinguuntur *litera* ſeu *verba*, & *ſenſus.*

Verba linguæ ignaro non poſſunt non obſcura eſſe. ut in omnibus aliis libris fit. Tollitur illa, non traditionis auctoritate, non teſtimonio Eccleſiæ, ſed aut *linguæ* ſcientia, aut *verſione* in linguam notam facta. Quo quis peritior eſt linguarum, eo rectius & facilius de verſionibus judicat. De *verſionibus* autem etiam linguæ ignaros utcunque certos facere poteſt, 1. peritorum conſenſus. 2. plurium collatio verſionum. 3. cohærentia ſenſus. 4. in rebus momentaneis eæ notæ, quibus dogmata vera internoſcuntur à falſis.

Senſum diſtinguere ſolent in *literalem*, qui proximè per verba ſignificatur. & *myſticum*, qui per res ipſas verbis ſignificatas nonnunquam inſinuatur. placuit enim Deo docere ſuos, non verbis modo, ſed etiam typis & rebus geſtis. Hunc etiam *ſpiritualem* vocant, finguntque 1. allegoricum. 2. anagogicum. 3. tropologicum. eſtque multo obſcurior *literali.* Sed nec propterea populus à lectione Scripturæ arceri debet. poteſt enim contentus eſſe

carne sensus literalis. medullam sensus mystici, ni frangat ossa peritior aliquis, ipse non attingit. Imò nec detrahit quicquam perspicuitati Scripturæ, *quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per literalem sensum alicubi manifestè non tradat.* ut Divus Thomas, 14. quæst. 1. 10. ad. 1. Possunt interdum ex sensu mystico argumenta deduci evidentia & vi veritatis afficientia. neque enim frustrà voluit Spiritus typis uti & allegoriis. nec frustra in lege Christus in illis est adumbratus. nec in Apocalypsi descriptus Anti-Christus. Remedium hujus obscuritatis petendum est ab accurata collatione rerum typis adumbratarum cum typis ipsis. Sed de sensu *literali*, sive is proprius sit, sive figuratus, præcipuè controversia est.

Attributum est *obscuritas seu perspicuitas.* Utraque est vel *rerum*, vel *personarum*, vel *modi tractandi.*

Res solent esse obscuræ vel ob nimiam tenuitatem, quâ mentis fugiunt aciem; vel ob nimium splendorem, quo eandem perstringunt. Tenuia & minuta quæ sunt in Scriptura, non sunt ad salutem necessaria. viam enim & is insistit ac internoscit, qui, quia visu paulò est hebetior, non observat rerum obviarum quaslibet minutias. Sublimia autem attingi possunt à mente per Spiritum renovata.

Scriptura vel *præterita* narrat, vel *futura* prædicit, vel *præcepta* de *moribus* tradit, vel *dogmata* credenda proponit. *Præcepta* & *historia* continent res maxima ex parte faciles & perspicuas.

Vaticinia, quâ parte impleta sunt, illustrem habent vel in Scriptura, vel in eventu commentarium. Quâ parte necdum impleta sunt, exspectamus illorum implementum. *Dogmatum* verò cognitio, vel ut satisfiat conscientiæ, vel ut satisfiat curiositati, quæritur. Illa facilis est & perspicua. hæc sæpe periculosa & semper ferè inutilis est.

Personæ, hoc est, homines natura *cæci* omnes sunt. illa autem tollitur obscuritas per Spiritum cor apientem, non simul quidem & semel tota, sed paulatim & per gradus. ut fideles cottidie necessum habeant orare, *Retege oculos meos.*

Sed utraque hæc obscuritas etiam in Traditionem non scriptam & Testimonium Ecclesiæ cadit. Igitur cardo inprimis versatur in *modo tractandi*, hoc est, in methodo, stilo, & verbis sensus literalis Scripturæ.

Hic fatemur,

1. Perspicuæ Scripturæ loca quædam obscura aspersisse Deum, ut Lunæ maculas, terræ saxa, quorum respectu dici possit *secundùm quid* obscura. 2. locorum Scripturæ perspicuorum nonnunquam sensus in aperto est cuivis. nonnunquam erui & investigari debet; per collationem antecedentium & subsequentium, locorum parallelorum, & τῆς ἀναλογίας τῆς πίστεως. In quo præire decet pastores gregi commisso.

Tribuimus Scripturæ perspicuitatem, non quæ excludat animi attentionem, aut Dei implorationem, aut commentariorum inspectionem, aut vivæ vocis Ecclesiæ auditionem. Excludimus verò 1. metum illum obscuritatis, quo populus percellitur, ne Scripturam legat. 2. necessitatem traditionis & humanæ cujusdam ἀνυπευθύνου interpretationis. Eritque hic status controversiæ: *An modus tractandi sensum literalem Scripturæ efficiat usque adeò obscurum, ut nec plebs eam debeat legere, nec in illius verum sensum ac mentem devenire sine auctoritate traditionis non scriptæ, & judicii Ecclesiæ hujus seculi.*

Talem Scripturæ obscuritatem ne cogitare quidem audemus, pro ea qua ducimur erga majestatem Auctoris ejus reverentia & honore. Pontificii illam probare nituntur 1. ab ipso Scripturæ testimonio. 2. ab ejus Auctoris consilio. 3. ab ipsa obscuritate, quam experientia deprehendit lectorum. 4. à consequentibus signis & indiciis obscuritatis. Ci-

Citant locum 2 Petr. 3: 16. Sed cujus dictiones omnes eos redarguunt.

Pro *perſpicuitate* Veteris Teſtamenti legatur Pſalm. 19: 8. 9. *Teſtimonium Domini* מַחְכִּימַת פֶּתִי. *Præceptum Domini* בָּרָה מְאִירַת עֵינָיִם Pſal. 119: 105. נֵר *pedi meo verba tua.* וְאוֹר *ſemitæ meæ.* & ℣. 130. פֵּתַח־דְּבָרֶיךָ יָאִיר *oſtium* ſeu ingreſſus ſermonum tuorum illuminat. 2 Petr. 1: 19. ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ.

Dicunt, hæc de ſolis *præceptis moralibus* debere intelligi. Sed ſi illa ſunt perſpicua, è quibus Lex & Prophetæ pendent, jam præcipua pars Scripturæ perſpicua eſt. Sed cur non & de *dogmatibus*? Imo non ſolent Legis & Verbi Dei nomine ſola præcepta moralia intelligi. Petrus diſertè nominat *ſermonem propheticum.* Si libri Prophetici ſunt perſpicui, quanto magis alii libri.

Dicunt: dicitur Scriptura *Lux*, non quod facile intelligatur, ſed quod intellecta mentem illuminat. Atqui lux, ni viſa fuerit, non illuminat oculos.

Deut. 30: 11. *Præceptum, quod ego præcipio tibi hodie*, לֹא־נִפְלֵאת הִוא. Dicunt: id accipiendum de facilitate implendi, non autem cognoſcendi legem. Atqui nec impleri lex poteſt, niſi intelligatur. Facilius eſt, legem intelligere, quàm implere. Fruſtra ad ſola præcepta Decalogi illa referunt. Paulus enim ad fidei ſermonem, & juſtitiam, Rom. 10. Si denique præcepta Decalogi ſunt perſpicua, facilèque intelliguntur, ſuper quæ tot commentarios compoſuerunt, cur id reliquæ Scripturæ detrahunt?

Multo magis perſpicua & dilucida eſt Scriptura Novi Teſtamenti. 2 Cor. 4: 3. *Si verò tectum eſt Euangelium noſtrum*, ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις ἐστὶ κεκαλυμμένον. quod tectum eſt pereuntibus, apertum eſt fidelibus. *Euangelio gloriæ Chriſti* attribuit Paulus ibid. ℣. 4. φωτισμὸν, & quidem αὐγάζοντα. qui nullis abeſt, niſi quorum ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τὰ νοήματα.

Fortè Euangelio, non ſcripto, ſed tantùm prædicato tantam tribuit perſpicuitatem Apoſtolus? Atqui benè fuit diſſimilis ſibi Apoſtolus, ſi oratione uſus eſt clara, ſcriptione verò obſcura.

Si perſpicuè Apoſtoli prædicârunt, nec tamen ſcripſerunt; id factum, vel quia non potuerunt, vel quia non voluerunt. Non potuerunt! quis dixerit? Quæ verba ore clarè proferri, etiam calamo clarè ſignari poſſunt. Noluiſſe autem, quod futurum erat Eccleſiæ utile, ſibi glorioſum, muneri ſuo conſentaneum, à Domino præceptum, vetante, ne ſub modio lucerna poneretur, neceſſarium etiam, ut à fidelibus, ad quos ſcribebant, intelligeretur, incredibile eſt. Veteris Teſtamenti ſcriptura, loquendo abſolutè, perſpicua eſt inſtar lucernæ. reſpectu Euangelii operta eſt. quantam ergo oportet eſſe Euangelicæ perſpicuitatis lucem?

Obſcuritas Scripturæ pugnat cum ipſo Dei conſilio in procuranda illa. I. Conſilium Dei fuit, ut ea ratione veritas ad finem uſque mundi maneret. Triplex autem eſt modus illius conſervandæ. 1. per Prophetas identidem miſſos. 2. per traditionem oralem. 3. per Scripturam. Primus non decuit ultima hæc tempora. ubi promiſſio, *Non docebunt amplius Vir proximum.* Secundus non poterat ſufficere ſine perpetuo quodam miraculo, ut nimirum memoria tradentium eſſet extra lapſus poſita periculum. Tertius miracula non flagitat, & erat eam ad rem convenientiſſimus. Quibuslibet enim horis & momentis cuivis illa præſto eſt, & res & verba fideliter conſervat. II. Ut ab omnibus legeretur Scriptura. Ideò enim librum Legis quotannis voluit prælegi. Deuter. 31: 21. & Regem in eo legere totâ vitâ ſuâ. Deuter. 17: 18. & verba ſua eſſe in corde populi, & repeti filiis. Deut. 6: 6. & in legis meditatione beatitudinem collocat, Pſal. 1.

Scripturas legebant Judæi in Synagogis. Act. 13: 15. 15: 21. Eunuchus in curru. Act. 8: 30. Beroënses. Act. 17: 11. à puero nôrat Timotheus, 2 Tim. 3: 15. omnibus fidelibus ἐν παντὶ τόπῳ se scribere fatetur Paulus, 1 Cor. 1: 2. adjurat, epistolam ἀναγνωσθῆναι πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἀδελφοῖς, 1 Thess. 5: 27. Johannes testatur, se scribere & πατέρσι, & νεανίσκοις, 1 Joh. 2: 13. 14. Si autem ab omnibus legi Scripturam Deus voluit, oportet ut intelligibilis illa sit, nec chimæreis referta obscuritatibus. Scripturam Pontificii vocant *literas credentiæ*, quæ Ecclesiæ auctoritatem concilient apud Laicos. nec tamen illas ob obscuritatem à Laicis legi debere, aut cum fructu posse. 111. Ut esset norma vivæ vocis Ecclesiæ. Act. 17: 11. Beroënses receperunt sermonem Pauli *cum omni promtitudine, cottidie inquirentes Scripturas*, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως. Confer Es. 8: 20. *Ad legem & testimonium, si non dicant secundùm verbum hoc.* Inepta autem ad hoc est Scriptura, si est usque adeò obscura.

Voluit Deus in honore esse Scripturam apud omnes. Quis autem æstimet obscurum librum, cujus lectio in hæreses præceps & periculosa est? Denique vel propter infideles, vel propter fideles concinnata est Scriptura. Si propter infideles, vel ut eos lucrifaceret, vel ut inexcusabiles redderet. Si propter fideles erudiendos, quo clarior, eo eam ad rem aptior est.

Ex eo, quod Deus in Ecclesia voluit hunc obtinere ordinem, ut sint qui doceant, & qui doceantur, concludunt, obscuram esse Scripturam. Atqui Deus hunc ordinem voluit non ut finem, sed ut medium ad finem. Non alius potest esse ordinis illius finis, quàm ut Scriptura à populo intelligatur. Ergo Scriptura intelligibilis est.

Sed, ut concludamus de Scripturæ perspicuitate, consulatur experientia. Omnia cognitu ad salutem necessaria, omnia etiam, super quibus controversia orta est, referri possunt ad præcepta & dogmata. Præcepta omnia ad duo revocata sunt, concepta verbis clarissimis, Matth. 22: 40. & tota Scriptura passim exponuntur, deducuntur, illustrantur. Dogmatum summam complectitur Symbolum Apostolicum perspicuis verbis. ea verò copiosius tradit Scriptura, repetit, exponit, confirmat.

Si causas obscuritatis spectes, earum nullam invenies in Apostolis. Spiritus, quo acti sunt, non est σκοτεινός. Abhorruerunt ab ostentatione, ambitione, invidia, aliisque affectibus, quibus transversum acti homines obscuritatem interdum affectant. Stilus ubique ferè fluit simplex, ingenuus, popularis. Verba ut plurimum sunt propria. Aliquando figuræ adhibentur & tropi, sed sumti de medio, & usu triti. Nulla denique obscuritatis causa per totam Scripturam fusa sparsaque deprehenditur, quæ non occurrat in Patrum scriptis, in concionibus Ecclesiæ, in libris stilo maximè perspicuo & populari conscriptis.

Nil impedit, claram esse & perspicuam Scripturam; & hominem nihilominus esse τυφλὸν, πεπωρωμένον, ἀνόητον καὶ ἀσύνετον, nec habere sermonem Dei manentem in se.

Liber naturæ palpandum Deum exhibet, qui tamen multis est ἄγνωστος. ita liber Scripturæ docet voluntatem Dei clarissimè, cujus tamen μάταιοι λογισμοὶ impediunt intelligentiam. Galatis coram oculis depictus erat Christus. & tamen Paulus illos vocat ἀνοήτους *insensatos* aut inconsideratos. Gal. 3: 1. Uterque liber νόησιν & σύνεσιν *animadversionem* requirit. quam multa in nobis impediunt.

Sunt, qui sub obtentu perspicuitatis Scripturæ de propria gloriantur sapientia & viribus,

bus, ac si gratia Dei ad intelligendam & recipiendam ejus voluntatem non indigerent. Episcopius Inst. Theolog. lib. 4. cap. 16. *Sensus isti necessarii istiusmodi verbis ac phrasibus sive propriis sive figuratis sunt expressi, ut ad earum significationem propriam & genuinam rectè percipiendum nullo alio aut externo aut interno lumine opus sit, quam vel naturali, vel saltem à gratia illa, quæ universalis & communis omnibus esse dicitur, adjuto, id est, solo rationis rectæ dictamine, sive gratiæ universalis beneficio.*

Rationes *perspicuitatis* Scripturæ hæ sunt.

1. Nullum dictum est in Scripturis, quod pro falsa sententia allegari possit sine contorsione.

2. Continet illa veritates, certam ἀναλογίαν, hoc est, conformitatem, consensum & conspirationem ac proportionem habentes, unde doctrina Scripturæ cognoscitur verissima & perfectissima sapientia. Hujus autem lex est, ut *omne mendacium è veritate non sit.* 1 Joh. 2:21.

3. Perspicuam facit Scripturam, quod in illa continetur *clavis cognitionis.* nempe *Christus Dominus & justitia Dei*, ac *regnum ejus.* vide Apoc. 19: 10. Col. 2: 2. 3. Act. 3:24. Luc. 11:52.

4. Omnes promissiones Dei, & omnes typi ac figuræ in hoc mysterio concentrantur.

5. Prophetiæ implementis evidentibus hucusque comprobatæ sunt.

Theologia symbolica non est argumentativa. Id universè dictum non est verum. Figuræ Veteris Testamenti docebant. docent paræmiæ Salomonis. docent typi, & parabolæ Servatoris.

6. Fides & charitas & spes in Scripturis habet formulam & regulam unicam, constantem & perpetuam.

August. lib. 4. de Doctrina Christiana, c. 6. *Ipsa quoque obscuritas divinorum salubriumque dictorum tali eloquentiæ miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus non solùm inventione, sed etiam exercitatione deberet.*

7. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 6. *Nil de obscuris erui potest, quod non contineatur in apertis.*

Trelcatius. Scripturæ sive claritas sive obscuritas duplex est. Una *nobis*, quâ rerum naturâ, quâ infirmitate nostrâ. Altera Scripturarum modo ac medio. Obscuritas omnis, cujus mentio fit apud Patres, non est Scripturarum, sed vel rerum in Scriptura, propter majestatem ipsarum, vel nostra, qui absque Spiritus luce eas cognoscere non possumus, & ex parte hic tantùm cognoscimus. Modus dicendi, quo Scriptura utitur, omnibus modis perspicuus est. nec in Scripturis ulla est aut contrarietas, aut ambiguitas, aut falsitas. quæque hyperbaticæ sunt orationes, phrases, tropi & figuræ, nullam illarum obscuritatem designant.

August. lib. 2. de Doctrina Christ. c. 6. *Sacras literas ita modificavit* S. S. ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus fastidia detergeret, nihil verò in obscurioribus illis eruitur, quod non alibi planissimè dictum reperiatur.

Trelcatius. Obscuritas rerum in se propter majestatem ipsarum distingui debet à modo illas tradendi. Possunt enim res obscuræ perspicuè tradi. Nec à parte ad totum valet consequentia. Quia aliud est Scripturam esse difficilem, aliud verò quædam esse difficilia in Scripturis.

Homi-

Homines non possunt sine Spiritu Sancto salutariter Scripturas percipere, multo minus sibi applicare. è Matth. 16: 17. 11: 27. Joh. 6: 45. 1 Cor. 1: 23. 1 Cor. 2: 14. 2 Cor. 4: 3.

Unus est sensus Scripturæ literalis. applicatio autem multiplex ac diversa. Trelcatius. Sensus per se unicus est, quem scilicet intentio dicentis & rei significatæ natura importat. Variè tamen ad usum auditorum, per Anagogas, Allegorias, & Tropologias accommodari potest; manente unico illo literali & Grammatico Sacræ Scripturæ sensu integro. *Amesius.* Unius loci Scripturæ unicus est sensus: quia aliàs Scripturæ sensus non tantùm non esset perspicuus & certus, sed nullus omninò. quod enim non unum significat, nihil significat certò. *Profess. Leid.* Etsi Sacra Scriptura per Anagogen, Tropologiam, Analogiam, similesque explicandi modos, ad Ecclesiæ usus in multis locis applicari possit, unicus tamen & immediatus & certus ejus sensus est, Grammaticus nimirum seu historicus. *VValæus.* Unicus tantùm est immediatus sensus, nempe Grammaticus seu historicus; reliqui sunt applicationes seu accommodationes. *Tropologia* ad παιδείαν seu ἐπανόρθωσιν spectat. *Anagogicus* est ad vitam futuram applicatio. *Allegoricus*, si *verba* spectes, est tropicus, si *res significatas*, aliam significationem rerum spiritualium conjunctam habet. adeò ut allegoria duplicem habeat sensum, unum verborum Grammaticum, alium rerum, quæ alias res significant. ex. gr. *Os non confringetur ex eo*, Johan. 19: 36. immediatè de Agno Paschali dicitur. Sed quia Agnus ille typus fuit Christi, ideo res illa ad Christum & passionem ejus notandam quoque refertur. Atqui hic allegoricus sensus non est quærendus, nisi ubi sacra nobis præit Scriptura.

Pro Scripturæ obscuritate objiciunt Pontificii.

1. David petit sibi dari intellectum, ut scrutetur legem, Ps. 119. Resp. Hieronymus, *Prophetam confessum esse tenebras ignorantiæ suæ, non verò accusasse obscuritatem Scripturarum.*

2. Scriptura habet interpretes in plurimis inter se dissentientes.

3. *Tradit mysteria obscurissima.* Resp. Consideranda sunt vel *mysteria in se considerata*, vel *modus ea tradendi* & *fidei nostræ* repræsentandi.

4. In Scriptura sunt multi tropi & figuræ.

Quæstio. *An Sacra Scriptura* sine interna illuminatione Spiritus S. cum fructu audiri, legi & intelligi possit? Resp. ad salutem non potest. ad utilitatem aliqualem & intellectionem obtinendam potest. multa enim in Scriptura occurrunt physica, moralia, politica, œconomica, historica. quæ eodem cum fructu ibi legi possunt, ut in aliorum gentilium libris.

Objiciunt Sociniani. 1. Deum Scripturam hoc consilio proposuisse, ut homines inde discerent voluntatem ejus. Ergo speciali illuminatione facta per Spiritum, præter Scripturam, non est opus. Ratio. quia sufficiens medium cognoscendi voluntatem Dei est ipsa Scriptura. 2. Scriptura simplicibus & rudibus est proposita. Ergo propriis eorum viribus intelligi potest. Ratio. quia aliàs frustra iis esset proposita. 3. Homines habent naturalem Dei cognitionem. Ergo sine illuminatione possunt Scripturam intelligere. Ratio. quia Scriptura tradit cognitionem Dei. 4. Multi hypocritæ egregiam habent mysteriorum Scripturæ notitiam. Ergo non opus est illuminatione ad intelligenda illa mysteria.

Quæritur. Cur voluerit Deus difficiliora nonnulla in Scripturis exstare, quæ ne à doctis quidem satis explicari possunt?

Unicus

Unicus duntaxat Scripturæ sensus est, ex Spiritus Sancti intentione, qui *literalis*, *grammaticus* & *historicus* appellari solet. Estque *simplex* vel *compositus*.

Simplex occurrit in nudis oraculis & sententiis, non habentibus rationem typi. estque *proprius* & *improprius*.

Proprius est, qui ex verbis propriis & à significatione nativa non abeuntibus elicitur. ut, *Deus est justus. Mundus à Deo est creatus. Christus nos liberavit ab æterna morte.*

Tropicus est, qui ex verbis propriis & à nativa significatione abeuntibus elicitur. ut, *Oves Christi audiunt vocem ejus. Christus est vitis & pastor. Caro Christi est panis. Semen mulieris conteret caput serpentis.*

Compositus est in oraculis typi rationem habentibus, cujus pars est in *typo*, pars in *antitypo*. adeoque integer sensus redditur per similitudinem explicatam, cujus πρότασις continet *typum*, ἀπόδοσις *antitypum*. ut, *Moses serpentem erexit in deserto.* Sensus integer est Joh. 3:14. *Ut Moses serpentem extulit, ita extolli oportet filium hominis.*

Unus tantùm sensus Scripturæ propriè dictus admitti potest. 1. quia vocis vel φράσεως unius in eodem loco una tantùm est significatio ex intentione ejus, qui fallere legentem vel audientem non vult, sive propriè sive impropriè loquatur. 2. quia è solo sensu literali firma petuntur argumenta ad aliquid confirmandum, qualia peti debent ex verbo Dei. 3. quia solus sensus literalis in omni sententia tam Veteris quàm Novi Testamenti reperitur, docente Bellarmino. 4. quia sensus, qui ex verbis juxta mentem Spiritus Sancti accipitur, est sensus Spiritûs, & ab illo intentus.

Distinguendum inter *sensum* & *usum*. ille unus; hic multiplex esse potest. velut ex una eademque conclusione educi possunt varia consectaria.

Allegoricæ Scripturarum interpretationes quærendæ sunt, 1. ubi verba κατὰ τὸ ῥητὸν accepta à fide & veritate discrepant. 2. ubi in ἀπολογίᾳ cum lege divina pugnant.

Illæ autem non proferunt ex Scripturis sensum, sed in eas inferunt. Et, si rectius sentiunt, similia cum eis conferunt, vel eas similibus applicant. Allegorici isti sensus haut adhibendi sunt ad nova cudenda dogmata. nec certitudinem fidei, quæ è Scripturis haurienda, suspendere debent ab humanis speculationibus.

Hactenus de sensu *primario* Scripturæ. *Secundarius* appellatur *mysticus*. Estque 1. *Allegoricus*, quando præter sensum literalem dicta vel facta ad mysterium notandum accommodantur. ut Joh. 3: 14. 15. 2. *Anagogicus*, quando dicta vel facta terrena accommodantur ad rem cœlestem significandam. Luc. 23:43. 2 Cor. 12:3. Hebr. 4:3. *Tropologicus*, quando dicta aut facta ad informationem vitæ & morum traducuntur. 1 Cor. 9:9. 10: 6. 7. 8. Hic sensus maximè in concionibus post literalem sensum urgendus est. juxta illud Apostoli 2 Tim. 3: 16. 17.

Sensum propriè dictum, quem Spiritus S. intendit, qui fundamentum esse fidei debet, non nisi unicum agnoscimus. Pontificii applicationem Scripturæ cum ejus sensu propriè dicto confundunt. Quadruplex Scripturæ sensus enervat vim demonstrationum Theologicarum. præsertim cum in singulis Scripturæ sententiis non occurrat. Inde hæreticis parata effugia. disputantibus regerunt, in hac vel illa sententia sensui literali non esse locum.

DE SUMMO CONTROVERSIARUM JUDICE.

Controversia est Pontificios inter & Nos, *Quisnam sit & esse debeat Controversiarum, quæ de Religione suboriri possunt, omnium, inter Christianos, summus & ἀναμάρτητος Judex.* Illi dicunt *Ecclesiam.* Nos *Scripturam,* seu *Deum* in illa loquentem.

Pontificii rem istam explicaturi distinguunt 1. inter *Normam* sive *Canonem*, & *Judicem*, qui è Norma fert sententiam. Scripturam agnoscunt esse *Normam*, licet non solam, sed conjunctam cum *Traditione* ἀγράφῳ. 2. Normam hanc duplicatam negant adhuc sufficere ad definiendas controversias; opus esse *judicis* alicujus *vocalis* sententia, qui pronunciet, utrius partis causa sit potior. 3. Judicem illum oportere esse *infallibilem*. 4. Hunc ajunt esse *Ecclesiam*, hoc est, secundùm alios *Concilium*, alios verò *Papam*; alios verò, qui utramque sententiam componunt, *Papam* in *Concilio* sive *Concilium* à *Papa* approbatum.

Scripturam autem solam negant esse Judicem. 1. quod non omnes ex ea decidi possint controversiæ. Multa contineri in Traditionibus, de quibus Scriptura sileat. 2. quia est obscura & ambigua. 3. discrimen ajunt esse inter *Legem* & *Judicem*. Judex enim è lege & secundùm illam pronunciat. Scripturam esse veluti Legem & Normam. Non ergo Judicem. Ubi tantùm est *Lex*, non *Judex*, ibi quisque Legem pro se explicat. nec litium finis est. 4. Scriptura non fert sententiam apertam. ex illa non apertè agnosci, quisnam damnetur, quis verò absolvatur. quod tamen à Judice fieri debet. 5. Judicis sententia finire debet controversias. Atqui è Scripturæ sententia oriuntur omnes controversiæ.

Citant pro se 2 Petr. 1:20. *Omnis prophetia Scripturæ*, ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. *propriæ resolutionis*, interpretationis, explicationis *non fit*, hoc est, secundùm illos, *nemo privatus suo labore ac proprio studio*, quacunque demum ratione, atque adeò etiam ne ex ipsa quidem Scriptura doctrinam Scripturæ certò & infallibiliter in controversis quæstionibus intelligere potest, sed opus est, ut eam discat ex aliqua alia auctoritate in Ecclesia communi, per quam *Spiritus S. communiter loquatur ac omnes doceat.*

Dicunt. Modus definiendi controversias per Scripturam non est infallibilis. possumus enim falli in assequendo illius sensu. Ergo præter illam debere esse auctoritatem aliquam Judicis infallibilem.

Addunt. Si sola Scripturæ auctoritate standum esset, non juberet Deus, *Dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audiet, esto tibi* &c.

Adjiciunt. Usus & praxis totius & universalis Ecclesiæ ostendit, alium semper fuisse in Ecclesia Judicem præter Scripturam. Sub Veteri Testamento Sacerdos summus erat Judex. Deut. 17: 8 - 14. In Novo Testam. per Concilium Hierosolymitanum, non per Scripturam decisa fuit controversia Antiochena. Et ita deinceps exortæ variæ hæreses damnatæ sunt per Concilia & definitę controversiæ. Ita Bellarminus, Gregor. de Valentia, & Becanus.

Pontificii negant, è Scriptura definiri posse controversiam, quinam libri sint *Canonici*, qui *non*? Sed 1. Scriptura, quæ libris illis constat, rationem apud Christianos habet *principii*. Principium autem se ipsum non debet probare. idem enim essent conclusio & præmissæ. nam principium rationem habet præmissarum, ex quibus conclusio deducitur. Ex principio autem reliqua omnia, quæ ad illam artem vel disciplinam pertinent, cujus est principium, probantur. In omnibus humanis disciplinis sunt quædam unicuique arti & discipli-

ſciplinæ propria principia. quæque ſunt artis illius canon & regula. Ipſa autem ſunt, & eſse debent in illa arte certa & indemonſtrabilia. quæ qui negat, contra illum non eſt diſputandum. Libri Scripturæ, principium Religionis Chriſtianæ, non debent ipſi ſe probare Chriſtianis, ſed ab ipſis conſtanter agnoſci pro divinis. Ethnicis, atheis & profanis illorum quidem divinitas eſt probanda. at propterea haut minus erunt apud Chriſtianos perfectiſſimus fidei canon & norma.

2. Neceſſarium eſt, ut quilibet teneat ſummam doctrinæ libris Scripturæ comprehenſæ. non autem tenere, hunc vel illum librum eſse vel non eſse Canonicum, poteſt id ſine diſpendio ſalutis ignorari. Ergo nil decedit perfectioni Scripturæ, ſi minus ex ea probari poteſt, quinam ſint libri Canonici, vel non. Perfectio enim ejus in eo eſt, quòd ex ea habentur omnia ad ſalutem cognitu neceſsaria.

Imò nec Scriptura eſt *obſcura* & *ambigua*. Ergo ſufficit, ut ſit fidei Norma & Judex controverſiarum.

Diſtinguunt inter *Legem & Judicem*. Sed hic inanis eſt de nomine *Judicis* vitilitigatio. Eatenus eſt Scriptura *Judex* controverſiarum, quatenus eſt Norma fidei abſolutiſſima, qua poſſunt & debent omnes de fide controverſiæ certò & perſpicuè definiri.

Lex in finiendis litibus propriè Judex eſt. penes eam enim potiſſima eſt auctoritas. Magiſtratus, qui *Iudex* dicitur, Legis tantùm miniſter eſt, qui declarat, quemnam Lex abſolvat, aut damnet. ſententia ipſius valet, ſi legi conſentanea eſt. ſin minus, datur ab ea provocatio. Eodem modo & ſenſu Scriptura *Iudex* dicitur, quomodo Lex reum damnare, innocentem abſolvere vulgo dicitur. Sicque eſt Jacob. 2: 9. ἐλεγχόμενοι ὑπὸ τοῦ νόμου ὡς παραβάται. confer verſ. 12. ὡς διὰ νόμου μέλλοντες κρίνεσθαι. Rom. 2: 12. διὰ νόμου κριθήσονται. Heb. 4: 12. dicitur ὁ λόγος τοῦ θεοῦ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας. Joh. 7: 51. μὴ ὁ νόμος ἡμῶν κρίνει τὸν ἄνθρωπον, niſi audiverit παρ' αὐτοῦ πρότερον.

Deinde hic eſt *Elenchi ignoratio*. Etſi Judex ſit Scriptura definiendarum controverſiarum, non excluditur tamen omnis Eccleſiæ in definitione illa opera & interventio. Miniſtri Euangelii debent eſſe διδακτικοὶ & ἐλεγκτικοὶ, 1 Tim. 3: 2. Tit. 1: 9. & Scriptura eſt utilis πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον. 2 Tim. 3: 16. Id debent eſſe ſinguli, quiſque in grege ſuo. imo & cum plures ſunt in Synodo collecti. Eccleſiæ operam & auctoritatem Scripturæ conjungimus, non ut ex æquo pares & collaterales. Eccleſiam enim Scripturæ ſubordinamus & ſubjicimus. Eccleſia eſt Scripturæ miniſtra, ut Judex Legis eſt miniſter. Eatenus rata eſt Eccleſiæ definitio, quatenus conſentanea eſt Scripturæ. Neç quis ferat Judicem adverſus legem ſententiam ferentem.

Non ſtatuimus, Scripturam ſolam, ſine applicatione, quæ fit ab Eccleſia, definire omnes controverſias. Admittimus judicium Eccleſiæ, quæ, ex Scriptura per Scripturam, *ſententiam in alteram litigantium partem ferat claram & diſtinctam*, ita ut ab utraque parte facilè & apertè cognoſci poſſit, quiſnam contendentium damnetur, quis verò abſolvatur. Et ſententiam illam Eccleſiæ agnoſcimus *accommodatiſſimam eſſe ad definiendas omnes de fide controverſias.* propterea toties convocatæ fuere Synodi & Concilia.

Sed alia eſt lis noſtra cum Pontificiis. nimirum de judicii Eccleſiæ infallibilitate & auctoritate, quæ & quanta illa ſit, & unde illa ſit, an à Scriptura, cui debet eſſe conſentanea, an ab Eccleſia, quatenus θεόπνευστος ab illis ſtatuitur.

Volunt illi, judicio Eccleſiæ ſimpliciter eſſe ſtandum, & ſine examine id eſſe recipiendum, utpote prorſus ἀναμάρτητον. Nos dicimus, eatenus, quatenus Scripturæ eſt conſentiens. Quicunque à tempore Apoſtolorum ferunt in Eccleſia ſententiam, ſunt homi-

nes peccato & errori obnoxii. Nemo habet *ἀναμαρτησίαν.* neque igitur vindicare sibi possunt *αὐτοπάθητον* ullam auctoritatem.

Pontificii objiciunt 1. Divinum mandatum factum tum Judæis, ut obedirent summo Sacerdoti, tum Christianis, ut audiant Ecclesiam. 2. Promissiones Apostolis factas de Spiritu, ducente in omnem veritatem, deque unctione omnia docente. 3. singulares promissiones Petro factas, *Tu es Petrus. Tibi dabo claves. Pasce oves meas. Pro te rogavi Petre.* 4. Elogia Ecclesiæ. dicitur *columna & firmamentum, &c.*

Locum Petri 2 Ep. 1: 20. quod attinet, certè ex interpretatione Pontificiorum sequeretur, Deum ita locutum esse in Scriptura, ut perinde sit eum non locutum. qui enim ita loquitur, ut nemo labore ullo atque studio, quacunque demum ratione sensum & mentem ejus deprehendere possit, idem planè facit, ac si nihil omninò esset locutus. Neque etiam interpretatio alicujus loci, quæ privati uniuscujusque studio & labore, è locorum Scripturæ collatione elicitur, est privata & propria illius hominis interpretatio, hoc est, commentum illius & cerebri figmentum dicenda, sed est ipsius Scripturæ, sive Spiritus Dei in illa loquentis interpretatio. Scriptura se ipsam interpretatur. Homo, qui interpretationem talem Scriptura subnixam adfert, non propriè illius *auctor* est, sed *organum* tantùm.

Instant. *Possunt homines falli in assequendo recto Scripturæ sensu, ideoque necesse est, præter Scripturam esse aliquam auctoritatem Judicis infallibilem.* Sed si fallatur unus, non omnes fallentur. Ergo hi posteriores errorem alterius videbunt & corrigent.

Urgent. Hæreses omnes ortas esse è prava Scripturæ interpretatione. ut lites oriuntur è legum sinistra intelligentia. Judicis *vocalis* munus esse Scripturam interpretari. Litigantium verò interpretantis sententiæ acquiescere. Sed non nascuntur lites è legum, nec hæreses è Scripturæ prava interpretatione, sed lites à *πλεονεξίᾳ*, hæreses à *φιλοδοξίᾳ* & singularitatis amore. Dein homines errori suo colorem quærunt tantùm in legibus & in Scriptura.

Dicunt. *non è sola Scriptura dirimi posse controversias.*

Inquiunt. Lex sæpius est interpretanda. ex ejus enim interpretatione pendet tota legis decisio. Quis autem legem interpretabitur nisi Judex? Quis Scripturam nisi Ecclesia?

Falsissimum est fundamentum, *Ecclesiæ decreta esse ab omnibus ἀβασανίστως recipienda, & eo duntaxat nomine, quia sic ab Ecclesia definitum est.* Auctoritas Ecclesiæ ne sit *δεσποτικὴ* & *αὐτοκρατορικὴ.* est tantùm merè *ὑπηρετικὴ* & *διδακτικὴ.*

Summa omnis huc redit. Ex una Scriptura, ut norma unica, demonstrari & definiri debere fidei morumque articulos. Ecclesiæ seu Pastorum est, normam illam singulis articulis applicare, ut appareat, an sint regulæ consentanei vel non. Singulorum autem fidelium est, studiosè dispicere & dijudicare, quid regulæ illi consentaneum aut dissentaneum sit: nam oportet unumquemque *ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορεῖσθαι.*

Optatus Milevitanus de schismate Donatistarum libr. 5.

Vos dicitis, licet, nos dicimus, non licet. Inter *licet* vestrum, & *non licet* nostrum nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat. nemo nobis. omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt judices. Si Christiani, de utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. De foris quærendus est judex. Si Paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Judæus, inimicus est Christiani baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium. De cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cœlum, cum habemus hîc in Euangelio. *Testamentum in-*

quam,

quam, &c. Ergo voluntas ejus, velut in *Testamento*, *sic in Evangelio inquiratur.*

Theodoretus Hist. Eccles. libr. 1. cap. 7. verba Constantini Imperatoris ad Patres Concilii Niceni hæc refert.

Libri, inquit, *Evangeliorum & Epistolarum, & Oracula veterum Prophetarum docent nos manifesto, quæ nos oportet de Deo sentire. Itaque rejicientes contentionem dissidii plenam petamus ex divinitus inspiratis sermonibus solutionem eorum, quæ sunt posita in controversia.*

Papa non est, nec esse potest *judex* rerum vel controversiarum Theologicarum. quia

1. Multi Papæ hæretici fuerunt. *Silvester* judicavit, se posse immolare idolis. *Felix* communicavit cum Arianis. *Liberius* etiam ad eos flexus est, unde à Synodo Constantinopolitana est anathemate percussus. *Honorius* fuit Monothelita. Ipsum Jus Canonicum Pontificem posse fieri hæreticum fatetur. hæreticus autem infallibilis Sacræ Scripturæ interpres non est.

2. Multi Papæ contraria ediderunt decreta, etiam in rebus fidei. *Innocentius* Epistol. 3. Eucharistiam etiam infantibus dandam colligit ex Johan. 6: 53. *Nisi ederitis carnem* &c. Posteriores contrà docuerunt. *Gregorius* docuit, conjugium sacerdotibus esse restituendum. id alii negant. Idem: Eum esse præcursorem Antichristi, qui nomen Universalis Episcopi assumeret, quod posteriores tamen assumsere.

3. Multi Pontifices scelerati, & magicis artibus fuere dediti, ipso Platina fatente.

4. Multi Pontifices absurdè Scripturam interpretati sunt. *Syricius* probaturus sacerdotes non esse conjugiis implicandos, citavit 1 Pet. 1: 6. *Estote sancti, quia ego sanctus sum.* Rom. 8: 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Bonifacius*, ut probet, summam potestatem secularem & Ecclesiasticam ad se pertinere, citat Luc. 22: 38. *Ecce hic duo gladii.* Item, *Cephas* significat caput. Ergo Pontifex est Ecclesiæ caput. contra Joh. 1: 43. Item Gen. 1: 16. *Deus creavit magna duo luminaria.*

Imo nec *Concilia* per Romanum Pontificem & cum Romano Pontifice congregata. Illorum enim eadem est ratio. sunt Antichristiana, & ad veritatem opprimendam ut plurimum convenerunt.

E loco Deut. 17: 8–14. colligunt. Ad summum Pontificem, ut ad summum Judicem, controversiæ in religione referebantur. Resp. 1. Nulla est consequentia à Sacerdotibus summis Veteris Testamenti ad Pontifices. Illi instituti fuerunt à Deo. hi minimè. 2. Non soli hoc Sacerdoti summo in Veteri Testamento fuit commissum, sed ipsi & collegio Sacerdotum. quod restitutum est à Jehosaphat, 2 Chron. 19: 8. imo & בְּרָאשֵׁי הָאָבוֹת לְיִשְׂרָאֵל 3. Neque hi in judiciis fuere ἀναμάρτητοι. *Uriah* Sacerdos summus ædificavit *altare* ad formam *Damasceni.* & *altare aeneum* Rex Achas, Uriah indubiè consentiente, *amovit* è loco suo. imo & Uriah in altari hoc novo & *magno* sacrificavit. 2 Reg. 16: 10–17. Adde Jerem. 8: 8. *Quomodo dicitis. Sapientes nos. & lex Dei nobiscum. Certè ecce in mendacium fecit stilus mendacii scribarum.* Jerem. 8: 10. 11. *A parvo & usque ad magnum omnis ille* בֹּצֵעַ בָּצַע *à Propheta & usque ad Sacerdotem.* כֻּלֹּה עֹשֶׂה שָּׁקֶר. *dicendo Pax Pax, & non Pax. Caiphas* sacerdos cum sacerdotibus Christum condemnavit. Aharon faciendo vitulum turpi idololatriæ ansam dedit. 4. E loco Deuter. apparet, Sacerdotes, Levitas, Judices, non debuisse agere ἀναποδείκτως, sed *indicando*, וְהִגִּידוּ לְךָ אֵת דְּבַר הַמִּשְׁפָּט ad *Legem* revocando, & docendo עַל־פִּי הַתּוֹרָה אֲשֶׁר יוֹרוּךָ. Confer 2 Chron. 19: 10. וְהִזְהַרְתֶּם אֹתָם 5. Potuit illis contradici. dummodò id non fieret בְּזָדוֹן. Locum enim semper habuit Act. 5: 29. πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις.

 6. Ne-

6. Neque contra nos facit Malach. 2: 7. *Labia Sacerdotis servabunt scientiam. & legem requirent ex ore ejus.* Officium enim sacerdotum, non quid semper præstarent, indicatur. imò statim subjicitur. *Et vos recessistis a via. fecistis multos offendere in lege. corrupistis fœdus Levi.*

Ut summus Princeps non tantùm est supremus Judex in regno suo, quando ipse præsens loquitur, & ore suo proprio controversias dirimit, sed etiam quando per *rescripta* & *libellos* hoc facit. Ita Deus non tantùm cum loquitur vocali sermone, sed etiam, quum suum verbum scripto nobis proponit, est interpres articulorum salutis & controversiarum, quæ de eis oriuntur. Rationes: 1. Idem est summus interpres legis, qui est auctor & lator legis. Legislatore moriente, ille, qui ei legitimè succedit, ei etiam in hac interpretatione succedit. Deus autem semper vivit, & legem suam tuetur, & verum sensum ejus nobis aperit. 2. Solus Deus in Scriptura loquens non errat. & ab eo nulla est provocatio. 3. Ipsa Scriptura hoc passim soli Deo in verbo loquenti tribuit. Psal. 50: 4. *Clamat ad cœlos supernè, & ad terram* לָדִין עַמּוֹ *ad jus dicendum populo suo.* Ps. 25: 14. *Arcanum Dei timentibus illum, & fœdus ejus ad notificandum illis.* Es. 8: 18. *Nonne populus Deum suum consulet?* Christus passim ad Scripturam, ut ad responsum Dei remittit. Joh. 5: 39. *Scrutamini Scripturas* &c. vers. 45. *Est, qui vos accuset, Moses.* & cap. 12: 48. *Sermo, quem ego locutus sum, judicabit illum ultimo die.* Luc. 16: 29. *Habent Mosen & Prophetas.* Phil. 3: 15. *Quotquot perfecti sumus ita sentiamus. & si quid secus sentiatis, etiam hoc Deus vobis revelabit.* Ita Deus *loqui, consuli*, *respondere*, *judicare* dicitur, quum Scriptura loquitur, consulitur, rogatur. Est enim illa verbum ejus, in quo voluntatem suam nobis plenè aperuit.

Dicunt. In Ecclesia debet esse visibilis judex, ad quem controversiæ de religione deferantur. in cujus judicio omnes acquiescant. Resp. Non est tali visibili judice opus. Pontifex non ubique est visibilis. uno tantùm in loco est. nec loquitur nisi uno in loco. Si autem ei licet in locis, ubi non est, per rescripta, decreta & brevia sua terminare lites & controversias, cur hoc Deo & Christo adimemus, qui semper Ecclesiæ suæ præsens est, Matth. 18: 20. *Ubi duo aut tres* &c. & cap. 28: 20. *Ego vobiscum sum omnibus diebus.* & Apoc. 2: 1. dicitur *ambulare in medio candelabrorum.*

Instant. Quum de Scriptura est controversia, quomodo ipsa potest esse judex aut interpres? Resp. Quum de decretis Pontificis aut de sensu decretorum ejus est controversia, quomodo tum ipse potest esse judex; inprimis, si in alia orbis parte hoc fiat? Si dicas: Pontificem tunc sedentem posse consuli. Resp. Et ipsa Scriptura potest consuli. Si de ipsa Scriptura est quæstio, è notis divinitatis illi impressis judicium ferendum. Sed agimus hic cum Christianis, qui de Scripturæ divinitate dubitare non possunt.

Interpretandi & judicandi potestas duplex est, *publica*, & *privata*. Utraque nititur vocatione & dono singulari. Potestas privatim judicandi de Sacræ Scripturæ vero vel falso sensu competit omnibus fidelibus, ad confirmationem fidei propriæ & ædificationem alienæ, secundùm charitatis legem, doni accepti mensuram, & vocationis diversæ rationem. Joh. 10: 3. *Oves veri pastoris vocem audiunt: vocem ejus norunt.* 1 Cor. 10. Tanquam intelligentibus loquor. *Judicate vos, quæ dico.* 1 Joh. 4: 1. *Dilecti, ne credite cuivis, spiritui, sed probate spiritus, an è Deo.* Hoc judicandi genus nititur dono *διακρίσεως discretionis,* 1 Cor. 2: 15. Phil. 1: 10. *ut probetis, dignoscatis ea, quæ discrepant.*

DE TESTIMONIO,

quo Spiritus Sanctus Scripturarum divinitatem in mentibus hominum obsignat.

VIdendum nunc, quæ sint Spiritus Sancti partes in asserenda Verbo Dei sua auctoritate. Hanc Pontificii Doctores constare nobis concedunt è duplici testimonio Spiritus Sancti; uno *externo & publico*, altero *interno & privato.* Stapletonus libr. de auctoritate Verbi Dei, adversus Whitakerum, c. 1. *Hoc arcanum testimonium prorsus est necessarium, ut quis Ecclesiæ testimonio ac judicio circa Scripturarum approbationem credat. neque absque hoc interno divini Spiritus testimonio, etsi millies Ecclesia attestetur, commendet, promulget, approbet Scripturas, fides consequetur, aut audienti populo persuadebitur.*

Externum testimonium est ipse sermo à Spiritu adhibitus in Scriptura. qui undequaque notas certas originis suæ cœlestis præ se fert. Loqui enim Spiritus non potuit, quin haberet illius vox, unde ab omni alia internosceretur. Nam argumenta, quibus Scriptura suam divinitatem ostendit, appellari possunt Testimonium Spiritûs. Et sunt illa quasi Dei è cœlo vox. *Hoc est verbum meum, illud scrutamini.*

Pontificii ajunt, nos de divinitate Scripturæ uno adduci argumento, quod Ecclesia id testimonio suo confirmat.Ecclesiæ autem testimonium, Spiritus testimonium appellari,quia illa loquitur ex instinctu Spiritus Sancti, facientis illam infallibilem. Christianos ergo Scripturam habere divinam, quia Spiritus per os Ecclesiæ id apud omnes proclamat.

Sed etsi verum esset, Ecclesiam indubitatum eâ de re dicere testimonium, haut tamen sequeretur, eo unico ad id credendum nos adduci argumento. Unius enim ejusdemque rei plures rationes & argumenta esse possunt. Propositiones Geometricæ aliquando compluribus modis pari evidentia & necessitate demonstrantur. Christi æterna Filiitas & divinitas abundè probata fuit voce cœlesti, *Hic est Filius meus.* Ipse tamen ad Scripturas ablegavit. *& illæ sunt quæ testantur de me.* Vitæ sanctitas, doctrinæ sublimitas, operum mirabilitas illuc haut minus fecit. Ergo si Scriptura se ipsam asserat Deo, tam per se à nobis assensum impetrabit, quàm per Ecclesiæ testimonium.

Quin imò veritas Scripturæ sua se luce in animos nostros suavissimè & efficacissimè insinuans, & insitis suis argumentis fidei summam certitudinem gignens, pluris fieri debet, quàm quodcunque testimonium, ut loquuntur, inartificiale, & testis auctoritas.

Pontificii tenent, omnem legitimam Christianorum fidem subnixam esse mero testimonio, non pendere ex agnita & comperta veritate; suspectum habent omne internum & privatum de rebus istiusmodi testimonium.

Internum testimonium, quo quisque fidelis privatus certò persuadetur de Scripturæ divinitate, considerandum est, vel *ad modum facultatis*, objectum sibi accommodatum convenienter apprehendentis, positum nimirum in aliqua vi Spiritus, quæ mentem sic afficiat, ut pervidere queat divinitatem Scripturæ, & in illius comprehensione acquiescere. vel ad *modum argumenti*, cujus adspectu facultas impellatur ad assentiendum; vel ad *modum persuasionis* cujusdam sui nescia, & assensus incognitæ rei præbiti nulla de causa comperta.

Si

Si ad *modum argumenti*, id vel *artificiale* erit, vel *inartificiale*, & in mero situm testimonio. quale esset vox talis Spiritus Sancti, mentibus nostris insonans, *Crede, etenim hic liber divinus est.* Atqui quid differret ejusmodi vox ab Enthusiasmo; qualem Prophetæ quidem olim senserunt; Christiani autem nunc non amplius sentiunt? Et quæri posset, unde certò scire posset, vocem eam esse à Spiritu Dei? Nam & Angelus tenebrarum sæpe se transformat in Angelum lucis. & posset illa persuasio esse à morbo melancholico, aut ab alio aliquo tali pathemate.

Si *artificiale*, hoc est, in cujus perceptione adhibenda sit cum ratiocinatione ea facultas veri ac falsi disceptatrix, quæ à natura nobis indita est, non minus res laborat. Positum enim erit in objecto aliquo in hominum animis à Spiritu Sancto efformato, & intellectui ad judicandum oblato. quod & proximè accedit ad afflatus Enthusiasticos, quorum jam pridem nullus in Ecclesia usus est.

Nec potest esse diversum quid à facultate & argumento, hoc est, persuasio nescia causæ suæ. id enim naturæ intellectu præditæ nec dignum nec consentaneum est. Num homo rei incognitæ cœco quodam & sui ipsius inscio impetu assentietur? & nil respondere habeat, nisi, hoc mihi persuasum est, quia persuasum est? Et quomodo discernetur talis persuasio ab ea, quæ penitus insedit animis hominum pertinacium, & adversus ipsam rationem obstinatorum. ita enim illi persuasi sunt, ut nulla vi & pondere rationum immutari se patiantur. Aut qui certi erimus, nos liberos esse à vehementibus illis visis, quæ melancholicis obversantur? aut à tenacissima opinione, qua superstitiosorum aut idololatrarum mentes ita sunt occupatæ, ut sæpè malint mori, quam opinionem deponere. In tanta autem rerum istarum similitudine & nostri ac religionis ipsius ignorantia versantes, quænam quæso futura est nostra consolatio?

Igitur statuamus, *testimonium* internum Spiritûs & privatum situm esse in vi quadam cœlesti & divina, quæ mentem sic illustrat, ut divinitatem Scripturæ in ipsa Scriptura apertissimè pervideat. Ergo in vanum Adversarii spiritus Propheticos & Enthusiasmos Anabaptisticos nobis objiciunt. Confessio Gallica profitetur Articulo 4. *Nos cognoscere, libros, qui volumine Sacrorum Bibliorum continentur, esse Canonicos & certissimam fidei nostræ regulam, non tam è communi consensu Ecclesiæ, quam ex testimonio atque persuasione interna Spiritus Sancti, cujus ope eos discernimus à reliquis libris Ecclesiasticis, in quibus nullus articulus fidei fundari potest.* Nulla enim est illa διάκρισις, nisi quæ versatur in dijudicatione discriminis, quod inter eos libros & reliquos omnes intercedit. Nec alia est illa vis Spiritus, quàm quæ mentem ita afficit, ut possit de discrimine sufficienter judicare. juxta 1 Cor. 2:15. ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει πάντα. Quod si πάντα *omnia*, certè & Scripturam inprimis.

Repetatur autem res hæc paulo altius.

Auctoritatis vocabulum necessariò notat respectum aliquem & relationem. In omni auctoritate consideranda sunt 1. res seu persona, quæ auctoritatem in se habet. 2. Personæ, apud quas obtinere illam decet. Quod auctoritatem habet *in se*, id vel ejusmodi est, ut dignitatis suæ habeat & præstantiæ suæ argumenta, quæ suapte luce se in hominum oculos ingerant. Omnis enim auctoritas est à dignitate seu naturæ, seu muneris, seu qualitatum præcellentium. Vel ita comparatum est, ut ejus dignitas citra culpam ignorari possit, donec sese patefecerit luculentius.

Posteriora hæc non modo auctoritatem non habebunt de facto, sed ne jure quidem flagitare possunt. Quis peregrinus Consulem internoscet fasces occultantem, plebique

que permixtum? Quis bimulus à matre divulsus, post multos annos illam agnoscet?

At quæ talia sunt, ut semper præ se ferant clara auctoritatis suæ indicia, eorum auctoritas nec nesciri nec contemni potest. Non possunt tamen sciri aut approbari nisi ab iis, qui sunt idoneis facultatibus prædit, & ad dijudicanda illa κριτήρια necessariis, & ad dignitatem dignoscendam. ubi illæ facultates adsunt convenienter constitutæ, ac sese in objectum dignitate illa præditum intendunt, non potest non sequi auctoritatis agnitio, & agnitionem obsequium.

Quum igitur Scriptura sit ejusmodi, ut undique divino circumfulgeat lumine, nil superest, quo ab hominibus acceptetur, nisi ut hominibus idonea facultas indulgeatur, per quam lucem illam divinitatis agnoscant. Spiritus S. autem omnibus electis indulgetur. *Is enim, qui Spiritum Christi non habet, Christi non est.* Rom. 8: 9. *Nemo venit ad me, nisi quem Pater traxerit.* Joh. 6: 44. 45. Hic autem Spiritus positus est in *vi*, quæ facit nos clarè videre notas divinitatis, in Scriptura lucentes. Vis illa Spiritus, cujus efficacia ad Religionem Christianam suscipiendam adducimur, in eo consistit, ut mentes nostræ divinum quoddam lumen in tanto objecto videant.

Objectum ipsum dicitur *lux*, quæ percipitur oculis: *veritas*, *doctrina*, *sapientia*, quæ intellectu. *Facultas*, quæ tali objecto comprehendendo destinata est, dicitur νοῦς, καρδία, διάνοια, νόημα, & vocibus metaphoricis, αἰσθητήρια, ὀφθαλμὸς, γεῦσις, ὄσφρησις, ἁφή. Mentis & facultatis intelligentis functio naturalis est veri aut falsi disceptatio, illiusque perceptio. Sensus, è quibus metaphoræ desumtæ sunt, non possunt aliter suo munere fungi, quam per objectorum receptionem, & qualitatum, quæ in objectis sunt, quandam intelligentiam. Actio ipsa Spiritus Sancti mentes nostras afficientis dicitur φωτισμὸς, αὐγασμὸς, ἐπίφαυσις, διδασκαλία. nulla est *illuminatio*, quæ non consistit in cognitione; nulla *doctrina*, quæ non rerum species, & veritatis ideas imprimit in intellectum. Facultatis sic affectæ operatio circa suum objectum dicitur *intellectio*, *visio*, *auditio*, *contemplatio*. Hæc non possunt consistere præterquam in illa objecti κατάληψει, quam διάκρισις aliqua & dijudicatio præcessit. Apostolus δοκιμασίαν dicit. Rerum denique istarum omnium terminus & ἀποτέλεσμα vocatur γνῶσις, ἐπίγνωσις, ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας, σοφία, φρόνησις, πνεῦμα σοφίας. Hæc haut significant assensionem cæcam, brutam, sui nesciam; sed potius persuasionem ortam ex illarum rerum agnitione, quæ facultatem διανοητικὴν permovere aptæ natæ sunt. Denique exstat monela Apostoli. τὰ πνευματικὰ τοῖς πνευματικοῖς συγκρίνοντες. nim. ut omnia inter se consentiant. sunt enim verba rerum ipsarum veluti quædam simulachra, quorum interventu penetrant & recipiuntur in intellectum.

In vanum dicunt nonnulli, commotos fuisse ad credendum homines sola Apostolorum auctoritate. At nulla illa fuit apud Judæos immorigeros, gentesque excæcatas, nisi quam doctrinæ excellentia & evidentia veritatis conciliaret. Imò illorum miraculis. imò ipsorum conditione ab omni fraudis & imposturæ suspicione remota. Sanè hæc omnia magnum pondus habuerunt. Attamen præcipuum habuit doctrina ipsa tradita, efficax, sublimis, vera. Imò & hæc non effecisset, nisi interventu facultatis intellectivæ & ratiocinantis, quæ in hominibus est.

Multi ad Christum conversi sunt sine ulla ope miraculorum. ita Athenis in Areopago Act. 17. quomodo? vi quadam adhibita, cujus opera veritas in Apostolorum dictis animadversa est. Alii libros Vet. Testam. consuluerunt. Quem in finem, nisi fides Christi veritatis ipsius perceptione niteretur?

Miraculis non potuit credi, nisi post examen & perceptionem earum notarum, quæ vera

ab adulterinis discriminant. Multa sunt miracula mentientia. Petauristæ corporis motibus inusitatis dant vulgum in stuporem. Magi incantationibus mentes ludificantur. Dæmones ea faciunt, quæ divinam videntur imitari potentiam. Anti-Christus miraculis mendacibus quidem, sed efficacissimis multos induxit in errorem. Ergo adhibendum est judicium, ut, spretis præstigiis, agnita infinita Dei potentia, intellectus vero victus in ejus cognitione certo tandem acquiesceret. quod aliquatenus illi fecerunt, *Nisi ille esset à Deo, opera, quæ facit, haut faceret.* Inde Apostolus ἐν παντὶ συνιστῶντες ἑαυτοὺς, ὡς Θεοῦ διάκονοι, ἐν λόγῳ ἀληθείας, 2 Cor. 6:47. ἀλλὰ τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας, &c. 2 Cor. 13:8. Negat, se quicquam posse adversus veritatem, sed pro veritate. docens, tantam esse vim & ἐνέργειαν τῆς ἀληθείας in Euangelica doctrina, ut quod Polybius dixit de omni alia veritate, αὐτὴν δι' αὐτὴν ἐπικρατεῖν καὶ καταγωνίζεσθαι τὸ ψεῦδος.

Sublimitatem in doctrina Christi agnoverunt Apostoli. *Verba vitæ æternæ habes.* & alibi. Nec unquam quisquam *sic locutus est, ut ille. Efficacitatem* Paulus deprædicat 1 Thess. 2: 13: *Acceptum de Deo sermonem excepistis, non ut sermonem hominum, sed sicut verè est, ut Dei sermonem, qui etiam agit in vobis, qui creditis.* Actor. 2: 37. *Audientes verò compuncti sunt corde, & dixerunt. Quid faciemus viri fratres?* Petri concio eos pupugerat non leviter modo, sed efficacitatis suæ aculeis veluti cruentaverat. Adde Hebr. 4: 12. *Sermo Dei vivus, efficax.* Si verbum Dei ore Apostolorum prolatum tales habet divinitatis suæ characteres, quidni eosdem habebit idem scripto consignatum? ut si in facultates pariter affectas & comparatas incidat, eadem ratione prodat vim suam in conscientia. eidem doctrinæ enim è viva voce nil accedere, è Scriptura nil decedere potest.

Nonnulli, ut omnem Scripturæ auctoritatem eripiant, dicunt, fidem esse ἐκ τῆς ἀκοῆς, non autem è *lectione.* Paulo ἀκοὴ, Esaiæ שמועה, est prædicatio Euangelica Apostolis commissa, ut per eam homines ad Christum converterentur. converti autem non potuissent, si eum ignorassent; ignorassent, nisi foret ab Apostolis annunciatus. Ideo ἀκοὴ illa fuit necessaria ad fidem ingenerandam. Deinde ἀκοὴ non tantum id, quod auris audit, sed omnem perceptionem, aliunde menti allatam, significat.

Doctrinæ Christianæ divinitas clarius fulget in Scriptura Sacra, quàm unquam in ulla fulsit Apostolica prædicatione singulari. Quo enim plura concurrunt ad rem aliquam denotandam argumenta certa & indubitabilia, tanto manifestior illa fit, & altius descendit in hominum animos. Emicant autem ex universo Scripturarum volumine divinitatis documenta multo plura, quàm ex una aliqua Petri & Pauli prædicatione effulgere potuerunt.

Igitur concludimus. Spiritus omnibus conceditur verè Christianis. Ille verò versatur in dijudicatione notarum, quibus Scriptura divinitatem suam probat. Ergo quilibet de libris sacris dijudicare potest.

Dicunt Pontificii. Quænam igitur est Ecclesiæ, hoc est, Pastorum, vel ipsorum Apostolorum & virorum θεοπνεύστων hac in parte prærogativa?

Sciendum, quod spiritus ille διακριτικὸς, quem Deus electis indulget, in tribus potissimum gradibus considerandus sit.

Primus gradus esto eorum, qui primi Canonem divinorum librorum constituerunt. Sive Propheticorum statuerit Propheta, sive Apostolicorum Apostolus, sive Canon paulatim constitutus est, prout unus liber divinus post alium prodiit, sive tandem omnes libri divini hic illic variè dissipati recollecti, & in unum corpus ac systema relati sunt; sanè res tanta haut præstari potuit nisi ab eo, qui Spiritum sapientiæ supra humanam sortem consecutus

cutus est. Ergo uterque, & Vet. & Nov. Testam. Canon à viris Spiritu divino extra ordinem afflatis constitutus est.

Secundus gradus esto eorum, quibus Canonem à viris θεοπνεύστοις acceptum conservare, defendere, propugnare, ne aut augeretur aut minueretur, incubuit. Illa in re Concilia, œcumenica dicta, eximiam Ecclesiæ operam navarunt. Et his Spiritus indulgeri debuit, non pari quidem cum Apostolis mensura, tamen nec vulgari copia, ut fideliter officio hoc fungerentur.

Tertius gradus esto eorum, qui & libros jam in Canonem receptos agnoscere, & exinde rejectos repudiare, non ipsi fortalse per se, sed ex indicatis utrorumque notis facile possunt. Nemo Christiano dignus est nomine, qui nequeat agnoscere & admirari Scripturarum divinarum corpus; & idoneis edoctus rationibus falsa dogmata agnoscere & repudiare.

Quæ Pontificii in testimonium internum Spiritus dictant, pleraque tertium gradum impetunt.

Quæritur. Quomodo scire possumus, id, quod verum in Scriptura videmus, quodque certi sumus, à nobis minimè fallaciter videri, id habere à Spiritu, non autem à nobis, aut ab alia quacunque causa. Sanè nemo putet, se ea prædium à corrupta natura facultate, rem ut tantam per se præstare possit. Nil est homine mobilius. Quæ erit è fide nostra consolatio, nisi certi sumus, persuasionem illam, è qua pendet salus nostra, esse ab ea causa, quæ immutari aut deficere non possit.

Sciri id potest 1. *ex nobismet ipsis*, si nimirum nostri cum objecto comparationem instituamus. Est enim omni nostra mente sublimius. Tantæ scilicet rei creaturæ modus capax non est. In mysteria religionis ipsi Angeli ἐπιθυμοῦσι παρακύψαι. Igitur mentes nostræ sua quasi sponte agnoscent vel suspicabuntur, se ad tantas res consequendas cœlesti ope indiguisse. Instituatur etiam *nostri* nobiscum comparatio. Si quis emotæ mentis à natura momento temporis immutari ad sanam mentem se sentiat; si quis ab ortu cæcus ex improviso discussâ caligine lucem spectare incipiat, quid proclivius erit, quàm ut tantam in se mutationem aliunde, atque adeò à causa longe præstantissima factam existimet? Præclara quæque ingenia inventa sua Numini attribuerunt. id de Pythagora prodiderunt post investigatam arduam quandam demonstrationem Geometricam. Multo magis vis illa ab ipso Deo defluxisse censenda est, quæ nos facit sublimiora omni natura nosse & apprehendere. Imo & fiat nostri comparatio cum iis, qui adhuc in ignorantia jacent. Ex eodem luto omnes sumus. Nulla res, nisi supra naturam constituta, labes istas è nobis eluit, & novam formam in nos introduxit. Multi eorum, qui ad lucem Euangelii cœcutiunt, in rebus humanis acutè cernunt. Si nos comparamus cum animantibus brutis, intelligimus, nos esse præditos facultate, quâ illa carent. Sic vim, qua perspeximus res divinas, aliis non perspectam, auxilio divino suppeditatam quis cum ratione ambiget?

2. E *Scriptura Sacra*. Id illa duobus modis nos docet. Primò argumentis inartificialibus. *Fidem* enim appellat *donum Dei*. oculos mentis illuminatos Spiritui revelationis fert acceptos. docet, *datum esse* nobis intelligere. quod credimus, tribuit τῇ δυνάμει τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος τοῦ Θεοῦ. & credentes dicit τοῦ Θεοῦ διδακτούς.

Distinguendum verò Scripturæ divinæ corpus universum ab ejus particula aliqua. Illa tota propriâ & insitâ luce fulget. Hæc non ita splendida in se, auctoritatem sibi ex toto mutuatur. Quæ Socrates in Heracliti libro γενναῖα intellexerat, iis adductus est, ut sentiret, ea pariter γενναῖα esse, quæ intelligere nequiverat. Ergo est inter reliquas Scripturæ partes, cum ea, quæ de Spiritus in nobis efficacia testatur, tanta consen-

sio, tam absoluta harmonia, ut hujus auctoritas non possit convelli, quin reliquarum vis & splendor evanescat.

Secundò argumento artificiali, cujus materiam ipsa subministrat Scriptura. Describit illa vim Spiritus, qui doctrinæ interventu in cordibus nostris operatur. Vim eam persentiscunt omnes Christiani, absolutissima quadam conformitate cum Scriptura congruentem. Quis dubitabit eundem esse doctorem, qui mentem intus aperit, & extrinsecus docet?

Pontificii objiciunt. nostram certitudinem circulari, hoc est, nugatoria argumentatione niti. Quia rogati, unde constet, Scripturam esse divinam? respondemus, è Spiritus testimonio. rursus, unde sciamus nos habere Spiritum? respondemus, è Scriptura. Vitium, quod in ratiocinando circulus appellari solet, non admittitur, nisi per itionem unius argumenti ad alterum, & alterius ad primum sive proximè, sive per tertium aliquod reditione. Hic autem nulla fit rationis per eadem argumenta conversio. Nempe per Scripturam, è qua constat, nos habere Spiritum S. intelligimus plerumque testimonia quædam inartificialia, quæ docent, rem sic se habere. Ejusmodi verò testimonia idoneum assensum gignere nequeunt, ni constet de divinitate totius Scripturæ. ideo argumenta divinitatis quærimus ex argumentis artificialibus & insitis. Nec quærimus ulterius argumenta istorum argumentorum. At quia ad eorum divinitatem perspiciendam opus est facultate consentanea, si quis de ea interroget, tum demum dicimus, id nos vi Spiritus consequi? qui mentes nostras ita afficit, ut inter facultatem & objectum sit ea analogia, quæ ad indubitatum assensum eliciendum necessaria est.

Sed ipsi certè ratiocinatione se involvunt nugatoria. Rogati: Cur creditis, Scripturam esse divinam? dicunt: Quia Ecclesia id dixit. Cur Ecclesiæ creditis? Quia Spiritum habet ἀναμαρτησίας. Unde scitis, talem eam Spiritum habere? Quia scriptum est. *Tu es Petrus. Ubicunque duo aut tres congregati* &c. At cur testimonia ea vera videntur? Quia Scriptura divina est. Scripturam denique cur creditis divinam? Quia sic dixit Ecclesia. Quum igitur omnes istæ responsiones & petitiones de argumento inartificiali pari ratione procedant, & in se reducantur, quid hoc est, nisi nugari, & in circulum inutiliter circumagi?

Scrupulus unus manet. Ista, dixerit aliquis, locum habere possunt in illis, qui ingenio & doctrina præcellunt. non tamen in omnibus & singulis idiotis Christianis. Quotusquisque est, qui vel ista sic explicare possit, vel argumenta indicare, quibus adductus certò statuit apud se, Scripturam esse divinam.

DE DEO.

SEcundum Theologiæ principium *Deus* eſt, non Naturæ ordine, Deo enim nil prius, ſed melioris noſtræ cognitionis. Omnis cognitionis de Deo inſtrumentum primum eſt Scriptura. Rerum, quæ huic cognitioni ſubſerviunt, principium eſſendi primum & ſecundum Deus, à quo omnia. Agitur in Theologia de *Deo*, & qua principium conſtitutionis ejus, & noſtræ cognitionis eſt; & qua ſubjectum, ac primus & primarius eſt Theologiæ locus, à quo reliqui fluunt, ſub quo continentur, & ad quem referri debent.

Deus θεὸς ἐτυμολογεῖται vel à θέειν ſeu θεῖειν *currere*, vel à θεάομαι *contemplor*; *Cernit Deus omnia vindex.* vel ἀπὸ τοῦ δέος ſeu δέυς à *reverentia* & *timore*. Petronius: *Primus in orbe Deos fecit timor.* vel à θέω *diſpono.* Herodotus Euterpe.

Deum *Plato* definivit. *Deus eſt mens æterna, cauſa omnis boni in natura.* Thales dixit. *Homines exiſtimare oportere, Deos omnia cernere, Deorum omnia eſſe plena.*

Plautus in Capt. *Eſt profectò Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt.*

Lucanus lib. IX. *Hæremus cuncti ſuperis temploque tacente*
Nil agimus niſi ſponte Dei.
Eſtque Dei ſedes ubi terra, & pontus, & aër,
Et cœlum, & virtus. Superos quid quærimus ultra?
Iupiter eſt, quodcunque vides, quocunque moveris.

Lucretius. *Denique cœleſti ſumus omnes ſemine nati.*

Manilius. *Exemplumque Dei quiſque eſt in imagine parva.*

Horatius. *Dii multa neglecti dederunt*
Heſperiæ mala luctuoſa.

Euripid. πάντων ἄριστον, μὴ βιάζεσθαι θεοὺς, στέργειν δὲ μοῖραν. *Omnium optimum eſt, non eſſe violentum in Deos, ſed ſuam amplecti ſortem.* Herodotus. οὐκ ἐᾷ φρονεῖν ὁ θεὸς μέγα ἄλλον ἢ ἑαυτόν. *Non ſinit Deus quenquam alium ſapere præter ſe ipſum.* Πολλὰ κὰν εἰδείης οἷς τὸν θεὸν ἐξαπατήσαις. *Multa noris oportet, quibus Deum fallas.* Ex quibus ſententiis, quid de Deo ſenſerint cœci gentiles, colligere eſt.

Quæſtio, An vox *Deus* eſſentiam & naturam ſignificet, an verò officium, dignitatem, poteſtatem? Qui prius aſſerunt, inquiunt 1. Cujus nominis certa etymologia dari nequit, id *eſſentiam* ſignificat. Omnes enim voces dignitatem & officium notantes derivantur ab aliis, Rex à regendo. Dominus à dominando. At, quæ vocis *Deus* dantur etymologiæ, ſunt alluſivæ omnes, non genuinæ. 2. Si vox *Deus* eſſet nomen officii & dignitatis, concretum non *ſynonymicum*, ſed *paronymicum* foret. quia concreta ſynonimica ſubſtantiam & naturam; paronymica officium & qualitatem deſignant. At nomen Dei eſt concretum ſynonymicum. quia abſtractum habet ſynonymicum; ut *Deitas* eſt abſtractum ſynonymicum *Dei*. Ergo ſicut abſtractum notat eſſentiam, ita & *concretum*. 3. Appellationes ab officio & dignitatibus deſumtæ, ſubſtantiæ non immediatè, ſed mediatè applicantur, quando jam nomen ſuum ſubſtantiale adepta eſt. At non datur aliud quoddam ſubſtantiale nomen immediatum, quo hoc illi imponatur. 4. Si nomen Deus

esset nomen officii, & non essentiæ, sequeretur, illud numini summo non nisi in relatione ad creaturas competere. at absolutè hoc illi competere certum est: nam ante omnes creaturas fuit Deus. 5. quia *Dis* appellatio ne talibus noster Deus essentialis opponitur 1 Cor. 8: 5. 6. & epitheto *veri Dei* Joh. 17: 3. ab iis sequestratur. Impropriè vocabulum *Deus* de iis, qui officio tantum tales sunt, usurpari, in vulgus constat.

Nomen Deus sibi dedit, qui tamen ut ob infinitam naturæ suæ eminentiam, & finitam creati ingenii aciem nequit comprehendi, ita nec sermone ac nomine rectè potest exprimi. unde rectè ἀνώνυμος à priscis dictus est. è Prov. 30: 4. *Quodnam nomen ejus, ut noveris?* Caligula per opprobrium Judæorum Deum dicebat Deum *innominatum.*

Nomen Dei significat id omne, quod de Deo cognosci potest, & Deus de se à nobis cognosci voluit. comprehendit omnia, quæ *natura* de *Deo* nosci possunt. quæque de Deo *revelata* sunt in Verbo; non tantùm, quæ Deo naturalia sunt, sed etiam ἐνεργείας, quæ κατ' εὐδοκίαν à Deo eduntur πρὸς ἔνδειξιν τοῦ πλούτου αὐτοῦ.

Nomen Dei dicitur *adorari.* illud *invocamus.* illi *confidimus.* Id proclamavit Dominus coram Mose, Exod. 34: 7. & omne *bonum* Dei, & *vias* Dei ac *facinora* ejus notat Exod. 33: 19. Psal. 103: 7. Christus τὸ ὄνομα *nomen* Dei ἐγνώρισε. Johan. 17: 26. & ἐφανέρωσε, vers. 6. (confer vers. 11. *Serva illos* ἐν τῷ ὀνόματί σου.) veritas enim illius nominis in Christo cognita est. in *cujus medio* etiam *nomen Dei* est. Exod. 23: 21. Cottidie oramus, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου. Matth. 6: 9. δόξασόν σου τὸ ὄνομα. *Venit igitur vox è cælo.* καὶ ἐδόξασα καὶ πάλιν δοξάσω. Joh. 12: 28.

Nomina, in Sacris Deo data, sunt 1. *personalia.* 2. *essentialia.* Hæc sunt vel *substantiva*, eaque vel διακριτικὰ & *incommunicabilia* creaturis omni modo; vel Deo quidem *propria* in emphasi, quodammodo tamen communicata creaturis. vel *adjectiva*, Deum à suis ἰδιώμασι *proprietatibus* denominantia.

In Scholis vocabulorum divinorum alia *Nomina*, alia *Attributa* dicuntur.

Insigne nomen Dei est יְהוָֹה Psal. 83: 17. *Et noscant*, כִּי אַתָּה שִׁמְךָ יְהוָֹה לְבַדֶּךָ. *supremus super totam terram.* Exod. 3: 15. *Jehova, Deus Abraham &c. misit me ad vos. Hoc est nomen meum* לְעֹלָם *& hoc* זִכְרִי *in generationem generationis.* Confer Psal. 135: 13. יְהוָֹה שִׁמְךָ לְעוֹלָם יְהוָֹה זִכְרְךָ לְדֹר וָדֹר Id quod maximum habebat Dominus dicere Mosi, אני יהוה *Ego Jehova*, Exod. 6: 2.

Est nomen Dei gloriosissimum. id soli sibi arrogat, & per sæcula tenebit æternum. Es. 42: 8. *Ego Jehovah, hoc est nomen meum.* Hos. 12: 6. *Jehova est memoriale ejus.* Id in benedictione populi *ter* repeti voluit. Num. 6: 24. 25. 26. Per id nomen populum voluit jurare: Deuter. 6: 13. יְהוָֹה *Deum tuum timebis. & illi servies.* וּבִשְׁמוֹ *jurabis.* Confer Deut. 10: 20. adde Jos. 9: 19. *Et dixerunt omnes Principes ad totum cætum. Nos juravimus illis* בַּיהוָֹה *Deo Israël. & nunc non possumus percutere illos.*

Rectè vox hæc pronunciatur יהוה *Jehovah.* 1. Vocales omnes cum consonantibus pulchrè conveniunt. Litera י est formativa nominum propriorum. ut in יצחק, ישראל, יהודה. ו commodissimè notatur cum Cholem. Litera ה naturaliter ante se amat ָ. Cur ergo ita aptæ consonantibus vocales non pronunciabuntur & efferentur una cum illis? 2. Prior ac dimidia nominis *Iehova* pars, יהו cum iisdem omninò punctis in compositis legitur nominibus. cujusmodi nomina Drusio dicuntur ἰαωφόρα, τετραγραμματοφόρα. ut in יהונתן, contractè *Ionatan*, id quod Græcè est Θεόδωρος *Deodatus.* & Esr. 8: 4. אֶלְיְהוֹעֵינַי. ubi Græci Ἐλιωναῖος, quod sonat אֶל יְהוָֹה עֵינַי. 3. Accedit LXX. interpretum testimonium. Illi ex verbis Jerem. 23: 6. יהוה צדקנו construxerunt nomen Ἰωσεδὲκ ἰω pro

Jeho

Jeho per contractionem, *Scriptura* usui, & Græcæ linguæ genio convenientem. 4. Etiam priscus Judæorum mos. illi ab integra nominis *Iehova* pronunciatione abstinebant, vetusta quadam religione ducti. Attamen eandem illius partem, quæ in vocibus ex eo compositis extabat, libereque in iis proferebatur, simili libertate, pro integro *Iehova*, pronuntiarunt, nimirum *Iaho*, Græcè *ἰαώ*. Diod. Biblioth. l. 1. Theod. quæst. 15. in Exod. & Therag. libr. 2. mutantes Scheva non in *e*, ut sæpè, sed suaviori sono in *a*. sicut LXX נבו Num. 32: 8. *Nabo*. שבא & דדן *σαβά, δαδάν* Gen. 10:7. שְׁמוּאֵל *σαμουήλ*. 1 Sam. 1:20. 5. Deut. 32:6. הַלְיְהוָה; pro quo quidam Codices habent הַלְיְהוָה. Si *Adonai* pronunciare voles, faciendum erit הֲלַיהוָה 6. Nunquam, quando hæc vox sola est, habet omnes vocales τῦ Adonai. scribendum sic esset יְהֹוָה non יְהוָה. & tamen quando *Elohim* אֱלֹהִים pro eo pronunciant, sic יֱהֹוִה scribitur. ubi vides omnes vocales τῦ אֱלֹהִים. Nec dicere satis est, perinde esse ְ & ֱ. Lingua enim distinguit. & differt sanè simplex & compositum.

Samaritani nomen יהוה dicuntur legisse *Iave*. Id contractum ex *Iahave*, sicut *Iacob* pro *Iaacob*. Alii putant *ἀρχαικῶς* lectum יַהֲוֶה. *Iahave* pro *Iehevè* יְהֶוֶה: sicut hodie legimus יַהֲרֹג pro יֶהֱרֹג: יַעֲזֹב pro יֶעֱזֹב. vel יהוה *Iave*, ut יכנה *Iamne*.

Drusio videtur *Iave* germanam esse lectionem nominis tetragrammati, quam retinuerunt Samaritani cum characteribus antiquis Ebræorum. De illis ita Drusius. *Natio simplex & rituum suorum tenacissima eam retinuit.* nimirum tetragrammati lectionem. *Cur spernimus? Nam & antiquos characteres Ebraeorum eadem conservat, quos Iudæi commutarunt cum Assyriis.*

De hoc nomine tetragrammato capiendum Exod. 3: 15. *Hoc est nomen meum in seculum.* quod nunc legunt לְעֹלָם absque ו, sed cum puncta olim abessent, legi poterat לעלם *ad occultandum.* Admodum enim occultant illud Judæi, nec Deus vocari eo nomine promiscuè ab omnibus voluit. Tantùm in templo pronuntiabatur à Sacerdotibus. Eo destructo desiit ejus pronunciatio in tantum, ut jam nesciant, quomodo prolatum olim fuerit propriis suis vocalibus. Discant ergo à Christianis, si nolunt à Samaritanis discere. Hactenus Drusius cap. V. difficil. Locor. Exodi. Cap. verò XIII. ejusdem libri ita idem Drusius. ad locum Exod. 6: 3. וּשְׁמִי יְהֹוָה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם. Nomen tetragrammaton olim legebant, & nunc etiam legunt per cognomen *Adonai*. Circa hoc nomen graviter peccatur ab iis, qui *Iehova* legunt. quæ lectio nihili est...... Aut genuina est illa lectio, aut corrupta. Si genuina, cur non semper utuntur? Si *corrupta*, cur aliquando? Nam quod corruptionem habet, exulare penitus debet à literis mysticis...... Ego sic sentio, quum non habeat proprias vocales, non posse legi suis consonantibus. Quomodo igitur, inquies, legendum? per eas consonantes, quarum vocales ei substernuntur, hoc est, modò ADONAI, ut hic, modò ELOHIM, cum vel præcedit vel sequitur Adonai. Qui consonantium rationem habent, vocant illud nomen Jod, He, Vau, He. aut brevius, nomen Jod, He.

LXX. interpretes nomen יהוה, ubique ferè *Κύριον*, *Dominum*, quandoque *θεὸν* *Deum* transferre solent. Non quod vim vocis ignorarint, aut superstitione quadam inducti sint. Sed 1. ut ad intellectum communem sese accommodarent. Nam *οὐσίαν* per se meram contemplari non est cujusvis. Attributis autem suis vestitam, expeditum satis. Cunctorum verò attributorum Essentiæ Divinæ nullum notius, & ad pietatem efficacius, quàm *Dominus*. Qui *Iehova* est, cujus essentia est à se ipso, in quo omnes sunt, is certè est *Κύριος κυριευόντων. καὶ μόνος δυνάστης*, & *παντοκράτωρ*. 1 Tim. 6: 15. Apoc. 1: vers. 8.

verſ. 8. 2. quod exactam nominis interpretationem difficillimam & ferè impoſſibilem viderent. In omnibus gentium linguis non eſt nomen, quod huic ad unguem reſpondeat: quodque eſſentiam ſecundùm triplicem, hoc eſt, univerſum temporis modum exprimat. Obſervavit Zanchius l. 1. de divinis attributis, in nomine יהוה Camets, productum litera *He*, præteriti temporis eſſe indicem; *Cholem* præſentis; *Iod* futuri. Apocalypſis, ut naturam nominis יהוה plenius explicaret, periphraſin adhibuit, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. cap. 1: 4. Quæ omnia unica voce יהוה comprehenduntur. Porrò, Græca lingua non patitur integrè ſcribi vocem יהוה. Græcis abſona & ineffabilis eſt aſpiratio iſtiuſmodi in medio. quæ augetur inſuper duritate prolationis *v* conſonantis, quam præcedat *o* vocalis. Unde ἀνεκφώνητον illud Græcis meritò dicitur. Plinius de Punicis ſive Africanis populorum oppidorumque nominibus loquens, *Vel maximè ſunt ineffabilia*, inquit, *præterquam ipſorum linguis.* Ita & nomen יְהֹוָה ineffabile eſt omnibus aliis, præterquam in ſua lingua. Plinius Natur. Hiſtor. libr. 28. cap. 2. Veteres Romanos occultaſſe nomen Dei, in cujus tutela eſſent. ne quo modo ab hoſtibus evocatus, habitatum aliò commigraret. Non puto hác ſuperſtitione infectos Judæos olim à pronunciatione hujus nominis abſtinuiſſe.

Nomen *Iehovah* celeberrimum fuit apud gentes, Judæis finitimas, Palæſtinos, Arabes, Idumæos, Ægyptios, Syros. Etiam remotiores populi id non ignorarunt. Apud Macrobium Saturnal. libr. 1. cap. 18. exſtat oraculum *Apollinis Clarii.* is conſultus, quis Deorum habendus eſſet, qui vocatur Ἰάω? hæc inter alia dicitur effatus: Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω. *Cunctorum ſummus Divorum habeatur Iao.* Ita *Iao* ſummum illum Deum prædicat. πολυθεΐαν tamen ſimul confirmat. Deinde videtur in ſequentibus docere, *Iao* eſſe hyeme Plutonem, vere ineunte Jovem, æſtate Solem, autumno tandem ſe ipſum, Bacchum fortaſſis ob vindemiæ proventum. Aut etiam ſic; Hyeme Plutonem (eſſe Deorum ſupremum) Vere Jovem, Æſtate Solem, Autumno denique Jao. Ita & cum idolis & cum creaturis δοξίας iſte commiſcet τὸν Ἰάω. Apud Diodor. Siculum, qui fuit σύγχρονος Julii Cæſaris & Auguſti, Biblioth. Hiſt. libr. 1. part. 2. poſtquam dixiſſet de antiquis legumlatoribus, qui ſimularunt, ſe à Diis accepiſſe leges ſuas, confeſtim ſubjicitur; παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον Θεὸν προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι. Ita ſatis apparet, Jehovæ nomen Græcis notum fuiſſe.

Neque tamen Ἰαὼ eſt Hebraicum יָהּ. Id enim eſt triſyllabum. hoc monoſyllabum Hebræis, diſſyllabum Græcis, ut *ία*. Dein יה à Græcis profertur ut *ια*. ut in ἀλληλούϊα. nec uſpiam reperitur ſuperadditum *o*. Ergo certum ſit, Ἰαὼ nil aliud eſſe, quàm יהוה. Atqui hic quidem 1. eliditur ה, converſo ſcheva in *α*. ut in σαβαὼθ pro צְבָאוֹת 2. *α* longum unà cum ה litera quieſcente exterminatur. Atqui quod ad *α* vocalem attinet, nulla id videtur factum neceſſitate. Ergo forſan mendum ſubeſt, aut metatheſis facta, & Ἰωὰ ordine recto ſcribendum & pronuntiandum fuit. Ita egregiè exprimetur nomen יהוה. Certè in hoc nomine tenentur *α* & *ω*. quæ Deus ſibi appropriat Apoc. 1: verſ. 8.

Sed & hoc addendum. Porphyrius, Chriſtianorum hoſtis, Philoſophus tamen & Hiſtoricus inſignis, apud Euſebium Præp. Evangel. libr. 1. cap. 5. de Judaicis rebus diſſerens, libro adverſus Chriſtianos quarto, narrat, fuiſſe olim apud Phœnices Sanchoniathonem quendam Berytium, ipſis Troicis temporibus antiquiorem, cujus ſcripta Philo Byblius Græcè verterit. hunc laudat Porphyrius. Τὴν παλαιὰν ἱστορίαν ἐκ τῶν κατὰ πόλιν ὑπομνημάτων, καὶ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφῶν συναγαγὼν συνέγραψε. *Veterem hiſto-*

riam,

riam, partim ex civilibus Urbium singularum, partim ex sacris Templorum commentariis compositam perscripsit. Hunc de Judæorum quoque gente verissima tradidisse, ut qui rerum omnium summas acceperit παρὰ τοῦ Ἱερέως Θεοῦ τοῦ Ἰευώ; *à Sacerdote quodam Dei Ievo.* En rursus nomen *Iehova* enunciatum, & literis Græcis expressum, diversò tamen aliquantum à superiore modo. Phœnices & Syri, à quibus ad Græcos vox illa manavit, vocalem *o* passim in *ou* vel *u* mutabant. pro *Salmon* dicunt *Salmun* pro *zadok*, *zaduk*. Cametz verò ut *ω* ab iisdem profertur. Græci verò quum *v* consonantem ignorent, & aspirationem istic respuant, pro Syrorum *Iehuvo* pronunciarunt & scripserunt *Ievo.* Ab Ἰευὼ orta videtur appellatio Bacchi, qui Εὔιος dictus est, & solemnis illa bacchantium Mænadum (Μαινάδες, mulieres bacchantes, insanæ, à μαίνεσθαι *furere.* Catullus: *Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ*) acclamatio εὐοῖ, in Orgiis suis celebrandis. delectatur enim & Satanas titulis Dei. Imò & gentes nonnunquam εὐοῖ σαβοῖ, *Baccho* vociferatæ fuisse leguntur; proximè conveniens cum יהוה צבאות.

Tertium nominis יהוה efferendi modum observavit *Epiphanius* κατὰ ἀρχοντικῶν. adversus Hæreses libr. 1. Tom. 3. Ibi inter alias Dei appellationes Hebraicas attexit veluti nomen maximè proprium Ἰαβὲ. id putant mendosum esse, ab auctore verò initio scriptum Ἰαβὼ. Mutatio ω in ε proclivis. discrepant literæ hæ situ tantummodo, non figura. Syllabarum etiam literarumque transpositio creberrima. Sed ad Epiphanium redeamus. Τὸ Ἰαβὲ interpretatur ὃς ἦν, καὶ ἔστι, καὶ ἀεὶ ὤν, hoc est, *Qui erat, & est, & semper est.* ubi potius videtur legendum. ὃς ἦν, καὶ ἔσται, καὶ ἀεὶ ὤν. *Qui fuit, & erit, semperque est.* Nisi litera aspirata *He* cum antecedente scheva, à vocali sequente, ut fit, absorpta fuisset, Ἰαβὼ ipsissimum foret יהוה, & δυνάμει & ἐνεργείᾳ ac re ipsa. Addamus tamen, τὸ ἰαβὲ resipit τὸ יְהֻוֶה:

Latini *Jupiter* vel *Iovis*, (qui antiquus Nominativus est Prisciano) mutuati sunt ab Hebræis. Latinorum igitur *Iovis* est Hebræorum יְהֹוָה, aut potius יֱהֹוִה *Iehovi*, quod est Deut. 3: 25. אֲדֹנָי יֱהֹוִה confer Deut. 9: 26. Latini per errorem rati, nomen id apud se natum, & à *juvando* derivari. Cæterum *Iuppiter* cum duplici *p* Poëticum plerique existimant esse. Fullero tamen videtur genuinum & maximè ὀρθότυπον. Ex *Iehovah*, tanquam primitivo, factum est primùm *Iovas* vel *Iovis*. Tum, adjuncto vetustissimi summeque naturalis principatus epitheto, formatum est *Iovis piter.* Tandem, ablata syllaba *is*, successit *Ioupiter* vel *Iupiter.* (*o* & *u* invicem sibi succedunt) Postremò, mutatâ *v* consonante in consimilem *p* exstitit *Iuppiter.*

Nomen יהוה ab antiquis Hebræorum dictum est המפורש, hoc est, τὸ διεσταλμένον ἤγουν διασεσαφημένον. *distinctè expositum sive explicatum.* Cabbalistæ putant nuncupatum, quod per alia exponatur. Sed nomina, אלהים vel ארני non adhibentur ad exponendum, quid sit יְהֹוָה, aut ad ejus interpretationem explicandam, sed tantummodo, ut vicarias ei operas præbeant, & utrumque subinde ejus loco pronuntietur. Indubium est, quin Deus nomen id Judæis prima ab infantia voluerit esse notissimum & sermone quotidiano usurpatum. est enim id sanctissimæ suæ Majestatis κατ᾽ ἐπιτομὴν μνημόσυνον monumentum singulare, maximeque obvium. Dictum erat Israëlitis Exod. 23: 13. *Nomen Deorum alienorum ne recordamini* לֹא יִשָּׁמַע עַל פִּיךָ. Sed nomen יהוה semper in animo eis, in ore, in oculis esse jussit. Exod. 3: 15. *Hoc est nomen meum in seculum: Et hoc memoriale meum* לדר דר. Tantum abest, ut ullo unquam pacto absterrere & abstrahere pios voluerit ab illo reverenter pronuntiando. Abfuit metus, fore, ut quotidiano usu vilesceret aliquando. Necesse erat, ut quemadmodum gemmæ, aurum, argentum, tra-

ctando nitidiora redduntur, ita sacrum hoc Nomen promulgando quotidie magis clarescceret, & eo gloriosius, quo notius evaderet. Bonum enim, quo communius, eo melius. Celare igitur proprium id Dei nomen, & scrupulosis quibusdam rationibus in operto continere, humanum & novitium est, institutum. Patuit antea omnibus; unde & nominibus hominum propriis variè insertum est, nunc à fronte, per יְהוֹ vel contracte יוֹ, nunc à tergo, per יָהוּ & יָה. Ita cavit Providentia, ut quoquo pacto memoriale illud nomen Judæis jugiter obversaretur. Haut ergo probabile est, Hebræos ab illo nomine sonando tum demum abstinuisse, ubi senserunt ab exteris gentibus ad idola traductum. Certè & gentes nomina veri Dei *Elohim, El, Adonai*, in idola sua, *Helion* seu *Solem*, & *Adonidem* contulerunt. nec tamen propterea ab iis palam & passim usurpandis abstinuerunt Judæi. Male ergo hac etiam de causa ἀνεκφώνητον censetur nomen יְהוָה. potius ita dictum est, ob inextricabilem pronuntiationis Græcanicæ difficultatem.

Si Græci proprissimè יְהוָה efferre vellent, dicendum esset *ιεωουὰ*, vel saltem *ιεωυὰ jeeüa*. Sed quanta hæc prolationis inconcinnitas? Litera aspirata ה penitus intercidit, & diphthongus supposititia in germanæ consonantis locum subrepsit.

Fullerus putat, se apud LXX interpretes alicubi reperisse nomen יהוה, Græcis literis, perspicuè satis exaratum. qui aliàs ab illius scriptione de industria abstinuerunt. 2 Sam. 1:12. est, וְעַל־עַם יְהוָה *super populum Domini.* In Græco putantur ἐπὶ τὸ λαὸν Ἰούδα. Hic vox Ἰούδα mendosa est. nec convenit cum nomine יהוה. Tollendum igitur mendum. Deletâ unâ tantùm literâ δ, augustum Nomen Ἰουὰ integritatem suam recuperabit. Neque enim probabile est, pro Ἰούδα reponendum esse κυρίου, è Latini interpretis sententia. Nec insolens est, ut Cholem, hoc est, *o* longum Hebræorum, per *o* parvum à Græcis exprimatur. Exemplo sunt, Βοόζ, Ῥόδιοι, Σόδομα, Γόμοῤῥα. In nomine Ἰουὰ υ tenue, loco *v* consonantis positum censeri debet. Ita in Bibliis Græcis Romæ editis scribitur Δαυίδ. Itidem *Iavan* pingitur *Ιωυαν*, vel *ἰωυαν*, pro *ἰωυάν*, vel *ἰαβάν*. Gen. 10:2. 1 Paral. 1:5. Et apud Dionysium Halicarnasseum, *Aventinus* legitur αὐεντῖνος pro ἀυεντῖνος aut ἀβεντῖνος, Antiq. Rom. libr. 2. Apud Suidam, *Octavianus* Οκταυιανὸς pro Οκταβιανός.

Drusius suprà citatus, à Samaritanis, inquit, nos didicisse vocales τοῦ יהוה, quibus enucleatè legatur & pronuntietur. Atqui Samaritani *adorarunt*, quod *nescierunt. Salus è Judæis est*. Joh. 4:22. Non Samaritanis, sed Judæis *concredita sunt eloquia Dei*. Rom. 3: 2. Ab his igitur petenda. Samaritani fuere gentiles impuri. illorum ergo lectio *Iahave*, sive *Iave* valebit? cur non ergo multo magis valebit reliquorum gentilium antiquiorum testimonium, qui *Jovis* à *Iehovi* legerunt? Quid aliud sono repræsentat *ἰωβακχος* quàm *Iehova*, sive *Iova*. quem gentiles in Bacchi idolum transmutarunt? Pariter *ἰακχος* τὸ יָהּ exhibet. vide Tacit. libr. 5. Hist.

Dicit Drusius. Quum Tetragrammaton non *habeat proprias vocales, non potest legi suis consonantibus*. Efficietur ergo, ut idem ipsum nomen omnino legi nequeat. unumquodque enim vocabulum, si verè legitur, suis, non alienis legitur vocalibus. prout sua quisque vita vivit, non extranea. Nec Drusius tantum, sed & alii nonnulli Christiani tenent mordicus traditionem Judæorum, haut esse ְ ֹ ָ proprias Tetragrammati vocales, sed prorsus alienas, & ad nomen Adonai peculiariter spectare. quasi dicant: Sunt vocales nominis Adonai. Ergo non Tetragrammati. Atqui nomina diversissima eisdem efferri vocalibus possunt, & subinde solent. Certè duæ primæ vocales ְ ֹ sunt Tetragrammati genuinæ. id apparet ex *Iehonathan. Ieboram. Jehoschaphat.* Nunquid hic legendum, Adonathan, Adoram, Adoshaphath?

Ut nomen Jehova explicatur Apoc. 4:8. ὁ ὢν &c. ita & applicari potest Hebr. 13:8. χθὲς, καὶ σήμερον, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Dilemma Drusii quod attinet. *Aut genuina est lectio, aut corrupta*,&c. Resp. licet genuina illa sit lectio, haut tamen necesse est, eam ubique usurpare; præsertim quum in promtu sit vox vicaria Adonai seu κύριος. quæ etiam est nomen *divinum*, ab Apostolis ipsis quasi divinitus interdum substitutum.

Dices. Lectio Jehova cur non exstat apud Apostolos? Resp. propter insignem linguæ Græcæ, qua locuti sunt & scripserunt, ἀδυναμίαν. Forsan & sibi à nominis Hebraici usu temperarunt, ne Judæis, in re per se indifferenti, offendiculo essent.

Concludamus. In codice punctato Bibliorum si semper *Jehova* legere velimus, incurremus in quasdam grammatices regulas,& solœcismum in lingua Hebræa faciemus. ut in בִּיהוָה בַּיהוָה. Item cum eam solet vocem sequi dagesch in litera, quæ duplicis potestatis est, ubi sensus continuatur. quod non solet fieri post vocalem cum litera quiescente.

יהוה nomen Dei proprium incommunicabile. Unde שֵׁם עֶצֶם שֵׁם *nomen personæ* appellatur. Quemadmodum Moses, Abraham, David, nomina propria sunt, & iis nominibus personæ ab aliis personis distinguuntur; ita hoc nomine Deus ab aliis rebus & ab aliis diis distinguitur. nec tantùm nomine, sed etiam virtute nominis.

Jam Ptolemaicis temporibus (ut benè Grotius ad Matth. 22.) pronunciatum fuit אֲדֹנָי pro יהוה. nam apud LXX. pro יהוה plerumque est ὁ κύριος. ut & apud Euangelistas.

Id Rivetus pio studio factum (Coccejus. *quod in medio relinquo, nam dubitari potest*)& postea in superstitionem vertisse conjectat. Non vulgabant τετραγραμμάτων hanc. nec tamen in totum ab ea abstinebant. Pronunciabant enim ἐν ἁγίοις. Philo testis & Rabbini. Etiam in nominibus propriis crebrò pleræque hujus vocis literæ visuntur, &, quantum potest, audiuntur. Sunt inter Rabbinos, qui sub Christo nomen hoc vulgare futurum dictitent. Vide Buxt. in Lexico. Quippeni? Nam sub Christo non erit sacrarium manu factum, & omnes cognoscent Deum à minimo usque ad maximum.

יֱהוִה pro אֱלֹהִים Psalm. 109:21. וְאַתָּה יֱהוִה אֲדֹנָי עֲשֵׂה־אִתִּי לְמַעַן שְׁמֶךָ.

Nomen hoc est Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti. Deut. 6:4. *Audi, Israël, Jehova, Deus noster, Jehovah unus est.* Tres nominat, & tres dicit unum. Ita Gen. 18.& 19. Zach. 2.& 3. & alibi plures personæ distinguuntur: quæ & יְהוָה appellantur.

יהוה significat non tantum *Ero, qui sum*, sed *sum*, vel *fio, qui sum*, (Nam τὸ *ero* est promissionis, τὸ *sum* ἐπαγγελίας) hoc est, exhibeo me talem, ut dignum est me ipso, mea majestate & gloria, mea sanctitate, justitia, sapientia, bonitate, veritate, æternitate, immutabilitate, dominio omnium &c.

Virtus hujus nominis est 1. τὸ αὐτόον, *quod per se est*, sive τὸ ἀΐδιον *æternum*, καὶ ὄντως ὂν καὶ ἀναγκαίως *verè exstans & necessariò.* Nam de Deo τὸ μὴ εἶναι ne cogitari quidem potest. 2. Τὸ γίγνεσθαι τοιοῦτον οἷός ἐστι *fieri talem, qualis est*, hoc est, tum immutabilem esse & omnis παραλλαγῆς (Jacob. 1:17.) expertem, tum verò talem se præbere, ut ipso dignum est, & qualem se dixit futurum esse. 1 Chron. 26:3. אֶלְיְהוֹעֵינַי sed 1 Chron. 3:23. contractius אֶלְיוֹעֵינַי.

Qui putant, nominis יהוה vim & rationem esse *æternitatem*, haut quidem carent fundamento. Attamen quia Exod. 6:3. Deus dicit: *Et nomine meo* IHVH *non cognitus sum ipsis*, quum tamen patribus & ipsum hoc vocabulum, & ἀΐδια δύναμις θεοῦ incognita haut fuerit, putamus aliam insuper rationem hujus nominis esse, quæ æternum illud ens faciat amabile etiam peccatori, & reverendum maxime. Ea est *gratia & veritas*, quibus

maximè triumphat. Exod. 34:6.7. Es. 45:20. *Annon ego Iehovah & non est præter me adhuc Elohim? El, Deus justus &* מוֹשִׁיעַ *salvans* Es. 43:11. solò *salvans* contentus est אָנֹכִי אָנֹכִי יְהוָה וְאֵין מִבַּלְעָדַי מוֹשִׁיעַ. Hinc patet, quomodo in Christo sit *nomen Iehovæ*. Exod. 23:21. quia est *plenus gratiæ & veritatis*, & *per illum gratia facta est*, Joh. 1:14.

Exponamus autem locum Exod. 6:2.3. אֲנִי יְהוָה. *Ego Jehovah.* וָאֵרָא *& apparui ad Abraamum, Isaacum, Jacobum,* בְּאֵל שַׁדָּי *in El Schaddai* וּשְׁמִי יְהוָה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם Nomen *Iehovah* non fuerat antea inauditum aut incognitum Patribus. Non Moses id tantùm crebro usurpat in historia. Id quod fieri potuit, etsi tum primùm, quum mittebatur ad educendum populum ex Ægypto, id accepisset. Potuit enim Deum suo nomine, quod ab ipso acceperat, in historia sua nuncupare. Sed & Moses narrat, nomen *Jehovah* frequenter in verbis sanctorum fuisse usurpatum. In *Eva*, Gen. 4:1. *Enos*, Ibid. vers. 26. *Abram*, Gen. 12:8. 15:2. confer vers. 7. אֲנִי יְהוָה. & Angelus ad *Hagarem*, c. 16:11. Igitur quum dicit, *se non innotuisse*, docet, se nondum indicasse, aut testatum esse atque prædicasse Patribus, se id fecisse, quod nomen *Jehovah* importat, & veritatem nominis nondum approbâsse.

Vox יְהוָה derivatur ab הָיָה sive ab הָוָה, quod Chaldæis, quam Hebræis usitatius est. Illud significat 1. εἶναι seu ὑπάρχειν, *esse*. 2. γίγνεσθαι *fieri*, quod sæpe notat, præstare se talem opere, ut cum dicitur הָיִיתִי לְךָ לֵאלֹהִים *fiam tibi in Deum*, hoc est, re ipsa me exhibebo Deum tuum. הֱיֵה לִי לְצוּר מָעוֹז γίνου μοὶ *fias mihi petra habitationis*, hoc est, exhibe, præsta te mihi petram. confer Deut. 33:7. *manus ipsius, auxilium ab hoste, & patronus illi fias*. Deut. cap. 33: vers. 7. adde Es. 12:2. *& factus est mihi salus*. In his Græci non tantum τὸ εἶναι, sed & τὸ γίγνεσθαι, sensu, *præstandi se talem opere*, usurpant.

Cum audimus Deum dici יהוה, statim formabimus conceptum Deum *esse, esse Ens entium*. Cicero libr. 1. Tuscul. cap. 24. observat, *Esse*, secundùm Planorem, de iis tantum dici, quæ æterna sunt, nec oriuntur, nec occidunt. Si igitur Deus *est*, & ab *esse* nominatur, oportet, ut *sit omnia, & quidem omnia in omnibus*. Nam si aliquid non sit in illo, jam non potest audire ὁ ὢν, *qui est*. nam non est secundùm illud, quod illi deest. Ergò hoc nomine excluditur omnis defectus, & docetur quòd omne, πλήρωμα *plenitudo* habitat in Deo. Deinde ut quod *est* maneat, & sit semper ac in seculum. Si enim non manet id, quod est, sed mutatur, jam non potest dici *esse*. non enim fuit id, in quod mutatur. Igitur inde apparet immutabilitas divinæ tum essentiæ, tum consilii. Denique quod etiam omnibus aliis, quibus *esse* dedit, *sit* bonum & ultimus finis. Neque enim *est*, si non omnibus dat esse, & quid posset sine illo & non per illum esse. Omnes alii per illum habent τὸ εἶναι. Ergo omnes alii habent dependenter τὸ εἶναι, ille solus independenter. Et quia omnes alii habuerunt τὸ μὴ εἶναι, antequam ab illo acciperent τὸ εἶναι, & postquam id acceperunt, nondum habent τὸ πᾶν εἶναι *omne esse*, quia in multis deficiunt, & mutantur, & desinunt, clarum est, nemini præter illum hoc attributum ἐν δυνάμει, hoc est, omni significationis emphasi competere, illumque solum verè esse τὸ ὄντα, & neminem cum illo commune habere posse nomen *Jehova*. In hoc igitur nomine innuitur *æternitas*, & infinita perfectio, sine omni defectu atque ἐνδείᾳ. ut ita intelligatur *esse*, ut nihil ipsi cogitetur *deesse*. Nam, cui quid *deest*, hactenus, quatenus ipsi aliquid deest, *non est*.

Porro dat Deus ipse explicationem hujus nominis Exod. 3:14. Moses quærebat, quale, rogatus, quodnam esset *nomen* mittentis ipsum, responsum dare deberet. *Et dixit Deus ad Mosen.* אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה. *Sic dices filiis Israel,* אֶהְיֶה *misit me ad vos.*

Hæc

Hæc verba vertunt LXX. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. *Ego sum, qui est.* Sed ita verbum *primæ* mutatur in verbum *tertiæ* personæ. Et hoc totum in *El Schaddai* continetur. Atqui *Iehova* aliquid amplius significat. Alii, *Sum, qui*; *sum* addita ratione Pauli Burgensis: *Esse in præsenti maximè competit Deo, cujus esse non novit præteritum, neque futurum.* Sed hæc versio nullam futuri אֶהְיֶה habet rationem. Alii, *Ero, qui*, vel, *quod ero.* Atqui tunc hoc nomen non adeo amplum est. etiam de Angelo & Homine id dici potest. Quidvis enim erit, quod erit. Denique igitur ita significantissimè vertetur, *Fiam quod sum.* Græcè, γενήσομαι ὅπερ εἰμί. ut secundum *futurum* pro *præsenti* veniat, Aut. *Fiam, qui fiebam*, γενήσομαι ὅπερ ἐγενόμην, ut secundum *futurum* pro *imperfecto* capiatur.

Si priori modo: hoc nomen docet 1. Deum non *mutari.* esse immutabilem. fit enim quod est; non fit alius, semper manens, quod ab æterno est. Igitur idem est, ac si dixisset, לֹא אֶשְׁנֶה *non ero* aut *deprehendar alius.* Malach. 3: 6. *Nam ego Jehovah non sum factus alius, & vos, filii Israël, non estis consumti.* Et porro, *non fiam, ut peccator.* non cognoscar similis peccatori, Psal. 50: 21. 2. Deum *se ipsum non abnegare*, 2 Tim. 2: vers. 13. fit enim, quod est. Si se ipsum abnegaret, non fieret, quod est, sed fieret, quod non est. Idem indicant in exegesi nominis Dei illa verba, *Non dimittit impunitum.* Igitur necesse est, ut sanctificetur & justificetur in omnibus suis actionibus. etiam in condonatione peccati & justificatione peccatoris. 3. Deum virtutes suas, sapientiam, potentiam, veracitatem, bonitatem, justitiam, misericordiam, & divitias re ipsa & opere demonstrare. sapientiam in gubernatione omnium rerum, inprimis in reconciliatione mundi. potentiam in conservatione omnium creaturarum. veracitatem in impletione promissionum, justitiam in punitione transgressionum, misericordiam in remissione lapsuum. bonitatem & divitias in effusione benedictionum. In exegesi sui nominis Exod. 34. hæc omnia notantur per *Qui condonat* &c. *Deus misericors* & *gratiosus*, Christum dando, qui nobis *à Deo factus est sapientia, justitia, sanctitas, redemtio.* 1 Cor. 1: 30. *factus est Deus, qui est*, hoc est, *opere* ipso & re ipsa, ac actu exhibuit & demonstravit, quod *naturâ* & *in se* est; non ad augmentum suæ beatitudinis, (Deus enim immutabilis ita beatus est, ut beatitas ejus nec augeri ulla accessione, nec minui ullius rei decessione possit) sed ad bonum & felicitatem humani generis.

Omne id, quod de Deo novimus per naturam, & de illo credimus per revelationem, omne id, inquam, in gloriosissimo hoc nomine continetur.

Et ut hoc loco Exod. 3: 14. explicatur τὸ יְהוָה, ita & Exod. 34: 6. 7. qui duo loci sunt instar commentarii nominis *Iehovah.*

Si posteriori modo, tum hic sensus erit: Qualem me ostendi ab initio, talem tandem etiam me demonstrabo pleno facto. Misericordem se Deus demonstravit, propagando genus humanum ex peccatore, & mundum vanitati subjiciendo, & Satanam damnando, & promissionem edendo, & filios sanctificando, & in gloriam introducendo. Quia igitur ab initio se talem gessit, necesse erat, ut tandem rebus ipsis se *justum* & *justificantem*, *sanctum*, & *sanctificantem* demonstraret. Quod fecit, quando Filius Dei ἐγένετο *factus est fidelis Sacerdos & misericors.* Hebr. 2: 17. & ita in ipso *omnia promissa Dei* γέγονε *facta sunt Na & Amen*, 2 Cor. 2: 20. sive, quando *per eum gratia & veritas* ἐγένετο *facta est*, Joh. 1: 17. Hinc patet mens Apoc. 1: 4. 16: 5. ὁ ἦν, καὶ ὁ ὤν, καὶ ὁ ἐσόμενος seu ἐρχόμενος, hoc est, qui ab initio se demonstravit, & nunc demonstrat, & in posterum se demonstrabit fidelem Creatorem, donec *fiat & sit in omnibus omnia.* 1 Cor. 15: vers. 28. Confer Es. 42: 5. 6. 7. 8. 9. 45: 17. Amos. 5:

 vers. 8.

verſ. 8. cap. 9: verſ. 6. Hinc *primus* & *ultimus.* quod & *Filii* Nomen, Apoc. cap. 1: verſ. 8. 11.

Nomen יהוה latiſſimè patet, ſive de *regno* Dei, ſive de *gratia*, ſive de *judicio* ſermo ſit. Eſtque revera roboramentum omnium dictorum Dei.

Ad locum Exod. 6: 2. inquit Walæus, ibi propriè non agi de voce aut uſu vocis Jehovæ, ſed de præſtatione rei per illam ſignificatæ. Nam Deus antea quidem promiſerat Patriarchis terram Canaan, ſed eos in poſſeſſionem ejus non miſerat, quod demum per Moſen fecit. Sic & nobis credentibus in Chriſtum non tantùm eſt El Schaddai, ad præſtanda promiſſa ſufficiens, ſed etiam *Iehova*, hoc eſt, præſtator illorum beneficiorum, quæ in Chriſto promiſſa ſunt.

Nomen *Iehovah* notat *factum*, non potentiam ſolam. Deus, dum Iſraëli promittit, ſe illis *innoteſcere* velle *in nomine Iehovæ*, docet, ſe in veritate omnes ſuas promiſſiones impleturum; non quidem uno ſtatim momento omnes, ſed ita tamen, ut, quod ſtatim facturus erat, eſſet argumentum totius implementi. Nam duo erant in promiſſione præcipua. 1. *Semini tuo dabo terram hanc.* Hoc eſt primum filiorum Iſraëlis Teſtamentum. 2. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Hoc eſt ſecundum eorundem Teſtamentum. Quando igitur primum fit, incipit Deus prædicari *Jehovah*. quod agnoſcit Iſraël. Exod. 15: 3.

Quæſtio. An nomen *Jehovæ* ita Deo ſit proprium, ut ſit incommunicabile creaturis? Negant id Samoſateniani, & *Vorſtius*, in libro de *attributis Dei*. Affirmamus nos & inde argumentum ducimus pro Deitate Filii & Spiritus Sancti. Nam 1. Eſt nomen proprium Dei, & habet omnes notas nominis proprii. Habet initio literam *jod*, formativam nominum propriorum; ut Jacob, Iſaac. dein, non recipit affixa in fine. nec *he* demonſtrativum in initio. nec habet numerum pluralem. Nomen verò Deo proprium non poteſt creaturis communicari. 2. Res per illud nomen ſignificata nulli creaturæ competit, nempe per ſe eſſe, & exiſtere, æternum & immutabilem eſſe, & omnium rerum cauſam, & promiſſionum præſtatorem. 3. Hoc nomen ſoli Deo, quaſi privum ipſi appropriatur. Exod. 3: 15. *hoc eſt nomen meum in æternum, & memoriale meum in ætatem ætatis.* Eſ. 42: 6. אֲנִי יְהוָה *hoc eſt nomen meum. & gloriam meam alii non dabo.* 4. Nullum exemplum è ſacris citari poteſt literis, in quo illud ulli creaturæ communicetur.

Objiciunt Gen. 18: 1. unus è tribus Angelis, qui Abraamo apparuerunt, vocatur *Jehovah*. Item Exod. 3: 8. Angelus, in rubo viſus. Eſ. 6: 3. Etiam Exod. 17: 15. *Et ædificavit Moſes Altare, & vocavit Nomen* יְהוָה נִסִּי: Fit hoc obliquè & in complexione & per indirectam complexionem. quatenus Altare hoc in memoriam victi Amalek ædificatum, ut viſibile ſignum, Iſraëli debebat teſtari victoriam *in Deo vexillo* vero & unico obtentam eſſe & obtineri. Ezech. 48: 35. obliquè etiam novæ *Hieroſolymæ* tribuitur. *Et nomen civitatis* מִיּוֹם *inde a die*, יְהוָה שָׁמָּה *Iehovah ibi eſt*, hoc eſt, hæc eſt civitas, Dei manſio & habitaculum. Hique tituli ſunt inditi altari atque urbi, quia fuerunt ſigna divinæ præſentiæ & protectionis. Eſt locutio metonymica, qua ſigna ſacramentalia gerunt nomen rei ſignificatæ. Neque tantùm vox *Iehovæ*, ſed tota ſententia fuit altari inſcripta & urbi indita per hanc locutionem ſacramentalem, quæ nihil ſimile habet cum denominatione Angelorum, quam Adverſarii urgent. Objicitur denique Jerem. 33: 16. *In diebus illis ſalvabitur Iehudah, & Ieruſalem habitabit ſecurè.* וְזֶה אֲשֶׁר יִקְרָא לָהּ יְהוָה צִדְקֵנוּ hic locus ita verti poteſt. *& hic*, qui *vocabit illam* Jeruſalem de nomine ſuo, eſt *Iehovah juſtitia noſtra.*

In

In hunc ſenſum ſumendus locus Jerem. 23: 5. *In diebus ejus habitabit Iſraël ſecurè.* וְזֶה שְּׁמוֹ *Et hoc nomen ejus*, אֲשֶׁר יִקְרְאוֹ *qui vocabit illum*, nimirum Iſraëlem, *Jehova juſtitia noſtra.*

Alii oggerunt, per nomen *Iehovah* ſignificari impletionem promiſſionum, ideoque attribui poſſe ei, qui quidem non ſit ſummus Deus, ſed ejus tantùm promiſſiones adducat & impleat, velut inſtrumentum & miniſter. ad illum modum Chriſtum I H V H dici. qui tamen Deus ſit tantum μετεχγενὴς ϑεὸς. Sed *Iehova* non appellatur, niſi qui *ſuas* virtutes, *ſuam* pollentiam, *ſuas* divitias, *ſuam* εὐδοκίαν, *ſuum* decretum, *ſuas* promiſſiones implet; atque ita *ſit*, *quod EST.* Igitur, qui *Iehova* audit ob promiſſorum præſtationem, eum oportet quoque *auctorem* & Κύριον ac datorem illorum ex poteſtate eſſe. Inprimis, quia ſunt promiſſiones, quæ non poſſunt impleri & præſtari, niſi per Deum ipſum. Qualis eſt de Dei in carne adventu, de redemtione, juſtificatione, ſanctificatione Iſraëlis.

Alii dicunt, *Arcam* à Moſe compellatam eſſe nomine *Iehovæ*. At non *Arcam* compellavit Moſes, ſed habitantem inter Cherubinos. confer Joſ. 3: 11. *Ecce Arca fœderis* אָרוֹן *Dominus totius terræ, tranſit ante vos in Iordane.* Arca fœderis ſymbolum erat præſentiæ Domini totius terræ. illâ tranſeunte ipſe Dominus videbatur tranſire. Adde Num. 10: 34. 35. *Et fuit in proficiſci* הָאָרֹן *& dixit Moſes.* קוּמָה יְהוָֹה *& diſpergantur inimici tui. & in quieſcere illam dixit.* שׁוּבָה יְהוָֹה רִבְבוֹת אַלְפֵי יִשְׂרָאֵל.

Nunquam Angeli nomen *Iehovæ* ſibi ſumſerunt; quamvis locuti ſint inſtar Domini mittentis. Non enim illi commiſerunt ſacrilegium, nec honorem Domini ſui ſibi arrogarunt, nec *adorari* voluerunt, Apoc. 19: 10. Nugantur Hebræi, dicentes, Legatum loqui eo modo, quo mittens eum loqueretur. Inter homines ita non fit. Nullus Legatus dicit, Ego ſum Rex. Crellius de vera relig. libr. 1. cap. 1. *Non ſolent eandem rationem Principum perſonas aſſumendi, ac loquendi formam ſervare legati.* Nunquam Moſes aut Prophetæ præfati ſunt. *Ego ſum Jehova Deus tuus. Ego benedicam. Ego multiplicabo.* Quum nomen & verbum Jehovæ aſſumunt, eſt manifeſta *proſopopœïa*, verbis eorum inſerta. ut Deuter. 29: 5. 6. Urget tamen Crellius. *Angelos nonnunquam, Deo ita volente, ipſius perſonam aſſumere, & tunc quodvis ipſius nomen & ipſos ſibi tribuere, & ab aliis ſibi tribui pati, ut tanto plus auctoritatis habeat res & oratio: in dramatibus ſimilia nos quodammodo cernere. Legatos quidem non uſurpare Regum nomen & ſermonem*, quia *minus gratiæ & gravitatis habitura eſſet aliena perſonæ aſſumtio*: quia *nemo non aliam Legati, aliam Principis perſonam animo concipit. At Angelos repræſentare Deum hominibus inconſpicuum, nunquam viſum, nunquam mortalibus videndum.*

* Occurrit etiam in Sacris nomen אֲדֹנָי & אָדוֹן *Dominus.* Illud in plurali habet אֲדֹנִים Dicitur etiam plurale de uno Gen. 39: 20. אֲדֹנֵי יוֹסֵף & Geneſ. 24: 51. *Sit mulier*, Rebecca nimirum, לְבֶן־אֲדֹנֶיךָ . אֲדֹנָי divinum nomen eſt. Geneſ. 18: 3. אֲדֹנָי *ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne quæſo tranſeas præ ſervo tuo.* confer verſ. 27. *Ecce acquievi loqui* אֶל אֲדֹנָי *& ego pulvis & cinis.* confer verſ. 30. אַל נָא יִחַר לַאדֹנָי adde verſ. 31. & c 19: 18. *Et dixit Loth ad illos* אַל נָא אֲדֹנָי: Verti debet, *Domine, ad Dominum.* non, *domini mei.* Jud. 6: 13. 15. mutatur ſonus vocis. Quamdiu, qui cum Gideone loquebatur, videbatur creatura, & non loquebatur in axiomate divino, dicit Gideon אֲדֹנִי verſ. 13. *Et dixit ad illum Gideon.* בִּי אֲדֹנִי *Si eſt Iehovah nobiſcum, cur evenit nobis omne hoc?*

De-

Deinde cum Gideon audiret illum loquentem θεοπρεπῶς, (dicebat enim: *in præpollentia tua hac, & servabis Israëlem è manu Midian, annon misi Te?*) se ipsum quasi corrigit, dicitque בִּי אֲדֹנָי · בַּמָּה *qua in re servabo Israëlem?* Chaldæus priore loco posuit רִבּוֹנִי posteriore יְיָ.

אָדוֹן antonomasticè Psal. 114: 7. מִלִּפְנֵי אָדוֹן חוּלִי אָרֶץ: Et הָאָדוֹן Exod. 23: 17. *Tribus vicibus in anno apparebit omnis masculus tuus* אֶל־פְּנֵי הָאָדוֹן יְהוָה adde Exod. 34: vers. 23. אֶת־פְּנֵי הָאָדוֹן יְהוָה אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל Es. 1: 24. *Ideo dicit* הָאָדוֹן יְהוָה צְבָאוֹת confer Es. 3: 1. 10: 16. *Ideo mittet* הָאָדוֹן אֲדֹנָי צְבָאוֹת *in pinguibus ejus maciem.* adde Es. 19: 4. Explicationis ergo dicitur אֲדֹנֵי הָאֲדֹנִים *Dominus Dominorum.* Deut. 10: 17. Jos. 3: 11. אֲדוֹן כָּל־הָאָרֶץ confer ℣. 13. Ps. 97: 5. Zach. 4: 14. 6: 5.

אֲדֹנָי est quasi pluralis forma. profertur loco יהוה à Judæis, nisi idem antecedat vel sequatur. Tunc enim legunt pro eo אלהים. Quod & Græca versio imitatur. nec Apostoli abstinuerunt. הָאָדוֹן inter nomina Christi est. Mal. 3: 1. *Dominus, quem quæritis.* Ita & ὁ Κύριος Act. 2: 36. *Pro certo igitur cognoscat omnis domus Israël, quod Dominum & Christum eum fecerit Deus.*

Vox אָדוֹן à LXX. vertitur præcipuè Κύριος & δεσπότης. Quæ stilus Novi Testamenti distinguit. Jud. vers. 4. τὸ μόνον δεσπότην θεὸν καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν χριστὸν ἀρνούμενοι. *Solum herum Deum & Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* Piscator Δεσπότην *Hausherren.* Κύριον *Herren.* δεσπότης notat *herum*, qui servos & jus præcipiendi habet. Κύριος latius patet; notans eum, qui quid in potestate habet, dominum peculii sive hæreditatis. Hac ratione Christus *Dominus* dicitur, quia *hæres omnium* est, quia Ecclesia ipsius hæreditas est. David eum *Dominum* suum vocavit Psal. 110: 1. confer Matth. 22: ℣. 23. 24. In Hebræo utraque notio occurrit; ut & in Κύριος. Qui est גּוֹאֵל assertor, redemtor, vindex hominis, & sanguinem pro eo fundit, is enim emit & suum facit, & proinde *Dominus* ipsius est, cui gratias agere, quem glorificare, & in quo gloriari tenetur.

Δεσπότης significat jus imperandi. Κύριος, nos acquisitos esse ab ipso, ut peculium & hæreditatem. *Dominus* est; qui servos habet vel 1. jure naturæ. 2. jure subactionis & victoriæ. 3. jure acquisitionis & emtionis. Omni hoc respectu Deus est אֲדֹנֵינוּ.

Vide conjuncta Psal. 8: 1. יְהוָה אֲדֹנֵינוּ.

שַׁדַּי pariter Divinum nomen. non tam dubiæ originis, quàm significationis amplæ; & ex omni etymo confirmatæ. Relatum ad שַׁד *mamma uber*, μαζὸς (Thren. 4: 3. *Etiam cete* חָלְצוּ שַׁד *proferunt mammam.* ut solent nutrices; *& lactant catulos.* Job. 3: vers. 12. מַה־שָּׁדַיִם כִּי אִינָק *quid ubera, ut sugerem*) notabit *sustentatorem omnium*, qui omnibus ubera largitur & lac præbet, quo subsistant. Relatum ad שֹׁד *destructio, calamitas* (Es. 59: 7. שֹׁד וָשֶׁבֶר. *calamitas & fractio.* Hos. 7: 13. שֹׁד לָהֶם *calamitas ipsis.* Jerem. 6: 7. חָמָס וָשֹׁד *vis & destructio! auditur in ea.* Formula quiritantis) notabit eum, per quem stat, ut omnia non sint nihil, sed sint, quæ sunt. Potest & per compositionem formari ex שֶׁ quod est אֲשֶׁר & דַּי. tumque notabit eum, qui *sufficit*, αὐτάρκης est, & οὐδενὸς προσδεῖται, μακάριος, &, qui sufficit *creaturæ*, ad eam exsatiandam; etiam *miseræ*, ad eam justificandam & vivificandam. Et hæc quidem ἐτυμολογία maximè obvia est, fluitque ex analogia linguæ, estque adeò aptissima. &, ut dictum, secundùm illam notat τὸ μακάριον, τὸ ἱκανόν. LXX. Ruth. cap. 1: vers. 20. 21. Job. cap. 31: vers. 2. 39: 32. vel 40: 2. vertunt ἱκανὸς, ὁ ἱκανὸς, θεὸς ἱκανός. Sic Ezech. cap. 1: vers. 24. Aquila & Symmachus.

Jungun-

Junguntur שׁד כְּשֹׁד Ef. 13:6. *Ejulate, quia propinquus est dies Domini, ut vastitas à Schaddai veniet.* LXX. συντριβὴ παρὰ θεοῦ. Adde Joel. 1:15. ubi LXX. ταλαιπωρία ἐκ ταλαιπωρίας.

Sufficientia præcipuè Dei, inprimis ad opus misericordiæ & gratiæ perficiendum, hoc nomine designatur.

Jungitur sæpe cum voce אֵל quod notat τὸ δυνάμιν, τὸ δυνατὸν, *Deum, potentem* sive *Omnipotentem:* & ad potentiam adjungit sufficientiam, ut fontem potentiæ, & quidem ad salvandum. Gen. 17:1. אֲנִי־אֵל שַׁדַּי *Ego Deus* (potens) *sufficiens*, qui sufficit. Luth. *Ich bin der almächtige Gott.* Propriè. *der mächtige, der gnug ist.* R. Sol. שֶׁיֵּשׁ דַּי בֶּאֱלָהוּתִי לְכָל בְּרִיָּא *in cujus divinitate satus est omni creaturæ.* Gerundensis docet, Maimonidem deducere à דַּי, *cujus essentia* vel *existentia sufficit.* Abrahamus quidā interpretatur. שַׁ״ד q.d. מְנַצֵּחַ וּמְשַׁדֵּד מַעַרְכוֹת הַשָּׁמַיִם *vincens & destruens dispositiones cœli.* quasi cœli habeant vires aliquid efficiendi, quod Deum oporteat irritum facere. Nugæ. Exod. 6.3. *Et apparui Abraamo .....* בְּאֵל שַׁדַּי *in* nomine *Potens*, qui *sufficit.* q. d. cum ea præfatione, me esse omnipotentem & sufficientem ad omnem effectum gratiæ. confer Gen. 28:3. Isaacus in hoc nomine benedixit Jacobo. *Et Deus Schaddai benedicet tibi.* Jacobo dicit Deus, Gen. 35:11. *Ego Deus Schaddai. Fructifica & cresce.* adde Gen. 43:13. & Gen. 48:3.

שַׁדַּי sæpius substantivè venit.

יָהּ etiam nomen Dei est; à radice יָאָה quod semel est Jerem. 10:7. כִּי לְךָ יָאָתָה. *Nam te decet*, scilicet ut timearis. LXX. σοὶ γὰρ πρέπει. יָאֲתָה, in Pausa יָאָתָה, Chaldæis & Aramæis seu Syris est frequens. ut Matth. 3:15. יָאֵא לַן *decet nos.* Malè refert Kimchius ad יאה.

Nomen autem יָהּ quod attinet, id nonnulli putant esse tantùm nomen proprium Dei, decurtatum ex יְהוָה. Sed 1. talia nomina decurtata in Hebræa lingua non exstant. Afferunt כֵּס quasi sit à כִּסֵּא & אֵל ac si sit ab אֱלֹהַּ. Sed illud rectius refertur ad כָּסַס vel כֶּסֶה; hoc ad אַיִל 2. Quæ ratio est, ut Scriptura nomen hoc truncare & abbreviare voluerit? dices, quia molestum, integrum pronunciare. Atqui millies integrum ponitur. 3. Hoc nomen יָהּ jungitur aliis nominibus Dei, & huic ipsi יְהוָה. Ef. 12:2. וְזִמְרָת יָהּ יְהוָה. & 26:4. בְּיָהּ יְהוָה צוּר עוֹלָמִים. Psalm. 68:19. לִשְׁכֹּן יָהּ אֱלֹהִים.

Objiciunt *Mappick* in ה. Sed cur magis id in ה mirabimur, si est ex יאה, quàm si sit ex יהוה: id enim est ad roborandam literam, quæ duarum quiescentium vicem sustinet. Et sic נֹהַּ est à נָהָה *lamentari, ejulare.* וַתֵּבַהּ à בָּהָה, וַתֵּלַהּ à לָהָה. Consideretur etiam Mappick in הַתְּהִלָּה & הַתִּפְאָרָה.

Vox יאה aliquando est abstractæ notionis. neque ergo tantùm est concretæ, sed etiam abstractæ significationis. & cum regit, tum regitur. Ita vertetur rectè *decentia.* Vide Psalm. 68:19. *ad habitandum* יָהּ אֱלֹהִים *decentiam Dei.* ἐν τῷ ἀπρεπεῖ θεῷ. Cui oppositum צְחִיחָה *siticulosa*, vers. 7. Ef. 12:2. *robur meum & canticum* יָהּ יְהוָה est *decentia Iehovæ.* Ef. 26:4. בְּיָהּ יְהוָה *in decentia Iehovæ rupes seculorum.* Pf. 68:5. *qui vehitur in campestribus* seu solitudinibus בְּיָהּ שְׁמוֹ *in* (sive *cum*) *decentia nominis sui.* Sed in hisce ferè locis etiam potest esse significationis concretæ. Clarior locus est Psal. 89:9 *Quis, ut tu*, חֲסִין יָהּ *pollens decentia.* Solet & Chaldæus per תושבחא & R. Solomoh per יראה abstractè explicare. Quemadmodum igitur אֵל nunc pro אֱיָל abstractè, & rursus concretè usurpatur, notatque τὸ δυνατὸν, ita etiam יָהּ concretè notat τὸ ἀξιοπρεπῆ, qui est חֲסִין יָהּ omni *pollens* & abundans *decentiâ*, adeoque κεκοσμημένος πάσῃ ἀξιοπρεπείᾳ, & indutus est laude gloriosæ gratiæ. Optimè hoc nomen in hoc sensu convenit Deo. manife-

nifestavit enim in Christo decenter divitias gratiæ suæ ad laudem gloriæ gratiæ suæ, & nomen suum ac virtutes notificavit. In Prophetis frequens est הַלְלוּיָהּ ἀλληλούϊα. significatur, decantandas esse aliquando Dei divitias & virtutes ab Israële & à gentibus. Apocal. 19:1. 6. τὸ הללויה exprimit tanquam vocem omnium gentium.

Demonstratio τῆς εὐπρεπείας *decentiæ divinæ* est ἐν τῷ ἀρχηγῷ τῆς σωτηρίας. Heb. 2: 10. 7:26.

Quamvis verò τὸ יָהּ hautquaquam sit decurtatum è nomine plurium literarum יְהוָה, id tamen fatendum est, ut in compositione nominum propriorum pro יְהוָה usurpatur יְהוֹ & יוֹ: ita etiam יָהוּ & יָה in fine usurpatur, ut in יְשַׁעְיָה: quod tamen distinctum esse à nomine יָהּ docet huic insertum Mappick. quo in compositione caret, quodque in illo literam ה firmat.

יָהּ *significat* 1. Pulchritudinem, decus, gloriam. 2. Deum, qui se exhibuit plenum omnis pulchritudinis & gloriæ in Christo.

אֵל concretè *validus, potens*, δυνάστης. ab אֵל *facultas*. Psalm. 88:5. *Exstiti, ut vir* אֵין אֵל *sine potentia*, impotens. In regimine אֵל Gen. 31:29. יֶשׁ לְאֵל יָדִי *est mihi facultas faciendi vobiscum malum*. Deut. 28:32. Prov. 3:27. Mich. 2: 1. Nehem. 5:4.

Nomen אֵל in singulari dicitur ferè antonomasticè de eo, qui sine ullo defectu habet & potest omnia. *Deus*, θεός. Es. 46:9. *Ego sum* אֵל *Deus*, qui habet potentiam & sufficientiam, qui est δυνάστης, δυνατὸς, ἰσχυρὸς, ὁ παντοδύναμος, παντοκράτωρ, *& non est præterea* אֱלֹהִים. confer Exod. 15:2. Psalm. 18:3. אֵלִי *Deus meus*. Is, qui me facit vivere & valere, à quo omnis mea facultas est, cujus omnis sufficientia pro me est. Jungitur & cum aliis Dei nominibus. Jos. 22:22. אֵל אֱלֹהִים יְהוָה אֵל אֱלֹהִים יְהוָה & Psalm. 50: 1. אֵל אֱלֹהִים יְהוָה. Nominativos hos esse puto. *Omnipotens, Deus, Iehovah*. Gen. 33: 20. אֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל & Num. 16:22. אֵל אֱלֹהֵי הָרוּחֹת. Appellativè etiam venit. Ezech. 31:11. בְּיַד אֵל גּוֹיִם *in manum validissimi gentium*. δυνάστου τῶν ἐθνῶν. LXX. ἄρχοντος. In plurali אֵלִים *potentes* δυνάσται. Exod. 15: 11. Job. 41: 17. & אֵילֵי הָאָרֶץ *potentes terræ*. 2 Reg. 24:15. Ezech. 17:13. Deus dicitur אֵל אֵלִים *Deus Deorum*. δυνάστης δυναστῶν. Psalm. 22:2. Filius, quem dicit אֵלִי, vers. 20. vocat אֱיָלוּתִי *potentia mea*, vires meæ.

Præterea etiam אֱלֹהִים insigne nomen Dei est. cujus singulare non est אֵל, ut quidam putant. nam hoc habet *Elim*; sed אֱלוֹהַּ, quod rarius reperitur. Cum affixo invenitur Habac. 1:11. זוּ כֹחוֹ לֵאלֹהוֹ: In regimine 2 Chron. 32:15. *Non poterit* כָּל־אֱלוֹהַּ כָּל־גּוֹי וּמַמְלָכָה *ullus Deus ullius gentis & regni eripere populum suum è manu mea*. Nehem. 9: 17. וְאַתָּה אֱלוֹהַּ סְלִיחוֹת *Et tu es Deus condonationum*. Dan. 11: 38. וְלֶאֱלוֹהַּ מָעֻזִּים עַל־כַּנּוֹ יְכַבֵּד. Et אלוה & אלהים vulgò redditur θεός.

Origo vocis aliis est ab אֵל *fortis*: aliis ab Arabico *Alihah*, quod est *colere*, quasi σέβασμα. Sed de etymo Arabico dubitant alii, annon verbum, quod vertitur *colere*, sit derivandum ab אֱלוֹהַּ: quemadmodum θεοῦν *pro Deo habere*, & ἀποθεοῦν referri debet ad θεός.

אֱלֹהִים plurale. Id aliquando vertitur *dii*, juxta πολυθείαν gentilium. Exod. 22: 19. זֹבֵחַ לָאֱלֹהִים יָחֳרָם *sacrificans Diis anathema fiet, nisi Domino soli*.

Quum plurale singulariter vertitur, non est ellipsis regentis. quasi plenum sit אֱלֹהֵי אֱלֹהִים *Deus Deorum*, ut putavit Grotius. Nam 1. in tali reduplicatione etiam plurale adhibetur. Deut. 10: 17. *Nam Jehovah Deus vester est* אֱלֹהֵי הָאֱלֹהִים *Deus Deorum* וַאֲדֹנֵי הָאֲדֹנִים *& Dominus Dominorum*. Absurdè diceretur. *Deus Deorum Deorum*. 2. ubi cum affixis jungitur, ut אֱלֹהַי, significat *Deus meus*. Secundùm Grotium autem deberet esse, *Deus Deorum meorum*, quæ pariter absurda significatio esset.

Plu-

Plurale non possumus sine mysterio sive recordatione mysterii *trium*, *qui sunt unam*, cui significando aptissimum est, & sine cujus intuitu insolens foret, exaudire. Quippe ei, etiam quum de vero Deo agitur, respondent 1. *Adjectiva pluralia.* Deut. 5: 26. *nam quæ omnis caro, quæ audivit* קוֹל אֱלֹהִים חַיִּים *vocem Dei viventis* מְדַבֵּר מִתּוֹךְ הָאֵשׁ *loquentis è medio ignis.* Jos. 24: 19. *Non potestis servire Jehovæ*, כִּי אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא *nam Deus sanctus ipse est.* Ita קְדֹשִׁים pro *Deo*, Hos. 12: 1. וְעִם קְדוֹשִׁים נֶאֱמָן. Prov. 9:10. *Initium sapientiæ timor Domini*, וְדַעַת קְדֹשִׁים בִּינָה: & 30:3. *Non didici sapientiam* וְדַעַת קְדֹשִׁים אֵדָע. & Dan. 7:22. venit cum עֶלְיוֹנִין. *Et judicium datum est* לְקַדִּישֵׁי עֶלְיוֹנִין. 2. *Verba pluralia.* Gen. 1:26. *Et dixit* אֱלֹהִים *Faciamus* נַעֲשֶׂה *hominem.* Gen. 11:7. *Descendamus & confundamus* ibi *labium illorum.* Genes. 20: vers. 13. *Et fuit quemadmodum* הִתְעוּ אֹתִי אֱלֹהִים *è domo patris mei.* inquit Abraam. Genes. 35: 7. Jacob *ædificavit ibi altare*, *& vocavit locum Deus Bethel.* כִּי שָׁם נִגְלוּ אֵלָיו הָאֱלֹהִים: 2 Sam. 7:23. *Et quis ut populus tuus Israël gens una in terra*, אֲשֶׁר הָלְכוּ־אֱלֹהִים לִפְדּוֹת־לוֹ לְעָם. Es. 66: 5. וְנִרְאֶה *& videbimus in gaudium vestrum.* Ezech. 21: 15. אוֹ נָשִׂישׂ. 3. *Pronomina pluralia.* Genes. 1:26. בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ. Gen. 3: 22. *Ecce Adam exstitit* כְּאַחַד מִמֶּנּוּ. Es. 6: 8. וּמִי יֵלֶךְ־לָנוּ. Hos. 12: 5. וְשָׁם יְדַבֵּר עִמָּנוּ.

Deinde & id sciendum, singulas personas divinas dici אֱלֹהִים *pluraliter.* quo docemur, quod quævis una habeat essentiam trium. Psalm. 45:7. *solium tuum*, אֱלֹהִים *ô Deus*, *seculum & perpetuitas.* ita dicitur de Filio. Rursum ℣. 9. de Patre & Filio: *Ideo unxit te*, *ô Deus*, *Deus tuus oleo alacritatis.* confer Hebr. 1: vers. 8. πρὸς δὲ τὸν υἱόν. Psalm. 82: 1. אֱלֹהִים *stat in cœtu* אֵל. Es. 40:9. *Dic civitatibus Juda. Ecce* אֱלֹהֵיכֶם in carne scilicet manifestatus. Es. 52:7. מָלַךְ אֱלֹהָיִךְ. Scilicet usurpatur nunc οὐσιωδῶς, ut notet τὸ θεῖον, *numen*, sive tres personas divinas, vel ὑποστατικῶς, ut notet aliquam aut certam personam divinam, indefinite aut definitè. Quum prædicatur, notatur, eam personam, de qua prædicatur, habere essentiam divinam.

Certum verò est, in plurali אֱלֹהִים esse manifestam indicationem plurium, hoc est, trium in divinitate personarum. Ita Zanchius, Junius, Sohnius, aliique judicant. 1. quia, ut habet Zanchius libr. 2. *de tribus Elohim*, non est verosimile, Mosen non expressisse, initio historiæ creationis rerum, causam adæquatam creationis omnium rerum, quam expresserunt alibi Prophetæ & Apostoli. Atqui creatio est opus non Patris tantùm, sed & Filii & Spiritus Sancti. Joh. 1:3. Col. 1:16. Ergo Moses eam quoque expressit initio, dicens, *In initio creavit Elohim.* 2. Si vox *Elohim* tantùm personam notaret, quemadmodum vox Jehovah unam essentiam, tum etiam dici posset, Jehovam esse Elohim unum, ut dicitur, Elohim esse Jehovam unum. Sed ita Scriptura non loquitur Deut. 6:4. *Jehovah Deus noster*, *Jehovah unus est.* Ergò. 3. Vox *Elohim* nunquam in sacris de virtutibus aut adjunctis usurpatur, quando de Deo vero non agitur, sed semper de personis, puta Angelis, judicibus, diis falsis, per concessionem aliquam & μιμητικῶς. Ergò quando de Deo enunciatur, etiam non nisi de personis intelligitur. 4. Adjuncta & varia constructio, quæ in his modis loquendi reperitur, ostendit, aliquid hîc esse μυστηριῶδες. Nam vox *Elohim* non tantùm cum verbo singulari construitur, ut Gen. 1: 1. sed etiam cum plurali, tum adjectivo, tum verbali, tum pronominali, ut antè ostendimus. 5. Etsi plurale de singulari Hebraicè in secunda & tertia persona sæpè enunciatur, nunquam tamen id fit in prima, ipso id fatente Aben-Esra in principium Geneseως. Kimchius verò, qui huic contradicit, nullum exemplum ullius momenti in contrarium affert, quia per syllepsin intelliguntur, docente Junio, Tractatu de Trinitate, Defens. 2. Sect. 3. At in hoc mysterio vox *Elohim & Adonim*

etiam in prima persona de Deo enunciatur, ut Exod. 20: vers. 2. *Ego sum* יְהוָה אֱלֹהֶיךָ.

Hanc sententiam non tantùm negant hodierni Judæi, Samosateniani, & cum illis quoque Bellarminus: sed & acriter in illam invehitur Drusius, in notis ad Pentateuchum, c. 1. „super Genesin. Ita ergo ille. Moses ait, *creavit Elohim.* Hic mysterium latere putant, „& pluralitatem innui personarum, quia nim. nomen plurale construitur cum verbo sin„gulari. Resp. Drusius. *Elohim*, quando de uno dicitur, habet sensum singularem. Di„citur autem de uno Deo passim, & de uno Angelo, vitulo, idolo, homine. Docet, „Hieronymum & Procopium in Genesin scribere, esse nomen communis numeri, quod „& unus Deus ita vocetur & plures. Quis nomen *liberorum*, quando de uno usurpatur, dixit habere unquam sensum pluralem? Quis plures *Athenas*, *Thebas*, *Salonas*, quia dicimus, *Athenæ*, *Thebæ*, *Salonæ*? Quis neget, unum esse cœlum supremum & tertium, quoniam vocatur שמים numero duali; aut, ut Hieronymus vult, plurali? An ideo plures *tenebræ*, quoniam in Latio non auditur *tenebra*, numero singulari? Si *Elohim* vi numeri pluralitatem innuit, cur non etiam *Adonim*? Mal. 1: vers. 6. אִם אֲדוֹנִים אָנִי *ubi timor meus*? Ecce par mysterium, quod tamen nemo hîc agnoscit. Adducit etiam בְּעָלִים Baalim. Objicit: *Sed constructio nos aliud docet.* Resp. Nihil minus. Nam talia construuntur vel singulariter vel pluraliter. Si singulariter, habetur sensus ratio, ut in, *creavit Deus.* Si pluraliter, habetur ratio terminationis, ut in אלהים קדשים *Deus sanctus*, cui subnectitur הוא, quod ad sensum refertur. Hactenus Drusius.

אֱלֹהַּ אֱלֹהִים commodissimè deducitur à radice אָלָה *jurare*, *adjurare*. 1 Reg. 8: vers. 31. וְנָשָׁא בוֹ אָלָה. ubi LXX. ἐξαγορεύσῃ, nempe ἀρὰν. Jud. 17:2. אָלִית *devovisti, execrata es.* Oppositum בֵּרֵךְ, ibidem. Hos. 4:2. אָלֹה וְכַחֵשׁ *adjurare & abnegare.* Hos. 10:4. אָלוֹת שָׁוְא. נָשָׂא אָלָה בְאַחֵר est partim execrationem legis pronunciare quoad se, ut in juramento, partim proferre exercrationem in alium, seu alii exsecrationem legis proponere. Igitur אלהים propriè notat eum, cujus est אָלָה, hoc est, cujus est exsecrationem pronunciare, atque ita obligare conscientiam ad sui quæstionem sub comminatione judicii. Id ei tantum competit, in quo est vita & bonum hominis, & qui est Dominus hominis, & Judex. Atque ita est nomen auctoritatis divinæ; quæ non nisi una est. Ideo Deus unus esse dicitur, & vetantur plures haberi dii; & quibus tribuitur hoc nomen præter Deum verum, iis ita attribuitur, ut appareat metaphora. ut Exod. 7: 1. *do te Pharaoni in Deum*, sive *pro Deo.* Ideoque tales ab eo, qui est Deus, distinguuntur, ut λεγόμενοι θεοὶ *appellati dii*, q.d. solo nomine tenus dii. Non igitur vox אֱלֹהִים est communis multis in proprio significatu.

אֱלֹהַּ propriè dicitur ille, cui convenit אָלָה minari maledictionem illi, qui ipsum non quærit; & per quem juramus, cujus maledictionem & judicium approbamus, cujus nomen nominamus, tanquam Domini, & in quo nostrum bonum, nostra spes, nostra gloriatio posita est.

Abraamo dixit: *Fiam tibi* לֵאלֹהִים *in Deum.* Gen. 17: 7. hoc est, opere demonstrabo, me tibi posse, & velle, ut Deum, benefacere, ut credas in me, & credens in me, omnia bona à me exspectes, & mihi, legem gratitudinis dicenti, *Amen*, hoc est, *fiat*, dicas. Hoc verbum explicat *Testamentum*, seu decretum hæreditatis dandæ, quod *fœderis* more fit ratum.

Deus Abraami & seminis ipsius est, 1. voluntatis proposito. 2. verbo promissionis, propterea quod ei, ut veraci, debetur gloria. 3. paratione *justitiæ.* Qua parata, & promissio-ni-

nibus impletis κατ' ἐξοχὴν *Deus verus*, & *Deus Amen*, (hoc est, cui gloriam veritatis & gratiarum actionem stipulanti potest & debet responderi *Amen*) appellatur. Joh. 3:33. 17:7. 1 Joh. 5: 20. Es. 65: 16.

Impropriè nominantur *Dii* אלהים, quibus Deus populum suum, mandato & missione sua, plerumque miraculis confirmata, subjecit. Ita de *Mose* dicitur Exod. 7: 1. Et de *Principibus* populi: imò & de *Angelis* Psal. 8:6. & 97: 7. coll. Hebr. 1: 6. 2:2.7.

Ergo errant, qui putant nomen אלה & אלהים esse nomen commune & appellativum. Est enim revera, & in proprietate sua hoc vocabulum solius Dei, qui æternus est, & omnium auctor & creator est. Angelis autem & Hominibus communicatur propter analogiam, & cum manifesta restrictione, quod sint tantùm λεγόμενοι θεοί, neutiquam absolute & in compellatione.

Etiam illi errant, qui dicunt in genere significare שפט דין *judicem*, virtute potentissima instructum. Nam quum Deus dicit Abraamo, *Fiam tibi Elohim*, haut significat, *fiam tibi judex.* Ita quum dicitur *Deus justitia mea*, non notat, *judex & vindex justitia mea*: ut Crellius; sed, *Deus meus*, *justitiam mihi donans*; *qui est justitia mea.*

Errant etiam Magistri Hebræorum, dicentes per אלהים significari מדת הדין *proprietatem judicii*, & per *Iehovah* מדת הרחמים *proprietatem misericordiæ.* nam & Jehovah notat virtutem judicii. Exod. 34: 6.7.

Occurrit ultimo loco vocabulum צבאות sed cum voce יהוה. nonnunquam etiam plenius יהוה אלהי צבאות 2 Sam. 5: 10. 1 Reg. 19: 14. Ps. 89: 9. Hos. 12: 6. vel יהוה אלהים צבאות, 1. Jehova ipse est exercitus populi sui. 2. habet exercitus cœlestes, Angelos, Luc. 2: vers. 13. Act. 7: 42. & *Israelis* ac *Gentium*, Jer. 3: 19. המון גוים. Rom. 3: 29. Ex conjunctione יהוה cum צבאות malè infertur, illam vocem regentis instar habere.

Est & Deus ordinis, & omnia sunt ipsius στρατιώματα, quæ sunt & ordinata sunt, & suum tempus ac locum servant, ipso ordinante & dirigente. & id continetur in צבאות.

Per ellipsin יהוה צבאות 1 Sam. 1: 3. 11. 4: 4.

Deus, de cujus hucusque nominibus, omninò *est.* Id notius est, quàm ut probatione egeat. 1. Quia mundus ab alio factus est & regitur. 2. Quia sine Religione humana societas & virtus consistere nequit. 3. Quia ex eodem fonte, unde orta est natura humana, manavit in omnes homines persuasio, Deum esse. 4. Quia cum Dei notione non pugnat notio existentiæ. 5. Quia Scriptura Veteris & Novi Testamenti a Deo profecta est.

Quid autem *sit Deus*, ejus nomina & attributa explicant. Attributa, quotquot Natura & Scriptura nobis revelavit, vel habent *nomina*, quibus perfectiones creaturarum significare solemus: vel eò spectant, ut à Dei perfectionibus amoveamus imperfectiones creaturarum. Illa in divinæ naturæ descriptione tenent locum *generis*; hæc *differentiæ*. Et quamvis hæc latissimè pateant, illa tamen unum attributum *infinitas* seu *immensitas* complectitur. Hæc hominis captum, non modo quâ *malus*, sed etiam quâ *creatura* est, excedit. Hâc negatâ Deus una negari & funditus everti jure videbitur. Et quomodo ausit cinis & pulvis Deo terminos ponere, bonitatemque ejus essentialem & gloriam limitibus circumscribere?

Immensum seu *infinitum* id propriè dicitur, *quod quantitatem habet tantam, ut nulla sint ejus extrema, nulli limites, nulla mensura. Quantitas* autem est *duplex.* una continetur Categoriâ Quanti; altera transcendit illam Categoriam. illa *Mathematica*, hæc *Metaphysica*; illa *molis*, hæc *perfectionis* vocari solet; illa cadit sub *phantasiam*, hæc sub *intelle-*

tellectum. Illa in solis *corporibus* naturalibus, hæc in rerum omnium *essentiis* & *gradibus perfectionum* esse deprehenditur. Ex.gr. plus perfectionis habet essentia hominis, quàm lapidis, & multò plus essentia Dei, quàm hominis.

Deus *infinitum* mathematicè, quantitate molis, haut est, nec *potestate*, quia neque augeri, neque dividi potest; nec *actu*, quia tale infinitum actu dari nequit.

Non potest *magnitudo* esse *actu infinita*, sive non potest *quantitas continua permanens* actu infinita esse. haberet enim eadem & partes pedales numero infinitas; & partes centuplo majores itidem infinitas. Utrarumque harum partium idem foret numerus, aut non. Si idem, foret ea magnitudo semetipsâ centies major. Si non, hoc est, si inæqualis, pro inæqualitate magnitudinis partium, esset numerus infinitus centies minor numero infinito.

Nec datur actu *quantitas continua fluens* infinita, hoc est, non datur tempus infinitum. Tempus est vel præsens, vel præteritum, vel futurum. *Præsens* haut infinitum est: nec *Præteritum*. actu enim totum præteriit. infinitum verò nec præterire unquam totum, nec præteriri potest. Deinde, omne tempus præteritum prius præsens fuit, quam præteritum. Quemadmodum & prius futurum est, quam præsens. Tempus autem, quo prius tempus fuit, ab æterno non fuit. Nec *futurum*, quia è futuro fit præsens finitum, & præteritum finitum è præsenti. Et ita futurum infinitum mutaretur in finitum. Infiniti autem nulli omninò sunt fines.

Aut nullus dies est ab æterno; aut omnis dies est ab æterno; aut aliquis dies est ab æterno, & aliquis dies non est ab æterno. Si primum, tempus non est ab æterno. non est enim ab æterno id, cujus nulla pars ab æterno extitit. Secundum verum esse non potest, contradicente experientia. Nec tertium. nam quod ab æterno fuit, ejus duratio fuit infinita. Liquet igitur, tempus ab æterno fluere non potuisse, itaque Deum esse, qui fecerit sæcula.

Posito, haud verò concesso, *Quantum Categoricum infinitum esse posse, Deus tamen eo genere infiniti infinitus non esset*. non enim est præditus quantitate Categorica, hoc est, ut habeat formaliter partes extra partes. Omne enim quantum, quâ tale, est *divisibile*. Deus verò nullo modo est divisibilis. divisio enim est ejus, quod dividitur, corruptio quædam. Deinde est *mensurabile*. Deus verò mensurabilis non est, nihil enim ei potest æquari. Denique est *compositum*. quo magis autem aliquid est compositum, eo dependet à pluribus, estque ordine naturæ generantis posterius. Cum igitur Deus sit ens omnibus modis primum atque independens, nullo certè modo compositus est. Præterea, quas haberet Deus partes integrantes? an ejusdem inter se rationis? an diversæ? Si *diversæ*, convenirent igitur materiâ. differrent formis, magnitudine, figura, situ, proprietate, usu, iisque inter se uniendis & regendis opus esset animâ. ac ut non essent propter se singulæ, sic nec à semetipsis existerent. Si ejusdem rationis, quemadmodum quælibet pars aëris est aër; sic quælibet pars Dei Deus esset. Essent igitur in Deo, ut partes multæ, aliæ extra alias positæ, sic Dii multi partiales & incompleti, componentes unum totalem Deum. Igitur, si id ita, credamus, plures esse potuisse Deos, & revera esse. Sunt enim, si possunt esse. nam quod, cum non sit, potest esse, à se ipso esse non potest.

Nec magis Deo convenit *quantitas continua fluens*, *quàm permanens*. 1. Deus necessariò est æternus. tempus verò nec æternum est, nec potuit esse. 2. Si differentiis temporis Dei duratio divideretur, nullâ parte aut differentiâ temporis Deus foret necessariò, nisi ex hypothesi. Nam respectu præteriti non esset amplius; respectu futuri nondum esset; præsens

ſens autem paulò ante erat futurum, & mox erit præteritum. Quamobrem cujuſvis temporis reſpectu Deum eſſe negari poſſet abſque contradictione. Quid, quod quàm à temporum lapſu & differentiis abſtracta eſt Dei eſſentia, tam ab eiſdem ſeparata eſt ejus exiſtentia.

Non eſt tamen *Deus indiviſibilis*, vel ratione magnitudinis, ut *punctum*, vel temporis, ut *momentum*. Punctum & momenta vocantur indiviſibilia, ut ab eis removeamus perfectionem quantitatis, cujus in genere continentur, eo nomine nil iis præter negationem quantitatis tribuentes. Deum verò dicimus *indiviſibilem*, ut, omni quantitatis imperfectione procul amota, eam ipſi perfectionem attribuamus, quæ, quicquid perfectionis eſſe poteſt in quantitate, eminenter contineat. Quam perfectionem non aliter poſitivè (ob imperfectionem modi noſtri intelligendi à phantaſia pendentis) concipere animo, quàm ad modum quantitatis, nec nominare, quàm vocibus magnitudinem & tempus ſignificantibus poſſumus. Ita & Scriptura balbutit, charitati Dei omnes *dimenſiones* tribuens. Eph. 3: 18. Sed, agnitâ noſtræ conceptionis imperfectione, ſi eam de Deo negamus, id fit, ut hac negatione eminentiam perfectionis divinæ, ut poſſumus, inſinuemus.

Igitur concludamus, infinitatem minimè convenire Deo ratione quantitatis prioris habentis partes extra partes. Videndum ergo, annon illi conveniat infinitas ratione quantitatis, quam appellavimus *Metaphyſicam*. Illa duabus in rebus potiſſimùm ſpectatur. 1. *Eſſentiâ*. 2. *Perfectione*, eâ, quæ priorem quantitatem eminenter continet.

Infinitum eſſentiâ non idem nobis eſt, quod *indefinitum*, hoc eſt, vagum, incertum, dubium. Talis enim haut tribuenda eſt infinitas Deo, fonti immenſo omnis lucis, diſtinctionis, ordinis, formæ, certitudinis.

Neque etiam putandum, *eſſentiam Dei habere propriam formam* ſeu *ſpecificam differentiam, per quam ad certam entis ſpeciem contrahatur*. Quod enim habet ſpecificam differentiam, per quam ad certam entis ſpeciem contrahatur, id ex genere & differentia, naturâ communi & naturâ propriâ, eſſentiâ & eſſe compoſitum eſt. ac propterea 1. *non eſt actus purus*. nam genus ſe habet ad differentiam, ut potentia ad actum. 2. *non poteſt omnia*. nam cujus eſſentia ad certam entis ſpeciem contracta eſt, ejus etiam potentia certæ ſpeciei limitibus circumſcripta eſt. 3. *non eſt unum numero*. nam neque generi repugnat eſſe in pluribus ſpeciebus, neque ſpeciei in pluribus individuis, & ſunt æterna quicquid eſſe poſſunt. 4. *non exiſtit neceſſario*. nam neque neceſſariò exiſtit, aut genus in hac ſpecie, aut ſpecies in hoc individuo: neque differentia ponit, quod contrahit, niſi quia eo natura poſterior eſt. 5. *neque à ſe exiſtit*, ſed ab alio factum eſt. id enim demum à ſe exiſtit, cujus eſſentia eſt cauſa ſeu ratio adæquata cur exiſtat. Sed eſſentia abſtrahi non poteſt ab eâ exiſtentiâ, cujus ipſa cauſa eſt ſeu ratio adæquata. ei enim repugnat, non habere illam exiſtentiam. quapropter ita tota ſingularis eſt, ut ſine implicatione contradictionis non poſſit repræſentari conceptu univerſali. Ex quo jam intelligere eſt, Deum non eſſe in certa entis ſpecie, ſed eſſe *ipſum ens* eminenter continens omnia genera, omnes ordines, omnes ſpecies & gradus entium, proindeque eſſentiâ infinitum eſſe.

Infinitum enim *eſſentiâ* vocamus, *quod nullos habet eſſentialis perfectionis limites, eò quod omnem entitatem, omnem perfectionem, omnem omnis perfectionis modum & gradum actu habet, formaliter vel eminenter*. Atqui hac ratione Deus eſt infinitus. 1. enim, ſi qua abeſt à Deo perfectio, ea vel ex earum genere eſt, quæ nullam imperfectionem in eſſentiâ ſuâ includunt, quæque in Deo formaliter eſſe dicuntur; vel ex earum, quæ, ob admixtam eſſentiæ aliquam imperfectionem, Deo tribuuntur ſolummodò eminenter.

ter. Si prius, cum multæ aliæ perfectiones ejusdem modi sint à se ipsis in Deo, cur ista quoque non sit à se ipsa? Si aliarum essentia est ratio adæquata cur existant, quid obstat, quo minus idem de istius essentia dicamus? Si igitur omnes perfectiones prioris generis sunt formaliter in Deo, utique etiam perfectiones posterioris generis in Deo sunt eminenter. Cum enim à se ipsis esse nequeant, possibiles non sunt, nisi quatenus in perfectionibus prioris generis insunt eminenter. 2. Istam perfectionem Deus habere potest vel non potest. Si potest, habet. Si non potest, quid obstat? superioris auctoritas? aut potentioris vis? aut naturæ necessitas? quis ei dedit naturam? aut naturæ ejus legem posuit? quis ei limites fixit, quos, velit nolit, prætergredi non possit? quis eum necessitati subjecit? non potest quidem Deus esse imperfectus. pugnat enim cum infinita perfectione vel minima imperfectio. at cum fonte omnis veritatis nulla veritas, cum fonte omnis bonitatis nulla bonitas pugnat. 3. Quod cum non sit, possibile est esse, ideo possibile est, quia potest ab aliquo produci. Num igitur istam perfectionem, quæ à Deo abesse ponitur, Deus producere potest? Si potest, habet ergo illam actu. Si non potest, non igitur illa possibilis est: quamobrem non est vera perfectio, sed merum nihil. 4. Quanta Dei est potentia, tanta est essentia. illa autem infinita est. παρὰ δὲ θεῷ πάντα δυνατά ἐστι. Matth. 19:26. nullos prorsus habet limites. Quod enim facere non potest, quæ implicant contradictionem, non est ab ejus finitate, sed quia non est potentiæ ita agere, ut actionis terminus, quem dare effectum cupit, nihil aliud sit aut esse possit, quàm purum nihil.

Deus essentiâ infinitus etiam infinitus est ejus *perfectionis* respectu, quâ *tempus & magnitudinem categoricam* eminenter continet.

Temporis respectu Deus est infinitus, hoc est, æternus. Id ita patet.

Aut omne ens, quod est vel fuit, factum est; aut non omne ens, quod est vel fuit, est factum. Prius dici nequit, quin ponatur, *aut* entium sese mutuò producentium *circulus perfectus*; *aut* entium ab aliis entibus productorum *series* versus initium *infinita*. In quibus multiplex implicatur contradictio.

Hâc etiam ratione probatur, tempus non esse æternum. Vel omnem diem alius dies præcessit, & ita dies fuit, antequam dies fuit. Vel non omnem diem alius dies præcessit, & ita fuit aliquis dies primus.

Non igitur omne ens, quod est vel fuit, factum est. Quod autem, cùm sit, factum non est, id nunquam non fuit. quod enim aliquando non fuit, aut nunquam fuit, aut factum est. Ut verò non habuit initium durationis, sic nec finem habiturum est. Cum enim aliundè non pendeat ejus existentia, se ipsum velle destruere non potest. Atque ejus duratio, cum sit infinita, dividi nequit temporis differentiis, sed tota simul infinito quodam actu ἀμερίστως existit, omne tempus etiam possibile excedens. Cum autem illius entis duratio non sit res diversa ab ipsius existentia, quàm ejus duratio infinita est, tam infinitam esse necesse est ejus existentiam, proindeque & essentiam: ac ut ea perfectio, quam nomine durationis appellamus, in eo infinita est, sic alias etiam perfectiones in eodem infinitas esse oportet. Maneat ergo, Deum esse tum essentia, tum duratione infinitum.

Etiam *decreta Dei* sunt *æterna.* πρὸ χρόνων αἰωνίων 2 Tim. 1:9. πρὸ καταβολῆς κόσμου Ephes. 1:4. quid autem ante tempus, nisi æternitas fuit? Idem ratio docet. 1. in ipsa æternitate non est prius & posterius, nisi naturâ vel ordine. 2. tam immutabiliter Deus id non vult, quod non vult, quàm vult id, quod vult; tam igitur mutari non potuit à non volendo ad volendum, quàm à volendo ad non volendum. 3. cum sapientia ab omni æternitate

eadem

eadem objecta eodem modo proposuerit voluntati, omninò secuta est sapientiam voluntatis determinatio ab omni æternitate.

Deum esse *immensum & ubique locorum*, uno veluti ore constanter 1. *Scriptura.* 2. *ratio.* 3. *analogia fidei.* 4. *conscientia generis humani*, clamant ac testantur.

Solet Scriptura tribuere Deo, ut *dies, annos, differentias temporis*, sic *magnitudinem, dimensiones, locum.*

In *Tempore* verò sunt *imperfectiones* duæ. 1. habet partes alias aliis succedentes. & ita partim est, partim non est. partim est actu, partim potestate. 2. est finitum.

Ad priorem à Deo amovendam facit Psalm. 102: 28. וְאַתָּה הוּא σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ. Jacob. 1: 17. *παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα.* Psal. 90: 4. *Mille anni in oculis tuis, ut dies heri cum preteriit.*

Posteriorem Scriptura depellit à Deo, quoties eum docet antè fuisse, quàm existeret mundus; cujus duratio est omnium rerum finitarum antiquissima. Esse enim ab æterno eum, qui multo ante illud, quod primum omnium factum fuit, exstitit, necesse est. Non fuere Angeli creati ante mundum. *In principio* creavit Deus cœlum & terram. Inde cernis, ante alia omnia creata cœlum & terram. Imò sex diebus creavit cœlum, terram, & omnem *exercitum eorum.* Atqui *Angeli* cœlorum exercitus magis propriè, quàm *Astra* dicuntur. & Col. 1: 16. tam per ea, quæ in cœlis sunt, *Angeli*, quàm per ea, quæ sunt in terris, *homines* intelliguntur. Versus initia sæculorum regredientibus nulla amplius apparet sæculorum distinctio, sed immensa æternitatis abyssus. Sat igitur habuit Scriptura, ut Deum doceat æternum esse, nos monere, eum priùs quàm crearetur terra jam exstitisse.

Imò idem docet, quum affirmat, Deum *creasse* sæcula. Necesse enim est, esse ab æterno eum, qui cùm sit, non est factus. non est autem factus, qui fecit omnia, quæcunque sunt facta. Dein opus erat ad creationem vi infinita. Vis autem infinita nec oriri, nec interire potest. Tum, si *Creator mundi* factus est, non jam ipse est Deus, sed is solus, qui fecit eum; aut plures sunt dii.

Eadem Dei æternitas docetur, ubi dicitur ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, יהוה, *primus & ultimus*, *solus* habere *immortalitatem*. qui Deum *æternum* negat, etiam *esse* negat.

In *Magnitudine* etiam duæ includuntur imperfectiones. 1. habet partes extra partes. 2. finita est.

Priorem abesse à Deo, colligi potest ex nomine, quo illum Scriptura insignit, *Spiritus.* Si Deus partes extra partes haberet, cum illa quantitas merè passiva sit, haberet aliquid, cujus respectu merè passivus esset: quodque adeò non valeret creare, cum tamen absque eo nulla substantia creari posset. Haberet etiam in se materiam, à qua quantitas illa distrahi nequit, ac proinde etiam formam. quod autem causas habet internas, id habet etiam externas.

Posteriorem procul esse à Deo, liquet è Job. 11: 7. 8. *Num* עַד תַּכְלִית *Schaddai invenies? Altior cœlo, profundior inferno, longior terra, latior mari.* Es. 40: 12. *Quis mensus est pugillo suo aquas? & cœlos spithama direxit?* &c. vers. 15. *Ecce gentes ut gutta è situla, ut pulvis bilancium æstimantur. ecce insulas ut tenuissimum tollet.* Jerem. 23: 23. *An Deus è propinquo ego, dicit Dominus, & non Deus è longinquo? num occultabitur vir in latibulis, & ego non videbo illum? Annon cœlos & terram ego impleo? inquit Dominus.* Implet verò Deus cœlum & terram, vel formaliter substantiâ suâ, vel causaliter effectis suis. Psalm. 139: 6. *Quo ibo à Spiritu tuo: & quo à facie tua fugiam? Si ascendero cœlum, ibi tu: & sternam in inferno, ecce Te.* Ipse Deus docet, se tantum esse, ut simul & in cœlo sit,

 & in

& in terra, & supra cœlos exstet. Es. 66: 1. *Hæc dicit Dominus. Cœlum thronus meus, terra scabellum &c. qua illa domus, quam struetis mihi? & quis est iste locus quietis meæ? Et omnia hæc manus mea fecit.* Vana hujus loci glossa. „Hic locus contrariam potius „astruit sententiam; quatenus ostendit, Dei majestatem ideo templis manufactis includi „non posse, quia substantialiter in altissimo illo cœlo, tanquam in solio aut palatio suo re-„sideat, sic tamen ut virtualiter etiam seu κατ' ἐνέργειαν suam in terra versetur, sive ita, ut „hæc etiam terrena aspicere ac curare dignetur. Atqui Deus, affirmando se habere pedes in terra, affirmat se esse substantialiter in terra. *Nonne manus* &c. Minor opere suo esse non potest, qui illud absque materia, instrumento, alterius ope, absque labore & motu fecit universum. 1 Reg. 8: 27. *Nam certè* יֵשֵׁב *sedet Deus in terra. Ecce cœli & cœli cœlorum non capiunt te* יְכַלְכְּלוּךָ *quanto minus domus hæc, quam ædificavi.* Cœli capacissimi, qui universum mundum continent, te continere non possunt. Alius, detorquendo verba hæc, *non de Dei substantia, sed de virtute & exsertione providentiæ* vult accipi debere.

Cum Deus dicitur in cœlo esse, habitare, id domum ejus esse &c. id fit 1. quia in cœlo multo illustriora eduntur divinæ præsentiæ monumenta, quàm in his terris, ubi locum Deus esse voluit peccato & miseriæ. 2. Habita fuit ratio Naturæ humanæ Christi, cujus habitationi perpetuæ destinatum fuit cœlum. 3. Quia Angeli sunt in cœlo: & eadem sedes parata est Ecclesiæ. Ubi universa Dei familia habitat, ibi benè domus Dei esse dicitur. 4. Deus constituit ordinem inter causas secundas. earum quæ sunt postremæ & infimæ, videntur nobis longè semotæ à causa omnium prima. quæ autem sunt primæ & supremæ, videntur illi proximæ. Ergò haut mirum, si, ubi sunt causæ secundæ primæ, supremæ, nobilissimæ, ibi Deus singulari quadam ratione esse dicatur. unde & benedictiones omnes in nos descendunt. Jacob 1: 17. 5. Eo fine Scriptura evocat mentes nostras è terra in cœlum, ut argumenta divinarum virtutum, clarius ibi fulgentia, contemplemur.

Porrò docet Paulus Act. 17: 27. 28. *Deum non procul ab unoquoque nostrûm existere. In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Ne time Deum locorum sordibus inquinari. Non potest tangi à corpore. est enim Spiritus. nec recipere aut pati quicquam à creatura, cum infinito Naturæ intervallo creaturam omnem superet. nec ulla est creatura, quantumvis fœda, quam ipse non cognoverit, fecerit, conservarit.

Denique Scriptura disertè negat, Dei magnitudinis ullos esse fines. Psalm. 145: 3. *Magnus est Dominus, & laudatus valde,* וְלִגְדֻלָּתוֹ אֵין חֵקֶר, LXX. καὶ τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ οὐκ ἔστι πέρας *non est finis.* adde Psalm. 147: 5. *Magnus Dominus noster, & multus potentia.* רַב כֹּחַ *intelligentiæ ejus non est numerus.*

Idem ratio docet. Demonstratâ essentiæ, potentiæ & durationis Dei infinitate, demonstrata est ejus, etiam respectu magnitudinis & loci, infinitas. 1. Non differt Dei magnitudo ab ejus substantia, & licet differret, tamen omninò aliqua inter utramque intercederet proportio. 2. Essentia infinita necessariò continet eminenter, quicquid est aut esse potest perfectionis in omni magnitudine sive actu existente, sive possibili. 3. Magnitudo potentiæ respondet proportione magnitudini substantiæ. 4. Quare Magnitudo Dei non se habebit ad locum, quemadmodum Duratio Dei se habet ad tempus; Hæc autem omne tempus etiam possibile excedit. Ergò & illa omnem locum.

Ante mundi creationem Deus vel omnem locum possibilem implebat, & ita erat, estque hodie ubique: vel nullum implebat; & ita non erat. Sicut enim, si nullum unquam temporis momentum possibile fuisset, de quo dici potuisset, *Deus nunc est*, Deus non esset. Sic, si nullus unquam locus possibilis fuisset, de quo dici potuisset, *Deus hic est*, Deus pariter

pariter non esset. Vel aliquem implebat, aliquem non implebat. unde absurda multa. 1. Omnium locorum possibilium eadem prorsus est ratio. Ergo si in uno loco possibili Deus à seipso exstitit, cur non extitit etiam in alio quolibet? 2. Ubi non ponitur esse, ibi vel esse potest, vel non potest. Si potest esse, cum in æternis idem sit esse & esse posse, cur ibi esse negatur? quomodo etiam, ubi non est, ibi possit esse, nisi è loco suo migrando in illum locum? Quod si è loco suo migrare potest in alium locum, non est ullo in loco necessariò. Ut igitur si de nullo prorsus loco dici posset, *Deus hîc est*, Deus omninò non esset: sic si de nullo prorsus loco dici posset, *Deus hîc est necessariò*, Deus certè non esset necessariò. Adde: Si mutare potest locum, tempore mensuratur. Id verò non potuit fieri, ut æternum esset.

Si verò ubi non est, ibi esse non potest, sed definito cuidam loco affixus immobiliter adhæret, ejus dicti ratio inquirenda est. An quia extra illum locum conservari non potest? Non igitur à se ipso est. An quia non potest velle alibi esse? At cur id velle non potest? An quia, ut maximè velit, non potest tamen. At qui dedit creaturis suis facultatem, qua se loco moveant, cur erit ipse destitutus illa facultate? Nil ergo impedire potest, quo minus Deus loco moveri possit præter ejus immensitatem, quâ fit, ut jam habeat totum actu perfecto, quicquid per motum localem acquiri potest perfectionis successivè & actu imperfecto.

Si Deus magnitudine finitus est, non implicabit, esse creaturam Deo majorem. Maximæ etiam nonnullæ creaturæ possunt esse plures & majores, quàm sunt. Si Dei substantia non est alibi, quàm in cœlo, Mundus est Deo major. Ita creatura vincet Deum magnitudine: & quia magnitudini substantiæ respondet proportione magnitudo virium, etiam viribus. Denique, si qua re creatura Deum superat, eam aliunde quàm à Deo habet. nequit enim Deus dare creaturæ plus quàm habet ipse. Adde; quod si finito addatur aliquid, totum erit majus. Si igitur creaturæ jungantur Deo finito, plus Deus & creaturæ simul poterunt, quàm Deus sejunctus à creaturis.

Si Deus finitus est, & definitum locum occupat, habet quantitatem, figuram, lineas, superficies, partes extra partes, imò corporeus est. Id Conr. Vorstius Apol. Exeget. cap. 7. concludit esse in Angelis, quorum substantia finita est. *Quis negare potest*, inquit, *Angelorum substantiam verè finitam esse, utpote creatam; & sic quidem finitam, ut locum etiam definitum ipsi occupent? Id verò quantitatem aliquam, si non sensibilem, at intelligibilem tamen arguit. At ubi finita seu determinata quantitas est, ibi figuram aliquam esse necesse est. Omne enim terminatum figurâ aliquâ terminatur. Porrò, ubi figura seu figurata substantia est, ibi lineæ & superficies sunt, ibi partes extra partes sunt; ibi denique corporeum quid esse oportet.*

Dei infinitatem etiam *Analogia fidei* confirmat. Nam, si ponatur finitus esse, 1. gravitati peccatorum nostrorum multum detrahetur. 2. Christi sacrificium non erit infiniti valoris. 3. Jus Dei in creaturas non erit infinitum. 4. Ejus etiam sapientia & potentia limites habebunt. Ita Dei unitas propè concidet. Et nutabunt dogmata de invocatione Dei, de resurrectione mortuorum, deque judicio novissimo. 5. Seria de Dei immensitate cogitatio admodum juvat humilitatem, patientiam, fiduciam, amorem, admirationem & adorationem, quæ divinæ debentur Majestati: & potentissimè nobis excutit omnem de nostris vel arbitrii viribus vel meritis opinionem. 6. Si Dei substantia includatur cœlo, sequetur, quod non erit Natura humana Christi, ubicunque fuerit, præsentiæ divinæ symbolum omnium absolutissimum.

Accedat denique *conscientia humani generis testimonium*. hoc enim omnium gentium

mentibus natura ipsa insculpsit. Nullum locum esse posse, ubi Deus non sit, & audiat ac videat, si quid dicatur aut fiat; & possit absque mora quæcunque voluerit effecta dare. Locus nullus est, ubi non compellent, non adorent, non colant genu flexione aliisque gestibus Deum velut præsentem, sublatis versus mundi circumferentiam oculis, quod intra mundi septa non videatur includi.

In cognitionem divinæ essentiæ adducimur per ejus attributa & proprietates, quæ collatione & progressu facto à creaturis sursum, Deo, modo eminentissimo, attribuuntur.

Attributum nunc non pro *prædicato* accipimus quovis, quod de Deo posset prædicari, sed pro proprietatibus Deo propriis, quarto modo, soli & semper, quibus essentiæ veritas in se innotescit & ab aliis distinguitur.

Quia Dei essentia non potest sufficienter à nobis comprehendi per actum unum, explicatur à nobis quasi multiplex, per multa scilicet attributa.

Methodi illius, quâ Deus, per naturæ & scripturæ documenta, ad ὑπερεχοῦς οὐσίας suæ cognitionem nos deducit, tres sunt partes vel gradus. 1. *negationis*, quando de Deo non valentes scire quid sit, quid non sit, consideramus, removendo, quæ ei non convenire videntur. 2. *attributionis*, quum ob eandem infirmitatem nostram, ut aliqualem aliam, quàm negativam Dei cognitionem habeamus, quicquid videmus præ se ferre aliquam nobilitatem, Deo tribuimus. 3. quum scientes, quæ Deo tribuimus, non posse ei inesse, ut nobis insunt, quicquid enunciamus de Deo, enunciamus æquivocè; qui gradus dicitur *eminentiæ*.

Attributa verò Dei sunt idem planè cum Deo, neque inter se vel à Deo diversa, quoniam per essentiam Deus est id, quod est; sed distinguuntur tantummodò ad nos, ob conceptuum nostrorum de Deo imbecillitatem. Proprietates Dei sic essentiam Dei ab aliis distinguunt, ut nec ab essentia Dei, nec inter se realiter distinguantur. Non ab essentia: nam sic sunt in una essentia, ut sint ipsa essentia: quia quicquid in Deo est, non inter se, sed simpliciter est. Deus enim esset dividuus: quod naturæ & scripturæ repugnat.

Si verò attributa, quæ de Deo dicuntur, ipse Deus sunt, cur tot Dei attributa esse docentur, cum tamen Deus unicus & simplicissimus sit? Resp. Id fit non ex natura Dei, sed ex ratione nostra concipiendi. quicquid mens nostra capit, illud finitum est: nec enim infinitum à finito comprehendi potest. itaque cogimur illa diversa considerare in Deo, quæ in ejus essentia unum idemque sunt.

Quod autem attributa Dei sint ipse Deus, ita patet. 1. *Sanctitas* est ipse Deus. Ergo & æternitas, infinitudo, &c. Quæ enim ratio attributi unius in Deo, ea & alterius est. Prius probatur ex Hebr. 6: 13. Deus *ὤμοσε καθ' ἑαυτοῦ per semetipsum.* Id dicitur Amos. 4: 2. *Iuravit Dominus Deus* בְּקָדְשׁוֹ *per sanctitatem suam.* 2. *Æternitas* est ipse Deus. Ergo omne attributum, quod in Deo est, est ipse Deus. 1 Sam. 15: 29. נֵצַח *Perpetuitas Israëlis, non mentietur, nec pœnitebit,*

Attributa sunt ipsa Dei essentia, per plures inadæquatos conceptus nobis repræsentata. Sic *infinitas* non est carentia termini, sed ipsa divina essentia, apprehensa ut carens omni termino & finitione. *Omnipotentia* est ipsa essentia Dei, apprehensa ut carens omni obstaculo in agendo. *Æternitas* est ipsa essentia Dei, ut carens omni termino in durando.

Deus enim est *simplicissimus* & omnis expers *compositionis.*

Simplicitas eximit Deum à Categoria *Substantiæ*. Utraque substantia, de qua prædicatur prædicamentum hoc, est composita. Una ex materia & forma, quæ constituunt corpus, & ex partibus quantitativis, compositione corporum propria. Una ex essentia & esse, substantia & accidente. Deus autem nec corporeus est, quia est purus actus: omne verò corpus in poten-

potentia: & est *spiritus*, qui opponitur corpori. Nec compositus ex essentia & esse: quoniam si *esse* suum non esset idem quod *essentia* sua, esse suum se haberet ad essentiam suam, ut actus ad potentiam, cum *esse* sit actualitas omnis formæ seu naturæ. At in Deo nihil est in potentia, sed omnia sunt actus.

Simplicitas est in Deo penitus individua & absoluta, nullam admittens aut diversitatem, aut compositionem partium seu accidentium, nec in se, nec in Personis, nec in operationibus.

Deum verò nullo compositionis genere esse compositum, ita patet. 1. Quicquid compositum est, ab alio compositum est. Deus verò est ens primum, & à nullo pendet. 2. Omne compositum est posterius partibus suis componentibus. Essentia verò Dei nec se ipsa, nec ulla re alia posterior esse potest. 3. Omne compositum potest dissolvi in ea, ex quibus compositum est. Deus autem est immutabilis. 4. Dei essentia est in se & ex se perfectissima. Ergo illi nihil potest accidere, quod eam reddat perfectiorem.

Vorstius fatetur aliquam in Deo simplicitatem, sed non quamvis, nempe non eam, quæ est ex subjecto & accidentibus; item ex natura & supposito.

Objicit. In Deo sunt variæ actiones immanentes, quæ ipsa Dei essentia vix dici possunt: ut cognoscere, velle, amare se ipsum. Resp. Hæ actiones æternæ & essentiales in Deo sunt ipsa essentia Dei actuosa. Nam essentia Dei non potest considerari ut res aliqua diversa ab hisce omnibus actibus, sed debet considerari ut omnes hos actus æternos in sua natura comprehendens. Facultates illæ sunt semper in Deo actuosæ, actu perpetuo & indesinenti: ac proinde sunt ipsa essentia divina vivens, & hisce actibus prædita.

Instat. Decreta Dei sunt in Deo, & varia sunt: essentia autem divina est unica. Resp. Varia sunt decreta in Deo, si objecta, circa quæ versantur, consideremus. Alio enim decreto statuit Deus mundum creare, alio conservare, alio hominem lapsum eligere. Sed Deus unico actu per unicum decretum statuit, quæ fieri voluit aut noluit, quæ facere decrevit, aut permittere atque ordinare.

Instat. Decreta Dei sunt libera. Essentia Dei est necessaria. Ergo essentia Dei non potest esse ipsius decretum. Resp. Hæc difficultas tanta est, ut quidam hîc malint ἐπέχειν, quàm temerè aliquid pronunciare. Certum esse, hæc esse in Deo, & ab æterno fuisse. At quomodo insint, non esse inquirendum: modo non dicantur in Deo inesse ut accidentia.

Alii huic difficultati sic occurrunt. Decretum Dei, quo res extra Deum futuræ aliquando decretæ sunt, esse quidem liberum. Deus enim potuit velle mundum creare, vel non creare, hoc modo creare, & hoc tempore, aut alio. Sed cum hoc etiam decretum æternum sit, in eo duo esse consideranda. 1. ipsam inexistentiam decreti in Deo. 2. ejusdem ad diversa objecta respectum aut relationem. Priore modo consideratum Dei decretum esse necessarium, quia est ipsa actuosa Dei essentia, quæ circa illa diversa objecta ab æterno versata est. Posteriori modo considerari hanc essentiam decernentem cum respectu vario ad res decernendas aut decretas, & in hoc vario respectu esse libertatem. Hunc verò respectum seu relationem non esse ens absolutum, sed relatum & rationis tantum; & distinctum tantum ejusdem intellectus & voluntatis divinæ considerandi modum: ut intellectus hominis aut ejus voluntas se convertens ad res practicas, non ideò induit novum accidens reale, sed novum tantùm earundem facultatum respectum. Si hoc fit in homine: Ergo multo diviniori modo id potest in Deo fieri.

At respectus ille vel est essentia, vel accidens. Si accidens, habemus aliquod in Deo acci-

 dens.

dens. Si esſentia, liber non eſt. Reſp. Datur aliquod tertium in rebus, nempe modus rei, qui eſt ens rationis, & nullam compoſitionem infert.

Obj. In Deo ſunt tres Perſonæ, ſeu eſſentiæ relativæ, & una eſſentia abſoluta. Ergò Deus non eſt merè ſimplex. Reſp. negatur antecedens: quia in Deo quidem eſt una eſſentia abſoluta, & tres relationes, ſed non eſſentiæ relativæ. Perſonæ à ſe mutuo quidem realiter differunt, ſed ab eſſentia non niſi modo aut ratione, quæ fundamentum habet in re, non in intellectu tantùm, id eſt, ratione ratiocinata, non ratiocinantis tantùm. Deinde & hæ relationes ſunt divinæ, ac proinde intellectum creatum longè excedentes. Juſtinus Martyr vocat *modos ſubſiſtendi*: Scriptura ὑποστάσεις. Præſtat hic religioſa ignorantia, quàm præſumtuoſa ſcientiæ profeſſio.

Obj. In Deo eſt gignere & gigni. Ergò res diverſæ. Reſp. in Deo eſſe res diverſas concedimus, ſed non abſolutè, verùm relatè, quæ relatio rem conſtituit & diſtinguit, non, propriè loquendo, componit. gignere autem & gigni non eſt eſſentiæ, ſed Perſonarum.

Nihil in Deo eſt, quod Deus non ſit. Sociniani ajunt: hanc non eſſe propoſitionem Prophetarum & Apoſtolorum. Atqui hæc propoſitio ex infinita perfectione divina & immutabilitate in Scriptura aſſerta deducitur. Si aliquid in Deo ſit, quod Deus non ſit, hoc certo futurum erit accidens. Igitur eſſentia non eſt ex ſe omni modo perfecta & infinita: perficitur quippe accidentibus. nec omninò immutabilis: mutabitur enim ſecundum accidentia, quibus ſubjecta eſt. quis enim prohibeat accidens auferri à ſubjecto? Atqui Scriptura docet, Deum nec variari, nec immutari in plures formas, ſive eſſentiales, ſive accidentales, poſſe. *Cœli peribunt, tu autem permanes. mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficiunt.* Pſalm. 102. adde Jacob. 1:17. παρ' ᾧ. & 1 Joh. 4: 8. 9. 10. *Deus eſt charitas.* Ita indicatur, charitatem non eſſe accidens, ſed ipſam Dei eſſentiam: non enim accidentia eo modo de ſubjectis affirmare poſſumus. non dicimus, homo eſt albedo, ſed albus. at Deus dicitur ipſa charitas.

Dei eſſentia aut eſt corporea, aut incorporea. Prius ſtatuerunt Antropomorphitæ, ob attributam in Sacris Deo formam & membra humana. Imò & Vorſtius. Sed 1. Scriptura docet, Deum eſſe *Spiritum*. Joh. 4:24. & *Spirituum Patrem*. Heb. 12:9. ubi vox *Spiritus* opponitur *Carni*. & Luc. 24:39. dicitur, quod *Spiritus* non habet *carnem* & *oſſa*. 2. omne corpus eſt viſibile. Deus autem eſt *inviſibilis*. 1 Tim. 1: 17. 6: 16. Col. 1: 15.

Deus dicitur *Spiritus*. 1. negativè, quia non eſt corpus. 2. analogicè, vel per ſimilitudinem quandam; quia in ſpiritualibus ſubſtantiis perfectiones multæ ſunt, quæ naturam divinam magis adumbrant, quàm corporeum quicquam poteſt.

Simplicitas tollit à Deo compoſitionem, & modum corporis. Gregor. Nazianzenus. ἢ γὰρ διὰ κενοῦ χωρήσει τοῦ παντὸς, ἢ τὰ πάντα διχήσεται· ἡμῖν. ἵν' ὑβρισθῇ θεὸς, καὶ σῶμα γενόμενος καὶ οὐκ ἔχων, ὅσα πεποίηκεν, ἢ σῶμα ἐν σώμασιν ἔσται, ὅπερ ἀδύνατον, &c. Eſaiæ 31: 3. *Ægyptii* אָדָם *& non* אֵל; *& equi illorum* בָּשָׂר *& non* רוּחַ. Et τὸ θεῖον non eſt ὅμοιον χρυσῷ, ἢ ἀργύρῳ, ἢ λίθῳ, χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπων. Nos ſumus γένος θεοῦ. quâ vero parte? non viſibili & materiali; ſed inviſibili, & quæ figurâ non poteſt exprimi, aut ad terminos ſubſtantiæ corporalis extendi, & in partes dividi. Actor. 17: 29. Δόξα θεοῦ *gloria*, id eſt, excellentia Dei, & ὁμοίωμα κτίσεως *ſimilitudo creaturæ* opponuntur. Rom. 1: 23. Eſ. 40: 18. *Ad quem aſſimilabitis Deum, & quam ſimilitudinem diſponetis illi.* verſ. 25. *Cui me aſſimilabitis* וְאֶשְׁוֶה *inquit Sanctus.*

Hominis membra in Scriptura Deo tribuuntur. *Caput.* Dan. 7: 9. *Facies* ſeu vultus. Pſ. 27: 8. *quærite faciem meam.* Exod. 33: 20. Eſ. 63: 9. מַלְאַךְ פָּנָיו. *Oculi.* 2 Chron. 16: 9.

I *Jehova,*

Jehova, Oculi ejus מְשֹׁטְטוֹת *in tota terra. Palpebræ.* Psalm. 11:4. עַפְעַפָּיו יִבְחֲנוּ בְּנֵי אָדָם *Pupilla.* Deuter. 32:10. *Servat illum* כְּאִישׁוֹן עֵינוֹ. *Os.* Jos. 9:14. וְאֶת־פִּי יְהוָה לֹא שָׁאָלוּ. Jer. 9:19. *Accipiat auris vestra* דְּבַר פִּיו *verbum oris ejus,* Jehovæ. *Aures.* Psal. 130:2. *Nasus.* Esa. 65:5. *Illi fumus* בְּאַפִּי. *Nares.* Gen. 8:21. *Et odoratus est Dominus* אֶת־רֵיחַ הַנִּיחֹחַ. *Cervix.* Jerem. 18:17. עֹרֶף וְלֹא פָנִים אַרְאֵם בְּיוֹם אֵידָם. *Manus.* Num. 11:23. הֲיַד יְהוָה תִּקְצָר. *Brachium.* Es. 53:1. *Digitus.* Exod. 8:15. *Cor.* Genes. 6:6. וַיִּתְעַצֵּב אֶל־לִבּוֹ. Jerem. 19:5. *Viscera.* Es. 63:15. הֲמוֹן מֵעֶיךָ *Pedes.* Exod. 24:10. תַּחַת רַגְלָיו Psal. 110:1. *Posteriora.* Exod. 33:23. *Et videbis* אֶת־אֲחֹרָי.

Etiam *sensus humani* Deo attribuuntur, *recordatio, visus, auditus, odoratus*: & affectus, *lætitia, dolor, ira, zelus, odium, pœnitentia.*

Hæc omnia notant ἀναλόγως Dei perfectionem: quæ per se ipsam præstare eminentissimâ ratione potest, quicquid per membra ista homini perfectionis accedit.

Objectio. 1. *Qui ad sui similitudinem fecit creaturam corpoream, hominem nimirum, is est corporeus.* 2. *Palpabilis est.* Actor. 17:27. 3. *Vocabulum,* corpus *in Scriptura notat solidam cujusque rei substantiam.* Colos. 1:9. *In Christo habitat omnis plenitudo Dei* σωματικῶς. Resp. σωματικῶς est οὐσιωδῶς. 4. *Etiam Spiritus est corpus.* Joh. 3:8.

Simplicitas est proprietas Dei, quâ essentia divina omnis est expers compositionis realis.

Varii traduntur apud Philosophos modi *compositionis realis*; qua è pluribus realiter diversis fit unum. 1. è *materia & forma.* ut in homine, qui constat ex anima & corpore. 2. ex *subjecto & accidente.* ut in pariete albo, in homine docto, &c. 3. ex *actu & potentia.* ut in omni creatura, quæ potest fieri, quod non est, & desinere esse. 4. ex *genere & differentia* propriè sic dictis. ut quando naturæ genericæ addita differentia eam restringit ad certam speciem 5. ex *esse & essentia.* ut quando res dicitur esse per essentiam suam. quæ omnium subtilissima est distinctio. In Spiritus intelligentes omnes hæ species compositionum cadunt, exceptâ primâ.

Sociniani docent, *attributa Dei alia esse essentialia, alia non-essentialia.* ut quando Deus „ dicitur judex vel vindex scelerum &c. Posterioris generis attributa negant idem esse cum „ essentia Dei; eò quod Deus sine iis esse possit. Si enim nulla essent scelera, quæ esse nulla „ possunt, judex & vindex scelerum non esset. Sic & creatorem esse, attributum est, quod „ idem cum Deo non est, quia Deus esset, si maximè creator non esset. potuisset enim mundum non creare. Resp. In attributis divinis, quæ dicuntur *non-essentialia,* sunt distinguendæ, 1. ipsum *principium agendi* formale, quo Deus judicat, vindicat, creat, id quod propriè habet attributi divini rationem, & idem est cum divina essentia; diciturque attributum essentiale; nempe, justitia, sapientia, potentia. 2. *terminatio principii* illius, vel *applicatio ad objectum,* quod judicatur, creatur, &c. 3. *relatio,* quæ oritur ex applicatione inter causam & effectum. Hæc duo non sunt proprie attributa: sed per extrinsecam tantùm à rebus creatis denominationem Deo competunt; neque in Deo, sed in creaturis sunt.

Objectio. 1. *Ex Deo sunt omnia.* Rom. 11:36. 1 Cor. 8:6. Ergò Deus ingreditur omnium rerum compositionem. Ratio. Præpositio *Ex* est nota causæ materialis. Resp. *Ex* notat *causam efficientem.* Matth. 1:20. 2. *Animæ humanæ* sunt divinæ auræ particulæ.

Argumenta Socinianorum contra Dei *Simplicitatem,* illam nim. non esse proprietatem Dei essentialem; neque etiam doceri in Scriptura.

1. De Simplicitate Dei ne jota quidem occurrit in Scriptura. Ergò non est Dei proprietas, nec docetur in Scriptura. 2. Simplicitas non est creditu necessaria. Ergo non est proprietas Dei essentialis. 3. Omnimoda Dei Simplicitas nec ad unitatem essentiæ divinæ, nec ad Trinitatem personarum cognoscendam necessaria est.

Per

Per hanc absolutam essentiæ divinæ simplicitatem essentia divina non admittit idiomata propriè dicta. Masson. Part. 1. pag. 1. 644. &c.

Si fundamentum relationis spectemus, ut vis *creatrix, conservatrix, regnatrix*, id æternum est; & ad absoluta Dei attributa refertur. Sed si *formalis relatio* spectetur, illa in tempore accessit. Deus enim non fuit actualis creator, nisi cum res crearetur.

Hæc relatio respectu Dei non est realis, sed tantùm respectu creaturæ. Creaturæ enim aliquid reale accedit, non Deo, sed tantùm conceptus aliquis notionalis. Augustinus affert simile *nummi*; cum sit pignus, nihil reale accedit nummo, sed homini, qui illum accipit. Thomas *columnæ*, quæ mihi dextra est, cum me ad eam ea parte converto: nil tamen reale idcircò columnæ accedit, sed homini soli, qui se ad eam hoc aut illo modo convertit, mutatio accedit.

Alia nomina *abstractè* de Deo enunciantur, ut *veritas, justitia, vita, lux*; alia *concretè*, ut *justus, sapiens, verax, vivens*. Per abstracta notatur *simplicitas* & *perfectio*; per concreta, eorum *actualis* in Deo *existentia*. Nam in creaturis abstracta non subsistunt, sed cum intentionis & remissionis gradu. Utrobique quod perfectionis est, hoc modo in Deo indicatur.

Divinæ proprietates sunt 1. absolutè incommunicabiles. 2. communicabiles secundùm quid, hoc est, quarum similes à Deo in creaturis creatæ sunt. Neutræ tamen, si absolutè considerentur, & quatenus in Deo sunt, creaturis possunt communicari.

Ariani male vim res omnes creandi meræ creaturæ posse communicari, & Filio Dei, ut meræ, secundùm illos, creaturæ, communicatam esse statuerunt.

Ubiquitarii proprietates divinas, Omnipotentiam, Omniscientiam, Vim vivificandi, Ubiquitatem humanæ Christi naturæ illiusque corpori realiter communicatam contendunt.

Deus secundùm essentiam est ens infinitè perfectum & simplicissimum. Inter attributa ejus primum est *Vivere*. Vivit Deus, imò est ipsa vita.

Res omnes quæ in mundo sunt, aut animatæ aut inanimatæ sunt. his illæ præstant. *Vita* igitur de Deo debet enunciari. Si enim æternus est, *vivit*. Æternitas enim quid est, nisi interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio? Scriptura dicit *Deum viventem*, Genes. 16: 14. *Cum illo* מְקוֹר חַיִּים Psalm. 36: 10. ἡ ζωὴ αἰώνιος. 1 Joh. 5: 20.

Vivit Deus, vivunt Angeli, homines, animalia, plantæ, germina, aquæ. vivam etiam sydera emittunt lucem. Hinc dicimus, vivum flumen, aqua viva, saxum vivum, cespes vivus, viva sepes, vivæ lucernæ. Sed ut hæc viventia differunt inter se, ita & vita illorum. Plantæ & inanimata vita gaudent vegetativa: animalia animali: homines animali & rationali seu intellectuali: Angeli intellectuali tantùm. Vita autem intellectualis illa demum vera & perfecta est, quæ agnitione & amore veritatis instructa est. tali vita Adamus integer gavisus est, tali gaudent Angeli, qui perstiterunt. Omnis vita, quæ hac luce caret, non meretur vita, sed viva mors dici.

Dei autem vita infinito excellentior est. æterna, initio carens & fine, beatissima, sanctissima, gloriosissima, infinita, omnipotens, simplicissima, perfectissima. חַי עָלְמָא Dan. 4: 31. אֵל חָי Psalm. 42: 3. ὁ θεὸς ὁ ζῶν. 1 Thess. 1: 9. 1 Tim. 3: 15. 6: 17. Hebr. 3: 12. Act. 14: 15. Deut. 32: 40. Psalm. 84: 23. Jerem. 5: 2.

Igitur Deus haud dicendus est vivere vitam plantarum aut animantium. hæc enim vegetativa est & sensitiva; adeoque corporea. Deus verò Spiritus est. Dein vita formarum intelligentium est nobilissima. Igitur Deo per analogiam vitam tribuimus intelligentem.

Deus dicitur *vivens*. 1. quia ex se ipso operatur, non motus ab alio. 2. quia actio vitalis Dei est ipsius essentia. 3. quia est fons aliis viventibus omnis entitatis & operationis vitalis. Actor. 17: 25. 28.

Dici-

Dicitur *vivere se ipso.* quoniam à nullo ulla ex parte accipit aut esse aut vivere.

Deus vivit vita *intellectuali*, qua 1. novit, 2. vult, 3. potest, omnia.

Deus se ipso *intelligit* & *novit* omnia.

Esse in Deo intelligentiam, *ordo* rerum sapientissimus, qui à natura bruta esse non potest, ostendit. *Simplicitas* Dei, qua scimus esse actum purum, simplicissimum, remotum ab omni materia, Deum esse intelligentem clamat. quo magis enim formæ sunt immateriales, eo magis sunt intelligentes. Scriptura Deum *sapientem*, *scientem*, *fontem sapientiæ* vocat. Rom. 16: 27. *μόνῳ σοφῷ Θεῷ.* 1 Sam. 2: 3. אֵל דֵּעוֹת יְהוָה. adde Rom. 11:33. *Ὦ βάθος σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ.*

Hæc Dei *scientia* non est *qualitas*, sed ipsa Dei *essentia*, una in se, & indivisibilis.

Duplex tamen illius statui debet modus, infirmitatis nostræ levandæ causâ: 1. quo Deus habet sui æqualem notitiam, scit adæquatè, quod est; & est, quod scit esse se. novit se ipsum, per se ipsum. 1 Cor. 2: vers. 11. Τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. 2. quo uno actu, non successivè; æternum, non in tempore; per essentiam suam, non per receptionem specierum intelligibilium; immutabiliter, non contingenter, quæ sunt, & quæ adhuc non sunt, sed futura sunt, scit *scientiâ visionis*, id est, videt tanquam sibi præsentia. Novit etiam, quæ non sunt, nec futura sunt. quatenus scit, quæcunque ipse facere potest; & quæ à creaturis ipsius permissu fieri possunt. Omnia bona *γνωστῶς*, & *πρακτικῶς*. Omnia mala, quæ à creaturis fiunt, *γνωστῶς* tantùm. Ordinem tam bonorum, quàm malorum ad bonum finem, *ἐνεργητικῶς*.

Deum cognoscere tam bona, quàm mala, patet, quia est universale principium omnis ortus & actus, quâ bonus est. Dominus universitatis, in qua si verè Dominus est, nil fit ipso inscio. Prov. 15: 3. *In omni loco oculi Domini*, צֹפוֹת רָעִים וְטוֹבִים. Hebr. 4: ỷ. 13. *πάντα γυμνά.*

Scientia Dei igitur 1. omne ac totum *γνωστὸν*, (id quod sciri potest) 2. uno infinito & simplici intelligentiæ actu, comprehendit perfectissimè.

1. Objectum scientiæ Dei est *γνωστὸν*, *omne* & *totum*. *Omne*, quia *Deum*. Matth. 11: vers. 27. 1 Cor. 2: 10. 11. & reliqua præter ipsum complectitur. 1 Joh. 3: vers. 20. Deus *γινώσκει πάντα*. Psalm. 139: 11. 12. חֹשֶׁךְ לֹא־יַחְשִׁיךְ מִמֶּךָּ & *nox ut dies* יָאִיר כַּחֲשֵׁיכָה כָּאוֹרָה Jerem. 16: 17. *Oculi mei super omnes vias illorum. non* נִסְתְּרוּ *à facie mea, & non* נִצְפַּן עֲוֹנָם מִנֶּגֶד עֵינָי: Matth. 10: 29. 30. *οὐχὶ δύο στρουθία*, &c. *αἱ τρίχες πᾶσαι*. *Totum*. quia non partim, sed penitissimè, & se ipsum; & res omnes, omnibus cum suis circumstantiis, pernoscit. Unde *Omniscientia* dicitur.

Sub hoc objecto continentur. 1. præterita. 2. præsentia. 3. futura. Es. 46: 9. 10. *Recordamini priorum à seculo. Nam ego Deus.* מַגִּיד מֵרֵאשִׁית אַחֲרִית וּמִקֶּדֶם אֲשֶׁר לֹא־נַעֲשׂוּ 4. omnia possibilia, & futura ex hypothesi seu qua posita conditione, quidnam esset eventurum, non solum necessarium ex causa necessaria, sed etiam contingens ex causa contingente. 1 Sam. 23: 12. *An tradent me cives Keilah in manum Saul? & dixit Dominus, tradent. An descendet Saul? & dixit Jehovah,* יֵרֵד. Matth. 11: 21. *Væ Chorazin & Bethsaidah. Si in Tyro & Sidone factæ essent δυνάμεις factæ in te, dudum in sacco & cinere resipiscerent.* Hæc omnia Deus infinito essentiæ suæ lumine complectitur.

2. Modus verò sciendi adjunctus est omnis ac totius rei cognitæ, uno actu, non finito, nec composito, sed infinito ac simplici comprehensio. Adeò ut à se per suam essentiam, omnia, omninò, & simul, oculi instar, perfectissimè cognoscat. Unde *prima veritas* & *sapientia*, ob suam excellentiam, dici solet. Act. 15: 18. *Nota sunt Deo ab æterno opera sua.* Job. cap. 28: vers. 24. כִּי־הוּא לִקְצוֹת הָאָרֶץ יַבִּיט תַּחַת כָּל־הַשָּׁמַיִם יִרְאֶה. Jerem. cap. 17: vers. 10.

M חוֹקֵר

חֹקֵר לֵב בֹּחֵן כְּלָיוֹת. Psalm. 139:2. *nosti* לְרֵעִי *è longinquo.* Psalm. 147:5. *intelligentiæ illius non est numerus.* Nulla creaturæ acies, à se, neque omnia, neque omninò, neque simul comprehendit.

Scientia in Deo est, qua & se ipsum novit in se ipso; & extra se universa & singula per se ipsum, actu individuo & immutabili. Se ipsum novit actu infinito & perfectissimo, infinitus, infinitum se comprehendens infinitè. Nec tamen, dum intelligendo sese comprehendit, alius est intellectus Dei, quo comprehendit, alius ipse, quem comprehendit. nam esse, intelligere, comprehendere, reciprocantur.

Novit quoque extra se universa & singula in communi & distincta cognitione, materiæ, formæ, & utriusque accidentium bonorum & malorum. Verùm per se ipsum bona quidem novit, mala per bonum oppositum. Novit tamen & se ipsum & alia actu individuo; quatenus uno intelligentiæ actu, totoque simul intuitu, universam rerum distantiam, vel localem vel temporalem complectitur, omnia simul & semper possidens, quæ apud nos temporibus evolvuntur. Atque individua hæc & præsens Dei scientia in Deo immutabilis est tam contingentium, quàm necessariorum; contingentibus imponens sortem contingentiæ; & necessariis legem necessitatis.

Intellectus Dei est 1. simplex, sine omni compositione, discursu, aut repræsentatione specierum. 2. immutabilis. non aliter, neque magis unam rem novit, quàm aliam, neque magis antea, quàm nunc, aut nunc, quàm antè. 3 æternus. non incipit, neque desinit. 4. infinitus. quia omnes omnium rerum veritates ac rationes percipit. Job. 11:8.9. *sapientia Dei est altior cœlis, longior terris, latior mari.*

Igitur Deus nihil ignorat, discit. non proficit, fallitur, opinatur, obliviscitur, reminiscitur.

Imò ne *præscit* quidem propriè. Psalm. 90:4. *Nam mille dies in oculis tuis, ut dies hesternus,* כִּי יַעֲבֹר. confer 2 Petr. 3:8. Es. 40:14. אֶת־מִי נוֹעָץ וַיְבִינֵהוּ.

Respectu tamen rerum futurarum *præscire*, præteritarum *meminisse*, præsentium *scire* verè dicitur. non successivè unum post alterum, aut unum ex altero intelligit & videt.

Deus cognoscit omnia per essentiam suam, non per species abstractas à rebus, seu per species rerum intelligibiles ab essentia sua distinctas. Sunt autem illæ *imagines*, à speciebus sensibilibus in sensus externos, & ab his ad internos delatis, quasi abstractæ & defæcatæ, indeque ad intellectum translatæ, per quas intelliguntur res, veluti per radios imagines ab objectis visibilibus in oculos emissos videntur. 1. quia scientia Dei æterna est. species autem abstractæ rerum creatarum non sunt æternæ, ut nec res ipsæ. 2. Dei scientia causam haberet extra se. atqui ipse est rerum omnium causa, & ordinavit res ab æterno, antequam essent. 3. Deus est actus purissimus. Ergo ad species extrinsecus recipiendas non est in potentia. 4. Deus se ipsum perfectissimè novit. Ergo etiam res omnes, quæ ejus potentiæ sunt subjectæ, in se quoque novit.

Peccatum novit Deus tanquam ens privativum, & recedens ab ipsius sanctitate & puritate. Non ergo per speciem mali à malo abstractam, sed per contrariam speciem boni.

Res omnes *generales*, h. e. naturas genericas, quales sunt, Angelus, homo, brutum, planta, lapis, corpus, &c. à Deo sciri ac cognosci, ipse fatetur Averroës: sed *singularia* omnia exactè à Deo sciri dubitat. veluti hic Angelus, hic homo, hæc planta. At 1. apertè id dicitur Heb. 4:13. καὶ οὐκ ἔστι κτίσις &c. Mat. 10:29.30. οὐχὶ δύο στρουθία &c. omnes *capilli*. Quid verò magis est singulare? adde Luc. 21:18. & Ps. 139:2. *Tu nosti* שִׁבְתִּי וְקוּמִי. *intelligis cogitationem meam* מֵרָחוֹק; 2. Deus creavit singularia, ea curat & judicat ac gubernat. Ergo novit. Amavit Jacobum, odit Esavum, excitavit Pharaonem. Rom. 9:13.17. separavit Paulum ex utero matris. Gal. 1:15. etiam Jeremiam. Jer. 1:5. adde Ps. 147:4. *Numerat numerum stellarum, omnibus*

bus illis nomina vocat. Psal. 56: 9. נֹדִי *numerasti: pone lacrimam meam in utre tuo. an non in numeratione tua?* Argumenta Averrois. 1. singularia sunt materiata. 2. non sunt semper. 3. sunt infinita. 4. Dei cognitione indigna. 5. sunt etiam mala.

Sociniani & Vorstiani dubitant, an certò Deus præsciat res futuras contingentes, inprimis eas actiones & eventa, quæ pendent à libero hominum arbitrio? Sed 1. Deut. 19: 15. Si lignator foras prodeat, & inter secandum securis fugiat è manu ejus, & occidat transeuntem, Dominus dicitur *eum tradidisse in manum ejus.* Prov. 16: 33. *In gremium projicitur sors,* וּמֵיְהוָה כָּל־מִשְׁפָּטוֹ. Matth. 10: 29. *non cadit passer in terram:* Hæc de contingentibus, quæ non pendent ab hominis voluntate. 2. de iis, quæ pendent ex hominum voluntate & arbitrio, vide 1 Reg. 8: 39. *Nam tu nosti solus tu cor omnium filiorum hominis.* Ps. 7: 10. *Et scrutans corda & renes* Deus. Prov. 24: 12. הֲלֹא תֹכֵן לִבּוֹת הוּא־יָבִין. Inde καρδιογνώστης. Dices hæc dici de præsentibus cogitationibus, non de futuris. Psalm. 139: 2. dicitur, *Tu nosti cogitationes meas è longinquo.* & vers. 4. כִּי אֵין מִלָּה בִּלְשׁוֹנִי *ecce tu Domine,* יָדַעְתָּ כֻלָּהּ. Es. 48: 8. כִּי יָדַעְתִּי בָּגוֹד תִּבְגּוֹד. 3. Deus se passim discernit à Diis, & creaturis, attribuens sibi *facultatem* prædicendi futura contingentia. Es. 41: 23. *Indicate* הָאֹתִיּוֹת לְאָחוֹר *eventura in posterum. Et cognoscemus, quod Deus vos.* Es. 45: 11. הָאֹתִיּוֹת שְׁאָלוּנִי *quæ ventura sunt, rogate me.* עַל־בָּנַי וְעַל־פֹּעַל יָדַי תְּצַוֻּנִי. Joh. 14: vers. 29. καὶ νῦν εἴρηκα ὑμῖν πρὶν γενέσθαι. ἵνα ὅταν γένηται, πιστεύσητε. Prædixerat autem Christus passionem suam, quæ interventu etiam voluntatum humanarum contigit. Satan etiam ex causis præsentibus & conjecturis aliqua nonnunquam prædixit. 4. In Sacris extant multæ speciales prædictiones, quarum eventa quoque spectabant humanas voluntates & earum actiones. Quales fuerunt de vocatione & obedientia gentium ad Christi obedientiam. Gen. 9: 28. & 49: 10. Deut. 32: 21. de induratione cordis Pharaonis & servorum ejus, ne dimitterent Israëlem. Exod. 3: 19. 20. de liberatione Judæorum per Cyrum ex captivitate Babylonica. Es. 43: 3. 45: 1-8. de Josia mactaturo Prophetas Baalis in Altari Jeroboami. 1 Reg. 13: 2. de prædictionibus Danielis. cap. 9. & 11. de eversione Hierosolymæ per Romanos. Matth. 24: 2. Luc. 19: 43. 44. de propagatione Euangelii per totum orbem. Matth. 28: 18. 19. Act. 1. de exortu Anti-Christi, 2 Thess. 2: 3. 4. & variarum hæresium. 1 Tim. 4: 1. qualibus Apocalypsis abundat. Hæc omnia & similia per voluntates humanas debebant contingere.

Cicero præscientiam Dei cum libertate voluntatis non posse conciliari putavit. vide Aug. lib. 5. de 6. Civ. Dei, cap. 9. Ita etiamnum Sociniani negant, cum infallibili præscientia Dei posse consistere rerum contingentiam & arbitrii libertatem.

Intellectus Dei est idem cum *scientia* & *sapientia* divina. estque illa Dei proprietas, qua 1. se ipsum novit in se ipso. 2. extra se omnia (α) necessaria (β) contingentia (γ) præterita (δ) futura. (ε) cogitata. (ζ) prolata. (η) bona (θ) mala. (ι) etiam ea, quæ non sunt futura. & quidem absque ullo errore, verissimè & infallibiliter omnia.

In Deo *intellectus*, *scientia*, *cognitio* sunt unum omnia; & nostro tantùm concipiendi modo distinguuntur. Deus actu omnia semper intelligit, non per facultatem, aut habitum, sed per essentiam suam, quæ ipsi est omnia: idque actu æterno, uno, indivisibili, immutabili; adeoque uno intuitu, uno intelligendi actu. Nam 1. Simplicissimus & infinitus est actus. 2. In illo nulla est successio prioris & posterioris. 3. Perfectissima in illo est intelligendi vis. 4. Dei intelligentis actio & scientia est ipsa Dei essentia intelligens. 5. Deus uno actu totam suam essentiam intelligit & comprehendit. 6. Sol omnia illuminabilia uno actu simul illuminat. August. de Trinit. libr. 15. cap. 7. *Deus unâ æternâ & immutabili atque ineffabili visione complectitur cuncta, quæ novit.*

7. Si Deus omnia simul non cognoscit, vel non potest, vel non vult. Falsum prius. intellectus enim ejus est infinitus. Imo & posterius. quia nollet esse Deus, si omnia simul intelligere nollet. Hæc enim solius Dei est prærogativa.

Obj. 1. Omnia divinæ objecta scientiæ simul non existere; alia præteriisse, alia esse, alia instare. ergò nec simul & uno actu cognosci possunt. non entium enim nulla sunt accidentia.

2. Si uno actu Deus intelligit omnia, utique affirmatio & negatio, veritas & falsitas idem erunt. unitas enim actus arguit objecti unitatem, circa quod occupatur actus.

Præscientia omnium futurorum, qualiacunque tandem sint, probatur ex Dei attributis 1. ex *omniscientia.* 2. ex *omnipræsentia* efficacissima. 3. ex *absoluta independentia.* Omnia etiam futura dependent ab illo. 4. ex *æternitate*. hæc coëxistit omnibus temporum differentiis, & omnia sibi habet præsentia. Ergo & futura. 5. ex *perfectione* Dei summa. Atqui futura quædam contingentia etiam Angeli & homines præsciunt. Quidni ergo Deus omnia?

Objicit Socinus. Deum *facti pœnitet.* Gen. 6: 5. 6. cognoscit experimento *obedientiam Abrahami.* Gen. 22: 12. exspectat aliquid, & spe sua excidit. Es. 5: 4. 7. Ergò futura omnia certo non præscit. Quem enim fecisse aliquid pœnitet, is eventum ejus non prævidit. aliàs non fecisset. Qui experimento aliquid cognoscit, is ante non cognovit. Qui exspectat futurum, quod non fit, nescivit non futurum.

Deus etiam *mala & peccata* nosse dicitur, Psalm. 69: 6. *Tu nosti stultitiam meam & reatus mei non celati sunt tibi.* Psalm. 90: 7. *Posuisti pravitates nostras* לְנֶגְדֶּךָ: *abscondita nostra* עֲלֻמֵנוּ *luci faciei tuæ.* Cognoscit autem *malum* per oppositum *bonum*, cujus privatio malum est. Sic privationem nos quoque intelligimus per oppositam formam, cujus est privatio. Unde solutio. *Non ens non cognoscitur. Malum est non ens. Ergò.* Resp. Non cognoscitur per se, per propriam speciem; sed cognoscitur per ens, cujus est privatio vel negatio. Porro dicunt. *Mundi sunt oculi Dei, præ videre malum*, Habac. 1: 11. Resp. hoc intelligendum de scientia seu cognitione seu visione *approbationis*, quæ cum decreto voluntatis non conjuncta, de qua accipiendum illud Christi, Matth. 25: 12. *Non novi vos.* Non verò de *cognitione* solius *intelligentiæ*, vel visione per se.

Scientia Dei, qua novit Deus ea etiam quæ fieri possunt, etiamsi nunquam futura sunt, dicitur *scientia simplicis intelligentiæ.* Qua verò novit, quæ futura sunt, *scientia visionis.*

Jesuitæ confinxerunt *tertiam* scientiæ speciem, quam dicunt *conditionatam* seu *medium*, qua Deus dicitur prævidere, ad hanc vel illam conditionem hoc vel illud secuturum, etiamsi illud ipse non decreverit. Excogitata est 1. ad *arbitrii libertatem* conciliandam cum infallibilitate præscientiæ & prædestinationis divinæ. 2. ad stabiliendum dogma Pelagianum, de libero arbitrio ad gratiam se determinante, non determinanto. Vide contra hoc figmentum Maccov. in Vol. Theol. Thes. p. 1. Disp. 23. Twissus integrum volumen de hac scientia scripsit.

Contra scientiam hanc mediam facit.

1. Scientiæ hujus causam de Deo Scriptura negat. nam illius fundamentum est *decretum Dei conditionatum*, hoc est, suspensum à conditione per arbitrium liberum, sine ulla Dei determinatione implendum. cujusmodi nullum est Dei decretum. Ergò falsa & ficta est hæc scientia.

2. Scientiæ hujus nullum est *objectum.* nam omnes humanæ voluntatis actus subjecti sunt providentiæ & ordinationi divinæ. Ergo nulla est.

3. Scien-

3. Scientia media nullam præsupponit certitudinem existentiæ. Divina igitur non est. Nam suspensa est à conditione, non per certam Dei, sed per incertam hominis voluntatem, implendâ.

4. Scientia hæc est possibilium non futurorum vel futurorum. Ergo non differt à scientia *simplicis intelligentiæ* & *visionis*. quia illa est non futurorum, hæc futurorum. Si verò fingatur Deus nescire futura, vel non futura, propter incertitudinem conditionis, à qua suspensa esse dicuntur, planè ignominiosa est hæc Deo scientia, vel inscitia potius.

5. Scientia hæc media fingitur pendere non à voluntate divina, sed ab objecto præcipuè. Ergo repugnat perfectioni & simplici independentiæ.

Scientia hæc *media* à Ludovico Molina ejusque sequacibus inculcata est. Illâ dicitur Deus nosse, quid ex hypothesi facturus sit homo sive boni sive mali, si in certa conditione ponatur. Atqui *conditio*, in qua homo ponitur, non est causa, cur sequatur factum hominis, quem volunt in suis actionibus esse indifferentem. Ergo nec ut factum ejus præsciatur.

Illa vox *scientia media* est potius abnegatio scientiæ, quàm ejus demonstratio. Nisi dicas, *fatali lege* operationes causarum secundarum esse conditionibus consertas; cujus fati conscius Deus præsciat futura, sine consilio suo, ut Jupiter Homericus μοίρας trutinans.

6. Opinio hæc facit hominem & creaturam intelligentem in actionibus suis independentem à Deo.

Objiciunt 1.° 1 Sam. 23: 10. 11. 12. David rogat. *An tradent cives Keilæ me & viros meos in manum Sauli? & dixit Dominus. Tradent.* Concludunt. Ergo prævidit Deus, quid futurum esset, nisi David aufugisset, etiamsi Deus hoc non decreverat. quæ ratio est scientiæ mediæ. Resp. Prævidit Deus, non quid futurum esset sine præcedente suo decreto. quod nimirum traditurі essent Kehilitæ Davidem, quamvis traditionem illam ipse non decrevisset: sed animum duntaxat *Kehilitarum* erga Saulum & Davidem, qualis in se & per se tum erat. Nota, nihil potuisse vel actu ausuros fuisse *Kehilitas* in Davidem sine voluntate Dei ad minimum permittente, eâque non extemporanea & nova, sed æterna. Ergo negatur *consequentia* argumenti. Brevius Coccejus. Id quod de Keilæis responsum est Davidi, consequi è divino decreto & ordinatione.

2. Matth. 11:21. *Si in Tyro & Sidone exstitissent δυνάμεις factæ in vobis, olim in sacco & cinere resipuissent.* Concludunt. Scientia Dei in hoc actu fuit media. Non enim decrevit Dei Filius Tyri & Sidonis pœnitentiam, quam etiam non egerunt. attamen acturi fuissent, si externa ista ipsis media obtigissent. Resp. Negatur *consequentia*. Scivit per scientiam simplicis intelligentiæ *Tyrios* &c. non acturos pœnitentiam; & ideò scivit, quia illius gratiam conferre illis non decrevit. Interim fuisse acturi dicuntur, positis in illis δυνάμεσι, quæ in Χοραζίν. non quod converti ad Deum quisquam possit sine Dei Spiritu, & absque decreto; sed ut significetur, *Chorazæorum* &c. majorem fuisse obstinationem, quam *Tyriorum* &c. ita quidem, ut, si per sola externa media converti peccator posset, potius *Tyrii* per ea conversi fuissent, quàm *Chorazæi*. Solent inter se comparari res duæ impossibiles, dicique, futuram unam potius, quàm alteram; ut indigitetur unius præ altero major impossibilitas.

Coccejus. Locus hic docet, quid Deum circa Tyrum & Sidonem operati deceat, si cum œconomia temporum id conveniat. Pronunciantur futura sub conditione; sed futuritionem

nem conditionatam, sive veritatem verbi conditionati de futura re videt Deus in sua decentia aut in sua ordinatione. Ita omnibus promiscuè salus promittitur, si in fide stent stabiles & radicati: quia decet Deum, eos, qui credunt in Filium, salvare. Quia gentibus Deus ordinaverat vocationem ad fidem, declarat, Tyrios (si apud ipsos δυνάμεις ἐγένοντο, adeoque hora τῆς ἐπισκοπῆς illorum venisset) pœnitentiam acturos per Dei gratiam. Eam veritatem videt non dubiè aut medio modo, sed certissimè & præsentissimè.

3. Si Deus non præscit nisi è decreto suo futura, sequitur, omnia esse necessaria, nil contingens. Ad hoc absurdum declinandum necessariò dabitur *scientia media*. Quæ enim fiunt ex immutabili decreto Dei, sunt necessaria & immutabilia. Resp. Præscientia Dei non fundatur in eo, quod futura coëxistunt æternitati. Non enim coëxistentia temporis, aut partium temporis, aut rerum in tempore cum æternitate facit existentiam rei temporalis æternam, ut possit ea existentia esse ratio & causa æternæ scientiæ in Deo. Neque fundatur aut nititur Dei infinitate. Ut enim non propterea, quod Deus infinitus est, res futura est; ita nec propterea, quod Deus infinitus est, præscitur, ut futura. Neque Deus præscit per conjecturam; sed ideò præscit, quia quicquid futurum est, Dei quasi opus est. Act. 15:18. *Deo ab ævo cognita sunt omnia opera ejus*. Adeò ut & peccatum prævidetit. Licet decretum Dei sit immutabile; tamen contingentibus manet sors contingentiæ; necessariis lex necessitatis. Deo tam est facile per causas medias, contingentes & liberas immutabiliter aliquid procurare, quàm per necessarias.

4. Deus præscit etiam futura mala, sed non ex decreto. esset enim causa mali & auctor. Ergo per scientiam mediam. Resp. Mali, quatenus est malum, causa non est Dei decretum. Attamen esse & fieri malum non posset, nisi fieri id Deus permitteret.

Contingentia & futura nosse Deus dicitur trifariam. 1. *In seipso*, ut causa prima. quomodo *necessaria* vocantur ob certitudinem eventus. 2. *In causis secundis*. quomodo propriè sunt contingentia. 3. *In ipsissimet rebus actu existentibus*. quomodo sunt necessaria. quia quicquid est, eo ipso quo est, necesse est esse, cum idem simul esse & non esse haud possit.

Quæstio. *An Scientia Dei sit causa rerum*? (Ita dixit Thomas, sed eo sensu, ut est conjuncta cum voluntate. Summæ 1. parte. quæst. 14. art. 8.) vel, *An res sint causa scientiæ divinæ*? Resp. Nec scientia Dei, quatenus est scientia, & sub formali ratione scientiæ à nobis concipitur, per se est causa rerum: nec res sunt causæ ipsius scientiæ divinæ. Res enim sunt, vel futuræ sunt, per voluntatem Dei. Nihil esse potest, nisi faciente vel permittente Deo. Actualem rerum existentiam antecedit æternum faciendi vel permittendi decretum. Voluntas sine cognitione & scientia nunquam est. Creaturæ rationales futura sua præsciunt effecta, quia producere ea decreverunt. quamvis sine cognitione non decernant. Quæ sunt futura, ab æterno per Dei voluntatem sunt decreta. Novit Deus opera sua ab æterno, quia facere ea decrevit ab æterno.

Objicitur. 1. Rom. 8:29. *Praecognitio* statuitur causa προορισμοῦ. Jerem. 1:15. *Antequam te formarem in utero, cognovi te*. Ergo præscientia Dei est causa rerum futurarum. 2. Scientia Dei realiter à voluntate Dei non differt. Ergo non minus est causa rerum, quam voluntas. 3. Augustinus libr. 5. de Trinit. c. 13. ait: *Deum non ideò scire res omnes, quia sunt, sed ideo esse res, quia Deus eas scit*. Sed & idem August. Enchirid. cap. 95. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo*. & libr. 3. de Trinit. cap. 4. *Nihil fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiore invisibili atque intelligibili aulâ summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur*.

Si

Si scientia Dei causa rerum esset, jam scientia *simplicis intelligentiæ*, quâ Deus intelligit & novit ea omnia, quæ fieri possunt, licet futura nunquam sint, etiam esset causa, ut omnes hæ res fierent. & ita existere debuissent res, quas Deus existere nunquam voluit.

Postquam egimus de Dei intellectu & notitia, jam nunc etiam agamus de Dei *voluntate*.

Secundum in Dei vita est *voluntas*. Est enim Deus volens, imò *amor*. Hic spectatur ejus vel *beatitudo* vel *bonitas*.

Beatitudo. 1. quatenus se ipsum, suasque πλειότητας, & ἀρετὰς, & αὐτάρκειαν *sufficientiam* amat. 2. quatenus in operibus suis unicè delectatur. Quum necessarium est, Deum esse, & intelligere, tam necessarium est, ut velit, & amet, quod est necessarium esse; adeòque se ipsum. Sine eo nec Deus esset. Hinc audit ὁ μακάριος, *beatus*. 1 Tim. 6: 15. ἣν καιροῖς ἰδίοις δείξει ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάστης. confer 1 Tim. 1: 11. *secundùm Euangelium gloriæ* τοῦ μακαρίου θεοῦ.

Bonitas. quòd aliquid præter se esse vult ad gloriam suam. Hæc libera est. Deus enim nullo indiget. sed πρέπει θεῷ, ut πλουσίῳ & παντοδυνάμῳ. Necessum est, Deum cum creatura facta בְּצַלְמוֹ ita agere, ut se non abneget. tamen haut necesse est, ut ei ostendat omnes suas divitias, & eas effundat plenissimâ mensurâ, ubicunque potest. Decuit enim Deum in opere ποικιλότης.

Velle de Deo, quum refertur ad ea, quæ non sunt Deus, non uno dicitur modo.

Nonnunquam significat, *jubere ut sit*. id etiam dicitur *vocare* rem. etiam declaratur per πρόθεσιν ποιεῖν *propositum facere*. & talis *voluntas*, θέλημα, nuncupatur βουλή. Eph. 1: 11. κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. cui attribuitur εὐδοκία *beneplacitum*. ibid. vers. 9. Hinc vulgo *voluntas beneplaciti* vocatur, quod Deus decernit, ut sit. adde Psal. 33: 9. כִּי הוּא אָמַר וַיֶּהִי הוּא צִוָּה וַיַּעֲמֹד.

Velle etiam Deus dicitur, quæ mandat aut prohibet homini & angelo. Item, si quid promittit aut comminatur. id quod Scholastica phrasi dicitur *voluntas signi*. ubi per *signum* intelligere possumus *sermonem*, quo Deus *voluntatem suam*, hoc est, consilium, vel præceptum suum, vel favorem suum, & approbationem facti, vel, quid obedientes maneat, notificat.

Voluntatis Dei, ut *scientiæ*, infirmitatis nostræ causâ, duplicem statuimus modum. *Unus*, quo sese vult, voluntate æquiparatâ, quod vult æternum & immutabiliter se esse, & vult immutabiliter & æternum se esse, quod est. Huic modo respondet aliquo modo *naturalis* nostra *voluntas*, quâ volumus esse & vivere. *Alter* est, quo alia à se omnia vult propter se, liberrimè & sapientissimè, bona quidem efficere, mala permittere, bona & mala ad finem bonum, gloriam suam, & salutem suorum perducere. non vult enim permittere mala Deus, nisi quatenus ex malis se bonum elicere posse scit, & vult. Huic modo respondet voluntas nostra ἐκ προαιρέσεως.

Voluntas in Deo una est in una Dei essentia. è ratione tamen objectorum, & effectuum bonorum & malorum, distinguimus illam in *beneplacitum & placitum*. Ratione effectuum bonorum, quorum Deus finem & media intendit primò & per se, *beneplacitum* dicimus illam voluntatem. Eph. 1: 5. Ratione verò effectuum malorum, in quibus Deus finem quidem primò & per se, sed non ipsa media, nisi propter finem, intendit, *placitum* dicimus. 1 Cor. 10: 5.

Voluntas Dei est 1. Simplex & unica in Deo. 2. Immutabilis: quia idem semper & eodem

eodem modo vult. Psal. 33: 11. *Consilium Domini in æternum stat.* מַחְשְׁבוֹת לִבּוֹ לְדֹר וָדֹר 3. æterna. quia non incipit velle, quod antea noluit, neque desinit velle, quod antea voluit. Mal. 3:6. *Ego Jehova non mutor.* 4. infinita. quia nullam externam habet limitationem. Affectus, qui Deo tribuuntur, Amor, Odium, &c. vel designant actus voluntatis, vel conveniunt Deo tantùm figuratè.

Decretum permittendi peccatum indirectè refertur ad voluntatem beneplaciti. Quatenus enim in eo Deus decrevit opus suum, quod est causæ primæ, ad hanc illud voluntatem reducitur. Quatenus tamen circa peccatum versatur, quod Deus non *vult*, neque jubet esse, *permittendi* decretum appellatur.

Peccatum enim Deus non *vult.* Nam *velle* significat approbare, delectari, æstimare pro similitudine sua, jubere esse, facere, ordinare, vel ut finem, vel ut medium. Quæ *peccato* nullo modo conveniunt.

De *malis*, quæ sunt in mundo, quæritur, an Deus illa velit, aut possit dici velle & probare? Distinguendum hic est inter malum pœnæ & culpæ. 1. Pœna est tantùm *κατά τι malum*; nempe ratione creaturæ, cui molesta est: sed absolutè habet rationem boni, quia eam *justitia* exigit. Si contingat, ut idem sit malum culpæ & pœnæ, ratio tamen & formalitas utriusque est diversa. Malum *pœnæ* non vult Deus, quatenus est afflictio & miseria creaturæ. Ezech. 18: 23. הֶחָפֹץ אֶחְפֹּץ מוֹת רָשָׁע. Sed quatenus est opus justitiæ, & executio justi sui judicii, eatenus omninò vult, & infligit eam creaturæ. Rom. 9: 22. εἰ δὲ θέλων ὁ Θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν, καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν. Es. 1: 24. אֶנָּחֵם מִצָּרַי. Prov. 1: 26. גַּם אֲנִי בְּאֵידְכֶם אֶשְׂחָק אֶלְעַג בְּבֹא פַחְדְּכֶם: Judex, quum punit maleficum, non delectatur miseria aut afflictione malefici; & tamen eam vult, quatenus est executio justitiæ, & vindicatio quietis publicæ. 2. Pœnæ omnes sunt Dei opera. Deut. 32: 39. אֲנִי אָמִית: & מָחַצְתִּי. Amos. 3: 6. אִם תִּהְיֶה רָעָה בְּעִיר וַיהוָה לֹא עָשָׂה. Es. 45: 7. *Facit pacem & creat malum.* Deus autem non potest non probare opera sua.

Mala *culpæ* quod attinet; in omni actione mala tria sunt consideranda. 1. ipsa *actio*, qua talis. 2. *malitia* seu deformitas actionis. 3. *directio* illius actionis pravæ in bonum finem, qui est vel probatio peccantis, vel pœna peccatoris, & utrumque ad Dei gloriam. (In peccato sunt distinguenda materiale & formale. In actione vitiosa, ex. gr. homicidio, *materiale* est actio, *formale* est ipsa *κακία*, vitiositas, sive malitia ipsius actionis.)

Quod ad primum. Actio, qua actio, est à Dei providentia. nam *in ipso vivimus, movemur, & sumus.* Eatenus est res indifferens & per se naturale bonum; ac proinde à Deo non potest non probari. quemadmodum motus equi claudicantis, qua motus, ab agente profectus. Thomas 1. part. quæst. 5. art. 3. Quicquid est motûs in claudicatione, causatur à virtute motiva. Sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiva, sed ex curvitate cruris. Similiter quicquid est entitatis & actionis in actione mala, reducitur in Deum, sicut in causam. Sed quod ibi est defectus, non causatur à Deo, sed à causa secunda deficiente.

Quod ad tertium. Certè directio illa est à Deo, ac proinde eam vult Deus. Gen. 50: vers. 20. *Et vos cogitastis contra me malum. Deus cogitavit illud in bonum.* Es. 10: 5. 6. 7. *Væ Assur, Virga iræ meæ* est. *& baculus* est *in manu illorum* חָנֵף: *In gentem hypocriticam immittam illum*, &c. *Ipse verò non sic* יְדַמֶּה *& cor ejus non sic* יַחְשֹׁב. *Sed perdere est in animo ejus, & exscindere gentes non paucas.*

Manet

Manet ergo difficultas in secundo respectu, nimirum in ipsa *vitiositate*, seu formâ mali, quæ ejusmodi actionibus inest. Hæc cum sit defectus boni, & ordinis à Deo constituti, Deus eam nec probat, nec vult; sed volens tamen permittit. quia bonum est, de malis etiam benefacere, & mala in bonos fines permittere. Vult ergo Deus non malum qua malum, sed permissionem suam vult & approbat, quia ea est divinæ voluntatis opus. (Deus nec physice nec moraliter est causa peccati. Neque enim physice nec moraliter inclinat, nec ullo modo movet aut excitat ad peccatum. Fulgentius libr. 1. ad Monimum. *Sicut peccatum in Deo non est, ita peccatum ex eo non est.*)

Prius. Deum nec velle nec approbare malum qua tale docemur. Psal. 5:5. *Non Deus volens improbitatem tu.* Habac. 1:vers. 13. *Purus oculis præ videre malum. Et intueri* אֶל־עָמָל *non potes.* nempe cum approbatione. nam aliàs Deus omnia novit, tam mala, quàm bona. (Psalm. 69:6. Psalm. 90:7. Psalm. 139:11. 12. Jerem. 16:17. Prov. 15:3.) Jacob. 1:13. *Deus est ἀπείραστος κακῶν*, hoc est, *à malis tentari non potest.* *πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα.* nempe ad mala. Idem & inde constat. Deus omne peccatum & malum vetat ac punit. Atqui nemo vetare & punire potest, quod probat. Si ergo nonnulli è nostris dicunt, Deum velle ipsas quoque actiones, quæ malæ sunt, & quæ respectu hominum & Diabolorum peccata sunt, id necessario intelligitur de iis, quæ dicta sunt antea, non de peccatis qua peccata sunt.

Alterum, nempe Deum mala tantum permittere, & quidem volentem. Psal. 81:13. *Et dimisi illum*, Israëlem, *in firmitate* לִבָּם *; ut eant in consiliis suis.* Act. 14:16. *εἴασε permisit omnes gentes πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν.*

Peccatum non est ex permissione Dei, aut è certo modo permissionis divinæ. Id si esset, utique è Deo esset, quia permissio illa omnino est ex Deo.

Quæritur autem, An hæc permissio sit *nuda* permissio? Item, an ea rectè opponatur *voluntati*, & dicatur, Deus non voluit hoc, sed permisit? Beza utrumque negare nonnunquam videtur.

Sciendum verò: Permissio Dei nunquàm est nuda, ac si Deus aliquid otiosus aut invitus permitteret; sed est semper conjuncta cum ipsius vitiosæ actionis in bonos fines directione. ut patuit supra è Gen. 50:20. Es. 10:5. *Nam*, ut scitè Augustinus, *Deus ne sinere quidem posset malum esse, nisi de malis posset benefacere.*

Neque rectè hæc permissio voluntati opponitur, si vox voluntatis pro quavis voluntatis actione sumatur, quia Deus non invitus, sed volens, & secundùm decretum suum actiones malas in bonos fines permittit.

Sed si vox voluntatis sumatur *pro complacentia* & approbatione rei qua talis, quod Hebræis dicitur חֵפֶץ, tum rectè dicitur, Deus non vult iniquitatem, sed permittit. Plenius tamen opponitur permissio effectioni. ut cum dicimus, Deus hoc non facit, sed permisit, ut à creatura mala fieret.

Dices. At Deus præcipit, ut homines & Diaboli peccent. Ergo id vult. quod enim quis præcipit, id vult. 2 Sam. 16; 10. כִּי יְהוָה אָמַר לוֹ קַלֵּל אֶת־דָּוִד וגו׳. *Præcipere* hic sumitur impropriè, pro occulta divinæ providentiæ gubernatione & directione. Ita Jon. 3:1, *Et dixit pisci Dominus: & evomuit Ionam*, h. est. ita direxit & gubernavit piscem: nam piscis per se propriè dicti mandati non est capax. ita & Es. 10:5. 6. *Væ Assur. Mittam illum, &* אֲצַוֶּנּוּ. *Ipse verò non ita proponit, nec cor ejus ita cogitat.* Si Deus præcepto id mandasset, tum ipse id quoq; scivisset & cogitasset; & sine periculo id exequutus esset. quum tamen *væ* illi nuncietur propterea.

Ergo non dixit id Simei Dominus, ut jubens, aut licitum faciens, sed dixit, ut judex, judi-

cans, & Davidem ita humiliandum; & Simei dignum, qui in tantum se præcipitaret scelus. *Dixit*, ut impudenti flagitatori, id unicè desideranti, & quærenti occasionem maledicendi Regi & Domino suo. *Dixit* igitur Deus, quatenus ei occasionem hanc dedit; & timore peccati ac sceleris non inhibuit. Ita Satanæ dixit, ut Jobum percuteret.

Citabis etiam 1 Reg. 22:20-22. *Et dixit Dominus omni exercitui cœli, stanti apud ipsum à dextra & sinistra.* מִי יְפַתֶּה *Achabum. Et dixit hic* בְּכֹה *& hic dixit* בְּכֹה. *Et exivit Spiritus, & stetit coram Domino, & dixit* אֲנִי אֲפַתֶּנּוּ. *Et dixit illi Dominus* בַּמָּה. *Et dixit. Exibo & ero* רוּחַ שֶׁקֶר *in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit. Seduces. & etiam poteris. Exi & fac sic.* Resp. Dei secreta permissio & directio indicatur, qua Satanæ habenas in hos Achabi Prophetas laxavit, ut esset Spiritus mendax in ore eorum, quum ipse sit mendacii Pater.

Unica tantum propriè loquendo est *Voluntas* Dei, quia unico actu ab æterno omnia voluit & decrevit, quæ eventura unquam sunt. Omnia quippe Dei decreta sunt æterna & immutabilia.

Quæstio. Quum Deus unico, æterno & immutabili decreto omnia firmaverit, quæ vult fieri aut non fieri, quomodo Dei voluntas dici potest multiplex? Resp. id fit 1. respectu variorum objectorum, quæ huic voluntati subjecta sunt. 2. respectu diversorum modorum, quibus Dei voluntas nobis explicatur & proponitur. Dividitur illa

Primò in *arcanam & revelatam*. *Arcana* voluntas vocatur earum rerum, quas Deus posuit & retinuit ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ. Act. 1:7. *Revelata* (NB. hæc non est propriè Dei decretum, sed patefactio facta in verbo. quæ tamen semper decreti alicujus est testimonium.). est earum rerum, quæ nobis in Vet. & Nov. Test. sunt revelatæ. Utriusque putatur mentio fieri Deut. 29. vers. ult. *Arcana* dicitur, vel respectu *rerum*, quæ nondum nobis sunt revelatæ, ut ultimus mundi dies, quæ à Deo sæpe postea revelantur, vel *facto ipso*, ut ultimus dies facto ipso revelabitur; vel *patefactione*, quemadmodum liber ille obsignatus *septem sigillis*, Apoc. 5. Vel dicitur *Arcana*, respectu *causarum* quare Deus sic aut sic agat. Deus enim multa facit, quarum causas extra ipsius voluntatem nos non vult scrutari aut scire.

Secundò, quæ distinctio celebrior est, & majoris momenti ac usus, usurpata Scholasticis, adhibita à nostris, in voluntatem *signi* & *beneplaciti*, sive voluntatem *decreti* & *præcepti*.

Voluntas *signi* (hanc impropriè dictam voluntatem esse docet Thomas.) vocatur, quâ Deus hominibus significavit tum in lege, tum in Euangelio, quid ab illis fieri, aut non fieri voluit, cum promissione vitæ & boni pro obedientibus, & comminatione mortis ac mali pro inobedientibus. Durandus illam hoc versiculo complexus est.

Præcipit ac prohibet, permittit, consulit, implet.

Voluntas *beneplaciti* dicitur, qua Deus decrevit, quod ipse immediatè in homine & de homine facere vult, aut quod certo futurum est, vel non futurum, sive hoc tendat in salutem, seu condemnationem hominis: voce εὖ vel *bene* relatâ non ad *eventum*, sed ad Dei *consilium*, quod, sive punit, sive beneficiis afficit, semper *bonum* est. Ita vox εὐδοκίας sumitur Matth. 11:26.

De voluntate *beneplaciti* agunt loca, Es. 46:10. עֲצָתִי תָקוּם: *& omnem* חֶפְצִי *faciam.* Psalm. 115:3. *Deus noster in cœlis. omne quod* חָפֵץ; *fecit.* Rom. 9:19. τῷ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε. Ephes. 1:11. κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. August. de Civit. Dei, libr. 22. cap. 1. *Potentius & melius judicavit, etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere.*

De priore. Pſ.40:9. *Ecce veni, facere* רְצוֹנְךָ *delector.* confer Heb.10:9. ἰδὲ ἥκω τȣ͂ ποιῆσαι, ὁ Θεὸς, τὸ θέλημά σου. Joh.7:17. ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτȣ͂ ποιεῖν, γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς. 1 Theſſ.4:3. τȣ͂το γάρ ἐςι θέλημα τȣ͂ Θεȣ͂, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν. adde Joh.6: 40. *Voluntas Dei eſt, ut omnis videns Filium, & credens in illum, habeat vitam æternam.* Rectè enim dicitur. Vult Deus, ut habeat vitam, qui ipſi obedit. adde Deut. 29:20. *Non volet Dominus remittere ei, qui addiderit irriguam ad ſitientem.* Eodem modo attribuitur Deo ſermo optantis. Deut. 5:29. מִי יִתֵּן וְהָיָה לְבָבָם זֶה לָהֶם לְיִרְאָה אֹתִי *Utinam ſit ipſis cor hoc ipſorum ut timeant me.* Eo non ſignificatur, Deum optare aliquid, quod in ſua poteſtate non ſit; aut quod non decreverit dare, quia id velit à libera hominis voluntate exſpectare. (ut Crellius loquitur.) Sed 1. gratum Deo eſſe cor tale, ſi ſerium ſit, ſique adeò conſtans ſit. quemadmodum ei, qui vehementer aliquid optat, quando illo potitur, id gratum ei ſine dubio accidit. 2. Deum noſſe ipſorum cor non integrum, atque ideo nec conſtans. noverat quippe Iſraëlem necdum accepiſſe cor ad intelligendum, & non auditurum Prophetam illum magnum, quem ad loquendum *verba ſua* miſſurus erat.

Non aliunde *voluntas* Dei à nobis certo cognoſcitur aut cognoſci poteſt, quàm aut ex verbo ejus nobis revelato; aut ex iis, quæ ab ipſo in tempore fieri conſtat.

Voluntas *ſigni* eſt ſumma *lex* omnium, quæ ab Angelis aut ab hominibus fieri aut caveri debent, primaque & certiſſima juſtitiæ regula & norma rerum agendarum.

Voluntas *beneplaciti*, prima, ſumma, & efficaciſſima *cauſa* eſt omnium rerum, quæ fiunt in mundo, adeo ut nihil fieri poſſit niſi eâ præeunte, nihilque poſſit conſiſtere, niſi eâ concurrente, nihilque fieri non poſſit, quod ipſa velit.

Cum loquimur de rebus quæ fiunt, non eo nomine comprehendimus *peccata* qua talia, cum ea formaliter ſpectata non habeant realem naturam, nec cauſam efficientem, ſed deficientem. Strangius. pag. 16.

Quæritur, An voluntas ſigni & beneplaciti ſibi nonnunquam ſint contraria? quia Deus voluntate ſigni aliquando videtur velle, quod voluntate beneplaciti non vult, aut cujus contrarium vult. Reſp. 1. Eæ voluntates non ſunt inter ſe contrariæ. quia verſantur circa diverſa objecta. Voluntas *ſigni* eſt, quâ oſtendit, quid velit facere creaturas. *Beneplaciti* vero, quid Deus ipſe velit facere in creatura, vel de creatura. Ex. gr. Deus vult, ut bonus filius velit, patrem ſuum non mori; quem Deus voluntate beneplaciti non vult longius vivere. Nobis ſemper attendendum eſt ad voluntatem Dei revelatam, donec Dei voluntas occulta nobis innotuit, & tum libenter ſubjicere nos ei debemus, dicentes, *Fiat Voluntas Tua.* Fideles in urbe Cæſarea, cum audirent Paulo prædici vincula, & à profectione Hieroſolymitana dimovere eum non poſſent, tandem quieverunt, εἰπόντες, τὸ θέλημα τȣ͂ Κυρίȣ γινέσθω. Act.21:11-14.

Voluntas ſigni eſt pars voluntatis beneplaciti, & illi, ut ſic dicam, ſubſervit. Pars verò cum ſuo toto non pugnat. Nam per voluntatem beneplaciti Deus etiam decrevit, quibus *modis* velit hominem invitare ad obedientiam Legis & Euangelii, & quibus *gradibus*. nam & hoc eſt è voluntate beneplaciti, quod in uno ulterius velit operari, quàm in alio. ut patet è parabola invitatorum ad nuptias; ubi quidam invitantur tantùm, quidam etiam coguntur venire, Mat. 22. & ex exemplo diſcipulorum, Mat. 11:25.26. *Ago tibi gratias, Pater, quod hæc abſcondiſti a ſapientibus, & revelaſti illa* νηπίοις. *Nam, Pater, ſic exſtitit* εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. Sic Actor. 16:14. plures γυναῖκες συνῆλθον. *Lydiæ* verò *cor* ſingulariter Deus *aperuit*, προσέχειν τοῖς λαλȣμένοις.

Obj. At Deus vult omnium ſalutem voluntate ſigni; vult autem multorum condemnatio-

nem voluntate beneplaciti. Ergo hic vult contraria. Resp. Deus non vult absolutè omnium salutem voluntate signi, sed si credant & resipiscant. Joh. 6:40. quod cum omnes non faciant, tum eorum vult justam condemnationem.

Potest aliquid fieri contra voluntatem *signi*, quod tamen fit secundùm voluntatem *beneplaciti*. ut cum Deus malis instrumentis utitur ad bonum opus peragendum. verbi gr. in condemnatione & crucifixione Christi Diabolus & ejus asseclæ repugnarunt quàm maximè voluntati signi, cum impleverint voluntatem beneplaciti, Act. 4:27. 28. *congregati sunt* ἐπὶ τὸν ἅγιον παῖδά σου *Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israël,* ποιῆσαι ὅσα ἡ χείρ σου, καὶ ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι. confer Act. 2:23. 3:17. 18.

Voluntas hominis potest esse conformis voluntati signi, ac repugnare voluntati beneplaciti; & contra. ut si bonus filius optaret patrem sanitati restitui, aut malus filius optaret non restitui, quem Deus mori instituit. Sic voluit Abraham secundùm voluntatem signi mactari filium, quod Deus noluit secundùm voluntatem beneplaciti. Sic Deus vult omnes homines servari, hoc est, tendere ad salutem, nec vult tamen eo ipso omnibus hominibus salutem dare. Verum propterea nulla est repugnantia in Deo, quia oppositio non est ad idem, nec est umbra mutationis in eo, quia Dei propositum semper fuit idem. Verbi gratiâ, voluit Deus Abraham conari, ut mactaret filium, quod tamen pro arbitrio suo ipse constituebat demum impedire. ut si quis vellet probationis ergo servum suum iter aliquod ingredi, à quo etiam tum constituit ipsum revocare. Porrò nihil est absurdi, Deum velle aliquid ab hominibus fieri, & ipsum tamen nolle facere. aut Deum velle hominem aliquid intendere aut capere, quod ipse nollet ad effectum perducere. non enim sibi easdem leges posuit, quas hominibus imposuit.

Quicquid habet rationem boni, qua tale, cadit sub voluntatem Dei, ut id approbet, non autem ut semper id efficiat, aut contrarium impediat.

Velle & *Nolle* sunt actus positivi. datur verò inter eos medium, cum in voluntate signi, tum in voluntate beneplaciti. In voluntate signi, si ea restringatur ad voluntatem mandati, dantur aliqua, quæ neque vult Deus, neque non vult positive. nim. ἀδιάφορα, quæ à Deo neque præcipiuntur, neque prohibentur. Si respiciamus voluntatem beneplaciti, peccata possunt dici ejusmodi *media*. Ea, quà talia, Deus neque vult; alioqui esset auctor eorum; neque non-vult; alioqui impediret, ne fierent. Nil enim evenire potest, quod Deus non vult actu positivo, cum loquimur de voluntate beneplaciti. Et certum est, Deum peccata nolle voluntate signi, quia ea improbat & damnat.

Permissio ergo Dei est revera medium per negationem utriusque extremi inter *velle & nolle*. Illa sive referatur ad ἀδιάφορα, sive ad peccata, non rectè refertur ad voluntatem signi. Quod enim Deus tantùm permittit, propriè neque vult, neque non vult positivè. Deus quidem non invitus aut nolens, sed spontè, consultò & volenter permittit. Verum igitur est, Deum *velle* permittere, aut velle *permissionem*; sed quod tantùm permittit, propriè neque velle neque nolle. Peccata igitur fiunt contra voluntatem signi; non autem contra voluntatem beneplaciti. non fiunt contra voluntatem beneplaciti, qua talia; sed præter eam, licet permissio peccatorum omninò fiat ex voluntate ista. August. in Enchiridio, cap. 95. *Nihil fit, quod Omnipotens non velit, vel sinendo ut fiat, vel faciendo*. Et in cap. 100. *Deus utique non nolens, sed volens sinit peccata fieri*. Strangius pag. 17. 18.

Quæritur, An voluntas Dei permissiva sit *efficax*? Si sit efficax, cum velit voluntate illâ peccata, hâc eadem efficiet peccata. Resp. non sequitur. Aliud est efficax esse. aliud efficiens esse. Efficax opponitur irrito. efficiens non-efficienti. Quum dicitur, Omnis voluntas Dei est efficax, volumus, nullam voluntatem Dei esse irritam. Vo-

Voluntas Dei etiam distinguitur in ***antecedentem*** & ***consequentem***. Ea distinctio primùm occurrit apud Damascenum libr. 2. de fide orthodoxa, cap. 29. Videtur eadem esse cum illa Chrysostom. hom. 1. in epist. ad Ephes. ubi distinguit in voluntatem ***primam*** & ***secundam***.

Thomas eam in hoc sensu usurpavit in 1. parte. quæst. 19. art. 6. Voluntas ***antecedens*** ipsi dicitur, cum respicitur objectum absolutè, quâ ratione esse bonum & expetendum apparet. ***Consequens***, cum idem objectum consideratur cum aliquo suo adjuncto & certis circumstantiis, ex quibus fieri potest, ut efficiatur simpliciter malum & fugiendum.

Declarat id exemplo justi judicis, qui antecedenter considerans homicidam ut hominem, sapientem aliàs & doctum, vellet eum vivere, sed consequenter considerans eum ut homicidam, vult eum morte damnari. Similiter dicit, Deum antecedente voluntate ***velle omnes homines servari***, 1 Tim. 2:4. nempe secundùm absolutam considerationem. Consequente verò voluntate velle aliquos homines damnari, nempe ob exigentiam justitiæ. ***Consequentem*** Dei voluntatem ait simpliciter dicendam esse voluntatem, quia semper impletur. Antecedentem autem esse voluntatem secundùm quid, quia non est efficax, seu, ut accuratius loquamur, efficiens.

Ex his patet, Thomam existimare, voluntatem antecedentem esse à conditione puram & absolutam. nimirum quæ fertur in objectum absolutè consideratum, & secundùm se, quod eâ ratione est bonum & amabile. Sed consequens voluntas respicit tale „ objectum, consideratum cum adjunctis & circumstantiis. Thomas. Unumquodque, se„ cundùm quod bonum est, sic est volitum à Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui „ consideratione, secundùm quod absolute consideratur, bonum, quod tamen, prout „ cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, è contrario se „ habet.

Voluntas ***antecedens*** & ***consequens*** non sic in Deo intelligenda est, quasi in Deo esset aliquid prius aut posterius. Sed hæc distinctio consideratur secundùm analogiam voluntatis humanæ, quæ Deo θεοπρεπῶς accommodanda est, neque aliquam varietatem indicat in Deo, cujus est voluntas, sed in objecto, quod diversimodè consideratur.

Potest etiam per ***antecedentem*** intelligi id, quod de Dei voluntate prius cognoscitur: per ***consequentem***, quod de ea posterius.

Divisio voluntatis in ***antecedentem*** & ***consequentem*** non est adæquata divisio voluntatis: respicit enim tantùm ejusmodi objecta, quæ diversimodè considerari possunt; nempe vel absolutè, vel respectu adjunctorum & circumstantiarum.

Antecedens voluntas omninò referenda est ad voluntatem εὐαρεσίας. ***Consequens*** ad voluntatem εὐδοκίας. Malè ergo alii dividunt voluntatem ***beneplaciti*** in ***antecedentem*** & ***consequentem***. nam voluntas ***beneplaciti*** est omninò efficax & semper impletur. Thren. 3:37. מִי זֶה אָמַר וַתֶּהִי אֲדֹנָי לֹא צִוָּה: Voluntas autem ***antecedens*** non aliquid extra se efficit aut molitur.

Hâc distinctione abutuntur Pontificii & Arminiani. ***Antecedentis voluntatis*** nomine intelligunt ***decretum*** aut propositum Dei, quo Deus, quantum ex se est, omnium salutem procurat, tribuendo eis sufficientem gratiam & auxilium, quo ad salutem pervenire possent, si ipsi vellent. ita ut nil absolutè vel determinatè de cujusquam sorte statuerit, nisi postquam præscientiâ suâ perlustraverit, quo quisque modo oblatam gratiam admissurus

 aut

aut repulsurus sit. Atque ita voluntatem Dei suspensam esse volunt à voluntate creaturæ; quasi Deus primum ut finem sibi proponeret ac intenderet salutem omnium hominum, & media ad hunc finem sufficientia conferret, si modo iis homines uti vellent. Sed deinde perspecta voluntate hominum perversa, media ista respuente, cum non posset assequi istum finem, quem sua antecedente voluntate proposuit, tum sibi alium finem substituisse; nempe per consequentem voluntatem statuisse, pœnas exigendo, justitiæ satisfacere. adeoque priore decreto ac proposito voluntatis rescisso, posterius hoc inivisse.

Hæc sententia meritò refellitur à nostris, ut potentiæ, sapientiæ, & dignitati Dei adversa. Contra Jesuitas illam refutavit Jansenius Augustini sui tomo 3. libr. 3. cap. 20. ubi ait, illam coincidere cum sententia hostium gratiæ, Pelagianorum ac Semipelagianorum. Genuinum verò illius distinctionis sensum, prout traditur à Damasceno & Thoma, agnoscit ac vindicat.

Twissus Vindic. libr. 1. cap. 2. sect. 17. pag. 169. ait, distinctionem istam admitti posse sensu satis orthodoxo. qualiter dicitur à Dominicanis & Didaco Alvarez de auxiliis disput. 34. explicari.

Ergo, prout faciunt Pontificii & Arminiani, falsò distinguitur ita *Voluntas* Dei. 1. Voluntas Dei antecedit omnia. ut Deus nullâ re est posterior, sic nec voluntas Dei. quicquid enim in Deo est, Deus ipse est. 2. Quia hæc distinctio multa falsa præsupponit. ut, 1. quod Deus seu Dei voluntas dependeat à quibusdam, quæ ipse non decrevit. Si quæras, cur Deus antea voluerit omnes & singulos salvos facere, & postmodum hanc suam voluntatem tantum coarctet ad credentes? dicent, quia postmodum prævidit, non omnes credituros fuisse. Si instes, cur non omnes credituri, quos voluit servatos? respondebunt, quia Deus hortatur quidem ad fidem omnes, non tamen efficit fidem in omnibus. Inde sequetur, prævidisse Deum aliquid in homine, quod non decrevit. quod tantundem est, ac si dicas, prævidisse aliquid boni in creatura, quod à se non esset dependens. 2. Et hoc inde absurdum sequitur, Deum aliquid voluisse voluntate antecedente, quod an esset futurum ignoravit. Nam si scivit, dum vellet omnes & singulos salvos facere, non esse credituros, cur illos salvos voluit, cum, postquam hoc prævidisset, hoc non vult? Si nescivit, negabunt, Deum omniscium. 3. Et hoc absurdi inde consequetur, quòd Deus necessariò mutabilis statuendus erit. nam antea voluit, pòst non vult.

Ut *pœnitentia* propriè in Deo esse non potest, Num. 23:23. ita nec voluntas *consequens*; quasi voluntas recens, & consilium ἐξ ὑπογύου captum, & cum displicentia voluntatis prioris. Sed, quum *pœnitentia* de Deo dicitur, metaphoricè intelligitur opus simile operi pœnitentis. Solet is, quem pœnitet sui operis, & cui id displicet, opus suum penitus abolere, ut, si fieri possit, ejus nec vestigium nec memoria exstet amplius. Ita Deus, quum instituit (juxta consilium *ἀμεταμέλητον, cujus eum non pœnitet*) mutare opus beneficii aut iræ, *pœnitudine* dicitur *affici*. In nonnullis tamen operibus Dei ne quidem pœnitentia metaphorica locum habet, sed sunt planè *sine pœnitudine*, hoc est, de iis non potest esse consilium mutandi rem. vide Rom. 11:29.

„ Lutherani perpetuò hanc distinctionem in ore habent, & ita explicant: decrevisse Deum „ omnes & singulos homines, nullo discrimine, salvos facere, sub hac conditione, si in „ Christum sint credituri; idque voluntate antecedente. Rursus verò decrevisse aliquos „ tantùm salvos facere; quia prævidit, aliquos tantùm credituros, idque voluntate conse„ quente.

Complectamur summatim omnes omninò distinctiones voluntatis Dei, tum appro-

bandas,

bandas, tum rejiciendas. Distinguitur ergo 1. in arcanam & revelatam. 2. in beneplaciti & signi. 3. à nonnullis in absolutam & conditionatam. 4. in antecedentem & consequentem. 5. in effectivam & permissivam. 6. in efficacem & inefficacem.

Inefficax voluntas est Deo ignominiosa, & majestati ejus contraria. Omnis Dei voluntas sive decernens, sive præcipiens aut promittens &c. efficax est. Deus semper assequitur quod intendit, suoque nunquam frustratur fine. Inefficaciter velle arguit in volente defectum potentiæ vel sapientiæ.

Pro *inefficaci* voluntate solent objicere.

1. Multa Deus vult, præcipiendo ut fiant, quæ tamen non fiunt. Lex divina omnibus obedientiam præcipit, quam tamen paucissimi præstant. 2. Promittit Deus multis multa sub conditione, quæ tamen non præstat, conditione non impletâ. 3. Exspectavit Deus & voluit à vinea sua uvas, quæ tamen protulit tantùm labruscas. Es. 5: 1. 2. &c. 4. Pharisæi consilium Dei rejecerunt. Luc. 7: vers. 30. adeoque apud illos inefficax fuit. 5. Benignitas Dei multos ad pœnitentiam invitat, qui eam tamen non agunt. Rom. 2: 4.

Quæritur, *An aliqua sit causa voluntatis Dei?* Resp. *Voluntas* Dei non hic accipitur pro *objecto* divinæ voluntatis volito, seu eo, quod Deus vult. Quæcunque enim Deus extra se circa creaturas vuit, causam habere ipsam Dei voluntatem, certum est. Sed de illa *voluntate* quæritur, quâ Deus vult: sive illa concipiatur per modum *actus primi*, seu facultatis, vel *actus secundi*, seu actionis, seu volitionis. quæ tamen in Deo est ipse Deus volens. Hujus *Dei voluntatis* per se *causa* propriè dicta nulla datur, etsi ea ἀλόγως non sit, nec careat ratione.

1. Deus ita est *causa*, ut planè non sit *causatum*. id verò esset, si voluntas ejus haberet causam.

2. Nil voluntate Dei est *prius* aut *majus*. id autem esset, si *causa* ejus esset. Luth. in de Servo Arbitrio, p. 213. *Creaturæ voluntati causa & ratio præscribuntur: sed non Creatoris voluntati, nisi alium illi præfeceris Creatorem.*

3. Voluntas Dei est independens; semper in actu, nunquam in potentia. Quicquid verò causam propriè dictam habet, id ab ea dependet, & respectu ejus est in potentia.

Sed distinctius. 1. Voluntas Dei non habet *causam instrumentalem*, quia (α) volitio est actio Dei immediata æterna. quod fit interveniente instrumento, non fit immediatè à causa principali. (β) Causa hæc instrumentalis esset vel *increatum* quid, vel *creatum*. Non illud. quia præter Deum nil increatum est. Non hoc. quia creatura nulla Deo coæterna est.

2. Voluntas Dei non habet *causam impulsivam*. quia quicquid agit impulsum ab alio agente, id ab alio patitur & dependet. Atqui neutrum convenit voluntati Dei. Nam in Deo, qui sua est voluntas, non est passiva potentia. Deus est ens simpliciter independens, primum movens, immobile, omnium entium creatorum causa, nullius causatum.

Errant *Lutherani*, volentes, fidem prævisam in eligendis esse causam impulsivam Dei ab æterno eligentis, seu decreti electionis. *Alii dicunt*: Christi meritum esse causam impulsivam ut salutis nostræ, ita & voluntatis divinæ saltem decernentis. Resp. Christi meritum est causa salutis nostræ meritoria, non impulsiva voluntatis divinæ. Vult Deus homini salutem dare propter meritum Christi; sed non propter meritum vult salutem. ut *Thomas* loquitur, part. 1. quæst. 19. art. 5.

3. Vo-

3. Voluntas Dei non habet *causam finalem.*

1. Omne agens, habens causam finalem propriè dictam, ad agendum impellitur. *Causalitas* enim *finis* movet efficientem seu impellit ad agendum. At Dei voluntas ad agendum non movetur. quia Dei voluntas est principium movens immobile.

2. Quod habet *causam finalem* propriè dictam, ei volitio finis est causa volitionis mediorum. Atqui in Deo non est alia volitio finis, alia mediorum. uno enim simplicique actu finem vult & media.

Thomæ assertio est, part. 1. quæst. 19. §. 5. *Voluntas Dei nullo modo causam habet. Neminem putat tam insanæ mentis fore, ut dicat, merita esse causas divinæ prædestinationis, ex parte actus prædestinantis.*

Zanchius de attribut. divin. libr. 3. cap. 4. quæst. 11. *Alia quæstio est; an aliqua sit ratio voluntatis divinæ? Alia verò; an aliqua sit ejusdem movens, seu efficiens causa? Primum fatemur. neque enim ἄλογος potest esse Dei voluntas* &c. *Alterum negamus* &c. *Arminius* disput. de Deo. *Deus non movetur à causa externa ut velit, non ab efficiente alio, non à fine, qui extra ipsum sit, ne ab objecto quidem, quod non sit ipse.* Neque *Lutherus* ullam agnoscit divinæ voluntatis causam. *VVendelin.* in Exercit. Homini se accommodant, qui divinæ voluntati causas assignant moventes & impulsivas. Dei enim Majestatem & sublimitatem non nisi humilibus conceptibus repræsentare nobis valemus. Observetur regula *Thomæ. Deus vult hoc propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* Alii sic. *Deus vult existere rem unam propter aliam.* Sed illa una res non est causa propriè dicta, qua Dei voluntas internè movetur ad alteram illam decernendam.

Tertium in Dei *vita* supra diximus esse τὸ *posse.* Deus est omnipotens.

Per *potentiam* Dei non intelligimus potentiam, quæ est secunda species qualitatis, qua quis est aptus & habilis ad aliquid. nec habitum, qui est potentia proximè determinata ad agendum; nec potentiam passivam, quæ propria est materiatorum propter materiam; quia nil in Deo materiale, nil habituale, nil potentiale, nil nisi actuale. Sed intelligimus principium agendi in aliud. Potentia hæc activa maximè convenit Deo, qui est maximè actus. unde *potens, omnipotens* dicitur. Rom. 4: 21. Luc. 1: 37. Deus omnia potest, quæ sunt potentiæ, non impotentiæ. ut malum, & quæ implicant contradictionem. Illa facere non posse, non est à finitate potentiæ; sed quia non est potentiæ ita agere, ut actionis terminus, quem dare effectum cupit, nil aliud sit, aut esse possit, quàm purum nihil. Deus hoc aut illud non potest, non propter defectum, sed abundantiam potentiæ infinitæ. Rectè dicitur, hoc aut illud potentissimè non posse. quia scilicet ipsius potentia infinita (quæ est actus purissimus) eidem repugnat. Prima causa cujuslibet impossibilitatis & repugnantiæ in Deo collocanda est.

Hæc Dei potentia nunquam separatur ab aliis attributis Dei; ideò, ut ut infinita sit, nunquam tamen agit, nisi prout à voluntate & sapientia modificata est.

Potest Deus pauciora, quàm intelligit. inter illa enim & mala sunt. Plura tamen potest quam aut vult aut facit.

Velle Deus potest infinita. Matth. 3: 9. prout esse ejus est infinitum. ita agere quoque potest infinita, quæ absolutè possibilia sunt, nec tamen unquam ad certum rerum ordinem determinabuntur?

Ut Deus non potest velle *contraria*, (ut malum, bonum) nec *contradictoria*, ut esse,

non esse: ita nec agere potest *contraria*, quæ in natura maximè simplici ac immutabili subsistere nequeunt; aut *contradictoria*, quæ in essentia Dei, falsitatis omnis experte, ac in veritate maxime absoluta & perfecta, locum non habent. Hæc tamen non posse, est potentiæ. Ille enim maximè potens est, qui constanti & immutabili fruitur potestate, & ab ipso, quod unum est, nullo modo digreditur; nam opposita posse, est infirmitatis: omninò potentis, in optimo permanere.

Potentia Dei est infinita ac simplex vis agendi ea omnia, quæ essentiæ & attributis ipsius sunt consentanea. Matth. 19:26. Contraria enim potenter non potest, quia impotens esse nequit. 2 Tim. 2:13. Tit. 1:2. *Κατ' ἐξοχὴν potens* ille, *omnipotens* 2 Cor. 6:18. *solus potens* dicitur. Nam 1. à se 2. omnia 3. immutabili essentiæ robore facillimè efficere valet. Es. 40:26. 28. *Creat fines terræ* לא ייעף ולא ייגע. Hujus trimembris excellentiæ nil creaturis competit. Vindicatur proinde Deo *supereminens magnitudo potentiæ*. Ephes. 1: vers. 19. & illius esse *potentia* dicitur. Matth. 6:13. 1 Chron. 29:11. *Tibi Domine* הַגְּדֻלָּה וְהַגְּבוּרָה וְהַתִּפְאֶרֶת וְהַנֵּצַח וְהַהוֹד. vers. 12. וּבְיָדְךָ כֹּחַ וּגְבוּרָה: confer 2 Chron. 20:6. אֵין עִמְּךָ לְהִתְיַצֵּב.

Nulla compositio, aut mutatio potentiæ & actus locum potest habere in simplicissima & immutabili Dei natura.

Efficere potenter non nisi ratione differt à voluntate Dei efficaci. Ipsa voluntas Dei, qua est principium effectivum, habet rationem potentiæ. Rom. 9:19. *Ejus voluntati quis obstitit?* Ipsa omnipotentia executiva nil aliud est, quàm voluntas Dei effectiva. Psalm. 33:9. *Ipso præcipiente, extitit, quicquid est.* Apoc. 4:11. *Per voluntatem tuam sunt & creata sunt.*

Potentia Deo tribuitur activè, quia vim habet aliis aliquid communicandi, qualis est potentia vel potestas causæ. *Potentia activa* non cadit propriè in Deum; nec illi convenit. est enim actus purissimus. quicquid in Deo, Deus est. neque respectu sui ipsius primò otiosus est; ac postea se in actum promovet. Non est Deo attribuenda talis activa potentia; quæ sit ab ejus essentia aliquid diversum. ipsa enim essentia Dei est illa potentia, quâ potens est; sicut eadem est ipsa misericordia, quâ misericors est. Convenit autem Deo potentia activa respectu creaturæ, quæ dicitur proprie posse recipere actum illum Dei, quem antea non sentiebat & experiebatur. Mat. 19:26. *apud Deum omnia sunt possibilia.* Potentia *passiva* nullo modo in Deum cadit. omnis enim mutatio & imperfectio ab illo removenda est, qui est infinitè perfectus, adeoque immutabilis simpliciter. Dices. Qui factus est, quod non erat, in illum cadit potentia passiva: Deus factus est Dominus Creator. Resp. Qui factus est, quod non erat, nim. per accessionem novæ alicujus rei, quæ ipsi demum adhærere cœperit, in illum cadit potentia passiva. Arqui nomina, quæ relationem inter Deum & res creatas indicant, ut est nomen Creatoris, Servatoris, Domini, Redemtoris &c. ita in tempore, non ab æterno prædicantur de Deo, ut nihil ei accedat novi, aut nulla in eo fiat mutatio, sed in ipsis duntaxat creaturis. Ipse Deus semper est & manet idem. & extra ordinem semper creaturarum existens, non aliter ad illas refertur, nisi quatenus ipsæ creaturæ referuntur ad ipsum.

Relatio inter Deum & creaturam, quæ non fuit aliquando, exorta, est ex parte creaturæ *realis*, ex parte Dei, *rationis* tantùm.

Omnipotentia divina distingui solet in potentiam absolutam, & in potentiam ordinatam s. actualem. Potentia *absoluta* illa est, quâ potens est Deus efficere omnia possibilia, etiamsi ea nunquam sint futura. Mat. 3:9. *Deus potest ex lapidibus istis excitare liberos Abraamo.* Mat. 26:53. *An putas me non posse precari Patrem, ut huc sistat mihi plures quam duodecim legio-*

nes Angelorum. Marc. 10:27. Ephes. 3:20. *Ordinata* est, qua non solùm potest facere, quod vult, sed etiam re ipsa actualiter agit, quicquid vult. Psalm. 115:3. 135:6. *Omne, quod voluit Iehovah, fecit in cœlo, & in terra, in maribus, & omnibus abyssis.* Ephes. 3:11.

Talem tamen non agnoscimus *potentiam absolutam*, quæ separet à rerum possibilium essentia eorum respectum ad finem.

Deo Potenti *ἰσχὺς vis*, & *κράτος τῆς ἰσχύος imperium virium*, dominans vis; & עז *robur*, *ἀνυπόστατον ἐν τῷ ἐνεργεῖν καὶ ἀνίκητον ἢ ἀήττητον*, *potentia invicta & omnia vincens*, גבורה *κράτος*, *νίκη*, attribui solet.

Specialiter כחו *τὸ δυνατὸν αὐτοῦ*, nempe Dei, dicitur, quod potest tolerare peccatorem & condonare peccatum. Num. 14:17. Rom. 9:22.23.

Cum Deus dicitur aliquid *non posse*, id dicitur vel ex parte *rei* seu *objecti*; vel ex parte ipsius *Dei*. Ex parte *objecti* non potest ea, quæ involvunt contradictionem ad se invicem relata. ut *esse corpus humanum, finitum; & tamen ubique propinquitate substantiali simul esse totum, sine extensione. Esse corpus propriè dictum; & non esse quantum* sive *extensum in longum, latum, profundum. Verè, oraliter, propriè edi, & a dentibus nihil pati. Accidens propriè dictum esse, & in subjecto non inhærere. Factum infectum esse.* Ex parte ipsius *Dei. Esse Deum tantùm, & posse mori; de loco in locum per se moveri. Ita intra finitum esse, ut eo concludatur & terminetur, extraque id non sit. mentiri. esse injustum, mendacem.* Hæc enim cum Dei immutabilitate, infinitate, sanctitate, veritate pugnant. Ambrosius libr. 6. Epist. 36. *Quid impossibile Deo? Non quod virtuti arduum: sed quod naturæ ejus contrarium. Impossibile illud non infirmitatis, sed virtutis & majestatis.*

De potentia Dei absoluta observetur regula. *A potentia Dei absoluta ad opus, seu effectum, non valet consequentia.* ut si arguas, Deus potest hoc vel illud facere. Ergò facit vel faciet.
„ Tertullianus adversus Prax. Planè Deo nihil difficile Sed si tam abruptè in præsumtionibus
„ nostris hâc sententiâ utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia fa-
„ cere potuerit. Non autem, quia omnia potest facere, ideò credendum est, illum fecisse
„ etiam, quod non fecerit; sed an fecerit requirendum.

Argumenta pro potentia absoluta. 1. è Matth. 3:9. 26:53. Marc. 14:36. 2. quia Deo sunt omnia possibilia. Matth. 19:26. nec tamen, experientiâ teste, facit omnia. 3. si non posset plura facere, potentia ejus, respectu objectorum, non esset infinita. 4. creaturæ rationales possunt facere plura, quàm faciunt actu. imò & aliæ causæ naturales, si rectè applicentur. Quidni ergo & Deus?

Quibus displicet *potentia absoluta*, ii sic. 1. Essentia Dei est *una*. ergo & *potentia*. actualis nim. tantùm. neque ergo absoluta. 2. Dei potentia id tantùm operatur, quod vult. Psal. 115:3. Es. 46:10. Ephes. 1:11. Ergò tantum est actualis. 3. Potentia absoluta est otiosa, quia actu non operatur nec operatura est. 4. Absoluta potentia à Calvino, Beza, Martyre dicitur *vanum Scholasticorum commentum*, divinæ contrarium justitiæ. Resp. illam tantùm intelligunt, quæ etiam *jus Dei absolutum* vocatur.

De actuali Dei potentia observetur. *A potentia Dei actuali ad opus, seu effectum, valet consequentia.* ut, Deus vult hoc facere. Ergò facit vel faciet.

Potentia Dei est *infinita* tripliciter. 1. *in se & per se.* idem enim est cum essentia divina. 2. respectu *objectorum*. innumera sunt, ab ea produci possunt. 3. quæ respectu *actionis*, quâ agit, & potest agere. nunquam tam intensè & efficaciter agit, quin possit intensius & efficacius.

Augustinus libr. 26. contra Faustum, cap. 15. *Qui dicit, si Deus omnipotens est, faciat,*

ciat, ut quæ facta sunt, facta non fuerint, non videt hoc se dicere; si omnipotens est Deus, faciat, ut ea, quæ vera sunt, eo ipso, quo vera sunt, falsa sint. Hieronymus ad Eustachium. *Deus cum omnia possit, virginem tamen suscitare post ruinam non potest.*

Scholastici nonnulli blasphemè affirmant, Deum per absolutam suam potentiam etiam mentiri posse. Gregorius Ariminensis, Petrus Aliacensis, Gabriel. Videatur Dominicus Bannes in 2 Thom. q. 1. art. 3.

A *potentia* Dei distincta est *potestas*, ἐξουσία, Dei, quæ est jus & dominium ac auctoritas Dei in creaturas de iis, quicquid ipsi libet, faciendi. Matth. 20: 15. ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς. Jus hoc aliàs dicitur *absolutum* seu *summum*. De illo multi disputant, illud niti naturæ divinæ ὑπεροχῇ. nec ullam habere necessariam σχέσιν ad creaturæ qualitates; eo licere Deo uti per infinitam potestatem ἀνυπευθύνως: adeò ut eatenus possit creaturam sanctam æternis addicere cruciatibus, & illis eximere creaturam in vitio pertinacem; & propterea nec de facto in jus ab ulla creatura vocetur, imò nec de jure queat; quia tanta & tam immensa majestas nulli potest esse obnoxia juri. Talis potestatis specimen videtur in Jobo edere voluisse; cui non tam exprobravit peccatum, quàm intentavit potentiam & sapientiam infinitam, in quibus naturaliter inest summæ majestatis auctoritas.

De hac potestate & jure non nimis liberè disserendum est, nec humanis nimis indulgendum speculationibus. Ipsi ita disputantes fatentur, Deum nolle illo jure uti; nec contingere posse, ut velit; quia repugnant eæ proprietates, quæ ad modum virtutum moralium se habent, bonitas nim. justitia & misericordia. Hinc Deus non potest citra demeritum cruciatum infernalem alicui inferre.

Possumus ita commodè dicere. Summæ potestatis Dei in creaturas quasi fundamentum est ὑπεροχὴ essentiæ & excellentiæ divinæ. unde *Aristoteles* docet; si quis homo esset, qui sapientiâ omnes alios homines superaret, dignum illum fore, cui imperium omnes mortales deferrent. Ad hanc divinæ excellentiæ ὑπεροχὴν pertinet quoque absoluta independentia, à qua omnes creaturæ dependent, adeoque non possunt non divinæ subjici potestati. Tamen hæc omnia ita tribuenda sunt divinæ potestati, ne quid detrahatur ejus justitiæ & sanctitati.

Gregorius Ariminensis, Gabriel Biel, Occam, Holkot, Petrus Aliacensis, ita statuunt. imò ipse Lutherus de Servo Arbitrio, edit. anno 26. p. 246. 247. docet, *Deum, jure suo absoluto & potestate, æternis cruciatibus posse innocentem, sine ullo ejus merito, subjicere.*

Benè Calvinus in Opusculis. p. 735. *Quæ de absoluta potestate nugantur Scholastici, non solum repudio, sed etiam detestor; quia justitiam ejus ab imperio separant.*

August. libr. 3. contra Julian. cap. 18. *Potest Deus aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est. Non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia justus est.*

Potestas legitima, quæ agit pro arbitrio, *potentiâ* nititur & *jure*. Potestas enim, quæ *potentiâ* caret, est umbra tantùm potestatis; & quæ *jure*, illegitima est. Pilatus dicebat Christo, ἐξουσίαν ἔχω *potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te*, Joh. 19: 10. non carebat illa *potentiâ*. nam actu deinceps illa potestate usus est. sed *jure*, quia injuste usus est. Pontifices rogabant Jesum, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς; καὶ τίς σοι ἔδωκε τὴν ἐξουσίαν ταύτην, Matth. 21: 23. dubitantes de jure, quo acta Christi nitebantur. Etiam narratur *potestas tenebrarum*, Col. 1: 13. Luc. 22: v. 53. quâ tenebræ deinceps injustè utuntur.

Obj. Affligit quandoque Deus innocentes pœnis temporalibus, salvâ suâ justitiâ. quod quum facit, absoluto suo contra eos jure utitur. Ita Joh. 9: 3. de cæco nato dicit Dominus:

Neque hic peccavit, neque parentes ejus. ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῷ. Si verò citra meritum, absque injustitia, cruciatibus temporalibus potest subjicere hominem; etiam poterit subjicere æternis, sine injustitiæ nota. Ratio. Si enim, salvâ justitiâ, innocenti potest infligi pœna propriè dicta, perinde est, sive temporalis, sive æterna sit. Resp. Non simpliciter negat Dominus, cœcum vel parentes ejus peccasse: erant enim peccatores: sed, peculiari aliquo peccato cœcitatem in specie præ aliis commeruisse. placuisse Deo hominis istius cœcitate uti ad gloriæ suæ illustrationem. Simpliciter innocentibus, ut sunt Angeli boni, nullas Deus infligit pœnas ad gloriæ suæ φανέρωσιν. ubi enim nulla est culpa, ibi non potest esse pœna ulla: & puniendo illustrat Deus potissimum gloriam justitiæ suæ. Atqui justitiæ vindicatricis objectum non est innocentia, sed culpa. Gravissimè afflictus est Christus in assumta innocentissima carne. attamen qua sponsor, peccata nostra ferens. sine quo si fuisset, puniri justè non potuisset.

Mittamus duriora hæc effata.

1. Posse Deum à creatura exigere, quod ipsi nunquam dedit, & propterea, quod id non præstat, punire.

2. Posse Deum creaturam rationalem obligare ad id, quod nunquam ipsi fuit possibile; &, si hoc non præstet creatura, ipsam peccare, & propterea juste puniri.

3. Posse Deum affligere creaturam rationalem afflictione infinita, sine ullo demerito.

Diximus ante, Potestatem Dei in creaturam niti ὑπεροχῇ essentiæ divinæ.

Alii dicunt, dominium Dei in creaturas suas niti beneficiis, quæ ipse illis contulit. tantum illi esse juris in creaturas, quanta sunt ejus beneficia. cumque illa non sint infinita, (nulla enim creatura infiniti capax est) ideò nec dominium Dei in creaturam esse infinitum, ac planè absolutum. intervenire itaque legem, quam Deus homini tulit; secundùm quam cum eo agit, eamque non excedere ejus beneficia.

Sed si nil amplius juris esset Deo in creaturam, quàm quanta sunt ejus beneficia, sequeretur, Deum non uti gratuita bonitate erga creaturam, cum illi ex lege benefacit; sed istud justitiæ habere rationem. At Scriptura docet, Deum etiam cum mercedem reddit illis, qui legem impleverunt, uti hac in parte gratuita bonitate. Exod. 6:20 *qui facit gratiam in millibus.* & Luc. 17:10. *Cum omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* quare *inutiles? quia nil fecimus, nisi quod debuimus.* Jubet Christus, nos tum agnoscere *servos.* Jus verò Domini in servum non nititur *beneficiis*, quæ servus accepit, sed ὑπεροχῇ.

Deus propter ὑπεροχὴν dignitatis & excellentiæ, cujus respectu nulla est inter eum & creaturam proportio, absolutissimum ac infinitum habet in creaturam dominium.

Maneat tamen, hoc Dei dominium & jus semper esse virtutibus temperatum.

Twissus libr. 1. in Vindic. suis, part. 2. pag. 156. vocat absolutam Dei potestatem *justitiam Domini mortis & vitæ. Neque*, inquit, *omnis justa actio prærequirit causam meritoriam; sed tantummodo justa actio Dei ut judicis. non autem justa actio Dei, ut Domini vitæ & mortis. Fecit nos Deus dominos vitæ & mortis respectu creaturarum inferiorum, quas propterea pro libitu nostro tractamus ad occisionem & lanienam; neque hoc dum facimus injusti sumus, sed justi, quamvis nullum interveniat demeritum.*

Sed quæ comparatio est inter nos & Deum, inter brutum & hominem?

In his, nim. in τῷ *intelligere, velle, posse* consistit Dei vita, cujus essentiæ summa est *perfectio.* Calore ipso nil quicquam calidius. Non potest quicquam Deo esse perfectius. Cumque omnium rerum sit *causa efficiens*, necesse est, earum perfectiones præexistere in ipso, secundum modum *supereminentiæ.*

Per-

Perfectionis vox, à *perficiendo* dicta, impropriè de Deo dicitur. *Perfectum* enim dicitur, quod plenè factum est: Græcis τέλειον, quod *finem* suum accepit. Hebræis melius כלילה, à כלל, *omnia habere. Perfectum* ergò dicitur, cui nihil deest.

Absoluta seu *negativa* perfectio vocatur, cui nulla perfectio deest, quæ in rerum naturâ est & cogitari potest. *Secundùm quid* seu *privativa*, cui nil deest, quod ad constitutionem plenam naturæ suæ requiritur. Sic *lapis* dicitur perfectus, *aurum*, *animal*, &c. cui nil deest, quod ad naturam ejus in specie illa constituendam requiritur.

Distinguitur à Scholasticis, *eminenter* & *formaliter* inesse.

Formaliter inesse dicuntur, quæ eandem formam habent; ut in candente ferro est *forma* ignis. *Eminenter*, quæ eandem virtutem habent, etsi non eandem formam; idque ratione & modo eminentiore: ut in Sole est virtus calefaciendi, vegetandi &c. in *Rege* omnium munerum politicorum potestas eminenter inest. dependent enim ab eo omnia; etsi non ab eo omnia exercentur eo modo, quo ab aliis subditis ejus, in quibus ea formaliter insunt.

Hæc verò perfectio Deo tribuenda est. 1. Est omnium bonorum & perfectionum causa efficiens & fons, & conservator. Nemo verò dare alii potest, quod in se aut virtute suâ non habet. Rom. 11:36. *Ex ipso, per ipsum, & in ipsum sunt omnia.* adde Jacob. 1:16. *Omnis bona donatio.* &c. 2. è locis, Psalm. 94: 9. *An plantans aurem annon audiret? num formans oculum annon videret?* Esa. 66: 9. *An ego* אַשְׁבִּיר *& non* אוֹלִיד? *An ego* מוֹלִיד, *& cohibeam, dicit Deus tuus?* Matth. 5:48. *Estote perfecti, sicut Pater vester in cœlis perfectus est.* Psalm. 50: 9. *Non sumam è domo tua* פָּר: *& caulis tuis* עַתּוּדִים. docet, nil esse inter homines, quo ille indigeat: nec opus esse, ut quicquam à quoquam petat aut accipiat. Act. 17:25. οὐδὲ προσδεόμενός τινος.

Hinc sequitur Dei consummatissima beatitudo, quæ est omnium bonorum aggregata possessio, eorumque plenissimus sensus.

Dices. *Omne* פָּעַל *fecit Deus* לַמַּעֲנֵהוּ. Prov. 16: 4. Ergo per se solum non videtur perfectus. Resp. Non fecit ea ad se augendum aut juvandum, sed patefaciendum & communicandum. Propria & maxima boni perfectio est, se aliis communicare. *Bonum enim est sui communicativum.*

Explicatis divinis proprietatibus, quæ per modum *facultatum* Deo tribuuntur, videamus etiam, quæ per modum *virtutum* aut *affectuum* de Deo prædicantur.

Affectus, amor, odium &c. Deo tributi significant vel *actus voluntatis*; vel ei *figuratè* tantùm conveniunt.

Virtus tribuitur Deo, quâ promtitudinem agendi notat; non sub ratione *habitûs* à facultate & actu distincti. *Virtus* enim est perfectio intellectus & voluntatis; qualis in Deo est *sapientia*, *sanctitas* &c.

Virtutes, quæ in homine ex occasione peccati & imperfectionis oriuntur, non conveniunt Deo, ut humilitas, castitas, pudor &c.

Inter virtutes Dei est *bonitas*.

Bonum soli Deo essentiale est, creaturis verò accidentarium & per participationem. Matth. 19:17. οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός. Bonus est Deus, 1. *Efficienter.* ab ipso enim defluunt omnia. de ejus plenitudine haurimus cuncta. 2. *Essentialiter.* à se ipso perfectè bonus est. 3. *Finaliter.* ad eum enim omnia referuntur. est finis ultimus, ad quem omnia contendunt. est summum bonum, tum ipse sibi, tum extra se universis.

Bonum à posteriori solet describi, quod *naturâ suâ appetibile est*. Talis est Deus.

Summi boni tres sunt conditiones. 1. ut expetatur ab omnibus. 2. ut se communicet omnibus. 3. ut adferat perfectionem, non privationem. Hæc Deo insunt perfectissimè.

Communicat Deus bonitatem suam duobus modis. 1. *ad intra*. Hæc est naturalis & necessaria communicatio; per quam dedit Filio vitam habere ἐν ἑαυτῷ per generationem; & Spiritui per *egressionem* ac *spirationem*. 2. *ad extra*. Hæc communicatio est libera; quâ creaturis suam bonitatem communicat, 1. per *creationem*. 2. per *incarnationem*. 3. per *gratiam adoptionis*. 4. per *gloriam* & *beatitudinem*. 5. per *amorem* & *desiderium*.

Athanasio hæc debetur distinctio. *Boni*, inquit, *sunt homines* μετοχῇ ἀγαθότητος; *Persona divinitatis* ταυτότητι οὐσίας.

Divinæ bonitatis species seu comites sunt, 1. *gratia*. 2. *amor*. 3. *misericordia*. 4. *patientia*. 5. *justitia*.

Gratia, חֶסֶד Exod. 34: 7. est favor Dei erga creaturam rationalem. Per hanc decenter *largiri* potest, ubi nullum est meritum. ab hujus perfectionis exercitio חַנּוּן *gratiosus* dicitur. q. d. per gratiam & benevolentiam largiens.

Gratia Dei distinguitur 1. in gratiam, sic dictam *absolutè*, & gratiam dictam *misericordiam*. 2. in *gratis dantem*, & *gratis datam*. Illa etiam dicitur *gratum faciens*. illam Apostoli Ecclesiis apprecantur. nilque aliud est, quam *favor* Dei. neque adeo nobis inhæret, sed extra nos in Deo est. Hæc complectitur omnia beneficia à Christo in hac vita in nos derivata. 3. in *sufficientem* & *efficacem*. quam distinctionem Maccovius rejicit in Part. 1. Thes. Disput. 25: 4. eò quod *sufficiens* gratia sit quoque *efficax*, quam effectus perpetuo consequitur. nec sufficientem esse, quæ non ita sit efficax. Ad auxilium *sufficiens* requiri 1. *posse*. 2. *velle*. 3. *perficere*. Joh. 15: 5. Phil. 2: 13. Ubi verò hæc sunt, non potest non sequi effectus.

Quod objicitur vulgò, Adamum in statu innocentiæ auxilium habuisse, quo, si voluisset, perseverare potuisset; adeoque *sufficientem* habuisse *gratiam*; non *efficacem*. Nam per hanc voluisset perseverare, & perseverasset: id facile expedietur distinctione adhibitâ, in gratiam *sufficientem aliquo modo*, & *sufficientem absolutè*. hæc posterior eadem est quæ *efficax*; & propriè meretur dici *gratia*.

4. Distinguitur gratia in *prævenientem*, quæ movet voluntatem, ut bonum velit; & *subsequentem*, quæ promovet, ne frustra velit.

Nonnulli & distinguunt in gratiam *universalem*, quæ communis sit electis cum reprobis; & *specialem*, quæ electorum est propria.

Amor: quo vult & approbat bonum in creaturis; & in eo se oblectat & acquiescit, & ei benè vult, ac sibi unit.

Amorem esse in Deo, liquet è Joh. 3: 16. ἠγάπησε. vers. 35. *Pater amat Filium*. Rom. 5: 8. *Commendat suum erga nos amorem*. 1 Joh. 4: 6. *Deus est amor*. Psalm. 146: 8. יְהוָה *amat* אֹהֵב *justos*. Prov. 3: 11. *Quem* יֶאֱהַב יְהוָה, *redarguit*. Es. 48: 14. יְהוָה אֲהֵבוֹ. Jerem. 31: 3. *Amore seculi amavi te*. Hos. 11: 1. וָאֹהֲבֵהוּ. vers. 4. בַּעֲבֹתוֹת אַהֲבָה.

Amor Dei ad creaturas relatus significat 1. æternam erga illas, inprimis *homines*, *benevolentiam*. & dicitur φιλανθρωπία. Tit. 3: 4. Mal. 1: 2. אָהַבְתִּי *Diligo vos*, *dicit Dominus*. וָאֹהַב *Jacobum*. 2. Actualem *beneficentiam* certo tempore in homines collatam. 3. *Lætitiam*, quam Deus capit ex iis, quos amat, & in quibus acquiescit.

Zoph.

Zoph. cap. 3. verſ. 17. יָשִׂישׂ עָלַיִךְ בְּשִׂמְחָה יַחֲרִישׁ בְּאַהֲבָתוֹ יָגִיל עָלַיִךְ בְּרִנָּה.

Diſtinctio amoris divini à nonnullis traditur in *naturalem*, quo ſe ipſum neceſſariò amat & Filium; ac *voluntarium*, quo creaturas liberè proſequitur. Hic rurſum in *Univerſalem*, quo Deus omnes homines, etiam qui damnantur, *amat*: quatenus & facit ſuper illos ſolem lucere, & pluere. Auguſt. libr. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. *Non odit Deus Eſau hominem, ſed Eſau peccatorem.* Et *Specialem*, quo inæqualiter amat has & illas creaturas. Auguſt. tract. 110. in Johannem. *Omnia diligit Deus, quæ fecit, & inter ea magis diligit creaturas rationales, & ex illis eas amplius, quæ ſunt membra unigeniti ſui: & multo magis ipſum unigenitum ſuum.* Κατ' ἐξοχὴν *Specialis amor* appellatur, quo electos ſuos in Chriſto complectitur. qui planè gratuitus eſt. 1 Joh. 4: 10. *In hoc eſt amor, non quod nos Deum amavimus, ſed quod ille nos, & miſit Filium ſuum* ἱλασμὸν *pro peccatis noſtris.* & verſ. 19. ἡμεῖς ἀγαπῶμεν αὐτὸν, ὅτι αὐτὸς πρῶτος ἠγάπησεν ἡμᾶς. adde Rom. 5: 8. & 10.

Nec obſtant loca. Prov. 8: 17. אֲנִי אֹהֲבַי אֵהָב, & Joh. 16: 27. *Pater* φιλεῖ ὑμᾶς, *quod vos me* πεφιλήκατε. Unde Bellarminus colligit, amorem noſtrum eſſe cauſam meritoriam divini amoris. Nam dilectio Dei non refertur ad dilectionem noſtram, ut ad cauſam; ſed docetur, divinæ dilectionis ſignum & argumentum eſſe noſtram dilectionem. Ex amore noſtro in Deum colligimus amorem Dei erga nos. Nemo amare Deum poteſt, niſi à Deo amatus ſit. Amoris noſtri fons & origo eſt amor Dei. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum.* Joh. 6: 44.

Quæſtio, *An amor Dei intenſionem & remiſſionem admittat?* Reſp. 1. *Non.* reſpectu *actus amantis.* Nam eatenus amor Dei æqualis eſt erga res omnes. eſt enim unus, puriſſimus & ſimpliciſſimus divinæ voluntatis actus. Mater intenſius amat filium, quàm ancillam: non ita Deus. 2. *Ita.* reſpectu *boni*, quod vult amato aliis enim Deus plura & majora, aliis pauciora & minora vult, pro libera voluntate, quæ legem à nullo accepit. Matth. 20: 15.

Miſericordia eſt ejuſdem naturæ cum gratia, & quaſi pars quædam ejus; ſic dicta, quaſi aliena *miſeria* eſt *cordi.* Hæc Deo *propriè* tribuitur, non quatenus dolorem ſignificat conceptum ex aliena miſeria; nec ἀνθρωποπαθῶς; ſed quà ſignificat animum ad alterius miſeriæ ſuccurrendum propenſum; item ipſum auxilium.

Miſericordia ergo eſt propenſiſſima Dei voluntas miſeris ſuccurrendi, quibus & re ipſa ſuccurrit.

Ea propenſio in Deo locum habuit ab æterno. Ad exemplum Dei jubemur eſſe miſericordes. Luc. 6: 36. γίνεσθε οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί. Ideò & *Pater miſericordiæ* vocatur. *Miſericordiam* paſſim tribuit Scriptura Deo. Exod. 34: 6. & 20: 6. Pſal. 103: 8. *Miſericors & gratioſus* Jehovah. Eph. 2: 4. πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει.

Diſtinguitur *miſericordia* ab *amore.* quia fertur *amor* in bonum, quatenus eſt bonum. *miſericordia* in bonum, quatenus eſt miſerum, ſeu cum miſeria conjunctum.

Stoici putarunt, *Miſericordiam non cadere in Deum, quia eſt ægritudo animi.* Aug. libr. 9. de Civ. Dei, cap. 5. *Quid eſt miſericordia, niſi alienæ miſeriæ quaſi in corde noſtro compaſſio?* Reſp. Ita quidem in miſericordia humana, quæ cum quadam cordis paſſione conjuncta eſt. A miſericordia verò Dei removenda eſt omnis imperfectio; & id tantùm tribuendum Deo, quod aliquid notat perfectionis. Cicero eam Deo tribuit pro *Ligario. Nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior nec admirabilior miſericordiâ eſt. Homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quam ſalute hominibus danda.*

Misericordia hæc est vel *generalis*, seu *universalis*, qua miseretur omnium creaturarum in aliqua miseria constitutarum, iisque aliquo modo succurrit. Psalm. 104: vers. 27. כֻּלָּם אֵלֶיךָ יְשַׂבֵּרוּן לָתֵת אָכְלָם בְּעִתּוֹ. Psalm. 147: 1–3. *Dominus Bonus. ædificat Jerusalem, depulsos Israël colligit. sanat fractos corde. obligat dolores ipsorum.*

Hanc Pontificii, Lutherani, Arminiani aliam sibi hodie planè fingunt, & eam extendunt eousque, ut Deus decreverit ab æterno, omnes & singulos homines *in gratiam recipere*, & hæredes vitæ æternæ facere, sub conditione fidei in Christum, quam per *universalem & sufficientem gratiam consequi possint, si modo velint*. Ut & Pelagiani olim senserunt.

Vel *specialis*, qua miseretur suorum. Rom. 9: 18. *miseretur, cujus vult*. Exod. 33: 19. *miserebor, cujus miserebor*. Ab hac speciali misericordia dependet salus nostra. cum illa pugnant merita humana. quod enim datur è gratia & misericordia, id non ex merito.

Socinus misericordiam negat attributum Dei essentiale. Atqui misericordia Dei nil aliud est quàm *bonitas Dei*. Quis verò neget, hanc Deo esse essentialem? Misericordiam verò Dei esse bonitatem ejus & benignitatem patet è Tit. 3: 4. Rom. 11: 22. Eph. 2: 7. Tit. 2: 11. Quidni sit misericordia Deo naturalis, 1. à qua propriè & per se describitur. 2. quam ipsi gentiles in differendis, mitigandis, condonandis pœnis, è lumine naturæ in Deo agnoverunt. 3. quæ omnibus creaturis intelligentibus per communicationem imperfectè competit; adeoque Deo naturaliter & perfectissimè?

Objiciunt. 1. Deo inest *liberè*. Ergo *non naturaliter*. Resp. Competit Deo *naturaliter* per modum attributi, haut tamen realiter à Deo distincti. Competit eidem quoque liberè, quoad exercitium seu actum secundum. 2. Deus non exercet eam semper nec erga omnes. Resp. Potest esse aliquid naturale & simul liberum. Vult Deus naturaliter & liberè. 3. Si justitiā Deo est naturalis, utique non misericordia. pugnant inter se. Resp. Pugna est inter effectus, non inter habitus, qui ita concipiuntur. 4. Misericordiam Dei in hominum salute frustra prædicari; quiā Deus lytrum pro nobis accepit. Resp. Etiam ipsum hoc lytrum misericordia nobis impendit. Joh. 3: 16.

Justitia Deo inest; quæ est constans voluntas unicuique tribuendi suum. adeoque & *justitia retribuens* peccato pœnam est proprietas Deo naturalis, non minus quàm bonitas & sanctitas. neque ergo est *res* aliqua *media*, quam possit Deus salvâ naturâ suâ admittere & omittere.

1. Si amor justitiæ & pietatis Deo est naturalis, utique & justitia vindicatrix, sive odium peccati.

2. Psalm. 5: vers. 5. *Non Deus volens* רֶשַׁע *Tu, non cohabitabit tibi malum*. Psalm. 34: vers. 17. פְּנֵי יְהוָה בְּעֹשֵׂי רָע לְהַכְרִית מֵאֶרֶץ זִכְרָם. Roman. 1: vers. 18. *revelatur enim ira Dei.*

3. Deus per justitiam vindicatricem distinguitur ab aliis, etiam falsis Diis. Exod. 34: 7. וְנַקֵּה לֹא יְנַקֶּה: & פֹּקֵד עֲוֺן. 2 Thess. 1: 6. *Justum est apud Deum* ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν. Hab. 1: 13. *Purior oculis &c. quare aspicies perfidos? silebitur, quum absorbet improbus justum præ se?*

4. Lex est speculum divinæ naturæ, quoad actiones morales. Ergo & sanctio legis ejusdem divinæ naturæ hac in parte speculum est. *Maledictus, qui non &c.*

5. Misericordia est Deo naturalis. Ergo & justitia. ejusdem enim generis, licet oppositæ virtutes sunt. Natura omnes docet, Deum esse misericordem erga eos, quibus parcit, & justum adversus eos, quos punit.

6. Ne-

6. Necessum fuit, ut Christus pro peccatis nostris lueret. Ergo justitia Dei, quæ hoc exegit, Deo naturalis est. Non dedisset Filium pro nobis in mortem, si ejus justitia hoc non exegisset. Matth. 26:39. *si possibile.* Hebr. 2:10. ἔπρεπε. Hebr. 9:23. ἀνάγκη οὖν τὰ μὲν ὑποδείγματα &c.

7. Justitia est virtus moralis, quæ maximè decet naturam intelligentem. Atqui Deus est prima omnium natura & mens.

8. Justitia est necessaria illis, quibus cura incumbit conservandi ordinis in societate. peritet mundus, ni fieret justitia. Atqui Deus est Rector totius universi; ordinisque, qui inter res omnes intercedit, Assertor gravissimus. Judex totius mundi annon faceret judicium? Genes. 18:25.

9. Hæcce virtus quia se exserit præcipuè in corripiendis sceleribus, & puniendo malo vehementissimè, describitur Deus, ut *ultor, vindex, zelotes,* cujus via in turbine est & procella; eique attribuitur *excandescentia, fervor, severitas, æstus iræ.* Nahum. 1:1.2.6. qui tamen affectus procul absunt à Deo, licet in judicio illorum cernantur effectus.

10. Est apud Deum δικαίωμα, ὅτι οἱ τὰ κακὰ πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν. Rom. 1:32. Unde hoc δικαίωμα nisi à δικαιοσύνῃ, quæ Deo inest naturaliter?

11. Gentes naturaliter noverunt, θεὸν ἔχειν ἔκδικον ὄμμα. Reconciliando Numini victimas adhibuerunt piaculares; nonnunquam etiam humanas, persuasæ scilicet, *solo sanguine humano iram Deorum immortalium placari posse.* Cæsar libr. 6. de bell. Gall. c. 16. Inde Poëta: *Sanguine placasti ventos, & virgine cæsa.* Iphigeniam, Agamemnonis filiam, Calchas ad placandum Numen mactandam in sacrificio censuit. Ovid. XII. Metamorph. *Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris.* Polyxena, Priami Regis filia, à Pyrrho ad Achillis sepulchrum jugulabatur. Finxerunt gentes, *Astream*, Jovis filiam ad Patris latus collocatam, criminum pœnas continuò exigere. Chrysippus apud Gellium, lib. 14. cap. 4. faciebat Justitiæ imaginem *aspectu vehementi & formidabili.*

12. Inde est, quod tam frequens in sacris mentio *judicii Dei, justi judicii, diei iræ & revelationis judicii.* Rom. 2:2.3.5. 2 Thess. 1:5. Act. 17:31. Es. 42:3.

Justitia Dei venit pro *legali, judiciaria* & *vindicativa* hac. Rom. 3:5. 25. & 26. Act. 17:31. *judicare habitabilem ἐν δικαιοσύνῃ.* Psalm. 50:6. *Indicarunt cœli justitiam ejus. Nam Deus judex est.*

Neque ergo, ut somniavit Osiander, tantùm pro benignitate, beneficentiâ aut misericordiâ venit. Nec illa legalis tantùm voce *iræ* aut *furoris* indicatur. *Ira* in Deo significat, nihil aliud quàm *voluntatem* judicandi sive puniendi peccatum. & *zelum* קִנְאָה, quo asserit, quod sibi charissimum est, veluti cum flagrantia, nempe gloriam suam & nomen suum; quod per peccatum violatur & abnegatur. Nam quod peccat, non *dicit* Deum *Dominum*, & exemplar suum non dicit bonum, & Deum non dicit finem & bonum suum.

Eo ipso, quod Deus habet creaturam intelligentem, fit ejus judex.

Neque posset punire, & ὀργὴν ἐπιφέρειν, si posset non punire. Nam absque ratione puniret. Si enim nulla est ratio, propter quam intersit gloriæ Dei punire peccatum, punitio erit opus ratione carens, & ad gloriam Dei non faciens; aut proveniet ex lubitu destruendi operis manuum suarum. Job. 10:3. הֲטוֹב לְךָ כִּי תַעֲשֹׁק כִּי תִמְאַס יְגִיעַ כַּפֶּיךָ. Non potest autem non punire; quia est exemplar, & creatura intelligens ad imaginem ipsius facta est. Non potest igitur dare communionem sui peccatori; ne testetur se esse similem illius.

Justitia Dei distinguitur in *disponentem*, quæ Deo competit, quatenus est Deus; & *distribuentem*; quatenus est Judex. Illa est, quâ Deus universa & singula justo ordine disponit,

nit, gubernat, & conservat. Sap. 11:21. *Omnia mensurâ numeroque & pondere disposui-sti.* Hæc est *gratia* vel *ira*. Illa est promtissima voluntas præstandi promissa. Ista voluntas implendi comminationes; aliàs *ira* & *odium* appellatur.

Talis igitur cum Deo *justitia* insit necessario & naturaliter, non potuere non peccata hominum puniri severissime. Et hæc quidem *necessitas* non est physica in Deo, ut in igne urendi. neque à coactione. Deus enim à nullo externo principio cogitur. sed à *virtute justitiæ*, quæ perfectissimæ infiniti Numinis naturæ non potest esse non inviolabilis. Igitur quemadmodum homo virtute pollens & necessario benè agit, & ἑκουσίως & μ῀ προαιρέτως; sic ea in Deo agendi necessitas summam comitem habet libertatem.

Justitiæ divinæ norma est sola voluntas Dei, quæ per essentiam suam est justa; non per extraneæ cujusdam normæ vel regulæ applicationem: ut homo *justus* dicitur propter conformitatem cum lege divina. Ita Wendelinus.

Crellius Socinianus cap. 23. ponit *peccata remittere & punire* inter illa, *quæ salvâ naturæ intelligentis* (imò divinæ) *dignitate & fieri & omitti possunt.* Atqui Deus peccata non tantùm non dimittit impunita, sed etiam per naturam non potest impunita dimittere. Nam ab æterno per naturam suam perfectissimè & justissimè odit. Pugnant enim extremè cum puritate & sanctitate ejus. Unde & punire ab æterno decrevit, irrevocabili sententiâ; quæ per sapientiam & immutabilitatem irrita reddi non potest. Imò maluit sanctorum peccata punire in Filio suo unigenito, quàm ea impunita dimittere.

Socinus justitiam Dei punientem ad solorum impœnitentium peccata refert, pœnitentium verò impunita dimitti affirmat. Libr. de Servat. part. 1. cap. 11. concedit competere Deo jus puniendi peccatorem, si velit: imò, necesse esse, ut illo suo jure utatur; nisi peccatorem pœnitentia subeat peccati. Agnoscit in Deo esse justitiam, quâ perpetuo utitur, dum scelestos & contumaces ac perditæ spei homines plectit ac exterminat. Fatetur, Deum, eadem justitia, si velit, peccatores etiam resipiscentes, promissione suæ misericordiæ exclusâ, punire posse. Sed præterea statuit, 1. haud necesse esse, Deum hâc justitiâ uti, si ei placeat misericordia prosequi pœnitentes. 2. necesse esse, facto consilio misericordiæ exercendæ, ut ab usu atque exercitio justitiæ omninò abstineat erga resipiscentes.

Sed sciendum 1. Deum esse naturâ justum, Peccati Hostem, Legis sanctæ Patronum, Ordinis Assertorem, Gloriæ suæ Zelotem, & violatæ Majestatis Vindicem. Hæc omnia quum peccato turbata fuerint, utique, quamvis Deus sit ipsa *Charitas*, & totus *Misericors*, *justitia* ejus debuit satisfieri, & violatio Legis vindicari. 2. Nequit se abnegare. Nec ergo justitiam & illius ἔνδειξιν intermittere. 3. Est *Charitas* & *Amor*. Se ipsum amat perfectissimè, supra omnia; refert alia omnia ad se, & sui summam habet rationem. Ergò non potuit non vindicationem læsæ suæ majestatis & legis violatæ ex perfectissimo sui amore exigere. 4. Similis non potest esse peccatori. Atqui esset, si peccatorem ad se sine culpæ expiatione admitteret. Non enim potest esse communio in Deo sine similitudine cum illo. 5. Gloriam suam Deus non alienat; illius est zelotypus. Ergò gloriam violatam exemplari punitione non potest non vindicare, & quasi in integrum restituere. 6. Legislatoris Dei sarta & integra debet esse auctoritas. Atqui ille Legem & promissis & comminationibus sancivit. has non exsequeretur, si Transgressori *peccâsse* maneret impune. 7. Legis transgressiones impunitas dimittere non est jus, sed injustitia, pugnans cum officio judicis; quæ horrori Deo est. Prov. 17:15. מַצְדִּיק רָשָׁע תּוֹעֲבַת יְהוָה. 8. Infinita inæqualitas est inter Deum & hominem. Tanto igitur gravius adversus ipsum & leges ab ipso positas peccatur; & tantò dignius peccatum est odio; &, quod odium inseparabiliter sequitur, *malo*. 9. Si Deum decet, ne pe-

reat

tente pœnitens, etiam decet illum, ne impunitus maneat peccans. Prius fluit è propensione quadam naturali clementiæ adversus pœnitentes. Posterius è naturali quadam aversione erga peccantes. Horum autem unum alio in sanctissimam Dei naturam haut magis competit.

Objectio Socini. Quilibet homo remittere de jure suo potest. Ergò & Deus de jure puniendi peccata; qui inferior non est homine. Resp. Id verum esse potest de eo jure, quod ad voluntatem & utilitatem spectat; non verò de illo, quod ad honestatem & officium pertinet. Certè Deus de sua majestate, gloria, lege, auctoritate, legislatoris judicisque munere nil detrahere aut remittere potest. Deus nonnulla non potest, quæ homo potest; quia longe eo est superior. Homo potest renunciare dominio, quod in servum habet; & jus omne suum in illum abdicare. Deus id non potest propter majestatem suam. se ipsum enim abnegaret. Imò si hæc regula vera, jam Deus etiam potest remittere peccata impœnitentium, quia & nos non tantùm possumus, sed etiam debemus eis remittere. Privata injuria potest remitti. publicam tamen Judex aut Dominus non debet, nisi ob causas gravissimas. Deus eatenus hîc de jure suo remisit, quia non in ipsis personis, sed illorum Sponsore peccata punivit.

Alii etiam ita objiciunt. Summè misericors non est summè justus. Resp. Utraque virtus excellentissimè Deo inest. una ab altera non excluditur vel evertitur. Virtutum harum exercitia non se tollunt mutuo, nec impediunt. neque enim circa idem versantur objectum. Erga alios Deus est summè justus; erga alios summè misericors: alios amat; alios odit. In nonnullis justitiam misericordia temperat. ut in iis, quos in Christo servat. Nulla tamen peccata impunita dimittit. Vel enim in ipsis peccatoribus, vel in Mediatore ipsorum illa punit. Omnes Dei proprietates concordant inter se amicè. habent etiam necessariam quandam σχέσιν seu relationem ad objectorum, circa quæ exserere se debent, qualitates. nunquam se exserunt, nisi ubi tales qualitates occurrunt; & ubi illæ occurrunt, necessariò se exserunt. Ubi *peccatum* existit, exserit se *justitia* virtus. ubi pœnitentia & satisfactio peccati, tum demum & *misericordia*. Sed ubi hæc absunt, misericordia quasi inhibetur, & justitiæ suum exercitium permittitur. Neque tamen Deus propterea minus in se est misericors & gratiosus. Exercet misericordiam, ubi id potest μετ' εὐπρεπείας. Facit justitiam ad demonstrandam naturalem suam aversionem τῆς ἁμαρτίας. Non quælibet misericordia est virtus, sed ea demum, quæ aliis Dei virtutibus, justitiæ & sapientiæ respondet. Deut. 13:8.9. 19:15.21.

Objicitur porrò. Si hæc justitia est Deo naturalis, tum eam necessariò exercebit adversus omnes peccantes; nec poterit suspendere pœnam, aut condonare peccatum. Resp. Non sequitur. Omnium enim divinorum attributorum actus à voluntate divina exercentur secundùm sapientiam ejus, quæ aliorum attributorum rationem hîc quoque habet; veluti longanimitatis divinæ, misericordiæ, &c. In punitione peccati triplicem *justitia* divina οἰκονομίαν seu dispensationem admisit. 1. respectu *temporis*. Non statim pœnam exegit. Exspectavit inter peccata. 2. respectu *personarum*. Vadem pro peccatoribus substituit; & in eo Legis rigorem benignissimè quasi relaxavit. 3. respectu *pœnarum*, quas merueramus *infinitas*, & in duratione & in atrocitate. Sponsor infinitas atrocitate seu magnitudine, vehementia & intensione sustinuit. quæ tamen infinitas inprimis æstimanda est ex infinita dignitate Personæ, quæ passa est.

Propter *justitiam*, quæ in eo consistit, ut Deus judicet secundùm veritatem, removetur à Deo προσωποληψία *acceptio personæ* in judicio: & propter dependentiam creaturæ à Deo in esse & habere, removetur ab ipso προσωποληψία in distributione donorum gratiæ. Gal. 2:6.

Neque enim ei, quod amplius accepit, amplius obligatur dare, quàm alteri, quod nihil accepit & nihil habet.

Justitia Dei non impedit *longanimitatem*, quâ potest decenter tolerare peccatorem, & ei insuper benefacere. quæ πλειότης *perfectio* dicitur. Matth. 5:45.48. Neque enim, cujus δικαίωμα, *jus* aut *justitiæ demonstratio* est, puniendo peccatum vindicare gloriam suam, illi necesse est punire, *quantum* potest, & *statim* atque potest, & *in ipso* peccatore. Satis est, ut se *sanctificet* coram creatura intelligenti. quod variis modis fieri potest; & si *ad condemnationem peccati semel* fiat, ut semper per verbum gratiæ notificetur, satis est.

Hæc *longanimitas* etiam dicitur *Patientia*, quâ ita iram suam moderatur Deus erga creaturas, ut vel pœnas differat, vel iram uno momento non effundat.

Contra *patientiam* Dei ita nonnulli. 1. *Patientia* dicitur à *patiendo*. Atqui Deus est ἀπαθής. Resp. Divina patientia est sine passione & potentia passiva. notat Dei propensam voluntatem differendi pœnas, & ipsam pœnarum dilationem.

2. *Patientia* non est *æterna*. est enim circa peccatores, qui ab æterno non fuerunt. Ergò non est proprietas Dei nec in æterno. Resp. Voluntas & virtus, quæ dicitur patientia, est æterna. Exsecutio & exercitium illius in tempore patefactum. Vis creandi est in Deo æterna. In tempore tamen circa creaturas demum exercita. Et ita *Potentia* Dei.

Et hæc omnia, de quibus hactenus, Deus *immutabiliter est*.

Immutabilis est Deus. quo ipso ex categoria *qualitatis* eximitur; & omnis motus de eo negatur. *Immutabilis* 1. *in se ipso*. Est enim immobilis, & ratione essentiæ simplicissimæ & perfectissimæ; & ratione loci, quia immensus est, atque implet omnia. 2. *in operibus* Decrevit omnia ab æterno uniformiter, & exsequitur suo tempore admirabiliter, juxta immutabile consilium voluntatis suæ.

Τὰ ἀΐδια sunt ἀναλλοίωτα. Quod æternum est, semper *idem* manet.

Immutabilitas Dei adversus *Vorstium* & *Anabaptistas* asserenda est.

Mutari aliqua res secundùm Aristotelem dicitur, 1. secundùm essentiam. 2. quantitatem. 3. qualitatem. 4. motum localem.

Non ex *æternitate* tantùm probatur Deus simpliciter & prorsus immutabilis; sed etiam sic. Non est mutabilis, 1. ratione *essentiæ*. quia hoc modo non semper esset Deus, sed aliquando non esset. 2. non ratione *loci*. moveretur enim de loco in locum; quod non potest convenire Infinito. 3. nec ratione *accidentium*. nullum enim in Deo est accidens. 4. nec ratione *decreti* sive propositæ voluntatis. quia non mutat Deus, quod semel decrevit. Es. 46. ✠. 10. *Consilium meum stabit*, וְכָל־חֶפְצִי *faciam*. 5. nec ratione *cognitionis*. neque enim Deus falli potest in scientia, quia est omniscius. Si autem Deus mutabilis esset, id uno horum modorum esset.

Porrò summè perfectum nequit mutari. Quicquid mutatur, mutatur aut in melius, aut in deterius aut in statum priori æqualem. Atqui summè perfectum non potest mutari *in deterius*. quod enim potentiam habet ad deterius, non est summè perfectum. potest enim eo dari quid magis perfectum. Nec *in melius*. ita summè perfectum ne quidem esset. nam illud melius, in quod mutaretur, magis perfectum esset. Neque in *statum* priori *æqualem*; ita ut aliquid boni, quod prius habuerit, deponat, & solum quid, quod prius non habuit, assumat. quoniam hoc modo, cum aliquo bono semper esset destitutum, non esset perfectissimum. Denique, quod mutatur, mutatur vel ab *externa causa*. Atqui non id potest Deus, quia est prima causa efficiens, sustentans & conservans omnia. Vel ab *interno*

motus principio. neque ita mutari poteſt Deus. hoc enim modo eſſet compoſitus, qui eſt ſimpliciſſimus. deberent enim in eo eſſe movens & motum. etiam conſtaret potentia paſſiva, cùm ſit actus puriſſimus.

Accedant teſtimonia Scripturæ. Pſalm. 102: 28, *Tu verò idem es, & anni tui non deficiunt.* Mal. 3: 6. כִּי אֲנִי יְהוָה לֹא שָׁנִיתִי. Jacob. 1: 17. *παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγή, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα.*

Dicunt Anabaptiſtæ. Eſſentia Dei mutatur; quia Deus homo factus eſt. mutatus ergo, novâ ſubſtantiali perfectione acquiſitâ? Reſp. *Activa* mutatio convenit Deo. nam omnia ſuâ virtute mutat. *Paſſiva* non. careret enim aliquâ perfectione, & eam acquireret de novo. Deus homo *factus* dicitur *activè*, non *paſſivè.* non accepit aliquam ab humanitate perfectionem, ſed eam illi communicavit. nam ipſe perfectior factus eſt, ſed naturam humanam perfectiorem fecit. Eſt aliqua in ſe perfectio, eſſe hominem: tamen adjuncta Deo ejus perfectionem non auget. non enim accipit ab illâ perfectionem, quâ antè caruerit. Deus omnem creaturarum perfectionem in ſe eminenter continet. quapropter accedente quâcunque perfectione creatâ non fit perfectior. Ita Scholaſtici docent, mundum unà cum Deo acceptum, plura quidem eſſe bona & plura perfecta; non tamen eſſe majus & perfectius bonum, quàm ipſe Deus. ut anima rationalis unita corpori id activè perficit; non verò ab eo paſſivè perficitur. Anima, actuando & perficiendo corpus, non mutatur ipſa, ſed mutat. corpus verò recipiens paſſivè perfectionem ab anima propriè mutatur. Ita Deus unitus ſuâ ſubſiſtentiâ naturæ humanæ non mutatur. habet enim ſe in hac unione per modum actus perficientis, ſed humana natura paſſivè à λόγῳ recipiens ſubſiſtendi perfectionem immutatur.

Præcipua verò cum Vorſtio diſputatio eſt, de mutabilitate actionum Dei internarum, divini conſilii & divinæ voluntatis; quas Vorſtius ſæpè in Deo, pro externarum rerum occaſione, variari ac mutari vult.

Contra afferimus rationes.

1. E loco Jacob. 1: 17. Si in Deo nulla eſt mutatio. Ergo nec in ejus conſilio aut voluntate.

2. E locis, Eſ. 46: 10. Malach. 3: 6. in quibus propriè de divinâ voluntate & conſiliis agitur. adde Hebr. 6: 17. 18. Deus *volens περισσότερον ἐπιδεῖξαι hæredibus promiſsionis τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, medius interceßit ὅρκῳ, ut per duas res immutabiles,* (nempe promiſſionem & juramentum,) *in quibus impoßibile ψεύσασθαι θεὸν, conſolationem habeamus.*

3. Si mutat Deus conſilium, aut propter defectum *potentiæ*, aut *ſapientiæ* mutat. hæ enim ſolæ in hominibus mutandorum cauſæ ſunt conſiliorum. Atqui neutrum cadit in Deum. *Quis voluntati ejus ἀνθέστηκε.* Rom. cap. 9. verſ. 19. *Novi, quod omne potes.* וְלֹא יִבָּצֵר מִמְּךָ מְזִמָּה, Job. 42: 2. adde Eſ. 40: 14. אֶת־מִי נוֹעָץ *cum quo communicavit conſilium; ut fecerit illum intelligere; & docuerit illum in ſemita judicii, & docuerit illum* דַּעַת וְדֶרֶךְ תְּבוּנוֹת יוֹדִיעֶנּוּ: & Prov. 21: 30. אֵין חָכְמָה וְאֵין תְּבוּנָה וְאֵין עֵצָה לְנֶגֶד יְהוָה. *Nulla eſt ſapientia, nulla intelligentia, nullumque conſilium ex adverſum Jehovæ.*

4. Si Deus mutaret conſilium ſuum, aut in melius aut in deterius mutaret. Neutrum poteſt. quia eſt ſapientiſſimus & optimus.

Quæcunque mutatio Deo in Scripturis tribui videtur, non eſt in Deo, ſed in rebus. Igitur, cum *pœnitentia* de Deo enunciatur, non ſignificat mutationem *affectuum* in Deo, ſed *effectuum* Dei in hominibus.

Pœnitentiâ enim Deus non afficitur. Num. 23: 13. Ipsius προθέσις, χαρίσματα, κλήσις sunt ἀμεταμέλητα. Rom. 11: 29. non tantùm, quia χάρις notat irrevocabilem donandi voluntatem, & κλῆσις, sive τὸ velle aliquid venire, non potest stare cum voluntate, quâ quid abigitur & abesse jubetur; sed etiam propter immutabilitatem naturæ. Neque nova in Deo existere voluntas potest, sed omne ipsius decretum & consilium æternum est; nec scientia; sed omnia ab æterno intuetur. Cavillum est; non posse quidem in Deo existere novam voluntatem ac scientiam; sed posse aliquid fieri novè objectum divinæ voluntatis & scientiæ. Quasi non, esse objectum voluntatis & scientiæ, sit, decerni & sciri.

De infinitate Dei ac immensitate jam suprà. Addantur verò nonnulla.

Infinitas alia est ipsius *essentiæ* in sese; alia respectu *extensionis*.

Essentiæ in sese est tum ratione *supereminentiæ*, tum *virtutis*. *Supereminentiæ*, quâ dicitur ὀσία ὑπερέσιος, quæ omnes categorias & rerum aliarum dignitatem infinitè transcendit, expers omnis materiæ & potentiæ passivæ, quæ entium ignobilissima sunt. Ratione *virtutis*, quâ Deus intelligit, & potest infinita, & re ipsa efficit.

Extensionis autem alia est secundùm *locum*, quæ dicitur immensitas; alia secundùm *tempus*, quæ æternitas. Quorum hæc durationis, illa dimensionis est reductivè.

Infinitas in Deo non est magnitudo aut multitudo, quam non liceat pertransire, sed potestas immensa, seu actus, immensitas, qua nec extrinsecus, nec intrinsecus finitus est, in seipso ubique totus.

Duplex est *infinitatis* modus. *Primus*, quo omnis causæ, tam externæ, quàm internæ est expers. Unde ἄναρχος, ἀναίτιος, imò & *increatus* dici solet. Et *externa* quidem, quia nec *efficiente*; (ante ipsum enim non est Deus. Es. 43: 10. nec potest esse, quia *primus* est & *ultimus*, Es. 44: 6. 7.) nec *fine*; (quia efficiente caret, & ultimus finis est omnium, ac summum bonum, Rom. 11: 36. Prov. 16: 4.) terminatur. *Interna* etiam expers est, quia nec *materiâ*, ex qua, quia omnis materiæ auctor, Es. 44: 24. nec *formâ*, per quam existat, constat: quia nec efficientem habet causam, à quâ; nec materiam informandam, in quam introducatur, quum ipsemet sibi ipsi quasi forma sit, & omnia: adeò ut *forma Dei* Phil. 2: 6. nil aliud sit, quàm ipsa infinita Deitas. *Secundus*, quo ab omni temporis locique mensura est immunis. quæ infinitas in propriè dictam æternitatem, & immensitatem distribuitur.

Æternus est Deus, hoc est, caret initio, successione, fine.

Æternitate eximitur Deus à categoria *quando*, seu temporis. Cùm Deus sit primum movens, quod movet omnia, quæ moventur, nec movetur ab alio; sequitur, Deum non esse tempori obnoxium; quod est numerus motus per prius & posterius. Inde dicitur שֹׁכֵן עַד *habitator æternitatis*. Es. 57: 15. Tria æternitati essentialia sunt. 1. caret principio & fine. 2. tota est continua & præsentanea; sine successione partium præteriti, aut futuri, & prioris, Apoc. 1: 4. aut posterioris. 3. immutabiliter est hoc quod est. Hoc ultimum utriusque prioris fundamentum est. Quod enim mutatur, præteritum habet & futurum, & quiddam prius, quiddam posterius. Atque ut motus ad mutationem; mutatio verò ad generationem & interitum ducit; ita contrà immutabilitas ad æternitatem.

Æternitas propriè dicta est duratio infinita, seu quæ omni termino & mutatione necessariò caret. Hoc attributum soli Deo convenit. Dicitur *à seculo in seculum Deus*, Psal. 90: 2. *primus & ultimus*, Es. 44: 6. 48: 12. ac *solus immortalis*, 1 Tim. 6: 16. *Idem semper manet*, Psal. 102: 27. 28. Hebr. 1: 11. 12. *incorruptibilis*, 1 Tim. 1: 17. apud

quem

quem non est *τροπῆς ἀποσκίασμα*, Jacob. 1: 17. & propriè *æternus* est, Rom. 16: 26. Es. 40: 28. Gen. 21: 33. אֵל עוֹלָם. 1 Tim. 1: 17.

Creaturæ non nisi impropriè ac metaphoricè *æterna* appellantur. Habent enim initium à Deo, & finem habere possent, per Dei potentiam; multisque successionis ac mutationis modis subjiciuntur. Licet igitur suo modo sint æternæ; tamen respectu Dei, qui est fons essentiæ & vitæ, Ps. 34: 10. nec æternæ sunt, nec quicquam esse censentur divinitus. Es. 40: 17.

Boëthius ita definivit *æternitatem*. Est *indeterminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*. Horum utrumque in tempore reperitur.

At *Deus* dicitur *αὐτουὸν a se ipso*. Resp. Id non significat *affirmativè*, à se ipso ortum habere, cùm nondum esset. nam hoc esset oppositum in apposito. sed significat *negativè*, à nullo ortum habere, sed à se ipso esse, & se ipso esse, esse scilicet ens primum, à nullo alio pendens, & *ἀνυπεύθυνος*. Deus dicitur *à se esse*, non absolutè & *κατὰ θέσιν*, sive ortu sive actu, quod à se producatur & subsistat: sed figuratè *κατ' ἀναίρεσιν*, quod non producatur aut subsistat ab alio ullo.

Æternitas est sine aliqua mutatione & successione, tota simul. Id quidem negat Vorstius; sed ita probatur. 1. ex locis Scripturæ, qui omnes temporum differentias Deo simul tribuunt. Psalm. 102: 27. Hebr. 1: 11. *Cœli peribunt, σὺ δὲ διαμένεις. & omnes ut vestis παλαιωθήσονται. σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψουσι.* Heb. 13: 8. *Jesus Christus heri & hodie idem, & in secula.* Apoc. 1: 8. *Qui est, qui erat, qui venturus est.* Ideò verò omnes temporum differentiæ Deo *simul* tribuuntur, ut ostendatur, ea unum & idem esse in Deo. Ideò dicitur אֶהְיֶה Exod. 3: 14. & יְהוָה *qui est.* & Psalm. 2: 7. *Hodie genui te.* & 2 Pet. 3: 8. *μία ἡμέρα παρὰ Κυρίῳ ὡς χίλια ἔτη, καὶ χίλια ἔτη ὡς ἡμέρα μία.* Job. 36: 26: הֶן־אֵל שַׂגִּיא וְלֹא נֵדָע מִסְפַּר שָׁנָיו וְלֹא־חֵקֶר. Hæc non possent verè de Deo enunciari, si in eo locum haberet temporum mutatio & successio; ut in creaturis.

2. In Deum nulla cadit successio temporis. Ergo nec in ejus æternitatem. Nam æternitas Dei est essentiale attributum Dei, ac proinde ipse Deus æternus. Imò omnis rei duratio non differt à re ipsa, nisi ratione. Nam duratio rei est res cum negatione destructionis ejus.

3. In omni successione est reductio potentiæ ad actum; item ab esse ad non esse, & à non esse ad esse. Nam duratio præterita non amplius est; futura verò nondum est. At aliquid in Deo fuisse, quod non amplius est, aut aliquid futurum, quod nondum est, à Dei immutabilitate est planè alienum, quum Deus sit perfectissimus & simplicissimus actus.

4. Scientia Dei est immutabilis, ut & aliæ ejus actiones immanentes: sunt omnes æternæ & individuæ. carent successione temporis. Si omnia Dei scientiæ ab æterno unico intuitu sunt præsentia, citra omnem successionem præteriti & futuri; tum etiam essentiæ ejus omnia sunt præsentia; quia scientia ejus est essentia ejus. Scientiæ Dei autem omnia esse præsentia & ab æterno cognita, constat è Psalm. 139: 2. Act. 15: 18. *Nota sunt Deo à seculo opera sua omnia.* Hebr. 4: 13.

Inst. At Deus dicitur res præscire & prænosse. Resp. Id dicitur respectu ipsarum rerum, quæ divinà scientià posteriores sunt. etsi etiam suo tempore cum æternà Dei scientià coexistunt.

5. Scriptura pro eisdem ponit, *ab æterno* esse aliquid factum, & ante *mundi fundationem* aliquid esse factum. Ergo nulla est successio temporum in æternitate ante creatum mun-

mundum. Si ante creatum mundum non fuit, ergo nec post creatum mundum in Dei æternitate ulla successio est. quum in Dei æternitate per rerum creationem nihil Deo detractum sit, aut ejus perfectioni. Sic Angelus jurat, Apoc. 10:6. post mundi hujus finem *non amplius fore tempus*. & tamen Deus in se non mutabitur.

Obj. Si præteritum & futurum coëxistit æternitati; ergo ea quoque inter se coëxistunt. Nam quæ in uno tertio conveniunt, etiam inter se conveniunt. Resp. consequentia negatur. Consistunt enim cum æternitate, non confusè, sed ordine eo, quo existunt. Quemadmodum Sol & motus ejus coëxistunt omnibus diebus seculi: nec tamen hinc sequitur, eos omnes inter se coëxistere; quia quisque dies in suo ordine coëxistit cum Sole, qui semper est idem. In æternitate autem, etiamsi omnia comprehendantur simul, non tamen confusè comprehenduntur, sed unumquodque suo ordine. Sic Adam & filii ejus ac nepotes coëxistunt æternitati, sed tamen in suo quisque ordine. præsens coëxistit æternitati; futurus etiam coëxistit æternitati; etiam præteritus cum eadem coëxistit, & omnes in suo ordine simul comprehenduntur æternitate. Quemadmodum exigua aquæ portio, quæ fluit in medio mari, secundùm omnes sui partes à mari contingitur & eo comprehenditur, & tamen omnes guttæ in illa portione se mutuo non contingunt.

Obj. Res nunquam orientur aut occident, quia semper erunt præsentes æternitati. Resp. Respectu æternitatis non oriuntur aut occidunt: quia post æternitatem, aut ante æternitatem non oriuntur aut pereunt, sed respectu existentiæ suæ in tempore.

Obj. Scriptura Deo differentias temporum adscribit. Apoc. 1:4. Dan. 7:9. *antiquus dierum*. Psalm. 102. 28. Es. 44:1. *primus & novissimus*. Resp. Hæc ad nostrum fiunt intelligendi captum. & ex re ipsa, propter quam hæc Deo tribuuntur, evidenter demonstratur, in Dei æternitate nullam esse successionem aut mutationem.

עַתִּיק יוֹמִין *permanens dierum*. Dan. 7:9. (עַתִּיק *permanens*, *μὴ παλαιούμενον*, Es. 23: vers. 18.) Coëxistentia rerum tempori subjectarum nullum affert Deo fluxum, ut largitur denominationem. Est enim הוּא *ὁ αὐτὸς*, *primus & ultimus*. cum quo creatura aliquando non fuit. sine ipso contra nihil unquam est. *cum ultimis idem. vivens*, Apoc. 1:18. Hos. 2:1. Psalm. 42:3. *vitam in se ipso habens. a seculo est, a die, ab initio.* Psalm. 90:2. Es. 43:13. Joh. 1:1. habens *vitam indissolubilem*. Hebr. 7:16. *ἄφθαρτος, μόνος ἔχων ἀθανασίαν*. 1 Tim. 6:16. אֵל עוֹלָם, Genes. 14:33. אֱלֹהֵי עוֹלָם, Es. 40:28. *βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἄφθαρτος*. 1 Tim. 1:17. adde Ps. 90:2. וּמֵעוֹלָם עַד־עוֹלָם אַתָּה אֵל. *Seculum* עוֹלָם est tempus omne atque integrum cujusque rei. Habet enim quævis res suum עוֹלָם *αἰῶνα seculum*. Deus fuit in principio, & cum ultimis manet idem. Omne tempus ullius rei Deum non comprehendit, & ipsius vitam non mensurat.

Æternitas est incommunicabilis. Quicquid æternum est, est immutabile. Quicquid immutabile, id perfectissimum est. Quod autem perfectissimum est, id Deus est. Creatura autem Deus non est.

In vanum metues, æternitatem interituram, nisi habeat fluxum prioris & posterioris momenti. In punctum enim redigi. Abjice, quando de Deo cogitas, cogitationem temporis, quod est mixtum quid ex esse & non esse. nam quod fuit, non est; quod est, statim fiet, quod nondum est, sed erit.

Puerile & illud est. Si æternitas Dei nullas habet partes, nihilque in ea est prius & posterius; certè quum omnia in æternitate fiant, omnia eodem momento fient, &, quicquid Deus semel fecit aut facturus est, æternum fecit ac facturus est. Nam neque æternitas habet momenta; neque ea, quæ prius ac posterius eduntur, in æternitate eduntur. Deus

autem,

autem, qui æternus est, æterno consilio æternâque voluntate ea facit esse & apparere suo quodque tempore. Sic dico. Propter æternum Dei consilium & voluntatem omnia sunt in tempore à principio & in perpetuum.

Si vita Dei haberet successionem, anni ejus & numerum & initium haberent. igitur nec esset. Quorumcunque duratio sub lapsu temporis est, & habet prius ac posterius, ea nec æterna simpliciter, nec Deo coæterna esse possunt, sed necessario initium habent.

Dei essentia est immensa; nullis rerum aut locorum spatiis conclusa vel exclusa.

Immensitas in Deo est actus infinitus, quo nusquam est circumscriptivè, in omnibus verò repletivè, & per essentiam totus ubique, & in rebus ipsis per præsentiam & virtutem. Psal. 139:6. Es. 66:1. Jerem. 23:23.

Est Deus & in omnibus, & extra omnia; continens universa, & contentus nusquam. quemadmodum sphætæ extimæ spatium ubique est, circumferentia nullibi.

Individua Dei essentia nullâ loci dimensione finiri potest. A Judæis Deus metonymicè מקום *Locus* vocatur, quod *sit ubique, nec ullus tamen locus eum valeat comprehendere.* Tisbi.

De hoc divino attributo perversè sentiunt Vorstius, nonnulli Remonstrantes, & Cuiper, Anabaptista, Harlemensis Episcopus.

Quæstio est; An Deus per *essentiam* suam omnibus rebus creatis sit præsens? an verò per suam *virtutem* & *potentiam* tantùm; essentia verò divina in aliqua tantùm cœli parte locum habeat? Prius tenent Orthodoxi. 1. è locis Scripturæ. Psalm. 139: vers. 6.7. Esai. cap. 40: vers. 12. adde vers. 22. הַיֹּשֵׁב עַל־חוּג הָאָרֶץ: *& incolæ ejus, ut locustæ. qui extendit cœlos* בְּרֹק: *& dilatat ea ut tentorium ad habitandum.* & cap. 66: vers. 1. Jerem. cap. 23: vers. 24. Job. cap. 11: vers. 7.8. 1 Reg. cap. 8:27. Psalm. 145:3. Psalm. 147:5. 2. Deus cœlum & terram & omnia, quæ in eis sunt, præsens è nihilo creavit. Ergò omnibus creaturis est præsens per essentiam suam. 3. Res omnes creatas sustentat Deus & gubernat. *In ipso vivimus* &c. Actor. 17:28. *Ipse est ante omnia, & omnia in illo subsistunt.* Col. 1:17. *Ipse fert omnia verbo potentiæ suæ.* Hebr. 1:3. 4. Operatur & inhabitat Deus in omnium cordibus. Matth. 18:20. *Ubi enim sunt duo aut tres συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ibi sum in medio illorum.* Joh. 14:23. *Si quis diligit me, sermonem meum observabit, & Pater meus diliget illum, & ad ipsum veniemus, & mansionem παρ᾽ αὐτῷ ποιήσομεν.* Rom. 8:16. 1 Cor. 6: vers. 19. 5. Deus intuetur & scrutatur corda omnium hominum, qui in toto mundo sunt. Ergo iis per essentiam est præsens. Nam omnis cognitio fit per conjunctionem rei cognitæ cum intellectu cognoscente. Id verò duobus modis fieri potest. 1. per species à rebus abstractas. 2. per conjunctionem intellectus cognoscentis cum ipsa rerum essentia. Posterius hîc tantùm locum habet. Quænam enim species ab omnibus hominum cogitationibus ex corde hominum ascenderent ad cœlum supremum, ad divinum intellectum? Ergò sequitur, divinum intellectum omnia penetrare, & omnia per se scrutari, & præsentem esse cordibus hominum. 6. Idem probatur ab hypostatica unione humanæ naturæ Christi cum ipsius Deitate, quum ambularet in terra. Non dicent; divinam naturam Christi cœlum deseruisse, quando cum natura humana hic conjuncta erat. quod divinæ essentiæ divisionem inducit: aut, per solam operationem divinæ naturæ in humanam, unionem hanc esse factam. id quod Nestorianum est.

Objiciunt. 1. Scripturam sæpe affirmare, Deum ratione substantiæ suæ tantùm esse in cœlo. Resp. Nullibi dicit, esse tantùm in cœlo.

2. Indignum est Deo, in locis sordidis purissimâ suâ essentiâ adesse. Ipsa Dei majestas videtur postulare, ut essentiam suam à rebus his terrenis & sordidis abstractam habeat: quia alioquin rebus illis misceri & pars earum videtur fieri. Resp. 1. Id non videtur de Sole, Luna, Stellis, Cœlis. 2. Dei essentia cum rebus non miscetur; nec à sordidis inficitur; non magis, quàm lumen Solis, aut anima nostra cum locis sordidis corporis nostri, quæ tamen etiam sustentat & regit. Essentia Filii Dei in utero virginis fuit hypostaticè unita cum carne Christi; citra pollutionem divinæ essentiæ. Loca sordida sæpè mutantur in splendida, & vice versa. An ergo Deus tum quoque locum mutat?

3. Si Deus est infinitus, ubi ergo extra mundum? Resp. Antequam mundum condidit, erat in se ipso. Tertullianus adversus Praxeam. *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi & locus, & mundus, & omnia.* Unde & versus: *Dic, ubi tunc esset, quum præter eum nihil esset? Tunc, ubi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.* Hæc tantùm hic notetur differentia. Ante rerum ceationem Deus in se erat per essentiam suam & internas operationes. Post res autem creatas per essentiam suam, cognitionem sui, ac providentiam seu operationes etiam ad extra; & his consentit Joh. 14: 10. *Annon credis, quod ego sum in Patre, & Pater in me est?* 1 Cor. 2: 11. *Quis hominum novit ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso? Sic etiam nemo novit ea, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei, qui in ipso est.* Augustinus libr. 7. de Civit. Dei, cap. 30. *Deus ubique totus, implens cœlum & terram, præsente potentiâ, non absente naturâ.* Augustinus in Psal. 122. *Antequam faceret Deus sanctos, ubi habitabat? In se habitabat.* Augustinus. *Deus est in mundo non inclusus; extra mundum non exclusus; supra mundum non elatus; infra mundum non depressus.*

Deus ratione essentiæ suæ immensæ à nulla creatura abest; tamen quoad *præsentiæ efficaciam* non omnibus eodem modo adest. Quatuor numerantur *gradus* divinæ præsentiæ.

1. Quo adest Deus omnibus creaturis, eas omnes conservans & regens. 2. Quo adest Angelis & hominibus beatis in cœlo; quos etiam vitæ æternæ beatitate perfundit. 3. Quo adest piis & renatis in hac vita, in quibus habitat per fidem. 4. Quo adest humanæ naturæ Christi; quam sibi univit hypostaticè. Hic summus & admirandus est divinæ præsentiæ gradus.

Scholastici hos speciales modos constituunt. Est Deus 1. in humanitate Christi, per unionem hypostaticam. 2. in Sanctis, per cognitionem & amorem. 3. in Ecclesia, per essentiam & directionem. 4. in cœlo, per majestatem & gloriam. 5. in inferno, per justitiam vindicativam.

Hic magnus Deus, de quo hactenus, est *unicus & unus*. Deut. 6: 4. 1 Tim. 2: 5. Ephes. 4: 6. 1 Cor. 8: 5. 6. Marc. 12: 32. Rom. 3: 29. 30. *Unus* dicitur, non genere, sed unitate illa perfectissima, quæ in creaturis numerica & individualis solet appellari.

Tertullianus contra Marcion. libr. 4. *Veritas Christiana distinctè pronunciat, Deus, si non unus est, non est.*

Quæstio. An rectè dicatur Deus *unus* numero? Resp. Si unum numero notet *unicum*, affirmamus. Si verò *individuum* seu *unum è multis ejusdem speciei*, negamus.

Calvinus. Verum est, unius Dei nomen ubique fuisse notum & celebre. Nam qui ingentem Deorum turbam colebant, quoties ex genuino naturæ sensu loquuti sunt, ac si unico Deo contenti essent, simpliciter usi sunt Dei nomine. Id notavit Justinus Martyr in libro de *Monarchia Dei:* ubi ex plurimis testimoniis ostendit, unitatem Dei fuisse omnium cordibus insculptam. Idem etiam Tertullianus ex communi sermone probat.

DE

DE DEO UNO ET TRINO.

Deum esse, non nisi impius negaverit. Infinitum esse, omni modo ipsa recta ratio dictat. Unum & simplicissimum esse, indidem confirmatur: sapientissimi Ethnicorum agnoverunt, licet promiscuum vulgus, superstitione vanâ dementatum, πολυθεότητα crediderit. Trinum esse, non triplicem, humana ratio divinare aut assequi non potuit; sola divina in Sacris Literis revelatio nobis patefecit.

Hujus Mysterii τὸ ὅτι scimus, τὸ ὅπως modum aut rationem nec scimus, nec in hoc mortalitatis statu capere valemus, nec humana verba ad rem tantam explicandam sufficere possunt. ἁπλῆ γνώμη satis hîc esse nobis debet, ut τὸ τὸ λεγόμενον & ὅτι ἐστι ex Scriptura teneamus. Res ipsa, & qualis in se reapse est, perversæ lascivientis ingenii humani ratiocinationi subjicienda haud est. Satis fuerit, si modo in eo mysterio nil statuatur, quod rectæ rationi (quam longè etiam superat) verè repugnet, eamque evertat.

Quò sublimius & divinius hoc mysterium, eo acrius id oppugnavit Satan. Sub Vet. Test. non id adeò ab illo videmus fuisse oppugnatum. fortè, quia tum obscurius illud propositum. Tunc igitur id tantùm egit, ut homines ab unius veri Dei cultu ad πολυθεότητα & δεισιδαιμονίαν converteret. At sub Nov. Test. ubi hoc arcanum revelatum apertius, inde à primis Ecclesiæ incunabulis id variè per plurimos hæreticos oppugnavit. Id egit totis primis sexcentis post Christum natum annis. Tum temporis Satanæ arte enatæ sunt hæreses de Christi Persona & Natura, deque Spiritu Sancto. Voluit hominibus persuadere, vel unam duntaxat, vel tres, aut verò quatuor etiam, distinctas & separatas esse Personas divinitatis. Id quod argumentum veritatis hujus dogmatis est. Non id adeò impugnasset Satan, si cerebri humani commentum tantùm esset, non verò Christianæ religionis adeoque Dei θεμέλιος.

Deum *unum* esse docemur 1. quando plures *uno* esse negantur. Deut. 4:39. *Et nosces hodie, & redire facies ad cor tuum* כִּי יְהוָה הוּא הָאֱלֹהִים בַּשָּׁמַיִם מִמַּעַל וְעַל־הָאָרֶץ מִתָּחַת אֵין עוֹד : Es. 44: vers. 6. *Ego primus, Ego ultimus,* וּמִבַּלְעָדַי אֵין אֱלֹהִים: 1 Cor. 8:4. οὐδεὶς Θεὸς ἕτερος εἰ μὴ εἷς. 2. quando *unus* esse asseritur. Deut. 6:4. *Audi Israël*, &c. Ephes. 4: v. 6. εἷς Θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ὑμῖν. 1 Tim. 2:5. εἷς γὰρ Θεός, εἷς καὶ μεσίτης, &c.

Unitatem confirmant Dei attributa & natura. Scilicet Deus est primum & summum Ens: est primum efficiens, ultimusque rerum omnium finis. Deus est à se, & ab æterno fuit. est perfectissimus & simplicissimus, omni compositione, etiam eâ, quæ constat ex actu & potentia, carens.

Hanc unitatem possumus potius declarare negando, quid & qualis ea non sit, quàm affirmando, quid & qualis ea sit. Deus *unus* non est, quomodo quantum dicitur *unum*. Deus enim quantus non est; nec essentia ejus in partes divisibilis est, sive homogeneas sive heterogeneas, continuas vel discretas, aut contiguas. Neque verò *unus* est ut *punctum*. non

enim Deus sic indivisibilis est, ut punctum est indivisibile; siquidem Deus simul etiam est immensus, & in tres Personas distinguitur. Neque unus est genere aut specie, quomodo animal vel homo dicitur *unus*; non enim sunt nec esse possunt plures genere vel specie, aut numero etiam differentes ac distincti inter se dii. Unus est itaque *numero* potius Deus; quomodo individuus & singularis homo vel Angelus *unus* dicitur, qui in alios homines, vel Angelos, ejusdem generis & speciei dividi non potest. Sed hæc divina unitas aliqua rerum creatarum unitate vix adumbrari, nedum plenè explicari potest, ob essentiæ divinæ summam, infinitam, & ἀκατάληπτον perfectionem.

In hâc numero unâ essentiâ divinâ tres subsistunt distinctæ realiter, etsi non separatæ, Personæ divinæ: earumque unaquæque est verè & essentialiter Deus.

Hæretici omnes has vel Personas permiscent ac confundunt; vel attributa duntaxat, effecta, dona, vel nomina tantùm quædam divina esse dicunt; vel, si Personas distinctas esse concedunt, negant esse divinas; sed creatas tantùm.

Probandum igitur, 1. Tres illos, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, esse à se invicem distinctos. 2. Eorum unumquemque esse Personam verè subsistentem. 3. Personas esse divinas.

Primum quod attinet, Sabellius olim docuit, Tres illos esse tria duntaxat nomina unius & ejusdem Personæ divinæ. Dixit υἱοπάτορα, & μονοούσιον. Tres verò illos ita distinguit Scriptura, ut Pater non sit Filius, neque Spiritus Sanctus, nec Filius vice versâ. In Christi Baptismo *Filius* est, qui aquâ aspergitur: Pater, qui de cœlo clamat: Spiritus Sanctus, qui visibiliter de illo descendit. Quis non hîc agnoscat trium illorum ab invicem distinctionem? Baptizamur *in nomine* (hoc est, auctoritate) Patris, Filii & Spiritûs Sancti; nonne & sic illos tres docemur distinguere, ut unus non sit alius? 1 Joh. 5: 7. *Tres* dicuntur *in cœlo* esse οἱ μαρτυροῦντες. At nuda non perhibent testimonium nomina, sed Personæ. Si una tantùm est tribus hisce nominibus significata, cur *tres* dicuntur? Et, ut naturam & divinam illarum essentiam *unam* tantùm esse constet, additur, ἕν εἰσι.

Pater dicitur genuisse, misisse, tradidisse Filium. Filius exiisse à Patre, esse apud Patrem, in Patre, in sinu Patris. Λόγος dicitur caro factus, in nobis habitâsse, mortuus esse, resurrexisse, ascendisse. Patris & Filii appellationes ipsæ satis apertè distinctionem Personarum innuunt. Spiritus Sanctus dicitur progredi à Patre & Filio, mitti, effundi.

Ad *Secundum*. Patrem quod attinet, nullus unquam Hæreticus negavit, eum esse verè subsistentem Personam divinam. Volunt enim omnes, eum unum esse verè & essentialiter Deum. Sed neque de Filio propriè controversia est, an sit Persona. Manet ergo lis de solo Spiritu Sancto. Hunc nonnulli volunt esse Vim seu Potentiam in Deo, per modum attributi, per quam res effectas dat, vel effectum quoddam singulare illius Potentiæ. Sed & ille *Persona* est. 1. quia habet personale nomen. 2. quia facit personales operationes. 3. quia à Patre & Filio distinguitur. Potentia verò Dei non distinguitur à Deo.

Nunc igitur *tertiò* probandum, omnes has Tres Personas esse *divinas*; hoc est, quod unaquæque illarum sit verè & essentialiter Deus.

De *Patre* nulla est quæstio. Marcionis & Manetis, qui duo Principia, & alium Veteris, alium Novi Testamenti Deum statuerunt, deliria non moramur.

De *Filio* duæ sunt fueruntque olim sententiæ & errores præcipui. Alter *Arrianorum*, qui Christo geminam attribuunt naturam; alteram *humanam*, nostræ similem, è Maria assumtam; alteram *spiritualem*, Angelicæ similem, sed illâ multo digniorem, excellentiorem, superiorem, at creatam tamen, & ex nihilo multis ante mundi creationem sæculis à Patre factam.

factam. Alter *Samoſatenianorum* ſeu *Photinianorum*, qui Chriſtum negant exſtitiſſe ante nativitatem è Maria, eumque volunt eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον; ſed qui poſt reſurrectionem & aſcenſionem ſit deificatus, hoc eſt, Deus factus.

Arriani in eo graviſſimè impingunt, quod naturam, quam Chriſto tribuunt, ſpiritualem, volunt eſſe *creatam*, non *æternam*; fuiſſe aliquod temporis momentum & intervallum, quo non exiſtebat; unde id πολυθρύλλητον: ἦν ποτε ὅτι οὐκ ἦν; & ἐκ μὴ ὄντων. quodque non ſit Patri ὁμοούσιος, ſeu ejuſdem planè naturæ atq; eſſentiæ (N.B. ὁμοούσιος tantum valet ac ὁμῆς οὐσίας, *ejuſdem* cum Patre *eſſentiæ*. Vox Græca ὁμὸς idem valet, quod ὁ αὐτός. Homerus Iliad. Θ. 291. ἠὲ γυναῖχ' ἥ κέν τοι ὁμὸν λέχος εἰσαναβαίνοι. *Aut mulierem, quæ eundem lectum tecum inſcendat.* Adeoque & plus dicit, quàm ὁμούσιος, hoc eſt, ὁμοῦ *ſimul* vel unà cum Patre *exſiſtens*) ſed ὁμοιούσιος, ſimilis ſeu affinis naturæ atque ſubſtantiæ. Contra hos demonſtrandum. 1. Chriſtum ab æterno exſtitiſſe. 2. eſſe ejuſdem cum Patre eſſentiæ. 3. ex ſubſtantia Patris genitum; neque adeò è nihilo factum.

Inſigniter hæc probat locus Prov. 8:23.24. יְהוָה קָנָנִי רֵאשִׁית דַּרְכּוֹ קֶדֶם מִפְעָלָיו מֵאָז : מֵעוֹלָם נִסַּכְתִּי מֵרֹאשׁ מִקַּדְמֵי־אָרֶץ : *Sapientia* loquitur, v. 1. quæ ut indicetur eſſe *ſumma*, dicitur חָכְמוֹת Prov. 9:1. Non eſt illa attributum ſeu proprietas quædam in Deo, nec qualitas ſapientiæ homini infuſa, eique inhærens; ſed eſt *perſona* ſubſiſtens. dicitur enim verſ. 1. *clamare*; & *advocare filios hominis*, verſ. 4. illius eſſe עֵצָה וְתוּשִׁיָּה verſ. 14. per *illam reges regnare* &c. verſ. 15.16. exſtitiſſe *apud Deum ut* אָמוֹן *puellulus nutritius*, filius in ſinu geſtatus; *luſiſſe coram illo* בְּכָל־עֵת: imo *luſiſſe in habitabili*, & *delicias ſuas habuiſſe cum filiis hominum*. verſ. 30.31. Hæc non niſi perſonæ competunt. Nec eſt ipſa *Perſona Patris*. nam ab ea diſtinguitur iſta *Sapientia*. dicitur enim fuiſſe apud Deum אָמוֹן. Ergo eſt *Filius Dei*. confer Matth. 11:19. 1 Cor. 1:30.

Hinc probatur Filii *æternitas*. 1. Quum dicitur habitus à Deo *initio viæ ſuæ*. *Via* notat vitæ actiones. Igitur jam, antequam Deus inciperet quidquam facere, Sapientia erat. 2. Quum dicitur fuiſſe קֶדֶם מִפְעָלָיו *ante molimina ejus*, hoc eſt, decreta. (N. B. פָּעַל eſt *agere moliri*, *machinari*, *parare*. Pſalm. 11:3. צַדִּיק מַה־פָּעָל *juſtus quid egit*? quid molitus eſt? Eſ. 41:4. מִי פָעַל וְעָשָׂה *quis paravit & perfecit*? Prius eſt decreti, conſilii, incepti. Poſterius effectionis ſeu perfectionis. Mich. 2:1. חֹשְׁבֵי־אָוֶן וּפֹעֲלֵי רָע בְּאוֹר הַבֹּקֶר יַעֲשׂוּהָ *cogitantes vanitatem, & parantes malum, quod lucente mane faciunt*. מִפְעָלִים, *molitio*, *conſilium*, *decretum*. Diſtinguuntur Prov. 8:22. à terræ & cœli creatione. מִפְעָלוֹת Pſal. 46:9. 66:5. *Venite & videte* מִפְעֲלוֹת אֱלֹהִים *actiones Dei & conſilia ejus*.) Si quis urgeat vertendum *opera*; jam ſequitur, Sapientiam non eſſe *Dei opus*, ut volunt hæretici. non enim eſſet ante Dei opera omnia: nam non fuit ante ſe ipſam. 3. Quum dicitur fuiſſe *ex tunc*; *a ſeculo* ſeu æterno *uncta*; *a principio*; *ante terram*. Ante terram nil fecit Deus. In principio enim creavit cœlum & terram, hoc eſt, illud, quod Deus primum omnium creavit, eſt cœlum & terra.

Fallunt ergo & falluntur Arriani, quum multis ante mundi creationem ſeculis fingunt exſtitiſſe, & à Deo ἐκ τῶν μὴ ὄντων eductum eſſe τὸν λόγον. Ante mundum nil fuit præter Deum. nil mundum anteceſſit præter ipſam æternitatem. His enim phraſibus æternitas Dei ſignificatur. Pſalm. 90:2. *Antequam montes* יֻלָּדוּ; *& formares terram &* תֵּבֵל; *& a ſeculo & uſque ad ſeculum* אַתָּה אֵל. Pſalm. 93:2. נָכוֹן כִּסְאֲךָ מֵאָז מֵעוֹלָם אָתָּה. Eſ. 41:4. *Quis fecit & vocavit generationes* מֵרֹאשׁ. *Ego* יְהוָה *primus, & cum poſtremis* אֲנִי הוּא.

Natura & *eſſentia* Sapientiæ *divina*, Deo ὁμοούσιος indicatur; cum dicitur אָמוֹן: & *luſiſſe* לְפָנָיו בְּכָל־עֵת. Filius eſt Patri ſimilis; & ejuſdem cum illo naturæ. Imò, quia *luſit omni*

 tempo-

tempore; etiam quum nullum adhuc fuit tempus, ea certè unà cum Deo exstitit perpetuò, fuit illi coæterna.

Ad hunc locum respexit Johannes cap. 1. vers. 1. ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, & quidem πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. & v. 18. ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς. Item Deus ipse Pater, quum proclamavit, *Hic est Filius meus dilectus*, ἐν ᾧ εὐδόκησα, *hunc audite*. Ita enim & hic Sapientia וְעַתָּה בָנִים שִׁמְעוּ לִי: imo ut Sapientia dicitur stetisse *in locis excelsis*, juxta *vias & urbis portas*; ita Christus fecit & secundùm ipsam implevit literam.

Ab æternitate dicitur Christus אֲבִי עַד Es. 9:5. *Pater æternus*, sive, si mavis, *æternitatis*, qui verè possidet æternitatem. Mich. 5:1. *Egressiones ejus* sunt מִקֶּדֶם & מִימֵי עוֹלָם. Apoc. 1:17. 8. 11. τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος. Item, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. in quo est explicatio τοῦ יהוה, in quo nomine omnes temporis differentiæ notantur. Hinc Col. 1. vers. 17. & ille est πρὸ πάντων *ante omnes res*; visibiles, invisibiles.

Ad quatuor autem Classes omnia pro divina Christi natura & essentia argumenta referri possunt. quatenus scilicet Christo tribuuntur 1. Nomina & tituli soli vero Deo proprii. 2. Attributa & proprietates verè divinæ. 3. Actiones planè divinæ. 4. Cultus soli Deo debitus.

Ad primam quod attinet Classem; in Veteri Testamento vocatur Deus T. O. M. 1: אֵל *Deus potens*. 2. אֱלֹהִים *Deus*, cui jus est exigendi sub אָלָה *adjuratione* fidem, confessionem, obedientiam. 3. יְהוָה, qui *est*; *est, quod est*; *fit, quod est*. 4. אֲדֹנָי & אָדוֹן. Pariter Christus dicitur 1. אֵל. Es. 7:14. עִמָּנוּ אֵל. Es. 9:5. אֵל. Psalm. 95:3. *rupes salutis* dicitur אֵל גָּדוֹל. 2. אֱלֹהִים. Psalm. 82:1. אֱלֹהִים *stat in cœtu Dei*. & vers. 8. *Surge* אֱלֹהִים. Psal. 68:28. *Invalesce* אֱלֹהִים. ita dicitur illi, *qui ascendit in altum*. Psal. 45:7. *Solium tuum, Elohim*, עוֹלָם וָעֶד. vers. 8. *Unxit te, Elohim, Deus tuus*. Paulus testatur, ita dici πρὸς τὸν υἱόν. Hebr. 1:8. 9. 3. יְהוָה. Jerem. 23:6. *Jehova justitia nostra*. confer Jerem. 33:16. sic dicitur *Germen justum*, excitandum olim Davidi. Es. 45:24. *Tantum in Jehova justitia & robur*. Atqui *justitia* Christi donum. 1 Cor. 1:30. 2 Petr. 1:1. Es. 40:3. 5. פַּנּוּ *viam Jehovæ. manifestabitur gloria Jehovæ*. Ita Vox clamantis in deserto. Hos. 1:7. Deus dicit, *Domûs Judæ miserebor*; *& servabo illos* בַּיהוָה אֱלֹהֵיהֶם: Atqui Deus servat & reconciliat per Christum. 4. אֲדֹנָי. Esaias narrat, se *vidisse* אֲדֹנָי *sedentem in solio excelso*. c. 6: 1. 2. 3. *vidit* autem tunc *gloriam Christi*. Joh. 12:41. Psalm. 2:4. אֲדֹנָי *subsannat illos*. nimirum, *Rex Sionis*, Filius genitus. Psal. 110:5. אֲדֹנָי *ad dextram tuam*. Ita *Dominus Davidis*, cui dictum, *Sede ad dextram meam*. Imò & אָדוֹן Mal. 3:3. *subito veniet* הָאָדוֹן *& Angelus Testamenti*. Psalm. 114:6. 7. *Coram* אָדוֹן *treme terra*; *coram Deo Iacob*; *qui mutat petram in stagnum aquarum*; *silicem in fontes aquarum*.

Ita & in Novo Testamento dicitur θεός. Joh. 1:1. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Rom. 9:5. *Christus, qui è patribus*, τὸ κατὰ σάρκα, dicitur, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Act. 20:28. *Pascere Ecclesiam Dei*, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος. Joh. 20:28. ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου. 1 Tim. 3:16. θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Tit. 2:13. *exspectantes apparitionem gloriæ* τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. confer 2 Petr. 1:1. *in justitia* τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. & 2 Petr. 2:20. ἐν ἐπιγνώσει τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. & 2 Petr. 3:2. 1 Joh. 5:20. *Novimus, quod Filius Dei venit, & dedit nobis mentem, ut agnoscamus* τὸν ἀληθινὸν *verum illum. Et sumus* ἐν τῷ ἀληθινῷ *in vero illo*. ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ. οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Ita

etiam

etiam Athanasius hunc locum accepit in ἐκθέσει πίστεως. πιστεύομεν εἰς ἕνα μονογενῆ λόγον, &c. Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, ὥς φησιν Ἰωάννης ἐν καθολικαῖς, citatque hunc locum. Luc. 1:16.17. *Multos convertet* ἐπὶ Κύριον τὸν Θεὸν αὐτῶν. *Et ille*, Johannes Baptista, *præibit coram illo*, Domino Deo. Atqui ante Christum ambulavit Johannes.

Ex multorum Veteris Testamenti locorum collatione cum Novo liquet, eum, qui in Veteri proponitur ut Deus Israelis, Creator cœli & terræ, præter quem non est alius, esse *Christum*, de quo loca illa in Novo Testamento accipiuntur. Ex. gr. de monte Sina locutus est *Jehovah*, Deus Israël. Atqui is fuit Christus, Hebr. 12:26. οὗ ἡ φωνὴ τὴν γῆν ἐσάλευσε τότε. confer Psalm. 68:9. *Deus, coram quo stillavit & tremuit mons Sina*, dicitur vers. 18. *ascendisse in altum*. Num. 14:21. conqueritur *Jehovah*. *Tentarunt me his decem vicibus*, confer Psalm. 95:8. *rupes salutis* dicit: *Tentarunt me patres vestri*. At Paulus docet 1 Cor. 10:9. μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν χριστὸν, καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν, καὶ ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο. confer Num. 21:6. Ps. 106:14. In Ægypto multæ fiunt dictæ contumeliæ *Deo Israelis*. vide Exod. 5:2. *Quis est Dominus, cui obediam? Non novi Dominum. Non mittam Israelem*. Atqui omne hoc dicitur ὀνειδισμὸς τοῦ χριστοῦ, Hebr. 11: vers. 26. Esaias cap. 6. describit, se vidisse gloriam יְיָ: & ut est Joh. 12.41. *Hæc dixit Esaias, quum vidit gloriam ipsius*, Jesu Christi, *& locutus est de eo*. confer vers. 27. Ita quod dicitur Joël. 3:5. *Omnis, qui invocabit nomen Domini*, יִמָּלֵט, applicatur Christo Rom. 10:13. Ita quod Es. 45:22. *Mihi incurvabit se omne genu, jurabit omnis lingua*. Rom. 14:11. & Zach. 11:13. וָאֶקְחָה שְׁלֹשִׁים הַכֶּסֶף. Matth. 26:15. οἱ δὲ ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια. adde Matth. 27: vers. 9. Imò & quod Zach. 12:10. *Et aspicient ad me, quem transfixerunt*. cum Joh. 19:37. καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ λέγει. ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. confer Apoc. 1:7.

Arrius fatetur, Christum esse Θεὸν, sed minorem Patre, minorem quendam Deum; aliam esse essentiam Filii ab essentia Patris. esse κατὰ πάντα ἀνόμοιον τῷ πατρί. Docuit Arrius circa annum Christi 324. Hæresis illius latè processit. *Ingemuit totus orbis & Arrianum se esse miratus est*. inquit Hieronymus, Damnatus est in Concilio Nicæno, quod fuit primum œcumenicum à 318. Patribus.

Socinus. *Asserere Christum ita Deum esse, ut summus ille sit altissimusque rerum Auctor, qui cælum terramque condidit, suprema est inscitia*. Et alibi: *Christus etsi verus Deus est, non tamen est ille verus Deus, ille solus perfectissima ratione Deus*. Et: *Christus non est idem cum Patre Deus; sed alius: non naturâ, sed gratiâ factus in tempore. Deus metaphoricè, ob similitudinem aliquam cum Deo, & quidem excellentiorem reliquis creaturis*. Item: *Christus igitur Deus est, quia est Dominus, Princeps, & benefactor noster*.

In eo cavillatur Socinus, quòd Christus dicitur Θεὸς, sine articulo. *Christus*, inquit, *est* Θεὸς, *non* ὁ Θεὸς. Origenes olim dixit. *Patrem esse verum Deum cum articulo*. λόγον verò & *alios Deos participatione, ac sine articulo*. Ita horum errantium *origo* exstitit Origenes. Sed vanum effugium. Ipse Pater sæpe *Deus* dicitur sine articulo, Joh. 1: ℣. 6. 12. 18. Ephes. 4:6. 1 Tim. 2:5. 1 Thess. 1:9. δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ. יְהוָה non patitur articulum. אֱלֹהִים vide sine articulo Gen. 1:1. Articulus, sive absit, sive adsit, ad pondus nil facit. Θεὸς, æternâ divinitate carens & potentiâ, Deus non est. Dicitur tamen & Christus Θεὸς cum articulo. Thomas εἶπεν αὐτῷ. ὁ Θεός μου, Joh. 20: ℣. 28. & 1 Joh. 5: vers. 20. ὁ ἀληθινὸς Θεός. & Tit. 2:13, τοῦ μεγάλου Θεοῦ.

Secundam nunc videamus Classem. Æternitas, omnipræsentia, omnipotentia, omniscientia, immutabilitas, gloria æterna attribuuntur Christo.

Æter-

Æternitas. Illa quidem jam probata est è Prov. 8:23. 24. tamen pluribus nunc asserenda est. Joh. 1:1. ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. Omnia, quæ sunt extra Deum, ἀρχὴν ἔχει. *Cœlum* & *terra*. Gen. 1:1. Matth. 24:21. Marc. 10:6. *Angeli.* Jud. vers. 6. *Euangelium.* Marc. 1:1. *Signa Christi.* Joh. 2: vers. 11. *Salus dicta* διὰ τοῦ Κυρίου. Hebr. 2: vers. 3.

Cùm de λόγῳ dicitur ἐν ἀρχῇ, id *initium* statuendum est, quod πρέπει *decet* illum, *per quem omnia cœperunt esse*, Joh. 1:3. hoc est, ἡ ἀρχὴ τῶν γεγενημένων, *initium rerum creatarum.* Igitur *Sermo* fuit in illo initio, quo cœlum & terra, & quæ sunt in illis, cœperunt esse. Notanda vox ἦν; quæ à Græcis benè explicatur per ὑφίσατο, *subsistebat.* Non ἐγένετο, cœpit esse, ὁ λόγος; sed jam ἦν, jam erat, quum omnia ἐγένετο. Qui autem *in initio erat*, etiam ante initium fuit, adeoque initio caret, & secula omnia transcendit. *Erat ὁ λόγος.* Apoc. 1:8. & Joh. 8:24. *ni credatis*, ὅτι ἐγώ εἰμι, *moriemini.* & vers. 28. τότε γνώσεσθε, ὅτι ἐγώ εἰμι. Deut. 32:39. *Videte nunc*, כִּי אֲנִי אֲנִי הוּא *quod Ego, Ego sum.* Es. 43: v. 10. *ut intelligatis, quod Ego sum.* Angelus visus in rubo dicitur *Ero qui sum.* Exod. 3:14. Act. 7:35. Est יְהוָה Exod. 3:4. Plato observavit, ea propriè dici *esse*, quæ æterna sunt, nec oriuntur, nec occidunt.

Conferantur nunc loci, 1 Joh. 1:1. ὁ ἦν ἀπ' ἀρχῆς. 1 Joh. 2: vers. 13. ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς. Hebr. 7:3. μήτε ζωῆς. Apoc. 22:13. *Ego sum* τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος. Col. 1:17. πρὸ πάντων. Joh. 17:15. *Gloriam habuit apud Patrem* πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι. Ergo & *fuit*, antequam mundus esset. Est illi *Spiritus æternus*, Heb. 9:14. & *precognitus* πρὸ καταβολῆς κόσμου, 1 Petr. 1:24. tali nim. προγνώσει, quæ illi competit; qui *est*; & *initium viæ* Dei est, ante *molimina* ejus, Prov. 8: vers. 22. עַתִּיק יוֹמִין Dan. 7: vers. 9. אֵל גִּבּוֹר Es. 9:5. Hac de causa *prior* illis est, quibus, quoad hominem, erat *posterior*; ut *Johanne*, Joh. 1:15. ὅτι πρῶτός μου ἦν. & *Abrahamo.* πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμι. Joh. 8:58. quem locum Lælius Socinus ita illudit: *Antequam Abraam fiat Abraam, Ego sum.*

Porrò æterna τοῦ λόγου ὕπαρξις etiam ita patet. Apoc. 3:14. dicitur ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ. Qui omnis creaturæ *initium* est, ante initium est, & æternus est. Col. 1: vers. 18. Ἀρχὴ πρωτότοκος. Imò κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς. Col. 2:10. & πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Col. 1:15.

Nonnulli, inter quos Cyrillus Alexandrinus, per *Initium, in quo erat Sermo*, intelligunt *Patrem.* ac si dictum esset: *In Patre erat Sermo.* Sed non convenit vers. 2. *Hic erat in initio apud Deum*; hoc est, è mente illorum, hic erat in Patre apud Deum, adeoque in Patre apud Patrem.

Non tantum æternitatem τοῦ Λόγου Arrius negavit, sed & *Servetus*, *superbissimus ex gente Hispanica nebulo*, ut illum vocat Calvinus in Comment. super Johannem. Is finxit, *Sermonem tunc demum exortum esse, cùm in mundi creatione exsertus est*, hoc est, non fuisse prius, quàm virtus ejus externo opere fuit cognita. utut igitur in principio fuerit creationis, haut quaquam tamen æternum esse.

Omnipræsentia. Matth. 18:20. οὗ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν. cap. 28:20. ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. cum ante dixisset Matth. 26:11. *Me non semper habetis.* August. Tract. 50. in Joh. 5. *Secundùm majestatem suam, secundùm providentiam, secundùm ineffabilem gratiam impletur, quod ab eo dictum est*: Ecce ego vobiscum &c. Joh. 3:13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo Filius hominis*, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Joh. 1:

1.10.

1.10. *Sermo erat apud Deum. In mundo erat.* Hebr. 7: 26. dicitur *altior cœlis.* Prov. 30: 4. Es. 43: 12. 66: 1. *Immensitatis signum* est Ascensio in cœlos. Amos 9: 6. *Qui struit in cœlum gradus suos, & manipulum suum in terra fundavit. qui vocat aquas maris & fundit eas super faciem terræ,* יְהוָה שְׁמוֹ: Ephes. 4: 9. 10. *Hoc verò, ascendit, quid est nisi quod & descendit? qui descendit, ipse est, & qui ascendit supra omnes cœlos,* ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. Denique, Christus replet omnia donis, ambulat in medio Ecclesiarum, Apoc. 2: 1. vivit in fidelibus; Ergò non procul abest ab unoquoque nostrûm.

Omnipotentia. Apoc. 1: 8. ὁ παντοκράτωρ. & 5: 12. *Dignus est agnus* λαβεῖν τὴν δύναμιν. Joh. 5: 19. 20. 21. ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ. Pater omnia δείκνυσιν αὐτῷ ἃ αὐτὸς ποιεῖ. ὁ υἱὸς οὓς θέλει ζωοποιεῖ. Phil. 3: 21. adscribitur illi *transformatio corporis nostri* &c. κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα. Est δύναμις τοῦ Θεοῦ, 1 Cor. 1: 24. *Filius* ἐν δυνάμει. Rom. 1: 4. *Oves ejus quis* ἁρπάσει *è manu ejus?* Joh. 10: 18. confer vers. 30. Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. Es. 50: 2. *Nunquid abbreviata est manus mea, ne possit redimere? & an non est in me vis ad eripiendum?* Joh. 14: 13. *quicquid petieritis in nomine meo,* τοῦτο ποιήσω. confer vers. 14. Judæ vers. 1. dicuntur κλητοί, Ἰησοῦ Χριστῷ τετηρημένοι. Heb. 1: 3. φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Es. 11: 2. *& quiescet super illum Spiritus consilii* וּגְבוּרָה Ab hac *potentiâ* est, quod ἐδόθη αὐτῷ πᾶσα ἐξουσία *in cœlo & terra.* Matth. 28: 18. *Omnia sunt data in manum Christi,* ut faciat omnia secundùm voluntatem suam. Hæc potestas fundatur ἐν εὐδοκίᾳ *beneplacito æterno* & προθέσει θελήματος, *proposito voluntatis,* & *consilio pacis.* Zach. 6: 13. *Potestatem & imperium* Christi non negant Sociniani; sed id, quoad possessionem, dicunt esse donatum; at, quoad exercitium, independens. Sed potestatem independentem nemo potest habere, nisi Deus. Dei sunt omnia. Non potest Deus gloriam sui dominii dare לְאַחֵר. Hominem potest subjicere alii ad dirigendum, ad conservandum, ad operam illius exigendam; vel etiam ut carnifici & castiganti: sed non ita, ut propter eum sit, & ad illum, ut finem, totus referatur. Itaque & tale imperium in hominem non-Deo dare non potest. sibi soli eum vult servire. atque hoc etiamnum tantùm velle potest, ut sibi soli serviat.

Omniscientia. Joh. 21: 17. Κύριε, σὺ πάντα οἶδας. & 16: 30. νῦν οἴδαμεν, ὅτι οἶδας πάντα. *Scrutatur corda.* Apoc. 2: 23. γνώσονται πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ἐρευνῶν νεφροὺς καὶ καρδίας. Luc. 6: 8. ᾔδει τοὺς διαλογισμοὺς αὐτῶν. Joh. 2: 24. 25. διὰ τὸ αὐτὸν γινώσκειν πάντας. αὐτὸς γὰρ ἐγίνωσκε τί ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. At καρδιογνωσία est Deo propria. 1 Reg. 8: 39. *Tu nosti, solus tu, cor omnium filiorum hominis.* confer Jerem. 20: ℣. 12. *Videns renes & cor. Cognoscit Deum,* Matth. 11: 27. *Quæ testatur, vidit.* Joh. 3: 11. 32. *Coram ejus oculis omnia nuda.* Heb. 4: 13. *super illo est Spiritus sapientiæ & prudentiæ* &c. Es. 11: 2. est *sapientia.* Matth. 11: 19. Luc. 11: 49. 1 Cor. 1: 24. Novit etiam illa, quæ humanitas ejus ad tempus ignorat. Marc. 5: 30. Themistius statuebat, *divinam Christi naturam quædam ignorasse,* è Matth. 24: 36. Marc. 13: 32. unde *Themistiani* & *Agnoetæ. Omnes thesauri cognitionis & sapientiæ in ipso absconditi.* Coloss. 2: vers. 3.

Immutabilitas. Hebr. 1: 11. 12. *Cœli peribunt, tu verò manes.* σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψουσι. Hæc dicuntur de Deo, Psalm. 102. Hebr. 13: 8. *Christus heri & hodie idem, & in æternum.*

Æterna gloria. Joh. 17: 5. *Glorifica me, Pater, apud te ipsum* τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρὰ σοί. Habuit *gloriam,* non prædestinatione, nec præordinatione, sed reali possessione. Gloriam *summam*; quâ νῦν, post profundissimam humiliationem

tionem & extenuationem, glorificari cupit. In hac *gloria* primum est *esse*, esse nimirum אצלו εἰς τ̀ κόλπον αὐτοῦ, vivere, æternum esse. *Habuit gloriam*, hoc est, revera illâ fruitus est & potitus. Gloria illa æternam ejus *generationem*, Psalm. 2:7. *vitam*, Joh. 5:26. *dilectionem*, Joh. 17:24. *complacentiam*, Matth. 3:17. *unctionem*, Prov. 8:23. *praegnitionem*, 1 Petr. 1:20. *beatitudinem* in se complectitur. Illâ *glorificari* est demonstrari Filius unigenitus, Rom. 1:4. *fieri Christus & Dominus*, Act. 2:36. *nominari juramento Sacerdos secundum ordinem Melchisedeck*, Psalm. 110:4. *poni heres omnium*, Hebr. 1: ℣. 2. *ungi Rex*, Psalm. 2:6. imò *exaltari ad dextram Dei*, Actor. 2: ℣. 33. *rapi* πρὸς τ̀ θεὸν, Apoc. 12:5. *assumi* ἐν δόξῃ, 1 Tim. 3:16 accipere *nomen super omne nomen*, Phil. 2:9. Hanc gloriam *dedit* illi Pater Joh. 17:24. æternâ generatione, quemadmodum & *vitam*, Joh. 5:26. Frustra conantur Sociniani hunc locum illudere è collatione 2 Tim. 1:9. *Gratia nobis data ante tempora secularia*, qui tamen non fuimus ante illa. Hæc gratia data nobis est *ante tempora*, ut acciperemus illam *in tempore*, & illâ gauderemus post omnia tempora, in seculorum secula. Ita *electi* sumus & *regnum* nobis est *paratum* πρὸ καταβολῆς κόσμου. Matth. 25:37. Ephes. 1:3.

Imò denique, non æternitas tantùm, nec omnipræsentia, &c. Christo tribuitur, sed quia natura divina, cui hæc insunt, est πνεῦμα, etiam id dicitur Christus. Πνεῦμα ὁ θεὸς *Spiritus est Deus*. Joh. 4: ℣. 24. τὸ θεῖον οὐχ ὅμοιον λίθῳ &c. Act. 17: 29. σάρκα οὐκ ἔχει, Luc. 24:39. non est אדם nec בשר Es. 31: 3.

Est Christus πνεῦμα, id est, persona divina, essentiâ constans spirituali. ψυχὴ ipsius λογικὴ etiam est πνεῦμα, Luc. 23:4. ut & nostræ, 1 Petr. 3: 19. 4:6. Actor. 7:59. sed κλιστὸν, cum corpus illi est aptatum; naturæ quidem spiritualis & immortalis, at non divinæ & æternæ. Tales & Angeli πνεύματα, Hebr. 1: 14.

Sed præterea est πνεῦμα, eâ ratione, quâ Deus est; æternus, infinitus, omniscius, omnipotens, ἄναρχος, ἄκτιστος. Ita Hebr. 9: 14. διὰ πνεύματος αἰωνίου. 1 Cor. 15: vers. 48. *ultimus Adam* ἐγένετο εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν. Secundùm hoc πνεῦμα ἁγιωσύνης est υἱὸς θεοῦ Rom. 1:4. Hoc πνεύματι *novit cogitationes* Scribarum Marc. 2: 8. In hoc *spiritu est justificatus*, 1 Tim. 3:16. *vivificatus*, 1 Petr. 3: 18. *In hoc ivit in diebus Noë & prædicavit*. 1 Petr. 3: 19. 20. In hunc sensum capi potest Es. 61: 1. *Spiritus Domini Dei super me*, hoc est, naturæ divinæ spiritualis consors sum. & Luc. 1: 35. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, hoc est, Persona divina & spiritualis *veniet super te*. cumque additur, καὶ ἡ δύναμις ὑψίστου *obumbrabit te*, docemur, πνεῦμα ἅγιον esse τ̀ ὕψιστον. confer Luc. 1:76. Verbo. Filius Dei est πνεῦμα ἅγιον, ὁ ἐπελθὼν ἐπὶ Μαριάμ. Hæc & fuit sententia Justini Martyris; imò & Ruffini. Quid quod nil usitatius Græcis, quàm per vocem πνεῦμα divinam Christi naturam indigitare. Synodus Antiochena, Anno Christi 272. contra Paulum Samosatenum congregata; *Confitemur*, inquit, ὅλον θεὸν καὶ ὅλον ἄνθρωπον, ὅλον ἄκτιστον, ὅλον ὁμοούσιον τῷ Θεῷ; καὶ πνεῦμα λεγόμενον αὐτὸν θεῷ ὁμοούσιον. οὐ λεγόμενον, καὶ πνεῦμα ἀνθρώποις ὁμοούσιον.

Porrò omne quod in Deo æterno & omnipotenti est, etiam in Christo est. Phil. 2:6.7. ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων. A μορφῇ θεοῦ distinguenda μορφὴ δούλου. hanc ἔλαβε. in illa semper ὑπῆρχε. Col. 2:9. In illo κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τ̃ θεότητος σωματικῶς corporaliter, non umbratiliter; plenè, non initialiter; verè, non imaginariò; *integrè*, non ex parte. In ejus medio est *Nomen Dei*. Exod. 23:21. Est ἀπαύγασμα τ̃ δόξης, καὶ χαρακτὴρ τ̃ ὑποστάσεως αὐτοῦ. Hebr. 1: 3. εἰκὼν τ̃ θεοῦ, τ̃ ἀοράτου. Col. 1: 15.

Huc facit appellatio *Filii*. Hebr. 1: 4.5. τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τ̃ ἀγγέλων, ὅσῳ διαφο-

διαφορώτερον παρ' αὐτοὺς κεκληρονόμηκεν ὄνομα. Τίνι γὰρ εἶπέ ποτε τῶν ἀγγέλων. υἱός μου εἶ σύ. Ita vocatur Psalm. 2:7. 11. Prov. 30:4. Hos. 11:1. Es. 9:5. 2 Sam. 7:14. Ezech. 21:15. & quidem יחיד, μονογενὴς, ac בכור πρωτότοκος, Col. 1:19. Zach. 12:10.

Et *Angeli* vocantur Filii, etiam sancti ac electi; & tamen Paulus, *Cui unquam dixit* &c. Ad rem intelligendam facit, quod dicitur υἱὸς Θεοῦ ἐν δυνάμει. Rom. 1:4. non est ἐν ἀσθενείᾳ, ut nos: non per υἱοθεσίαν gratiosam; non per creationem, sed ἐν δυνάμει, *natura & potentia*. imò & in omni potentia & vi significationis ac emphasi. Ex. gr. ubi dico *Filium*, dico *Patrem*. Christus est Dei Filius. Ergo Deus est Pater Christi. & quidem ut Christus ὁ ἴδιος υἱὸς, Rom. 8:32. ita ille ὁ ἴδιος πατὴρ, Joh. 3:18. cujus appellationis pondus Judæi bene intelligebant; quodque hoc ipso declararetur ἴσος τῷ Θεῷ. Secundò. Filii à Parente gignuntur. Gignentes eandem naturam communicant ei, quem gignunt. Filius est genitus à Patre. eandem vitam accepit, quam habet Pater. qui autem vivit habetque vitam Dei; utique est Deus. Tertio. Filii sunt imago Parentum. Qui vidit Filium, vidit Patrem. de Adamo dicitur Genes. 5:3. ויולד בדמותו בצלמו: Quarto. Filii sunt hæredes Patrum. Ergo omnia, quæ sunt Patris in cœlo & in terra, sunt & Filii.

Ita appellatio *Filii proprii* eandem Christi divinam essentiam & naturam arguit. Deus eo distat à creaturis, ad imaginem ejus conditis, quod est omni modo infinitus. Angeli verò & omnis creatura est finita. Infinita verò est finitum inter & infinitum distantia; nullaque proportio. Si jam Christus est creatura tantùm, licet excellentissima, erit finitus. nullaque illum inter & Deum intercedet proportio; neque erit alia ratione Filius quam Angeli vel homines. neque adeo erit ἴδιος & μονογενής. Taceo, quod supra Angelos Scriptura nil majus & sublimius agnoscit præter Deum. Itaque si sublimior Angelis est Christus, erit etiam Deus Patri coæternus & coëssentialis.

Id etiam huc referri potest, quod Christus dicitur ὁ λόγος, *Sermo*, ut *Lactantius*, *Cyprianus*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus* verterunt; quamvis Vulgata habeat *Verbum*. nam ῥῆμα propriè significat *verbum*, Hebr. 1:4. 11:3. non verò ipsum *unigenitum*, quamvis potentiam unigeniti.

Λόγος dicitur 1 Joh. 5:7. & 1 Joh. 1:1. Apoc. 19:5. *& vocatur nomen illius* ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. imò & Luc. 1:2. *qui a principio fuerunt* αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου. Ita Epiphanius, Ambrosius, Athanasius. & Act. 20:32. *Commendo vos Deo, &* τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ. Euangelium dicitur quidem λόγος τῆς χάριτος αὐτοῦ, Actor. 14:3. tamen hic de persona τοῦ λόγου sermo est. non enim potest quis *commendari*, nisi Personæ. & sequentia conveniunt, *Sermoni gratiæ*, τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι καὶ δοῦναι ὑμῖν κληρονομίαν. Item Hebr. 4:12. 13. ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐνεργὴς, *& judex cogitationum cordis. Et non est creatura inconspicua coram illo, omnia autem nuda & resecta oculis ipsius.*

Adde Psalm. 33:6. Hagg. 2:4. 5.

Nomen λόγος soli Dei Filio datum est. Cui unquam ita dixit Angelorum? Angeli & Homines dicuntur sæpe *Filii Dei*. At nullus illorum καλεῖται ὁ λόγος, Igitur illa hujus nominis ratio investiganda est, quæ soli Filio unigenito competit; & in alios non cadit. Non sufficit, putare Filium dici λόγον, quia 1. per illum Deus nos allocutus est. 2. consilium suum patefecit, & decretum ac arcanum de æterna hominum redemtione revelavit. Sed id fit 1. quia πρὸς τὸν πατέρα οὕτως ἔχει, ὡς πρὸς νοῦν λόγος. Distinguitur inter τὸν ἔξω λόγον, καὶ τὸν ἔσω; illum *oris*, hunc *animæ*. *Insitus* est vel ἔμφυτος & οὐσιώδης *insitus & essentialis*; vel ἐνδιάθετος, ἐν νῷ λαμβανόμενος *indutus*, *in mente acceptus*. *Sermo men-*

tis est intimus mentis actus, & immediata illius operatio, & ipsa ferè mens, & separari non potest à mente; ut nec cogitatio à substantia cogitante. Filius Dei, ὁ λόγος, est in Patre, inseparabilis à Patre, intimè unitus Patri, unum cum Patre, gloria & imago Patris. Omne γέννημα, *quod genitum est*, *est* τοῦ γεγεννηκότος σιωπῶν λόγος *illius à quo genitum est*, *silens* quasi *sermo*; ita *Sermo Filius* est σύντομος ἀπόδειξις καὶ ῥᾳδία τῆς τοῦ πατρὸς φύσεως, *compendiosa & clara demonstratio naturæ Patris*; ut loquitur Nazianzenus.

2. E sermone noscitur, quid homo velit, cogitet, moliatur, sitque. *Sermo* Deum invisibilem videndum exhibuit. illum ἐξηγήσατο, Joh. 1:18. nomen illius ἐφανέρωσε, Joh. 17:6. exstitit ἀπαύγασμα *fulgor* seu *resplendescentia gloriæ* Patris. Hebr. 1:3. fideliter testatus, quod vidit & audivit. Joh. 3:32. Apoc. 3:14. Hab. 2:3. Quæ Dei sit potentia & divinitas, quæ sanctitas, naturæ constantia & immutabilitas, quæ illius voluntas, gratia, bonitas, quæ illius divitiæ & sapientia, quæ veritas & justitia, id omne spectandum exhibuit in operibus & verbis. ut nemo jam cum Philippo erranter dicat, *Monstra nobis Patrem*. Joh. 14:9.

3. Omnis divini sermonis ab initio pronunciati & auditi de gratia, fœdere, reconciliatione, sanctificatione auctor est & Præco. πάντα τὸν λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων τούτων. Est הַמְדַבֵּר, Es. 52:6. *non locutus ab initio in occulto* Es. 48:16. τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Joh. 8:25. Ipsius est *loqui verba Dei*, Joh. 3:34. Deut. 18:ꝟ. 18. In Paradiso, in diebus *Noa*, de monte Sina, qui locutus est, *Sermo* est. Ab ejus eloquiis accepta lex, Deut. 33:3. 4. 5.

4. In omni sacra pagina utramque facit paginam. est præcipuum objectum omnis divini sermonis. Apoc. 19:10. Psalm. 40:8. Ille certè est ὁ λόγος, ἐν ᾧ ὁ πᾶς λόγος τοῦ Θεοῦ πληροῦται.

5. Ita innuitur, quod ὁ λόγος *Sermo* sit auctor omnium operum Dei. *Sermone* enim confecta sunt omnia. Joh. 1:3. Quæ Deitatis Persona putabitur dixisse, locuta, sermocinata, nisi quæ audit ὁ λόγος? de quo & Joh. 1:3. πάντα δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο.

Est igitur hoc ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. Phil. 2:9. indicat unitatem Filii cum Patre, resplendescentiam gloriæ Paternæ in illo; illum Auctorem & Præconem esse gratiæ & verbi salutis; objectum notitiæ justificantis, effectorem maximorum Dei operum. E quibus omnibus agnoscitur esse ἐν μορφῇ Θεοῦ, ἴσα Θεῷ. Phil. 2:6.

Dicitur emphatice ὁ λόγος τῆς ζωῆς. 1 Joh. 1:2. imò ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, Apoc. 19:5. ut agnoscatur esse εἷς μονογενὴς λόγος, υἱὸς αὐτοτελής; & haud putetur esse λόγος προφορικὸς, aut ἀπόῤῥοια τοῦ πλείω, aut τμῆσις τῆς ἀπαθοῦς φύσεως, aut προβολή.

Fallus est Enjedinus. *Tunc propriè dici debuit Iesus Sermo, quum annunciavit sermonem Dei. Ne Iesu quidem nato, ante prædicationem verbi, propriè potest attribui.* Notat enim hoc nomen non tantùm *officium* Filii; quod est ἐξηγεῖσθαι καὶ φανεροῦν; sed & notat, illum esse οὐσίαν γεννητὴν ἐνεργείας θεικῆς, ut Ignatius loquitur.

Accedamus nunc ad tertiam Classem argumentorum, hoc est, ad actiones divinas, & effecta omnipotentiæ divinæ, quæ Christo attribuuntur.

Hic primum est *Creatio mundi*. Joh. 1:3. πάντα δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο. καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. *Omnia*, absolutâ universalitate, sine omni exceptione, ut nec exstiterit *ne unum* quidem, cujus etiam sit generis, naturæ, ordinis, *sine ipso*, & non per ipsum. Adde Col. 1:16. 17. *In ipso condita sunt omnia. Omnia per ipsum & in ipsum condita sunt.* Ephes. 3:9. *Qui omnia creavit per Iesum Christum*. Hebr. 3:3. 4. 5. 6. Postquam dixisset, Christum esse structorem domus spiritualis Dei, addit, ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας, Θεός. adde & Hebr. 1:2.

Πάντα

Πάντα *omnia*. 1. ὁ κόσμος. Joh. 1:9. 2. *cœlum & terra*. Hebr. 1:10. 3. *secula*. Hebr. 1:2. 11:3. 4. *quæ sunt in cœlo & in terra*, Col. 1:16. ἀόρατα, Angeli, Spiritus; ὁρατὰ, homines, animalia. Imò omnes *ordines. throni, dominationes, Principatus, Potestates*. Col. 1:16. Ita αἱ ἐξουσίαι à Deo Sermone *ordinatæ sunt*. Rom. 13:1.

Sermonem esse ποιητὴν παντοδύναμον & δημιουργὸν etiam docemur Psalm. 33:6. *Sermone Domini cœli facti sunt*. Psal. 8:4. 5. dicuntur *cœli, Luna, stellæ, opus digitorum ejus, qui visitavit filium hominis*. Psalm. 95:1-5. de *rupe salutis*. *Cujus est mare; nam ille fecit illud; & aridam formarunt manus ejus*. Prov. 8:23-31. Sapientia dicitur adfuisse, cum *firmarentur cœli & statueretur* חוּג *circinus super faciem abyssi*. Certè non otiosè hæc spectavit. *Exstiti*, inquit, *apud illum*, Deum conditorem, ὡς κοινωνὸς τῆς δημιουργίας, ut Basilius Magnus. Prov. 30:4. *Quis collegit ventum? Quis colligavit aquas? Quis statuit fines terræ? Quantum nomen Filii ejus?* Es. 40. *Jehova*, ante quem clamavit *Vox in deserto* &c. dicitur *mensurasse aquas, cœlos aptasse spithamâ, ponderâsse librâ montes* vers. 12. & vers. 3-13. Cap. 45. dicitur *Dominus*, ad quem *respiciunt & salvantur omnes fines terræ*, &c. *creator cœli, formator terræ, & qui fecit illam & aptavit illam*. ℣. 17-24. adde Es. 48:12. 13. 50:2. 3. Denique in historia creationis introducitur Deus *loquens, sermocinans*. Imò & dixit, *Faciamus*, Genes. 1:26. Cui? τῷ κοινωνῷ τῆς δημιουργίας προσδιαλέγεται, δι᾽ οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν, inquit Basilius Magnus.

Non obstat, quod credimus εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, *creatorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium*. Nam Pater *fecit per Filium*, Hebr. 1:2. *cui monstrat omnia, quæ facit ipse*; ut & illa ὁμοίως ποιῇ, Joh. 5:19. Concludamus hinc. ὧν αἱ αὐταὶ ἐνέργειαι, τούτων καὶ οὐσία μία. Atqui ἐνέργεια *operatio* πατρὸς καὶ υἱοῦ μία. Uterque enim est factor & conditor omnium. Ἄρα καὶ οὐσία πατρὸς καὶ υἱοῦ μία. Ita Basilius Magnus lib. 4. contra Eunomium.

Oggerunt Arriani. Omnia sunt facta διὰ *per Sermonem*. Igitur *instrumentum* tantùm creationis est, causa instrumentalis, non principalis. Respondet Thomas. *Per Filium omnia fecit Pater; non quia instrumentum est, sed quia principium de principio est*. Τὸ διὰ non semper nota *instrumenti* est, ut ubi de *Patre* ipso adhibetur, Hebr. 2:10. Rom. 11:℣. 36. Galat. 1:1. In creante oportet, ut sit πρόθεσις αἰώνων, ῥῆμα δυνάμεως αὐτοκρατορικὸν, δύναμις ἀΐδιος, σοφία πολυποίκιλος, μεγαλειότης ἀπέραντος, πλοῦτος ἀνεξιχνίαστος. Oportet, ut major sit cœlo & terrâ, ut impleat cœlum & terram; ut illa περιάγῃ, συνέχῃ, πηδαλιουχῇ, ut Oecumenius habet, qui cœlum & terram fecit. Opus creationis, ut & redemtionis, organum non admittit. Potentia, quæ ad id requiritur, in nullum cadit organum. Gloria, quæ illius comes est, excedit sortem organi.

Socinus, *Omnia per Sermonem facta sunt*, accipit de *spiritualis mundi structura*; quâ homines instaurantur, & spirituali quadam ratione creantur. Atqui Johannes loquitur de productione rerum, quæ nondum erant, & productæ *inceperunt esse*. loquitur de illo κόσμῳ, qui τὸν λόγον οὐκ ἔγνω.

Creatio soli Deo tribuitur. Es. 44:24. *Sic dicit Iehovah redemtor tuus, & formator tuus ex utero. Ego Jehova* עֹשֶׂה כֹּל. *extendens cœlos* לְבַדִּי: *expandens terram* מֵאִתִּי. Ergo *Sermo*, quia *Deus*, Θεὸς, creator est.

Neque enim *Sermo Deus* esset, nisi *factor* omnium esset. *Dii, qui non fecerunt cœlum & terram, peribunt de terra & de cœlo illi. At non talis est Pars Iacobi*. non talis ὁ λόγος. *nam formator omnium ipse est. Jehova*, Deus *exercituum* est *nomen ejus*. Jerem. cap. 10: vers. 11. 16.

Omnia quæ per τ̀ λόγον ἐγένοντο, ἐκ τῶν μὴ φαινομένων, Hebr. 11:3. ἐξ οὐκ ὄντων è *nihilo* ἐγένοντο.

Nec *Creator* tantùm est Sermo, sed & *Conservator*. Conservatio est continuata creatio. *Fert omnia*, Hebr.1:3. *dans omnibus vitam*, *& halitum*, *& omnia*. Act. 17:25.

Porrò & alia Divina effecta Christo tribuuntur. 1. *Vis patrandorum miraculorum*; quæ tum ipse per se, (passim in Evangelio) tum per Apostolos patravit. Luc. 10:19. *Ecce do vobis potestatem calcare super oves & scorpios, & super omnem potentiam* τ̃ ἐχθρῦ. Act. 3:6. ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησῦ χριςῦ τ̃ Ναζωραίου ἔγειραι καὶ περιπάτει. confer Act.4:10. Plurima ipse Christus fecit σημεῖα & τέρατα & δυνάμεις. Joh. 2:11. 5:2. 4:48. confer Joh. 11: vers. 47. ὗτος ὁ ἄνθρωπος πολλὰ σημεῖα ποιεῖ, dicebant Pharisæi; & Joh.7:31. Turba: *Christus, quando veniet, numquid plura signa faciet, quam hic facies?* Imò *maxima*. τοσαῦτα ἢ αὐτῦ σημεῖα πεποιηκότος. *Opera feci in illis* ἃ ὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν. Joh. 15: vers.24. ἐξ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη. Joh.9:32.

Hæc miracula fecit partim ἐπὶ τ̃ ἀσθενύντων, Joh. 6:2. de quibus ipse ita compendiosè Christus, τυφλοὶ ἀναβλέπυσι, καὶ χωλοὶ περιπατῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκύυσι, νεκροὶ ἐγείρονται. Matth. 11:5. καὶ δαιμόνια ἐκβάλλονται, καὶ πάντες ὑγιεῖς γίνονται, ᾧ δήποτε κατείχοντο νοσήματι. ut sic dicam è Joh.5:4. partim ἐπὶ τ̃ στοιχείων τ̃ κόσμυ in *rebus elementaribus*. ut in aqua Canæ, Joh. 2:3-11. in ventis & mari. in multiplicatione panum pisciumque. in maledictione ficus. in ambulatione super mare, &c.

In his miraculis ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτῦ, Joh.2:11. confer Joh. 11:40. *Videbis gloriam Dei*, dicebat Marthæ. per illa ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τ̃ Θεῦ. Joh. 11:4.

Hæc vis patrandi miracula fuit Christo insita & ei propria; non adventitia, nec ministerialis, qualis erat Apostolorum & Prophetarum. nam δύναμις ἐξ αὐτῦ ἐξῆλθε. Marc. 5: 30. confer Luc 6:19. δύναμις παρ' αὐτῦ ἐξήρχετο, καὶ ἰᾶτο πάντας. Luc.8:46. Jesus dixit; ἥψατό μυ τις. ἐγὼ γὰρ ἔγνων δύναμιν ἐξελθῦσαν ἀπ' ἐμῦ. Et Apostoli negant, ἰδίᾳ δυνάμει fecisse miracula, Act.3:12. sed ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησῦ χριςῦ τ̃ Ναζωραίου, Actor.4:7.10. hoc est, ejus vi & auctoritate; confer Act.3:16. Inde & Petrus Æneæ paralytico: Αἰνέα, ἰᾶταί σε Ἰησῦς ὁ χριςός. ἀνάστηθι, καὶ στρῶσον σεαυτῷ. Act. 9:34.

Christo præterea tribuitur *Electio*. Joh. 13:18. ἐγὼ οἶδα ὓς ἐξελεξάμην. confer Joh. 15: 16. & 19. ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς ἐκ τ̃ κόσμυ. *Vocatio efficax*. Joh.10:16. *Alias oves habeo*; κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν, καὶ τ̃ φωνῆς μυ ἀκύσυσι. 1 Petr.1:15. κτ̃ τ̀ καλέσαντα ὑμᾶς ἅγιον. & *Apertio mentis*. Luc.24:45. τότε διήνοιξεν αὐτῶν τ̀ νῦν, τ̃ συνιέναι τὰς γραφάς. Joh.1:9. ὁ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον. *Redemtio*. plurimis in locis. *Defensio* adversus omnes omnium hostium & Satanæ conatus ac insultus. Joh. 10:28. ὐ μὴ ἀπόλωνται εἰς τ̀ αἰῶνα, & ὐχ ἁρπάσει τις αὐτὰ ἐκ τ̃ χειρός μυ. *Remissio peccatorum*. Matth.6:2.5. 9:2.6. *Sanctificatio*. Ephes. 5:26. ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ. confer Hebr.2:11. *Missio Spiritus Sancti*. Joh. 16: 7.14.15. 15:26. *Donatio vitæ æternæ*. Joh.10:28. κἀγὼ ζωὴν αἰώνιον δίδωμι αὐτοῖς. *Indicium universale*. Joh.5:22. τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ υἱῷ. confer Act. 17:31.

Hæc omnia autem soli vero Deo competunt; talem se nobis describit, qui solus ista faciat, quique ex iis pro Deo agnosci à nobis & coli velit.

Neque hæc tribuuntur Christo ut Ministro, cujus opera & ministerio Deus omnia ista perficiat. Christus est quidem *Minister Circumcisionis*; & Mediator fœderis; sed non est organum & instrumentum duntaxat, sed est præditus auctoritate, vi & potentia illa omnia præstandi & perficiendi per se. data enim est illi omnis ἐξυσία, Matth 28:v 18. & ἐνέργεια tanta, ut possit ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα. Phil.3:21. id quod non organo competit, sed princi-

cipa-

cipali agenti. Hinc Christus dicitur *caput* Ecclesiæ, Eph. 1:21. & illa λαὸς ejus περιούσιος, Tit. 2: vers. 14. Imò *Rex*, Mich. 2. ℣. ult. *Rex eorum transibit ante eos*, וַיְהוָה בְּרֹאשָׁם: Imò Κύριος; qui titulus soli Deo convenit. Ephes. cap. 4: vers. 5. 6. εἷς Κύριος, εἷς θεὸς, καὶ πατὴρ πάντων.

Igitur cum dicitur 1 Cor. 8:6. εἷς θεὸς ὁ πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα; *personæ* quidem Patris & Filii distinguuntur; at non *essentia*. neque negatur, Christum esse Deum, alioqui duo essent *Domini*, Pater & Christus. dominium enim à Deo separari non potest. Uterque ergo unus est Deus & unus Dominus, essentiæ divinæ, non personæ respectu.

Pariter ad opera Christi divina referatur *Sui ipsius Resuscitatio*, Joh. 2:19. 10:18. Rom. 1:4. & *Ascensio* in cœlum. Joh. 3:13. Prov. 30:4. Amos. 8:20.

Naturam & essentiam Christi divinam etiam evincit *munus* ejus *mediatorium*, Prophetia, Regnum, Sacerdotium. Harum partium nulla obiri nisi à vero Deo potuit. neque enim mens nostra illuminari & cor purgari; quod ad Propheticum; nec sancti à Satanæ vi tuti esse & defendi; quod ad Regium; nec victimâ corporis & θυσίᾳ ἀφέσεως ac Dei gratia obtineri, quod ad Sacerdotale munus pertinebat, potuit, nisi ipse, ut vi & potentiâ, sic & naturâ & essentiâ infinitâ præditus esset.

Quarta Classis monstrabit cultum religiosum, soli Deo debitum, & honorem divinum Christo tribui. Talis cultus debetur Deo ob infinitam ejus potentiam, gloriam & majestatem. Huc pertinet *Fides* in Christum. Joh. 3:15. 16. 18. 36. 14:1. Rom. 10:11. *Invocatio*. Rom. 10:13. Joel. 2:32. Actor. 7:59. *mandato*, Actor. 22:16. *Surge* βάπτισαι, ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου. *promissionibus*, Actor. 2:21 Rom. 10:13. *exemplis* confirmata Actor. 7:59. *Adoratio* ab ipsis *Angelis*, Hebr. 1:6. Psalm. 97:7. & *hominibus*, Psalm. 2: ℣. 12. omnique *creatura* ei exhibita, Rom. 14:11. Phil. 2:10. *Gratiarum actio*, 1 Tim. 1:12. & *Servitus religiosa*, Rom. 14:18. ὁ γὰρ ἐν τούτοις δουλεύων τῷ χριστῷ, εὐάρεστος τῷ θεῷ καὶ δόκιμος τοῖς ἀνθρώποις. Ephes. 6:6. 7. ὡς δοῦλοι τοῦ χριστοῦ, ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ ἐκ ψυχῆς. Col. 3:24. εἰδότες, *quod à Domino* ἀπολήψεσθε τὴν ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας. τῷ γὰρ Κυρίῳ χριστῷ δουλεύετε Huc etiam facit, quod & in nomen Jesu baptizamur.

Spes item in Christum commendatur. 1 Cor. 15:19. εἰ ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἠλπικότες ἐσμὲν ἐν χριστῷ μόνον, ἐλεεινότεροι πάντων ἀνθρώπων ἐσμέν. Es. 11:10. Paulo interprete Rom. 15:12. Καὶ πάλιν Ἡσαΐας λέγει. Ἔσται ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ, καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν, ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν. & *beati* dicuntur חוֹסֵי בוֹ, Ps. 2: vers. 12. At *maledictus* dicitur, *qui spem suam in homine collocat*, Jerem. 17: vers. 5. *beatus* contrà, *qui Deo fidit*, Psalm. 84:13. אַשְׁרֵי אָדָם בֹּטֵחַ בָּךְ.

Etiam *gratia*, *pax*, & omnia beneficia spiritualia, (quæ à solo Deo exspectari debent) in epistolis Paulinis, & Patris & Filii nomine optantur. Ita in eodem religioso cultu Christus cum Patre conjungitur.

Adde Joh. cap. 5: vers. 22. 23. *Pater judicat neminem*, *sed* τὴν κρίσιν πᾶσαν *dedit* τῷ υἱῷ. *ut omnes* τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα. ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱὸν, οὐ τιμᾷ τὸν πατέρα τὸν πέμψαντα αὐτόν. Apoc. cap. 5: vers. 13. omnis creatura inducitur gloriam tribuere Patri & Agno. *Insidenti throno & Agno sit benedictio*, *honos*, *gloria & potentia*, *in secula seculorum*. Quin & *dignitas* & *majestas* par Patris & Filii ex eo indicatur, quod communis thronus utrique tribuitur. Apoc. cap. 3: vers. 21. cap. 22: vers. 1. 3.

Patet *gloriam Filii* quærit. Joh. 8: 50. *sanctificat* illum, Joh. 10: 36. *glorificat*, Joh. 12: 28. 13.

28. 13:32. 17:1. dat ei *nomen super omne nomen*, Phil. 2:9. dat ei *gloriam suam*, Matth. 16:27. collato cum Matth. 25:31. Paracletus illum *glorificat* ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. Joh. 16:14. Imo *Deus* & *Rex* vocatur in regno Dei, Psalm. 2:6. Matth. 11: 11. 12. Es. 54:5. βασιλεὺς βασιλέων, Κύριος κυριευόντων. Apoc. 19:16. coll. 1 Tim. 6: 15. &c, ne articulus desideretur, ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς. Apoc. 1:5. Quidni ergo Filius sit verus Deus?

Non est prudentium *adorationem* aliquam vel inferiorem divina, vel mediam (qua divinitas ad humanam mediocritatem deducatur, aut humanitas supra se ipsam extollatur) in Christo admittere, præter illam divinam. quod non potest fieri sine divisione personæ (cujus est adorari sive accipere nomen & gloriam & benedictionem) aut mediatorii officii (quod est ab ἀξίᾳ *dignitate* personæ tantæ) depressione: quasi id, ut minus divinâ dignitate, in non-Deo residere potuerit.

Etiam divinitas Christi probetur ex Es. 54: vers. 5. Ibi *maritus* Ecclesiæ, Christianæ, seu gentium ad Christi communionem vocandarum dicitur esse יְהוָה צְבָאוֹת, *Sanctus Israël*, *Deus totius terræ*. Jam verò Christus est Ecclesiæ Sponsus & Redemtor. Ephes. cap. 5: vers. 25. Ergo.

Ad id, quod supra de generatione Filii dictum, addatur. Videtur rationi consentaneum, quemadmodum Deus homini (quem ad suam imaginem finxit) geminam indidit vim atq; facultatem; unam liberam ac voluntariam efficiendi arte multa longè à se diversa, inferiorisque naturæ; alteram naturalem gignendi filium sibi similem, ejusdemque secum planè naturæ; sic & Deus ipse geminâ istâ virtute polleat; unâ liberâ, creandi ex nihilo res infinitas, longè à se diversas, ac naturæ multo inferioris; alterâ naturali gignendi, seu producendi, Filium sibi per omnia similem, ejusdemque planè secum naturæ atque essentiæ. Alioqui Deus sua ipsius imagine, hâc in parte, quodammodo inferior atque imperfectior esset. est enim perfectio non exigua, imò eminentissima, posse sui similem producere.

Demonstratâ τοῦ λόγου divinitate, nunc & eadem Spiritui Sancto asserenda est. Tria verò incumbunt probanda. 1. Eum esse à Patre & Filio distinctum. 2. Personam esse verè subsistentem. 3. Personam illam esse verè divinam, increatam, æternam.

Primum inde patet; quia baptizamur in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Matth. 28:19. Item, quod três sunt οἱ μαρτυροῦντες, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. 1 Joh. 5:7. Duo priores sunt utique personæ invicem distinctæ; quidni & tertius? Si enim distinctus non esset, jam non tres essent, sed duo tantùm. Quid quod Christus illum apertè à se & Patre distinguit. Joh. 14: 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* alium nimirum à se & Patre. vers. 26. *Advocatus verò*, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *quem mittet Pater in nomine meo.* & 15:26. *Quum veniet Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui procedit a Patre.* & 16:7. *Nisi abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si verò abiero, mittam illum ad vos.* & vers. 13. *Cum venerit* ἐκεῖνος *ille Spiritus veritatis; non loquetur à se ipso, sed quæ audiverit. ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

Certè non idem est cum aliquo, qui dicitur alius ab eo, qui non dicitur venturus nisi iste abierit, quique ab eo dicitur singulariter ἐκεῖνος. Alius sanè est, qui mittit, & distinctus ab eo, quem mittit. alius qui procedit: alius, à quo ille procedit; qui accipit, & is à quo accipit; qui glorificat, & ille quem glorificat. Cum igitur & Pater & Filius mittant Spiritum Sanctum, & Pater quidem in nomine Filii, Filius verò à Patre, liquet ab utroque Spiritum esse distinctum.

Eadem distinctio innuitur Es. 48: 16. *Et nunc Dominus Deus misit me & Spiritus ejus.* Ita quidem non negatur Spiritus esse Deus, sed distinguitur ut persona à persona. Uterque enim, & Deus & Spiritus ejus, dicuntur misisse. Sic 1 Petr. 4: 14. dicitur τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα. Articulus τὸ vetat, quo minus sit ἓν διὰ δυοῖν, pro τοῦ ἐνδόξου Θεοῦ πνεῦμα. Dicitur autem *Spiritus gloriæ*, quemadmodum Christus dicitur *Dominus gloriæ*, hoc est, gloriosissimus, seu cui omnis gloria debetur.

Secundum nunc videamus. *Spiritus* vocabulum, רוח, πνεῦμα, est πολύσημον. Dicitur 1. de *vento*. Gen. 8: 1. וַיַּעֲבֵר אֱלֹהִים רוּחַ עַל הָאָרֶץ. Joh. 3: 8. 2. de oris halitu seu aura, quam respiramus. Gen. 6: 17. *ad destruendum omnem carnem*, אֲשֶׁר בּוֹ רוּחַ חַיִּים. Job. 19: vers. 17. רוּחִי זָרָה לְאִשְׁתִּי. 3. de anima, quæ omnibus animalibus est communis, illisque est vitæ causa. unde רוּחַ חַיִּים *spiritus vitæ* passim dicitur. Gen. 7: 6. Hinc brutorum anima vocatur רוּחַ בְּהֵמָה Eccles. 3: 19. רוּחַ אֶחָד לַכֹּל pecudi & homini. ℣. 21. *Quis novit* רוּחַ בְּנֵי הָאָדָם ? *an ascendat ille sursum, & spiritum bestiæ, an ille descendat deorsum in terram?* 4. de anima humana, longè digniore, spirituali & incorporea. Eccles. 12: 7. וְהָרוּחַ *redit ad Deum, qui dedit eum*. Luc. 1: 47. καὶ ἠγαλλίασε τὸ πνεῦμά μου ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρί μου. Hoc enim habet cum anima brutorum commune, quod suum informat & animat corpus. Inde & de ipsa Christi anima humana, Mat. 27: 50. ἀφῆκε τὸ πνεῦμα. Marc. 8: 12. καὶ ἀναστενάξας τῷ πνεύματι αὐτοῦ. Luc. 23: 46. *In manus tuas* παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου. 5. de natura angelica; quæ & ipsa est substantia spiritualis, incorporea, invisibilis, vivens, intelligens. Sive Angeli sint *boni*, Hebr. 1: 14. sive *mali*. 1 Reg. 22. 22. רוּחַ שֶׁקֶר Zach. 13: 2. רוּחַ הַטֻּמְאָה. Ita Diaboli in Euangelio πνεύματα ἀκάθαρτα. 6. de spirituali Dei natura. Est enim Deus entium maximè incorporeus. ad ejus naturam nil magis accedit, quàm Angeli & anima humana. Sic Joh. 4: 24. πνεῦμα ὁ Θεός. In specie de Christi divina natura. Rom. 1: 4. 1 Petr. 3: 18. 1 Tim. 3: 16. Hebr. 9: 14. Marc. 2: 8. 7. denique usurpatur *Spiritûs* vocabulum personaliter, de certa & definita S. Trinitatis persona; tertiâ nim. quæ dicitur רוּחַ־אֵל Job. 33: 4. רוּחַ אֱלֹהִים Gen. 1: 3. רוּחַ יְהוָה; imò & רוּחַ אֲדֹנָי יְהוִה Es. 61: 1. In Novo autem Testamento πνεῦμα Θεοῦ. Matth. 12: 28. Rom. 8: 9. πνεῦμα ἅγιον τοῦ Θεοῦ. Ephes. 4: 30. πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ. 1 Cor. 2: 12. πνεῦμα τοῦ πατρός. Matth. 10: 20. πνεῦμα Κυρίου. Luc. 4: ℣. 18. πνεῦμα Χριστοῦ. Rom. 8: 9. πνεῦμα Ἰησοῦ. Phil. 1: 19. πνεῦμα τοῦ υἱοῦ. Gal. 4: 6. & passim πνεῦμα ἅγιον. ut & Psalm. 51. 13. Es. 63. 10. וְעִצְּבוּ אֶת־רוּחַ קָדְשׁוֹ. Id autem fit, quia nos sanctificat, hoc est, Deus per ipsum sanctificationem in nobis operatur.

Hæreticorum alii affirmant, Spiritum nil esse aliud, quàm ipsam Patris personam, eo nomine ac sub illa ratione designatam. Atqui Spiritus alius est & distinctus à Patre. Alii: Spiritum Sanctum esse Patris vim ac potentiam, qua omnia efficit & operatur, quæque se habet in Patre ad modum attributi seu proprietatis. Alii nil aliud intelligi volunt, quàm potentiæ Dei effectum aliquod in nobis singulare & eximium; sive id sit *extraordinarium*, ut in Apostolis, dona linguarum, prophetiæ, interpretationis; sive *ordinarium*, & fidelibus omnibus commune, ut est fides, spes, charitas, patientia, humilitas, &c.

Nonnulli è nostris haud gravantur concedere, dona extraordinaria, quæ in primitiva vigebant Ecclesia, interdum dici πνεῦμα. Joh. 7: 39. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον. & Act. 19: 2. οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐστιν ἠκούσαμεν. & πνεύματα 1 Cor. 14: 12. ἐπεὶ ζηλωταί ἐστε πνευμάτων. & ℣. 32. πνεύματα προφητῶν. per metonymiam causæ efficientis; quia χαρίσματα illa erant singularia Spiritûs Dei in hominibus effecta. Ita quod dicitur, *Spiritus Sanctus* effusus est, explicatur per ἡ δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκκέχυται, Act. 10: 45. & Act. 11: 17. τὴν ἴσην δωρεὰν ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεός. Imò & cum dicitur, *Accipere Spiritum Sanctum*, & *Spiritus nobis* dicitur *dari*, videntur significari *dona* Spiritûs; quæ sic Auctoris sui nomine designantur.

Verum & Scriptura diſtinguit dona illa à Spiritu, illorum auctore & cauſa efficiente. Act. 2:38. καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος. Sic 1 Cor.12:4. *Diſcrimina ſunt donorum*, τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα. Et verſ.8. *Huic quidem* διὰ τοῦ πνεύματος *datur ſermo ſapientiæ; alii verò ſermo cognitionis*, κατὰ τὸ αὐτὸ πνεῦμα. & verſ. 11. *Omnia iſta operatur* τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα; *diſtribuens unicuique ſigillatim* καθὼς βούλεται. Act.2:4. dicuntur Apoſtoli cœpiſſe loqui variis linguis; καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι. & Gal. 5:22. ὁ καρπὸς τοῦ πνεύματος dicitur eſſe ἀγάπη, χαρά, εἰρήνη, μακροθυμία, χρηστότης, πίστις &c. hoc eſt, effecta Spiritus.

His non tantum Spiritus diſtinguitur à donis & effectis ſuis; verum etiam docetur, Spiritum non eſſe in Deo vim ſeu potentiam, per modum qualitatis ſeu attributi, ſed eſſe *perſonam* verè ſubſiſtentem, intellectu, voluntate & virtute præditam; per quam, pro voluntatis ſuæ arbitrio & libertate, operatur, & quibuslibet diſtribuit varia illa dona. Voluntas enim & arbitrium, atque ex voluntate operatio, non niſi perſonæ propriè competit.

Sed & δύναμις à *Spiritu* ipſo diſtinguitur. Luc.4:14. Chriſtus rediit à deſerto ἐν δυνάμει πνεύματος. Actor.1:8. *Accipietis* δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος. Rom. 15:13:19. ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου. Ita & Mich.3:8. אָנֹכִי מָלֵאתִי כֹחַ אֶת־רוּחַ יְהוָה׃ Si πνεῦμα *vim Dei* & potentiam ſignificat, quid erit δύναμις τοῦ πνεύματος? An datur δύναμις δυνάμεως? An dicetur δύναμις ſignificare *effectum* ipſum potentiæ divinæ in nobis? Sed id non quadrat Luc.4:14. nam effectum fuit reditus Chriſti. δύναμις eſt *potentia*. πνεῦμα verò eſt ipſa Spiritus perſona, prædita potentiâ.

Imò dicimur baptizari in *nomine* Spiritus Sancti. Atqui *nomen* auctoritatem & poteſtatem ſignificat, quæ non qualitati, ſed perſonæ convenit. Inſò Pater & Filius, in quorum etiam nomine baptizamur, ſunt reapſe diſtinctæ inter ſe perſonæ, verè ſubſiſtentes. Quo conſilio, qua mente & ſenſu adjungeretur illis in eadem actione baptizandi *Spiritus*, ſi ipſe perſona non eſſet?

Imò, quum Spiritus vocatur ἄλλος παράκλητος, quum dicitur progredi à Patre, mitti à Patre, & Chriſto; imò quum dicitur *venire*, docere omnia, teſtari de Chriſto, non loqui à ſe ipſo, glorificare Chriſtum, redarguere mundum &c. nonne oſtenditur, Spiritum illum non eſſe qualitatem ſeu vim tantum quandam, ſed *veram perſonam*?

Certè χάρισμα in nobis, vel vis Deo immanens haut poteſt dici, *non loqui à ſe ipſo, ſed ea, quæ audit; accipere à Chriſto, & id annunciare.* Quomodo Spiritus poteſt *alius* dici à Patre, ſi eſt ipſius vis & potentia? Quo ſenſu dicitur *Pater eum mittere in Chriſti nomine*, & *Chriſtus eum mittere à Patre*, niſi ſit perſona ab utroque diſtincta? Ita enim Chriſtus loquitur de Spiritu, ut alibi de ſe ipſo: *Se non veniſſe à ſe ipſo*; miſſum eſſe à Patre; nil poſſe facere à ſe ipſo; doctrinam ſuam non eſſe ſuam; ſe indicare prout audivit; Patrem ipſi dediſſe in mandatis, quid loqueretur. Atqui hiſce locutionibus ſe à Patre diſtinguit Chriſtus, & ſe veram eſſe Perſonam oſtendit.

Spiritui porro omnia tribuuntur, quæ non niſi Perſonæ conveniunt. *Provocari ad iram*, Eſ.63:10. *tentari*, Act.5:9. *contriſtari*, Eph.4:30. Imò & quum dicitur Spiritus viſus *ut columba deſcendiſſe de cœlo, quieviſſe ſuper Chriſtum*, Matth.3:16. *ſpecie linguarum ignearum veniſſe ſuper Apoſtolos*, Act.1:8. 2:3.4. *ſuperveniſſe ſuper Mariam*, Luc.1:35. ἐπιπίπτειν in aliquos, Act.10:44. 11:15. (quod in illum dicitur modum, ut in Vet. Teſt. dicitur Spiritus Domini *irruiſſe* in hunc aut illum. Imò quum dicitur Chriſtum *duxiſſe* in deſertum & *reduxiſſe*, Matth.4:1. Marc. 1:12. Luc.4:1.14. ut & de ſe Ezech.3:12. 8:3. 43:5. רוח נשאתני. Ita & *rapuit Philippum* à facie Eunuchi, Act.8:39. Denique quum dicitur

loqui,

loqui, jubere, dicere hoc vel illud, Act. 14:2. *Dixit Spiritus: Separate mihi Barnabam.* Act. 8:29. *Dixit Spiritus Philippo.* Sic & Petro Act. 10:19. 11:12. & in Apocalypsi: *Hæc dicit Spiritus Ecclesiis.* Item Act. 16:7. dicitur τὸ πνεῦμα non *permisisse* Apostolis κατὰ τὴν Βιθυνίαν πορεύεσθαι. & Act. 15:28. *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Rom. 8:16. *Spiritus attestatur Spiritui nostro.* & Es. 40:13. מִי־תִכֵּן אֶת־רוּחַ יְהוָה *Quis direxit Spiritum Domini,* hoc est, quis ei fuit à consiliis, quis illum submonuit, in opere suo faciendo?

Sane Scriptura aliquando sensum, voluntatem & actionem tribuit rebus, quæ personæ non sunt. Joh. 3:8. *Ventus flat, quo vult.* 1 Joh. 5:8. *Aqua & sanguis testantur in terra.* Sed planum est, illa non nisi ἀκύρως rebus tribui inanimatis. Vento voluntas, & aquæ ac sanguini testimonium tribuitur ex allusione; quia nim. Spiritus Sanctus liberam habet voluntatem, ideo vento, cui ille comparatur, tribuitur à Christo voluntas; & propter trium in cœlo testimonium, quod apud Johannem præcedit, tribuitur testimonium aquæ & sanguini per allusionem. At nulla ejusmodi est allusio in tot tamque frequentibus de Spiritu Sancto locutionibus, quibus voluntas, intellectus & actio illi tribuitur.

Tertium jam probandum caput est; nim. Spiritum S. non esse creatum aliquem Spiritum, Angelis similem, quique ab illis potentiæ tantùm magnitudine differat, sed esse increatum, æternum, immensum, omnipotentem, hoc est, verum Deum. Argumenta in illam rem ad quatuor Classes referemus.

I. Esaiæ 6:8. dicitur אֲדֹנָי, atque mittit Esaiam, dicens, *Vade & dices populo huic.* Id Act. 28:25. 26. à Paulo ita sumitur, ὅτι καλῶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐλάλησε διὰ Ἠσαΐου τοῦ προφήτου πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, λέγον, πορεύθητι πρὸς τὸν λαὸν τοῦτον. Ex Joh. 12:40. constat quidem, hæc dicta esse ab Esaia, ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ, Christi nim. Sed nil obstat, quo minus & Spiritus Sanctus intelligatur, per quem Deus olim locutus est, à quo Prophetæ loquentes impulsi sunt. Ita in hoc capite Esaiæ loqui plures personas divinitatis apparet vers. 8. *Quem mittam, & quis ibit* לָנוּ *nobis?*

Es. 63:14. dicitur, רוּחַ יְהוָה תְּנִיחֶנּוּ Israëlem nimirum, per desertum. constat autem è Mose & Psalm. 78: vers. 52. Deum id fecisse. וַיַּסַּע כַּצֹּאן עַמּוֹ וַיְנַהֲגֵם כַּעֵדֶר בַּמִּדְבָּר. 2 Sam. 23: vers. 2. רוּחַ יְהוָה דִּבֶּר־בִּי: statim sequitur vers. 3. *Dixit Deus Israël; loquuta est rupes Israël.*

Act. 5:3. ψεύσασθαί σε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον *fallere te Spiritum S.* eique imponere, *mendaciisque illudere.* respondet vers. 4. οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ Θεῷ. Ita venit ψεύδεσθαι. Euripides Iphig. in Taur. Ἡμᾶς δ' ὁ Φοῖβος, μάντις ὤν, ἐψεύσατο. Joseph. ἀρχαιολ. l. 3. c. 10. ψευσαμένη τὸν ἄνδρα ἐπὶ τοῖς γάμοις, καὶ τὸν Θεὸν ἐπὶ τοῖς ὅρκοις μετ' αἰσχύνης καταστρέφει τὸν βίον. Chrysostomus in 1 Cor. pag. 363. lin. 11. ψεύσασθαι τὸν Θεὸν, pro *conari fallere Deum,* mentiri Deo. Ita Act. 4:9. πειράσαι τὸ Πνεῦμα Κυρίου.

1 Cor. 3:16. *An nescitis,* ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐστε, καὶ τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. *Si quis* ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός. ὁ γὰρ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἅγιός ἐστι. confer Eph. 2:22. εἰς κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν Πνεύματι.

Prophetæ ita passim sermonem incipiunt: נְאֻם יְהוָה &, וַיֹּאמֶר יְהוָה לִי. Jam verò in Novo Testamento dicuntur illi locuti per Spiritum Sanctum, Matth. cap. 22: vers. 43. Actor. 1: vers. 16. 2 Petr. 1: vers. 21. adde Zach. 7: vers. 12. *& cor illorum posuerunt silicem præ audire legem & verba, quæ Iehova exercituum misit* בְּרוּחוֹ *per Spiritum suum.* בְּיַד הַנְּבִיאִים. adde & 1 Petr. 1: vers. 11. ἐδήλου τὸ ἐν αὐτοῖς Πνεῦμα Χριστοῦ. Ibi *Spiritus Christi* non potest significare vim, quam Christus in fidelibus exserit sub Novo Testamento, sed personam Spiritus Sancti, quem Christus heri misit, & hodie mittit in corda suo-

ſuorum. 2 Cor.3:17. ὁ δὲ Κύριος (יְהוָה, ad quem cum ſe converteret Moſes, auferebat τὸ κάλυμμα) τὸ Πνεῦμά ἐστιν.

II. Attributa divina Spiritui Sancto tribuuntur. 1. *Omnipræſentia ſ. Immenſitas.* Pſ.139: 7. *Quo ibo a Spiritu tuo?* Dicitur *habitare in fidelibus.* 1 Cor.3:16. Eph.2:22. Non hæc debent intelligi de virtute & efficacia Dei, quæ ubique diffuſa eſt, & ſeſe exſerit. Nam ſi vis & efficacia Spiritus ubique diffuſa eſt, utique æquè ubiq; eſt, quàm ipſe Deus, & eo ipſo naturam habet cum Deo communem. 2. *Omniſcientia.* 1 Cor.2:10. dicitur *omnia ſcrutari*, etiam τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ. Τὸ ἐρευνᾶν ſignificat hic perfectam cognitionem, ut Job.28:27. וְגַם־חֲקָרָהּ nim. Deus pluviam. Subjicit Paulus: *Quis hominum novit τὰ τοῦ ἀνθρώπου, niſi ſpiritus hominis, qui in eo? ſic etiam τὰ τοῦ Θεοῦ nemo novit, niſi Spiritus Dei.* ℣.11. Inde ſequitur, 1. Spiritum Dei eadem & ea omnia ſcire, quæ ipſe Deus. ergo infinita. 2. ut ſpiritus hominis non eſt diverſæ, ſed ejuſdem cum homine (cujus eſt ſpiritus) naturæ; ſic & Dei Spiritus ejuſdem eſt cum ipſo Deo naturæ & eſſentiæ. alioqui non poſſet ſcrutari ejus βάθη. Porro Joh.16:13. dicitur Spiritus Dei τὰ ἐρχόμενα *annunciare.* quod ſolius eſt Dei. Eſ.44:7. *Quis ut ego vocabit & indicabit illud, & ventura, & quæ venient* יָגִּידוּ לָמוֹ 3. *Omnipotentia.* Id liquebit ex operibus divinis, quæ edidit; de quibus pòſt. 4. *Æternitas.* Præceſſit creationem. Gen.1:2. Qui omnium rerum creationem præceſſit, ipſe creatus non eſt; ac proinde æternus. Non poteſt ibi intelligi *ventus.* Nam ventus eſt affectio quædam aëris, qui pars eſt Expanſi ſecunda demum die creati.

III. Opera merè divina Spiritui S. tribuuntur. 1. Creatio & Suſtentatio rerum omnium in natura. Joh.33:4. רוּחַ־אֵל *fecit me.* וְנִשְׁמַת *& ſpiraculum* שַׁדַּי *vivificavit me.* Pſal. 33:6. *in Spiritu oris illius* &c. Pſal. 104: verſ.30. *Mittis Spiritum tuum,* יִבָּרֵאוּן. confer Gen.1:2. 2. In operibus gratiæ pleraque omnia præſtat. 1. Chriſti conceptionem. Luc.1: ℣.35. Matth.1:18.20. Quis autem corpus è ſola virginis ſubſtantia præter naturam efformare, & animam ejus corpori jungere, & ea divinitati unire ὑποστατικῶς potuit, niſi is, qui infinita prorſus virtute præditus eſt? 2. Chriſtum omnibus ſupernaturalium donorum generibus unxit, eumque talibus donis inſtructum miſit. Luc.4:18. Eſ.61:1. An Spiritus creatus ea vi pollet, eoque honore dignus eſt? 3. Chriſtus per ipſum miracula edidit. Mat. 12:28. *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia.* confer Luc.11:20. εἰ δὲ ἐν δακτύλῳ Θεοῦ. confer Exod.8:15. אֶצְבַּע אֱלֹהִים הִוא. Ipſe Apoſtolos & primitivæ Eccleſiæ fideles donis miraculoſis inſtruxit, quæ non niſi ab omnipotentia poſſunt proficiſci. Act.2:4. 4. Fideles *illuminat*, Epheſ.1:17.18. 2 Cor.3: verſ.18. quæ illuminatio dicitur ἀπόδειξις πνεύματος, 1 Cor.2:4. *regenerat.* Joh.3:5.6.8. *mortificat* veterem hominem. Rom.8:13. *innovat.* Tit.3:5. *ſanctificat.* Rom.15:16. Unde ἁγιασμὸς πνεύματος, 2 Theſſ.2:13. 1 Petr. 1:2. non ut ſubjecti in quo, ſed ut cauſæ efficientis noſtram ſanctificationem. Omnes pios motus excitat & virtutes veras creat in nobis; unde illæ dicuntur *fructus*, hoc eſt, effecta *Spiritus*, Galat.5:22. Ephel.5:9. Hæc omnia verò cum ſint *Dei* ἐνεργήματα, qui ſibi illa tribuit & vendicat 2 Cor.4:4.6. 1 Theſſ.5:23. confer & 1 Cor.6:11. utique Spiritus Deus eſt.

Vocatur porro *Spiritus ſupplicationum*, à quo vera oritur pœnitentia, Zach. 12:10. Dicitur pro nobis *intercedere apud Deum* στεναγμοῖς ἀλαλήτοις, Rom.8:26. *in nobis clamare, Spiritui noſtro* συμμαρτυρεῖν, Rom.8:15.16. Sanctificatio dicitur καινὴ κτίσις, Galat. 6:15. 2 Cor.5:17. Ergò Spiritus Sanctus, ejus auctor, non minus eſt potens, quam mundi creator. *Excitat a mortuis*, Rom. cap.8: verſ.11. & *in Chriſti imaginem nos transformat*, 2 Cor.3:18.

IV. Cul-

IV. Cultus & honor divinus Spiritui tribuitur & competit.

1. Est objectum fidei nostræ, non minus ac Pater & Filius, ut patet è Symbolo. 2. Baptizamur etiam in ejus nomen. Matth. 28: 19. 3. Conjungitur cum Patre & Filio in testimonio cœlesti, 1 Joh. 5:7. & in votis & precibus Apostolicis. 2 Cor. 13: 13. & Apoc. 1:4.5. ibi dicitur, ἑπτὰ, à septemplici, hoc est, multiplici gratiæ seu donorum, quæ distribuit, varietate. Inde dicitur *mitti εἰς πᾶσαν τὴν γῆν.* Apoc. 5:6. Spiritus autem certè non conjungeretur in eodem honore divino cum Patre & Filio, si creatus, si Deus non esset. Neque possunt per septem illos Spiritus intelligi ipsa Spiritus dona. Non enim possumus gratiam & pacem, quæ & ipsa dona sunt, à donis seu qualitatibus nobis inhærentibus apprecari.

Si verò licet in Spiritum credere, & gratiam ab eo & pacem optare, sicut à Patre & Filio, quidni etiam liceat eum cum Patre & Filio invocare? Rom. 10: 14. *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt?* Converte. Ergo invocari potest, in quem licet credere.

Ad honorem etiam Spiritus Sancti divinum facit, quod omnes jubentur *audire, quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Apoc. 2. & 3. Atqui solus Deus debet audiri in Ecclesia, & Filius. *Hunc audite.* Dices. Spiritûs Sancti, etsi creati, vox est nihilominus Dei vox; quia, quæ ipse dicit, Deus illi revelavit; sicuti Prophetis. Nam Johannes Spiritum non proponit ut Dei organum, quales erant Prophetæ. Ita enim daretur organum organi; quandoquidem ipsum Spiritum non audimus nisi per Prophetas & Apostolos loquentem.

Blasphemia etiam dicitur *in Spiritum Sanctum*, & illa οὐκ ἀφεθήσεται. Matth. 12: 31. Marc. 3: 29. Quamvis illa non sit adversus ipsam Spiritûs personam, sed adversus specialem aliquam Spiritûs operationem, & claram ejus illuminationem, tamen innuitur eo, Spiritum Sanctum ejusdem esse & paris cum Patre & Filio dignitatis ac naturæ. Pertinet enim ad personæ ipsius, quæ offenditur, dignitatem, quod peccatum in eam commissum sit irremissibile.

Igitur errant Macedoniani, Spiritum Sanctum dicentes esse creatum aliquem Spiritum. Si enim Deus non esset, ea, quæ Dei sunt, ipsi non possent tribui. Deus enim gloriam suam non dat לְאַחֵר *alteri.* Es. 42: 8. *Alter* istic est omnis is, qui Deus ipse non est. Ita ἀλλότριον αἷμα Hebr. 9: 25. dicitur sanguis, qui non erat ipsius Sacerdotis sacrificantis, sed victimæ brutæ; cui opponitur ἴδιον αἷμα cap. 9: 12. & 13: 12. *sanguis proprius Jesu.* Nec potest Deus gloriam suam magis creaturæ ulli communicare, quàm naturam suam. Gloria enim naturam sequitur, & ex ea oritur ac emergit.

Photiniani Spiritum Sanctum dicunt *Deum* esse, sed creatum & *factitium*, ποιητόν. Sed pugnat, ut quis verè sit Deus infinitâ virtute, sapientiâ, potentiâ, justitiâ, gloriâ præditus, idemque sit creatus & factus in tempore; non secus, quàm si is homo verè dicatur, qui non sit ab alio ex propria substantia genitus, sed arte ab eo ex aliqua alia materia factus.

Tertia hæc Trinitatis Persona dicitur רוח אל, רוח יהוה, רוח פיו, figuratâ locutione, & metaphorâ ab homine desumtâ, de quo frequenter dicitur *spiritus hominis*; quo indicatur nobilior ejus pars, anima nimirum rationalis. Non quidem significatur, Deum compositum esse ex Spiritu tanquam forma, & aliqua alia re, tanquam materia, (ut homo componitur ex anima & corpore. Deus enim omni compositione caret) sed Spiritum, qui illi tribuitur, ejusdem esse omninò cum Deo naturæ atque essentiæ, quomodo anima est ejusdem cum homine, cujus est anima, naturæ.

Ut Filius est à Patre, sic *Spiritus* est ab utroque, & originem suam ducit ab æterno. Nam

1. vocatur non *Patris* modo, sed etiam *Jesu Christi*, & *Filii Dei* Spiritus. 2. Mittitur non à Patre modo, sed & à Filio. Joh. 14: ℣. 26. ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου. 15:26. ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρός. 16:7. *Si abibo, mittam eum ad vos.* 3. Dicitur Joh. 16:14. ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

Dicitur verò ideo *Patris Spiritus*, quia à Patre procedit, non tantùm quia ab eo mittitur. Atqui Filius est Patri ὁμοούσιος. quia igitur dicitur & *Filii Spiritus*, utique & procedit à Filio.

Secundò. Missio Spiritus, quæ Patri & Filio tribuitur, non est quidem ista processio æterna, sed pertinet ad œconomiam ministerii trium personarum in opere salutis nostræ; tamen ex illa dispensatione ordo & ratio processionis Spiritûs Sancti rectè colligitur. Ut Pater à nemine mittitur, quia à nemine est; Filius à Patre, quia ab illo genitus est; sic Spiritus Sanctus ab utroque mittitur, quia ab utroque procedit. Si Spiritus à Filio non procederet, cum ipse sit Deus æque ut Filius, quodnam jus haberet Filius mittendi Spiritum, sive per eum agendi & operandi? Par in parem, collateralis in collateralem jus non habet.

Dices: Spiritus *unxit* Christum, eumq; pariter mittit, Es. 61:1. Resp. Hoc dicitur respectu humanæ naturæ Christi. Imò & Spiritus Deus mittit Filium Deum; sunt enim ἕν.

Hanc Spiritus processionem adumbravit Christus, quum insufflans in Apostolos dixit, *Accipite Spiritum Sanctum*. Significare voluit; ut oris halitus ab homine, sic Spiritum Sanctum à se procedere.

Tertiò, quum dicitur, *De meo accipiet* & ἀναγγελεῖ ὑμῖν, idem est cum eo quod procedit, *quæcunque audierit, loquetur*. Igitur Spiritus tam à Christo audit, quam à Patre. Quomodo autem audit à Christo, si ab eo non procedit?

Porrò, si à solo Patre progreditur Spiritus, 1. evertetur essentiæ Patris & Filii unitas. Si enim solus Pater spirat Spiritum, utique separata erit Patris & Filii essentia. Talis actio personæ convenit ratione essentiæ. 2. ordo inter personas tolletur. Si Spiritus à solo Patre procedit, erit, ratione ipsius productionis, Filio planè collateralis; nec jam tertia Persona, sed, non secus ut Filius, secunda; in pari cum Filio ordine & serie. Ita duæ erunt secundæ Personæ, nulla tertia.

Modus & ratio processionis Spiritus Sancti & hominum & Angelorum menti est ἀκατάληπτος, nec tacente Scriptura investigandus est. Hoc pervenire debere judicavit Deus ad conscientiam nostram, quod pertinet ad salutem nostram.

Discrimen verò inter generationem Filii & processionem Spiritus hoc est: Generatio Filii est ab uno tantùm: Processio Spiritus verò est à duobus.

An verò ab utroque immediatè, unà eademque spirandi actione utrique communi; an verò à Filio duntaxat immediatè, à Patre autem mediatè per Filium, procedat Spiritus Sanctus? nec id investigare permittit Religio.

Basilius M. Non est divina illa vox, quæ Spiritum docet esse ποίημα; quando enim alibi dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt*, de multitudine creaturarum dictum est. Spiritus verò in illa non comprehenditur, sed μετὰ τῆς δυάδος τριάδα πληροῖ. Alienus est à consortio creaturarum, easque longè superat, utpote creaturas sanctificans & vivificans.

Idem. Πνεῦμα ubique adest ἐξομοιούμενον τῷ Θεῷ, *similis Deo factus*, à quo mittitur, tum quoad esse, tum quoad ubique & in omnibus esse. *Nihil habet in se* ἐπίκτητον *ascitum*, ἀλλ᾽ ἀιδίως πάντα ἔχειν.

Insigne fuit schisma Ecclesiæ Græcæ & Romanæ de *processione Spiritus Sancti ex Patre Filioque*. Non legitur totidem verbis, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio procedat. Sed

non id est causæ satis ad rejiciendum hoc dictum. Licet uti phrasibus sensum Scripturæ explicantibus.

Lis autem hæc inter Græcos & Latinos ita olim exacerbata est. In Symbolo Constantinopolitano, edito A.C. 381. tantum audiebatur τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. *Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & glorificandum.* Apud Latinos verò in ejusdem Symboli recitatione auditum fuit, *Ex Patre Filioque.* Photius epistola encycl. §. 8. τὸ ἱερὸν καὶ ἅγιον σύμβολον, ὃ πᾶσι τοῖς συνοδικοῖς καὶ οἰκουμενικοῖς ψηφίσμασιν ἄμαχον ἔχει τὴν ἰσχὺν, νόθοις λογισμοῖς καὶ παρεγγράπτοις λόγοις καὶ θράσους ὑπερβολῇ κιβδηλεύειν ἐπεχείρησαν. Adeò hoc Græcis doluit.

Verum quidem est, quod addiderunt Latini; tamen privâ auctoritate communi omnium Symbolo addi non licuit. Qui enim addit, vel falsus fit testis formulæ Catholicæ; vel se νομοθέτην facit. Quod Latini faciebant. Id enim, quod ab ipsis fiebat, pro determinatione Ecclesiæ, sequenda ab omnibus, haberi volebant. Porrò eo minus addere communi formulæ Latinis licuit, quia verba Scripturæ erant, quæ in ea audiebantur. Joh. 15: 26.

Sed & alia hujus schismatis causa fuit. Græci Patriarchæ dominationis Romanæ erant æmuli.

Sunt enim aliàs inter Græcos, qui cum Latinis faciunt. Gennadius Episc. Const. in Dial. cum Turca. ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ ἐκπορεύεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Cyrillus Alexandrinus in epistola, nomine Synodi Alexandrinæ ad Nestorium scripta. πνεῦμα γὰρ ἀληθείας ὠνόμασται. καὶ ἔστι χριστὸς ἡ ἀλήθεια. καὶ προχεῖται παρ' αὐτοῦ καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐκ τοῦ θεοῦ καὶ πατρός. Epiphanius Hæres. 62. Sabell. ἀεὶ γὰρ τὸ πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ τοῦ υἱοῦ λαμβάνον. οὐκ ἀλλότριον πατρὸς καὶ υἱοῦ, ἀλλὰ ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας, ἐκ τῆς αὐτῆς θεότητος, ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ, σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ.

Leo III. Papa Symbolum Constantinopolitanum in tabula argentea cum sola commemoratione processionis ex Patre publicè proposuit.

Theodoretus zelo quopiam contra Cyrillum commotus dixit, εἰ δ' ὡς ἐξ υἱοῦ ἢ δι' υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, ὡς βλάσφημον τοῦτο καὶ ὡς δυσσεβὲς ἀποῤῥίψομεν.

Fatentur Græci, *Spiritum* esse & Spiritum Filii seu Christi, habere eandem essentiam cum Patre & Filio, & accipere à Filio, mittere eum Filium à Patre. Ex ἐμφυσήσει, quâ indicavit Christus, se donaturum Spiritum, Joh. 20: 22. colligit Damascenus, δι' υἱοῦ πεφανερῶσθαι καὶ μεταδίδοσθαι ἡμῖν. Ut nomen בֵּן *filius* consignificat τὸ γεννητῶς ἐκπορεύεσθαι ἐκ τοῦ πατρὸς, ita nomen πνεῦμα se ipso ἐκπόρευσίν τινα significat ex eo, cujus πνεῦμα dicitur φυσικῶς.

Græci, qui negant à Patre & Filio procedere Spiritum, objiciunt, Joh. 15: 26. *Quum autem venerit* ὁ παράκλητος, hoc est, *Advocatus ille, quem ego mittam vobis à Patre*, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, qui quasi in procinctu stat, ut à Patre mittatur, *ille testabitur de me.* At Christus hic non loquitur primario de ἐκπορεύσει φυσικῇ, sed de οἰκονομικῇ, hoc est, non de ὑποστατικῇ ἰδιότητι Spiritus Sancti, sed de ejus datione & egressione ad homines. Quum Christus ἐξελθὼν παρὰ πατρὸς venisset in mundum, hoc illud tempus erat, ut etiam Spiritus Sanctus à Patre egrederetur; & Christus, τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς, Act. 2: 33. illum mitteret. Et *Deus* dicitur יֹצֵא מִמְּקוֹמוֹ, Es. 26: 21. & unus alterque Angelus. Zach. 2: 3. *Et ecce Angelus loquens mecum* יֹצֵא, & Angelus אַחֵר *exiens in occursum ejus* יֹצֵא לִקְרָאתוֹ: Hæc juncta sunt, *missio* Christi, & *datio* Spiritus. Joh. 3: 34. *Quem misit Deus, loquitur verba Dei.*

Dei: non enim è mensura dat Deus Spiritum. (Atqui dicitur Rom. 12: 3. ἑκάστῳ ὡς ὁ θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως. Eph. 4:7.. *Unicuique data est* ἡ χάρις κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ. Resp. Spiritus, qui in universum non datur ἐκ μέτρου, singulis datur κατὰ μέτρον *secundum certam*, cuivis convenientem & ordinatam, ac proportionatam *mensuram.*) & Es. 48: ℣. 16. *Et nunc misit me Dominus Jehovah, & Spiritum suum.* Apud Johannem tam frequens est doni hujus inculcatio, ut nemo possit dubitare, locum Joh. 15: 26. in eum sensum accipi posse. Apposita verba conveniunt. τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Non ita tantùm dicitur, quia ἀψευδὴς, *mentiri nequit*, sed quia datur, ut conveniens *veritati* & exhibitioni promissionum in Christo, & ut faciens, ut Deus adoretur *in veritate*; & ut omnes testentur ac fateantur, Deum *verum esse*, hoc est, veraciter implevisse promissiones suas, & verè factum esse Israëli in Deum. Hunc sensum qui admittit, ut omninò admittendus est, jam non potest dicere, in hoc loco determinari τὴν ἰδιότητα Spiritus Sancti, nimirum τὸ ἐκπορεύεσθαι παρὰ πατρὸς, καὶ μὴ παρὰ τοῦ υἱοῦ. cum & Johannes Damascenus ipse fateatur δι' υἱοῦ πεφανερῶσθαι καὶ μεταδίδοσθαι ἡμῖν τὸ πνεῦμα.

De *Spiritu* Deus passim locutus est. Gen. 6:3. *Et dixit Jehovah* לֹא יָדוֹן רוּחִי בָאָדָם לְעֹלָם *Non disceptabit Spiritus meus de homine in perpetuum.* seu *deliberabit.* Docemur, disceptasse & deliberasse Spiritum de homine prioris mundi, hoc est, litem fecisse omni carni immorigeræ, convincendo mundum de *peccato*, quo se polluebat; de *justitiâ*, quam rejiciebat, aut falsam constituere satagebat; de *judicio*, quod illi imminebat. Id quod fecit per præconium Noæ, qui *ut præco justitiæ*, Spiritu hoc actus, locutus est & præconiatus.

Quia verò dicitur 1 Pet. 3: 18. 19. Filius Dei *Spiritu vivificatus, in illo Spiritu ivisse & prædicasse inobedientibus illis in diebus Noë*, observemus 1. Illum *Dominum*, de quo Moses, *Et dixit Iehovah* &c. fuisse τὸν λόγον *Filium.* Filius enim in Spiritu suo ivit. Ergo Filius est יְהוָה. 2. Spiritum esse non tantùm *Patris*, sed & *Filii.* dicit enim רוּחִי. confer Gal. 4: 6. 3. Filio *omne judicium datum a Patre.* Joh. 5: 22. Is in Spiritu suo de hominibus primi mundi deliberavit; tandem suspensâ deliberatione aquis illos ultus est. 4. Filium verè *ab initio locutum.* Es. 48: 16. Joh. 8: 25. Is enim Spiritus, qui de homine deliberavit, quo Noë actus est, & à quo doctus præconiari justitiam, Spiritus Filii est. 5. Illis, qui deliberanti & disceptanti Spiritui obsistunt, & illi non obediunt, imminere *judicium*, illudque *incipere* etiam ἀπὸ τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ. 1 Petr. 4: 17. Nam & *filii Dei* ab aquis enecti sunt. confer Es. 63: 9. *Dolore affecerunt Spiritum Sanctum, & versus illis est in inimicum.* 6. Spiritum Sanctum disceptare cum homine peccante quidem, haut tamen *in seculum.* Igitur ubi nullus resipiscentiæ locus, quasi auferri & recedere. Id deprecabatur David. *Ne auferas Spiritum tuum Sanctum a me.* Psalm. 51. Saulo id factum. *Et recessit à Saulo Spiritus Domini bonus.* 7. Si Spiritus Sanctus desinit disceptare cum homine, si non amplius mittit Prophetas, si liberè aliquamdiu sinit peccare, id signum esse imminentis judicii.

Quum Spiritus Dei dicitur *mitti* à Patre & Filio, non putandum est, illum mutare locum; (quod facile intelligi potest ex Psalm. 139: 7.) sed in homine & apud hominem aliquid incipit operari, propter voluntatem (sanè suam,) sed nominatim Patris & Filii. Spiritus etiam dicitur *donari*, ut ejus sit donum quasi & munus, in quo propter voluntatem Patris & Filii operari incipit.

Missio Filii & Spiritus Sancti juncta sunt. Uterque mittitur; prior Filius, posterior Spiritus. Gal. 4: 4. 6. Imò ob Filium & per Filium datur Spiritus. Imò Spiritum dat mittitq; Filius.

Ut

Ut Christus heri, hodie, ita & *Spiritus.* Moses egit cum illo detecta facie, 2 Cor. 3:16. 17. *Spiritus stetit in medio* Israëlis, Hag. 2: 6. confer Num. 11: 29. & vers. 25. Locutus est per Davidem. 2 Sam. 23: 1. per *Prophetas*, Zach. 7:12. 2 Petr. 1: 21. duxit sanctos *in terra planitiei.* Psalm. 143: 10. petierunt illum *a se non auferri.* Psalm. 51: 13.

Non tantùm dicitur *mitti*, sed & *effundi.* Es. 44: 3. אצק *Spiritum meum super semen tuum.* Zach. 12: 10. ושפכתי *Spiritum gratiæ. Dari.* Joh. 14: 16. *Alium Advocatum* δώσει ὑμῖν. Zach. 9: 12. *Etiam hodie: Indicem alterum* אשיב *reddo tibi.* Es. 42: 1. *Dedi Spiritum meum super illum.* confer Num. 11: 29. *Venire.* Joh. 15: 20. *Quum venerit Paracletus.* 16: 7. οὐκ ἐλεύσεται. vers. 8. καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος. *Decidere.* Act. 8: 16. *Nondum erat super ullum illorum* ἐπιπεπτωκός. confer Act. 10: 44. 11: 15. *Accipi.* Act. 8: 15. ὅπως λάβωσι πνεῦμα ἅγιον. Act. 19: 2. Rom. 8: 15. Joh. 7: 30. Deus *dat*, *mittit*, *effundit.* Spiritus *venit*, *decidit.* Ecclesia *venientem*, *delabentem*, *datum*, *missum*, *effusum accipit.* Spiritus est *donum*, sed voluntarium donum, sponte veniens. Deus, tum Pater, tum Filius, est *dator* hujus doni. Sancti *accipiunt* hoc donum. Non inde colligenda Spiritus minoritas, sed potius concludenda majoritas, & cum Patre ac Filio æqualitas.

Spiritus hic à *donis*, quæ in nobis operatur, denominatur Spiritus *Sapientiæ*, *Prudentiæ*, *Consilii*, *Fortitudinis*, *Cognitionis*, *Timoris Domini*, Es. 11: 2. *Gratiæ & Supplicationum.* Zach. 12: 10. & quia hæc dona sunt multa, dicuntur ἑπτὰ πνεύματα. Apoc. 1: 4. cum *unus* tantùm & *idem* sit *Spiritus.*

Dein à vario statu, quem sanctos subire docuit & docet, dicitur *Spiritus Servitutis*, & υἱοθεσίας, Rom. 8: 15. & ἐλευθερίας, 2 Cor. 3: 17.

Memorabilis est locus Rom. 8: 15. *Non enim accepistis rursum Spiritum Servitutis ad timorem, sed accepistis Spiritum Adoptionis filiorum.* Est Spiritus Servitutis: est & Adoptionis: alio & alio respectu, tum temporis, tum modi, quo datus fuit & datur sanctis. *Spiritus servitutis* fuit illo tempore, quo *servitus* incubuit; & *illis* fuit talis, qui *servituti* illi fuerunt obnoxii, hoc est, Israëlitis. Servitus illa legalis auctore Deo intraverat. *bona* erat, quia mandata à Deo; quia ad bonum tendebat finem. *bonum* etiam erat, ut integrâ obedientiâ præstaretur & impleretur. *Spiritus Dei bonus*, qui ducit sanctos *in via recta*, Psal. 143. non potuit non sanctos docere, justum esse & bonum, servitutem illam, à Deo jussam, ad bonum ducentem, subire obedienter: non potuit non illos illuminare ad scrutandum servitutis hujus mysteria: non potuit non in illis operari & *velle & perficere* in fide omnia servitutis hujus opera. Igitur quatenus fecit Spiritus Sanctus sanctos *servitutem* hanc obire omni cum subjectione & humilitate, imo docuit illos scrutari & intelligere, quinam hujus servitutis finis & scopus esset, eatenus significanter vocatur *Spiritus servitutis.* Operatus enim est in sanctis *voluntatem* libenter serviendi; *Agnitionem*, ut in fide servirent; *Vires* denique, ut sub servitute non succumberent.

Non potuit esse *Spiritus servitutis*, nisi insimul esset Spiritus *fidei*, *spei*, *agnitionis*, *timorisque* Domini. *Fides* enim servitutem hanc fecit utilem; *Spes* fructuosam; *Agnitio* ostendit illius sapientiam, *Timor* ad illam fecit lubentiam.

Non injurium est Spiritui, dici *Spiritum servitutis.* quemadmodum sanctis non fuit injurium, esse bajulos hujus servitutis. Utiliter servitus illa illis incubuit; utiliter Spiritus illis servitutis Spiritus fuit. Omnis Israel servituti legali fuit obnoxius, non tamen omnis Israël Spiritum illum servitutis ἔλαβε. Non omnes in *fide* servierunt; non omnes in Spiritu servitutis sancto. Multi confisi ἐν σαρκί, servierunt acti non à Spiritu servitutis *bono*, qui erat Dei, sed à Spiritu servitutis *malo*, qui fuit Diaboli.

Ergo Spiritus servitutis non fuit donum vile aut ἀπόβλητον. Mundus enim illum non accepit, sed fuit donum cœli, auctor omnis boni, datus ἄνωθεν. Inde dicitur ἐλάβετε, quasi e singulari Dei dono & munificentia. confer 1 Cor. 4:7. & Joh. 1:12. *Donum* insigne fuit *Spiritus* hic *servitutis*. In sanctis, quibus datus est, effecit, ne id verbum in illis, ut in multis, esset odor mortis, aut litera occidens, aut merum ministerium condemnationis; sed ut in illis servitutis onus faceret peccati sensum, gratiæ excitaret desiderium, essetque bonorum futurorum, magnam adhuc partem invisibilium, visibile sacramentum.

Non tamen ita excellens fuit *donum*, ut exstitit in postremo dierum; quo cœpit esse secundùm excellentiam *Spiritus adoptionis*: nec clamat amplius in Sanctis, *Servite, Servite, jugum suscipite*; sed, *Gaudete, Gaudete, in libertate state. Clamat in illis*, illique *in illo*: Ἀββᾶ ὁ πατήρ. Rom. 8: 15.

• Dicit Paulus δουλείας εἰς φόβον; ut doceat, 1. servitutem junctum habuisse *timorem*. Hebr. 2: 11. multo cum timore peragebatur, multum timorem pariebat, exigebat. 2. Spiritum esse effectorem & servitutis & timoris; donum fuit servitutem obire *in timore*, hoc est, in amore Dei, & lubentia obedientiæ.

Etiam notabilis sententia est 1 Joh. 5: 6. καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια. *Et Spiritus est, qui testatur, quòd Spiritus sit veritas.* Spiritus, qui locutus est in prophetis, testatur, quod Spiritus, qui persuadet, ut credamus Euangelio, τῷ ὕδατι καὶ τῷ πνεύματι, ut est in initio versus, sit veritas. Et reciprocè; Spiritus datus ad credendum Euangelio, ostendit, Spiritum, qui locutus est in Prophetis, esse verum, hoc est, veracem, fœderis sui & promissionis memorem. Ita ἀληθὴς *verus*, hoc est, promissionis impletor. Joh. 3: 33.

Et Spiritus vocatur ἀῤῥαβών. 2 Cor. 1: 22. καὶ δοὺς τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. Ephes. 1: 14. *qui est pignus hæredit nostri.* Est enim nobis *pignus* & obses divinæ gratiæ, electionis, redemtionis & vitæ nobis repositæ ad spem. Etiam comparatur cum *sigillo* Ephes. 1: 13. ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ. confer Ephes. 4: 30. *Sigillum* est, quo notati sumus εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως; ut Deus eum inveniens in nobis nos agnoscat pro suis; & ut per id, quod Spiritus in mentibus nostris & membris nostris operatur, discernamur à mundo.

Notabilis est locus Gal. 4: 6. *Quia verò estis filii, emisit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem*, Ἀββᾶ, ὁ πατήρ. Sumus *filii*, accepimus illam ἐξουσίαν, Joh. 1: 12: Spiritus *Filii* emissus in nos est; eo modo & mensurâ, quæ *filiis* convenit. *Clamat*, docet nos clamare, generans in mentibus nostris fiduciam filialem: *Abba Pater.* Ita & Christus clamavit in agone. Marc. 14: 36. Ἀββᾶ vox est Syriaca ex Hebræo אב. ὁ πατὴρ est pro πάτερ; ut ὁ θεὸς pro θεὲ, Joh. 20: 28. Marc. 15: 31. confer Matth. 27: 46. & ἡ γυνὴ pro γύναι. Joh. 8: 10. Ita Spiritus in variis linguis facit inclamare Deum Patrem.

Cogitemus porro. Balbutientes pueruli patres suos compellant *Papa*. id Græci dicunt παππάζειν. quod tantundem est ac πάππα καλεῖν, πατέρα φωνεῖν. Latinis in usu est, *pappare*. Persius Sat. 3. *Et similis Regum pueris pappare minutum Poscis. Pappare* est ὑποκοριστικῶς *blandè* ac suaviter patrem *Papa* vocare. id quod Magnatum imprimis solebant pueri. Inde πάππας, *Papa* honoris nomen exstitit. Pro πάππα usu venit ἄππα; ut ex τατᾶ factum est ἄττα. Achilles apud Homerum, Iliad. Θ. φοῖνιξ, ἄττα γεραιὲ, *Phœnix, Pater senior*. Cum ἄππα convenit ἀπφά, ἀπφῦς, ἀπφία, ἀπφάριον. quibus vocibus pueri parentes blande appellabant. Apud Suidam Ἄπφα est fratris vel sororis ὑποκόρισμα. Eustathius notat, sororem à sorore vocari ἀπφᾶν, καθ' ὑποκορισμόν. Apud Theocritum καλὸς

ἀπφῦς

ἀπφῦς est *bonus pater*. Apud Callimachum, Hymno in Dianam, ℣. 6. Diana *Jovem* vocat ἄππα. Ab ἄππα est ἀββᾶ, mutatis, ut fit, literis; & Latinorum *Aba*, imo & *Abare*, quod est, blandè aliquem compellare.

In Spiritu clamamus Ἀββᾶ, hoc est, affectum filialem in corda effundit nostra, ut ad Deum, filiorum instar balbutientium, plenissima affectûs contestatione, nec sine reverentiæ demonstratione, accedamus, exosculemur, amplectamur, dicentes eum ἀββᾶ, quod est tenerioris oris & infirmioris; & *Pater*, quod est perfectiorum.

Imò quia in sanguine Filii facti sumus *reges*, filii regis & regni, ut solent regum filii, παππάζομεν, hoc est, Deum πάππα φωνοῦμεν.

Ita *Deum* dicere docuit nos Servator, Matth. 6:9. Etiam *prophetia*, Jer. 3:19. Quomodo ergo aliter Spiritus? confer Rom. 8:15. ἐν ᾧ κράζομεν. *Spiritus* clamat, non caro, sed *Spiritus* id efficit. *In Spiritu* clamamus nos, quia per nos ita clamat, nosque ita clamare facit. Hic clamor fit nunc ore, nunc cogitatione, nunc gemitu.

Spiritus etiam dicitur *attestari* συμμαρτυρεῖν *Spiritui nostro, quod sumus filii Dei*. Rom. 8:16. Tribus id fit modis. 1. instrumentaliter. 2. realiter. 3. sensibiliter. seu, quod idem est, 1. mediis. 2. reipsâ. 3. sensu.

Hujus Spiritus symbolum fuit מִנְחָה חֲדָשָׁה *munus novum*; לֶחֶם תְּנוּפָה *panis oblationis*, חָמֵץ *fermentatus*, qui dicitur לֶחֶם בִּכּוּרִים *panis primitiarum*; quique *quinquaginta diebus post oblatum manipulum* (עֹמֶר רֵאשִׁית qui & עֹמֶר הַתְּנוּפָה *manipulus oblationis*, & *postridie sabbati*, hoc est, die solis, agitabatur coram Domino) offerebatur. Nam & 50 dies à resurrectione Domini effusus est Spiritus. Act. 2:1-16. estque verè *munus novum*. ante non fuit. Joh. 7:39. Act. 19:2. est inter dona Christi primum & maximum. Est ut *panis*, roborans animam & corpus, & in id intrans. Hic Spiritus *fermentum* nostrum, hoc est, corruptionem fert, tolerat, corrigit, emendat.

Hujus denique Spiritus effusione unctus est Christus, Act. 2:33. 36. 10:38. deinde & *Sanctum Sanctorum*, hoc est, Ecclesia. Dan. 9:24. confer 1 Joh. 2:27. καὶ ὑμεῖς τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ᾽ αὐτοῦ, ἐν ὑμῖν μένει.

Cavendum nobis, ne *contristemus Spiritum*. Ephes. 4:30. Es. cap. 63: vers. 10. ne illi *resistamus*. Act. 7:51. ne in illum *rebellemus*. Psalm. 106: vers. 33. ne illi *mentiamur*, nec illum *tentemus*. Actor. cap. 5: vers. 3. 4. 9. Inprimis verò ne ipsum blasphememus, aut in illum committamus *peccatum*, quod dicitur *in Spiritum Sanctum*. Matth. 12:31. 32. Marc. 3:28. 29. Luc. 12:10.

Hactenus demonstravimus, in uno vero Deo esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum invicem distinctos, sic ut eorum unusquisq; sit verè & essentialiter Deus, neque tamen tres Dii sint, sed unus duntaxat numero Deus. Hoc verò mysterium, menti humanæ imperceptibile, adversus hæreticorum fraudes ita nunc explicandum est, ut τὸ ὅτι sanctissimæ hujus doctrinæ sartum & integrum ac illæsum nobis permaneat.

Hic opus est vocabulis nonnullis & phrasibus, quarum nonnullæ αὐτολεξεὶ totidemque apicibus in Sacris non occurrunt; res tamen illis significata expressè in eis docetur.

Quandoquidem unus est Deus, in eoque sunt tres invicem distincti, planum est, tribus illis aliquid esse commune, aliquid item singulis proprium & incommunicabile. Si enim id non haberent, non essent realiter inter se distincti. Quod enim commune est multis, id ea invicem non distinguit, sed id, quod singulis est proprium. Si nihil etiam commune haberent, unus Deus non essent.

Id quod tribus illis commune est, *Essentia* est sive *Substantia* & *Natura* divina. Hæc vocabula,

bula, distincta licet alias, hîc pro uno eodemque sumuntur; nempe non pro qualibet essentia, qualis etiam accidentibus convenit. nam Deus non est accidens. neque pro qualibet substantia, aut natura, qualis etiam rebus inanimatis competit, sed pro ea natura & substantia, quæ vitâ, & intelligendi, volendi, & agendi vi atque facultate est prædita, eaque planè infinita & æterna. alioqui divina non esset; nec ab Angelis creatis differret.

Natura vox exstat 2 Petr. 1:4. ἵνα γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως. Galat. 4:8. ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. Fictitii dii sunt dii, qui naturâ non sunt dii. Deus verò verus est Deus, qui natura Deus est. Deus ergo naturam habet, estque divina quædam natura. Illa dicitur θειότης, Rom. 1:20. θεότης, Col. 2:9. μορφὴ θεοῦ. Phil. 2:6.

Essentia & *substantia* Græcis dicitur οὐσία. οὐσία de Deo enunciatur Job. 12:16. עִמּוֹ וְתוּשִׁיָּה confer Prov. 8:14. לִי־עֵצָה וְתוּשִׁיָּה. Es. 28:29. Dominus הִפְלִיא עֵצָה הִגְדִּיל תּוּשִׁיָּה. Est verò hoc vocabulum a יֵשׁ quod significat τὸ εἶναι; & יְהוָה ab הָיָה. Et licet in citatis locis *prudentiam* & *sapientiam*, tamen propriè οὐσίαν notat & *essentiam* ἀντονομαστικῶς dictam designat, qualis excellentissima essentia est sapientissima, & perfectissima.

Eadem essentia & in nomine יְהוָה, & in אֶהְיֶה Exod. 3:14. notatur. confer Apoc. 1:4. ὁ ὢν &c. & Es. 43:10. & 12. אֲנִי הוּא hoc est, ἐγὼ ὁ ὤν. nam הוּא est pro הֹוֶה ab הָיָה. Nil magis Deo convenit quam τὸ *esse*. est enim primum & summum ens; solus propriè dicere potest, SUM.

Cum ergo οὐσία sit communis Patri, Filio & Spiritui Sancto, sequitur, tres illos esse inter se ὁμοουσίους *coëssentiales* seu *consubstantiales*, hoc est, unius ejusdemque planè essentiæ & naturæ. contra Arrianos de *Christo*, & Macedonianos de *Spiritu* id negantes, & illas voces, ut non in Scriptura exstantes αὐτολεξεὶ, rejicientes, & pro illis obtrudentes τὸ ὁμοιούσιον; ut sic Christum & Spiritum Sanctum similis duntaxat & affinis naturæ cum Patre esse statuerent, non verò ejusdem.

Id verò, quod unicuique trium horum est proprium, ὑπόστασις dicitur. Hebr. 1:3. χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Vox illi synonima, & ejusdem originationis, est ὑφιστάμενον, Latinis *suppositum*, quod individuum substantiale significat.

Sed quia vox ὑπόστασις, si ratio etymi habeatur, idem planè sonat, quod Latinis *substantia*; quæ vox tam de secunda & universali, quàm de prima seu individua substantiâ quacunque vulgò usurpatur: vox autem ὑφιστάμενον individuum quidem substantiale denotat, sed tam de irrationali, quàm de rationali dicitur; hinc Theologi posteriores, missis illis vocabulis, eorum loco vocem πρόσωπα, *Persona* usurparunt: quâ significarunt individuum naturæ rationalis, quale est in divinis unusquisque trium illorum, Pater, Filius, Spiritus Sanctus; qui propterea dicuntur tres Personæ Trinitatis.

In divinis verò longè alia quam in humanis personæ & personalitatis est ratio, quia alia est divinæ, quam humanæ essentiæ ratio & natura; divina est infinita; humana verò finita. unde est, quod humana natura tantùm una est specie in pluribus personis seu individuis, Petro nimirum, Paulo &c. at divina una eademque numero existit in tribus istis Personis, Patre, Filio & Spiritu Sancto. In humanis ad naturam universalem accedunt proprietates quædam individuantes, realiter ab illa communi natura distinctæ, per quas restringitur homo, fitque singularis, Petrus putà. In divinis, quia essentia divina est una numero, ad eam accedit modus quidam peculiaris *subsistendi*, quo accedente constituitur Persona, quæ nihil aliud est, quam essentia seu natura divina, certo quodam modo, eoque incommunicabili, subsistens. unde Persona dici solet τρόπος ὑπάρξεως.

Dis-

Differt itaque persona ab essentia, seu natura divina, non re, sed ratione; ut modus rei à re, gradus puta caloris à calore. At Personæ ipsæ invicem realiter differunt, ut modus unius rei ab alio modo, gradus puta unus caloris ab alio gradu. Est etiam essentia divina tota in singulis Personis, at non ut totum in suis partibus; essentia enim divina non est dividua; sed ἀμερής; haut tamen ut punctum; neque ut humana natura est in suis individuis, quia divina essentia non est specie, sed numero una.

Est ergo ratio illa subsistendi essentiæ divinæ, quæ numero una est in tribus distinctis personis, prorsus inexplicabilis & imperceptibilis; & prædicandi modus, quo Deus de singulis illis tribus prædicatur, planè admirabilis & singularis, qui nec ratione explicari, nec exemplo declarari potest. Porrò non gignit sive producit natura naturam, neque natura personam, neque persona essentiam, sed persona personam, non ex essentia, sed in unitate ejusdem, quæ tribus personis communis est essentiæ. Neque extra se gignit, aut producit, ut fit in corporum generatione, sed intra se, quia infinita.

Essentiam autem dat Pater Filio, & uterque Spiritui Sancto, non alienatione, sed communicatione; quá fit ita accipientis, ut maneat nihilominus danti, velut lumen accenditur à lumine.

Inde & alia persona extra aliam non subsistit, ut fit in hominibus, sed omnes tres sunt ἐνυπόστατοι, hoc est, invicem hæc in ista, & rursus ista in illa, subsistit. Joh. 10:38. 14:10. *Ego sum in Patre, & Pater in me* est, per ἰδιάζουσαν ἐμπεριχώρησιν, quasi dicas, *mutuam circumplexionem*, seu *inexistentiam*. Hæc non facit, ut non sint Personæ inter se distinctæ. non enim est ita una in alia, quemadmodum accidens est in subjecto; neque una de alia prædicatur, ut homo de Petro; Pater enim non est Filius; neque Filius est Spiritus Sanctus; quod satis est, ut sint verè distincta ὑφιστάμενα. Disjunctio itaque seu divisio, non distinctio personarum, hâc ἐμπεριχωρήσει tollitur.

Proprium autem habent singulæ illæ personæ τρόπον ὑπάρξεως, & proprietatem quandam διακριτικὴν & quasi characteristicam, qua invicem realiter differunt; Pater ἀγεννησίαν, & generationem activam; Filius γέννησιν; Spiritus ἐκπόρευσιν.

Ad hoc internum personarum illarum discrimen accedit aliud externum, ab operum ductum discrimine. Patri creatio, Filio redemtio, Spiritui sanctificatio nostra singulariter tribuitur; cujus dispensationis modum venerari potius, quàm rimari nos decet.

Actus, quo Pater genuit Filium, & quo uterque spirat Spiritum Sanctum, est quidem *voluntarius*, quatenus *voluntarium* idem est quod spontaneum, & opponitur invito ac coacto; non enim invitus genuit Pater: sed non est *voluntarius*, quatenus *voluntarium & naturale* opponuntur, & contradistinguuntur; & quatenus *voluntarium* denotat id, quod est contingens & per accidens, quodque potest esse & non esse. Non sunt actus illi voluntatis deliberantis, & potentiæ liberæ; sed sunt actus naturales, & naturalis necessitatis, proindeque æterni. Pater ab æterno fuit Pater, non secus atque Deus fuit; & Filius ab æterno fuit, ac proinde nunquam Pater fuit sine Filio. alioqui divinæ essentiæ aliquid accidisset novi.

Frustra ergo luserunt Arriani. Pater genuit Filium volens. Ergo potuit non gignere, & potuit Filius non esse. Voluntas enim libera est; possuntque ejus actiones non esse. Resp. Pater genuit Filium naturâ & æternâ voluntate, quæ immutabilis est in Deo. Est igitur generatio Filii immutabilis naturæ & voluntatis divinæ opus.

Porrò ab æterno in æternum est, perpetuoque durat Filii à Patre emanatio, & Spiritus Sancti ab utroque processio.

2 Dissimilis est ista Personarum divinarum productio à luminis ex sole, & caloris ab igne emanatione. Nam in illa est successio quædam, & prius ac posterius. Aliud est hodiernum solis in aëre diffusum lumen ab hesterno: at non est alius hodie Filius, quam qui fuit heri. Non fit etiam ulla essentiæ divinæ vel sectio & divisio, vel extensio & propagatio aut multiplicatio, vel derivatio, transfusio, aut effusio. Illa enim omnia corporibus & substantiis finitis conveniunt.

2 Modus generationis Filii & processionis Spiritus Sancti sic explicatur. Mens nostra, quum seipsam actu reflexo intelligit, imaginem suipsius aliquam, sed imperfectam, neque distincte subsistentem, in sese efformat. Sic Pater, dum seipsum modo ineffabili, ab æterno in æternum, intelligit perfectissime; perfectissimam etiam sui imaginem ab æterno in se produxit, & in æternum producit; quæ imago *Filius* dicitur. Huc trahunt appellationes *Characteris*, *ἀπαύγασμα*, *Sapientiæ*, *λόγος* &c. Spiritum autem dicunt ex mutuo ac reciproco Patris & Filii amore progignatum, per modum voluntatis, uti Filius à Patre per modum intellectus, processisse ex utroque. Tamen quia Scriptura nullum hujus mysterii modum expressit, tutius est forsan tacere & nil definire. Ne procedat cogitatio aut lingua ultra, quàm verbi Dei fines se protendunt. Permittamus Deo sui cognitionem. Ipse enim demum unus, ut inquit Hilarius, idoneus sibi testis est, qui nisi per se cognitus non est.

Ex productione Personarum Filii & Spiritus Sancti à Patre oritur inter eas ordo. Pater à nullo est, sed à se ipso. Filius à Patre &c. Qui ordo nullam inæqualitatem essentiæ aut naturæ, nec disparitatem gloriæ aut majestatis infert, sed personarum duntaxat internam, unius ab alio, secundum essendi ordinem, *οἰκονομίαν*; juxta quam eos sic ordine collocari & numerari convenit.

Filius & Spiritus Sanctus potest dici *αὐτόθεος*. Habet enim uterque communem cum Patre essentiam, quæ per se subsistit.

Pater tamen duplici respectu ita potest dici; quia per se, & à se subsistit; est *αὐτοφυὴς* & *αὐτογέννητος*. id quod negativè, quatenus à nullo est; non affirmativè, ac si ipse se genuisset, accipiendum est.

Hoc mysterium, de quo hactenus, *Trinitatis* vocabulo comprehensum est. quod nomen licet *αὐτολεξεὶ* in Scripturis non habeatur, evidenter tamen ex iis deducitur. *Tres* enim dicuntur in illa *unum*; unde *Trinitas*; ut ab *uno* Deo Dei *Unitas*.

Sabelliani confundebant personas cum essentia. Arriani tres statuebant inæquales personas. Samosateniani & Photiniani Christum vel *ψιλὸν*, vel *θεῖον* tantùm asserebant hominem. Tritheitæ tres æquales essentia Deos ponunt. Sociniani veteres blasphemias ab orco revocant.

Eximius locus pro Trinitate est, Deut. 6:4. יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד.

Voces, quibus in explicando hoc mysterio utimur; *persona*, *ὁμοούσιος*, *essentia*, *unitas*, *trinitas*, nonnulli taxant, quia in Scriptura totidem literis non reperiuntur omnes. Atqui tamen res ipsa reperitur, & voces iis æquivalentes. Et si non ipsæ voces, attamen conjugata earum & synonima exstant. Imò licet uti vocibus mentem sensumque Scripturæ exprimentibus. Si non, nec licebit Scripturam explicare pro concione, nec in alias linguas vertere.

Vocem *essentiæ* vidimus. Vox *Personæ* in voce *Elohim* continetur, & in Græca voce, *ὑπόστασις*, & res ipsa de Deo passim explicatur. Vox *Trinitatis*, numero numerante, 1 Joh. 5:7, 8. numero numerato passim; ut in baptismo Christi, Matth. 3:13. & in nostro,

ſtro, Matth. 28: 19. Vox *Unitatis*, Deut. 6: 4. 1 Cor. 8: 4. ὐδεὶς θεὸς ἕτερος εἰ μὴ εἷς. Germani non ſatis propriè utuntur voce *Dreifaltigkeit*. Illa enim propriè *triplicitatem* ſignificat. Attamen non ſemper vocibus cum reſpectu ſuæ originis, ſed ex recepta conſuetudine eſt utendum; ut in voce *naturæ* videre eſt, quæ pro quavis eſſentia uſurpatur, quum tamen à *naſcendo* derivetur.

Ὑπόστασις ab ὑφιστάναι, *ſubſiſtere* derivatur, non verò ἀπὸ τοῦ στῆναι τῇ οὐσίᾳ, quod *ſtet eſſentia. Abſtractè*, actum ſubſiſtendi notat. *Concretè*, rem ſubſiſtentem. *Generatim*, quamlibet ſubſtantiam ſeu rem per ſe ſubſiſtentem; ſive accidentibus ſubſit, ſive non; ſeu vivens ſit, ſeu vitæ expers. Etiam *igni* à Cyrillo, & *Cometæ*, ſimilibusque ab Ariſtotele de *Mundo*, cap. 4. ſubſtituitur hypoſtaſis. Hieronymus Tom. 2. ep. ad Damaſ. *Tota ſecularium ſchola nihil aliud hypoſtaſin, niſi οὐσίαν novit.* Athanaſ. epiſt. ad Antiochenos. Ὑπόστασις οὐσία ἐστι, καὶ οὐδὲν ἄλλο σημαίνει, ἢ αὐτὸ τὸ ὄν. *Hypoſtaſis eſſentia eſt, & nil aliud ſignificat, quam id ipſum, quod eſt.* nimirum, ſi uſum vocis extra Eccleſiam ſpectes. In Concilio Sardicenſi, *una Patris, Filii & Spiritus Sancti hypoſtaſis*, hoc eſt, ut ibidem exponunt, *eſſentia* aſſerta eſt. *Speciatim* verò hypoſtaſis per ſynecdochen ab eſſentiâ communi diſtinguitur, & quodvis eſſentiæ individuum proprium, in ſe ſubſiſtens, etiam brutum aut inanimum ſignificat. Inde conſuetudo dicendi μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, *unam eſſentiam, tres ſubſtantias*. Ita *ſubſtantiæ* vox, pro individuo ſubſtantiæ ſynecdochicè venit. *Poſteri verò*, ut refert Thomas, Summ. p. 1. q. 29. art. 2. *ne vocis ambiguitas poſſit eſſe erroris occaſio, maluerunt, pro hypoſtaſi, transferre ſubſiſtentiam, quam ſubſtantiam.* Quod autem ita ſpecialis ſit vocis hypoſtaſeos uſus, ejus duplex ab antiquis redditur cauſa. 1. Dogmatum, adverſus hæreticorum, homonymiis ludentium, ſtrophas, explicandorum neceſſitas. 2. Verborum inopia. Hæ enim ſunt conſuetæ, ſimulque juſtiſſimæ rationes vocis dilatandæ aut novandæ. Cic. de finib. libr. 3. Quumque rerum infinita penè ſit copia, & nominum inopia, ut benè Simplicius in Ariſt. *Categ. Qualit.* οὐ δεῖ τῇ τῶν ὀνομάτων ἐπιλείψει συναπολλύναι τὸ πράγματα, *nominum penuriâ rem ſimul perire neutiquam oportet.* Immeritò ergo Irenæus Grammaticus, hypoſtaſeos vocem Græcam ac probam, à Græcis Theologis tropo variatam, barbaram judicavit. Accedit Pauli auctoritas. Dicit, Filium eſſe *expreſſam imaginem hypoſtaſeos illius*, nimirum Patris, Hebr. 1: 3. hoc eſt, ſubſiſtentiæ ſeu perſonæ; non verò eſſentiæ; ut typi & archetypi, producti & producentis neceſſaria diverſitas, & eſſentiæ Filii & Patris unitas, ſatis evincit. Ex hiſce nunc patet, vocem hypoſtaſis & re ipſa, & uſu, S. literis comprehendi; ideoque temerè, & olim, & noſtris temporibus, ab Arrianis & Samoſatenianis condemnatam.

Perſonæ vox pro quavis hypoſtaſi intelligente uſurpatur. Quod accidit ob Latini ſermonis inopiam; & vocis generalis, quæ hypoſtaſi & προσώπῳ reſpondeat, neceſſitatem. Hac *Perſonæ* ſignificatione Tertullianus contra Praxeam cap. 11. 12. 13. 14. perſæpè eſt uſus, & poſteris exemplo ſuo rectè præluxit. Nam, ut inquit Auguſt. Tom. 3. de Trinit. libr. 7. cap. 4. *licuit loquendi & diſputandi neceſſitate perſonam dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia Scriptura non contradicit.* Eadem ratio in reliquarum artium & ſcientiarum tractatione obſervatur, in quibus voces plurimæ, ob copiam rerum, & verborum inopiam, à communi ſenſu aliò ſunt translatæ, ut neceſſariæ rerum diſtinctioni & doctrinæ accuratæ inſerviretur. *Itaque loquendi cauſâ de ineffabilibus, ut fari aliquo modo poſſemus, quod efferre nullo modo poſſumus, dictum eſt a noſtris Græcis, una eſſentia, tres ſubſtantiæ*, id eſt, hypoſtaſes; *a Latinis verò, una*

eſſentia

essentia vel substantia, tres personæ. Tom. 3. de Trinit. libr. 7. cap. 4. *Persona* verò vox merito ab Augustino præfertur. *Substantia* enim Latinis ferè nil aliud, quàm essentiam; hypostasis verò & πρόσωπον, Græcis Patribus generatim substantiam singulorum propriam animatam aut inanimatam, significat. Unde Damascenus: *Sancti Patres hypostasin, individuum, & prosopon idem vocaverunt. Persona* verò de solo intelligente individuo accipitur. Perspicua verò Personæ definitio secundùm Melanthonem hæc est: *Persona* est *substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alia natura.* Secundùm Ursinum verò, *Subsistens individuum, vivum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum in alio, nec pars alterius.* Gomarus verò ita definivit, ut illam describeret, non negatè, quid non sit, nec ambigua *incommunicabilis* voce, sed affirmatè, quid sit, & verbis perspicuis: *Persona est substantia, completa, singularis, intelligens, propria, in se sustentata.*

Non propterea veræ *hypostases* desinunt esse Tres illæ τῆς τριάδος, quod una numero essentia tota in singulis & omnibus tribus Personis simul eadem subsistit, quia, ut tres illæ vera sint ὑφιστάμενα, hæc duo tantùm requiruntur. 1. ut ita verè per se subsistant, ut una non sit in alia tanquam accidens in subjecto. 2. ut ita inter se distinctæ sint, ut una non prædicetur de alia.

Quod verò præter hæc duo in rebus creatis hypostases à se divisæ sunt, id conditioni ipsarum finitæ tribuendum est. Infinita verò essentia, si divideretur secundùm personas, jam de facto infinita esse desineret. contrà verò quia infinita est, persona una est in altera. confer Joh. 14. *Ego sum in Patre, Pater in me*, per ἐν ἀλλήλοις ἐμπεριχώρησιν, hoc est, *mutuam circumincessionem.* Unde constat, Personas non esse divisas à se, sed distinctas solum. Quæ distinctio est vel Personarum respectu essentiæ, vel Personarum inter se, vel denique actuum personalium. Personæ ab essentia, ubi cum essentia tantummodo comparantur, ratione tantùm differunt. Nam Persona in Deo nil aliud est, quàm ipsa essentia divina, sed in proprietate sua characteristica, & distincto ὑπάρξεως τρόπῳ considerata. Personæ verò inter se non ratione tantùm, sed re ipsa distinguuntur. Etiam actus personales, (qui ad intra vocantur) qui non magis aliis Personis communicari possunt, quam Persona una fieri potest alia.

In Deo non esse unam tantùm Personam, sed plures, ita è Veteri & Novo Testamento constat.

1. Ratio petitur ex plurali vocis *Elohim*; cui adjungitur verbum plurale. Genes. 20: 13. הִתְעוּ אֹתִי אֱלֹהִים *è domo patris mei*, inquit Abraam. & cap. 35. ℣. 7. ædificavit Jacob altare in Lus, & vocavit locum אֵל בֵּית־אֵל: *nam ibi* נִגְלוּ אֵלָיו הָאֱלֹהִים. Deut. 5: 32. *quid est omnis caro, ut audiat vocem* אֱלֹהִים חַיִּים. Huc refer Psalm. 149: 2. *Lætetur Israël* בְּעֹשָׂיו *in factoribus suis.* Es. 54: 5. בֹּעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ.

2. Ex locis, ubi Deus ipse de se in plurali numero loquitur. Gen. 1: 26. *Faciamus ad nostram imaginem.* 3: 22. *Ecce Adam factus est ut unus è nobis.* 11: 7. *Confundamus linguam illorum.* Es. 6: 8. *Quis ibit nobis?* Ezech. 21: 15. אוֹ נָשִׂישׂ. Es. 66: 5. וְנִרְאֶה בְשִׂמְחַתְכֶם Hos. 12: 5. וְשָׁם יְדַבֵּר עִמָּנוּ.

3. Ex locis, ubi Deus de Deo loquitur, ut de alia persona. Gen. 19: 24. *Pluit Dominus à Domino.* Exod. 34: 5. *Descendit* יְהוָה, *in nube, & stetit ibi cum Mose, & prædicavit de nomine Jehovæ.* Trisagion illud Es. 6. de omnibus tribus personis in Novo Testamento explicatur. Johan. 12: 41. Act. 28: 25. Hos. 1. *Salvabo illos in Domino Deo illorum.* Dan. 9: 17. *Audi Domine propter Dominum.*

Perso-

Personarum verò pluralitatem Trinitatis numero terminari, etiam ita evincitur.

In formula baptismi, Matth. 28: vers. 19. *Baptizantes in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* In Veteri Testamento occurrit אָב 2 Sam. 7: vers. 14. confer Hebr. 1: vers. 5. בן sæpius. Psalm. 2: vers. 7. Prov. 30: vers. 4. Es. 9. Hos. 11: vers. 1. & 2 Sam. 7: vers. 14. Idem tamen aliis in Veteri Testam. nominibus indigitatur; *Verbum Dei, Angelus Jehovæ, Angelus, in cujus medio nomen Dei, Angelus faciei, Sapientia* חָכְמוֹת: Ita & in Apocalypsi fit illius mentio sub nomine *Angeli*. vide Apoc. 7: vers. 2. *Vidi alium Angelum* ἀναβάντα ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου, *habentem sigillum Dei vivi.* confer Apoc. 10: vers. 1. *Et vidi alium Angelum descendentem e cœlo, amictum nube, & iris super caput ejus, & facies ejus ut Sol, & pedes ejus ut columnæ ignis. Spiritus S.* in Veteri Testamento vocatur *Spiritus Domini, Dei*, Genes. 1: 2. *altissimi*, Job. 33: 4. *Sanctitatis Dei.* Psalm. 51. Es. 63: 10.

Loci de Sacra Trinitate conjunctim agentes in Veteri Testamento sunt fere hi. Genes. 1: 14. *In initio creavit Deus. Et Spiritus Dei ferebatur. Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux.* Dixit in Filio, seu per Filium. vel etiam sic Deus: dicens, sermocinans, loquens, hoc est, Filius. Spiritus verò non potest sumi pro flatu creato vel vento. Nam expansum, in quo ventus locum suum habet, primo die creatum necdum erat. 2 Sam. 23: ℣. 2. 3. רוּחַ יְהוָה *locutus est per me: dixit* אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל *: de me locuta est rupes Israël.* Psalm. 33: 6. *Verbo Iehovæ cœli facti sunt, & Spiritu oris ejus.* &c.

Hi loci à nonnullis nostrûm in dubium vocantur; hique sequentes urgent.

Psalm. 45: 7. *Solium tuum, ô Deus, in seculum & perpetuum* ... *Ideo unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, &c. Hic locus Hebr. 1: 8. 9. ostenditur dictus πρὸς τὸν υἱόν. Et *oleum* illud est *Spiritus S.* quo unctus est. Es. 61: 1. *Spiritus Domini Dei super me, ideo unxit me.* Psal. 110: 1. *dixit Dominus Domino meo* נְאֻם יְהוָה לַאדֹנִי. Ita Christum David ἐν πνεύματι Κύριον καλεῖ. Matth. 22: 43.

Es. 61: 1. *Spiritus Domini Dei super me; quia unxit* יְהוָה *me ad Euangelizandum mansuetis.* Deus Pater unxit. Filius unctus est. Spiritus est is, qui super eum fuit.

Es. 63: 7-10. *Miserationes* יְהוָה *memorabo. Angelus faciei ejus servavit eos. Et illi dolore affecerunt Spiritum Sanctitatis ejus:*

Hagg. 2: 4. 5. *Sum vobiscum, dictum Iehovæ exercituum, Sermone meo* &c. וְרוּחִי &c.

Loci Novi Testam. Matth. 3: 16. Pater auditur in voce. Filius manifestatur in homine. Spiritus S. dignoscitur in ave. August. *Voce Pater, Natus corpore, Flamen ave.* Athanasius Trinitatem negantibus dixisse fertur: *Abi ad Jordanem, & videbis.*

Matth. 28: 19. jubemur baptizari in triplex nomen.

Joh. 15: 26. *Quando venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre progreditur, ille testabitur de me.*

1 Cor. 12: 4. 6. *Discrimina donorum sunt*, τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα. καὶ διακονιῶν, καὶ ὁ αὐτὸς Κύριος. καὶ ἐνεργημάτων, ὁ δὲ αὐτός ἐστι Θεός. & ut constet, eum de persona Spiritus loqui, confer vers. 11. πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν, καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα.

2 Cor. 13: 13. ἡ χάρις τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ, καὶ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου πνεύματος.

1 Joh. 5: 7. *Tres sunt, qui testantur in cœlo.*

Apoc. 1: 4. *Gratia & pax* ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων. καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ χριστοῦ &c.

Andreas, Lyranus, Ribera, per *septem Spiritus* intelligunt septem Angelos ministrantes ante

thronum

thronum Dei; & *septem* accipiunt, vel *indefinitè*, pro innumeris. Sic Lyra: *à septem spiritibus*, pro, *ab universitate Angelorum, qui ministri sunt nostræ salutis*: vel *definitè*; quia septem sint Angeli magni, præcipuè gerentes curam humanæ salutis. Sed benè respondet Alcasar. *Bona Theologia non fert, ut gratia & pax Evangelica ab Angelis postuletur; nam omne munus bonum à Patre luminum descendit.*

Objicit Ribera. Ab Angelis, ut à Dei instrumentis, illa exspectari. Sed hic agitur non de exspectatione, sed de religiosa precatione gratiæ. *Θρησκεία religiosus cultus Angelorum* damnatus est Col.2:18. Angeli omnem προσκύνησιν, nedum θρησκείαν à se repellunt. Apoc. 19:10. 22:9. Denique votum gratiæ Johannes facit *συνωνύμως univocè* ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ; ut non rectè dicat Andreas, cum dicit, *septem Spiritus* tanquam disparis potestatis cum supremo illo Numine, omniumque regina Triade non connumerari, sed tanquam primarios illius servos tantum nominari, ut in 1 Tim. 5:21. *Obtestor coram Deo, & Domino Jesu Christo, & electis Angelis.*



De

De

DEI OPERIBUS:

Et in Specie

De

CREATIONE.

DE Deo, Natura ejus, & Trinitate actum. Huic divinæ naturæ sua competit actio. Eph. 1: 11. Rom. 11: 36. quæ duplex, immanens vel transiens; essentialis vel personalis. Essentialis iterum vel necessaria, vel arbitraria: & hæc dicitur *Decretum*.

Essentialis actio est, quæ à communi, tribus Personis, essentiâ oritur; estque aut divini ***intellectus***, qui se ipsum omniaque absolutè **δυνατὰ** perfectissimè, à se, & in se cognoscit: aut ***voluntatis***, quæ se, omniaque bona, infinito amore complectitur.

Personalis actio est, quæ certis tantùm Personis divinis convenit; ut Patri generare, Filio genitum esse, Spiritui S. progredi.

Hæ actiones omnes, introrsum, ad Deum relatæ, vulgo dicuntur actiones ***ad intra***; aptè magis quàm Latinè.

Sunt & actiones Dei ***ad extra***. In illis non est libertas concomitans tantùm, sed etiam antecedens, sub ratione principii. Quod enim Deus vult operari ad extra, non vult è necessitate naturæ, sed electione præcedente. Non enim est necessaria connexio inter naturam divinam, & istos actus.

Observandum. 1: Decreta Deo propriè non competere, sed μεταφορικῶς tantum & *translatitiè*: neque esse cum deliberatione vel consultatione prævia, nec cum suspensione mentis & fluctuatione voluntatis antecedente, nec cum discursu quodam, sive à posteriori ad prius, sive à noto ad ignotius; quæ antecedenter in decretis humanis reperiuntur, ob intellectus & voluntatis nostræ imperfectionem.

2. Decreta Dei non esse accidentia, vel quid ἐπουσιῶδες. Sic enim essentiæ divinæ aliqua accederet entitas & perfectio. Illa autem infinitè perfecta, nec perfectibilis esse potest, nec aliquod ejus perfectivum dari potest. Nec etiam accidentia id genus vel esse creatum habere possent, vel increatum. Non creatum; quod quod tale nec æternum est, nec nisi finitum. Non increatum; quia daretur aliquod increatum habens esse diminutum, & indigens sustinente. Nec decreta sunt in Deo per inhærentiam, sed per identitatem ad essentiam Dei.

3. Decreta Dei non esse multa, ἄλλως καὶ ἄλλως, aliter & aliter se habentia in Deo ἔσωθεν, quamvis se habeant πρὸς ἄλλα καὶ ἄλλα, ad alia & alia, ἔξωθεν. Quæ igitur in entibus finitis formaliter diversa sunt, ea eminenter identificantur in ente infinito.

Has imperfectiones remotas voluit à Deo potius, quam ipsa ἁπλῶς decreta, Julius Cæsar Scaliger: dum Exercit. 365. §. 8. in Ludovicum Vivem, qui *consilium* Deo tribuit, „ ita invehitur: tam impiam esse vocem in divinis, *Consilium*, quam pluralitatem Deitatis; „ quatenus nim. Deus non eget consilio (instar hominum) tanquam medio aut instrumen- „ to, aut idea ad gubernandum, nec disceptat vel ratiocinatur, vel proponit, vel colligit, vel „ cum alio confert aut ab ullo accipit. Eodem sensu ibidem negat, Deum prævidere, sed videre, quia illi nihil futurum sit, sed omnia præsentia. Verum, quicquid etiam Scaliger di-

sputet, possumus piè secundum Scripturas *Consilium* Deo tribuere. Nam & Christus dicitur יועץ Es. 9. & inter illum & Patrem est עֲצַת שָׁלוֹם Zach. 6. & Ephes. 1:11. dicitur κτ̀ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος. & Rom. 11:34. τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο. ac si dicat, ipse sibi soli consuluit. confer Es. 40:13. 14. Luc. 7:30. οἱ νομικοὶ τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς, *consilium Dei irritum fecerunt ad se.* quod explicatur Prov. 1: vers. 25. וַתִּפְרְעוּ כָל־עֲצָתִי *& exuistis omne consilium meum*, hoc est, rejecistis. Sed in his *consilium*, βουλὴ venit pro consilio dato, pro παραγγελίᾳ, & eo, quod Deo gratum est.

Nec incongruè Deo tribuitur *Consilium*, ut doceamur, Deum quæcunque facit in tempore, maturè & deliberato consilio ita facere constituisse ante tempora. Nil facit temerè, nil imprudenter, nil præcipitanter, sed quasi è consilio. Est tamen consilium Dei sine consilio, hoc est, omnis perfectio consilii est in Deo; omnis imperfectio, quæ est in consilio, abest à Deo. Et ut, quæ è consilio fiunt, pulchro ordine & nexu fieri & cohærere solent; ita quæcunque Deus fecit, facit, faciet, optimo ordine & admirabili nexu unita sunt.

Nulla voluntatis vel decreti in Deo causa dari extra Deum potest. Dicitur voluntas Dei *absoluta* à causa impulsiva. Firma igitur est hæc Scholasticorum conclusio, & inprimis Thomæ, qui nimis humanis favit meritis. Is 1 Quæst. 23. Art. 3. *Neminem ita insanæ mentis, ait, ut diceret merita esse causam divinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis.*

Æquè certum est, causam voluntatis divinæ extra Deum nullam esse, ac, nihil Deo prius esse. Augustinus. *Qui causam quærit voluntatis divinæ, aliquid majus eâ quærit, cum nihil majus eâ sit, &, si habeat causam voluntas, est aliquid, quod antecedit voluntatem Dei, quod nefas est credere.* Nam, ut vulgo dicitur, *Omnis causa prior effecto*; aliquo modo etiam major & dignior effecto.

Ita tamen minimè damnamus modos loquendi & phrases illas omnes, quæ decretorum quorundam rationem aliquam, & quasi causam in externis quibusdam collocare solent. Licet nobis de rebus divinis balbutire. Sed id tamen cavendum, ut ne libertas hæc loquendi in erroris vertatur prætextum.

Non igitur assignanda est causa divinæ voluntatis ex parte actus volendi; quamvis potest assignari ex parte volitorum; in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud. Quo sensu rectè dicitur, *Deus vult hoc esse propter hoc*; *sed non propter hoc vult hoc.* Illud ordinationem unius rei ut causæ ad aliam notat: hoc verò motum ipsius voluntatis divinæ ab externo medio; quod est indignum Deo & ἀξίωλογον.

Quia voluntas Dei est prima causa rerum, dicitur Apoc. 4: 11. *Per voluntatem tuam sunt & creata sunt.* Eaque, ut velit operari ad extra, non præsupponit bonitatem objecti, sed volendo ponit & facit. Jacob. 1: 18. *Quia voluit, progenuit nos.* Rom. 9: 18. *Cujus vult, miseretur.* Quare rectè dicitur, ut dixi, Deum velle unam rem propter aliam existere, sed illam unam rem non esse causam propriè dictam, quâ Dei voluntas internè movetur ad alteram illam decernendam. Voluit Deus existere solem & astra, ob generationem, conservationem, corruptionem rerum sublunarium. Sol tamen & astra non sunt causa, cur Deus velit illa generari, conservari, corrumpi. Et sic se res habet in omnibus rebus extra Deum, quæ quidem inter sese sunt causa & effecta, etiam quà dependent à divina voluntate; sed ipsius voluntatis Dei nulla est causa extra ipsam.

Quid

Quid ab æterno Deus voluerit, & quale consilium ceperit, ex operibus, quæ in tempore edidit, cognoscere est. Opera enim Dei, nota ei ἀπὸ τοῦ αἰῶνος, sunt divini decreti exsecutiones.

In tempore creavit mundum, hominem; illum tentari sivit & labi; illi gratiam revelavit, illiusque spem fecit; quâ in re mirabili dispensatione utitur; dum non omnibus gratiam annunciavit, nec omnibus, quibus annunciavit, applicavit &c. Ergo ante tempora decretum & consilium edidit, in tempore hæc omnia faciendi &c.

In hominibus duplex actionum genus observetur. *Unum*, quod præter actionem nullum post se opus relinquit, ad agentis perfectionem pertinens. *Alterum*, quod opus post se relinquit, estque rei factæ potiùs, quàm agentis perfectio. Hoc externi, illud interni operis nomine significatur.

Utrumque in Deo contemplari licet. Est enim Jehova, actus purus, ab æterno semper intelligens, volens, amans. Est omnium rerum Conditor & Dominus.

Ad operum Dei *externorum* contemplationem, quibus se & naturam suam cognoscendam exhibuit, nunc transimus.

Illorum sunt duo prima & præcipua genera. *Prioris* generis opera sunt illa, quæ dicuntur creationis & conservationis. *Posterioris*, opera redemtionis & gratiæ.

Est Deus consideratus vel Creator, vel Redemtor, vel Sanctificator, vel Glorificator.

Nomina, quæ relationem inter Deum & creaturam indicant, ut est nomen Creatoris, Domini, Servatoris, Redemtoris &c. in tempore, non autem ab æterno de Deo prædicantur. Nil tamen ipsi accidit novi; nec in ipso fit mutatio; sed in ipsis duntaxat creaturis. Ratio: quia creaturæ realem habent ad Deum relationem; Deus autem nullam ad creaturas realem, sed rationis duntaxat subit, idem semper manens, & extra ordinem semper creaturarum existens. Proinde ad nullam creaturam refertur: omnes verò creaturæ ad eum referuntur; & ad eum, ut ad suam causam, etiam suum habent ordinem.

Creatio est prima divini decreti exsecutio. Sine illa nihil extra Deum esse potest. Creatio decreta est ab æterno, sed liberè. Nam quod non necessariò est, neque necessariò decernitur, ut sit.

Creatio est productio rei novæ per imperium: sive ea sit nova secundùm totum, quod est; sive secundùm genus; sive secundùm individuum. Quod terra *aperuit os suum & absorpsit* cœtum *Korachi*, de eo dicitur, בְּרִיאָה יִבְרָא יְהוָה *creationem creabit Dominus.* Num. 16: vers. 30. hoc est, rem novam & inauditam faciet. Psal. 51: 12. *Cor purum* בְּרָא *crea mihi*, *& spiritum promtum* חַדֵּשׁ *nova* novum produc *in medio mei.* Novitas regenerationis & status Novi Testamenti, *creatio* quædam est. Es. 43: 7. *Omne quod vocatum est de nomine meo* וְלִכְבוֹדִי בְּרָאתִיו יְצַרְתִּיו אַף־עֲשִׂיתִיו. Es. 65: 18. *Ecce ego* בּוֹרֵא *cœlos novos*, *& terram novam. Sed gaudete & hilaramini in perpetuum*, אֲשֶׁר אֲנִי בּוֹרֵא. *nam ecce ego* בּוֹרֵא *Hierosolymæ* גִּילָה *& populo ejus* מָשׂוֹשׂ. confer 2 Cor. 5: 17. Gal. 6: 15.

Omnis homo habet Deum *creatorem.* Eccles. 12: 1. *Recordare* אֶת־בּוֹרְאֶיךָ *in diebus juventutis tuæ. Creatio* non significat præcisè הוֹצָאַת יֵשׁ מֵאַיִן *productionem ejus*, quod est, *è nihilo.* Nam *& creavit Deus cetos magnos*, Gen. 1: 21. non è nihilo, sed in aquis ex aquis. Neque adeò magnæ necessitatis est distinctio creationis in *mediatam*, & *immediatam*; ac si in omni *creatione* sit indigitatio nihili. Significat enim per se tantùm adductionem à non esse ad esse per vocationem, & *momentum voluntatis* ac *imperii*, ut Ambrosius; vel νεῦμα, ut Cyrillus loquitur. Attamen nil invenitur creatum, quod non ex nihilo sit, saltem remotè.

In creatione observanda 1. *materia.* 2. *forma.*

Materia præexistens, ex qua Deus mundum hunc creavit, nulla fuit. 1. Creatio enim notat in plena significatione productionem à non esse ad esse. 2. Deus *solus* est æternus; initio, fine, successione carens; condidit omnia sine exceptione. Ergo non ex materiâ aliqua æterna, nedum è Dei essentiâ, sed è nihilo, tanquam termino, potentiâ Dei exstitere. Rom. 4: 17. Καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα. Hebr. 11: 3. εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι.

Si materia posset esse æterna, jam *adhæreret* illa *Deo, ut umbra corpori, & fulgor luminis, naturali magis necessitate, quàm voluntate arbitrâ*; ut benè Ambrosius.

Non potest materia carere initiò, quia non potest esse æterna. Quod æternum est, & initio caret, id in æternum manet idem, & nullâ ratione mutatur. Τὸ ἀΐδιον enim, teste Aristotele, est ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον καὶ ἀναύξες καὶ ἀναλλοίωτον. Epicharmus. τὰ δὲ ἀεὶ πάρεσθ᾽ ὅμοια, διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί.

Æternum si mutatur, ab æternò mutatur. Ita simul est in potentia ad mutationem, & mutatur actu; quod implicat. Quod motui & mutationi qualicunque obnoxium est, id ipsum esse incepit, & habet certum suæ durationis modum, habet momenta numerabilia, adeoque & initium. nam omnis numerus ab unitate orditur. ἐν τῷ ἀριθμῷ ἔστιν ἐπὶ τὸ ἐλάχιστον πέρας. Τὸ ἄπειρον ἀδύνατον κινηθῆναι. Ergo quod movetur, id non est infinitum & æternum. Nihil mutabilius est *materiâ*. Ergo illa æterna esse non potest.

Igitur quicquid est, id aut *immediatè*, ut Cœlum, Terra, Angeli, Animæ; aut *mediate*, ut alia omnia, ratione primæ materiæ è nihilo promanat. Rerum materiam corporearum Deus è nihilo prius in tempore condidit, ut ex ea visibilia omnia à privatione in formam naturalem produceret. Melius Deus dicitur κτιστὴς, qui ex nihilo aliquid facit, quàm δημιουργὸς, qui ex inordinato aliud tantùm ordinat & constituit.

Axioma, *Ex nihilo nihil fit*, est 1. physicum tantùm. 2. convenit rerum naturalium ordini constituto, non verò constituendo. 3. non obtinet hic, ubi de creatione & potentia divina, quam ignorarunt Philosophi, agitur.

Creationis duæ sunt partes, productio rerum, & sapientissima earum dispositio; Deo utraque propria. Ita *forma* duo hæc complectitur; & consideratur 1. *internè*, in abdita hujus universitatis vi & natura. 2. *externè*, in modo, multitudine, diversitate, & pulchritudine rerum conditarum, in illarum συντάξία, φιλία, κοινωνία.

Mundus Latinis à puritate & munditie dictus est. Græcis κόσμος, παρὰ τὸ κοσμεῖν, ὅ τὰ πάντα ἐν ἑαυτῷ ἔχων κεκοσμημένα.

Nihil dicitur vel *privativè*, de secundariâ & mediatâ creatione, vel *negativè*, de primariâ & immediatâ.

Solus Deus Creator est. Creandi vis nulli alteri tribuitur. Creatio est actio propria Deo, incommunicabilis creaturæ. Nulla creatura potest habere voluntatem, quæ in se sola causa sit, quare aliud sit. Nullius creaturæ est, habere imperium ad vocandum id, quod non est. Si Deus communicaret creandi facultatem creaturæ, vellet, ut propter voluntatem creaturæ aliquid inciperet esse. Ita jam Deus vocaret & crearet ad nutum creaturæ, & Deus dependeret à creatura; ipsa tamen creatio esset Dei. Vel Deus etiam vellet in creatura existere talem voluntatem, & Deus esset & Rector creaturæ, & Creator ejus, quod non sine ipso vellet creatura. Vel Deus nihil ageret aut etiam nollet hoc esse, quod creatura vellet esse. Quod utrumque contradictorium est. Nam Deum subjicere rem, quæ non est, vocationi creaturæ, ut fit, & tamen vel nihil velle, vel contrarium velle, pugnantia sunt.

Effi-

Efficiens creationis causa est אלהים, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Creatio est opus Trinitatis ad extra; competit tribus Personis; servato tamen modo ac ordine in operando. Pater per Filium & Spiritum Sanctum: Filius à Patre per Spiritum Sanctum: Spiritus S. à Patre & Filio creavit. In Symbolo tribuitur Patri soli Creatio; ut & Filio Redemtio; & Spiritui Sancto Sanctificatio. Sed hoc fit, quia in eorum Persona proximè illæ actiones terminantur.

Non igitur res creatæ, ab alio mente conceptæ, ab alio procreatæ sunt, ut putarunt *Valentiniani*; non ab aliâ naturâ, quam modo ὑσίεργν, modo δημιουργὸν vocavit *Cerinthus*; non ab Angelis, ut putarunt *Simoniani*; non à Dæmonibus suis, ut *Philosophi*; non à Fortuna, ut Epicurus: sed à Deo productæ & dispositæ sunt.

Manichæus cum sua secta duo sibi fabricavit principia, *Deum*, cui tribuebat bonarum rerum originem; & *Diabolum*; ad quem, ut auctorem, malas referebat naturas. Hoc delirium si mentes nostras teneret implicitas, jam non constaret Deo sua in mundi creatione gloria. Cumque Deo nil magis proprium sit, quam æternitas & *αὐτουσία*, hoc est, *a se ipso existentia*, qui Diabolo hoc tribuunt, nonne quodam modo eum divinitatis ornant titulo? Jam ubi *omnipotentia* Dei, si Diabolo tale conceditur imperium, ut illo invito ac repugnante, quicquid voluerit, exsequatur?

Nefas putant Manichæi, bono Deo adscribi ullius rei malæ creationem. Sed id orthodoxam fidem minimè lædit; quæ non admittit, aliquam esse in mundi universitate malam naturam. Non enim pravitas & malitia, tum hominis, tum diaboli, & quæ inde nascuntur, peccata, ex naturâ sunt, sed ex naturæ corruptione. Nec quicquam ab initio extitit, in quo non & sapientiæ & justitiæ suæ specimen ediderit Deus. Peccati est nulla causa propriè dicta: sed principium ejus est potius defectus causæ. *Bonum est ex integra causa; malum autem è singulis defectibus*. Dionys. de divinis nominibus, cap. 4.

Malè verò Arriani & Sociniani docent, vim creatricem creaturis communicari posse. 1. Deus per hoc opus se describit, & distinguit ab omnibus creaturis & diis falsis, Es. 45: 12. *Ego feci terram, & hominem super illâ creavi ego: manus mea extenderunt cœlos, & omnem exercitum illorum imperavi.* ℣. 18. *sic dicit* יהוה. *Creator cœli ille Deus; qui formavit terram & fecit illam; ipse disposuit illam.* Jerem. 10: 11. *Dii, qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra, & desubter cœlo isti.* 2. Disertè hoc sibi soli vendicat. Es. 44: 27. *Ego Jehovah faciens omne; expandens cœlos solus, expandens terram a me ipso.* Job. 9: 8. נֹטֶה שָׁמַיִם לְבַדּוֹ. 3. Creatio rerum è nihilo est opus omnipotentiæ & infinitæ efficacitatis. Ergo soli Deo competit. Matth. 9: 5. *Quid facilius est, dicere, Remissa sunt tibi peccata; an dicere, Surge, & ambula?* Indicat Christus, utrumque esse solius divinæ potentiæ; nempe hæc dicere cum certo effectu, & eadem facere.

Historia Creationis ita incipit. *In initio creavit Deus cœlum & terram.*

Quod sit, & quando fuerit illud PRINCIPIUM, videamus. Basilius *septem*; Ambrosius *decem* narrat expositiones. Plerique principium mysticum intelligunt. *In principio*, hoc est, in Filio, per Filium. Sed Auctor hâc voce non auctorem, sed exordium mundi indicare voluit, & errores de æternitate ejus, vel ortu casuali, notare. Hæc sententia videtur hausta è Targum Hierosolymitano, ubi est בחכמתא *in Sapientia.* Pro se citant locum Joh. 8: 25. τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν; vertuntque, *Principium quod & dico vobis.* ac si dicat: Ego sum illud principium creationis, de quo Moses. Sed τὴν ἀρχὴν venit adverbialiter pro ἐξ ἀρχῆς. Hieronymus ita judicat. *Magis secundùm sensum, quam secundùm verbi translationem de Christo accipi potest.*

Philo Judæus vult esse numeri seu ordinis particulam. *In principio creavit*, hoc est, primum

mum & ante omnia alia creavit *cœlum & terram*, hoc est, chaos & rudem illam materiam, ex qua formavit cœlum & terram.

Alii: *In principio*, ἐν κεφαλαίῳ *in capite*; quia ראשית est à ראש, id est, in instanti sive momento creavit. Id *Aquilæ* tribuit Hieronymus.

Alii sic volunt: *Priusquam crearet Deus cœlum & terram, tunc terra erat.* Vocem רֵאשִׁית volunt construi cum בָּרָא, idque poni per ellipsin relativi, pro infinito בְּרוֹא: tum deinde *Vau* in initio versus secundi esse consecutivum, & vertendum per *tunc*. Dein *creavit* accipiunt pro *formavit*. Ita Grotius. Sed בְּרֵאשִׁית non significat *priusquam*.

Optimum est, בְּרֵאשִׁית intelligere de *principio* temporis. *In initio*, hoc est, cum tempus esse inciperet. Ante mundum non fuit tempus; cum primo temporis puncto cœpit condi mundus. Tempus non semper fuit; non est Deo coæternum; cœpit esse & fluere in primo creationis momento. Momentum, quo creare cœpit Deus, non fuit propriè tempus, sed temporis principium; sicut punctum non est linea, sed lineæ principium. Deus absolvit omnia creare in tempore; non verò in tempore cœpit creare, sed in initio temporis.

Tempus creationis annis ante Christum natum solidis computatur à Beroaldo 3928. annorum.

Inanes sunt Manichæorum contra Mosen sarcasmi; Cur Deus non citius creaverit? Quid, antequam crearet, egerit? An tamdiu fuerit otiosus? Benè monet Augustinus: *ut ne quis ausit quid majus Dei voluntate quærere. Nec Deus esse cœpit, nec eum suæ vacationis tædiut, qui neque aliquando non fuit, nec cessando torpuit, nec operando laboravit.* Et alibi fertur respondisse; *fabricabat Tartara His, quos scrutari talia mente juvat.*

Mundus ergo non fuit ab æterno, ut finxit Aristoteles.

1. Psalm. 90: 2. בְּטֶרֶם הָרִים יֻלָּדוּ. Prov. 8: vers. 24. בְּאֵין תְּהֹמוֹת, Item בְּאֵין מַעְיָנוֹת. & ✠.25. בְּטֶרֶם הָרִים לִפְנֵי גְבָעוֹת: בְּטֶרֶם. Joh. 17:5. πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι. Eph. 1:4. πρὸ καταβολῆς κόσμου. Idem notant קַדְמֵי אֶרֶץ *primordia terræ*. Prov. 8:23. Es. 41:4. *vocans generationes à capite.*

2. Historia sacra continet inde à conditu mundi usque ad Messiæ tempora certam temporum, eventuum, populorum, politiarum, regnorum, mutationum seriem.

3. Novitas omnium aliarum historiarum evidenter facit contra mundi æternitatem, & fabulas Ægyptiorum, Scytharum, Græcorum, de suorum gestorum antiquitate. Antiquissima, quæ gentiles habent de bello Thebano & Trojano; (Atlanticum enim, de quo Critias apud Platonem, fabula est) de Cecrope, de Inacho, Nino, ejusque patre Belo, de Ogyge aut Jano, de Gigantomachia &c. vix Judicum, aut Mosis, aut Abrahæ, aut ad summum Noæ tempora attingunt, & nil nisi fabulæ sunt: unde & Diodorus illis titulum fecit: *De fabulosis antiquorum gestis.* Berosus à Noa Historiam suam est exorsus: fabulatur, Noam cognominatum Janum Ogygem, & unum ex Gigantibus fuisse. Ergo antiquissimæ gentium fabulæ plus 1000. annis Sacra Historia sunt recentiores. Sequitur: mundum nec æternum esse, nec adeò antiquum. Lucretius libro 6. de Ret. Nat.

Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cœli, semperque æterna fuere:
Cur supra bellum Thebanum, & funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere Poëtæ?

Quo

Quo tot facta virûm toties cecidere? nec usquam
Æternus famæ monimentis insita florent?
Verum (ut opinor) habet novitatem, summa recensque
Natura est mundi, neque pridem exordia coepit.

4. Omnes ab initio sapientes mundum aliquando ortum, nec æternum fuisse asseruerunt; licet de materia & ortus ratione discreparent. Ipse fatetur Aristoteles, libr. 1. de cœlo, cap. 10. γενόμενον μὲν οὖν πάντες εἶναί φασι; *Omnes dicunt, mundum esse factum.* Atqui ἔνδοξα τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σοφοῖς, *probabilia sunt, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus.* Arist. libr. 1. cap. 1. Topic. Ipse Aristoteles, studio contradicendi Platoni magistro impulsus, de æternitate mundi disputare cœpit. Vocat enim ipse *problema dialecticum*, hoc est dubium, πότερον ὁ κόσμος ἀΐδιος, ἢ οὔ.

5. *Si mundus non est factus, tollitur Providentia.* Ita Philo. Si enim à nullo factus est mundus, etiam à nullo gubernatur, regitur, nullius est.

6. Omne sensibile & visibile est generatum seu factum.

7. Quicquid interit, ortum habet; inquit Lactantius.

8. Æternitas mundi non potest consistere cum principiis Philosophiæ veris & immotis. ut: Non dari processum in infinitum in serie causarum & effectuum. Esse aliquod Ens primum, infinitum, causam omnium entium. Omne corruptibile habere ortum &c.

Sana Philosophia indicat 1. mundum non esse à se. 2. sed à Deo. 3. nec esse ab æterno. 4. sed esse factum. Scriptura præterea docet 1. quando sit factus. 2. quomodo. Hinc Hebr. cap. 11: vers. 7. πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ. Si *fide*, non *ratione*.

Duæ supersunt quæstiones circa hoc principium. 1. in quodnam anni tempus, vernum, an autumnale inciderit? 2. quantum annorum ab eo principio ad hunc usque Christi annum 1675. effluxerit? Utriusque consideratio illustrat beneficium creationis & providentiæ Dei. Imprimis posterior ad varia Scripturæ loca, & ad mundi historiam intelligendam est necessaria. Sed nunc his non immoramur.

In hoc principio ברא Deus, non ex re aliqua præexistente, velut ex materia vel seminario, sed ex nihilo.

Antiqui verò omnes finxerunt aliquid, ex quo videretur mundus ortus, sive à se, sive ab aliqua causa. *Anaximander* mundi materiam posuit elementum quoddam ἄπειρον *infinitum*, non definiens, an sit aër, aqua &c. *Anaximenes* dixit, esse *aërem infinitum*, ex quo orta omnia. *Democritus* finxit, *atomos*, corpuscula insensibilia, numero infinita, rotatione quadam & concretione fortuita genuisse ignem, aquam, aërem, terram; exque his generari & corrumpi subinde infinitos mundos. *Empedocles* pro atomis posuit *chaos*, lite & amicitia constans, cujus motu & quiete per vices mundus alius oriatur, alius intereat. *Anaxagoras*, Democriti σύγχυσιν, primus materiæ adjunxit νοῦν *mentem*, quæ materiam confusam ab æterno & immobilem traduxerit in motum, & disposuerit in mundi formam. Hoc commentum renovavit *Paracelsus* per *magnum mysterium increatum*, in quo res omnes actu confusæ per creationem tantum separatæ fuerint atque secretæ.

Plato dixit Deum δημιουργὸν creasse Deos, animas & elementa ex materia præexistente coæterna; Deunculos verò creatos creasse ex elementis reliqua.

Ratio aliter fingere non potest, quam Deum opificis instar opus habuisse materia præjacente; sicut statuarius opus habet ære aut ligno ad fabricandum statuam.

X Aristo-

Aristoteles mundum dixit semper fuisse; esse quidem à causa prima, sed tantum movente & conservante, non verò producente.

Stoici, verentes vel mundum vel materiam Deo facere coæternam, finxerunt, Deum ex se ipso res produxisse. Atqui Dei essentia est tota immutabilis & impartibilis.

Atqui Moses docens, quod Deus בָּרָא, hæc omnia refellit. Eo enim docet, res novas, quæ ante non fuerunt, ex nihilo creatas esse, & per imperium jussumque potens eductas.

Creare Latinâ usurpatione est *gignere* seu *ordinare*. Ita dicitur creare sobolem, prætorem. Theologi verò id verbum suum fecerunt; & respondere voluerunt Hebræo בָּרָא.

Ex nihilo creatum mundum historia creationis confirmat. Primo die Deus fecit massam terream & aqueam, rudem & vacuam, quasi futuram totius universi basin. Unde? Ex nihilo. *Lucem* eodem die produxit è *tenebris*, non ut ex materia, sed ut ex contrario. Die altero *cœlum* fecit; non ex materia, sed jubendo existere. Ergo è nihilo. Tertio die germina, arbores, herbas absque semine terræ insevit. Quarto luminaria nondum existentia in cælo existere fecit, &c.

Averrois argumentum. Quod habet aliquod subjectum, non fit ex nihilo. Sed omnis motus fit in aliquo subjecto. Ergo nihil fit è nihilo. Resp: plus est in conclusione, quàm in præmissis. sequitur tantum; Ergo nullus motus fit ex vel in nihilo. Id non pugnat cum creatione, quæ non fuit motus, sed momentanea productio mobilium & motus.

Causam effectricem creationis historia Mosaica nominat אֱלֹהִים. Ratio numeri pluralis, cum singulari אֱלֹהַּ gaudeat, investiganda est.

Hebræorum nonnulli fingunt, Angelos sociari cum Deo in opere creationis, qui Ps. 8. dicuntur אֱלֹהִים. Sed Moses procul ab illa sententia abest.

Alii Deum unum plurali voce appellari volunt reverentiæ & honoris ergo. Sed & hoc infirmum. אֱלֹהִים etiam cum plurali Gen. 20:13. הִתְעוּ אֹתִי אֱלֹהִים. 35:7. נִגְלוּ אֵלָיו הָאֱלֹהִים Exod. 20:3. אֱלֹהִים אֲחֵרִים.

Nonnullis Christianorum videtur hic esse idiotismus Hebraicus. Dicunt plurale אֱלֹהִים tribui Deo propter amplitudinem, majestatem, potentiam, justitiam, sapientiam, bonitatem, & virtutes multas, quas in creatione exseruit. Ita Calvinus, Mercerus, Sixtus Senensis, Bellarminus, &c.

Alii voce hac mysterium Trinitatis, & constructione cum verbo singulari בָּרָא mysterium unitatis essentiæ divinæ notari contendunt. Ita Lutherus, Chytræus, Pellicanus, Zanchius, Galatinus.

Videmus Mosen docere, esse *Deum*, causam primam omnium entium, & omnis boni in natura. Act. 17:25. 28.

Hinc certum est, 1. mundum non exstitisse à se ipso. 2. nec ortum esse temerè. Pulcherrimus ordo lucens in natura rerum, temeritatem & casum Democriti refellit. 3. esse à causa effectrice nobilissima, potentissima &c. Ut enim opificium, talis & opifex. Opus est index magistri.

אלהים creator cœli & terræ est Deus Triunus. 1 Joh. 5:7. Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

Non Angeli; ut *Simon*, *Menander*, *Saturnilus*, *Carpocrates*, aliique. Benè Aug. de Gen. ad lit. libr. 11. cap. 25. *Angeli nullam omninò possunt creare naturam. Solus enim cujuslibet natura, seu magna seu minima, creator est Deus, id est, ipsa Trinitas, Pater, Filius &*

& *Spiritus S.* Idem rursus contra Platonicos disputans, de Civit.Dei, lib. 12. cap. 24. *Neque enim fas est ullius naturæ quam libet minimæ mortalisque creatorem nisi Deum credere & dicere.*

De Cerdonis & Marcionis *duobus principiis* jam suprà.

Delirarunt Stoici, permiscentes Deum & mundum, opificem & opus. Deum mundi animam, mundum Dei corpus, & sic Deum de essentia mundi esse finxerunt. Virgilius:

Totamque infusa per artus Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Deus est causa effectrix mundi; non igitur forma aut pars mundi. Nihil enim est sui ipsius causa efficiens.

„ Benè Aristoteles de Mundo, c. 6. Quod in navi est gubernator, quod in curru agitator, „quod in choro præcĕtor, quod deniq; lex in civitate & dux in exercitu, hoc Deus est in mun-„do: & sicut chorus ad modulationem præcentoris, sic mundus ad Dei nutum movetur.

Quod verò אלהים Trinitatem significet, his solet rationibus adstrui.

1. Cur Deus loqueretur de se pluraliter, si non pluros in se personas notaret? אֱלוֹהַּ singulare Psalm. 114:7. Job. 12:4. 36:2.

2. Cur copularet Moses nomen plurale cum verbo singulari, contra grammaticam, ni mysterium notaret?

3. Moses ipse quinam sint illi אלהים declarat nim. *Verbum Dei*; & *Spiritus oris ejus.*

4. Si Pater per Filium & Spiritum S. secula fecit, utique illi per אלהים sunt intelligendi.

5. Moses nec ignoravit, nec tacuit Trinitatis mysterium in uno Deo.

6. Plerique interpretes, prisci & neoterici hoc symbolum Trinitatis esse confirmant.

Negantes verò ita solent dicere.

1. *Elohim* vox neque vi suæ originis, neque vi numeri pluralis Trinitatem personarum significat. Non magis Trinitatem, quàm quaternitatem definit.

2. Si *Elohim* vi numeri pluralis Trinitatem significaret, jam ubique & semper eam significaret. Atqui sæpe *unam* tantùm personam, Psalm. 45:7.8. sæpe *duas* significat, Gen. 1:2.

3. Si *Elohim* proprie exprimeret Trinitatem; non posset dici, Pater est Elohim; nam hoc esset dicere, Pater est Trinitas.

4. Constructio nominis pluralis *Elohim* & *Adonim* cum verbo singulari Hebræis est usitata, sive de Deo, sive de diis, sive de hominibus sit sermo. Gen. 42:30. 39:20. Exod. 21:4. Es. 19:4. Exod. 20:3. confer Gen. 24:9. *Posuit manum sub femore Abraam* אֲדֹנָיו *dominorum suorum.* Gen. 39:16. שֶׁבּוֹא אֲדֹנָיו.

5. Si ejusmodi locutione pluralitas personarum, & unitas essentiæ doceretur, non alibi jungeretur *Elohim* cum verbo plurali. Genes. 20:13. הִתְעוּ 35:7. נִגְלוּ. 2 Sam. 7:23. הָלְכוּ אֱלֹהִים.

6. *Elohim* plurale cum verbo singulari pluraliter non potest reddi & traduci. Non recte diceretur, *Personæ divinæ creavit mundum*, sed, *crearunt.*

7. Antiquissimi interpretes, Origenes, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Hilarius, Cyrillus, Chrysostomus, Eucherius, Procopius Gazæus, nil tale observarunt. Magister sententiarum Lombardus, Lyra, Burgensis, aliique Scholastici Theologi primi hoc mysterium aperuerunt. Bellarminus libr. 2. de Christo, cap. 6.

De hisce diversis interpretationibus licet affirmare regulam Augustini libr. 3. de doctr. Christ. cap. 27. *Tanta est ubertas divinarum Scripturarum, ut sæpe eadem verba pluribus modis intellecta plures sensus sine falsitate recipiant.*

Et in specie nulla hic est dissensio de veritate rei vel de fide ipsa, sed tantum de mente Scri-

 ptoris

ptoris hoc in loco. Non igitur scinditur fides, nec scindi debet dissidentium charitas. In *Latitudine* charitatis fetamus nos.

Frustra ergo insectatur Hunnius *Calvini* manes; eo quod dixit in Commentario in hunc locum, in voce *Elohim*, unde colligi solet personatum Trinitas, se non velle insistere: quia sibi videatur parum solida tantæ rei probatio. Eandem injuriam pati debuit *Thomas Cajetanus Cardinalis*, à Catharino & Ambrosio Compseno, acerbe eum insectantibus; quasi non satis piè de mysterio Trinitatis sentiret; quia Comment. in Gen. in hunc locum idem scripserat, quod Calvinus.

Putant nonnulli vers. 1. cap. 1. Geneseos propositionem contineri generalem, neque adeo illa verba ad opus primi diei astringenda esse.

Id quod אלהים in initio creavit, dicitur 1. השמים 2. ואת הארץ.

Per *Cœlum* alii intelligunt *Angelos*; alii cœlum supremum, empyreum, igneum, quia lucidissimum & purissimum, una cum Angelis; alii cœlos visibiles, seu orbes cœlestes ab infimo lunari usque ad firmamentum. Sic plerique Hebræi.

Per *Terram* alii materiam communem, ex qua cœli visibiles & elementa & corpora omnia sint facta; alii materiam tantum elementarem, ex qua terra & alia elementa reliquusque mundus sublunaris exstitit, intelligunt.

Alii per cœlum & terram promiscuè intelligunt cœli & terræ inane chaos, principio creatum, postea expolitum à Deo. Ita Lutherus, Calvinus. Alii basin cœlorum & elementorum, seu materiam & semen totius mundi, sub cœli & terræ & elementorum formis; ut Martyr, Erastus. Alii non de materia cœli vel elementorum, sed de loco principiis rerum naturalium, (materiæ videlicet, formæ, & privationi, de quibus vers. 2.) concreato interpretantur: quem locum ajunt à Mose definiri circumscriptione duorum extremorum terminorum circumferentiæ & centri. Sic Junius & Marbachius.

Paræus intelligit *cœlum* & *terram*, de tota hac universitate, cujus superior pars cœlum, inferior terra est, cum omnibus, quæ eis continentur. Illique adeo *cœlum* notat hoc cœlum, quod nunc est, aërem, orbes cœlestes, cum primo mobili, ipsumque cœlum supremum beatorum, cum visibilibus & invisibilibus naturis, quas inter sunt Angeli. *Terra* verò hanc terram, quæ nunc est, seu hunc globum, quem inhabitamus, unà cum aquis, & quidquid rerum his continetur.

Homerus Iliad. 6. *Hic cælum effinxit, terram, pelagusque profundum,*
Et Solem indefessum & pleno sidere Lunam
Astraque, qua magni distincta est regia cæli.

Virgilius Æneid. 6. *Principio cælum & terras, camposque liquentes,*
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, &c.

Pythagoræ Deus est ἀρχὴ πάντων, πατὴρ πάντων. Plato in Timæo. *Sicut ipse* (Deus) *est, ita voluit, ut quæ olim nota erant fierent atq; essent. Verum ipse sic est, ut a nullo esse acceperit.*

August. lib. 11. c. 33. de Civit. Dei. *In principio fecit Deus cælum & terram. Quibus nominibus universalis est significata creatura, vel spiritualis & corporalis, quod est credibilius, vel magnæ duæ mundi partes, quibus omnia, quæ creata sunt, continentur, ut primitus eam totam proponeret; ac deinde partes ejus secundum mysticum dictum numerum exsequeretur.*

Cœlum supremum, beatorum sedes nomine השמים à Mose comprehenditur, estque inter res initio à Deo creatas. 1. Hebr. 11: 10. Deus dicitur *artifex & conditor civitatis illius, quæ fundamenta habet,* quam Abraam *exspectabat.* 2. 2 Cor. 5: 1. dicitur, *dissolutâ ter-*

terrestri nostrâ domo, nos habere structuram ἐκ θεοῦ, è Deo, (hoc est, ab illo factam,) *domum ἀχειροποίητον,* (nimirum non factam ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων,) *æternam* (nimirum æternitate tali, quæ fine caret, non verò initio; cœlum enim factum est ἐν ἀρχῇ) *in coelis.* 3. Quicquid est, aut creator, aut creatura est. Cœlum beatorum non est creator. Ergo creatura.

Intelligi verò hoc *coelum* à Mose, patet, quia cœlum beatorum est ex rebus à Deo creatis, & terræ nomine haut significatur. Quicquid *coelum* dicitur, sub nomine hoc comprehenditur. Atqui & sedes beatorum dicitur cœlum. Imò *coelum coelorum.* Psal. 115: vers. 16. & 1 Reg. 8: 27. *coelum tertium.* 2 Cor. 12: 2. Hoc cœlum est *sedes Dei, & electorum Angelorum, & hominum.* August. contra advers. legis libr. 1. cap. 21. *Deus nec sine coelo sedis indiguit; nec facto coelo sedem tanquam finitis erroribus peregrinus invenit. Potens enim est beatissimè manere in semetipso; templo autem suo, quod sunt omnes Angeli sancti & homines, sic impertire habitationem suam, ut illi ex ipso habeant tale bonum, quo beati esse possint: non ex eis ille talem domum, sine qua beatus esse non possit.*

An hoc cœlum tertium sit, & quid, & quale, resne creata an increata? Si creata, an corporea aut incorporea & spiritualis? prolixè egit Zanchius libr. 1. cap. 4. de operibus Dei.

Aristoteles τὸ ἀνώτατον οὐρανοῦ vocat οἰκητήριον θεοῦ, libro de mundo, cap. 2.

Cum creatione hujus cœli intelligenda etiam est creatio *Angelorum,* qui sunt *exercitus cæli.* Sunt Angeli *creati.* Psalm. 104: 4. Moses haut tacuit creationem rerum præstantissimam. Meminit Moses הַכְּרֻבִים, Gen. 3: 24. hoc est, *Angeli.* Etiam dicit Gen. 2: 1. de *exercitu cælorum & terræ. Cælorum exercitus* sunt naturæ cœlestes, quæ vel affixæ cœlo hærent, ut sidera; vel cœlum incolunt, ut spiritus Angelici. Col. 1: 16. dicuntur *condita omnia, quæ sunt in cælis,* &c.

Moses *Angelorum* expressè non meminit; non quod Angeli jam fuerint conditi ante factum mundum, sive in tempore, ut putavit Ambrosius, sive ab æterno, ut Basilius; sed vel 1. ne putaremus eorum opera creasse mundum. vel 2. ne Judæi ad idololatriam proni, audientes, Spiritus invisibiles, Angelos à Deo conditos, ad cultum eorum se projicerent: quæ tamen duæ rationes parvi sunt momenti. vel denique 3. ut statuit Chrysostomus & Basilius, quia Moses historiam suam ruditati Judæorum attemperavit, qui erant terreni, sensibilia sapientes. Quare sensibilia Dei opera tantùm descripsit, omissâ doctrina de cœlestium spirituum formatione.

Ab *æterno* Angeli creati non sunt. Nihil enim creatum æternum est.

Ergo in *tempore.* Et probabile quidem est, in exordio temporis, seu primo die, quo etiam sedes illorum creata est. Quidam Angelos intellexerunt per *Lucem* primi diei.

Neque adeò ante *principium* conditi sunt. Principio enim nil est prius, nisi Deus. id quod tamen ex veteribus plurimi dicuntur sensisse; Hilarius, Isidorus, Damascenus, Beda, Theodoretus. Augustinus sententiam hanc in medio relinquit.

Inter *creaturas* & *Tempus* referendum est; quod & nomine cœli ac terræ inclusum est. Deus cum mobilibus etiam motum produxit. Tempus autem est motus duratio seu mensura secundùm prius & posterius. Benè Augustinus. *Omnis creatura habet initium. Tempus est creatura. Ergo habet initium, nec coæternum est Creatori.*

Philonis etiam Platonicum commentum notandum est, de cœlo & terra invisibili; seu de idea mundi intelligibilis creati, id est, formati in die uno; id est, ab æterno in mente

 Dei.

Dei. Fingit duos mundos: unum incorporeum, insensibilem, antiquiorem, ex ideis constantem, quem Deus mente diu secum circumgestaverit tanquam simulacrum futuri: alterum corporeum, sensibilem, recentiorem, quem Deus ad exemplar incorporei tandem condiderit. Ad formationem mundi intelligibilis accommodat sex priores versus cap. 1. Geneseos; fingens, Deum fecisse initio cœlum incorporeum; & terram invisibilem, & ideam aëris atque vacui, sub nomine tenebrarum & abyssi, tum aquæ & spiritus incorpoream essentiam, & lucem intelligibilem, quam vocat lucem universalem, à quâ Sol, Luna, reliquaque sidera splendorem hauriant.

Absoluto sic mundo intelligibili Mosen demum vers. 6. creationem mundi corporei ordiri, initio facto à firmamento.

Atqui hoc figmentum divinæ derogat Majestati. Non est Deus humani instar architecti, qui domum è domo, & calceum è calceo fabricat, & ni exemplar operis phantasiæ vel chartæ impressum observet, operando aberrat. Sapientia Dei omnia momento pertransit, nec operatur ex præconceptis rationibus aut ideis operum suorum, sicut creaturæ. Et inepiè Mosen interpretabitur, qui cœlum, terram, aquas, spiritum, tenebras, lucem, noctem, diem, in harum rerum inanes ideas transformet, & contrariatur verbo ברא *creavit. Creare* non est in mente ideam effingere; sed est opus novum foras producere.

Sed quid propriè intelligendum est per *Cœlum* Gen. 1: 1? Resp. Aliquid distinctum ab ea cœli parte, quæ secundo die creata est, & רקיע dicitur. *Cœlum* enim ab eo, quod dividit inter aquas superiores & inferiores, & in quo stellæ sunt, distinctum est. Ergo cœlum *tertium*; quæ mundi regio vocatur τὰ ἐπουράνια. Eph. 2: 6.

Id indubitabiliter est. 1. Christus in id ascendit. Ea ascensio certò facta est; viderunt discipuli; prædicata & credita est in mundo, cum omni φανερώσει tum Spiritus Sancti, tum potentiæ & judiciorum Dei. 2. Quia hâc spe nitimur, nos in id assumtum iri, ut simus cum Domino. Sed 2 Petr. 3: 13. dicimur, *quum omnia hæc solvantur, exspectare novos cœlos & novam terram, in quibus justitia habitat.* In his novis cœlis & nova terra videmur die novissimo habitaturi. Ad quid ergo nobis cœlum hoc tertium? Resp. 1. erit animarum nostrarum receptaculum usque ad diem κρίσεως. 2. cum novo hoc cœlo unà erit, imo unum cum illo erit. Cœlum tertium est substantia corporea; in summa mundi parte collocata.

Lutherani numero creaturarum cœlum tertium eximunt, & ubique esse fingunt.

Mundi partes duæ sunt *cœlum* & *terra*. Psalm. 124: 8. Psalm. 134: 3. Es. 37: 16.

Unus est mundus, non plures vel infiniti, ut Democritus asseruit. 1. Unus est Conditor & Gubernator mundi. 2. Filius missus est in mundum, non mundos. Origenes finxit, unum quidem uno tempore fuisse mundum, sed ante hunc alios fuisse, & post hunc futuros alios, sibi semper successuros: & hunc Christum sæpius passurum, ut quod profuit semel, semper prosit assumtum.

Terra verò eadem intelligitur, quæ nunc est, non sine aquis, ut liquet è vers. 2. sed in alio statu. Ideo emphaticè dicit הארץ *hanc terram.*

Neque enim הארץ significat *materiam primam* Philosophorum, quæ est nihil, seu non ens actu. Neque *chaos.*

Hujus terræ primigeniæ tres notantur conditiones. 1. fuit תהו ובהו. 2. fuit profunda aquarum abysso demersa. 3. densissimis horruit tenebris.

1. Exstitit, quum crearetur, תהו ובהו, hoc est, ἀκόσμητος, inornata & inordinata &

ἀθεμι-

ἀθεμελίωτος non-fundata. תהו significat id, quod ordini & ornatui, ad quem *linea* adhibetur, contrarium est. בהו verò id, quod fundationi, constitutioni, exstructioni, quæ adhibito fit *perpendiculo*, contrariatur. confer Es. 34: 11. Hebræi per ὀξύμωρον solent תהו explicare per ירוק קו λευκὴν στάθμην. seu, quod idem est, λευκὴν γραμμὴν *lineam* nil significantem. בהו verò per אבנים מפלמות q. d. *perpendiculum non rectum*, seu rude, ad quod non potest erigi murus.

Ideo eadem massa, quæ *terra*, etiam *aqua* & *abyssus* nuncupatur. Fuit enim aqua terreis crassamentis permixta.

Terra igitur, quum primum creata fuit, non erat *arida*, distincta ab aqua, & supra eam fundata, sed fundatione & exædificatione, atque ordine & ornatu, quem postea accepit, carens.

תהו ובהו. LXX. ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος. Aquila, κένωμα καὶ οὐδέν. Symmachus, ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον. Theodot. κενὸν καὶ οὐθέν. Kimchius, ענין שממון וריקות *sensus vastitatis & inanitatis.* Physicos appellare תהו ὕλην *materiam, forma carentem, omnis formæ capacem.* & בהו *formam. quibus rebus Dei voluntate conjunctis omnia facta sint.*

Sed quid ea vocabula propriè significent, intelligitur ex ὀξυμώρῳ, quod est Es. 34: 11. *linea Thohu, & perpendiculum* בהו.

Linea ducitur ad distinguendum, ordinandum, ornandum, solo inædificandum. תהו notat contrarium, nimirum carentiam ordinis & ornatus, τὸ ἀκόσμον. *Perpendiculo* dirigitur exstructio. Contrarium est בהו, carentia fundationis & exstructionis. confer Jer. 4: 23.

Id intelligere est quoque ex *fundatione terræ*, quæ facta est *mari egrediente ex utero*, hoc est, coactis in unum crassioribus partibus, ut mare, tanquam ex spongia, in suas cavernas exsudarit aut exiluerit, montibus ascendentibus, collibus descendentibus, & aquis fugientibus ad locum suum. Job. 38: 4. 5. 6. 8. Psalm. 104: 5. 6. 7. 8.

Augustinus libr. 1. c. 17. contra Felic. Manichæum. *Qualem fecit terram in principio?* subjecit. *Terra autem, id est, illa, quam fecerat Deus, invisibilis erat, & incomposita.*

Non id factum ullo potentiæ, sapientiæ aut bonitatis divinæ defectu; sed, *ne increata & sine principio crederetur, si species rerum, velut ingeneratæ ab initio, non postea additæ viderentur.* Ambros. libr. 1. Hex. cap. 7. Adde Chrysost. *Quoniam*, inquit, *terra est nutrix & mater nostra, & ex ea facti sumus, & educamur, ipsaque nostra patria est, & commune sepulcrum, & innumeris per eam bonis fruimur; ideo ut ne homines ob usus necessitatem plus quam dignum est eam venerentur, Moses ostendit primum eam rudem & absque forma; ut ne beneficia terræ telluris naturæ tribuas aut imputes, sed ei, qui illam ex nihilo, ut esset, creavit.*

2. *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Needum erat lux. Deus, quod fecerat, sine luce videbat. Ipse lux sibi, & mundi, & Angelorum, qui *filii lucis.*

Per *abyssum* intellexit malè Origenes infernum malorum Dæmonum. Non enim terra primitus in inferno jacuit demersa.

Ἄβυσσος notat *molem* illam, quæ erat aqua & terra. Prov. 8: 27. 28. 29. *Quum formaret circulum* על־פני תהום *super facie abyssi.* confer vers. 24. באין־תהמות *quum non essent abyssi.* תהום רבה *abyssus magna* pro Oceano, Gen. 7: 11. *Eruperunt omnes fontes* vel *rivi abyssi magnæ*, hoc est, Oceani; aquæ Oceani cœperunt ubique crescere. Psal. 36: 7. *Judicia tua abyssus magna*, imperscrutabilia. Psalm. 42: 8. *Abyssus abyssum inclamat.*

Maria

Maria multa strepunt, hoc est, multæ gentes. Exod. 15:5. *Abyssi obtegebant eos.* vers. 8. *Coagulatæ fuerunt abyssi in corde maris.*

Abyssus Gen. 1:1. notat terram fuisse profundissimæ aquarum voragini immersam, totam innatasse undis, nec eminuisse usquam.

Aqua igitur terræ concreata est. Duo hæc elementa ut commixta initio simul produxit Deus.

Hæc aquarum abyssus omnes regiones, quæ postea exstiterunt, aëris & cœlorum opplevit. 2 Petr. 3:5.

Tenebras quod attinet, inutile est quærere, quid fuerint? quis fecerit? ubi fuerint? quando cœperint? quamdiu duraverint? an Deus in tenebris habitaverit ante conditam lucem?

Non fuerunt malæ potestates seu Cacodæmones, ut Marcionitæ & Manichæi. Nec ignis elementaris, quem Hebræi nonnulli terræ & aquæ concreatum fingunt. Ignis enim, cum non sit tenebricosus, sed lucidus, tenebræ dici nequit. Nec intelligi potest aër tenebricosus; licet *tenebræ* propriè sint aër obscuratus; *lux* aër illuminatus. Aër enim secundo demum die cum *expanso* creatus est. Nec dici possunt substantia à Deo creata: Sed notant defectum lucis; imò negationem meram, & nihil.

Primæ tenebræ non erant res aliqua, nec defectus tantùm, sed negatio lucis in abysso. Ita silentium non est res, sed ubi non est sonus, dicitur silentium. Nuditas non est res, sed ubi non est vestis, dicitur nuditas. Inanitas non est res, sed ubi non est corpus, dicitur inanitas.

Non potest Deus dici fecisse tenebras, nisi per accidens; quatenus tunc nondum fecerat lucem. sicut dicitur *creare tenebras*, quia subducit lucem. Es. 42:16. 45:7.

Hactenus igitur *figuram à conditore nondum acceperat terra*, ut Ambrosii utar verbis.

Spiritus verò Dei ferebatur super aquis. Vide hic 1. opificem terræ & abyssi. 2. quæ ejus operatio. 3. quid abyssus fuerit, *aquæ* nimirum.

Opifex est רוּחַ אֱלֹהִים. nimir. de quo est 1 Cor. 2:11. *Nemo novit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei*, hoc est, tertia Persona Trinitatis.

Neque enim per *Spiritum Dei* intelligendus est cum Cajetano *Angelus*: neque accipiendus est pro *vi & efficacia singulari*, quâ Deus rudi adfuerit massæ, id quod fecit Chrysostomus: nec interpretandus est de *aëre* seu *vento*, divinitus excitato ad dissipandas flatu suo aquas & exsiccandam terram; quæ initio fuit sententia Lutheri, Commentario Germanico in Genesin, Tom. 4. Jenens. mutata tamen postea in Commentario Latino.

Hic *Spiritus Dei* מְרַחֶפֶת *latus* est super aquis; vibravit se super ipsis, ut ales se librat pennis super pullis suis. LXX. ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος. Augustinus: *Superferebatur, vi quadam effectoria & fabricatoria.* Eucherius: *Per potentiam sublimitatis suæ.*

Ferebatur, hoc est, continebat omnia & aptabat ad formationem eorum, quæ erant formanda. Kimchius dicit, significare נִדְנוּד וּתְנוּעָה *agitationem & motum.* confer Deut. 32:11. *Ut aquila...* עַל גּוֹזָלָיו יְרַחֵף *super pullis suis se movet, pandebat alas suas, suscipiebat ipsum, ferebat eum super penna sua.*

Igitur mundus & quæ in mundo, ipseque homo est opus ejus, qui regenerat nos, intercedit pro nobis, & vivificabit corpora nostra.

Incubatio Spiritus significat conservationem materiæ, dispositionemque terræ & aquæ ad ulteriora ex iis opera producenda; idque per gratiam, imò per eam gratiam, qua decreta est sanctificatio hominis peccatoris.

Gratia

Gratia Dei creatoris, qui etiam erat ſanctificator hominis futurus, continuit illam abyſſum, & ſuſtentavit & paravit ex ea producere omnia, quæ homini, etiam peccaturo, etiam peccatori, erant ſervitura.

Innuitur, opus, quod in ſe dignum Deo non erat (terra enim non habitata, non ornata, non fundata non poterat glorificare Deum) propter gratiam, quam Deus collaturus erat per Spiritum ſanctificationis, à Deo, ut productum, ita ad ulteriorem exornationem conſervatum eſſe.

Talis cum terra eſſet, *dixit Deus*, יְהִי אוֹר *ſit lux*; *& fuit lux.* Poſtquam cœlum empyreum, totum in ſe lucidum & fulgens perfectum eſſet, Terra verò luce careret, nec in illa niſi tenebræ eſſent, etiam in illa Deus *lucem* dixit eſſe. *Dixit*, hoc eſt, juſſit, præcepit. Ita *ῥήματι verbo*, juſſu, nutu, abſque labore & motu creatoris, creatura facta eſt. τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ, 2 Petr. 3:5. ῥήματι θεοῦ. Hebr. 11:3. Notandum, Deum ubique introduci *dicentem*, loquentem, ſermocinantem, ut memores ſimus τοῦ θεοῦ τοῦ λόγου. Ut dixit, ita & factum eſt. *Sit, & fuit.* confer Pſalm. 33:9. כִּי־הוּא אָמַר וַיֶּהִי *præcepit & exſtitit.*

Cur verò Moſes non ſcripſit, Deum etiam *dicendo* creaſſe cœlum, terram, abyſſum, aquas? Quamvis hoc non diſertè dixerit, tamen nec negavit, nec contrarium affirmavit. Res ipſa per ſe intelligibilis eſt.

Lucem verò dixit Deus eſſe. Pſal. 104:4. *Operuit ſe luce velut toga.* Lux æterna nunc lucem creat; jam produxerat lucem in Angelis, cœli creati exercitibus, ſed ſpiritualem; nunc producit lucem, ſed corporalem, in mundum. 2 Cor. 4:6. ὁ εἰπὼν ἐκ σκότους φῶς λάμψαι.

Obſcura res eſt Lux hæc, quæ omnia tunc exiſtentia illuminavit. Tacuit Moſes, quid ſit lux: dixit tantùm, quomodo extiterit; & quomodo ab initio fuerit. Nimirum non fuit cum Sole & ſtellis. Neque tamen alia res per *lucem* intelligitur, quàm quæ diem facit, & decedens noctem poſt ſe relinquit.

Lux hæc viſibilis omninò neceſſaria fuit; ideò & inter prima creata eſt. 1. ut opera Dei conſpicua eſſent creandæ carni. 2. ne tenebræ felicitati hominis derogarent, aut actiones animantium impedirent. 3. naturalis ordo dierum & noctium ſtatim inſtituendus fuit. Quomodo verò id ſine luce? Ne præferas tenebras luci, quia priores fuerunt luce. Tenebræ enim nil fuerunt poſitivum, ſed merus defectus, quem lux ſupplevit. Neque etiam morbus dignior medicinâ, quia prior.

Lux verò hæc non ſignificat *Angelos*, quorum his verbis creationem Auguſtinus libr. 1. de Civ. Dei, cap. 7. 19. 20. putavit ſignificatam. Neque *elementum ignis*, ut putavit Damaſcenus. Neque *Solem*, quem putant cum luce ſubobſcura tunc fuiſſe creatum, ſed quarto demum die pleniore luce perfectum.

Alii volunt nubeculam fuiſſe luminoſam, quæ in ſolem poſtea fuerit converſa, vel quæ corpori ſolari ſeſe miſcuerit, vel etiam tota diſparuerit.

Nobis ſatis eſt, *lucem* hanc vocatam *diem*. Ergò diem ſeu lucem diurnam hic propriè ſignificat. Fuit certè qualitas luminoſa in ſuperficie abyſſi lucens, tenebras illius diſſipans, molemque primigeniam faciens conſpicuam. Hæc qualitas poſtea in aërem & expanſum eſt diffuſa, & denique corpori ſolari & aliis ſideribus proportionatè impreſſa. Hoc jam eſt τὸ φῶς πρωτόγονες.

An verò lux hæc in tota ſuperficie abyſſi ſparſa fuerit, an tantùm in aliqua parte? ambigitur. Qui priùs amplectuntur, dicunt, *Dixit Deus, fiat lux*; non, *fiat alicubi lux.* Diſcuſſit ergo lux univerſas tenebras abyſſi, non tantum ex aliqua ejus parte, ſed à tota. Ibi haut

 dubie

dubie fuit lux, ubi prius fuerant tenebræ. Atqui illæ in tota fuerunt superficie abyssi. Denique dies primus artificialis alicubi nullus fuisset, sed tantùm nox, si tenebræ alicubi mansissent.

Voetius. Nobis tutissimum semper visum fuit, statuere, hanc lucem in toto cœlo stellato fuisse productam & dispersam; quarto autem die in creatas stellas contractam; quomodo aquæ primum dispersæ in mare & voragines collectæ sunt.

De luce hac primigenia nunc dicitur,

1. Quod fuerit טוב *bona*, hoc est, res bona, jucunda, utilis, & necessaria usibus mundi. Idque *vidit*, hoc est, judicavit & approbavit Deus. Manichæi ridebant, dicentes, Deum obstupuisse ad insolitæ lucis aspectum; & cum primum eam vidisset, statim optimam judicasse. *Bona* verò lux est, 1. causâ efficiente. 2. formâ ipsâ. 3. effectis & usu.

2. Quòd *distinxerit Deus inter lucem & tenebras*. Quid fuit hæc distinctio? Alii ita: *Distinxit*, hoc est, in unâ parte abyssi creavit lucem (ergo secundùm hanc interpretationem non est verum quod antea de universali dispersione lucis diximus) eamque jussit circuire ad aliam partem. Alii ita. 1. sancivit contrarietatem perpetuam, ut lux & tenebræ in eodem simul esse nequeant. 2 Cor. 6: 14. *Quæ communio luci cum tenebris?* 2. sancivit earum perpetuas vices, & mutuam successionem. 3. divisit tempore seu duratione certa. 4. divisit loco. Ante solem tamen primo triduo multis videtur, tenebras non divisas loco, sed planè depulsas à luce fuisse, ut nusquam essent; redirent verò & abscederent per lucis primigeniæ contractionem vel expansionem divina dispensatione factam.

Et *luci* & *tenebris* imposuit Deus nomina. *Lucem vocavit Diem*; & *tenebras Noctem*. Non protulit has appellationes vocaliter, sed 1. efficiendo, ut tenebræ essent nox, & lux esset dies. 2. volendo ab homine sic vocari postmodum. *Vocavit lucem diem*, id est, voluit esse primam diem, & deinceps vocati diem, quoties lux terras illustraret.

Et *exstitit vespera*, abeunte luce; & *exstitit mane*, accedente rursus luce; *dies unus*, seu primus; atque ita *primus dies* finitus est in mane secundi.

Factus est vesper, hoc est, lux desiit esse eo in loco, in quo primitus exstitit; & *factum est mane*, hoc est, rediit ad eum locum. *Is dies unus* fuit, exornationis nim. mundi, in ea scilicet parte, quæ exornatione indigebat.

Vespera est initium noctis. *Mane* diei.

Dies alius est *artificialis*; & est quamdiu lux spargitur super terram; seu spatium ab ortu ad occasum lucis. Alius *naturalis*, qui spatio 24 horarum definitur, ab ortu ad ortum; ab occasu ad occasum; à meridie ad meridiem; à μεσονυκτίῳ ad μεσονύκτιον. Talis dies, naturalis nempe, ex vespera & mane, hoc est, ex nocte & die artificiali fuit dies unus, seu primus. Græcè νυχθήμερον.

In lege etiam *vespera* annumeratur *diei*; qui manè incepit. Exod. 12: 18. *Primo mense, die 14 mensis vesperi comedetis azyma usque ad diem 21 mensis vesperi*. Sic Levit. 23: 27. *Decimo mensis septimi* erit *dies expiationum*. & vers. 32. *Debilitabitis animam vestram nono mensis vesperi. A vespera ad vesperam cessabitis cessationem vestram*. Rituale distinguendum est à naturali. Naturâ præcedit dies, sequitur nox, & vespera diei accensetur, ut & nox; donec novus dies fiat, orto mane. At in lege nox diem antecedit propter mysterium seu δήλωσιν Πνεύματος.

Paræus. Prima & antiquissima diei naturalis dispositio est à vespera ad vesperam, seu ab occasu ad occasum lucis. Citat Lev. 23: 32. *A vespera* &c. Quam Judæi, & plurimi populi alii, Itali, Bohemi, Silesii hodie retinent.

Dies *unus*, hoc est, primus. Ita Dan. 7: 1. *In anno uno*, hoc est, primo Beltazaris Regis.

Gen.

Gen. 8:5. *Mense decimo in una mensis*, id est, in prima die. Marc. 16:2. *πρωῒ τῆς μιᾶς σαββάτων*, *manè in una sabbatorum*, id est, prima die septimanæ.

Ambrosius notavit, Deum hâc phrasi mensuram unius diei naturalis definire voluisse; ut nim. vespera & mane, seu nocte & die artificiali, seu 24. horis, omnis dies naturalis absolveretur.

Secundo die *dixit Deus.* Sit רָקִיעַ *in medio aquarum*, *& sit distinguens* inter *aquas ad aquas.* Factum illud; & ita distinctæ sunt *aquæ*, quæ *subter* expansum, & quæ *supra* illud.

De *expanso* dicitur. וַיַּעַשׂ *& fecit Deus.* antè בָּרָא, nunc עָשָׂה. confer Gen. 1:31. Vidit omnia אֲשֶׁר עָשָׂה *quæ fecerat.* Gen. 2:3. אֲשֶׁר־בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת *quæ creavit Deus faciendo.* Deut. 32:6. *ipse fecit te, & constabilivit te.* Psalm. 119:73. *Manus tuæ* עָשׂוּנִי וַיְכוֹנְנוּנִי. Job. 10:9. כַּחֹמֶר עֲשִׂיתָנִי.

De *Luce* tantum: *Et dixi, esto, & exstitit.* hîc: *Esto expansum; & fecit expansum* רָקִיעַ. LXX. *στερέωμα.* potiùs *ἅπλωμα* vel *ἐκπέτασμα.* Corpus subtile, quod est supra terram & aquam, in quo aves volant, nubes feruntur, meteora sunt, stellæ conspiciuntur, & quicquid supra stellas est. Hoc *expansum vocavit* השמים, hoc est, fecit ita nominari. Gen. 1:14. בִּרְקִיעַ הַשָּׁמַיִם.

Expansum pertinuit ad complendam essentiam universi. Distinctio aquarum ad molem primigeniam digerendam. Totum universum debuit constare cœlo & terra, tanquam essentialibus partibus. Hoc cœlum non fuit statim omni ex parte absolutum, ut ex operibus quarti diei patet. Terrea moles primo die è tenebris extracta est per lucis creationem; nunc secundo die liberata ab aquis per aquarum divisionem. Id quod factum est duobus modis. 1. divisione aquarum abyssi in superas & inferas. Evexit Deus magnam aquarum partem in locum supernum. Sic abyssum vehementer diminuit. 2. congregatione aquarum reliquarum in certa loca, unde maria exstiterunt, & terræ globus paulatim solidus atque aridus apparuit.

Sed distinctè. Fecit Deus 1. expansum. 2. divisionem aquarum superarum ab inferis. 3. congregationem aquarum inferiorum ad *locum unum*.

Quæritur: Quale fuit hoc *expansum?* Resp. fuit spatium & corpus extra & circa molem terream aquosam, quale nunc est cœlum circa terram. *Coelum* hoc dicitur LXX. *στερέωμα*; quia *στερεὸν* sit. Putarunt forsan cœlum, ex aqua fluida factum, solidum & durum esse instar glaciei aut ferri, ut aquas supercœlestes instar lebetis continere possit. quo torquent Lev. 26:19. *Dabo coelos vestros ut ferrum, & terram vestram, ut æs.* Apud Homerum cœlum dicitur *χαλκοβατὲς* & *σιδήρεον æreum & ferreum.*

Sed frustra fingitur, cœlum esse durum & solidum ferri instar. Est substantiæ subtilissimæ, purissimæ, tenuissimarum partium, penetrabile, cedens corporibus solis.

Quum Latinis vocatur *firmamentum*; non id fit propter duritiem, sed propter firmitatem, quia divina virtute expansum est atque firmatum.

Hoc expansum aliqui intelligunt de *octava sphæra*, quæ nunc apparet stellata. Sed sola hæc octava sphæra totum expansum esse non potest, quia extra & infra eam sunt plures orbes expansi, qui cœli nomine continentur, & de quorum creatione extra diem secundum nihil habetur. Alii latius de tota regione ætherea. Alii comprehendunt duo elementa ignis & aëris. Alii intelligunt solum illud spatium, quod diffusum est circa terram usque ad extremum cœlum.

Sed omnium optimè intelligitur 1. spatium ipsum, seu ambitus universi. 2. corpora illo ambitu

ambitu contenta; elementaria & æetherea; *Aër*, qui tribus distinguitur regionibus, infimâ, mediâ, supremâ. *Ignis.* *Orbes coelestes* novem; ut statuit Ptolomæus. 3. Figura horum corporum orbicularis, & motus illorum distinctus ac perpetuus.

Cælum beatorum nomine רקיע non comprehenditur. Totum enim est ὑπερόχως à cœlis aliis, invisibile, spirituale, non pars hujus aspectabilis mundi, extra & supra omnes cœlos. Hoc רקיע putant plerique ex *aquis* factum esse. Sed id Moses non dicit. Neque dixit Deus, *Fiat expansum ex aquis*; sed, *Fiat in medio aquarum*. Non ex aquis, sed in aquis factum est. Aquæ dicuntur divisæ per expansum, non mutatæ in expansum. Cœlum ergo ex nihilo creatum esse, consentaneum est. Augus. lib. 2. cap. 7. de gener. contra Manich.

Secundo quæritur, quarum aquarum & qualis ea fuerit divisio; & quæ sint aquæ illæ supra expansum? Resp. 1. aquarum abyssi. 2. divisio exstitit, non per centrum; ut cum secatur pomum in duo æqualia; sed in medio, seu intra medias aquas faciendo expansum orbiculariter. Dimidiavit aquas abyssi per expansum. 3. aquæ illæ supra expansum non sunt aliæ nisi nubes, & aquæ, quæ in illis sunt.

Ne fingamus cum Josepho & Philone, supra cœlum sidereum contineri aquas convexo cœli quasi labro, ad refrigerandum cœlorum & siderum ardorem, è perpetuo illorum motu ortum; & ad comprimendos cœlos, ne ventorum agitati violentia vacillent; quæ & sententia fuit Chrysostomi, Basilii, & Ambrosii; eo quod Sol nonnunquam madidus & rorans appareat propter aquarum nutrimentum. Quo commento Brentius putavit cœlum beatorum se posse deturbare. Quo trahitur Psalm. 148:4. *Laudate illum coeli coelorum, & aqua, qua sunt super coelos.* Scholastici ex his aquis fabricarunt cœlum crystallinum, congelatum, supra firmamentum exsistens. Nec cum Eucherio faciamus, qui per aquas superiores intellexit multitudinem Angelorum. Lutherus, dubitans, quandoquidem nubes non sint supra expansum, an illæ per has aquas intelligi possint, fatetur, se hic Mosen non intelligere; Comment. in Genesin.

Aquas autem supernas esse eas, quæ dicuntur in nubibus, patet è Job. 26:8. *Constringit aquas in nubibus suis, ita ut non findatur nubes sub ipsis.* Psalm. 18:12. *tenebrosa aqua in nubibus* aëris. Psalm. 104:3. *Qui contignat aquis coenacula sua; qui ponit nubes currum suum.* Psalm. 147:8. *Qui operit coelum in nubibus, & aptè dat terra pluviam.* Jerem. 10:13. *Ad vocem dat multitudinem aqua in coelis, & facit ascendere vapores ab extremo terra.*

Nubes quid nisi aquæ sunt, vi caloris diurni evaporatæ, ac frigore aëris rursum concretæ? De illis Plinius libr. 31. cap. 1. *Quid mirabilius aquis in coelo stantibus?*

Has aquas non dicit Moses esse, על הרקיע *supra expansum, sed* מעל *desuper expanso.* Neque enim ita evectæ sunt supra totum expansum, ita ut totum esset aquis inferius. Sed evectæ sunt sursum, ut una cum expanso essent supra & desuper.

Nomen שמים idem confirmat; quod est שם מים *ibi aqua*, juxta Hebræos. Græcè οὐρανὸς, ἀπὸ τοῦ ἄνω ὁρᾶσθαι, vel quasi ὅρος τοῦ ἄνω. *Coelum à κοῖλον concavum*, ut Varro; vel à *calando*, hoc est, à sculpendo, juxta Ambrosium; propter stellatum lumina quasi cælatum; sicut argentum, quod *signis eminentibus refulget*, *calatum dicimus*, vel à *celando*, quia omnia celat & tegit. *Himmel*, quasi *hohe meil*.

Expansum Deus vocavit *coelum*, hoc est, jussit illud esse in posterum stabili lege; ut inter homines nomen suum, quale est illud Hebraicum, obtineret.

Separationem aquarum inferiorum à superioribus pulchrè describit Elihu, Job. 36:27. &c.

Nam

Nam יַעֲרֹף *paulatim contrahit guttas aquarum.* יָזֹקּוּ *Effundunt pluviam in vaporem suum, quibus guttis manat æther*, seu *manant tenues nubes* שְׁחָקִים. *rorant super homines multos* יִרְעֲפוּ.

Tertium, quod Deus hoc die fecit, est aquarum inferiorum congregatio ad locum unum; illarumque discretio ab arida. Hoc opus dicitur *fundatio terræ supra maria & fluvios.* Psalm. 24:2. Quæ sic facta est. *Mare ex utero exiit.* Job. 38:8. Crassamenta terrena compacta sunt, liquidus humor in suas cavernas est collectus, ut aqua ex spongia compressa exire solet: is humor inclusus est suis cavis, & circumseptus est littoribus, ne operiret terram. וַיָּסֶךְ בִּדְלָתַיִם יָם Job.38:8. Lege Psal. 104:5.&c. *Fundavit terram super bases ejus* &c. *super montes*, hoc est, loca montium, *stabant aquæ: præ increpatione tua fugerunt, præ voce tonitrui tui præcipites abierunt (ascenderunt montes, descenderunt valles) ad locum, quem parasti illis.* Igitur aqua in septa sua ingrediente, *ascendere montes Cernere erat, sensimque cavas subsidere valles, Inque cavas valles trepidas decurrere lymphas*, ut benè cecinit Buchananus.

Dicitur autem *fundata super maria*, non quod mari altior sit; est enim illo inferior; sed quia ita exstat, ac si supra mare & fluvios exstaret; & quia homo, in illa ambulans, mare infra pedes suos quasi videt.

Est autem hoc secundi diei opus. I. Quia congruum fuit, ut quo die separatio aquarum facta est, superiorum & inferiorum, eodem etiam fieret discretio aquarum ab arida; ut ita quasi negocium aquarum die uno conficeretur. II. Quia aliàs operi secundi diei deest illa clausula, omnium aliorum dierum operibus addita; *Et vidit, quod esset bonum*: quæ tunc operi tertii diei videretur bis addita. Solent aliàs interpretes multa de omissâ operis secundi diei approbatione confingere. LXX. nimis audacter inseruerunt. καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς ὅτι καλόν. Judæi id ideo factum fingunt, 1. quod die secundo facta fuerit gehenna. 2. quod eo die lapsi sint Angeli. 3. quod numerus binarius recedat ab unitate, eoque infamis sit. 4. Hieronymus matrimonii hostis ita ait. *Et vidit Deus, quia bonum est*; *in secundo die hoc omninò subtraxit*; *nobis intelligentiam derelinquens, non esse bonum duplicem numerum, qui ab unione dividat, & præfiguret foedera nuptiarum.* 5. Alii respondent, opus secretionis aquarum secundo die fuisse imperfectum, tertio demum absolutum. Benedictionem ergo operis tertio die fuisse reservatam, ideoque tunc bis idem dictum. 6. Alii ita, cum Augustino. *Nil opus, ut ea cum discrimine definiantur, quæ sine discrimine nesciuntur.* III. Omninò verò id appatet ex Gen. 2:6. Ibi separatio aquarum superiorum ab inferioribus explicatur per *eductionem vaporis ex terra*; & ei conjungitur *irrigatio terræ facierum*; quam secuta est *germinatio terræ*, opus diei tertiæ. Ergo eo die videtur facta terræ fundatio, quo & separatio aquarum per expansum. Ita sentit Abenesra; ita & Mercerus. Ideò ante expositionem operis tertii diei per ἐπεξήγησιν narratur plenius terræ fundatio, cum clausula, *& vidit* &c. Hinc וַיֹּאמֶר vers. 9. vertendum, *Dixerat autem.*

Hæc terræ fundatio est argumentum Sapientiæ & Propositi Conditoris. (Non natura enim est, sed τέχνημα, extare terram extra aquas.) nimirum Propositi & Consilii, hominem lapsurum sanctificandi, & per gratiam vivificandi. Deus, qui *terram formavit, fecit, aptavit*, לא תהו בראה *non in vanum creavit illam*, sed לשבת יצרה. *non* ab *Angelis*: nec ab *animantibus* tantùm; sed ab *homine*, ἵνα ὦσι καὶ δόξη Θεῷ. Hujus παρόραμα prævidit Deus ante secula, adeoque & cum terram condidit habuit perspectum. Ergo illam hoc cum consilio fundavit, ut è genere humano, quod peccaturum sciebat, sibi purgaret

λαὸν περιούσιον, qui *juste* viveret in hâc terrâ, & in opera manuum Dei dominaretur. Sine tali terra non fuisset *habitata*, sed mansisset תֹּהוּ וָבֹהוּ; imò תֹּהוּ יְלֵל יְשִׁמֹן, omnium malorum colluvies, improborum receptaculum, impurorum spirituum domicilium, & ἀκρόπολις, unde omne infertur Deo bellum. Igitur certum est, Deum, quum terram fundavit habuisse propositum, facere illam habitaculum hominis creandi in integritate, & amissa per peccatum illa, cum maxima posterum multitudine redintegrandi, & ad novam vitam resuscitandi. Ob hanc rationem *stellæ matutinæ* jubilarunt, & *filii Dei cecinerunt*, fundante Deo terram. Non enim consilium gratiæ Dei, divina revelatione accedente, nescire potuerunt.

Tertii diei opus est *germinatio*. protulit terra דֶּשֶׁא, עֵשֶׂב, עֵץ פְּרִי. Etiam illo die formatus est Paradisus in Eden integer cum fructibus suis. Gen. 2: 8. 9. Adeoque illa germinatio distincta fuit.

Dixit verò Deus. תַּדְשֵׁא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא *vestiat se terra viriditate*, עֵשֶׂב מַזְרִיעַ זֶרַע *herbam seminificantem*; *arborem frugiferam*, *facientem fructum* לְמִינוֹ, *in qua est semen ejus. Et fuit sic.* Gen. 1: 11. Ita fecit *progerminare Dominus Deus è terra omnem arborem desiderabilem aspectu*, *pulchram esu*, Gen. 2: 9.

Ita autem facta est *germinatio*. *Et vapor ascendit è terra*, *& irrigavit omnes facies terræ*, Gen. 2: 6. Secundo die terra facta erat יַבָּשָׁה *arida*. Tertio die ex illa vapor ascendit irrigans facies ejus. Si tertio die prius segregatio aquarum terrestrium facta esset, tum uno die exstitisset arida; & vapor ex arida.

Hic vapor fuisse conjunctus videtur cum *pluvia*, quæ venit desuper. Gen. 2: 4. *Nam nondum fecerat pluere Deus super terram*; & *vapor ascendit*. Ergo postquam vapor ascendit, etiam pluere Deus fecit.

Hæc germinatio omninò decuit, ut fieret. Sine collectione aquarum in unum locum terra nec visibilis, nec sicca exstitisset, nec ad habitandum apta. Absque germinatione mansisset vacua, nec alimenta præbere potuisset. Ita terra vacua & denudata vestem accepit pulcherrimam ex omne genus herbis, floribus, arboribus, fructibus.

Primus inventor auctorque stirpium & frugum Deus est. neque ergo auctor frugum est Saturnus in Latio, Triptolemus in Græcia, Ceres in Attica, Isis in Sicilia; de qua dea Ovidius: *Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.*

Germinet Terra Germen, *Herbam.* Est lex quædam perpetua terræ imposita ad germinandum atque fructificandum tunc & deinceps. Hujus præcepti vi terra etiamnum quotannis urgetur, ut naturaliter herbas, fructus, germina ferat. Ita jam germinavit amplius 5000. annis, perpetua quasi lege & ordine observato.

Nota 1. ante Solem terram germinare Deus jussit. 2. Terram prius quàm expansum ornavit. 3. prius de pabulo mundo prospexit, quàm animantes condidit.

De herbis spinosis & venenosis quæritur unde sint? Augustinus de Gen. contra Manich. libr. 1. cap. 13. putavit, omnes illas esse è maledictione terræ. Post peccatum hæc venenata nasci ad pœnam hominum. ex Gen. 3: 18. Basilius ante peccatum putavit rosam fuisse sine spinis. Dici tamen potest, etiam tertio die spinas productas & venena: sicut & animalia venenata condita fuere; quæ per peccatum noxia facta sunt; sine peccato nunquam nocitura fuissent. Imò & post peccatum nil simpliciter inutile aut noxium è terra nascitur. Alia ad aliud sunt utilia, & alia aliis salubria. Quæ non sunt ad escam, sunt ad medicinam; quæ hominibus sunt noxia, sunt sæpe avibus & feris pabula. Sturni cicuta vescuntur; coturnices helleboro; è venenis pharmaca parantur.

Opus

Opus quarti diei est *Creatio Luminarium.*

Sint luminaria in expanso coeli. מְאֹרֹת quæ præbent אוֹר. quæ sunt לְהָאִיר עַל־הָאָרֶץ.

Fecit Deus 1. *Luminare majus*, hoc est, corpus magnum lucem faciens. 2. *Luminare minus*, in se etiam magnum; minus tamen majore illo. 3. *Stellas.*

Luminare majus est *Sol.* Illud exstitit *in imperium diei.* de die lucet, de nocte non; quoties nobis dies, lucet, quoties nox, non lucet. Ita & alibi in aliis mundi partibus. Idem facit dies breviores aut longiores; estque instrumentum efficiendorum annorum.

Luminare minus est *Luna.* Id exstitit *in imperium noctis.* Facit enim nocturnas tenebras cum luce vel sine luce. Job. 26: 10. *Usque ad finem lucis cum tenebris.* Idem facit dies sive dierum distributionem ac periodum.

Stellæ sunt omnia alia corpora majora, minora, quæ in die cernuntur.

De his luminaribus dicitur 1. *Distinguunt inter diem, & inter noctem.* Cum primi diei lux creata esset, dicitur Deus distinxisse *inter lucem & tenebras*, hoc est, sancivisse in illis perpetuam contrarietatem; perpetuas vices & mutuam successionem; divisisse illas tempore & duratione, imò forsan & loco; imò & in una parte abyssi creasse lucem, eamque jussisse circuire ad aliam partem. Nunc Soli & Lunæ ac Stellis attribuitur, quod *distinguant.* Sol enim apparens facit diem. Luna & Stellæ noctem. confer vers. 18. *ad dominandum in die & in nocte, & ad discernendum inter lucem & inter tenebras.* Deus primo die ipse distinxit per lucis primigeniæ creationem; nunc Sol & Luna distinguunt. Sunt illa deinceps causæ organicæ naturales & proximæ efficientes successionis dierum & noctium: sunt organa & mensuræ distinguentes dies artificiales & noctes, immutabili vicissitudine.

2. Sunt 1. לְאֹתֹת *in signa*; non rerum futurarum; (Jer. 10: 2. *Ob signa cœlorum ne consternemini, nam consternantur gentes præ illis.* Es. 47: 13. *Defatigata es in multitudine consiliorum tuorum; stent age & servent te* הֹבְרֵי שָׁמַיִם *Astrologi & Augures.* (propriè *sectores cœlorum.* Arabicum הבר habet notionem τῦ חָתַךְ *secandi*, eò quod decidant & definiant ex indicatione coeli. Cœlum dividunt in partes.) הַחֹזִים בַּכּוֹכָבִים מוֹדִיעִים לֶחֳדָשִׁים מֵאֲשֶׁר יָבֹאוּ עָלָיִךְ) sed mutationum aëris, & locorum; id quod Sol imprimis facit & Stellæ. Producit enim Deus illas ad catalogos; singulas quasi nomine citat; ut quævis earum suo loco & tempore appareat. Es. 40: 26. 2. לְמוֹעֲדִים *in stata tempora.* Sol & Luna illis inserviunt figendis, ut omnia ordine inter homines possint agier. 3. לְיָמִים *in dies.* Luna facit *dies*, hoc est, distributionem & periodum dierum. 4. וְשָׁנִים. Sol est instrumentum faciendorum annorum. 3. לְהָאִיר עַל הָאָרֶץ. Terra indiget illarum luce. 4. Sunt בִּרְקִיעַ הַשָּׁמַיִם *in expanso cœli.* Ibi illarum sedes, ibi sunt fixæ, ibi agunt, & habitant. In terra locus dari eis non poterat, oppressissent illam magnitudine & fulgore.

Expansum secundo die creatum hucusque fuit ἄναστρον; nunc luminaribus variis & pulcherrimis exornatur. Illa corpora, quæ cœlo affixa videmus, non sunt numina aut Dii, ut Plato in Timæo astra θεὺς vocat; quæ gentiles olim venerati sunt; imò & Judæi. Manasseh. 2 Chron. 33: vers. 3. וַיִּשְׁתַּחוּ לְכָל־צְבָא הַשָּׁמַיִם וַיַּעֲבֹד אֹתָם. *Judæi.* Jerem. 44: 17. *Faciendo faciemus omne verbum, quod exiit de ore nostro* לְקַטֵּר לִמְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם וְהַסֵּךְ־לָהּ נְסָכִים *quemadmodum fecimus nos & patres nostri.* &c. *& malum non vidimus. Regina cæli* dicitur *Luna.* confer Actor. 7: 42. *Tradidit illos* Deus λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τῦ ὐρανῦ. confer Deut. 4: 19. *Ne tollas oculos tuos cœlum versus, & videas Solem, Lunam, Stellas, omnem exercitum cœlorum, & impellaris, & incurves illis te, & colas illas.* אֲשֶׁר חָלַק *Dominus Deus tuus illas omnibus populis sub omni coelo.*

Sunt

Sunt enim Dei opus & creaturæ. Psalm. 33:6. *Spiritu oris ejus omnis exercitus illorum.* Psalm. 74:16. *Tibi dies, tibi nox; tu præparasti* מָאוֹר וָשָׁמֶשׁ Psalm. 19: vers. 5. *Soli posuit tabernaculum in illis.* Jerem. 31:35. *Sic dicit Dominus, dans Solem in lucem interdiu.* חֻקֹּת *Lunæ & stellarum in lucem noctis.*

Cum dicitur, *Sint in signa*, etiam id intelligi potest de schematismis & figuris, quas sidera in cœlo repræsentant, quæque signa vocantur; quibus variorum animalium & rerum imagines exprimuntur. Ejusmodi signa observantur in Zodiaco XII. extra Zodiacum XXX. Sed hic non est præcipuus sensus.

Signa sunt, quæ aliquid significant & portendunt. An verò motu, situ, & aspectu suo homines de multis rebus societati humanæ salutaribus commonefacere possunt? *Aratus* in prognosticis. Ἀστέρες ἀνθρώποισι τετυγμένα σημαίνουσι.

Triplices dicuntur siderum significationes seu *prognosticationes*. 1. *Naturales*. Ex eorum motu, ortu, occasu, oppositionibus, conjunctionibus, aspectibus variis, colliguntur eventus naturales, eclipses, pluviæ, siccitates, venti, calor, frigus, fluxus & refluxus maris, terræ motus. Ita Pleiadum ortus portendit frigus; Hyadum, pluvias; Caniculæ, æstum aëris, & maris; tunc fervent vina in cellis, moventur stagna. Dominus dicit Matth. 16: 2. ruborem cœli vespertinum esse signum εὐδίας; matutinum, χειμῶνος. 2. *Civiles*. Ex iisdem cognoscuntur opportunitates multarum actionum civilium. *Nautæ* ex siderum motu, lumine ac positu didicerunt, quando & ubi sit commodè navigandum; *Piscatores*, quando piscandum; *Rustici*, quando arandum, occandum, seminandum; *Hortulani*, quando serendæ plantæ, inserendæ arbores; *Vinitores*, quando putandæ, pastinandæ, pampinandæ, novellandæ vites; *Lignatores*, quando cædendæ sylvæ; *Medici*, quando incidenda vena &c. De his Virgilius in Georgicis. Hesiodus περὶ ἔργων καὶ ἡμερῶν. 3. *Spirituales*. Putant multi, sidera siderumque passiones naturales & præternaturales esse signa etiam spiritualium eventuum, Scripturâ teste & experientiâ. Defectus Solis & Lunæ, stellæ caudatæ seu Cometæ, parelii, halones, chasmata, capreæ saltantes, præsteres, stellæ cadentes, habent causas in natura; tamen plerumque portendunt mutationes rerum publicarum, seditiones, bella, exundationes, aliasque pœnas divinas. *Iris* causam habet naturalem à radiis solaribus in nube rorida opposita; tamen spiritualiter prognosticat, diluvium non rediturum. Præternaturales affectiones astrorum eodem modo pro signis vel gratiæ, vel iræ & judiciorum Dei haberi possunt. Sol in Gibeon stans, & Luna in valle Ajalon fuit Josuæ signum gratiæ & præsentiæ Dei. Jos. 10: 12. Solis umbra decem gradibus retrogradiens in solario Achasi fuit Hiskiæ signum sanitatis & vitæ. 2 Reg. 20: 11 Deliquium Solis Christo pendente in cruce, signum iræ Christo incumbentis, & cæcitatis Judæis infligendæ. Stella Magis visa, signum gratiæ in Christo illucescentis. Prædixit etiam Christus extremi sui adventus signa in Sole, Luna, Stellis &c. neque enim hæc omnia videntur mysticè posse aut debere exponi.

Sed hoc genus prognosticationis impium est, quod genethliaci hinc tueri conantur; qui ex astris volunt divinare de rebus futuris; ut ex causis cientibus naturas inferiores; ac si ex astrorum positu seu themate genethliaco cujusque natura, voluntas, fortuna, successus, matrimonium, liberi, eorumque ingenia & eventus, ipsumque mortis & genus & tempus præcognosci possit.

Quamvis enim astra sint *in signa* ad præsignificandum aliqua, quorum aut sunt causæ efficientes, aut adjuvantes; aut ad quæ præsignificanda specialiter à Deo adhibentur, tamen non præsignificant omnia, quæcunque iis humana affingit curiositas. Non instituit Deus astra,

astra, ut inde de futuris eventibus contingentibus hariolemur.

Divinatores astrorum damnat Deus, ut & magos, pythones, somniatores, augures, aruspices. Deut. 18: 10. 14. *Ne inveniatur in te divinans divinationes* וּמְכַשֵּׁף וּמְנַחֵשׁ מְעוֹנֵן *Et* חֹבֵר חָבֶר *& rogans* אוֹב וְיִדְּעֹנִי. *& qui inquirit* הַמֵּתִים. adde Es. 8: 18.

Ridet sæpius Ægyptios & Chaldæos Astrologiæ divinatricis experientissimos. Minatur etiam eis internecionem. Es. 19: vers. 12. Es. 44: 24. Jerem. 10: 2. 27: 9. 29: 8. Es. 47: vers. 15.

Impiæ sunt divinationes de futuris contingentibus. Talia prædicere & prænosse solius Dei est. Ei sunt præterita & futura præsentia. Solus ille extra causas suas universa, antequam sint, prospicit.

Creaturæ & dæmones ipsi futura contingentia præscire non possunt, nisi in causis aliquo modo jam exstantia. Sunt Dæmones causarum sagacissimi indagatores. Et tales sunt omnes prænotiones & prædictiones physicorum, medicorum, rusticorum, nautarum, politicorum, qui multa futura in causis suis præsentiunt & prædicunt. In *causis*, inquam; vel quatenus causæ eorum jam sunt in actu positæ, vel ita sunt ad actum dispositæ, ut jam aliquatenus fieri aut esse eventus incipiant: licet ob parvitatem sui à paucis adhuc observentur.

Sideralis Astrologorum hariolatio, ut profana, superstitiosa, curiosa, mendax, Christianis indigna *Basilio*, *Ambrosio*, *Augustino*, *Nazianzeno*, *Tertulliano*, *Origeni*, &c. visa est; ipsisque legibus Impp. jam olim damnata. C. de maleficis & Mathematicis leg. 2. libr. 9. *Artem Geometriæ* discerè exercere publicè interest. *Ars autem Mathematica damnabilis est & interdicta omnino.* Ibid. lege 5. & 7. vetatur, ne quis Mathematicos consulat; & capitalis pœna in eosdem sancitur.

Luminaria sunt etiam in *tempora*, *dies*, & *annos*, hoc est, sunt mensuræ, secundùm quas tempus fluens numerari, & in partes, priores & posteriores, majores & minores, distingui possit, ut aliud dicatur præsens, aliud præteritum, aliud annus, aliud quadrans anni, aliud mensis, septimana, dies, hora &c. Sine his nulla esset in homine rerum gestarum recordatio, nulla de gerendis deliberatio, nulla de futuris spes, & de præsentibus vix ulla cogitatio: essemus instar dormientium, qui nesciunt, quod & quamdiu dormiant; aut infantium, qui motum & vitam & ætatem suam ignorant.

His nunc luminaribus productis, ordinaria exstiterunt lucis vehicula, quæ circa terram cottidie revoluta eandem mundo utiliter dispensarent. Lux primigenia, triduo ante condita, non evanuit, ut nonnullis videtur, sed Soli, Lunæ, astris, fuit impressa (Lunam putant non habere propriam lucem, sed omnem à Sole mutuari, quia in defectibus suis quasi ferruginoso corpore apparet.) ac indita; maximè autem Soli, tanquam vehiculo præcipuo, quem κατ' ἐξοχὴν Basilius vocat ὄχημα τοῦ πρωτογόνου φωτός.

Sol & Luna dicuntur magna luminaria. Sol terrâ major est centies sexagies bis. Luna terrâ minor tricies novies. Ita tamen in se magna est, ut diameter ejus 600 ferè milliaria Germanica contineat, juxta doctrinam Astronomorum. Luna omnibus stellis minor est mole, Mercurio excepto. Videtur verò omnibus major ob vicinitatem.

Innocentius III. Papa Decretal. libr. 1. Tit. 33. de majoritate & obedientia cap. 6. *Luminare majus*, inquit, *est Pontificalis potestas: minus, est regalis auctoritas. Ergo Papa non debet subesse principibus, sed præesse, & quantum dies præstat nocti, tanto Papa est superior Imperatore.* Postea. *Subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus, omninò esse de necessitate salutis.*

Quinti diei opus est productio aquatilium & volucrium.

Et dixit Deus. יִשְׁרְצוּ הַמַּיִם שֶׁרֶץ *Moveant se aqua motione,* נֶפֶשׁ חַיָּה *anima viventis,* verminent verminatione, *& avis volet* עַל *terram,* עַל פְּנֵי *ad* seu juxta *facies expansi* cœli. (עַל־פְּנֵי רְקִיעַ non hîc notat aves volitare supra expansum; sed juxta illud & sub illo volitant. Ita quum dicitur, secundo die *aquas* cœpisse existere מִשֶּׁל לָרָקִיעַ non notatur, super locum expansi esse *aquas*; sed aquas esse superne juxta expansum & cum illo, nimirum in nubibus.)

Hoc die *creavit* Deus (hic rursum invenitur בָּרָא, cum ante semper dictum fuerit יַעַשׂ. neque etiam expresse ברא significat creationem מאין *è nihilo*, quia balænæ dicuntur *creatæ*, quæ non è nihilo, sed ut in aquis, ita & ex aquis cœperunt esse)

1. הַתַּנִּינִם הַגְּדֹלִים. תַּנִּין latè notat serpentes omnes, & animalia magna, quæ in mari sunt. Pro loco, ubi venit, interpretandum est. LXX. κῆτος, δράκων, σειρὴν. Kimchius dicit, notare animalia tum χερσαῖα, *terrestria*, hoc est, serpentes quosdam: tum ἔνυδρα *aquatilia*, hoc est, pisces magnos, similes serpentibus. Job. 7: vers. 12. *An ego sum mare* אִם תַּנִּין *num balena?* Maximum animal aquaticum voluit notare. Ita & Genes. cap. 1: vers. 21. *Cete magna.* Psalm. 148: vers. 7. *Celebrate Dominum de terra.* תַּנִּינִים *cete & omnes abyssi.*

Sunt in aquis belluæ & monstra prodigiosæ magnitudinis. De illa vide Jon. cap. 1. Plin. libr. 9. cap. 12. 13. 14. & libr. 16. cap. 40. Ælianus historiæ animalium, lib. 15. c. 21. Maxima sunt corpora cœlestia: post hæc marina monstra, longè majora quibusvis terrenis.

Aquæ has animas viventes verminarunt. Aqua non potuit hîc se habere *activè*, quia reptilium subita productio fuit Dei immediata actio וַיִּבְרָא: Alii dicunt, Aquam se habuisse *materialiter*; ex aquarum materia videtur Deus creasse pisces. Paræus hanc sententiam non *simpliciter* abjicit, *non* tamen satis *firmam* putat. Alii, habuisse se *passivè* tantùm, quia vim Dei creatricem tantùm sunt passæ. Dicitur tamen אֲשֶׁר שָׁרְצוּ הַמַּיִם *quibus verminarunt aquæ.*

2. עוֹף כָּנָף *aves alatas.* Quæritur de avium materia; sintne factæ ex aquis, & ex qualibus aquis? an ex aëre; an ex terra? an ex aqua & terra simul? Plurimi sentiunt, factas esse ex aquis. Sed si ita est, cur aves nunc constant quatuor elementis? cur naturam sui principii non sequuntur, & in aquis degunt, ut pisces? Sunt pauca amphibia, anseres, anates, olores. Reliquæ omnes aves in aëre volant. Unde probabilius videtur, illas ex aëre esse factas. Carnes illarum, non frigidæ & humidæ, sed temperatè calidæ & humidæ ad aëris potius, quàm aquæ naturam accedunt. Huic sententiæ favet Aristotelis dictum libr. 2. de cœlo. cap. 7. Unumquodque ex eo esse, in quo est. Tamen Genes. 2: 19. dicitur. *Et formaverat Deus è terra omnem bestiam agri, & omnem volucrem coeli.* unde videtur sequi, è terra formatas aves.

Conjunxit Deus aquatilium & volucrium creationem. Magna scilicet est inter pisces & aves cognatio, sive *locum naturalem* spectes, in quo degunt, qui est aqua, & aër, utrumque elementum diaphanum, humidum, penetrabile & transmutabile; sive *corporum conformationem*, & *motum*, quod piscibus sunt squammæ & pinnæ, hoc avibus sunt plumæ & alæ; quod piscibus est *natatio*, hoc avibus est *volatus.*

3. *Omnem animam viventem* הָרֹמֶשֶׂת *se moventem*; ex aquis scilicet verminantem. Intelligit *pisces.* Ad pisces pertinent ζωόφυτα aquatilia, quæ saxis adhærent, ut conchæ, ostreæ, spongiæ.

Basil. Homil. 7. in hexam. *Vox quidem præcepti parva, imò neque vox; sed momentum solùm, & impetus voluntatis. Verum sententiæ in præcepto diffusio tanta est, quot sunt*

pi-

piscium differentiæ ac sodalitates, quas omnes exactè recensere, idem est ac fluctus pelagi enumerare, aut aquam maris metiri tentare.

In his creaturis imagines variarum virtutum & vitiorum cernere est. In *delphino* est singularis φιλανθρωπία; in *echino* pisciculo minimo potentia miranda; (piscis est ex genere concrotorum aculeatus) in *polypo* fraudulentia detestanda; (piscis à multitudine pedum sic dictus. *Versipelles* dicuntur *Polypi* ab ejus piscis ingenio, colorem suum mutantis & accommodantis ad id saxum, cui adhæret, ne facilè capiatur. Malè Theognis. πολύποδος νόον ἴσχε. *Polypi mentem obtine. Du must Fuchs und Haase seijn*) in *serpente* commendabilis prudentia; in *columbis* sancta simplicitas; in *ciconiis* dulcis στοργὴ & ἀντιπελαργία, hoc est, *mutua gratiarum actio*; (ab ἀντιπελαργέω *gratiam refero*, beneficium rependo; πελαργὸς *ciconia*) in *corvis* ἀστοργία nefaria; in *cuculo* ingratitudo scelerata; in *aquila* sublimis volatus.

Denique additur. *Et benedixit illis Deus, dicendo; Multiplicate & implete aquas,* &c. non verbo, sed re ipsa & opere. Hâc benedictione consuluit conservationi specierum conditarum; huncque naturæ ordinem instituit, ut reptilia & volatilia ex se similia magnâ copiâ deinceps procrearent. Ex hac benedictione etiamnum aves pariunt ova prolifica; pisces in aquis demittunt semina, unde nascuntur pisciculi. Nonnulla etiam ex genere aquatilium sunt vivipara, ut mustelæ, caniculæ, delphines, phocæ, equi marini &c. Realis ergo fuit hæc Dei benedictio & efficax, hucusque durans.

Plantis & luminaribus non benedixit; non erat eis tali benedictione opus. Fœtificare & sibi simile procreare, animalium proprium est. Ergo eis solis benedixit, hoc est, vim prolificandi indidit, ne species earum unquam deficerent. Fructificant plantæ: sed semina tantùm vel fructus; non *plantas*, neque adeò generant sibi simile.

Separatis aquis, fundatâ terrâ, productis germinibus, astris esse jussis, necessarium erat, ut & incolæ his domiciliis crearentur. Hactenus universum non habebat incolam, ne muscam quidem. Erat mortis quædam species, nihil dum in aëre, in aquis, in terra se movere, spirare, vivere. Igitur mundi incolas condere Deus die quinto cœpit, sexto perfecit. Primum imperfectiora, dein perfectiora, ultimò perfectissima. Ab imperfecto enim ad perfectius naturæ ordo progreditur.

Sexti diei opus est productio terrestrium animantium & hominis.

De *animantibus* ita. *Et fecit Deus* 1. אֶת־חַיַּת הָאָרֶץ *feram terræ.* 2. בְּהֵמָה *pecora.* 3. רֶמֶשׂ, *reptile.* Unumquodque לְמִינֵהוּ *secundùm speciem suam.*

Quæris, unde fecerit? תּוֹצֵא הָאָרֶץ נֶפֶשׁ חַיָּה לְמִינָהּ. *producat terra animam viventem, secundùm speciem suam.* E *terra* produxit. E qua hominem, ex illa & formavit animantia. Gen. 2:7. 19.

חַיָּה *animal*, ζῶον. In specie, *fera bestia.* Psalm. 50: 10. חַיְתוֹ־יָעַר. Es. 56:9. חַיְתוֹ בָּשָׂר.

בְּהֵמָה *brutum, bestia.* Notat animantes quadrupedes, rationis expertes. Aliquando feras complectitur; aliquando ab eis distinguitur; quando hæ per חַיָּה significantur. Psalm. 8:8. *bestias agri.* Mich. 5:7. *Sicut leo inter bestias sylvestres.* Job. 35: 11. *Qui nos docet præ bestiis terræ & præ volucribus cœli nos* σοφίζει.

בְּהֵמָה *jumentum* κτῆνος, animal cicur. Psalm. 148: 10. Neh. 2: 12. de equo; mulo aut asino. Prov. 12: 10. Hebræi hoc genus distinguunt in בְּהֵמָה גַסָּה *pecus majus*; & בְּהֵמָה דַקָּה *pecus minus.* Græci distinguunt θρέμματα & ὑποζύγια.

רֶמֶשׂ *quod se movet, reptile.* LXX. ἑρπετόν. Habet notionem & generalem & specialem. Gen. 9:3. כָּל־רֶמֶשׂ אֲשֶׁר הוּא־חַי *omne, quod se movet & vivit, vobis erit cibo.* Et in maii sunt

רֶמֶשׂ

רֶמֶשׂ אֵין מִסְפָּר *animalia*, quæ *se movent*, *sine numero*. Habac. 1: 14. כְּרֶמֶשׂ לֹא־מֹשֵׁל בּוֹ *ut reptile, quod non habet dominum*. Reptilia sunt vel ἄποδα, ut serpentes; vel βραχύποδα, ut vermes, erucæ, lacertæ, rubetæ, formicæ.

Bruta terrestria cum homine potius, quàm cum aquatilibus creavit Deus, quod homo plus cognationis habet cum illis, quàm cum istis. Non natat homo, ut pisces; non volat, ut aves; progreditur & vivit cum animantibus aliis super terram.

Deus jussit animantia produci. Fabula ergo est Platonica de deunculis conditoribus brutorum. Producat *terra*. Manichæi hinc terræ animam tribuebant. Etiam brutis rebus Deus, quæ vult, imperat, & dicto habet audientes.

Die tertio תּוֹצֵא terra germina, herbas, arbores; nunc producit opus præstantius, *animam viventem*. Animalium conditorum triplex est genus, aquaticum, volatile & terrestre. Primum & secundum produxerunt aquæ & aër. Tertium Terra.

Aqua & aër suos habebat jam incolas: nunc & Terra suos accipit.

תּוֹצֵא הָאָרֶץ. Ergò animalium terrea est origo, natura & mansio. 2. hoc verbo Deus terram ad deinceps generandum & nutriendum animalia disponit.

Quæritur: An etiam eas animantes tunc Deus creaverit, quæ nunc ex putredine nascuntur; ut glires, mures &c? Augustinus, Eucherius &c. statuunt, etiam minutissima animalia, quæcunque ex aquis aut terris nunc nascuntur, in prima rerum creatione fuisse condita. Quæ verò de vitiis corporum, vel lignorum, vel cadaverum nascuntur putredine, non tunc fuisse in specie creata, sed consequenter de corruptionibus aliorum corporum pro suo quæque genere nata. Mures utroque modo nascuntur, & è putredine & per conceptum. Jumenta sunt ex terra *materialiter*. Igitur creata sunt ex materia indisposita.

Brutis non *benedixit* Deus, sicut aquaticis & volatilibus. Id fabulantur Hebræi factum, quia inter ea esset serpens seducturus paulo post hominem, & à Deo maledicendus. Sed potest benedictio piscium & volatilium hic ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repeti. Pertinet ad totum brutorum genus. Moses brevitatis causa nunc reticuit. Dum tribus illis speciebus singulis adjunxit *secundum speciem suam*, videtur hac repetitione benedictionem omissam voluisse supplere.

Quod attinet animalia venenum ejaculantia, perimentia, parumque utilia, naturæ monstra, hominibus perniciosa & timenda; Augustinus Manichæis respondit, Deum novisse causam & usum singulorum. Etiamsi nesciamus, cur serpentes, culices, ranas, mures condiderit Deus, tamen in suo omnia pulchra sunt genere. Aug. lib. 1. cap. 16. de gener. contra Manich. *Non enim*, inquit, *alicujus animalis corpus & membra considero, ubi non mensuras, numeros & ordinem inveniam ad unitatem concordia pertinere.* Perniciosis animalibus dicit nos jam vel puniri, vel exerceri. Eucherius. *Bona condita sunt; sed malè agentibus in flagellum data sunt. Denique cum omnia animalia sint vel utilia, vel perniciosa, vel superflua, usurpemus utilia, caveamus perniciosa, omittamus superflua. Laudemus potius Deum in humilitate formicæ, quam ut transeamus fluvium in alicujus jumenti altitudine.* consule Basil. hom. 9. Lactant. libr. 3. cap. 4.

His omnibus ita absolutis fecit Deus *hominem*. In quo creationis ordine elucet documentum sapientiæ, & amoris Dei erga hominem. Universum nunc omnino exornatum erat: in id nunc homo introducitur, ut palatium augustissimum, in quo omnibus creaturis ut princeps dominaretur.

Ad hominis creationem cum se accingeret Deus, usus est ἐγκελεύσει. נַעֲשֶׂה אָדָם *Faciamus hominem*. Scilicet consilio & voluntate unâ Trium, qui in cœlo testantur, homo,

omnium

omnium colophon creatus est. Ambrosius de dignitate hominis, cap. 1. *Tanta dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, ut non solo jubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio S. Trinitatis & opere majestatis divinæ creatus sit homo.* Orationem, quâ Deus usus, vocant Patres σκέψιν. Cyrillus προβουλία. Hebræi quidam נִמְלַךְ עִם לִבּוֹ *consuluit cum corde suo.* Sed non est deliberationis formula. Interrogando illa potius conciperetur, *Faciemusne?* Neque conveniebat illi loco deliberatio. Reliquis factis, etiam homo, caput operis, fieri debebat. *Sanctius his animal mentisque capacius altæ Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.* Sine homine non fuissent cætera appellanda *bona.* Cui enim essent *bona?* quæ soli homini poterant esse utilia, ut illi Deum & gloriam ejus, & divitias ejus, & abundantiam bonitatis ejus ad appetitum ejus rectum, legi æternæ & sapientiæ veræ consentientem, explendum testarentur.

Est igitur sermo κατασπεύδοντος, ut Basilius, & παρακαλοῦντος, sive ἐγκελεύοντος, *inhortantis, instigantis, excitantis*; institutus ad eam imprimis personam, *cui Pater ostendit omnia, quæ facit, ut is similiter ea faciat.* Joh. 5: 19. & ad Spiritum utriusque. Cum נַעֲשֶׂה confer Gen. 3: 22. 11: 7. Es. 6: 8. 54: 5. Ezech. 21: 15, vel 10. Hos. 12: 5. Obad. 1. Zach. 6: 13. Dan. 4: 14.

Faciamus hominem. Paræus. Ergo cum consilio ad creationem hominis accedit. Ita commendatur hominis præstantia supra alias creaturas, quia de eo solo dignatus est Deus quasi peculiarem suscipere deliberationem, tanquam de opere præclarissimo.

Faciamus. Significantur plures. Imago *nostra* non notat imaginem unius, sed plurium. Unus ergo Deus pluralitatem in se habet; non utique essentiæ, sed personarum.

Plato finxit, δημιουργὸν suum in πρωτοκλισίᾳ (de qua in *Timæo*) compellasse suos genios, & eos suæ mortalitatis commonefecisse; immortalitatem verò promisisse, si obedierint, eisque mandasse, ut ad corpora hominum creanda se accingant. Voluisse autem à geniis condi animalia & homines, quo essent *mortales.* ἵνα σύνθνητά τε ᾖ; τό τε πᾶν ὄντως ἅπαν ᾖ, *ut mortalia sint & universum sit omninò absolutum,* τρέπεσθε κατὰ φύσιν ὑμεῖς ἐπὶ τὴν τῶν ζώων δημιουργίαν, *convertite vos, è naturæ legibus, ad animalium procreationem,* μιμούμενοι τὴν ἐμὴν δύναμιν περὶ τὴν ὑμῶν γένεσιν. Si ab immortali conditæ essent creaturæ, putabat, omnes ipsas immortales futuras.

Philo Judæus finxit, Deum assumsisse alios cooperatores, ut cum hominis actiones partim sint *bonæ*, partim *malæ*, illæ Deo, hæ diis adjutoribus tribuantur. Id quod cum delirio Manichæorum convenit de *Deo bono & malo.*

Judæorum alii נַעֲשֶׂה *faciamus* convertunt in passivum נַעֲשָׂה *factus est.* Ut Eccles. 9: 3. כֹּל אֲשֶׁר נַעֲשָׂה תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ. Sed ipsi LXX. legerunt ποιήσωμεν *faciamus.*

Alii fingunt, Deum loqui cum Angelis vel Elementis, vel cum brutis animantibus.

Alii, Deum pluraliter de se loqui, honoris causâ, ut solet in aulis. At quid Deo cum aula? Imo nec in sacra historia ullum exstat exemplum, Regem ullum de se pluraliter hoc modo locutum esse.

Enjedinus culpat nos, nos ita efficere, ut *multiplex Numen*, & *multi* creatores fecerint hominem. Objicit. Futile est dicere: Hic dicuntur multi; Ergo sunt *tres*: possunt esse plures. Tandem cum Judæis ad *Angelos* confugit. *Qui*, inquit, *potuerunt Deo de condendo homine consultanti assistere, & coram illis potuit Deus hæc protulisse.* Sed benè August. libr. 16. cap. 6. de Civitate Dei. *Quia sequitur*, ad imaginem nostram, *nefas est credere, ad imagines Angelorum hominem factum, aut eandem esse imaginem Dei & Angelorum. Et ideò rectè intelligitur pluralitas Trinitatis. Quæ tamen Trinitas, quia unus est*

 Deus,

Deus, etiam cum dixisset, Faciamus, & Fecit, inquit, Deus hominem ad imaginem Dei; non verò dixit, Fecerunt Dii ad imaginem Deorum.

Faciamus hominem. Qualem verò? *In imagine nostra, secundùm similitudinem nostram*, hoc est, talem, qui naturâ, conditione, ingenio, actibus, Deo sit simillimus. *In imagine* quasi in forma, conditione, & statu Dei.

Cur non dixit Deus, *Faciamus imaginem*, sed, *in imagine*, vel *ad imaginem?* Augustinus libr. 7. cap. 6. de Trinitate. *Quia non omninò aqualis fiebat illa imago Dei, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata, hujus rei significanda causa, ita imago est, ut ad imaginem sit, id est, non equatur parilitate, sed accedit quadam similitudine.*

Imago & *similitudo* Dei ab aliis habentur pro synonimis. *Basilius* blasphemiam ait, dicere, in Scriptura otiosum verbum esse. Ipse refert *imaginem* ad animam rationalem; *Similitudinem*, ad actiones Deo conformes. Ad imaginem, inquit, hominem creatum esse actu; ad similitudinem tantùm potentia. Imaginem illum habuisse natura; similitudinem, voluntate sua. *Homini*, inquit, *reliquit, ut secundùm similitudinem Dei fiat.*

Alii *imaginem* ad naturam hominis; *similitudinem* ad dona gratuita referunt. Eucherius. *Imago est omnium: similitudo paucorum.*

Ambrosius, Damascenus per εἰκόνα Christum intelligunt, qui est εἰκὼν τοῦ θεοῦ. 2 Cor. 4: vers. 4. Col. 1: 15. Sed *hac imago*, hoc est, *homo, cum dicitur fieri ad imaginem, non quasi ad Filium dicitur fieri: alioqui non diceret, ad imaginem nostram.* Ita Lombardus ex Augustino.

Alii: *Imago* in cognitione veritatis. *Similitudo* in essentia; quia homo immortalis & indivisibilis est.

Imago & *similitudo* ratione ejusdem dicuntur. Augustinus de Gen. ad literam, op. imp. cap. 15. *Omnis imago similis est ei, cujus est imago; nec tamen omne, quod simile est alicui, etiam imago est ejus. Sicut in speculo vel pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt; tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest. Imago enim tunc est, quum de alio exprimitur.* Ergò *imago* est quasi forma rei in aliud subjectum traducta. In *imagine* similitudo continetur. Quum additur *imagini similitudo*, intelligetur *imago similis*, probè conveniens, ἀρχέτυπον suum repræsentans. Paræus. *In imagine nostra quam simillimâ.*

Imago & similitudo nonnunquam junctim inveniuntur; ut hic. Postea *similitudo* sub *imagine* comprehenditur, Genes. cap. 1: vers. 27. & sub *similitudine imago.* Genes. 5. 1.

Imago Dei eluxit potissimum in primi hominis 1. *naturâ*. Donatus fuit animâ spirituali, immortali. 2. *rectitudine.* In mente fulgebat lux notitiæ, naturæ, voluntatis, & operum Dei. In voluntate, appetitionibus, motibus, erat conformitas & harmonia cum Deo. 3. *statu.* Dominium habebat in omnia. Spiritualibus & externis affluebat bonis, animo & corpore erat beatus: immortalis futurus, nisi peccasset.

Hanc Dei imaginem fuisse in primo homine apparet

1. Ex *imaginis* natura. Imago alicujus est, quod aliquid repræsentat. Imago Cæsaris repræsentat Cæsarem. Homo repræsentat Deum, quatenus constat animâ 1. spirituali. 2. immortali. 3. intelligente. 4. libere volente. Tum quatenus erat perfectè bonus, purus, castus, justus, beatus, dominium tenens. Ut verò imago archetypo assimilatur tantum, non æquatur; sic homo mansit immensum Deo inferior.

2. Ex

2. Ex *statu* primi hominis. Erat sapientissimus; occculta noverat; futura præsagiebat; indebat nomina animalibus; Hevam è se formatam agnoscebat; de conjugum amore prophetabat; erat purus & castus; non pudebat eum nuditatis; erat absque cura, molestia, defectu, morte; dominus quasi universi orbis.

3. Ex *reparatione* per Christum. In nobis gratiâ Christi justificatis reparatur agnitio, justitia, gloria, sanctitas. 1 Cor. 1: 30. 2 Cor. 3: 18. Restituitur jus in creaturas, imò & in angelos, 1 Cor. 3:22. 1 Cor. 6: 2. Quod verò Christi gratia in nobis reparatur, id fuit illa imago Dei in primo homine. confer Ephes. 4: 24. *Novus homo secundùm Deum creatus in justitia & sanctitate veritatis.* Col. 3: 10. *τὸ ἀνακαινούμενον εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν.*

Sed agamus distinctius.

Imago Dei est illa *similitudo* Dei, qua homo ita conveniebat & congruebat cum Deo, ut, eo inspecto, Deum exemplar ipsius esse, statim appareret.

Ea non est ponenda

1. *Ἐν τῷ εἶναι, in eo, quod homo est.* Nam est & lapis.

2. In parte hominis terrena, quâ bestiis similis est. Isid. Pelus. 3: 95. *κρεῖττον ποιοῦσιν οἱ τῷ κρείττονι τοῦ ἀνθρώπου τὸ κρεῖττον παραβάλλοντες. Melius faciunt, qui ei, quod optimum est in homine, quod optimum est, comparant.* Aug. *Ex eo, quod in homine principatum tenet, quod eum disjungit à belluis, totus homo est æstimandus. Cætera in eo, quanquam in suo genere pulchra sint, tamen cum pecoribus communia sunt, ac per hoc in homine parvi pendenda.* Corpus hominis non est imago Dei; quia Deus est רוח *πνεῦμα spiritus.* Tunc & *animalia* alia essent imago Dei, quæ præstantibus prædita sunt corporibus, quæ in multis nos anteeunt. *Nos aper auditu, præcellit aranea tactu, vultur odoratu, lynx visu, simia gustu.* Hoc unum habemus præ aliis. *Os homini sublime dedit, cœlosque tueri.* Τὸ θεῖον non est ὅμοιον χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ, ἢ χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου. Idque debemus νομίζειν, quia nos γένος ὑπάρχομεν τοῦ θεοῦ. Act. 17:29. Atqui si *Dei genus* essemus secundum *corpus*, jam id non possemus νομίζειν. *Corpus* nostrum compositum è carne, cute, ossibus, plurimisque partibus, mutabile, corruptibile, visibile, palpabile, nullo modo est ἡ εἰκὼν καὶ ὁμοίωσις θεοῦ.

Ergo imaginis Dei sedes est *pars* hominis *spiritualis.*

Sed illa 1. non ponenda est in *anima substantiâ.* Ambrosius in anima ponit imaginem Dei, propter diffusionem, cogitandi libertatem, maximè tamen ob cogitationem Dei. Epiphanius: anima sit quia habet ἀόρατος, ἐνεργητική, κινητική, διανοητική, λογιστική. Sed benè Isidorus. *οὐκ οὐσίας ἐστὶν εἰκὼν ὁ ἄνθρωπος, non essentiæ imago est homo.* nam non est *ὁμοούσιος, ejusdem essentiæ. ἀπέχει ὅσον εἰκὸς κτίσμα τοῦ κτίσαντος. distat, quantum fas est creaturam creatore,* subint. distare. Imago substantiæ Dei non potest esse nisi id, quod habet divinam essentiam; velut *Filius Dei.*

Substantia animæ, licet spiritualis, plus distat à similitudine essentiæ Dei, qui cœlum & terram replet, quem utrumque non capit, quam corpus ab anima.

In negativo conceptu incorporeitatis convenit Anima hominis, Angelus, & Deus; sed in essentiæ proprietate & vera ratione, quæ ἀνέφικτος est, non conveniunt. Etiamsi spiritus noster & corpus in substantiæ ratione differant, tamen in eo spiritus creatus convenit cum corpore, quod est natura non esse, & impotem esse, & utrumque, spiritus & corpus, immensum quantum distant ab eo Spiritu, qui natura est & potest omnia.

Animæ spiritualitas nil magis habet imaginis Dei, quàm quæ τῷ εἶναι cum Deo conveniunt.

niunt. Spiritualitas animæ & Dei haut magis conveniunt, quàm essentia animæ & corporis.

Immortalitas animæ non magis est imago Dei, quàm duratio cœli & terræ.

Invisibilitas aut spiritualitas dæmonum haut facit imaginem Dei.

Judæi dicunt animam imaginem, quia 1. implet corpus, ut Deus mundum. 2. non edit. 3. sustentat corpus. 4. unica est in corpore; ut Deus in mundo. 5. munda est in corpore. Si munditiem intelligunt *moralem*, aliquid ad rem dicunt. 6. videt & non videtur. 7. non dormit. 8. nemo novit locum ejus. Pleraque hæc sunt & in bestiis. Malè Persius animam vocat *divinæ particulam auræ*.

2. Nec *in animæ facultatibus*. Augustinus propter has facultates animam vult esse Dei imaginem. de Trin. 14: 8. *Eo quippe imago ejus est, quo ejus capax est, ejusque particeps esse potest*. Ponit eam in illo, quod mens *meminit sui, intelligit se, diligit se*: in quibus tribus putat Trinitatem repræsentari: quum tamen *meminisse* nihil sit, nisi intellectum retinere.

Τὸ κριτικὸν, τὸ δημιουργικὸν, τὸ ἀπεργαστικὸν τῶν ἐννοιῶν Theodoretus ponit partem similitudinis Dei. Etiam Ambrosius. Sed & aves nidulantur. Quid tenuius vagâ cogitatione? est & illa in dæmonibus. Τὸ κριτικὸν *judicandi vis* potius præsupponit imaginem, quàm est imago.

Hæ *facultates* consistunt in *intelligendo* & *volendo*. Non autem certè efficiunt illæ imaginem Dei, quam Scriptura designat. Stulta cogitatio, mala voluntas Deo est dissimillima. Talis est in Dæmonibus, & in hominibus φύσει. Nulla cognitio, quæ citra veram prudentiam est, facit, ut homo sit melior pecude.

Creatura, quanquam spiritualis & intellectualis, si non in Deo & ad Deum est, *vitam informem* habet. Aversio ejus à sapientia incommutabili, *informitas* ejus est. Et in tali haut imago Dei.

Et quamvis hæc omnia, ut & cognitio ipsa in se & appetitus, vestigium sint divinæ bonitatis & potentiæ; tamen non sunt illa Scripturis laudata *imago* & *similitudo* Dei; umbra ejus tantum.

Spiritum esse, in Deum & hominem convenit notione negatæ materiæ.

Vivere, intelligere, velle, posse, non nisi tenuissima adumbratione sunt Deo cum homine communia. Hominis *esse* est fluere, *vivere* est agi, *intelligere* est mutari, *velle* est ferri, *posse* est tolli & dependere.

3. Neque consistit in *imperio* seu *dominio*, quod habuit homo in animantes. Imaginis sequela est hoc imperium. In illo demonstratur Dei imago, si scilicet omnes res infra se habeat, & usum earum ad gloriam Dei referat. Præceptum abstinendi ab arbore docuit, sartam esse imaginem Dei, etiamsi omnibus fructibus & carnium esu interdicamur. In futura vita hoc *imperium* non erit, quia animantia nulla erunt, & tamen ibi *imago* plenissimè erit. Malè ergo Pelusiota, δείκνυται λαμπρῶς, τὸ κατ᾽ εἰκόνα ἐν τῷ ἀρχικῷ χαρακτηριζόμενον. *Clarè ostenditur, imaginem in principatu consistere.*

Ubi Scriptura de *imagine* & similitudine Dei loquitur, ipse vocabulorum sonus & expressio ita tinnit, ut iis significari omnia, quę de homine in eo statu, qui ipsum pulcherrimum & maximè decorum Dei opus sisteret, dici possunt, quæque supergrediuntur conditionem corporis, aut animæ solam ὕπαρξιν, aut cognitionem qualemcunque, facilè inde sit percipere. Ideò & in renovatione, qua homo fit nova creatura, postliminiò ad imaginem Dei conditus cum dicitur, summa omnis perfectionis dicitur.

Imago

Imago itaque Dei consistit in *rectitudine*. Eccl. 7:29. *Tantum, vide, hoc inveni, quod* עָשָׂה *fecit Deus hominem* יָשָׁר *rectum*. Ita pro *imagine* Dei, ad quam factus est homo, *rectitudinem* dicit. *Rectitudo*, à qua homo *imago Dei* dicitur, est conformitas cum Deo moralis in omnibus hominis partibus. in anima, ut τῷ ἡγεμονικῷ; in corpore, ut σκεύει. Hinc præceptum, eam restitudinem præscribens, jubet *diligere ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus*, Deut. 4:29. 6:5. Τὸ ὁλόκληρον hominis, quod sanctificandum est, dicitur τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα. 1 Thess. 5:23. In *anima* hominis, id, quo judicat, voce *cordis* ac *spiritus*; id, quo appetit, voce *animæ* indigitatur. confer Hebr. 4:12. *Anima* etiam vocatur νοῦς *mens*, Rom. 7:23. 25. In mente est intellectus & voluntas.

Rectitudo intellectus est *sapientia* seu cognitio veritatis. *Voluntatis* est sanctitas & amor veritatis, & Dei ac proximi cæterarumque rerum prosequutio ad gloriam Dei, secundùm legem veritatis. *Sapientiæ* vocabulo solet ab Augustino hæc *rectitudo* indicari. Ii enim *Sapientes* dicendi, qui *regno mentis omnis libidinis subjugatione pacati sunt: quibus inest, quanta inesse homini potest ipsius hominis Deique firmissimè percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresque congruentes*. Ita Augustinus.

Apostolus prædicat τὴν ὁσιότητα τῆς ἀληθείας. Ephes. 4: vers. 24. in qua dicit *condi* τὸν κατὰ θεὸν κτισθέντα. Τῇ ὁσιότητι opponit statim Paulus τὸ ψεῦδος, vers. 25. διὸ ἀποθέμενοι τὸ ψεῦδος, λαλεῖτε ἀλήθειαν. Ergo ὁσιότης τῆς ἀληθείας non opponitur tantùm τῇ ὑποκρίσει *simulationi*, aut τῇ τυπικῇ καθαρότητι *umbratili puritati*; sed omni falso & mendacio. Τὸ ὅσιον explicatur à Chrysostomo τὸ ὀφειλόμενον *debitum*. Hebr. 7:26. junguntur ὅσιος, ἄκακος *sine vitio*. Ergo plus est, quàm carere vitio. Dicitur pro חָסִיד. Id significat studiosum in bono & ad bonum: dicitur verò de Deo per liberalitatem; de homine ex debito. Plato τὸ ὅσιον explicat per τὸ θεοφιλὲς, *quod Deo gratum & acceptum est*. Unde patet, ὅσιον esse hominem, qui studium habet placendi Deo.

Quid igitur demum est ὁσιότης ἀληθείας, *sanctitas veritatis*? Resp. Sanctum studium veritatis; voluntas veritatem amplectens & prosequens; studium pium circa veritatem. *Sanctitas veritatis* est bona voluntas, sive amor veritatis, & amor ejus, quod veritas docet amandum esse; & actio ei amori congrua. Aug. lib. 14. de Civit. Dei, cap. 11. *Fecit Deus hominem rectum, ac per hoc bonæ voluntatis. Non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem.*

In his verè est imago Dei.

Intellectus, qui judicat hoc verum, quod apud Deum verum est, sapiens & Deo similis est.

Voluntas, quæ eam veritatem amat, amore imperturbato, & eo amore membra gubernat, sancta & Deo similis est.

Hæc *similitudo* est positiva & revera conveniens. Est enim ejusdem veritatis cognitio & amor cum Deo communis, per quam homo est lux, ut Deus est lux. Non, quod homo sic norit vel amet, ut Deus, quia non est Deus, sed imago tantùm Dei, sed quod id ipsum norit ametque, quod Deus, quod est Deus, & quæ sunt Dei, quatenus Dei sunt.

Homo in hâc conditus ὁσιότητι τῆς ἀληθείας *cognitione* & *amore veritatis* omnem novit veritatem, & quæ superat naturam, & quæ non illam superat.

Videtur scivisse τὴν Τριάδα. Epiphanius in Panario, pag. 9. οὐκ εἰδωλολάτρης ἦν Ἀδάμ. καὶ ᾔδει πατέρα θεὸν καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα. προφήτης γὰρ ἦν. καὶ ᾔδει, ὅτι ὁ πατὴρ εἶπε τῷ υἱῷ: ποιήσωμεν ἄνθρωπον. Sine dubio Deus *homini* primo revelavit ordinem creationis, quo

in Verbo fecit cœlos, & *Spiritus incubuit super aquis*. Indubiè cognovit suum Creatorem. Atqui ille est Deus Triunus. Ad *imaginem* Dei erat factus. Atqui *imago* suum ἀρχέτυπον debuit nosse. Si non novisset Deum Triunum, jam Deum non novisset. Si statuisset, Deum esse tantùm *unum*, jam non rectè statuisset de Deo; imò abnegasset Deum. Si Deum tantùm *unum* coluisset, jam non verum Deum coluisset. Pater colitur in Filio; Filius colitur in Patre. Sique est in rebus creatis, ut putant, vestigium Trinitatis, quidni id Adam cognoverit? In horto erat *Arbor vitæ*; typus τοῦ λόγου, ἐν ᾧ ἡ ζωή: & hunc Adam non cognoverit? Post lapsum hoc mysterium expressè fuit Adamo Patribusque notificatum. Promissio prima id innuit; & id ei fundus est.

Cognovit etiam *legem*, imò *totam legem*, & judicium rettributionis & iræ. Si nobis lapsis *opus legis scriptum in cordibus* exstat Rom. 2: 15. utique primo homini multo magis. Si *gentes* miseræ *naturaliter ea, quæ sunt legis, faciant*, quidni multo magis Adam? legemque *ille non habens*, scriptam nimirum, *sibi ipsi fuit lex*. Rom. 2: 14. Audivit Adam: *Quo die comedes, morieris*. Hæc legis est comminatio. utique ergo nec ipsum latuit legis promissio; nec ipsum fugit legis ἐπαγγελία *preceptum* seu stipulatio. Lex amorem Dei præcipit: quomodo huic *Recto* & *Integro* hæc lex potuit ignota esse? Plenus fuit amoris Dei; & nescius fuerit legis & præcepti amoris? Per quam legem condemnatus est, quia lapsus est, per quam legem justificatus fuisset, si non lapsus fuisset, illam omninò legem scivit & cognitam habuit. Si hanc legem non novisset, nec Deum novisset, nec ullam veritatem intellexisset.

Cognovit etiam res *naturales*; naturas *brutorum*, quibus nomina indidit; *plantarum*, in quarum medio habitavit; *arborum*, à quarum fructibus comedere ipsi datum fuit.

Intellexit rationem conjugii; cujus instituti occasione vaticinium edidit, cujus veritas rata est, quamdiu mundus est; imò cujus multo insignius implementum in Christo est.

Sine hac *rectitudine* homo condi non potuit. nim. ut naturaliter in eo sit appetitus repugnans legi æternæ; & vera sapientia & sanctitas in eo non sit; quem *statum puræ naturæ* vocant Jesuitæ.

Imago hæc Dei *naturalis* fuit. Non quod fluat ex ipsa essentia, & ejus partibus ac facultatibus; neque tantùm, quod eas ornet & perficiat; sed imprimis, quia sine illa homo bonus & dignum Deo opificium non fuisset. Indecorum fuisset Deo, hominem non rectum facere. Si homo factus fuisset nec gnarus veritatis, nec illius studiosus, non se glorificasset Deus in illius creatione. Non novisset, non quæsivisset, non pro deliciis suis habuisset Deum. Non fecisset eum Deus ad se ut finem: quum tamen ea esset animæ natura, ut divinam veritatem intelligere, amare, & sic ad Deum ut finem esse posset. Ita se abnegasset Deus finem creaturæ; nec conditor bonus esset; nec opus ejus bonum, non narrans gloriam Dei, sed abnegans. Quumque homo sine amore esse non possit, omnis amor, præterquam Dei, ipsi fuisset naturalis, & quia naturalis, bonus. Quod enim secundùm naturam est, nec vitium est, nec vituperari debet. Omne vitium est vitium ideo, quia contra naturam est. Igitur Deum amare & quærere non fuisset rectitudo, quia naturale fuisset, Deum nescire, nec amare. Ita bonum fuisset, quod est vitium, & vitium, quod est laus. Cæterum omne vitium contra naturam bonam est.

Imago seu similitudo Dei igitur in iis rebus solis & omnibus eluxit, quæ hominem supra reliqua animantia evehebant, & secundùm nostrum intelligendi & loquendi modum for-

formaliter de Deo prædicantur. Hæc licet partim in ipsâ hominis naturâ ejusque gloriâ fulserint, præcipuè tamen in ipsius facultatum perfectione.

In ipsâ hominis naturâ. Potis erat verum, omnis ordinis, intelligere, bonum velle, mentem suam & voluntatem dicendo exprimere, & secundùm liberum utriusque decretum varia opera ad Dei quasi exemplum moliri. Omnes entium creatorum gradus in sese quasi continebat, esse, vivere, sentire, moveri, intelligere, veluti quædam totius mundi Epitome, quem universum mente & voluntate transcendere, ac in sese quodammodo includere poterat; nullis locorum spatiis, nec temporum differentiis, nec rerum generibus inclusus, Dei immensi, æterni, infiniti, umbram quandam referens.

In *natura* Adami *gloriâ* & majestate. Illâ ab Angelis differebat; & in eo cernebatur, quod cum ipse in nullius creaturæ gratiam factus, nec ullius imperio subjectus esset, omnes creaturæ visibiles in ipsius gratiam factæ, & omnia animalia dominio ejus subjecta fuerunt. Eva propter Adamum facta aliquantulum quasi recessit à Dei imagine. Fuit dignitate & auctoritate inferior Viro, qui dicitur *imago & gloria Dei*: cum illa sit *gloria Viri*. 1 Cor. 11:7.

Imaginis hujus *fundamentum* est anima rationalis. In imagine fundatur *fœdus operum*: Item, quod Deus in homine cognoscitur: Item, quod solus Deus hominis Dominus & Judex.

Præcipua tamen pars imaginis Dei posita fuit *in perfectione facultatum* Adami. Non loquimur nunc de facultatibus *physicis*, sed *moralibus*.

Hæc perfectio in integritate cujusque facultatis, rectitudine, & omnium inter se *ἀταξία* consistebat. In cognoscente facultate nullus erat error, nulla ignoratio. In appetente nihil erat vitiosum, immoderatum, inordinatum, turpe. Prodibat e manibus Dei homo integer, rectus, perfectus, purus, valdè bonus.

Hæc *imago* seu *rectitudo* à Theologis vocatur *justitia originalis*. Benè annumeratur donis naturalibus: congruebat enim cum lege naturæ, imò & cum natura. Sua cuique facultati naturali perfectio naturalis correspondere debet. Nulla est facultatum moralium, quæ ita naturales sunt homini, perfectio naturalis, si hæc *rectitudo* sive justitia originalis non est.

Pontificii *donum supernaturale* illam vocant. Sed impium inde videtur dogma sequi.

1. Si justitia Adamo fuit supernaturalis, naturalis ei fuit vacuitas justitiæ, & omnia quæ adsunt, ubi justitia abest, ignorantia, inclinatio ad vitia, partium animæ inter se & cum Deo pugna. quæ Bellarminus *morbos* & *languores* appellat. Hæc si homini ante lapsum naturalia fuerunt, jam adscribi debent Deo, naturæ Auctori. Non convenit simile *fabri ferrarii*. Ille rubiginis auctor non est, quam factus ab ipso gladius contrahit: rubigo enim ferri sequitur materiam, quam haud fecit faber; nec tamen prodeunti è fabri manibus gladio rubigo inesse potest, citra fabri culpam.

2. Sine dono supernaturali creari potuit Adamus *in puris naturalibus*; potuit creari non justus, non rectus, non bonus, hoc est, peccator. Justitiæ enim originalis vacuitas non potuit in homine peccato vacare. Id liquet. (*a.*) Justum & injustum, rectum & obliquum, bonum & malum immediatè opponuntur: alterum igitur à subjecto capaci abesse non potest, quin alterum insit. (*b.*) Justitia originalis sita fuit vel in conformitate cum lege, vel non. Si ita; qui potest illius absentia non peccatum esse? Si non; cur *justitia* dicitur? (*c.*) Homo creatus in puris naturalibus vel fuisset congruus legi, adeoque *justus*; vel incongruus, adeoque *injustus*; vel amasset Deum, atque ita fuisset justus; vel non amasset, ac proinde peccasset. Non potest esse homo, qui non teneatur amare creatorem suum, exlex à debito amandi. (*d.*) Vacuitas justitiæ originalis malum quoddam est, *privatio* scilicet summi boni. Num verò *pœna*,

 aut

aut *culpa*? Si *pœna*; cujus peccati? Si *culpa*; cujus personæ? (*e.*) Si illa vacuitas peccatum est in nobis, cur non etiam in Adamo? Non, quia per peccatum contracta est, ideo in nobis peccatum est. Multa lapsu Adami amisimus, quorum privationes in nobis peccata non sunt. (*f.*) An præceps ad vitia inclinatio non est peccatum? Annon pugnat cum lege Dei? Annon multorum per se causa est malorum? Hanc natura, si à primo sui conditu habuit, unde accepit? Non potuit Deus creare naturam cum morbis & languoribus, pertinentibus ad mores. Non potest animi morbus secundùm naturam esse, quia eam labefactat. Sanitas est contra naturam, si morbus est secundùm illam. (*g.*) Donum istud supernaturale quò pertinuit denique? An ut pars animæ inferior parti superiori, superior Deo subjecta contineretur? Non peccasset igitur Adamus, præsente hoc dono. An ut posset contineri, si Adamus vellet? Non peccasset igitur Adamus, absente hoc dono. Nisi hoc donum Deus homini indulsisset, nullus peccato locus, nullus legi fuisset.

Iustitia originalis erat *gratia*, hoc est, donum gratuitum; ab illo datum, à quo natura creata. At *gratia* non erat, ut *gratia* opponitur *natura*, & favoris Dei effecta significat, quo peccatores prosequitur in Christo, quò nondum Adamus utebatur apud Patrem mediatore. Neque ut reconciliaretur Deo. necdum enim peccaverat. Nec ut præservaretur à peccato. in peccatum enim lapsus est. Neque ut posset perseverare, si vellet. nam nec invitus cogi potuit ad peccandum; & in ipsa voluntatis constantia sita est perseverantia.

Quum justitia hæc *naturalis* vocatur, non id *docemur*, 1. quod naturæ humanæ sit pars essentialis. Nec 2. quod ex ejus principiis necessariò fluat, ut propria essentialia. Non ita fuit naturalis, ut facultas intelligendi & volendi est. Sine hâc homo non potest esse homo: eâ sublatâ, & amissâ homo non desiit esse homo. Sed quòd fuerit *conditio moralis* rationali naturæ debita; ad juste operandum ei concreata.

Pontificii propterea negant justitiam illam primo homini fuisse naturalem, ut porrò negent, hominis naturam per lapsum esse corruptam; quia non nisi *supernaturale* ei ademtum fuerit donum, relictis omnibus naturalibus. Pelagiani, hominis lapsi naturam, ante peccata actualia, statuunt integram esse & illæsam.

Argumenta Pontificiorum.

1. Homo naturâ pulvis est: supra naturam verò pulveris est rectitudo originalis.

2. Per justitiam originalem caruit Adamus naturali pugnâ carnis & spiritus. Ergò donum ei fuit supernaturale.

3. Peccatis aliis actualibus tantùm amittitur bonum gratiæ supernaturalis. Ergò Adami peccato actuali fuit amissum bonum supernaturale.

Resp. 1. Per peccata quædam actualia etiam bona moralia & naturalia amittuntur: per ebriositatem sanitas, memoria; per multa alia scelera, famæ integritas. Fallit thesis: *Nihil naturale amitti posse.* Sanitas corporis, usus oculorum & aurium amitti possunt, quæ maxime naturalia sunt.

2. Dispar est ratio bonorum hominis spiritualium in statu innocentiæ & peccati. Quod ibi fuit naturale, hic est supernaturale.

4. Per quod Adam fuit filius Dei, id ipsi fuit supernaturale. Si per aliquid naturale fuisset, jam naturalis Dei filius esset. Unus verò is tantum est, nempe Christus.

Ex *justitia originali*, Adamo naturali, oriebatur in illo 1. *pax* & animi tranquillitas, bonæ conscientiæ comes individua. 2. *libertas*.

Hæc non est collocanda 1. in *æquali propensione* voluntatis ad malum & bonum. Illa enim

pugnat 1. cum ipsa voluntatis naturâ, quæ ita à malo abhorret, ut id, nisi speciem boni simulet, appetere nequeat. 2. cum statu creationis. Voluntas creata fuit valdè bona; Valdè bonus autem non est, qui ad vitium æquè ac virtutem inclinat. *Bonum* hoc est, Deum amare. Potuitne Adamus æquè ad non amandum, quàm ad amandum Deum propendere, sine gravi scelere? aut ejusmodi æquilibrium legi, quæ totum hominem exigit, convenire? 3. Ista tam ad malum, quàm ad bonum propensio pugnat cum imagine Dei, sita in justitia & sanctitate; & imperfectio est, nomine libertatis tam præclaro, tam optabili, prorsus indigna.

Nec 2. in *independentia* voluntatis ab intellectu practico. Ita enim voluntas in appetitum transmutatur irrationalem; & Dei imago in ipsa hominis natura fulgens labefactatur.

Sed illa libertas demum intelligenda est, quæ *servituti peccati* opponitur. Immunis ab omni vitio interno Adamus facultate gaudebat vivendi, ut vellet, tanquam terrenus quidam Deus; quâ caret omnis improbus.

Ad perfectionem facultatum *moralium* accedebat perfectio facultatum *physicarum*: vis ingenii & memoriæ; forma omnis expers labis; vita immunis à necessitate mortis; nullo parta labore omnium bonorum externorum perpetua copia.

Imago Dei in his facultatibus Adami sita pro illo statu & tempore perfecta erat. Abfuit tamen ab excellentia imaginis illius, ad quam in secundo Adamo recreamur. Hæc nullius creaturæ vi deleri, nullo unquam tempore amitti potest. Et licet in rei substantia non alia fuit in Adamo imago Dei, quàm in nobis, tamen in nobis nondum quidem est, sed erit in majori plenitudine & gloriâ. Quinimò si & ἡ δικαιοσύνη *jus vitam petendi* ad imaginem pertinet, ut certè ex Eph. 4: 24. ad imaginem Dei in novo homine pertinere constat, certè primus homo eam non est assecutus; neque adeo in ea plenitudine imagine Dei gavisus est, quâ nos gaudemus & gaudebimus.

Idem Adamus *filius Dei* fuit, ob creationis, imaginis Dei, & dominii in creaturas beneficia. Nos tamen nunc pleniori sensu *filii Dei vivi* dicimur. Joh. 1: 12. Rom. 8. 14. 15. 16. 17. Gal. 4: 5. 6. 7.

Sociniani negant, hominem ante lapsum habuisse justitiam aliquam originalem; negant fuisse justum, sanctum, sapientem; internæ tamen rebellionis expertem fuisse affirmant.

Volunt, imaginem Dei, ad quam conditus est Adamus, aliam esse, aliam, ad quam per Christum renascimur. Socinus ad defens. Puccii, cap. 2. pag. 89.-90. docet, *Imaginem Dei in primâ creatione esse imperium omnium rerum conspicuarum, includens rationem & mentem. In secunda creatione, devictis hostibus, vitam & regnum æternum; quæ similitudo antecedentem habeat aliam cum Deo similitudinem, justitiam scilicet & sanctitatem.* Idem Prælectionum cap. 3. rogat, *Ecquid justitia originalis nomine intelligamus? An eam conditionem, ut non posset peccare? qualem nunc habent Angeli, Adamus verò non habuit. Neque enim peccasset, nisi prius peccare potuisset. An ipsum non peccare, antequam peccasset?* id quod *ridiculum & ineptum* dicit. *Quis enim nescit, neminem peccare, antequam peccet? An, quod ante delictum ex vetita arbore comedendi, nullum aliud peccatum antea commisit? Verum*, inquit, *ista justitia originalis, non actualis fuisset.*

Concludit, *Adamum, etiam ante id delictum, revera justum non fuisse. 1. Quia non erat impeccabilis. 2. Quia nullam peccandi occasionem habuit.* Nam putat, *ante*

Præceptum de non comedenda arbore, nullum aliud Dei mandatum habuisse. Si nullum habuit, neque etiam ullum transgredi poterat. Quomodo igitur justus censendus est, quia id non fecerit, quod etiamsi maximè voluisset, vel alioqui facturus fuisset, tamen facere non poterat? 3. *Quia nullo modo constat, eum ullâ ratione a peccando abstinuisse.*

Qui dicunt, *originalem* Adami *justitiam in eo fuisse*, quòd haberet *rationem appetitui ac sensibus dominantem, nec ullum inter ipsam & illos esset dissidium:* ille respondet, *ex eo, quod Adamus deliquit, apparere, appetitum ac sensus rationi dominatos fuisse, nec benè inter hanc & illos antea convenisse.*

Objicit. *Si in eo divina imago & similitudo in homine fuisset, quòd justus creatus esset, certè post peccatum illa in homine deleta fuisset.* Atqui contrarium apparet è Gen. 9:6. Jacob. 3: 9. *ubi etiam post peccatum homo ad imaginem & similitudinem Dei factus esse* dicitur. Resp. In his locis commemoratur creationis finis; nempe, ut omnes nascerentur ad imaginem Dei. Mal. 2: 15. *Quærebat semen Dei.* Dein potest & ad imaginem dici factus, in quo supersunt reliquiæ imaginis.

Dicit, si *Deus justus* est *& bonus*, homo, imago ejus, necessariò *similiter bonus & justus fuit initio.* Respondet: *Divinam imaginem in homine non ad omnia referri, quæ in Deo sunt. Nam ita immortalis fuisset homo ab initio.* id quod negat. *& impeccabilis creatus fuisset, quia Deus eatenus bonus & justus est, quatenus malus & injustus esse non potest.* qualis tamen homo creatus non est.

Pergit. *Dei imago & similitudo, ad quam conditus est homo, ne in ipsa quidem mente ac ratione, unde omnis justitia in illum derivari poterat, præcipuè consistit, sed in dominatu rerum omnium, sex diebus creatarum. Nil enim*, inquit, *præstantius in Deo est, quam cunctarum rerum dominatus & imperium.*

Fatetur tamen, hanc imaginem *in terris hic haberi non posse, nisi alia imago præcedat, id est, mens & ratio, ejusque usus; quo si hominem spolies, tantùm aberit, ut ceteris rebus imperet, ut ipse omnium sit servus.*

Justitia, inquit, *non est perfectio hominis naturalis, sed voluntaria. Quare non potuit eam homo in creatione nancisci. Sed si libero arbitrio, quo præditus erat, rectè usus fuisset, eam adeptus esset.*

In eo, dicit, *naturalis perfectio hominis est, ut omni labe ac vitio careat; hæcque fuit in primo homine, qui integer & incorruptus creatus est: sed libera tamen, ad malum non minus, quam bonum, voluntate.*

Supra citavimus illius dictum, *Adamum nullam habuisse peccandi occasionem.* Id ita confirmat. *Injustè agendi nulla, quod sciamus, illi occasio præbita fuit, præter illam, quam non omisit, & sic divinum mandatum transgressus est.*

Ad Eccl. 7. vers. ult. *Fecit hominem* יָשָׁר, dicit, *Rectus fuit à Deo homo creatus, quia nihil pravi ab initio in homine fuit. Sed is unà cum posteritate sua pravitatem propriâ voluntate accersivit, ac sibi comparavit.* Resp. Vox יָשָׁר *rectus*, ὀρθὸς, εὐθὺς, εὐάρεστος, non notat talem innocentiam, sive vacuitatem culpæ, sed vox נָקִי ἀθῷος. Hactenus Socinus.

Imaginis Dei sedes & *fundamentum* Anima rationalis est, ut supra. Nam justitia & sanctitas, & sapientia animæ dotes sunt; licet & in corpore, seu in recto membrorum motu, eluceant.

Non tacuit Moses animæ creationem, dum dixit, *hominem factum ad Dei similitudi-*

litudinem. Videamus 1. de Animæ immortalitate. 2. de ejus origine.

Animæ immortalitatem etiam *Aristoteles* statuit. Dicit enim lib. 3. cap. 5. de Anima. νοῦν εἶναι ἐνέργειαν χωριστὸν, καὶ ἀμιγῆ, καὶ ἀπαθῆ τῇ οὐσίᾳ, καὶ ἀΐδιον, καὶ ἄφθαρτον, id est, *mentem esse actum separabilem, mixtionis & passionis expertem substantiâ, & æternam,* hoc est, immortalem, *& incorruptibilem.*

Hanc negavit *Epicurus* in ep. ad Menippum, quæ est apud Laërt. lib. 10. *Mors nihil ad nos, sive viventes, sive mortuos. Quoniam, cum nos sumus, mors non adest: cum verò mors adest, nos non sumus.* Ita dixit de toto homine. Etiam ante eum *Democritus* & *Dicaarchus,* de quibus Lactantius lib. 7. cap. 8. *Hi soli mortalium, quod est evidens, negarunt.* Etiam *Sadducai,* & omnes Athei. Act. 23 :8.

Eam tamen natura clarâ voce testatur.

1. Non potuit inter tot gentes, tot sæculis, tam medullitus, tam inimica vitiis & cupiditatibus de immortalitate animorum persuasio manare, nisi ab ipso humani generis fonte.

2. *Religio* eam præstruit, cujus contemtores haud rarò feliciùs agunt in hoc sæculo, quàm cultores.

3. *Providentia* eam confirmat, quæ præmia bonorum & pœnas malorum post mortem differt.

4. Hoc dogmate sublato frustra esset genus humanum. Nemo enim finem suum, seu summum bonum in hac vita assequitur. Nihil esset nisi nomen inane, secumque pugnans, virtus ipsa. Quorsum tam difficile adversus nosmet ipsos bellum suscipiamus, ut id acquiramus, quod veluti scopum tela calamitatum petant, mors autem prorsus aboleat? aut quis mori malit, quàm flagitium admittere, si mors est virtutis æterna destructio?

5. Animæ *natura* idem docet. Est natura simplex, incorporea, separabilis, per se subsistens.

6. Ipsæ animæ facultates, *intellectus* & *voluntas*, huic veritati suffragari videntur. 1. Propriis carent organis. 2. Supra suas operationes reflectuntur. 3. Corpore penè mortuo nonnunquam se vivere & valere ostendunt. 4. Innato quodam rerum post mortem futurarum studio tenentur. 5. Habent pro objecto id, quod omnium rerum materialium videtur minimè materiale, nimirum phantasma. 6. Quo altius cogitationes suas & voluptates à rebus corporeis abducunt, eo perfectiores evadunt. 7. Iis sæpè rebus multo vehementius afficiuntur, quibus non afficitur corpus, quam quibus afficitur maximè. 8. Res immateriales ita interdum amplectuntur, ut avelli à corpore, quam ab illis malint. 9. Cum omnia naturaliter interitum suum refugiant, mortem corporis non raro contemnunt, stantes, dum id corruit, excelsæ & invictæ.

7. Demonstratur animæ immortalitas, hoc est, perpetua existentia, ex Dei *constantia* & *immutabilitate.* Omnis res, cujus existentia cognita est, rectè affirmatur durare, donec probetur, quod desinat: *Unumquodque enim manet in eo statu, in quo est, adeoque pergit, si semel existat, existere, nisi ab alio de statu suo deturbetur.* Hæc regula in natura Dei summaque ejus perfectione fundatur. Deus rerum omnium opifex est summè sapiens, bonus, constans. Anima humana est tanti opificis opus pulcherrimum; imago ejus. Alienum verò est à sapiente & bono & constante opifice, opus pulchrum facere, & postea iterum destruere. Hæc igitur Dei constantia & immutabilitas, item sapientia ejus & bonitas nos cogunt pronunciare animæ immortalitatem. Neque ulla experientia aut clara ratio docet, eam mori.

8. Demon-

8. Demonstratur animæ immortalitas, seu perpetua cogitatio, ex ipsa ejus *natura*, de qua jam nonnihil attigimus *ratione quintâ.* Anima semper *agit* & *movetur*, hoc est, nunquam est sine omni cogitatione, hoc est, intellectione, volitione, perceptione, judicio. Cic. Tuscul. Quæst. *Homini docto & erudito vivere est cogitare.* Si anima nostra sine omni cogitatione ullo tempore esset, tum eo ipso nihil omninò esset. Semper quædam cogitatio actu præsens esse debet in omni re intellectuali. Si omni actuali cogitatione animam privare velis, nihil manebit in ea positivi & absoluti, per quod existat. Anima nostra, divinæ mentis æmula, semper viva est & vegeta, semper cogitationi alicui intenta, nunquam planè otiosa: ipsa enim ejus essentia cogitatio & actus est. Aristoteles libr. 1. de Anim. c. 2. *Rerum omnium divinarum proprietatem esse, continuò & semper moveri.*

9. Demonstratur animæ immortalitas, seu indivisibilitas, ex ipsa ejus natura, quod etiam facit ad confirmandam *rationem quintam.*

In humana anima non potest dari dissolutio & separatio rei unius ab alia re: in morte hominis est solutio animæ à corpore: in corruptione corporis est unius membri ab alio separatio. At anima nostra non est totum quid, in quo pars una queat ab altera separari ac divelli, ut ita totum dissolvatur & pereat. Anima nostra non est capax ullius divisionis aut resolutionis in partes. Cur? Quoniam ipsa non habet partes. Est impropriè totum, nimirum, quale perfectionale & indivisibile vocant. Omne corpus, partes habens extra partes, naturâ suâ est divisibile & mortale. Anima, quæ nullo modo est extensa, naturâ suâ est indivisibilis & immortalis. Sublatâ causâ mortalitatis, (quæ est compositio ex partibus) tollitur ipse mortalitatis effectus; (hoc est, dissolutio in partes) & quod non est colligatum ex pluribus, id nec potest in plura resolvi. Compositio quippè divisioni, conjunctio dissolutioni respondet.

Hoc præcipuo pro animæ immortalitate argumento usus est Plato in Phædone, teste Cic. libr. 1. Quæst. Tuscul. *In animi autem cognitione dubitare non possumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certè nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest; nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus & secretio ac direptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.*

Apparet, hisce tribus posterioribus rationibus animæ immortalitatem sumi 1. pro perpetua ejus existentia. 2. pro perpetua ejus cogitatione. 3. pro ejus indivisibilitate. Quæ tria cum sint certa & stabilia, etiam animæ immortalitas.

10. In libris Mosis sexcenta occurrunt, unde immortalitas animorum colligi potest. Ipsa creationis historia hæc argumenta suppeditat. 1. Docet, hominem esse mundi finem, animalium dominum. Potuitne tanti esse apud Deum creatura terrena, in qua nihil nisi materiale & caducum esset? aut hujus finis materialis esse, qui omnium materiarum finis est? aut finem immaterialem res omninò materialis assequi? 2. Narrat, hominem factum ad Dei imaginem: potestne Dei prorsus immaterialis imago in re prorsus materiali fulgere? 3. Narrat, hominis corpus formatum è terra, in illius verò nares insufflatam *animam*: estne forma materialis, quæ ex materia præparata non educitur? Sed hæc tertia ratio parvi est momenti, imò ferè nullius. Id tantùm teneamus; quia corpori anima non dicitur concreata, sicut pecorum animæ, id ad peculiarem animæ humanæ prærogativam, qualis est *immortalitas*, pertinere statuamus.

11. Revelatio illam docet. Eccles. 12: 1. *Redit pulvis ad terram, sicut fuit; & spiritus redit*

redit ad Deum, qui dedit illum. Matth. 10:28. τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι· Mat. 22:32. ***Non est Deus Deus mortuorum,*** ἀλλὰ ζώντων. Rom. 8:10. τὸ μὲν σῶμα νεκρόν· τὸ δὲ πνεῦμα, ζωή. Apoc. 6. Animæ ſub Altari, ſeparatæ à corporibus, clamant vindictam. Parabola Divitis & Lazari idem docet. Poſt ***mortem*** vivebat Dives, licet in doloribus: etiam Lazarus, ſed in gaudiis. Luc. 16:19-25. Soluta domo tabernaculi intramus domum æternam. 2 Cor. 5:1. certè ſecundum animam. Phil. 1:23. ***Cupii diſſolvi, & cum Chriſto eſſe.*** certè ſecundum animam. 1 Petr. 4:6. ***judicati*** σαρκὶ dicuntur ***vivere*** κατὰ θεὸν πνεύματι. Luc. 23:43. ***Hodie mecum eris in Paradiſo***; non quoad ***corpus***, ſed ***animam.*** Vivit ergo.

Eſt ergo anima immortalis; non quidem ut Deus, qui ſolus ἔχει ἀθανασίαν. 1 Tim. 6. ſed ſecundùm quendam vitæ modum, quam nullo modo poteſt amittere.

Si animam per ſe ſpectemus, talis eſt naturæ, ut quovis momento in nihilum poſſit relabi, Deo nimirum manum ſuam conſervantem ei ſubtrahente.

Secundùm mutabilitatem animæ, qua poteſt vel deterior vel melior fieri, poſſit etiam anima ***mortalis*** dici. Ita Auguſt. lib. 7. cap. 28. de Genes. ad lit. ſub finem.

Originem animarum quod attinet: Ut Adami ***anima*** à Deo creata, & in corpus ejus immiſſa fuit, ita & noſtræ etiamnum. Deus ſingulis nobis & fingit & dat ***ſpiritum***, hoc eſt, creat & infundit animas, dum generamur. Pſal. 33:15. ***qui format pariter corda illorum,*** hoc eſt, animas. Zach. 12:1. ***Format ſpiritum hominis intra ipſum.*** Joh. 33:4. ***Spiraculum omnipotentis vivificavit me.*** Eſ. 57:16. ***& animas ego feci.*** Eccleſ. 12:7: ***Et ſpiritus redit ad Deum, qui dedit eum.*** Inde ***Deus*** dicitur ***Pater ſpirituum.*** Num. 16: ✠. 22. Num. 27:16. Hebr. 12:9. Sed annon eſt & Deus Pater ***corporum?*** certè & illorum conditor eſt; ſed vocatur in ſpecie ***Pater ſpirituum,*** hoc eſt, animarum, ut harum immediata ab illorum mediata creatione diſcernatur.

Opinio de ***traduce***, quomodocunque ea pingatur, bruta eſt & pecuina. Fingit enim ſeminari animas intellectivas, ut pecudum animæ brutæ ſeminantur cum corporibus. Ita corruptio & mortalitas illarum neceſſariò invehitur. Si fingas, animas ex animabus generari & multiplicari: nec eo ipſo corruptio & mortalitas animæ evitatur: generatio enim & multiplicatio non poteſt aliter fieri, quam per ſeminationem. Hieronymus & Auguſtinus acriter ſuper hâc olim re contenderunt. Auguſtinus in ***traducem*** magis propendit, veritus, ſe peccatum originis aliàs contra Pelagium tueri non poſſe; & ne, exploſo traduce, Deum peccati auctorem faceret. Videatur Epiſt. Hieron. ad Marcellinum & Anapſychiam. & Auguſt. ep. 28. ad Hier. præcipuè verò ep. 157. ad Optatum.

Tradux in prima ſignificatione eſt ***propago***, ſive pars ab arbore ſecta, & in aliam arborem traducta. Ita operâ inſitionis pomos, pyros, &c. propagare ſolemus. Ita & ficum platano & moro inſerunt, morum caſtaneæ, caſtaneas nuci.

Auctorum horum nonnulli ita. Duæ animæ parentum dant unam, eamque ſimplicem. Parentum animæ non ad materiam, ſed ad cauſam efficientem ſpectant. Efficiens verò rei eſſentiam non ingreditur. Igitur ſive duplex, ſive triplex, ſive ſimplex ſit, compoſitionem nullam gignit. Anima ergo ab utroque parente data non exuit ſimplicitatem. Neque ***ex***, ſed ***à*** duabus animabus una datur: ***ex*** enim ſapit materiam; ***à*** efficientem.

Sociæ cauſæ ſtant pro una. Non à ſolo patre, nec à ſola matre, ſed ab utroque eſt ***anima***; ut & corpus filii ab utroque parente naſcitur.

Non provenit incorporeum à corporeo: ſed anima ab anima oritur.

Spiritus non fit ex ſemine: non enim ex ſemine ſtatim naſcitur, quod mediante ſemine datur.

datur. Spiritus completi sunt generabiles; non item incompleti: hos enim quid vetat multiplicari? E via generationis haut est saltandum in viam creationis. Generant parentes, & generant sibi simile. Generat homo hominem, non minus, quàm equus equum, leo leonem. Multiplicat se homo, non secus ut cætera animalia, juxta speciem suam. Ut ergo animæ ibi non creantur, sed generantur, ita & hic. Ut ibi generationis effectus, non creationis opus, Anima est, ita & hic.

Contrarium sentientes dicunt, pugnare hoc dogma cum natura animæ humanæ. Quomodo ex duabus animabus una anima? Aut uterque parens totam dat; & sic duplicabitur anima: aut uterque dimidiam, adeoque particulam; ita cadet animæ indivisibilitas, immaterialitas, immortalitas. Quot etiam ἐξορενώτλοντες committent homicidia? Incorporeum haut potest produci à corporeo. Nec spiritus à semine. Non potest generari, quod naturâ ingenerabile est. Vide Sperlingium Tractatu Physico de Formatione hominis in utero, pag. 32. in Quæstione: *An anima actu sit in semine?*

Opinio olim fuit Platonis, quam Origenes dicitur secutus, animas simul olim creatas cum Angelis, & reservatas in thesauro Dei, donec secundùm merita corporibus bonis vel malis infundantur.

Sed nunc videamus ipsam hominis creationem. *Et creavit Deus hominem in imagine sua, in imagine Dei creavit illum. Marem & fœminam creavit illos.* Genes. 1:27. non unum utriusque sexûs hermaphroditum, ut Judæi nonnulli; sed unum ex utroque sexu.

Quod ad creationem *corporis* attinet, de illa ita Gen. 2:7. *Et formavit Iehova Deus hominem pulveris*, hoc est, pulvereum, *è terra, & inspiravit in nasum ejus halitum vitæ*, hoc est, fecit eum respirare. Unde dicitur *halitus esse in naribus ejus*, Es. 2:2. Hunc halitum dicit Jacobus 2:26. πνεῦμα. *Inspiratio* notat divinam ἐνέργειαν, quâ fecit hominem respirare. Ab *effectu* nomen sortitur ἐνέργεια *operatio. Spiritûs* sive halitûs effectio *inspiratio* dicitur.

וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה *& exstitit homo* ψυχὴ ζῶσα *animal vivens.* Chaldæus רוּחַ מְמַלְּלָא πνεῦμα λογικόν. Id quidem homo est, non tamen hac phrasi hìc indicatur. *Anima vivens* dicitur & de *brutis.* Genes. 1:24. Homo vivit dupliciter, vel ut *imago Dei*, vel ut ψυχὴ ζῶσα, *anima vivens*, animal.

Hinc jam dicitur homo χοϊκὸς *pulvereus*, ψυχικὸς *animalis*, habens σῶμα ψυχικὸν *corpus animale*, quod contradistinguitur πνευματικῷ. 1 Cor. 15:44.45.46. *Corpus animale*, hoc est, animam vivendi causam habens.

Materia, ex qua corpus conditum, est *terra*, seu pulvis terræ. אָדָם עָפָר *hominem pulverem*, hoc est, qui pulvis est. Aliqui putant, miscuisse Deum pulverem cum terra rubra vel flava, veluti *argilla*; quæ videtur propriè esse הָאֲדָמָה. Certè homo non tantùm est *pulvis*, sed etiam חֹמֶר *argilla, lutum*, seu limus. Job. 4. Es. 64.

Rogas; Cur *corpus* non sit è nihilo formatum, aut è materia cœlesti, aut preciosa, velut aurum? Resp. Ut ita homo originis suæ memor materiam humilitatis in sinu quasi secum ferret, nec se unquam contra Deum efferret. Gen. 18:27. *Ecce adbuc animum induxi loqui ad Deum, & ego pulvis & cinis!*

In hominis natura cerne mirum præstantiæ & singularis cujusdam abjectionis temperamentum. Imago Dei est; sed & *limus* est.

Corporis prærogativa & hæc est. 1. immediatè id Deus suâ quasi formavit manu. Non jussit terram producere homines, ut cicadas, aut pecora, aut gramina. 2. in eximiam illum

ex-

exſtruxit formam. Græcis ἄνθρωπος ab ἄνω τρέπειν, vel ἄνω θροεῖν ὦπα *ſurſum tollere vultum.* Θροεῖν etiam eſt *loqui*, quod nullum aliud animal poteſt.

Sed & abjectæ id ſortis eſt, 1. quod è *terra* formatus eſt; quæ cottidie ab ipſis beſtiis calcatur. *Homo* dicitur ab *humo*. *Menſch* à *mann aſch*, ſive *nur aſch*: vel ab Hebræo אֱנוֹשׁ. 2. quod corpus exanime humi jacuit inſtar trunci, motus ſenſuſque expers, niſi vitalis halitus in illud immitteretur.

Ortus hic hominis gentibus aliquo modo notus fuit. Ovid. 1. Metamorph. ſcribit, Jovem finxiſſe hominem è terra ad imaginem Deorum.

Quam ſatus Japeto miſtam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.
Sic modo quæ fuerat rudis & ſine imagine tellus,
Induit ignotas hominis converſa figuras.

„Diodorus Siculus libr. 1. de fabul. ſcribit, homines eodem modo à principio ſponte genitos è terra, quo modo multis in locis Ægypti, poſt Nili inundationem, Sole calefaciente limum, ab aqua relictum, multitudo murium oriatur. Sed ipſe hoc ut fabulam ridet. „Irridet etiam nidum aquilæ fabuloſæ, & antrum Promethei in rupe Caucaſi, libr. de geſtis Alexandri.

Lactantius libr. 7. cap. 4. *Stoici*, inquit, *rectè dicunt, hominum (melius tamen dicerent, hominis) causâ mundum eſſe fabricatum. Dicunt autem hominum, non hominis, quia ignorant unum hominem a Deo eſſe fabricatum; putantque homines in omnibus terris & agris, tanquam fruges, generatos.*

Nonnulli volunt, Filium Dei externâ ſpecie aſſumtâ plaſmaſſe Adamum: & ut poſtea afflatu externo diſcipulis dedit Spiritum Sanctum. Joh. 20: 22. Ita & hic anhelitu oris inſufflaſſe Adamo halitum.

Nonnulli obſervant, eſſe metaphoram à vitrariis ductam, qui flatu per ſua organa demiſſo cyathos, pateras, & diverſas vaſorum formas effingunt.

Hanc inſpirationem *halitus vitæ* plerique capiunt de creatione *animæ rationalis*. Alii נשמת חיים interpretantur de *Spiritu Sancto*: quaſi in ſpiraculi inſufflatione non demum anima homini fuerit data; ſed ea, quæ jam inerat, Spiritu S. vivificata. Hos refutat Auguſtinus libr. 13. cap. 24. de Civit. Dei.

Manichæi intelligebant de particula divinæ eſſentiæ homini infuſa, pro, ſeu vice animæ. Auguſt. *Non ſunt audiendi, qui putant, animam eſſe partem Dei. Si enim hoc eſſet, nec à ſe, nec ab alio decipi poſſet, nec ad malum faciendum vel patiendum compelli, nec in melius vel deterius immutari. Flatus autem, quo hominem animavit, factus eſt à Deo, non de Deo. Nec flatus hominis pars ipſius eſt, quem facit non de ſe ipſo, ſed de aëreo anhelitu aſſumto & effuſo* &c.

Per *animam* hanc meritò intelligimus *vegetantem* & *ſentientem*, quæ cum plantis & brutis communis homini. 1. quia animæ creatio continetur in factione ad imaginem. 2. LXX. vocem נשמה non reddiderunt ψυχὴν aut νοῦν, ſed πνοὴν *ſpirationem*, quæ eſt animæ motivæ. 3. accepto vitæ ſpiraculo homo dicitur factus in animam viventem. Ita & piſces, beſtiæ, pecudes dicuntur. Ergò homo dicitur factus in animam viventem, quum corpus ejus exanime accepit ſpiraculum vitæ, hoc eſt, vitalem motum & ſenſum.

Quemadmodum verò *anima* hominis *rationalis* immortalis eſt, ita & *corpus*, quod Adam accepit, tale fuit, ut *potuerit non-mori*; & ita etiam immortale.

1. Inſeparabiliter fuit unitum ſpiritui immortali. Non ſeparatum verò ab ani-

ma non fuisset mortuum. Immortale igitur: mors enim est animæ & corporis separatio.

2. Adam perdidit immortalitatem. Ergò eam habuit.

3. In secundo Adamo recuperamus corpora immortalia & spiritualia. 1 Cor. 11. Ergò talia corpora habuimus in primo; Imò ipse primus tale habuit; nondum quidem actu spirituale, sed potentia tale.

4. Mortalitas corporis invecta est demum per peccatum. Rom. 5: 12. *Per peccatum mors.* & cap. 8: 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.*

Accuratè loquendo, fuit Adam corpore *immortalis* & *mortalis* diversâ ratione.

Immortale dicitur, 1. quod est simpliciter & omni modo immortale. Sic solus Deus est. 1 Tim. 6: 16. 2. quod est incorruptibile secundùm suam substantiam, vel quia segregatum est ab omni materia; quæ solet esse radix corruptibilis: ita Angeli: vel quia non est eductum è potentia materiæ, licet ei sit associatum, ut anima rationalis. In illa immortalitas est impotentia moriendi, ex *perfectione naturæ*. 3. quod quidem suâ naturâ est corruptibile, sed fit vel potentia, vel gratiâ, vel justitiâ Dei, ut nunquam corrumpatur. Sic cœlum novum & terra nova erunt incorruptibilia; etiam corpora spiritualia beatorum; etiam corpora resuscitata condemnatorum; quæ perpetuo cruciabuntur. In his *immortalitas* est impotentia moriendi ex *singulari ordinatione divina*. 4. quod cum in se sit mortale & mori possit, potest tamen etiam non-mori, ex *conditoris dono*, vel ex alia *hypothesi*.

Talis fuit immortalitas Adami in statu innocentiæ; non impotentia moriendi, sed potentia non moriendi; quæ, si non peccasset, tandem in impotentiam moriendi conversa fuisset.

Adamus ergo corpore mortalis fuit per se, hoc est, habuit potentiam moriendi, ut corrumpi posset & mori, si nimirum ipse peccaret; & ni corpus Deus à corruptione servaret. Attamen tale fuit corpus Adami, ut in ipso extiterit nulla causa, cur moreretur. Conditio corporis, quod accepit in primo conditu, talis fuit, ut morti non fuerit necessario subjecta: neque mors est sequela naturæ.

Corpus in integritate conditum, etiamsi cibis utatur, & generet, ac generetur, haut moritur necessariò.

Pulchra sunt *Secundi* Philosophi ad *Adriani* Imperatoris quæstiones responsa. Quid est *Corpus*? Domicilium animæ. Quid *Oculi*? Duces corporis, vasa luminis, indices animi. Quid *Frons*? Animi janua. Quid *Aures*? Sonorum censores. Quid *Labia*? Valvæ oris. Quid *Manus*? Operarii corporis. Quid *Cor*? Receptaculum vitæ. Quid *Pulmo*? Servator aëris. Quid *Stomachus*? Coquus ciborum. Quid *Ossa*? Robur corporis. Quid *Crura*? Columnæ corporis.

Homo in se invenit cognitionem sui, & Conditoris sui, finis sui, & *divinarum virtutum* Dei, & τοῦ καθήκοντος *officii*; sentit, se habere voluntatem, cujus rectitudo sit *amare veritatem*. Invenit etiam in se & in aliis, quod non in brutis, 1. *sermonem*, eumque decentem, si sale sapientiæ sit conditus. 2. facultatem membra sic tegendi, ut in eorum motu *honestas* appareat; vel ut per ea efficiatur pulchrum opus, quod *precium* habeat; idque posse ab homine disci; neque id unicum, sed varium esse.

Quod verò pecudes uniformiter faciunt, quod rationem & utilitatem habet, id judicat divino instinctu, motu, & προνοίᾳ tantùm fieri: Se verò non omnia solo instinctu Dei agere,

agere videt, quia etiam se peccare, & aliud velle, quàm quod Deus vult, posse deprehendit. Unde agnoscit in se spiritum meliorem, qui percipit cum judicio, ratiocinatur, deliberat, liberè vult, membris utitur. Mentem hanc non esse *materiam*, videt. In materia & pulvere, in corpore, nil nisi figurari & ab alio moveri posse invenit: hæc ejus δόξα est. Imò & divisibilitatem & *extensionem*. Idem in utero concipi & formari, materie à parentibus suppeditatâ. Mentem verò nec extensibilem esse, nec à parentibus suppeditari; imò nec generari. Rem corpoream non posse intelligere incorporea; id quod *mens* facit. In materiâ non potest esse amor & fuga eorum, quæ non constant ex materiâ.

Hæc melior nostri pars in sacris accipit nomina, qualia propriè rebus corporeis conveniunt. רוּחַ πνεῦμα, seu id, quod efflatur. נֶפֶשׁ, ψυχή; quod notat potissimum instrumentum vitæ animalis, cujus vehiculum est *sanguis*. Lev. 17: 11. Gen. 9: 5. נְשָׁמָה πνεῦμα, quod est propriè *respiratio*. Ita לֵב, כְּלָיוֹת, קְרָבִים, בֶּטֶן attribuuntur cogitationes, ratiocinationes, judicia, intimæ notitiæ, occultissimi affectus. Nempe, quia his in partibus semper cernitur motus, cogitationem hominis & affectum sequens, eis ea cogitatio & affectus, qui in ea parte motum sanguinis & spirituum efficit, attribuitur. Ita *Cordi* ratiocinatio, judicium, affectus lætitiæ & tristitiæ, amor, odium, spes, timor: *Animæ*, desiderium & voluptas. Quarum tamen partium non esse cogitationes, alibi docet Scriptura, distinguens inter *spiritum* & *carnem*, *spiritum*, *animam*, *corpus*; item *membra* ac *carnem* & τὸν *mentem*. Rom. 7: 25.

Hæc substantia non-carnalis & corporea in sacris dicitur *gloria hominis*. Psalm. 16: 9.

Quia verò ex *materia* non constat, liquet eam *non posse interfici*. Matth. 10: 28. Socinus in epist. ad Volkel. 5. sic id explicat. *Corpus quidem occidi posse, sed vitam occidi non posse*. Nempe quia *is vivere dici possit, qui aliquando a Deo est in vitam revocandus*. Atqui Christus *animam* & *corpus* apertè distinguit, & *animæ* tribuit, *occidi non posse*; quod aliud est, quam *in vitam revocandum* esse; id quod mortem antecedaneam involvit. Potius dicere Christus debuisset, *Qui non possunt vos occidere*. Mira in phrasi tum esset variatio. Τὸ *occidere* esset 1. vitâ præsenti privare. 2. vitam futuram impedire.

Anima hæc ἄϋλος non habet in se ipsa causam intereundi; nil in mundo eam tangere potest. Et non potest extingui, nisi à Deo creatore annihiletur; id quod fieri nequit: videretur enim à Deo tantum creata, ut ad tempus tantùm esset, dein verò esse desineret; id quod nec Deo, nec legi, nec justitiæ convenit.

In hoc homine, prout creatus est prima vice, causa *mortis* non fuit; nec *sequela naturæ* mors, quæ nunc nobis incumbit, dici potest. Hæc mors est, *resolutio corporis in pulverem*.

Si hac conditione ortus est homo, ut corpus ejus non posset non resolvi, sequitur, Deum non dedisse homini animam, quæ viveret in perpetuum. Ea enim anima ad hoc facta videtur, ut corpus suum haberet, cujus membra regeret; atque ita homo naturaliter animal esset.

In qua natura conjuncta necessitas est resolutionis, ejus una pars non potest superesse illæsa & integra, destructâ alterâ: sed simul & *animal* perire, & id, quod in animali gubernavit, suum *esse* amittere: ut *anima*, si ex *elementis* sit, in ea redeat; si ex *nihilo*, in nihilum revertatur, ubi corpus in pulverem redit.

Maneat, spiritum nostrum immortalem sic in ortu primi hominis conditum esse, ut corpus semper habere posset, neque necesse esset id exui.

Fuit quidem primus homo χοϊκὸς *pulvereus*, ψυχικὸς *animalis*; respectu nimirum habito corporis.

Unde sequitur 1. eum non possedisse ἀφθαρσίαν *conditionem corruptionis expertem*; nimirum, ut corrumpi & mori non potuerit. 2. nec habuisse *corpus spirituale*, hoc est, per virtutem Spiritus Sancti vivificatum. Nam corpus ejus indiguit alimentis; fuit σὰρξ καὶ αἷμα. Corpus verò spirituale tali non indiget fultura. Spiritus ipsi ad perpetuam vitam sufficit. Dein & ad generandum factus fuit. Atqui corpus spirituale non generat.

Fuisset ergo homo *mutandus* in statum meliorem, antequam ἀφθαρσίαν & ἀθανασίαν, quæ in *regno Dei*, acciperet in possessionem. 1 Cor. 15: 50.

Potuisset statim Deus hominem condere *beatissimum*: tamen & hoc sapientiæ fuit, quòd eum non statim in summo perfectionis & beatitudinis gradu posuit: ut & in ipso mundi systemate ab imperfectioribus ad perfectiora progressus est.

Sed hoc tenendum est omninò, *nullam causam moriendi cum homine ortam esse, Deumque causam mortis non exstitisse*. Poterat usque ad tempus vivere mutationis, qui vivere inceperat: neque enim alimenta ei erant defutura; nec morbis succubiturus erat; nec venena aut sævas bestias metuere habebat; nec consumentem gladii aciem & belli vim. Poterat eum Creatoris manus sustentare; nec Spiritus formator hominis eum derelicturus erat.

Futurum ergo fuit, ut homo non moreretur, nisi peccaret; & ad spem vitæ æternæ fuisse vocatum & ortum. Id & patet è fœdere Dei & Lege.

Audiamus nunc *Socinum*. In libro contra Puccium, & in ep. quinta ad Volkelium ita fatur. *Satis apparet, me sentire, non ita vivere post hominis ipsius mortem animam ejus, ut per se premiorum pœnarumve capax existat; quum in ipso primo homine totius immortalitatis rationem uni gratiæ Dei tribuo: nec in ipsa creatione quidquam immortalis vitæ in homine agnosco.*

In Prælectionibus cap. 1. probare suscipit, *Quòd primus homo etiam ante lapsum naturâ mortalis fuerit.*

1. Quia liberis procreandis fuit destinatus. Gen. 1: 28. Qui autem *mori non possunt*, ἔτι γαμοῦσιν, ἔτι ἐκγαμίζονται. Luc. 20: 35. 36.

2. Quia escis ciboque utebatur. Gen. 1: 29. Ubi autem immortalitas est, non est locus cibo. 1 Cor. 6: ℣. 13. *Esca ventri, venter escis. Deus verò & hunc & has destruet.* „Respondeat Augustinus de Gen. ad literam, libr. 3. cap. 21. ubi docet, neminem ausurum „dicere, quod indigentia cibi ad corpus reficiendum non nisi mortalibus conveniat.

3. Primus homo habuit corpus *animale*; igitur & *mortale*. Utrumque probatur ex 1 Cor. 15: 44. 45.

4. Primus homo jam erat *terrenus*, etiam antequam peccaret; nempe, quia è terra formatus erat: sed nos in eo, quo morimur & corrumpimur, imaginem primi hominis, quatenus terrenus erat, portamus. Ergo primus homo, quatenus terrenus fuit, mortalis censendus est, & sic etiam antequam peccaret. Probatur ex 1 Cor. 15: 47. 49.

5. Si peccatum mortalitatem naturalem homini attulisset, Christus, qui pœnas peccato constitutas delevit, etiam mortalitatem naturalem delevisset & abstulisset.

6. Si naturâ fuit immortalis primus homo, quid opus fuit propter eum vitæ arborem conserere, eique ad comedendum tradere?

7. Omnes causæ efficientes mortalitatis nostræ naturalis, sive in nobis, sive extra nos sint, jam exstiterunt, antequam primus homo peccaret. Ergo etiam effectus mortalitatis non minus antea quam postea exstitit. Lo-

Locum Pauli, *per peccatum mors*, dicit *non de naturali mortalitate loqui*, *sed de ipsa morte*, *& moriendi necessitate*. Poterat Adamus, si non peccasset, quamvis naturâ mortalis, à morte beneficio Dei conservari; vel si mortuus fuisset, in vitam revocari, & immortalis fieri. Hæc sibi & posteris suis peccato suo invidit. Concludit: *Peccatum igitur non mortalitatis naturalis*, *sed necessariæ mortis causa fuit*.

Lombardus. 2. d. 19. c. d. e. hæc ex August. libr. 3. cap. 2. de Gen. ad literam.

„ Alia est immortalitas carnis, quam in Adamo accepimus; alia, quam in resurrectione „ speramus. Ille factus est homo immortalis, ut posset non mori, si non peccaret; more- „ retur autem, si peccaret. Filii verò resurrectionis non poterunt ultra peccare, nec mori. „ Caro nostra non tunc egebit refectione ciborum, quia nulla poterit esse defectio.

Scholastici causas inquirunt *immortalitatis*, seu potentiæ non moriendi in Adamo.

Athanasius orat. de Incarnat. p. 60. dicit, hominem, secundùm naturam mortalem, non fuisse moriturum propter imaginem Dei.

Thomas: Id futurum fuisse vi animæ, ex quâ in corpus transitura fuerit plenitudo sanitatis, & perpetuæ incorruptionis vigor.

Scotus: Corpus Adami futurum fuisse dissolubile: Deum verò præventurum fuisse tempus dissolutionis, transferendo eum in cœlum absque morte.

Alii libero hominis arbitrio id tribuunt, quo posset omnia cavere, quæ mortem afferre possent, & sic in vita perstare.

August. videtur alicubi in Gen. ad lit. immortalitatem adscribere *arbori vitæ*, cujus esus perpetuam effecisset sanitatem, & omnem corruptionem avertisset.

Lomb. 2. d. 19. c. *solet.* & c. *idem. A natura habiturus erat posse mori*; *à gratiæ beneficio posse non mori.* Verum est, homini non fuit gratia data semper vivendi: tamen non futurum fuit, ut homo moreretur, nisi peccaret.

Hominem ad talem immortalitatem creatum creavit Deus *marem & fœminam*. Gen. 1: 27. Non creavit simul, sed prius *marem*. Itaque *mas* initio erat לְבַד *solus*. De eo ita fertur *Dominus* dixisse: *Non est bonum*, *esse hominem solum*. *Faciam illi auxilium* כְּנֶגְדּוֹ *sicut apud ipsum*, hoc est, *quod ipso dignum sit*. Genes. 2: vers. 18. confer. vers. 20. וּלְאָדָם לֹא מָצָא עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ. Erat homo *solus*; nam sine conjuge creatus. Ni mulier ipsi adjungeretur, & liberi ex ipsis procrearentur, *solus* fuisset mansurus. Si jam ante Adamum & cum Adamo homines creati fuerunt, ut sentiunt Præadamitæ, quomodo potuit Adam dici *solus* fuisse?

Solus dicitur homo, quamdiu non habet *auxilium* se dignum. Non erat *solus* Adam; habebat Deum comitem; in medio dominabatur animantium, quæ ad illum adductæ nomina ab illo acceperunt. Gen. 2: 18. 19. Et tamen *solus*, quia non habebat creaturam ejusdem secum naturæ, carnis & sanguinis comitem & adjutricem.

Hanc solitudinem, absque conjuge adjutrice & socia vitæ, dicit *Dominus* לֹא טוֹב *non bonum*. *Non-bonum* non hîc significat *malum* aut *turpe* aliquid, sed *non commodum*, *utile*, *expediens*; nec sufficiens ad summam Creatoris gloriam & perfectionem enarrandum. Facessat cavillum: Deus fecerat hominem *solum*: Fecit ergo aliquid *non-bonum*. Si Adam aliquo *bono* destitutus fuit, quomodo perfectè *bonus* & beatus creatus fuit? Resp. Bonum aliud est *naturale*, aliud *morale*. Hoc refertur utrumque ad honestum; & sic Adam etiam ante conjugem erat bonus. Aliud *utile & jucundum*. Hoc bono carebat aliquatenus Adam ante conjugem; sed absque individualis suæ perfectionis imminutione. Distinguendum inter bonum individuale seu personale, & bonum speciei, seu ad propagandam

gandam speciem utile. Solitudo erat homini ***bona***, hoc est, in se honesta, commoda, & expediens, quamdiu Deo placuit, hominem in ea relinquere; & ***non*** erat ei ***bona***, hoc est, incommoda ad speciei propagationem, cum Deus hanc propagari vellet.

Sed sine conjuge esse cur ***non-bonum***? 1. Ob genus humanum, quod ita non potuisset propagari. 2. Ob Ecclesiam, quæ ex genere humano non valuisset colligi. 3. Ob gloriam Dei, quæ neque in redemtione electorum, nec in punitione reproborum, nec in missione Filii in carnem illustrata fuisset. 4. Homo naturâ est ζῶον ἀγελαστικὸν καὶ συνδυαστικὸν ***animal sociabile.*** Solitaria vita, licet bonis abundans, tædiosa & injucunda homini futura fuisset. Sociâ erat opus ad colloquendum, ad convivendum, ad cooperandum, vel etiam ad bestiis imperandum.

Poterat Deus genus humanum multiplicare absque fœmina & generatione, & tot homines facere statim, quot essent satis ad mundum habitandum, sicut simul creavit Angelos, & plures pisces, volucres, bestias &c. Sed 1. voluit patrum filiorumque & fratrum conjugumque esse officia. 2. constituerat per generationem Filium suum, ut Filium hominis, mittere ad erigendum regnum gratiæ. Ideo *fecit ex uno sanguine omne genus humanum, ut inhabitaret super universam faciem terræ*, Act. 17: 26. nec fecit habitare diversos in diversis partibus ex aliis atque aliis glebis factos.

Non bonum hominem esse solum. Hæc sunt dicta ἀνθρωποπαθῶς. Indicant verò, Deum habuisse decretum multiplicare homines, adeò ut implerent terram. Gen. 1: 28. Id fuit certè bonum, & aptius ad bonitatem & potentiam Dei illustrandam erat, ut glorificaretur in plurimis potius, quam in uno, & quidem variis modis. Ideò ad captum nostrum narratur dixisse, ***non esse bonum***, ut ***homo sit***, vel ***maneat*** γένοιτο ***solus.***

Si ***non-bonum*** hominem ***esse solum***; ergo ***bonum*** hominem ***esse non-solum.*** Conjugium ergo bonum. Bonum est, cujus contrarium non est bonum; aut saltem non ita bonum: sunt enim in bono gradus. Conjugium bonum est, hoc est, sanctum, placens Deo, humano generi utile, necessarium, omnibusque legitimè contrahentibus concessum.

Communis hic statuitur regula humanæ conditionis, ad omnes pertinens: nisi quos Deus velut singulari privilegio eximit.

Objicitur Matth. 19: 10. *Si ita habet causa hominis cum uxore, non expedit matrimonium contrahere.* 1 Cor. 7: 1. *Bonum est homini mulierem non attingere.* Resp. Deus loquitur de bono seu commodo totius speciei. Discipuli de bono personali aliquo; quia, qui non γαμεῖ, non se exponit periculo *dimittendi uxorem*, & *mœchandi*, vers. 9. Apostolus quoque cœlibem vitam dicit ***bonum***, respectivè, *propter præsentem necessitatem*, vers. 26. Cœlibes imminentes persecutiones facilius tunc ferebant, quàm conjugati. Hieronymus. Bonum est, non tangere. Ergo malum, tangere. Fallacia est à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Etiam ignorationis elenchi. Bonum non opponit malo, sed incommodo; & ipsum γαμεῖν bonum dicit. 1 Cor. 7: 28. & confer vers. 38.

Neque ita concludendum. Non est bonum, hominem esse solum. Ergo malum, hominem esse solum seu cœlibem. Logici docent, Contraria opponi, non juxta genus aut communia accidentia, quibus conveniunt, sed juxta differentias, quibus dissident.

Neque in hoc dicto imponitur præcisè omnibus necessitas ineundi conjugium; sed in genere conjugium instituitur, & illius bonitas commendatur, & voluntas Dei indicatur, velle illum mares & fœminas cohabitare castè.

Conjugium est ***liberum*** iis, qui se continere possunt. *Qui potest capere, capiat.* Matth. 19: 12. *Necessarium*, qui dono continentiæ carent. 1 Cor. 7: 9. *Quod si se non continent, matrimonium contrahant.* Fa-

Faciam ei auxilium. Cum homo condendus esset, *Faciamus*; nunc ubi mulier facienda, *Faciam.* Scilicet *Faciam* dicit ὁ εἷς; *Faciamus*, οἱ τρεῖς. Illud *Unus*, hoc *Trinus.*

Auxilium, Adjutorium, à quo adjuvetur. Ita docet, quid fœmina sit futura, & viro esse debeat, עֵזֶר, LXX βοηθὸς *auxiliatrix.*

Qualitatem adjutorii docet particula כְּנֶגְדּוֹ. Bruta etiam sunt homini adjutorium; multum enim usum illi præstant. Sed non sunt *juxta eum* & similes ei. LXX. κατ' αὐτὸν καὶ ὅμοιον αὐτῷ. Mulier est similis viro, secundùm naturam seu speciem: dissimilis, secundùm sexum.

Adjutorium ad quid? An ad *generationem* tantùm, ut nonnulli veterum restringunt? Concubitus & generatio non sola faciunt conjugium. Ita enim ante lapsum Adam & Eva non fuissent conjuges; nec conjugium toto genere differret à scortatione & congressu brutorum.

Sed 1. adjutorium *pietatis.* Hic est finis conjugii principalis, ut vir habeat precum sociam. 1 Cor. 7: 5. *ut vacetis jejunio & precibus.* 1 Petr. 3: 1. *ut etiam, si qui non obediunt sermoni, per uxorum conversationem absque sermone lucrifiant.*

2. *Societatis*, amicitiæ indissolubilis & veræ. Homo naturâ est animal φιλητὸν *amicitiæ appetens.* Amicitia est inter similia. Simile appetit simile. Conjugalis amicitia est dulcissima & arctissima omnium; prima in mundo & naturalis. Homo est συνδυαστικὸς μᾶλλον ἢ πολιτικὸς *conjugalis magis, quam civilis.* Arist. libr. 8. cap. 12. Ethic. Prius & necessarium magis est *domus*, quam *civitas.* Mal. 2: 13. *Et illa est socia tua & uxor fœderata tua.*

3. *Generationis & educationis liberorum.* Solus vir sine fœmina non potuit generare. De eo est Psalm. 128: vers. 3. 4. Et 1 Tim. cap. 5: vers. 14. *Volo juniores* γαμεῖν, τεκνογονεῖν. 1 Tim. 2: 15. σωθήσεται διὰ τῆς τεκνογονίας, *servabitur liberos gignendo.*

4. Adjutorium *œconomiæ.* Officia bonæ œconomiæ descripta vide Prov. cap. 31: vers. 7. &c.

5. Post lapsum accessit quinta adjutorii causa: cœpit mulier esse viro adjutorium *infirmitatis.* 1 Cor. 7: 2. *Ob fornicationes suam quisque uxorem habeat, & quævis suum virum.*

Chrysostomus homil. 5. in Johannem. *Uxor inimica adjutorium Diaboli est, non viri.*

Objecit olim *Julianus* Apostata. Male dicitur mulier *adjutorium*: in nullo adjuvit virum; sed decepit, & ἐν παραβάσει γέγονε. 1 Tim. 2: 14. Quomodo id, quod Deus in adjutorium fecit, exhibuit occasionem mali? Resp. Est fallacia accidentis. Ex accidenti, id est, malitia diaboli, & hominis libera voluntate factum est, ut adjutorium datum viro factum sit ei seductorium.

Hoc adjutorium ut fieret, *cadere fecit Deus somnum in hominem.* Transcendunt hæc humanum captum. Si rationem audias, fabula videtur. Fidei hic opus oculis.

Somnus hic non fuit vulgaris, sed à Deo *immissus.* Etiam sopor irruit in Abrahamum, Genes. 15: 12. & in Saulis exercitum, 1 Sam. 26: 12. *Non erat videns, nec cognoscens, nec qui expergesieret*; *nam omnes dormiebant. Nam sopor Domini ceciderat super eos.* Es. 29: 10. *Effudit super eos Iehovah spiritum soporis.*

LXX. reddiderunt ἔκστασιν, id est, raptum extra se. In ἐκστάσει sensus ligantur, functiones verò mentis quasi extra corpus raptæ maximè intenduntur.

*Ἔκστασις dicitur 1. *stupor* ob excellentiam admirationis. 2. *insania*, quia à proposito emovet.

Deus Adamo induxit exstasin somni, non ἔκστασιν & amotionem mentis. Tertull. de anima cap. 1. ἔκστασιν vertit *amentiam*. August. libr. 11. cap. 18. de Gen. ad lit. *Ἔκ-„στασις immissa, ut ipsius mens per eam particeps fieret tanquam angelicæ curiæ, & in-„trans in sanctuarium Dei intelligeret novissima. Ambrosius de Paradiso cap. 11. *Sopor „mundi* occupat adjicientes animum ad uxorem. Alii hanc allegoriam adferunt: Deus solet nobis dormientibus & securis adjutorium & necessaria parare. Alii *mysterium* hic vident. E latere dormientis formata est Eva. E Christi dormientis in cruce latere profluxit aqua & sanguis, unde condita est Ecclesia. Alii physicam rationem allegant: ut absque sensu doloris fieret detractio costæ è latere Adami. Sed annon vigilanti Deus eximere costam potuit absque dolore? Ergo & hoc addatur. Sopor immissus est, ne Adam hujus admirandæ spectator esset operationis; sed potius operis peracti fidelis admirator. Adam omnia opera creata invenit in mundo, sed nullius creationem ipse vidit.

Ita ergo *obdormivit*, & profundo somno oppressus jacuit in virenti terra.

Et abstulit unam è costis ejus. צלע notat *costam* & *latus*. Fuit haut dubie hæc costa carne vestita. Ideo & Adam, *os de ossibus meis & caro* &c. *Abstulit* dicitur per ἀνθρωποπάθειαν; non manu corporea, sed actione divina. *Unam* abstulit costam, quia *unam* volebat creare conjugem.

De hac *costa* Judæi & Scholastici multa inutiliter. 1. ex utro latere? 2. ex veris an nothis costis fuerit? 3. an fuerit *necessaria*; an verò *supervacua*? Si hoc, monstrum fuit Adam. Si illud, mutilus. Hinc moventur nonnulli, accipienda esse non *historicè*, sed *parabolicè*, quæ de procreatione mulieris è viro scripta sunt.

Putant multi, ex sinistro latere costam detractam, ubi *cor*, ut vir & uxor essent καρδία μία.

Anatomici etiamnum in utroque viri latere ostendunt duodenas costas. Ergò ante videtur in Adamo una redundasse. Nec tamen propterea fuit monstrosus: ita enim placuit Deo illum condere.

Sed cur voluit mulierem è viro potius, quam ex terra, aut nihilo condere Deus? Ut non tantum naturæ similitudine, sed etiam cognationis affectu primi conjuges arctius inter se devincti essent; & idem amoris effectus in omnes diffunderetur conjuges. Ephes. 5:28. *Debent viri uxores amare ὡς τὰ ἑαυτῶν σώματα.* Non ex pulvere, ne illa Adamo aliena esset. Non fecit è *pede*, ne conculcaretur. Nec ex *capite*, ne dominaretur; sed è media parte corporis, *latere*, ut mediocri apud virum dignatione haberetur, ut socia. Lombardus 4. Dist. cap. 28. Hic. c. *Ego accipio te in meam non Dominam, nec Ancillam, sed Conjugem.*

Et clausit carnem pro ea, ne lacuna & defectus in eo esset. Non pro costa costam, sed carnem supplevit. Id etiam ad conjugalis amoris pertinet mysterium. Augustinus. *Cum mulier de latere viri est facta, utique per ipsum firma est facta, tanquam osse ejus formata. Ille autem propter ipsam infirmus, quia in locum costæ non costa, sed caro suppleta est.*

Et ædificavit Jehova Deus costam, quam sumserat ex homine, in Viram. Genes. 2: vers. 22.

Augustinus anxiè hic inquirit, an aliquod & quale hic fuerit angelorum ministerium; annon fortè costa hominis ministrata sit per angelos in opere creationis? Concludit tamen,

Deum

Deum per ſemet ipſum in creatione operatum eſſe, nec angelos ullam omninò poſſe creare naturam.

Non magis abſurdum, ex coſta factam eſſe mulierem, quàm cœlum è nihilo, Adamum è pulvere, imò quam è gutta ſanguinis & ſeminis etiamnum formari homines.

Alii ſciſcitantur, quomodo è tam parva coſta tam grande mulieris corpus fieri potuerit? Qui è nihilo tam immenſa fecit corpora, & hoc potuit. Miraculum hîc eſt. In miraculis non patet modus divinæ operationis: admirationem enim non haberent.

Mulieris *Anima* unde verò fuit? Qui traducem ſtatuunt, ita dicunt: Aut ex *coſta*, aut ex *anima* viri, aut ex *nihilo* exſtitit. Non ex coſta, quia eſſet corporea & mortalis. Non ex nihilo, quia hòc Scriptura non tacuiſſet. Ergò ex anima Adami. Sed futile hoc.

Traduci repugnat, quod dicitur, *accepit unam è coſtis*; non verò, accepit partem animæ. Item, *os de oſſibus, caro de carne mea*; non verò, de anima mea.

Coſta *ædificata* eſt לְאִשָּׁה. Ergo אִישׁ exſtitit אִשָּׁה.

In voce וַיִּבֶן eſt Metaphora. Aut indicatur peculiaris corporis fœminei ſtructura, quod inſtar domus vel ædificii latius ſit parte inferiore, & gracilius ſuperiore: ita nonnulli. Alii referunt ad effectum, quod mulier *ædificet* familiam. confer Geneſ. 16: 2. *Fortè ædificabor ex illa.* 1 Sam. 2: 35. *Det Dominus viram hanc, quæ venit ad domum tuam, ut Rahel & Leam, quæ exſtruxerunt domum Iſraëlis.* Ruth. 4: 11. *Adhuc ædificaberis domus Iſraël.* Jer. 31: 4. Uxor eſt ædificium œconomicum ob generationem & educationem ſobolis: maritus uxorem habet quaſi domum, in qua & cum qua habitat conſtanter.

Alii *ædificandi* verbo notari volunt perfectionem ſpeciei humanæ, Illa ſolo exiſtente viro ædificium erat quaſi ſemiplenum; muliere verò creatâ, abſolutum.

Mulierem ædificatam *adduxit* וַיְבִאֶהָ אֶל הָאָדָם. Ita data eſt Adamo in conjugem.

Nonnulli dicunt, Filium Dei ſpecie indutum corporea formatam hanc à ſe formoſiſſimam fœminam ſua manu viro adduxiſſe, & tanquam νυμφαγωγὸν diſertis verbis deſponſaſſe, & in matrimonium dediſſe.

Adduxit, ut eſſet עֵזֶר *auxilium* כְּנֶגְדּוֹ.

Hinc videtur phraſis orta, *adducere*, *ducere uxorem*, pro deſponſare, & matrimonium inire.

En *conjugii* auctorem *Deum*. En, ut ſanctus hic ordo ſit contrahendus & colendus. Non rapuit Adam mulierem, ſed accepit à Deo adductam. Ita quilibet ſuam à Deo exſpectet. Ita, qui *invenit uxorem, invenit bonum & impetravit gratiam à Domino.* Prov. 18: verſ. 22. *Domus & opes eſt hæreditas patrum, & à Domino uxor intelligens.* Prov. 19: verſ. 14.

Nec ipſa Eva accurrit, ſed Dei ductum exſpectavit.

Adducti unus ad alium, Adam & Eva, dextras ſibi junxerunt. Adam enim aſſumit Evam. Eva cum Adamo manere volupe habuit. *Non concubitus matrimonium facit, ſed conſenſus conjugum.*

Adam de uxore ſua dixit, Geneſ. 2: 23. *Hæc nunc eſt os ex oſſibus*; quaſi dicat, unum os ex oſſibus meis deſumtum; *& caro de carne mea.*

Lætatur, comparem ſibi accommodam adduci. Celebrat Dei ſapientiam, bonitatem, potentiam. Teſtatur conſenſum ſuum & approbationem ordinis divini. Profitetur affectum amoris erga ſponſam ſuam.

Hæc exclamatio & concio de ſancto conjugio prima fuit hominis vox in Paradiſo; ſaltem quæ in ſacris expreſſa eſt. Nam cum impoſuit *nomina* animalibus, id quod ante

 for-

formationem uxoris videtur factum, Genes. 2: 19. 20. 21. sine dubio etiam vocem edidit.

Mulier erat Adami *os* & *caro*. 1. *origine*, quia è carne & osse ejus formata. 2. *communione naturæ*, quia specie humana cum viro conveniebat; sexu tantùm differens. 3. jure *conjugii*, quia in unam carnem ei erat sociata à Deo.

Sed unde hæc scivit Adam? An expergefactus sensit defectum in latere suo? Atqui tum non ita lætanter loquutus fuisset. An in ἐκστάσει fœminam sibi è costa formari vidit? Sed sine dubio ex divina hoc revelatione didicit.

לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה *vocabitur virago*. Pagninus, *virissa*. *Virago* non quamvis, sed fœminam virili animo præditam significat. Theodotion, κληθήσεται ἀνδρίς. Quod ex viro est sumtum, jure denominatur à viro. Imò & eodem jure gaudet in domo cum viro. Dicunt JCti, *Viri radiis coruscare mulierem*.

Quia ergo mulier è *viro* est, imò virissa est, certè *monstrum* dici non debet. Aristoteli *fœmina* est primum in Natura monstrum; παρέκβασις καὶ πάρεργον *excursus & prævaricatio*; sumta metaphora à viatoribus, qui quandoque aberrantes à præstituto deflectunt itinere. Dicit, Naturam intendisse maris formationem, sed produxisse fœminam ἄῤῥενα πεπηρωμένον *marem imperfectum*.

Multis fœmina animal mutilum, occasionatum & accessorium audit.

Anno 1595. Anonymus quidam theses edidit, & *fœminas homines esse* negavit; nec Christum pro illis passum & mortuum.

Atqui monstrum non est. 1. à Deo creata est. 2. nil illam deficit, humanas si spectes dotes. 3. Fœminæ cottidie fiunt, monstra rarò. 4. Vir, qui tenetur perpetuo uxori adhærere, monstro sine dubio adhærere non teneretur.

Non homines ex putri nascuntur materia, ut Avicenna. Nec in furnulis coquuntur & assantur, ut Paracelsus. Nec ex dæmonum prodeunt congressu, ut Vallesius ineptit; sed ex maris & fœminæ fiunt consortio, teste Scriptura & Natura. Necessarius ergo fuit *mas*, necessaria *fœmina*. Statuentes secus

— genuit duris in cautibus horrens

Caucasus, Hyrcanæque admôrunt ubera tigres.

Porro *dixit*. Matth. 19: 5. καὶ εἶπεν. *Ideo derelinquet vir patrem suum & matrem suam & adhærescet uxori suæ*. Genes. 2: 24. *& erunt in carnem unam*.

An sunt hæc verba Mosis, ex doctoris officio inserentis legem de insolubili conjugii vinculo? Potius videtur continuatio sermonis Adami, qui declaravit, idem spectare ad alios viros & uxores, illosque invicem sibi, ut carni uni, conjunctos debere manere indissolubiliter.

Christus Matth. 19: ℣. 5. *Deo* tribuit hæc verba. Per Adamum enim illa Deus dixit. Adam, spiritu afflatus prophetico, legem perpetuam futuris sancit conjugibus.

Ideo. Quia uxor sumta est de carne & ossibus viri, *idcirco* vir ei potius, quam parentibus adhærebit.

Vir & uxor non minus una caro sunt, quam Adam & Eva. Ideò addit: *Et erunt caro una*.

Prophetia verò hæc continet. 1. ordinem conjugii in mundo perseveraturum. 2. Deum conjugio benedicturum, ut per id multiplicetur genus humanum; ut conjuges fiant parentes, vir Pater, mulier Mater; ut ita ex ordine conjugali alii suscitentur ordines parentales. 3. parentalem ordinem cessurum conjugali: citius enim vir parentes, quàm uxorem derelinquet.

Nec

Nec verba hæc tantùm ſunt nuda *Prophetia*, ſed etiam *Lex*, de eo nimirum, quod Deus fieri velit: *relinquet*, *adhærebit*, *erunt*. Præceptiva ſunt, mandatum includunt.

Lex etiam tria continet.

1. ut vir adhæreat uxori præ omnibus rebus, quæ in mundo. Matth. 19: 5. προσκολληθήσεται, *agglutinabitur*; quaſi tabulæ conglutinatæ indiſſolubiliter cohærebunt. 2. ut conjugium ſit unius viri, & unius fœminæ. 3. ut vinculum conjugii ratum maneat & indiſſolubile, & quidem inter duos tantùm. *Erunt in carnem unam.* Caro autem una lacerari non debet.

Primum præcipit de ineundo conjugio, de cohabitatione, & copula carnali; damnat truculentiam & perfidiam conjugum; imprimis *adulterium*. Adulter ſcorto adhæret, non uxori. 1 Cor. 6: 16. *Secundum* prohibet *polygamiam*. *Tertium*, præter illam, & *divortium*; id nimirum, quod extra cauſam ſcortationis, & malitioſæ deſertionis fit.

Quomodo verò congruit, *Derelinquet*, cum eo, quod præcipitur in Lege: *Honora Patrem?* Reſp. 1. *Relinquere* patrem, non eſt illi debitum honorem & operam ſeu auxilium negare, ſed, deſertâ domo parentis, cohabitare uxori, & cum ea novam exſtruere familiam. Id quod ſalvo amore parentum fieri poteſt. 2. Parentes magis quam uxor diligi poſſunt, & vice verſa. Gradus *dilectionis* diſtinguuntur vel ratione boni, vel ratione conjunctionis ad diligentem. Secundùm rationem *boni*, quod eſt objectum dilectionis, magis diligendi ſunt *parentes*. Diliguntur enim ſub ratione principii, hoc eſt, Dei, qui per eos nobis vitam dedit. Secundùm verò *rationem conjunctionis* magis diligenda *uxor* eſt: Uxor enim magis conjungitur viro, ut una caro, quam parentes. Quoad reverentiam, obedientiam, ſubventionem plus debemus diligere *patrem*. Quoad domeſticam ſocietatem & cohabitationem, plus *uxorem*.

Myſticè hunc locum exponit Paulus de *Christo* & *Eccleſia*, Eph. 5: 31. 32. Chriſtus Patrem & Matrem deſeruit, & adhæſit Uxori ſuæ, hoc eſt, Eccleſiæ. *Matrem*, hoc eſt, veterem Synagogam.

Oſiander hinc errorem ſuum de Chriſto naſcituro homine, etiamſi homo non fuiſſet lapſus, tueri conatus eſt. *Deus*, inquit, *ante peccatum*, *conjugio carnali Adami & Evæ, maximam unionem adumbravit Chriſti & Eccleſiæ.* Ergo etiamſi non peccaſſet homo, Chriſtus futurus erat Eccleſiæ Sponſus; proinde homo. Reſp. Eſt fallacia accidentis. Diſtinguatur inter res & relationes acceſſorias rerum. In Paradiſo inſtituit Deus non *myſterium*, ſed *conjugium*: id poſtea, interveniente lapſu, *myſterium* factum eſt; ut & poſt peccatum remedium fornicationis exſtitit. Adam id myſterium ipſe non præſagiit. Apoſtolus id in conjugio primus conjungit.

Agamus nunc de *Polygamia*, ſed paucis. Hoc genus diſgregationis pugnat cum unitate carnis. Si quis plures uxores domum deducat, diſgregat ſe ab omnibus, nec uni rectè adhæret.

Polygamia inde à lapſu cœpit. Lamech ſumſit ſibi *duas uxores*, Gen. 4: 19. ita *unam coſtam in duas diſtraxit*. Gen. 6: 2. *Filii Dei* ſumſerunt נָשִׁים *uxores*, plures unâ. Eſau duxit *Machalath* עַל־נָשָׁיו, quas jam habebat, לְאִשָּׁה *in uxorem*. Gen. 28: verſ. 9. Jacob quatuor habuit. Gen. 29: 23. 24. 30. 30: 4. 9. Elkanah *duas*, 1 Sam. 1: 2. De Gideone dicitur Jud. 8: 30. quod *multas* habuerit *uxores*.

Errat Cajetanus, docens, *de Polygamia nullam diſertis verbis ſcriptam eſſe legem.* Atqui ſcripta eſt Lev. 18: 18. *Et uxorem juxta ejus ſororem non duces.* Eodem modo dicitur: *Et dicent* איש אל אחיו, hoc eſt, *unus ad alterum*. Exod. 26: 17. אִשָּׁה אֶל־אֲחֹתָהּ *al-*

terâ ad alteram. Non opus enim est cum Judæis hanc legem interpretari de germana forore conjugis, quod eam non liceat ducere, viva conjuge, licere verò, mortua forore conjuge. Quomodo & aliud violant præceptum. Sed ea vetatur conjunctio, quæ efficit צרור *adversationem & controversiam*, quæ repugnat unitati.

Polygamia 1. cum prima pugnat conjugii institutione. Uni viro unam condidit Deus uxorem, non plures. *Vir adhærebit uxori suæ*, non, uxoribus. *Erunt in carnem unam.* nimirum, ut Christus explicat, οἱ δύο, vir unus, & fœmina una, εἰς σάρκα μίαν, Matth. 19: vers. 5.

2. Malach. 2: 15. rogatur Israël, *Annon unum fecit*, Deus; unum par hominum, unum virum, Adamum, unam fœmiuam, Evam; *quum superesset ei spiritus*, ad condendum scilicet Adamo plures conjuges. *Sed quid unum illud*? una caro duorum? *Quærebat semen Dei*; ut sanctum semen è conjugio gigneretur. Ubi non est אחד *unum*, una duorum caro, semen sanctum haberi non potest: Neque enim ubi est defectus amoris conjugalis, ut est in Polygamia, semen in amore perfectum, hoc est, sanctum gigni potest. Adeò Polygamia impedit propagationem imaginis Dei; estque proinde contraria rectitudini.

3. Pugnat, ut dixi, cum amore conjugum, & sic cum illorum rectitudine. Multas conjuges nemo ex æquo amare potest. Jacob magis amavit Rahel præ Leah. Gen. 29: 30. Elkanah Hannam præ Peninnah. 1 Sam. 1: 5. Potest quis multos liberos, ut liberos, qui sibi serviant, diligere; non potest plures conjuges, ut conjuges, & ut unam carnem, præcipuè *honorare*, 1 Petr. 3: 7. & illis sui potestatem facere in omnibus, & omnia cum ea habere communia. Ammianus Marcellinus de Persis πολυγάμοις. *Apud eos*, inquit, *per libidines varias charitas dispersa torpescit.* Atqui vir debet amare conjugem amore intensissimo & perfectissimo.

4. Committitur in illa *perfidia*. Malach. 2: 14. *Jehova testatus est inter te & uxorem juventutis tuæ*; nimirum quum dixit, *Vir derelinquet* &c. *cum qua tu perfidè agis*; nimirum, dum non vis esse *unum* cum illa, sed & adhæres alii: *quum illa*, nimirum una illa, non alia præter illam, *sit socia & uxor fœderis tui*, seu fœderata tibi, cui fœdere & pacto immutabilis dilectionis, curæ, consortii junctus obligatusque es. Addit paulo post Malachias: *Et caveretis in spiritu vestro, & erga uxorem juventutis tuæ ne perfidè agat.* cap. 2: 15.

5. Etiam in illa est *mœchatio*. *Mœchatur, qui, dimissa uxore*, μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *ducit aliam*. Matth. 19: 9. Verum id non esset, si liceret viro plures ducere uxores. Ergo certè & is mœchabitur, qui retinens *uxorem juventutis suæ*, κουριδίην ἄλοχον, præter illam ducit aliam.

6. Si tanta est viri & uxoris conjunctio, ut fas sit propter eam parentes relinquere & iis non servire, quomodo justum erit, quod uxoris est, corpus, alii fœminæ tradere? Pater & mater uxori non facient controversiam, quo minus integrè vir uxori suæ adhærescat; & secunda tertiave fœmina faciet primæ controversiam de viro?

7. Est illa multarum scatebra rixarum. Plures mulieres sibi *invident*. Gen. 30: 1. *Et Rahel invidebat sorori suæ.* Se mutuò *infestant* & irritant. 1 Sam. 1: ℣. 6. *Peninna* dicitur צרתה *infestatrix illius*, nimirum Hannæ, & dicitur *illam valdè irritâsse & commovisse.* confer Lev. 18: 10. *Ne ducas uxorem ad aliquam* לצרר *ad infestandum*, hoc est, ut se met invicem infestent, & controversiam sibi faciant. Virique in contentionis tracti partem, vel peccabunt in mulierum unam, vel una aut altera mulierum peccabit in virum.

8. Facit illa, ut conjugium terrestre non amplius sit typus conjugii cœlestis. Unam

Chri-

Christus habet Sponsam, unam uxorem: & polygamus habebit plures uxores?

9. *Ob scortationem unusquisque suam habeat uxorem*, non, uxores. 1 Cor. 7: 2. Addit: *Mulieri Vir debitam benevolentiam reddat.* Id in Polygamia semper fieri impossibile est.

10. Est illa indicium animi incasti, & nimium ad venereas propensi res.

11. Nuptias unius cum una satis multæ sequuntur molestiæ. *Tribulationem in carne habebunt.* 1 Cor. 7: vers. 28. Ne oneremus nos pluribus molestiis, plures ducendo uxores.

12. *Vir non habet potestatem sui corporis, sed Mulier.* 1 Cor. 7:4. Ubi plures habentur mulieres, quævis debitâ suâ potestate gaudere non potest.

13. *Oblecta te cum uxore pubertatis tuæ, sit cerva amorum, hinnulus gratiæ, ubera ejus te irrigent, in amore ejus oberres semper.* Prov. 5: 19. Id facere non potest ὁ πολύγαμος. Laban monebat Jacobum. *Ne affligas filias meas, neve alias uxores superadducas.* Gen. 31: 50.

14. Romanis illa vetita est legibus. Diocletianus & Maximianus decreverunt, *ne quis habeat plures uxores.* Est alicubi lex: *Infames judicentur, qui habent simul duas uxores.* Theodosius, Arcadius, Honorius decreverunt, *ne Iudæis, qui viverent sub Romano Imperio, liceret plures uxores ducere.*

Patres tamen fuere *polygami.* Certè peccarunt. Hac in re, ut in multis aliis, non attenderunt ad dictamen naturæ, non ad judicium conscientiæ, non ad præceptum legis divinæ; non scrutati sunt hac in parte voluntatem divinam.

Silendo verò & connivendo Deus ad hoc delictum voluit manifestum facere, quam caro sit infirma, & ad omnem libidinem prona, etiam in sanctissimis; quàm inconsideratè & præcipitanter mens humana agat, nisi indesinenter moneatur & corrigatur à Deo; quam securè homo peccet, vel tantillum relictus sibi; quanta voluptatis carnalis & ignis libidinum sit efficacia, ubi non coërcetur.

Ergo permisit Deus πολυγαμίαν πρὸς τὴν αὐτῶν σκληροκαρδίαν. Matth. 19:8.

Post diluvium nullus Sanctorum è stirpe Sethi ad Abrahamum usque legitur fuisse bigamus.

Non valet effugium ad morem usitatum. August. libr. 2. c. 47. contra Faustum. *Quando mos erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen est, quia mos non est.*

Divortium etiam hoc verbo interdictum est. Est enim officium conjugum, ut *vir uxori suæ adhærescat, & uxor viro suo præsto sit.* Ergo neuter deseret alterum, & debitam negabit alteri εὔνοιαν. Conjuges sunt magis una caro, quàm parentes & liberi. Ergo non potest ullo modo fieri rectè, ut conjux deserat conjugem.

Desertio fit, 1. quando conjux secedit. 2. quando quis occasionem secedendi præbet. 3. quando ei permittit secedere, & in secessionem consentit, urgetque. Qui volens secedit, qui occasionem præbet secessioni, qui dimittit & expellit, in una omnes culpa sunt, scindunt unam carnem, separant, quod Deus fœdere copulavit. Dicitur *Deus conjungere.* ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν. Matth. 19:6. *Conjunxit* 1. quos aptos fecit generationi. 2. imprimis, quos intercedente consilio & voluntate eorum, quorum maximè interest, & in quorum potestate sunt, sibi invicem despondit; inter quos per desponsationem est *fœdus Dei.* Mal. 2: 14.

Hinc sequitur 1. qui alias ducunt, aut aliis nubunt, committere adulterium. Luc. 16: vers. 18. 2. qui id permittunt, lenones fiunt & approbatores adulteriorum. Matth. 5: 32.

Matth. 19: 9. Marc. 10: 11. 12. ὃς ἐὰν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται ἐπ' αὐτὴν *mœchatur in illam.* καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς, καὶ γαμηθῇ ἄλλῳ, μοιχᾶται. Pro eo Matthæus & Lucas: καὶ πᾶς ὁ ἀπολελυμένην ἀπὸ ἀνδρὸς γαμῶν, μοιχᾶται. Intelligenda est talis *dimissa*, quæ ipsa consensit, & ipsa sic virum quasi dimisit suum.

Apud Judæos non tantùm vir fœminam, sed & fœmina virum dimittere solebat.[1] Josephus scribit, *Salomen* id fecisse. Marc. 16: 1.

Repudium est, quando *sponsa* remittitur. *Divortium* est distractio inter virum & uxorem. Hinc dicitur, *Facere divortium cum uxore*. Cic. Phil. II. *Cujus ex omni vita nihil est honestius, quàm quòd cum mima divortium fecit.*

Est tamen dimissio justa, nimirum si conjux commiserit *adulterium*. Deut. 24: 4. dicitur dimissa, si nupserit alteri, *impura facta*, eò quòd non illibenter usa sit discedendi occasione. Jerem. 3: 1. *Si dimittat vir mulierem suam, & eat illa ab illo, & facta sit viro alii, an revertetur adhuc ad illam, annon* חָנוֹף תֶּחֱנַף *hypocrisi contaminabitur terra hæc? Et Tu* זָנִית *cum sociis multis,* וְשׁוֹב אֵלַי *dicit Dominus.* Uxorem semel dimissam factamque alterius, reducere domum, est lenonem fieri uxoris suæ. Noluit id Deus. Alia etiam subest causa politica, ne scilicet quis proximo videatur per uxorem insidiari.

Concessit Moses viro dare libellum *repudii*. Matth. 19: 7. *Cur ergo Moses precepit dare libellum discessionis, & eam dimittere?* Non tamen id constituit extra reprehensionem. Intermisit autem punire hanc transgressionem, & non statuit pœnam in transgressorem; idque πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν *convenienter duritiei cordis ipsorum*, ut ei consentaneum erat, ut illa merebatur. Matth. 19: 8. Id ipsum pro pœna stuporis fuit, quod non prohibiti sunt publicare scelus suum, & animum ab humanitate & à carnis suæ charitate aversum ostendere. Mal. 3: 1. כִּי שָׂנֵא שַׁלַּח *dicit Dominus Deus Israël, & tegat se injuria pro veste sua; & caveretis in spiritu vestro, & non perfidè ageretis.*

Evenire tamen posse justam causam, ob quam fas sit dimittere uxorem, ipse docuit Moses Deut. 24: 1. *Quum invenerit in ea* עֶרְוַת דָּבָר *nuditatem verbi, sive* ἀσχημοσύνην λόγον παρέχουσαν, turpitudinem, quæ causam & rationem præbeat divortio. Ita Matth. 5: vers. 32. παρεκτὸς λόγου πορνείας, *citra rationem scortationis.* confer Matth. 19: 9. εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ.

De insigni & generali quasi divortio legimus Esr. 9: 2. 3. *Populus Israël, Sacerdotes & Levitæ; sumserant ex filiabus* gentium incircumcisarum, Cananæarum, Jebusitarum Ægyptiarum, *sibi & filiis suis uxores.* Sic וְהִתְעָרְבוּ זֶרַע הַקֹּדֶשׁ בְּעַמֵּי הָאֲרָצוֹת. *Manus Principum & Antistitum in prævaricatione hâc fuit prior.*

Præceptum erat Deut. 7: 3. 4. *Non contrahes cum illis affinitatem; filiam tuam non dabis filio illius, & filiam illius non sumes filio tuo.* confer Deut. 23: 7. Voluit enim Deus gentes illo tempore omninò à *politia Israëlis* esse *separatas*. Eph. 2: 12. & esse μεσότοιχον inter *illas* & Israëlem. Ibid. ℣. 14. 15.

Exstante hoc præcepto legis, quod, ut omnia alia veteris fœderis, exsecrationibus munitum erat, Deut. 27: 15 – 26. & a Deo vivo promulgatum, & à Mose, fideli Dei servo, impositum, & tanto intervallo à sanctis observatum, cujusque transgressio seu violatio strage duorum olim à Pinchaso erat piata, Num. 25: 6 – 8. imò & ob quam 24000. ex Israële ceciderant, ibid. ℣. 9. scelus certè fuit, & prævaricatio, & transgressio fœderis, & inobedientia, secus agendo illius non implere tenorem.

Ut peccato quæreretur remedium, & esset *exspectatio Israëli super hoc*, hoc est, spes con-

condonationis, Esr. 10:2. necessum erat, ut *educerentur omnes* illæ *mulieres*, & *quicquid genitum* natumque esset *ex illis*. vers. 3.

Omnis Israël, sub pœna exterminii, voce tubæ citatur Hierosolymam. vers. 7. 8. Accedunt omnes; audiunt hoc consilium; dicuntur fuisse *trementes propter verbum*. Esr. 10: vers. 3. jubebat enim rem conjugali amori contrariam, ut & diuturnæ consuetudini: tamen ita effectum est, & *separati sunt a populis terræ*, וַיֹּשִׁבוּ נָשִׁים נָכְרִיּוֹת. Esr. cap. 10: vers. 11.

Quæritur de æquitate hujus facti? Conjugii Deus Auctor est; legem illi dixit. Gen. 2:22. 24. *Quod Deus conjunxit, homo ne separet.* Matth. 19:6. Sed quid hic Israëlitæ? Ducentes uxores peregrinas transgressi erant Dei præceptum. Dictum erat: *Relinquet patrem, & adhærebit uxori*; non verò: *Relinquet Deum, & adhærebit uxori.* Nullum conjugium licitum & integrum est, quod est contra voluntatem legemque Dei. Igitur & hoc Israëlitarum conjugium erat illicitum. Id contrahendo reliquerant non tantùm patrem & matrem; id quod aliàs injustum non est; sed & reliquerant Deum, quod nullo modo, casu, tempore, justum est. Deinde, *quod Deus conjunxit*, quod assentiente illius voluntate sociatum est, *homo ne separet*. Atqui non conjunxerat Deus Israëlem cum peregrinis: Ipsi carnaliter se cum illis conjunxerant: tolerantia Dei permiserat. Attamen præceptum olim datum & observatum, *Ne ducite peregrinas*, clamabat, non conjungi illos debere. Ergo Esræ Dei servo, & sociis ejus liberum erat, separare, quod non conjunxerat Deus, quod contra Dei legem conjunxerat se, quodque adeò ipso jure disjunctum reputari debebat.

Lex hæc divina nos non obligat. Neque enim nobis data est. *Pax* Christi *inimicitiam abolevit*, Ephes. 2:15. unde 1 Cor. 7:12. 13. 14. *Si quis frater mulierem habet infidelem, & illa acquiescit habitare cum illo, ne dimittat illam. Et mulier, quæ habet virum infidelem, & ille acquiescit habitare cum illa*, μὴ ἀφιέτω αὐτόν. Docet tamen nos id, quod est 2 Cor. cap. 6: vers. 14. *Ne sitis jugum trahentes cum infidelibus.* & 1 Cor. 7: vers. 15. *Si infidelis separatur, separetur; non cogitur servire frater aut soror in talibus.*

Viro & Mulieri ita junctis *benedixit Deus*. Hæc benedictio partim est *communis*, velut de generatione & multiplicatione prolis; id quod etiam *piscibus & volucribus* dixerat. Genes. 1:22. partim *propria*; nimirum repletio *terræ*, & dominium in terram, & bestias ac animantia.

פְּרוּ *fructificate*. Genes. 1:28. Promittitur fœcundatio ad conservationem speciei necessaria.

וּרְבוּ *multiplicate*. ibid. & *implete terram*. Hieronymus. *Nuptiæ terram replent: Virginitas Paradisum.*

Finis conjugii ergo & hic est. Ita *ex uno sanguine fecit totum genus humanum, ut habitaret super universa superficie terræ.* Act. 17:26. Et quidem *multiplicare & fructificare semen Dei* quod sit hæres imaginis Dei, & benedictionum integro homini concessarum. Extra hunc scopum conjunctio viri & fœminæ nefaria est.

Adam in rectitudine, & sic castitate generans, generaturus fuisset *semen Dei*, hoc est, filios imaginem Dei habentes, quemadmodum Adam acceperat. Id verbum *benedictionis* importat, *Fructificate & multiplicamini*. Tales nimirum multi futuri erant, qualis erat conditus unus. Igitur rectitudo Adami profuisset filiis ejus ad hæreditatem imaginis Dei accipiendam. Ita filii Adami sanctificati fuissent ab utero. *Lactentes* sanctificatione, quæ ca-

Dd dere

dere potest in lactentes; nimirum eatenus, ut nullus pravus motus in anima illorum futurus fuisset, usque ad annos, quibus potuissent distinguere inter bonum & malum. ***Adulti*** sanctificatione, qualis convenit adultis; hoc est, ut accepissent eadem dona, quæ Adam habuit in creatione; & tales effectæ in illis fuissent cogitationes, quales Adam habuit ante lapsum.

Spiritus Dei semper illis adfuisset, ostendens, quid rectum pravumque sit, quod in corpore agi posset; ita tamen, ut & hi sine dubio, sicut parentes, etiam ipsi mutabiles essent à bono ad malum.

Ut Christus, natus absque peccato, ab omni peccato custoditus fuit, donec posset discernere inter bonum & malum, & tum *crevit*, ut *statura*, ita *sapientia*, Es. 7: 15. Luc. 2: 52. ita se res propemodum habitura fuisset cum filiis Adami in integritate & rectitudine generatis.

Etiam ***hominibus*** primis benedictio divina largita est *subactionem terræ* & ***dominium***. Genes. 1: 26. & 28. *Subigite illam*, terram, *& dominamini in pisces maris, & volucres cœli, & in omnem pecudem, quæ se movet super terra.*

Igitur implere debebat homo terram non solum generatione & habitatione, sed cumprimis potestate & usu cultuque. Etsi nonnullæ partes orbis, imò plurimæ initio fuerunt & manserunt inhabitabiles, tamen accepit homo totius dominium jure divino; licet non statim potuerit habere totius orbis usum, finitate suæ naturæ.

Si homo non fuisset factus ad dominium in terra exercendum, jam omnia, quæ in terra, frustra condita fuissent. Cui inservissent? Cui subjecta fuissent? Quis illis utendo gloriam Dei illustrem fecisset, & in usu illorum sapientiam Dei & bonitatem agnovisset ac celebrasset?

Datur ergo hoc dicto potestas homini, utendi omnibus rebus, & quæ sibi subjicere possit, ea sibi subjiciendi. Citra jus, quod Deus dat homini in res suas, nil ipsi contrectare fas est. Potest Deus ex illis alias homini subjicere, alias non; ut ostendit in interdicto arboris. Scilicet in his rebus non consistit hominis beatitudo; etiamsi non omnibus terrenis utatur creaturis, nil minus beatus esse potest.

Imperfectio est, talibus vitæ sustentaculis indigere. Corpus spirituale, quod suavitate & robore Spiritus completum est, non sentit famem, nec eget cibis, & solo Deo, vita sua, contentum est.

Si nullum Dei verbum exstet, quo homini interdicatur usus alicujus rei, jam licet illi omnibus uti, prout rerum natura fert, ut iis homo utatur. Deum non amanti impuræ sunt res omnes, hoc est, usurpatæ eum inquinant, & reum constituunt.

In dominio seu jure subjiciendi sibi omnia non consistit *imago Dei*, sed hæc prærequiritur, tum ut homo rectè utatur illis rebus; tum ut Deo dignum sit homini ea subjicere primitus.

Subjicite eam vobis. 1. Vult Deus illius propriè rem quamlibet esse, cui dederit aliquid in terra sibi subjicere. Quod aliquis occupavit, quum possessorem non habuerit, id non potest fieri alterius, sine ipsius voluntate. Ante occupationem communia omnia sunt; post occupationem sunt ejus, qui apprehenderit. Ideò illicitum est *furtum*; quod contra *veritatem* est, quæ dictat, id esse hominis, quod Deus ei dedit; injustum esse, facere se dominum ejus rei, cujus rei Deus alium dominum esse voluerit.

2. Vult Deus, quæ in terris sunt, subjici, occupari, in proprietatem redigi; per singulos quidem, sed non per avaritiam; & ita, ut quæ occupantur à singulis, habeantur ad commune

mune bonum. Quum enim dicit, *Dominamini, Subjicite,* dominium omnibus quasi commune largitur. Sunt homines una caro: non habet homo sibi subjectum mundum, si alius homo careat necessariis. Cato sumus una; uno egente, omnes egemus.

3. Vult Deus nos *laborare. Subjicite vobis terram.* Agendum est aliquid, industria impendenda, ut nostrum panem edamus.

Quæritur: An etiam in statu innocentiæ homo homini dominaturus fuerit? Resp. Deus dicens, *Subigite & dominamini in pisces* &c. disponit de ordine hominis ad bruta, non de ordine hominis ad hominem. Etiam absque peccato ordo aliquis superiorum & inferiorum videtur futurus fuisse. Patria potestas in liberos, & maritalis in uxorem, est juris naturæ etiam non lapsæ. Fortè etiam fuisset dominatio & subjectio aliqua civilis, sed tota æqua, spontanea, salutaris. Major societas hominum etiam majorem ordinem requirit. Politiæ fuissent ut magnæ familiæ, in quibus qui præsunt, sponte consulunt: qui subsunt, sponte obtemperant. Post lapsum servitus cœpit esse pœna peccati. Crescentibus in mundo confusionibus, sanxit Deus arctiore instituto regnorum & politiarum distinctionem, & hucusque servavit.

In *cibum* dedit Deus homini 1. *omnem herbam semen facientem.* 2. *omnem arborem, in qua fructus arboris.* Genes. 1: ℣. 29. confer 2: 16. *Ex omni arbore horti edendo edes.* 3. *bestias, volucres, omnes animas viventes,* inter quas & *pisces* numerari possunt. 4. *omne olus herbaceum.* Genes. 1: 30.

NB. Particula לְ Genes. 1: 30. וּלְכָל־חַיַּת הָאָרֶץ non est hic nota dativi, sed notat inclusionem, ut כְּ, quod ejus loco usurpatur Gen. 9: 3.

Ergo esus carnium ante diluvium fuit receptus. Nam & in hac donatione conceduntur Adamo carnes. Martyr Comment. in 1 Cor. 8. *Ante diluvium carnes non edebantur.* Putant, homines tandem olerum pertæsos & τῆς ὀπώρας τροφῆς, cœpisse illis vesci.

Quicquid sit, Adamo fuit integrum, carnes comedere. Si non, debuisset Deus dicere: *Feras & animantes non dedi vobis.* Quæ potest esse subjectio animalium & piscium homini concessa nisi ad esum? Multorum nullus usus est, nisi esus. Neque etiam dominium hominis post lapsum est amplificatum.

Et quid hoc? *Feris dedi omne olus herbæ,* id quod tamen & homini fuit datum Gen. 9: 4. Quid igitur piscibus dedit? Multæ etiam sunt animantes carnivoræ.

Domicilium etiam Deus huic homini paraverat. Genes. 2: 8. *Et plantavit hortum in Eden, ab oriente, & posuit ibi hominem, quem formaverat.* confer vers. 15. *Et sumsit Deus hominem, & posuit illum in horto Eden, ad illum colendum & custodiendum.* Hortus hic plantatus fuit sine dubio die tertio, quo terro universa germinavit. *Plantavit,* ἀνθρωποπαθῶς. Ita commendatur loci præstantia; quasi singulari Dei cura plantatus. confer Jes. 5: vers. 2. וַיִּטָּעֵהוּ שֹׂרֵק. Hic hortus, quamvis totius orbis dominium acceperat homo, debebat illi esse quasi amœnissima regia. *Hortus* est locus circumseptus, terreus. גַּן à גָּנַן *protegere.* Horti sepibus muniti ab incursionibus proteguntur.

Hortum hunc LXX dicunt παράδεισον; id quod est ex פַּרְדֵּס. Cant. 4: 13. *Propagines tuæ paradisus malogranatorum, cum fructibus pretiosis, cyperi cum nardis.* Eccl. 2: 5. *Feci mihi hortos & paradisos & sevi in illis arbores omnis fructus.* Nehem. 2: 8. Nehemias Hierosolymam profecturus *accepit epistolam ad Asaph, custodem Paradisi, qui erat Regi, ut daret mihi arbores, ligna ad contabulandum portas palatii, quod domui, & murum urbis,* &c.

Hinc apparet, *Paradisum* dici *hortum,* consitum 1. arboribus frugiferis. 2. ar-

boribus *cæduis*, quæ cæduntur ad ædificia; adeoque & 3. *ſylvas* ac *nemora* in ambitu ſuo habentem.

Apud *Perſas* uſitatum id fuit nomen. Pollux id dicit ὄνομα βαρβαρικὸν & Περσικόν. A Perſis manavit ad *Græcos*. Xenophon in Oecon. τ̃ ἐν Σάρδεσι παράδεισον ἐπιδεικνύναι. *conſeptum agrum* ac diligenter conſitum *in Sardibus oſtendiſſe*. Helen. 4. παραδείσους μεςὺς δένδρων ϰ̀ θηρίων. Ergo Græcis hæc vox notat 1. *nemora*. 2. ferarum vivaria.

Regio, ubi hic hortus fuit plantatus, dicitur *Eden*.

Multi, quia locum hunc reperire non potuerunt, hortum, arbores, flumina, aquas, & omnia hæc in allegorias transformarunt. Alii finxerunt, Paradiſum proximè ſphæram Lunæ in aëre fuiſſe ſuſpenſum. Alii terrenum locum, ſed ultra Oceanum, longiſſimè ſeparatum dixerunt; *ſitum in illuſtri loco*, ubi propter altitudinem nullas habeat tenebras; & ubi ab omnibus ſiderum ortibus illuſtretur. Ita Baſilius.

Sed diſerte Moſes dicit in *Eden* fuiſſe: non ergo in aëre, aut in Utopia tranſmarina, ſed in certa orbis regione.

Vetus interpres עדן & קדם vertit appellativè: *Paradiſum voluptatis à principio*. Rectius LXX. ἐν Ἐδὲν κατ' ἀνατολάς. Baſilius, *in Eden*, id eſt, in deliciis.

Regio, ubi hortus plantatus fuit, dicta fuit, quum Moſes hiſtoriam ſcriberet, *Eden*. עֵדֶן vel עֶדֶן eſt in *Meſopotamia*. 2 Reg. 19: 12. *An liberarunt*, dicebat Rabſekah, *illos dii gentium, quas perdiderunt patres mei, Goſan, Charan, Rezeph*, וּבְנֵי־עֶדֶן. confer Eſ. 37: 12. adde Ezech. 27: 23. חָרָן וְכַנֵּה וָעֶדֶן. Alii reſtringunt ad *agrum Babylonicum*: Alii ad tractum totius Syriæ, Arabiæ & Meſopotamiæ: Alii Syriam Damaſcenam: Alii ſuperiorem partem Chaldææ: Alii horti hujus ambitu Armeniam, Syriam, Aſſyriam, & Ægyptum: Alii totum orbem comprehenderunt. Sed *præſtat dubitare de occultis, quam litigare de incertis*. Auguſt. libr. 8. cap. 5. de Gen. ad lit.

Plaga mundi, in qua hæc regio fuit, *orientalis* fuit. מִקֶּדֶם *ab ortu*. Id dicitur reſpectu illius loci, in quo, quum illa ſcriberet, fuit Moſes. Alioqui nullus locus in mundo magis eſt ad orientem, quam alius. Fuit ergo *Eden* certus orientis tractus. confer Gen. 4: 16. *Et ſedit Cain in terra Nod*, קִדְמַת עֵדֶן. Deſcribit etiam Moſes *quatuor fluvios*, aut quaſi *capita* unius fluvii, ſe porrigentis in diverſas partes. Eos fluvios appellat nominibus ſui temporis, & deſcribit à terris, quas alluebant; eaſque indigitat nominibus gentium eas habitantium. Addit etiam terrarum illarum bona. Gen. 2: 10 - 14.

Hortus hic terreſtris, per ipſum ſui ſitûs nomen ubertatem & fertilitatem ſuam & divitias oſtentans, habuit analogiam cum manſione meliori, nimirum *cœleſti civitate*, *ſede beatorum*; hanc adumbravit, & ſedem hanc Deus Adamo per figuram hanc ſignificavit & ante oculos poſuit.

Hic hortus dicitur גַּן יְהוָה Gen. 13: 10. Nam 1. Deus ipſe illum plantaverat. 2. in eo vitæ fœdus, de quo poſtea, cum homine pepigerat. 3. hominem in illo, ut Dei domicilio, ubi ſe ei manifeſtaret, collocaverat.

Quod autem hæc ſedes talis umbra fuerit, apparet, quod *ſedes beatorum* appellatur etiamnum *Paradiſus*, nomine umbræ ad veritatem tranſlato. 2 Cor. 12: 2. 4. Luc. 23: 43. & *Paradiſus Dei*. Apoc. 2: 7. Iſraëlitæ locum gloriæ dudum appellarunt גַּן עֵדֶן & עֵדֶן *Eden*. De piis mortuis dicunt נחו עֵדֶן, *qui requieſcit in Eden*.

Id quod ſplendidum, potens, fertile & copioſum in mundo eſt, comparatur cum *horto Eden*. Ezech. 36: 35. *Et dicent, Terra hæc devaſtata exſtitit ut hortus Eden*. Ita & dicitur de plaga Jordanis Gen. 13: 10. Eſ. 51: 3. *Conſolatus eſt Dominus Zion, poſuit deſertum ejus*.

ejus, ut Eden: & solitudinem ejus, ut hortum Jehovæ. confer Joël. 2:3. *ut hortus Eden terra ante illum, & post illum, ut desertum desolationis.* Ezech. 31:8.9. de Assyrio. *Cedri non cooperuerunt eum in horto Dei. Omnis arbor in horto Dei non fuit ejus similis in pulchritudine sua,* hoc est, nullus dynasta, rex in toto mundo ipsum æquiparavit, adde vers. 9. *Et inviderunt ipsi omnes arbores Eden, quæ erant in horto Dei.*

Ezech. 28:12. dicitur de *Rege Tyri. In Eden horto Deo exstitisti.* LXX. ἐν τῇ τρυφῇ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ ἐγενήθης. Tyri Rex, in media hæreditate Israëlitarum habitans, figura factus est Antichristi, qui in Ecclesia & domo Dei, hoc est, cœtu vocatorum, tanquam vitæ vestibulo, locum habuit. Admixtus fuit Ecclesiæ, similitudinem habenti Paradisi.

Ut *Paradisus*, ita & *terra Canaan*, & *urbs Hierusalem* symbola fuerunt cœlestis hæreditatis; & pro re significata vocitantur.

Paradisus & *terra Canaan*, populo Dei in hæreditatem tradita, contesserationem & convenientiam pulcherrimam habent. Utrumque quasi paravit & plantavit Deus. Es. 5:2. In utroque fœdus pepigit. In utroque homines *suos* habitatum posuit. In utroque se sæpius manifestavit. Ex utroque ob inobedientiam ejecit eos, quos ibi collocaverat. Canaan tamen hoc accepit pro Paradiso, quod in illa apparuit Deus in carne manifestatus, & opus redemtionis consummavit.

Hunc *hortum* homo primus debuit *servare* & *colere*. Labor hic fuisset recreatio hominis: ad delectationem & utilem id faciebat corporis exercitationem: pars erat naturalis illius, in qua conditus erat, felicitatis. Nondum condemnatus erat homo *ad sudorem faciei*; nondum *spinæ* crescebant è terra: peccati hæ res sequelæ sunt.

Hic Paradisus multas habuit *arbores. Ex omni arbore horti comedes.* Gen. 2:15. Fuerunt verò duæ in horto insignes arbores. *Et arbor vitæ in medio horti. Et arbor cognitionis boni & mali.* Gen. 2:9.

Arbor vitæ dicitur stetisse *in medio horti*, Gen. 2:9. Eo non solum arboris dignitas & excellentia, sed etiam *situs* in medio notatur. Eundem situm etiam habuit altera *arbor cognitionis.* Gen. 3:3. *Et de fructu arboris, quæ in medio horti, non edetis.*

Fuere hæ arbores *veræ*, cæterarum arborum similes, corporeæ & terrestres. Fuerunt עץ *lignum.* Habuerunt פְּרִי *fructum.* Ficus fuerint, an pomi, aut pyri, nil ad nos. Utraque fructum edebat jucundum, bonum. Gen. 3:6. 21.

Arbor vitæ, hoc est, vivifica. Ita סם חיים, זבובי מות, בלי מות, רוח חיים, תוכחת חיים, סם מות, ἄρτος ζωῆς, πηγὴ θανάτου, ὀσμὴ ζωῆς καὶ θανάτου.

An verò ita dicta est ab *effectu*? An potuit hominem totaliter facere immortalem & vitam ei æternam largiri, ante obedientiam præstitam? Ita comminatio mortis frustra fuisset. An post obedientiam præstitam? Eandem semper virtutem habuit; neque accepit postea, quod ante non habuit. An post lapsum potuit homini ad mortem damnato vitam ultra statutum prolongare? id quod videntur colligere è Gen. 3: 21. Ita decretum Dei fuisset irritum factum, & vitam creatura sine voluntate Creatoris obtinuisset. An forsan divinitus hanc accepit vim, ut qui ex ejus fructu comederet, corpus ejus stabili sanitate & perpetua soliditate firmaretur, nec ulla infirmitate vel ætatis imbecillitate in deterius vel occasum laberetur, ut Beda, Strabus, Lombardus? Hoc sive facere potuerit *vi alimenti*; jam videbuntur reliqui cibi frustra dati Adamo & usurpati; sive *vi medicâ*; Adamus morbis non erat obnoxius; & decentius erat, temperamentum hominis ipsius conservari, quam arbori mirificam quandam vim sanandi attribui. Imò & si talem vim habuisset, non

Dd 3 inde.

inde *Arbor vitæ* dicta fuisset. Non negamus, illam *κατ᾽ ἐξοχὴν* vim alendi & vegetandi corporis habere potuisse; neque tamen definimus.

Ergo concludamus cum Augustino. *Erat homini in lignis aliis alimentum, in hoc sacramentum.* Lignum vitæ fuit *ἐπερώτημα ἀγαθῆς συνειδήσεως εἰς Θεὸν*, hoc est, *sigillum*, dans parrhesiam bonæ conscientiæ, stipulandi à Deo promissionem, institutum verbo Dei; fuitque adeo homini data pignori, quamdiu in integritate perduraret, eum vitam præmium obedientiæ in Deo exspectandam habere. Severianus olim, datum esse *homini*, Adamo, *χαρακτῆρα τῆς βασιλείας*; quod ab Eugubino refert Rivetus.

Vita erat homini ultimum bonum, obedientiæ merces, justitiæ præmium: hæc ipsi conferenda fuisset, si perstitisset, illiusque *sacramentum* & pignus hæc arbor fuit, ut quoties illam homo aspiceret, cogitaret, vitam meliorem, æternam, cœlestem, sibi paratam, seque, ni caderet, illam accepturum, & in certiorem mentum illius interea arbore vitæ usurum.

De hac *arbore* non comedit homo in Paradiso; quamvis nullum tale interdictum ipsi datum sit, ut factum de *arbore cognitionis.* Abstinuit ab illa sponte, magistrâ & duce conscientiâ, quæ illum docebat, quamdiu nondum fecisset, quæ ad obtinendam *vitam* facere debebat, hoc est, perfectam & constantem præstitisset obedientiam, illum nec in *sacramento* hujus vitæ partem habere, nec de illo participare debere.

Sacramenta dantur ad obsignandam communionem beneficii jam exstantis, jam adducti, jam parti. Ita *Cœnam* facimus *εἰς ἀνάμνησιν τῆς κοινωνίας*, quam habemus cum corpore & sanguine Christi. Ita & *Baptismus* obsignat jus, quod habemus in sanguinem & spiritum Christi. Dari sacramenta non debent indignis & reprobis, & in beneficio Christi partem non habentibus.

Ergo & *Adam*, quamdiu *vitam æternam* obedientiâ suâ nondum peperisset & acquisivisset sibi, etiam à sacramento hujus vitæ abstinere debuit.

Id quod fecisse eum, colligi potest è Gen. 3:22. *Et nunc ne mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat.* ac si dicat: Hactenus necdum misit in illam manum suam, nec comedit: nunc fieri posset, ut quemadmodum sumsit de arbore alia vetita, ita *etiam* sumat de arbore vitæ.

Et sine dubio etiam Deus illi declaravit, adhuc sibi ab esu hujus arboris temperandum esse.

Fuit autem sacramentum *Vitæ*; non *illius* tantùm monitorium, quam jam habebat, & à Deo acceperat; id quod cogitasset, quoties de illa comedisset arbore; sed melioris illius, cœlestis & *æternæ*, cum qua acceptam suam vitam commutaturus fuisset.

Id apparet è Gen. 3:22. וָחַי לְעֹלָם *Et vivat in seculum.* Ubi, quamvis Deus homini illudat, quia non potuit arbor hæc vitam nec dare, nec obsignare peccatori; tamen docemur, quæ de hac arbore *vita* exspectanda fuerit; nimirum illa, quæ est לְעֹלָם *in æternum.*

Socinus *τὸ* עֹלָם *seculum* restringit *ad integrum tempus vitæ, quod potuisset homo vivere*; intelligens *longum* tempus; non verò *perpetuum.* Peccat. Nam 1. vita hominis non erat adstricta ad certum tempus. 2. *Vivere in seculum* est oppositum *τῷ redire in pulverem.* 3. Ubique *vita seculi* vel *secularis* opponitur vitæ mortali & terminum habenti. 4. Nusquam *Vivere in seculum* significat, vivere ad possibilem vitæ terminum.

Dices: *Servire in seculum* potest significare *servire per vitam.* Resp. Duratio alterius

rei seu accidentis in homine potest commensurari cum *seculo* ejus, hoc est, cum duratione vitæ ejus; non autem ipsa vita hominis cum seculo hominis, hoc est, cum duratione vitæ, nisi per battologiam, commensurari potest.

Frustra etiam objicit locum Ps. 21:5. Ille enim loquitur de *Christo*, vero & φερωνύμως *Rege*; nec necesse est de *Davide* ὑπερβολικῶς pro *admodum longa vita* intelligi. Et licet Psalmus hic de Davide ageret, ut *typo*, tamen minimè convenit, omnia ejus verba in typum extenuare: sufficit nonnulla Davidi, ut typo, convenire.

Sed non tantùm sacramentum æterni & cœlestis boni fuit *Arbor vitæ*, verum etiam, pro more sacramentorum, quæ etiam quid solent significare, & præter externam speciem, oculis obviam, aliud quid menti objicere, *significavit*, & alterius rei similitudinem exhibuit.

Nimirum significavit illum, in quo & Adam & ipsi Angeli tunc obtinebant vitam, hoc est, *Christum* τὸν λόγον τῆς ζωῆς. Joh. 1:4. 1 Joh. 1:1. Joh. 5:21.26.

Ideò & idem nomen tribuitur tum *Sapientiæ*, Prov. 3:18. *Arbor vitæ est apprehendentibus illam, & qui tenent illam, beatus prædicandus est quivis*: tum *Filio Dei*, qui est ἡ σοφία. Apoc. 2:7. *Vincenti dabo de ligno vitæ, quod est in medio paradisi* sive horti *Dei.* confer Apoc. 22:14. *Ut sit eorum potestas in lignum vitæ.*

Igitur ut *templum*, & *corpus* Christi, & *Ecclesia*, dicuntur *domus Dei*; ubi *templum* quidem magis propriè est *domus*, sed Ecclesia magis propriè est *domus Dei*; ita *arbor vitæ* dicitur tum ea *arbor*, quæ in paradiso fuit terrestri, tum *Filius Dei*; ubi *arbor* quidem magis propriè est *arbor*, sed *Filius Dei* magis propriè est *arbor vitæ*, causa veræ vitæ.

Significavit ergo *Filium Dei*, non tamen ut *Christum* sive Mediatorem: est enim *Mediator* fœderis gratiæ. Quum dicitur *Christum* significasse, id fit, solo personæ respectu, non officii mediatorii. Et licet in Novo Testamento *arbor vitæ* Filium Dei, Mediatorem notet, id fit per accidens, ex mutatione scilicet fœderis. Nec commodè dicitur, arborem vitæ typum fuisse Euangelii. Ita enim confunduntur fœdera.

Concludamus. Arbor hæc fuit verum sacramentum justificationis ex operibus. Eadem ut symbolum & sacramentum Adamo *Filium* Dei manifestavit.

In sacris porro res excellentissimæ dicuntur עֵץ חַיִּים. Prov. 13:12. *Spes protracta dolor cordis*, עֵץ חַיִּים *sed arbor vitæ desiderium veniens*. Prov. 15:4. *Sanitas linguæ* עֵץ חַיִּים *arbor vitæ, & intricatio in ea fractio in spiritu.* Porro, qui *Christi* sunt, germina horti Dei, vitæ ejus participes, vitæ proximi ministrantes, ita dicuntur Prov. 11:30. *Fructus justi* עֵץ חַיִּים *arbor vitæ.* Apoc. 22:2. *In medio plateæ* seu *areæ ejus & fluvii, hinc & inde, arbor vitæ, faciens fructus duodecim.*

Quum dicitur *Arbor vitæ* & *Arbor cognitionis*, putant nonnulli, in nomine arboris esse enallagen numeri; quasi forte designentur duæ arborum species, ut Gen. 2:9. *Et fecerat Dominus germinare è terra* כָּל־עֵץ *omnem arborem*, hoc est, omnes species arborum varias. Id mihi quidem non videtur. 1. quia non additur hic particula universalis כל, ut prius, ubi Moses plura individua vel species rerum notare voluit. 2. ex situ earum peculiari patet, fuisse duas arbores singulares. Utraque juxta alteram in medio horti eminebat conspicua: reliquæ ex ordine circum eas consistebant.

Arbor cognitionis boni & mali, an fuerit tota species, an una de specie, jam jam diximus. Posterius putavit Augustinus libr. 11. de Gen. ad lit. c. 31. *Tale pomum credendum est fuisse in illa arbore, cujus generis poma jam in aliis arboribus senserant innoxia.* Sed si jam de talibus pomis ederant, quomodo tantus appetitus incessere Evam potuit & Adamum,

ur & de hujus arboris ederint? Aut num habuit poma longè in specie sua præstantissima? Unde verò id constat?

Quidam dicunt, hanc arborem fuisse *typum legis*. Sed ita sequeretur, Adamo præceptum fuisse, abstinere ab eo, quod arbor cognitionis significabat, hoc est, ab ipsâ lege.

Dicta autem sic est 1. non à *forma interna*, quasi ipsa esset rationalis, sciens bonum & malum. 2. non ab *effectu*, quasi esset scientifica per se, hoc est, quasi suo usu datura fuisset majorem scientiam; & vim haberet augendi ingenii. 3. non à mendaci *promissione omniscientiæ*, qua serpens mulierem decepit. Gen. 3:5. Nam ante illam promissionem Deus hoc arbori jam dederat nomen. Sed ab *eventu*, quem Deus hac appellatione prænuntiavit secuturum, si homo ab ea non abstineret. Nimirum quod per hanc arborem manifestum futurum fuisset, utrum homo *bonus*, hoc est, obediens & sic justus, an *malus*, hoc est, inobediens injustusque esset. Item, quod occasione illius arboris, ut justitiæ, ad quam vocabatur, & injustitiæ, ita felicitatis amissæ, & miseriæ accersitæ differentia erat appparitura. Experturus suo malo erat homo, quantum bonum amisisset, quantum contrà malum sibi attraxisset, & è quantæ felicitatis fastigio, in quam profundam miseriæ voraginem per peccatum se præcipitasset.

Fuit autem hæc arbor 1. signum dominii Dei. 2. subjectionis hominis. 3. materia explorationis. Non verò propriè *sacramentum* neque *vitæ*, neque *mortis*.

Illa dum arbore abstineri Deus jussit, ostendit 1. se unum omnium rerum Dominum esse. 2. dominium hominis non esse absolutum aut independens. 3. nil ab homine appetendum, nisi in & ad Deum; nullam rem corruptibilem, licet jucundam & pulchram, per se, ut bonum hominis, expetendam. Iis, quæ Deus largitur carni, contentam illam esse debere; imò & solo Deo, si res ita ferat. 4. omnium rerum appetendarum & fugiendarum *regulam* solam esse Dei voluntatem. 5. de bono & malo non judicandum esse ex animo hominis, sed ex solo Dei verbo & præcepto. 6. obedientiam plenam esse eam, quæ fit *ex toto corde*, hoc est, perfecto animi judicio, *ex tota anima*, hoc est, omni affectu & cupiditate, *& omni intensione virium*, hoc est, summo studio ac contentione omnium facultatum. Talis obedientia in iis, quæ minima videntur, sollicitè curandis probatur. Et hominis obedientia non consistit in animæ tantùm actionibus propriis, quas vocant *elicitas*, sed etiam in membrorum omnium motu recto, quas actiones vocant *imperatas*. Imò *Animam*, si vel minimum membrum perperam moveat, in se ipsa rectam sanctamque minimè esse posse.

Chrysost. περὶ τὸ ξύλον τοῦτο ἡ γυμνασία ἦν τῆς ὑπακοῆς καὶ παρακοῆς. *In hac arbore erat exercitium obedientiæ & inobedientiæ.*

Præceptum hoc fuit δόγμα *placitum*, sive imperium δεσποτικὸν *dominicum*.

Dominus unico, & ut videtur, facillimæ hujus rei præcepto, hominis obedientiam experiri voluit; uno actu integrum obsequium vel probaturo, vel destructuro, & plura peccata tracturo.

Non igitur hujus arboris fructu interdixit Deus, eo quod arbor fuerit mala, aut venenum; neque quod bonæ arboris fructum & effectum invideret homini, ut Manichæi olim Mosi objecerunt; sed, ut dictum, ut hominis obedientiam & liberum arbitrium exploraret. Potuisset majus quid & difficilius prohibere vel præcipere; sicut re difficillimâ expertus est Abraamum. Sed dedit legem de re nec magna, nec difficili, ut facilis esset obedientia, & homo si transgrederetur, omni prætextu vacaret. Erat tamen exploratio valdè accommoda.

Homo

Homo nusquam est infirmior, quàm circa moderandas voluptates *gulæ*, & omnino *tactus*. Illæ hominibus non accedunt, qua homines sunt, sed qua animalia.

Etiam id narratur Genes.2:19. Bestias agri, & volucres cœli *adduxit* Deus ad Adamum, לִרְאוֹת מַה יִּקְרָא־לוֹ. Ita *vocavit* seu indidit *nomina omni pecudi*, *volucribus*, *& bestiis*. vers. 20.

An verò adduxit omnia & singula individua in universum ex toto orbe? an ea tantùm, quæ erant in Paradiso? an verò ex universis speciebus singula tantùm paria, marem & fœminam?

Piscium non fit mentio. In genere animalium sunt imperfectissimi. Extra aquas statim interiissent. Nomina illis ab Adamo & posteris deinceps indita, verisimile.

Magna hæc fuere comitia, cujusmodi deinceps nulla in orbe visa terrarum. Sancta Trinitas, totum humanum genus, & omnia terræ animalia simul convenerunt.

An verò adduxerit illa Deus per *Angelos*, ut Augustinus putavit, an valido vento, an alia ratione? scire haut interest. In Deo omnia moventur & sunt. Interno illa instinctu movit, ut venirent; quemadmodum etiam pisci præcepit, ut deglutiret Jonam & evomeret.

Duabus autem de causis. 1. ut homo nomina illis inderet. 2. ut videret, an in illis adjutorium se decens esset. וּלְאָדָם לֹא מָצָא עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ. Genes.2:20.

Hæc animalium nomenclatio ostendit hominis ante lapsum *ingeniositatem* & *sapientiam*, & totius naturæ *scientiam*. Animalibus, necdum visis antea, omnibus & singulis, nomina singulorum naturæ convenientissima, nullo docente, absque errore & mora imposuit. *Plato* in Cratylo docet, non esse triviale quid, rectam nominum impositionem, sed præstantissimorum virorum, nonnullaque rerum nomina divina quadam virtute posita esse. *Eusebius* libr. 11.cap.3.& 4. de Præpar. Euang. apud Hebræos nomina commodè & juxta naturam rebus imposita docet.

Nomina hæc indita fuere, non frustra, nec Adami causa, sed in posteritatis usum.

Videatur & hic Dei *sapientia* & *bonitas*.

1. Ipse rectius poterat brutis imponere nomina: sed homini id tribuit. Ita simul homini omnia animalia subjicit, ut ab illo regantur, à quo nomina acceperant.

2. Nomina animantibus singulis congrua ab integro homine imponi voluit, pollente adhuc rerum cœlestium & naturalium scientia; idque magno generis humani bono. In ipsis rerum appellationibus sparsit semina naturalis scientiæ; cavitque confusionem naturarum distincta appellatione. Humano generi linguam formavit. Primæ rerum appellationes, & prima lingua fuit ea, quæ postea ab *Heber*, pronepote *Semi*, *Hebræa* est dicta. (Genes. 10:24.) Appellationes, *Adam*, *Ischah*, *Chavah*, *Abel*, *Kain*, *Enosch*, aliaque hodie Hebræis propria, id ostendunt.

Ita absoluti sunt *cœli*, & *terra*, & *omnis exercitus* illorum. Genes. 2: 1.

Exercitus cœlorum & terræ sunt. 1. Angeli cœli. confer Luc. 2: ꝟ.13. Apoc. 19: vers. 14. 2. *Astra* & *sidera*. Jer. 19: 13. Zeph. 1:5. *Disperdam eos, qui super tecta adorant militiam coeli*. Act.7:42. παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ. 3. *Omnes creaturæ*, terrâ marique viventes, magnæ & parvæ.

Exercitus dicuntur. 1. ob *multitudinem*. Exercitus enim dicitur à *copia*. 2. ob *ordinem*. 3. ob *obedientiam*. In exercitu milites obtemperant ducibus.

Igitur *sex* diebus condita fuere omnia. Cur verò non omnia simul *momento*? Potuisset ita Deus, sed noluit. Voluit unum opus præcedere aliud; idque ita se absolvisse, tum indu-

bitabili verbo, tum evidenti Mannæ miraculo, testari, & in ipsis tabulis fœderis, de Sina pronunciati, insculpere.

Habet talis dispensatio operis & digestio singulare documentum. 1. Si non fuisset creatio diebus distincta, nec Sabbati *quies* fuisset; nec ea fuisset benedictio & sanctificatio Sabbati. 2. Voluit Deus prius potentiam suam & bonitatem in infirmitate & imperfectione creaturæ demonstrare; dein in consummatione. Id monet productio rerum sine luce, & lucis è tenebris. 2 Cor. 4: 6. 3. Alia etiam opera Dei circa Christum & Ecclesiam respondent operibus illorum dierum. Christus die Sabbati in sepulcho jacuit, desiitque aliquid agere aut pati inter homines. Ita declaratum est, opus redemtionis pridie fuisse consummatum. Hic responsus testatur, Deum πρὸ τῆς καταβολῆς τοῦ κόσμου consilium redemtionis cepisse.

Ita videmus, sapientissimo consilio Deum sex dies operi impendisse. 1. ut suam potentiam, libertatem, & bonitatem magis declararet. 2. ut ordinem naturæ sanciret; quæ similiter à confusis & imperfectis paulatim ad distincta & perfecta tendit; quam viam etiam ars imitatur. 3. ut isto creationis tractu & mora nos etiam in accuratiore operum meditatione diutius detineret.

Et vidit Deus omne, quod fecerat, וְהִנֵּה טוֹב מְאֹד Genes. 1: 31. Hæc est approbatio operum divinorum. Hactenus vidit singula, quod *bona* essent, non dubio examine, sed certissima comprobatione & beneplacito. Nunc omnia simul intuetur, & comprobat non tantùm ut *bona*, sed ut *valde bona*. Constet ergo, hoc mundi opificium fuisse omnibus numeris, partibus & gradibus absolutissimum. Quicquid labis, deformitatis, vitii vel ἀταξίας in mundo & rebus singulis jam cernitur, non id Dei est, sed Diaboli & hominis peccantis.

Erant *bona*. 1. usum habebant. 2. perfectionem habebant. 3. imago Dei in medio creaturarum erat. 4. omnia testabantur creaturæ ad imaginem Dei conditæ, quod Deus esset finis & bonum illius.

Valde bona. Hæc particula præcipuè addita fuit propter hominem, cujus plurimas prærogativas historia creationis observat. 1. Post omnia alia conditus, *finis* aliorum statutus est. Finis verò nobilior iis, quæ ad finem. 2. Prævio consilio, non nudo Dei imperio. Id ostendit operis præstantiam. 3. Sancta Trinitas in ejus creatione se clarius ostendit; *Faciamus*. 4. Non productio ejus terræ, aquæ, elementis, ut germinum & brutorum, imperata est, sed per Trinitatem immediatè creatur. 5. Solus homo conditur in imagine Dei. 6. Singulari & mirando artificio corpus *Viri* è gleba, *Mulieris* è costa, Anima utriusque immortalis è nihilo creata est. 7. Duos hos indissolubili matrimonii lege ad sobolis procreationem conjunxit: bruta sine lege generationis reliquit, & promiscuos ac confusos congressùs illis statuit. 8. Solus Paradisi factus incola, & usumfructum illius habens. 9. *Dominus* omnium creaturarum factus est.

Ἑπτάστιχον de *sex dierum operibus*.

1. Terra & abyssus aquæ, lux, primâ lùce creata est.
2. Cœlum, atque undarum divisio facta secundâ.
3. Tertia secrevit terram & mare, protulit herbas.
4. Quarta dedit nitido stellarum sidera Olympo.
5. Quinta tulit pisces in aquis, cœlique volucres.
6. Sexta feras, hominesque Dei sub imagine fecit.
7. Septenâ tandem Deus hausit luce quietem.

Ita *cessavit* seu *quievit Deus die septimo ab omni opere suo, quod faciebat.* Genes. 2: 2. destitit eo die novum opus facere: quippe, quum is dies venisset, nil ad consummationem uni-

universi faciendum superetat. Absolvit Deus die septimo omne opus non inclusivè, sed exclusivè. Septimo veniente consummaverat opus, quod non tum faciebat, sed hactenus fecerat, quodque absolvendum susceperat. Idcirco septimo die destitit novam rem condere.

Rabbini operosè nituntur explicare, quomodo Deus absolverit opus suum die septimo. Abatbenel in Commentario censet, Deum die septimo dedisse facultatem agendi secundùm naturam suam, & quidem maximè ad producendum simile. Quæ inania sunt figmenta.

De Dei *quiete* non est quod ratio se torqueat. Est actus merus & perpetuus; propriè non quiescit. Neque creando fuit defessus, ut quiete indigeret. Epicurei ex hac quiete colligunt, non regi à Deo mundum, sed Deum, in cardine cœli ambulare & desuper spectare, ac ferri permittere res hominum.

Manichæi Mosi objecerunt Joh. 5. *Pater meus operatur usque huc.* Item: Deus post peccatum creavit spinas, tribulos, irides. Quomodo ergo quievit die septimo?

Chrysostomus homil. 10. *Humano more & quadam attemperatione ad nostram institutionem loquitur Scriptura divina* &c. *Quievit, id est, subsistit, cessavit à procreandis producendisque ex nihilo rebus, ut essent.* Cessavit Deus ab opere, quod absolverat, citra laborem & lassitudinem, solo nutu. *Non enim lassatur, neque defatigatur Iehova, qui creavit terminos terræ.* Es. 40: 28.

שבת non significat propriè *quietem* à *labore*, sed *cessationem*. Quievit ergo Deus, non à labore, nec à motu, quo non egerat, nec à defatigatione, nec à cura operis conditi, quam non deposuit; sed à creationis opere, non condere volens plures mundos, cælos, terras, rerumque species, & alias mundi species, quas omnes perfecerat.

Primum motorem Aristoteles fatetur esse *immobilem*, hoc est, agere absque motu. Deus omnia fecit nutu, non motu.

Quievit Deus, non simpliciter, sed secundum quid: non dedidit se otio, non deseruit opus creatum, non ludit otiosus cum Angelis, non negligit mundum; sed non pergit creare alia nova opera, novos vel plures mundos; sicut Anaxagoras finxit infinitos mundos, quod audiens ex eo *Alexander Magnus*, illacrymasse fertur, quod, cum plures mundi essent, ipse nondum uno esset potitus.

Operatur ergo Deus etiamnum, quia curâ & providentiâ suâ conservat & gubernat res semel creatas. Non magis eæ subsistere possent, Deo non conservante, quàm existere potuissent, eo non creante.

Tribuli & *spinæ* jam ante peccatum fuerunt, sed absque hominis molestia & noxa. Postea cesserunt in maledictionem, & hominis laborem in agris sæpè illudunt.

Iris fuit ante diluvium; saltem in causis suis. Postea ordinata est in signum, non creatione, sed gratiâ.

Augustinus Epist. 28. ad Hieron. hinc probare conatur *animarum traducem.* Quievit enim Deus; ergo non nunc creat animas, quas infundat corporibus. Sed idem dici potest de corporibus; Animæ humanæ non sunt nova species. Origenes aliique putarunt, omnes animas creatas esse una vice, & alicubi asservari, & in corpora, quæ cottidie generantur, successivè immitti.

An verò etiam *septimus* dies fuit creatus? Resp. certè in causis suis, hoc est, in motu cœli & Solis, die quarto.

Vespera & *mane* septimi diei nulla fit mentio. Paræus. *Fateor*, inquit, *me ignorare*; cur

 nimi-

nimirum id fiat. Resp. Quia opus septimi diei, *benedictio* & *sanctificatio*, non includitur intra terminos unius illius diei, de quo postea. Nec displicet allegorica causa, quia septimus dies est Sabbatum proprium Dei, Angelorum, & Sanctorum in cœlis, quod in nobis esse nunc inchoatur, tandem verò perficietur, quum perpetuam à peccatis requiem agemus, ideo taceri.

Duo autem dicuntur de *die septimo*. 1. *Et benedixit Deus diei septimo*. 2. *& sanctificavit illum*; additâ ratione: *Nam in illo cessavit ab omni opere suo, quod creaverat Deus ad faciendum*. Gen. 2:3.

Duo dicuntur. 1. וַיְבָרֶךְ אֱלֹהִים אֶת־יוֹם הַשְּׁבִיעִי. 2. וַיְקַדֵּשׁ אֹתוֹ.

Judæi nugantur, Deum septimo diei *benedicendo* indidisse singularem vim generativam, seu renovandi vires corporis ad generandum. Ideo ea die maximè liberis procreandis dant operam.

Alii *benedictionem* accipiunt de diei septimi multiplicatione seu perpetuo recursu. Volunt, sex dies creationis semel tantùm fuisse, solum septimum perpetuo recurrere, quia Deus perpetuo requiescit à creationis opere, & omnes dies ei sunt Sabbatum. Sed nimis hoc subtile.

Solomoh Jarchius, referente Mose Nachmanide, *benedictionem* refert ad primum tempus: *sanctificationem* autem ad tempus, quo Israël fuit in deserto. Sed ita nimis longo intervallo separatur *benedictio* à *sanctificatione*.

Sunt, qui verba hæc, *& benedixit*, *& sanctificavit*, volunt à Mose posita per πρόληψιν seu anticipationem, quâ ea, quæ diversi sunt temporis, & successivè longo sæpè interjacente intervallo acta sunt, jungi & simul enarrari solent: adeoque Mosen, dicendo, *Et benedixit* &c. respicere ad id, quod in deserto factum est, cum Manna sexto die dupla mensura, septimo autem non plueret: quo miraculo facto dies septimus cœpit esse שַׁבָּת *Sabbatum*. Exod. 16.

Talis prolepsis non est quidem absurda propter *temporis distantiam*, ut nonnulli putant. Moses enim Gen. 2. similiter alia sui temporis conjungit cum historia primi temporis, quæ facile est legenti ad sua reducere tempora. Veluti 1. quum dicit, *plantatum hortum in Eden ab oriente*, ℣. 8. Non potest dici *ad orientem*, nisi respectu illorum, qui sunt ad *occidentem*, & quidem ab illis, qui ipsi sunt positi ad occidentem. 2. quum nominat *Euphratem*, *Chiddekel*, *Phison*, *Gichon*, vers. 11. 13. quæ intelliguntur esse nomina illorum fluviorum, quum Moses hæc scriberet. 3. quum terras, quas hi alluebant fluvii, appellat nominibus hominum, qui diu post diluvium exstiterunt: Terra *Chavilah*, Terra *Cusch*, *Assur*. 4. quum de gemmis & auro harum terrarum narrat; id quod non initio, sed posterioribus temporibus è visceribus terræ cœpit erui. In Chavilah erat *aurum*, & quidem *bonum*: Ibi *Bedolach*, ibi *lapis Schoham*. vers. 11. 12.

Minimè necessum est, eum, qui de rebus loquitur exstantibus, & res distincti temporis, quæ σχέσιν & relationem habent inter se, narrando aut aliusmodi sermone conjungit, statim exprimere, cujus temporis quodque sit; id quod nonnulli, hanc prolepsin rejicientes, statuunt. Sed infirmum valde est, quod dicunt, prolepsin esse non posse, ubi historicus non utrumque eorum, quæ in narratione conjungit, distinctè & expressè *refert ad sua tempora*. In serie enim historiæ tempora & unumquodque, in tempore quod factum est, distinguuntur facile. Et Moses Gen. 2. in illis, quas citavimus, προλήψεσιν, nihil illorum *ad sua tempora* distinctè refert, sed, ut de re nota loquens, id attento lectori permittit.

Sed libenter mittimus πρόληψιν, quæ hoc in loco, ubi de *benedictione* &c. sermonem facit Moses, satis duriter videtur statui.

Sunt

Sunt denique, qui putant, ex his verbis sequi, Sabbatum seu cessationem septimæ diei inde à primi hominis conditu cœpisse. Sed cogitandum 1. dici quidem, *Et benedixit diei septimo, & sanctificavit eum*; non autem, Et benedixit Deus cuique diei septimo, ordine redeunti; ut de Sabbato quarti præcepti dicitur, *Sex diebus operaberis*, sed *dies septimus Sabbatum*; quasi dicat: Omnes sex dies vacabunt operi, septimus quilibet sabbato seu cessationi. 2. Non inveniri dictum Adamo, quod postmodum dictum Israëli, *Memento diei septimi: non facies ullum opus: omnis faciens opus morietur*. quale quid ipsi dictum de arbore cognitionis boni & mali. Gen. 2: 16. 17. Quæ enim opera Adamo putabimus prohibita, qui quidem in Eden erat positus *ad colendum hortum, & observandum*, Genes. 2: 15. quod ad delectationem & utilem corporis exercitationem faciebat, & pars erat naturalis illius, in qua conditus erat, felicitatis; non autem ad continuos statim labores condemnatus erat, quod post lapsum demum factum; *In sudore vultus tui comedes panem tuum*. Gen. 3: 19.? Quæ verò ratio movisset Deum, ad interdicendum Adamo operibus sanctis & integris, qualia omnia Adami opera, in integritate si perstitisset, fuissent? Num ab operibus bonis & integris cessare necessum est, aut justum? 3. Si Sabbatum periodicum in Paradiso cœpit institui, qui fit, quod post lapsum ejus non mansit continuata observatio, & in Genesi ne verbo quidem fit mentio observati Sabbati ab Adamo post lapsum, aut ab ejus posteris ante diluvium; ut nec à Noacho, Abrahamo &c. post diluvium? 4. Israëli demum ut nova planè & inusitata hactenus res notificatum est Sabbatum. Exod. 16: 23. *Et dixit Moses ad illos: Hoc est, quod locutus est Dominus: Cessatio, Sabbatum sanctum Domino cras.* quale antea non fuit, nunc verò inter vos erit, & stabili observabitur lege.

Si dicas, præceptum de quiete septimæ, injunctum Adamo, ut jam eatenus largiamur, tale illi injunctum fuisse, fuisse ejusdem generis & indolis, cujus fuit præceptum de non gustanda arbore cognitionis boni & mali, jam fatebetis, illud fuisse planè arbitrarium & dogmaticum, nec valuisse ultra lapsum, nisi postquam de novo Israëli à Deo rursus fuit impositum.

Sed audiamus Mosen. *Et quievit Deus die septimo; & benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit eum: nam in eo quievit* seu cessavit *ab omni opere suo* &c. Gen. 2: 3.

Benedixit. Deus benedicit 1. *verbo*, cum gratiam & benedictionem promittit. Gen. 12: 3. *Benedicam benedicentibus te*, hoc est, illis statui beneficia mea conferre. 2. *actu* & *opere* ipso, cum gratias & beneficia confert. Eph. 1: 3. *Qui nos benedixit omni benedictione spirituali*, hoc est, qui bonorum spiritualium participes nos fecit. Quiescendo die septimo, *benedixit* Deus illi diei, non propriè verbo, sed *actu, re ipsa, opere ipso*. Maximum in illum contulit beneficium, majus quiddam illo die fecit, quam diebus sex præcedentibus. Nimirum fecit Deus illum diem testem perfecti operis, absoluti universi, gloriæque divinæ plenissimè demonstratæ. Consecravit quasi illum, ut esset exordium communicationis bonitatis suæ homini, quem ad imaginem suam condiderat. In quarto decalogi præcepto dicitur: *Et quievit in die septimo*, על כן *idcirco benedixit illi.* Quies enim divina evidens argumentum & documentum fuit collatæ in septimum diem benedictionis.

Hæc verò *benedictio* diei *septimi* etiam pertinet ad octavum, nonum, & omnes subsequentes dies: nam & illi participes facti sunt benedictionis divinæ, testesque exstiterunt perfectorum operum divinorum, enarrantes gloriam Dei, & inservientes manifestandæ ac communicandæ ejus bonitati.

Septimo verò diei illa disertè tantùm attribuitur, quia nimirum ille primus exstitit in ordi-

ordine, qui *benedictionem ἐγκώμιον reportavit*; quum tamen ad illum solum non pertineat.

Dein *sanctificavit* Deus diem septimum.

Sanctificare diversimode venit, & congruenter subjectis, de quibus prædicatur, accipiendum est. *Deus* ipse dicitur *sanctificari*, Es. 5: 16. Etiam *Filius Dei*, Hebr. 10: 29. ut & *justificari*, Matth. 11: 19. 1 Tim. 3: 16.

Sed ad quatuor ferè modos latitudo hujus vocis videtur reduci posse. 1. Id, quod in se sanctum est & purum, celebrare sanctum, est, id *sanctificare*. Ita nomen Dei petimus *sanctificari*, & Deum *sanctificamus*. 2. Etiam, quod in se impurum & profanum est, sanctum, purum facere. Sic *sanctificat* Deus electos, purgans eos per lavacrum aquæ in verbo. 3. Quod in se commune est & ἀδιάφορον, ab aliis ad sanctum usum segregare. Sic Deus sanctificabat Sacerdotes, primitias, tabernaculum, & vasa ejus &c. confer Exod. 31: 13. 4. Sanctis rebus & operibus vacare, seu sancta facere. Sic Sabbatum jubentur Israëlitæ in lege *sanctificare*, hoc est, in eo rebus divinis vacare.

Quum dicitur Deus *sanctificasse* diem septimum, id non est accipiendum duobus prioribus modis. Neque enim dies septimus in se sanctior erat reliquis, nec profanior, ante consecrationem. Ergo duobus posterioribus modis. 1. vacatione sancta. 2. ordinatione ad usum sanctum; citra tamen restrictionem ad unum illum diem.

Porrò & id sciendum, & *Deum* & *homines* sanctificare diem ac tempus: aliter tamen ac aliter.

Homo sanctificat, cum diem in sanctitate & exercitiis pietatis transigit. Ita oportet, ut homo diem sanctificare volens, se ipse ad omnem pietatem & cultum divinum componat. Ergo haut potest dies ullus sanctificari ab homine, nisi ipse se in illo & ad illum sanctificet.

Deus sanctificat, cum diem & tempus cultui divino deputat, illumq; in celebratione nominis divini & gratiarum actione & divinorum beneficiorum commemoratione consumi vult.

Igitur, quum *sanctificavit* diem septimum, vindicavit illum sibi, ut in illo coleretur & quæreretur & glorificaretur ab homine ad similitudinem Dei facto.

At *sanctificatio* illa non pertinet ad diem illum unum septimum tantùm, neque intra breves unius illius diei cancellos includitur. Homo enim primus, *imago & gloria Dei*, servire debebat Deo Creatori *è toto corde & tota anima*, non uno tantùm, sed omnibus diebus vitæ suæ; & omnes dies sanctificare Deo æqualiter.

Igitur, ut quod *benedixit* diei septimo, etiam ad alios pertinet dies, ita & *sanctificatio*. *Sanctificavit diem septimum:* non verò illum tantùm, sed & sequentes omnes. Quia tamen *septimus* in ordine exstitit *primus*, quem Deus sanctificavit, & sibi vindicavit, igitur de illo imprimis dictum est: *Et sanctificavit Deus diem septimum.*

Id nonnulli etiam ita colligunt. De septimo die non fuit dictum, ut de sex præcedentibus, *Et fuit vespera & mane, dies septimus.* Nimirum id factum, ne putaremus, id, quod septimo die factum est, *benedictionem* & *sanctificationem*, ad solum diem septimum pertinere; neque adeo intra terminos unius illius diei consistere, quemadmodum quodlibet eorum, quæ sex præcedentibus diebus facta sunt, intra terminum diei sui consistit.

Sanctificavit Deus *diem* septimum; nec *diem* tantùm, sed *hominem* in illo die. *Tempus* non potest *sanctificari*, nisi in tempore hominem & cogitationes, studia actionesque ejus Deo, qui sanctus est, vindicando. Quæ sanctificatio non est septimi diei tantùm, sed etiam reliqui temporis.

Con-

Constat etiam, diem ſeptimum à Deo delectum, ut Chriſtus eo eſſet in ſepulchro, atque ita ab opere redemtionis, ut abſoluto, requieſceret. Hæc eſt *ſanctificatio* quædam diei illius in ordine hebdomadis ad opus ſingulare *ſanctificationis* electorum.

Dicitur hic quidem *ſanctificavit*, tamen id non intelligendum eſt ut præceptum de *ceſſatione*; neque ſubintelligendum; *quemadmodum poſtea ſeptimum quemque diem ſanctificavit precepto.*

Dicunt multi, hoc præceptum eſſe *morale poſitivum, perpetuum.* Quomodo verò id, quod *morale* eſt naturâ ſuâ, poteſt dici *poſitivum*? Quod enim poni poteſt, etiam auferri poteſt, & diſponi aliter. Atqui *morale* nunquam vel in minimo jota & apice abrogari poteſt.

Hominem ſæpe, & quantum fieri poteſt, vacare cultui Dei, hoc eſt, rebus ad corpus ejusque commoditatem pertinentibus omiſſis, in eo tantùm eſſe, quod eſt animi in Deo delicantis, & eum glorificantis, & ejus laudem celebrantis, juſtum eſt per ſe, & ad integritatem imaginis Dei pertinet: ut &, eum id facere in cœtu, ad communem vel lætitiam, vel ædificationem. Sed ad hoc quemvis ſeptimum dari diem in periodo, & eo die vetari opus, etiam extra tempus celebrandi cœtus, poſitivum eſt, & à voluntate dominica pendet.

Sanctificare diem ſeptimum non neceſſariò ſignificat, otium cujusvis diei ſeptimæ imperare. Neque convenire videtur Deo, ut tempus ſe inter & nos diſtribuat, & ſeptimam ejus partem ſibi reſervet. Martyr in Comment. in Geneſin. *Unde non ſumus in Chriſtianiſmo accuſandi, quod Sabbatum non cuſtodiamus, cum omne tempus vitæ noſtræ in Sabbatum conſecraverimus.* Idem. *Tu hic ordinem conſidera. Alia creantur propter hominem; ideò poſt illa conditur homo; homo verò ad Dei cultum; ideò ſtatim poſt illius creationem Sabbati benedictio & ſanctificatio inducitur.*

Summa eſto. Ne cenſeamus, Deum cultum ſuum ad certum tempus alligaſſe. Eſt enim amandus, quærendus, honorandus omni cogitatione. Marc. 12: 30. 37. Quare non datur tempus, quod juſtè & rectè poſſit carere præcepto divino. Nullo tempore non eſt Deus finis & dominus & bonum hominis, ut glorificetur, ut ei ſervitium præſtetur, ut quæratur.

Sed & ita poteſt res explicari. *Sanctificavit* Deus *diem ſeptimum*, hoc eſt ſanctitatem & gloriam ſuam pleniori & excellentiori ratione in illo die demonſtravit. Ceſſando demonſtravit gloriam ſanctiſſimæ αὐταρκείας. Cum plura condere potuiſſet, eis, quæ ſex diebus fecerat, contentus, ſeptimo nil novi addidit, ſuo hominem exemplo docens, ἐν οἷς ἐστι αὐταρκὴς εἶναι. Phil. 4: 11. Imò & gloriam ſanctiſſimæ ac ſapientiſſimæ ordinationis. Omnia alia fecit ante hominem: poſt hominem creavit nil amplius, ut doceretur homo, propter hominem facta omnia; ſe factum propter Deum ſolum. Denique gloriam ſanctiſſimæ voluntatis, quâ in homine glorioſus manifeſtari, & ab homine glorificari voluit.

Hoc, quod in initio hoc mundi factum eſt, repetiit Deus in fine quarti præcepti. Voluit 1. Iſraëlem tanti operis memoriam ſervare ſedulo. 2. Quieſcendo die ſeptimo, exemplum quaſi Dei ſui imitari, & ante oculos habere. 3. Inprimis verò ad benedictionem & ſanctificationem divinam, quæ ſeptimi diei ab exordio rerum creatarum beneficium fuit & prærogativa, hominis integri bonum & felicitas, ſancta fide & ſpe adſpirare.

Paræus. *Sanctificavit Deus diem ſeptimum*, hoc eſt, *ſacra ordinatione eum ſegregavit ab aliis, & ſibi ſuoque cultui appropriavit, ut dies Domini, Sabbatum Domini, dies quietis Domini vocaretur.* Reſp. Nimis id reſtrictè dici; ſed etiam reſpectu aliorum

ſubſe-

ſubſequentium dierum, qui etiam fuere dies quietis Dei, intelligi debere. Ergo cave dicere: Segregavit *ab aliis*; ſed dic: Segregavit ſibi, ſine excluſione aliorum, quos & ſimul, eo ipſo, ſibi ſegregavit & vindicavit.

Paræus. *Hac ordinatio tacitè continet præceptum morale, obligans omnes homines. Sanctificavit diem ſeptimum, ut homo ſciret, in circulo hebdomadico diem unum eſſe ſegregandum ab aliis, & cultui divino publico tribuendum.* Reſp. Falſum eſt præſuppoſitum, diem *unum* illum ſeptimum ſegregatum fuiſſe.

Addit. Sanctificatio ſeptimi diei fuit 1. *exemplaris.* Deus quievit: ergo & nos. 2. *doctrinalis.* Quievit, non otiando, ſed ſanctis rebus vacando, docendo homines de ſuo cultu & felicitate illorum. Sic igitur & nos. 3. *præceptiva.* Sanctificavit Sabbatum, non propter ſe, ſed propter nos. Ergo diei quietis benedicendo ejus ſanctificationem omnibus præcepit.

Docet, Sabbatum fuiſſe obſervatum ante Moſen, & in familiis ſanctorum Patrum: Mundum verò, ut omnia alia præcepta Dei, ſic & hoc profanaſſe; donec tandem priſtino vigori in lege reſtitutum fuit, capitali pœna in contemtores ſancita.

Docet, Quietem die *certo* eſſe ceremonialem; *uno* verò ex ſeptem eſſe moralem. Omnes gentes naturam docuiſſe, Deum ſemper quidem colendum; ſolemni verò ejus cultui certum aliquod tempus à laboribus vacuum tribuendum eſſe.

Homo primus, qui in mundi proſcenium cum imagine Dei prodiit, ſub *lege, & fœdere operum* exſtitit. Pertinet ad imaginem Dei creatam, ſubjici *legi* Conditoris. Nil magis naturale eſt, quam facturam factoris eſſe, & illi ſubjici omni modo, quo ei naturaliter poteſt ſubjici. Nihil cum natura & prima veritate magis pugnat, quàm rationalem & imagine factoris exornatum non eſſe ſervum Dei, ut factoris, eſſe exlegem, non ſubjici, non obtemperare. *Lex*, quæ præcipit amare Deum, & obligatione ſubjectionis conſtat, *naturalis* eſt. ...

Lex poſtulat 1. *facere*, hoc eſt, implere agendo vel omittendo. 2. *omnia, quæ ſcripta ſunt in libro legis.* 3. *in iis manere.* Gal. 3. 12. 10.

Non deſcripſit Deus *legem* Adamo in libro, non in lapideis tabulis, ſed in *tabulis cordis* ipſius. Jer. 17: 1. Erat enim conditus in ſapientia & ſanctitate.

Habuit notitiam recti & pravi, obligantem ad operandum, quod rectum, & vitandum, quod pravum eſt. *Opus legis* ſcriptum ipſi fuit *in corde, conſcientia ipſius atteſtante*: adeoque νόμον μὴ ἔχων, *legem non habens*, pronunciatam aut promulgatam voce vel ſcripto, *ſibi ipſi fuit lex, & naturâ* τὰ τοῦ νόμου *fecit.* Rom. 2: 14. 15.

Hoc ſi de *gentibus* dicere Paulus potuit, in quibus tamen per peccati conſuetudinem, per odium Dei, per ratiocinationes pravas, per concupiſcentias, id diminutum eſt, & minus viget; jam in homine recto & integro fuiſſe multò validius & perfectius omninò certum eſt.

Lex hæc nil aliud eſt, quam *conſcientiæ* dictatus de rebus agendis & fugiendis, eique acquieſcens voluntas. *Conſcientia* verò eſt ea animi *lux*, & illa *facultas*, animæ naturâ inſita, quâ homo 1. diſtinguit inter id, quod rectum & pravum eſt, & rationes recti ac pravi faciendi ac fugiendi cognoſcit. 2. diſcernit verum à falſo, & deprehendit connexionis veritatem, & ita judicat de ratiocinatione bona & mala, de ſapientia & ſtultitia. 3. fit, ut homo non ignoret ea, quæ fecit, & ſibimet ipſi ſe conſulenti, rectènè an pravè egerit, reſpondet, promtiſſimus ſibi teſtis.

Hâc naturali facultate dignoſcit homo, quæ ſunt θεοπρεπῆ *Deum decentia*, Deo digna & in-

& indigna, laudabilia, vituperabilia, licita, illicita. Illa approbat legem Dei; exstimulat ad agendum ea, quæ recta sunt & laudabilia, & vitandum contraria, justè actis attestans, secus acta damnans.

Dicitur illa *συνείδησις θεῦ* 1 Petr.2:19. Nam 1. habet homo illam à Deo; est enim illa quasi alloquium aliquod Dei ad animum nostrum. 2. habet eam communem quodammodo cum Deo. *Conscientia* dicitur quasi communis scientia, sive scientia ejus, quod Deus & alii homines norunt.

Bona dicitur, quum hominem defendit, exhilarat, lætificat. *Mala*, quando eum accusat, terret, damnatur; certè non absolvit. *Inquinata*, quando impuritatem homini cogitur exprobrare.

Alia est *conscientia infirma*, quæ est conscientia præcepti divini, & timoris ac honoris Deo debiti, cum ignoratione donatæ in Christo *libertatis*. Alia est *conscientia bona*, quam habet peccator fidelis, ut cor ipsius ipsum non damnet. 1 Joh.3:21. Item, *conscientia aspersa, purificata, consummata*, quæ testatur de remissione peccatorum, propter expiationem factam. Hebr.9:14. 10:2.

Hic nunc nobis venit, ut est *testis* eorum, quæ facienda sunt. Propter quam *Anima hominis* dicitur *lucerna Iehovæ, pervestigans omnia penetralia cordis*. Prov.20:27.

Distinguamus inter 1. *opinionem* hominis, quæ est assensus præbitus veritati, ex ratione præcipuè probabili. 2. *judicium animi*. 3. *judicium conscientiæ*. Non omne, quod sentit homo, vel opinatur, vel judicat, est judicium conscientiæ. In opinione & sententia hominis versari potest ignorantia, *ἀσυνεσία*, error. Rom.1:21. Non quicquid judicat homo, id judicat ex conscientia, sed quod, omnibus probè consideratis, cum scientia judicat. Non potest esse *conscientia*, ubi non est *scientia*. *Scientia* est assensus ille, qui præbetur veritati ex ratione immutabili.

Ergo *Lex* id fuit Adamo, cum quâ conditus est, id quod ipsi conscientia & cor suum de amore Dei & proximi, de usu & abusu creaturarum Dei, dictitavit.

Lex hæc *naturæ* eadem omnia imperavit homini integro, saltem quoad cultus substantiam, & fontem specialioris præcepti, quæ in tabulis & libro legis scripta exstant.

Et quidem omnia in lege naturæ radicaliter contineri, ita liquet. Moses & Paulus annectunt vitam, integro Adamo promissam, operibus secundùm scriptam legem; & denunciant mortem & maledictionem, in quam in Adamo incidimus, à qua per Christum liberamur, hominibus, tanquam non facientibus scriptam legem. Necesse verò est, unam eandemque legem operum esse vel vitæ vel mortis causam. Ergo *lex naturæ*, & *lex scripta* eadem est.

Non sunt fingendæ plures *Leges operum*; perfectior una, imperfectior altera; illa à Christo tradita, hæc Adamo data, & à Mose descripta. Non est Lex moralis in Novo Testamento amplificata. Non sunt illi addenda *consilia Euangelicæ perfectionis*, quæ homo faciens, plus faciat, quam præceptum est. Bellarm. de Monach. cap.7. & 8. & in præfat. Nullum enim bonum opus est, quod non, saltem in suo genere, sit præceptum faciendum ex omnibus viribus, aut non ex legis naturæ fonte proficiscatur.

Hanc legem & hæc ejus præcepta debuit homo observare *omnia*. *In uno peccasse constituit omnium reum*. Jacob.2:10. In cujusvis minimi præcepti transgressione est aspernatio & violatio ejus, qui totam legem dedit. ibid. vers. 11. Qui unum præceptorum facit, alterum non, is non tam obtemperare, quàm Domino suo imputanda officia eligere, judiciumque suum sequi putandus est. Omnia præcepta arctissimâ inter se connexa sunt necessi-

cessitudine. Non possumus amare Deum, si oderimus proximum: nec proximum, si oderimus Deum. Non possunt amor Dei & proximi ab invicem separari. Ad amorem verò Dei & proximi omnia præcepta referuntur.

Nec tantùm *omnia* observare, sed etiam *in omnibus manere*. Igitur *constans* postulatur *obedientia*, & deficientem nil omnino juvat antegressa justitia. Ezech. 18: 24. & 33: vers. 12.

Præter *naturalem legem* habuit Adam *verbum Dei*. 1. *Fructificate & multiplicamini, & implete terram: & subigite illam: & dominamini* &c. Gen. 1: 28. Omnium hæc rerum subjectio notavit, ut illa propter hominem, ita hominem propter Deum conditum esse. Conjugii institutio castum amorem ad procreandum *semen Dei*, (Malach. 2: 15.) quod scilicet imaginis Dei & benedictionum primi hominis hæres esset, sanciebat. 2. *Dedi vobis omnem herbam, & arborem, cum omni bestia agri & volucre cœli, in cibum.* Gen. 1: 29. 30. 2: 16. 3. *Ab arbore cognitionis boni & mali non comedes.* Gen. 2: 17. quo jussu plurima docuit hominem & commonefecit.

Lex facientibus *vitam* promittit. *Qui fecerit illa, vivet in illis.* Gal. 3: 12. & *benedictionem. Maledictus, qui non manet:* Ergo *benedictus*, qui manet.

Eatenus & *Lex* benè dicitur *naturalis*. Naturale est, obedientem hoc bonum exspectare. Nemo potest Deo εὐαρεστῆσαι, hoc est, placere velle, eum colere, eum quærere, ad eum accedere, nisi qui credat, Deum *esse*, & se quærentibus remuneratorem fieri. Heb. 11: vers. 6. Deus nec Israëli, nec ulli homini dicit, *Frustra quærite me*. Es. 45: 19.

Conscientia testatur, Deum non posse frustrari eos, qui ipsum quærunt; & omnino velle rectum & sanctum appetitum exsatiare & explere. Quod si non vult, ne quæri quidem vult & expeti; atque adeò ne debet quidem. Ita quod justum est, fieret injustum.

Hæc *vitæ* & *benedictionis* promissio hominem ad obedientiam excitabat. Ea tum verbo Dei expresso, tum conscientiæ bonæ pollicitatione, ceu vice Dei, cujus bonitas & veritas naturaliter nota est, homini ad sperandum fuit intimata. Matth. 19: 17. *Si vis ingredi in vitam, observa præcepta.* Perfecta obedientia diligit Deum, 1. quia ex se diligi & honorari dignus est. 2. quia diligentibus se μισθαποδότης γίνεται. Alterum non est separandum ab altero, ne injuria Deo fiat.

Sadducæi olim, Deum propter se amandum, dicebant. Scilicet, qui negabant animæ immortalitatem, corporumque resurrectionem, non poterant aliter. Certè gratis & propter se amatur Deus, si ut unicum hominis bonum quæritur.

Vitam jam habebat homo. Vivebat *anima*, ad Dei facta similitudinem. Eadem naturâ erat *inexterminabilis*, nec poterat *occidi*. Matth. 10: 28. nec annihilari. Vivebat *corpus*, idque, nisi peccatum intervenisset, in animali vitâ per subsidia nunquam defutura naturaliter perennasset: nulla enim erat in rebus maledictio & vanitas. Rom. 8: 20. Job. 5: 6. In corpore nullæ exstabant causæ, quæ *necessario efficerent, cur naturaliter posset aut deberet mori*. Non fuit naturale homini, *in perpetuum dissolvi*. Neque *mors propria sequela naturæ* fuit; quicquid etiam clamet Socinus.

Sed præter omnem hanc vitam adhuc majus & supernaturale bonum *vitæ immortalis* ipsi promissum statuere convenit; quæ demum verè *vita* est, nulli amplius moriendi periculo obnoxia; & ἀφθαρσία *incorruptio*; & verè *bonum* Gen. 2: 9. desiderium hominis recti naturale satians; & æterna *vita*. Gen. 3: 22. וָחַי לְעֹלָם

Humanæ utique naturæ à Deo conditæ necesse fuit *finem* aliquem fuisse propositum. Is verò ne fingi quidem alius potest, quam BEATA VITA TOTIUS HOMINIS.

Cer-

Certè justitia legalis habet æternam & cœlestem vitam pro præmio. Lev. 18:5. *Quæ faciens homo vivit in eis.* confer Ezech. 20:11. Gal. 3:12. Matth. 19:16. 17. *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam. Si vis intrare in vitam, serva mandata.* Rom. 7:10. *Mandatum, quod ad vitam erat,* vers. 12. *Præceptum est sanctum, justum & BONUM.* Ergo hoc præmium, si unquam, habuit locum ante lapsum. Post lapsum enim lex non amplius potest *vivificare.* Rom. 3:20. 8:3. Gal. 3:21.

Hujus æternæ vitæ fuit sacramentum *Arbor vitæ:* quæ non tam fuit *alimento*, quàm *sacramento*: & loci, in qua vita hæc agenda esset, nimirum cœlestis civitatis, fuit *Paradisus.*

Si Adamus nunquam mutabilitatis in ἀφθαρσίαν mutationem sperare habuisset, jam sequeretur, quod nunquam fœdus hoc efficaciam fuisset habiturum. Mutabilis enim nunquam ex conditione pacti fuisset consummatus, nunquam justificatus.

Sunt negantes hanc veritatem. Alii dicunt, *Hominem, cum primum est conditus, promissa nulla habuisse vitæ cœlestis, sed terrestris tantùm. Deum ad cœlestem vitam dandam requirere sanctitatem, quæ Adami* innocentiam *longè superet.* Ita Hugo Grotius in Voto pacis, Artic. 2. Idem in Annot. ad Consultat. Cassandr. Art. 2. docet, Adamum *pollicitatione præmii cœlestis destitutum fuisse, viresque tantùm habuisse præmio terrestri respondentes.*

Amyraldus dicit in Thesibus de tribus Fœderibus Divinis; *Promissionem* Adamo factam *consistere in vita perpetua, & affluente omni bonorum genere, quæ cum in animum, tum in corpus hominis in statu integræ naturæ constituti competere possunt, eaque in Paradiso terrestri fruenda.* Nihil quicquam præterea eo *fœdere*, sub quo Adam fuit, quod vocat *Naturale*, promissum fuisse, ex eo statuit verisimile esse:

1. Quod de vita spirituali in cœlis agenda Scriptura tacet in toto hoc negotio. Non taciturа tamen tam eximiam promissionem, si ulla foret.

2. Quod *fœdus* illud *naturale* fuit. Absurdum autem est, *naturale fœdus* eâ promissione constare, quæ naturæ modum infinito intervallo superat.

3. Quod debuit esse analogia quædam *inter officium ipsum, & promissionem.*

4. Habebat homo integer ante oculos amœnissimum illum & fructuosissimum hortum, ita consitum & ornatum, ut nihil ad vitam, nihil ad honestam & naturæ congruentem voluptatem deesse posset.

5. Objecto nihil exhibente supra naturæ modum, facultate nihil præterea per se divinate valente, haut necesse esse, quidquam ultra comminisci.

6. Cum in omni fœdere contrahendo Deus habeat præcipuè ac primario rationem promissionis, interminationis verò & pœnæ non nisi secundario tantùm, disertis verbis tamen Deus homini *mortem* interminatus est, si peccaret, præmii verò nullius spem ostendit. Id omnino debuisse fieri, si *præmium* in re *supernaturali collocatum est*; de quo nihil quidquam vel levissimè suspicari potuisset.

7. Omnes consentiunt, *Arborem vitæ*, cujus usus permissus erat in Paradiso, *foederis naturalis Sacramentum* fuisse. *Sacramentum* verò illud *naturale* fuit, nec ullius *vitæ* spem facere potuit, præterquam *naturalis*, nisi accessisset peculiaris ea de re declaratio. Atqui id factum esse, Scriptura nusquam docuit.

8. Adamus vita cœlesti donari non potuit, quin funditus immutaretur. nam σὰρξ καὶ αἷμα, etiam citra eam corruptionem, quæ à peccato est, βασιλείαν τοῦ θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται.

9. *Foedus* Naturæ nullum *Mediatorem* habuit, nullam aliam vim conciliatricem majoris boni. Id obtineri non potuit, nisi ex vi alicujus alius fœderis, cujus conciliator esset Mediator supra naturæ conditionem evectus, & apud Deum extra ordinem favorabilis.

10. Ejusmodi beatitudo hominis integri naturam satis decuit. Si enim abhorret ab excellentia naturæ humanæ eo tantùm genere beatitudinis frui, abhorrere debuit ab eadem in eo statu creari.

Concludit. Hoccine videtur esse usque adeò despicabile, hominem vitæ integerrimum, cum incredibili gaudio ex amoris divini sensu, & Angelorum consortio perpetuo perfundi; tum vivere vitam immortalem sejunctam ab omni malo, & omni bonorum genere abundantem, in loco affluente deliciis, non modo favente rerum omnium naturâ, sed & summissè obsecundante?

Addit: Scimus, nonnullorum esse diversam sententiam, à qua sanè non existimamus esse abhorrendum. Nam in iis rebus, in quibus Scriptura nihil admodum expressè statuit, quidquam nimis præfractè vel negare vel affirmare, alienum esse debet à Theologo, quem veteres θρασὺν esse vetuerunt.

Hoc præmium mereri Adam & ejus exspectandi ac petendi *jus* acquirere debuit.

Bonum enim hoc, vitæ æternæ, propositum illi est, ut merces danda κατ' ὀφείλημα. Rom. 4:4.

In natura creata non est ullum meritum ex *condigno*. 1. Debitores sumus: nihil sine Deo possumus facere; præcedaneis beneficiis Deo obligamur. Luc. 17: 9. 10. 2. Deum non possumus obligare, nil à nobis accipit. Job. 41: vers. 2. Rom. 11: vers. 35. Obedientia est bonum nostrum. Job. 22:2.3. 35:7. 3. Nulla est proportio inter opus & præmium. Rom. 8: 18.

Superbiæ nimiæ rea est illa sententia, quæ non tantùm *meritum ex condigno* homini tribuit, sed etiam peccatori. Qui *meritum ex condigno* statuunt, parum cogitant, quid sit *communio Dei*. Quid potest reperiri dignum in omnibus creaturis & in omnibus earum facultatibus & operibus, quod Deum obliget, ut se communicet creaturæ, & omnes divitias suas in eam effundat?

Imò nec ullum *ex congruo*. Nam non est προσωπολήπτης ὁ Θεός, qui externa sua dona admiretur in hominibus, ut propter ea alios aliis anteponat, & quædam habentibus alia non addere non possit. Gal. 2:6.8. Job. 34:19. 1 Sam. 16:7.

Superest *meritum ex pacto*, sive jus postulandæ mercedis, quam ex libertima potestate & voluntate promittit Deus operanti. Hoc est proprium fœderi operum. Placuit Deo, se debitorem constituere *pacto*, & mercedem assignare operibus; non quidem ut proportionatis ad præmium, sed per constantiam & veritatem Dei ad præmium aspirantibus & procedentibus.

Hoc *pactum* unicum est; illo *opera*, ut conditio justitiæ, exiguntur.

Hoc pactum ita Deo dignum est, ut non possit non id inter Deum & hominem intercedere; adeoque, qui novit, hominem à Deo conditum esse ad imaginem suam, is simul cognoscit, si attendat, hominem ad communionem Dei in vita æterna & gloriosa à Deo per operum patrationem vocari.

Meræ potestatis erat, hominem facere; sed impossibile erat, hominem non creari in imagine Dei, idque *ut cum ipso beatus in æternum viveret, ad eum laudandum & celebrandum*, ut Catechesis nostra loquitur.

Ergo inutilis videtur quæstio: *An, & quatenus, & quando Adam cum animali vita etiam acce-*

acceperit jus vitæ æternæ? de qua vide glossam Lyræ Gen. 3. In statu enim innocentiæ habuit quidem Adamus jus vitæ, sed non *jus vitæ æternæ*, nedum *ipsam vitam æternam.* Hoc jus, & hæc vita fuit ei promissa sub conditione, si perfectè legem servaret.

Erat Homo Rectus & suo modo Felix, tamen nondum erat eo modo Filius & Hæres, quemadmodum futurus erat, si præcepta servasset. Erat positus in conditione acquirendi juris vitæ æternæ, non verò jam hæres factus erat. *Gratiam* seu rectitudinem, quam in conditu accepit, ne appellemus *gratum facientem.* Bellarm. de grat. pr. hom. 3. §. 1.

Fuit Adam ante lapsum talis, qui potuit mori. Non igitur habuit jus vitæ æternæ & immortalis.

Imaginem Dei non habuit immutabilem, qualem habere necesse est, qui habent jus vitæ æternæ.

Non habuit justitiam æternam & immutabilem, cujusmodi ad jus vitæ æternæ requiritur.

Non quidem peccavit ante lapsum, non tamen perfectè implevit legem, quod facere debet, qui jus vitæ æternæ habet.

Jus hoc erat ei promissum sub conditione obedientiæ. At hanc non explevit. Ergo nec jus illud habuit.

Adam non habuit ante lapsum vitam æternam: alias non fuisset mortuus. Ergo nec jus illius habuit. Nam qui habet hoc, habet & illam.

Solus Christus adduxit sempiternam justitiam, & jus æternæ vitæ. Non igitur Adam hoc erat nobis communicaturus, etiamsi non peccasset; proinde nec ipse habebat. 1 Cor. 15:22.45.

Sciendum tamen, quatenus vita, in qua conditus est homo, fuit non *animalis*, sed *spiritualis*, vita animæ, vita Dei, qualis vita est initium & gustus æternæ & cœlestis vitæ, eatenus potest dici, Adamum jam jure & fruitione vitæ æternæ gavisum fuisse. Habuit jam ipsam æternam vitam *inchoatam.*

Non tamen dixerim, *Arborem vitæ* fuisse symbolum *juris*, non solum *dandi*, sed etiam *dati.*

Neque jus vitæ æternæ ita habuit, ut ipsam Dei imaginem, nimirum mutabiliter, hoc est, sic, ut posset amittere, si peccaret. Aut; Habebat jus suum sub flexibili conditione perfectæ obedientiæ totius vitæ; quod in momenta singula poterat amittere, quia toties poterat peccare.

Nihil fuit in Adamo immortalitati promissæ pugnans, & destructionem hominis ad illius assecutionem exigens. Non corpus χοϊκὸν *pulvereum* fuit incapax hujus promissionis; nedum boni promissi.

Non *promissionis.* 1 Cor. 15:47. comparatur primus homo χοϊκὸς cum secundo, qui est ἐξ οὐρανοῦ; & *quidem qualis primo creatus fuit; non ut lapsus.* Sed non sequitur: Si creatus est χοϊκὸς, ergo non habuit promissionem supernaturalis beatitudinis. Ita enim & nos χοϊκοὶ ab ea promissione excluderemur. Ibid. vers. 48. ὁ χοϊκὸς & οἱ χοϊκοὶ comparantur; nempe eatenus, quatenus permisit peccatum introgressum τοὺς χοϊκοὺς τῷ χοϊκῷ similes manere. Ne putemus per omnia τὸν χοϊκὸν talem creatum esse, quales reperiuntur nunc οἱ χοϊκοί, & illum æquè rectitudinis & imaginis Dei, ut nos, fuisse expertem.

Non *boni promissi.* Dicitur quidem 1 Cor. 15:50. σὰρξ καὶ αἷμα *non possunt regnum Dei hæreditare*; sed innuitur tantùm, *Carnem*, ut nunc est, quæ cibis & alimentis indiget, quæ conservatione calidi in humido constat; *Sanguinem*, qui nunc in præcordiis & intestinis bullit, qui vitalis spiritus vehiculum est, non esse capacem regni cœlestis. In futura e-

nim vita has carnis infirmitates exuemus. Et Adam ipse, evehendus in æternam vitam, secundùm has conditiones carnis mutandus fuisset. οὐδὲ ἡ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ, *corruptio incorruptionem non hæreditat.* Cum incorruptione, qualem exspectamus, nulla mors, nulla pravitas, qualis in iis, qui habent concupiscentiam, consistere potest. Imò nec *corruptio*, qualis est, quæ cibum potumque necessarium facit, cum illa conjuncta erit. Corpus Adami mutandum fuisset sine destructione, & futurum *spirituale*: & ubi satis diu egisset in Paradiso, & tentata fuisset satis ac explorata ejus obedientia, & probata ejus constantia, in quantum satis erat ad conditionem fœderis implendam, fuisset, post antecedentem hanc immutationem, evehendus ad Deum, & in possessionem æternæ & immutabilis vitæ & gloriæ introducendus.

Vitam ergo quidem. *Lex* obedientibus promisit, sed *mortem* comminata est, ut & actu post introgressam inobedientiam intulit inobedientibus. *Qui fecerit illa, vivet*, inquit. Ergo, qui non fecerit, *morietur.* Cujus *mortis* expressa etiam facta mentio. *In die, quo comederis ex ea, moriendo morieris.* Gen. 2:17. *Moriendo morieris*, hoc est, necessariò & miserè mortis pœnam subibis: ita pœna mors statuitur certissima & miserrima.

Nec *mors* tantùm, sed & *maledictio* inobedientiæ pœna dicta est. *Maledictus, qui non manet* &c.

De hâc *morte* benè Augustinus, Deum *omnes mortes homini* interminari. libr. 13. c. 12. de Civit. Dei. Facit autem quatuor *mortes.* 1. *Animæ*, cum privatur Deo. Hæc mors est animæ separatio à Deo & regno ejus, atque adeò à sanctificatione; unde sequitur regnum peccati. Eph. 2:1.5. 1 Tim. 5:6. Rom. 7:23.24. Matth. 8:22. *Animæ mortem* Philo philosophicè appellat, *corruptionem virtutis*, & *assumtionem vitii in anima.* In hanc opinionem Pelagiani consenserunt, quum peccatum originis dixerunt tantum esse *casum animi.* Sed, ut diximus, mors animæ non notat tantùm separationem à virtute, sed & ab *ipso Deo*, vitâ suâ. 2. Labor, dolor, & omnis hujus vitæ miseria, etiam quasi speciem mortis constituit. Gen. 3:16.17.18. Job. 5:7. id quod Augustinus præteriit. 3. *Corporis*, cum privatur animâ. Hæc mors bona terrestria perperam hîc adamata, & fructum ac πρόσκαιρον ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν (Hebr. 11:25.) & spem peccatoris auffert. Gen. 3:19. 4. Rursus *animæ*, cum à Deo & corpore separata punitur, & in locum cruciatuum transfertur. Luc. 16:23.24.25. 5. *Novissimam* totius hominis, cum anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luet. Corpus enim post decursum seculorum resuscitabitur, & cum anima reunitum ita luet. Act. 24:15. 2 Cor. 5:10. Psal. 90:3. Job. 14:15. Eccles. 12:14. Dan. 12:2.13. Matth. 10:28.

Eucherius in Genesi facit *tres* mortes. 1. In anima, cum hæc deseritur & separatur à Deo vita sua. 2. In carne, cum hæc deseritur & separatur ab anima vita sua. 3. In damnatione, cum corpus & anima abjicitur in Gehennam.

Quicquid *mortis* nomine in Scriptura aut in natura appellatur, id omne Deus homini in pœnam peccati minatur. Atqui omne hoc 1. appellatur in Scripturis *Mors.* 2. oppositum est *Vitæ.* 3. & singula in specie ut pœnæ peccati in sacris appellantur ac enumerantur.

Mortem corporis Aristoteles libr. Eth. 3. c. 6. ita describit. φοβερώτατον ὁ θάνατος, πέρας γὰρ. *quia habetur pro termino rerum.*

Spiritualem & æternam mortem esse peccati pœnam, constat è Psal. 115:8. *Eripuit animam meam de morte.* Joh. 8:51. *Non videbit mortem in æternum.* 1 Joh. 3:14. *Transivimus de morte in vitam. Qui non diligit fratrem, manet in morte.* 1 Joh. 5:16. *Est peccatum ad mortem.* Rom. 6:23. Joh. 8:24. 1 Cor. 15:56.

Etiam

Etiam *corporalem*, manifeſtum eſt. Pſal. 90:8. *Poſuiſti iniquitates noſtras coram te: ideo omnes dies noſtri declinaverunt ob iram tuam.* Rom. 8: 10. *Corpus mortuum eſt ob peccatum.*

Dolores & *anguſtia* animi vocantur *Mors*. Pſal. 18:6. 116:3. *Dolores mortis praeoccupaverunt me.*

Afflictiones externæ etiam paſſim. Exod. 10: 17. *Auferas à me mortem iſtam*; dicebat de locuſtarum plaga Pharao. *Mors in olla*, pueri Prophetarum de pulmento noxio. 2 Reg. 4: verſ. 10. *In mortibus frequenter*, dicit Paulus de periculis ſuis lethalibus. 2 Cor. 11:23. *Inveni rem amariorem morte.* Eccleſ. 7:27. de muliere mala. Vita noſtra, tot malis circumſepta, *mors* potius, quam *vita* dicenda eſt. Aug. de Civit Dei, libr. 12. c. 8. & 11. Joh. 5: 14. μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρόν τι σοὶ γένηται.

Phraſis מוֹת תָּמוּת uſurpatur de morte *corporali*. Gen. 26:11. *Qui tetigerit hominem iſtum, & uxorem ejus*, מוֹת תָּמוּת. Exod. 21: 16. *Qui maledixerit patri ſuo, moriendo morietur.* 2 Sam. 12: 14. הַבֵּן הַיִּלּוֹד לְךָ מוֹת תָּמוּת. De *ſpirituali* & *corporali* ſimul. Ezech. 3: 18. *Cum dixero impio, Moriendo morieris.*

Ut ſtipendium peccati totum exſolveret Chriſtus, & nos à morte penitus liberos præſtaret, neceſſe fuit, Chriſtum mediatorem utramque mortem ſubire, *corporalem* & *ſpiritualem*, absque tamen peccato.

Objectiones. 1. Anima eſt immortalis. Ergo de morte animæ non loquitur comminatio. Reſp. Immortalis eſſentiâ, non verò conditione & ſtatu.

2. Mors corporis non eſt *pœnalis*, neque adeò de ſententia hujus comminationis.

(*a*.) Quia admiſſo peccato non ſtatim inflicta eſt. Si autem fuiſſet, debuiſset; quia dicitur, *Quocunque die ederis, morieris.* Reſp. Non neceſse fuit, Deum mala omnia, quæ minabatur peccanti, ſimul & uno momento infligere. Sed & ſtatim ſuo modo corporalem inflixit. 1. quoad reatum. 2. quoad moriendi diſpoſitionem, ſeu initia mortis corporalis. 3. quoad ejus neceſſitatem.

(*b*.) Omnis pœna eſt à Deo. Mors non eſt à Deo. Sap. 1. *Mortem Deus non fecit.* Ergo. Reſp. Ut eſt cruciatus & deſtructio naturæ, eſt à Satana & peccato: ut verò eſt flagellum & pœna peccati, ſeu exſecutio & declaratio juſtitiæ ejus, eſt à Deo.

3. Adam, etiamſi non peccaſset, fuiſset mortuus; quia corpore corruptibili conſtabat. Reſp. Sic erat corpus mortale per materiæ imbecillitatem, ut ſimul eſset immortale per originalis præſtantiæ & gratiæ ſingularis firmitatem, hoc eſt, ſic poterat mori, ut etiam poſset non mori.

4. Quod homini eſt naturale, non eſt pœna peccati. Arqui &c. Ita Pelagiani olim, negantes, peccatum originis eſse cauſam mortis infantium. Et hodie Samoſateniani, oppugnantes Chriſti ſatisfactionem pro noſtris peccatis. Etiam veteres Pelagianos negaſse, mortem eſse peccato retributam, teſtatur Auguſt. quæſt. 3. ad 8. qq. Dulcitii. Reſp. Falſum, mortem naturæ integræ eſse naturalem. Eſt deſtructio naturæ: eſt contra naturam: natura maximopere ab illa abhorret: magno cum cruciatu naturæ eſt conjuncta: poſt judicium ab illa immunis erit natura.

Dices: Vita eſt naturalis. Ergo & mors. Contrariorum enim eadem eſt ratio. Reſp. Contrariorum eſt eadem ratio tantùm in genere & communibus accidentibus, in quibus conveniunt, ut vita & mors eſt quali[illegible]; eſt πάθος animalis. In aliis verò contrariorum eſt contraria ratio, quia contraria contrariis non conveniunt ob mutuam repugnantiam.

Argumentum Pythagoricum & Platonicum fuit: Separationem animæ à corpore, quæ fit

fit per mortem, corporis ergastulo solvere animam, facereque illam beatam & felicem. Non ergo *pœna* est. Resp. Aug. l. 13. c. 16. & 19. de Civ. Dei. ostendit ex Timæo Platonis, δημιουργὸν Deum *deastris* suis pro magno beneficio promisisse vitam indissolubilem, id est, æternum cum corporibus suis consortium. Dein & committitur *fallacia accidentis.* Per se separatio animæ à corpore est pœna; per accidens fidelibus fit transitus in felicitatem.

Alia objectio. Mors corporalis non est pœnalis, quia Christus illam à suis non abstulit. Resp. Christus nos liberavit ab omni pœna *finaliter.* Interea possunt sui aliquid de effectis peccati adhuc sentire; ut & morbi, calamitates, pestes, aliaque incommoda sanctos infestant. Ita liberavit nos Christus à pœna peccati, ut à peccato. Ab hoc ita liberavit, non, ut non sit in nobis, sed ut non imputetur, nec in nobis dominetur. Possumus & ita dicere: Christus ab omni pœna peccati nos liberavit, quoad *meritum*; sed nondum quoad *efficaciam*, hoc est, nondum effecit in nobis omnia perfectè, quæ est meritus. 1 Joh. 3:2. Col. 3:3. Possumus tamen & sic respondere: Quicquid in morte est pœnale, abstulit Christus; non quod in illa, per illius gratiam, factum est medicinale; velut, quod est *somnus*, *quies* laborum, *depositio* sarcinæ peccatorum, *transitus* in vitam æternam.

Hactenus de *pœna.* Sed annon videtur pœna statui gravior delicto? Resp. Est justa pœna & conveniens justitiæ Dei.

Dicunt. 1. Creatoris est servare, non perdere opus suum. Resp. Peccatum non est Dei *opus*: destructio ejus competebat Creatori. 2. Patris est parcere liberis. *Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri*, ait Chremes Terentianus. Resp. liberis malitiosè degenerantibus: apostatis parata est patris ira & ultio. Es. 1:2. 4. 28. 3. Deus est *misericors.* Resp. salva æquitate & justitia. Justus judex prætextu misericordiæ non dat sceleribus impunitatem. Misericordia in malos est crudelitas in bonos. 4. Homo, creaturarum præstantissimus, non ad mortem, sed ad vitam æternam conditus est à Deo. Resp. Quanto præstantior creatus homo à Deo, tanto inobediens gravius debet puniri. Multum reposcetur ab eo, cui multum est concreditum. Erat conditus *ad vitam*, quatenus nimirum in gratia creationis persisteret, nec se in mortem ultro præcipitaret. Homo peccator excidit quidem creationis fine. Haut verò Deus, qui homini perdito obtulit remedium in Filio. 5. Raptus pomi fuit peccatillum, vix virgæ dignum castigatione. Resp. Antecessit concupiscentia tum oculorum & carnis, tum animi per fiduciam proprii consilii affectantis similitudinem Dei majorem; etiam tepor in precibus, incuria circa verbum Dei, securitas contraria timori Dei, horribilis cum Satana contra Deum conspiratio & apostasia. Hæc omnia antecedentia pepererunt tandem actum peccati consummatum, hoc est, ad externum opus quoque deductum, nim. de arbore esum.

Sed videamus argumenta. 1. Peccatum primi hominis non debuisse esse impune. 2. Non gravius, quam par fuit, castigatum fuisse.

1. Omne peccatum trahit secum reatum pœnæ, tanquam effectum proprium. Ps. 5:6. Rom. 2:9. Est actus inordinatus; fertur & insurgit contra ordinem voluntatis nimirum & justitiæ divinæ, à Deo sancitum. Ergo & ab ipso ordine, vel à principio ordinis naturali inclinatione deprimitur.

2. Justitia est æqualitas; servat æqualitatem culpæ & pœnæ. Peccatum contra Deum commissum est culpa infinita. Quanto major est is, in quem peccatur, tanto gravius est peccatum. Gravius est, percutere principem, quàm hominem privatum. Pœna ergo infinita debetur pro peccato in Deum infinitum.

3. Peccantem à Deo abjici, destrui, & interfici, congruum est *naturali justitiæ* divinæ. Ps. 1:5. Ps. 5:6. Rom. 1:32. 2 Thes. 1:6. Exod. 23:7. 34:7. 1 Reg. 8:25. Prov. 17:15. Ps. 45:8.

De

De
A N G E L I S
IN GENERE.

INter res creatas etiam *Angeli* sunt.

Nomen *Angeli* ipsi *Filio* datur Exod. 23:20. qui tamen cum emphasi *Angelus Iehovæ*, Exod.3:2. *Angelus faciei ejus*, Es.63:9. *Angelus fœderis*, Mal. 3:1. dicitur. *Angelus orator*, Job. 33:23. *Angelus redemtor*, Genes.48:16. idem Zach. 12:8. *ut Deus, ut Angelus* יהוה *coram ipsis erit domus David.* Hos. 12:5. *Et ducis more se gessit cum Angelo.* An etiam *Spiritui Sancto*? Certè Gen. 19:1. dicuntur *venisse duo Angeli Sodomam.* confer vers. 15. ad quos dein Loth, אַל נָא אֲדֹנָי. *Invenit servus tuus gratiam in oculis tuis, & magnifices gratiam tuam.* vers. 21. *Ecce accepi faciem tuam etiam in hac re, ne evertam ego civitatem, quam dixisti.* Ergo vides hîc *Filium & Spiritum S.* confer ℣. 24. *Et Dominus pluit super Sodom sulphur & ignem à Domino è cœlo.* Et Zach. 2:2. *Et dixi ad Angelum, loquentem mecum.* vers. 3. *Et fecit me videre* יהוה *quatuor fabros.* vers. 7. *Et ecce Angelus* הַדֹּבֵר בִּי *exibat, & Angelus* אַחֵר *alter exibat* לִקְרָאתוֹ. vers. 9. *Et ero ego illi, dicit* יהוה, *murus ignis undique* &c. confer versus sequentes, & vers. 14. *Ecce venio & habitabo, dicit Dominus* &c. Ergo & hîc *Filius & Spiritus S.* sub *nomine Angelorum* veniunt.

Etiam *homines* dicuntur *Angeli.* Ita Johannes Baptista. Malach. 3:3. *Ecce ego mitto* מַלְאָכִי *& evacuabit viam coram me.* confer Matth. 11:10. confer Hag. 1:13. *Et dixit Haggai* מַלְאַךְ יְהוָה. *in* מַלְאֲכוּת יְהוָה. Mal. 2:7. de *Sacerdote. Nam Angelus Iehovæ ille.* confer Es. 42:19.

Sed in contradistinctione horum omnium ἄγγελοι θεοῦ dicuntur πνεύματα illa λειτουργικά, mente, voluntate, & potentia se movendi & operandi eximia præditi. ἃ θύραθεν Græcis δαίμονες appellata: quod vocabulum in Sacris impuris tantùm Angelis cedit.

Sadducæi olim μὴ εἶναι ἄγγελον, Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι. Actor. 23:8. Putarunt, per *Angelos* nihil designari, quam vel *motus*, quos Deus hominibus aspirat; vel ea, quæ edit virtutis suæ specimina. Etiamnum Judæorum multi, ea, quæ *Angelis* tribuuntur in sacris, caussis naturalibus ordinariè vel extraordinariè à Deo motis adscribunt. Justinus Martyr testatur, quosdam ἀτμήτους καὶ ἀχωρίστους θεοῦ δυνάμεις, ἃς ὁ θεὸς, ὅταν βούληται προπηδᾶν ποιεῖ, καὶ πάλιν ἀναστέλλει εἰς ἑαυτὸν, *Angelos* dicere.

Angelus Hebræis dicitur מַלְאָךְ: quæ vox derivatur à radice לאך inusitata Hebræis; sed quæ Æthiopibus *mittere* significat. Ergo מלאך *missum* notat: ut & vox ἄγγελος.

Esse *Angelos*, hoc est, spiritus separatos præter Deum, indubium est. Genes. 28: vers. 12. Vidit Jacob *Angelos Dei ascendentes in scala & descendentes.* Vidit Esaias שְׂרָפִים Es. 6:2.3. Daniel *millia millium* &c. Dan. 7: ℣. 10. Apud Job. 1:6. & 2:1. fit mentio בְּנֵי אֱלֹהִים & etiam שָׂטָן. confer cap. 4:17. *Servis suis non fidit, & in Angelis suis poneret stultitiam.* confer Job. 38:7. Psalm. 91:11. *Angelis præcipiet suis super te.* 2 Reg. 6:

vers. 16.

excludat loco corpus aliud mole & quantitate sua. At ubi nulla moles, nulla dimensio, cur non possint esse plures in uno eodemque loco? Posterius: Si Angelus potest esse simul in pluribus locis, cur non poterit esse simul in omnibus locis? Si in duobus, cur non & in tribus, aut quatuor, & ita in infinitum. Naturæ Angelicæ circumscriptio & finitudo prohibet, quominus Angelus sit alio loco, quàm ubi est, nec omnibus locis adsit. Angelus, qui apud Johannem fuit in insula Pathmo, non fuit eodem illo tempore Ephesi. Qui cum Daniele in Babylone, non fuit eodem illo tempore in Judæa.

Angeli dicuntur esse in loco *definitivè*, hoc est, substantiam & naturam habere finitam.

Motus Angeli celerrimus est. *Spiritus ales est, momento ubique est*, dicit Tertullianus.

Angeli sunt *δυνάμεις ἀόρατοι* & *ἀσώματοι*; substantiæ spirituales, simplices, indivisibiles, per se tantùm subsistentes. Non sunt corpus. Non habitant naturali conditione in corpore; aut ut incompletum ens ad corpus organicum animandum & vegetandum ordinatur. Ideò & dicuntur *πνεύματα*; voce eâ, quæ & *ventis* competit; in quibus quid simile incorporeæ substantiæ est, quod nec videtur, nec palpatur, & celerrimè movetur. Idem nomen illis cum *animabus* nostris & cum *Deo* commune est. Cum hoc tamen non ad essentiæ adæquationem, sed ad materiæ & quantitatis exclusionem.

Materiales Angelos putavere Bonaventura, Richardus, Aureolus. Corporibus præditos, Platonici; etiam Tertullianus, Lactantius, Cassianus.

In Angelis est 1. cognitio. 2. voluntas. 3. potentia.

Angelus *se ipsum* cognoscit per suam substantiam; operationes suas & vitam ipse intimè sentit. Non format sui speciem, qui specie caret; nisi dicas, id fieri per imaginem & assimilationem rei alterius: ut quum homo mentem suam cum luce confert.

Deum cognoscit; non in *essentia* Dei; illa est incognoscibilis. פָּנָיו לֹא יֵרָאוּ. *φῶς οἰκεῖ ἀπρόσιτον.* Angeli *alis* tegunt *faciem.* Es. 6. Quo magis *Deum* cognoscunt, *cognoscunt, se non posse cognoscere & comprehendere incomprehensibilem.* Scalig. Exercit. 359: 8. „Est quidem Dei essentia propior & interior, tum essentiæ, tum intellectioni ipsius intelligentiæ, quàm ulla species: tamen non per essentiam Deus ab „illis cognoscitur; non magis, quam ab animabus nostris cognoscitur essentia Dei im„mediatè.

Ergò *Deum* cognoscit in vestigio *τοῦ εἶναι καὶ κινεῖσθαι καὶ ζῆν*, quod est in creaturis, maximè in *imagine*, quam invenit in se, & lege naturaliter ipsi inscripta.

An verò Angelis tribuenda *cognitio matutina*, quâ in *Verbo* cognoscant se & creaturas? Minimè. In multa *ἐπιθυμοῦσι παρακύψαι*: 1 Petr. cap. 1: vers. 12. Quomodo ergo in *Verbo* videant omnia Dei opera? *Nemo novit Patrem nisi Filius.* Matth. cap. 11: vers. 27. *Quæ Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei.* 1 Cor. cap. 2: vers. 11. Solius *Filii* & Spiritûs est, loqui, quæ *viderunt*. Joh. 3: 11. 32. *Filio* monstrat Deus, quæ facit. Joh. 5: 20. Hæc *προτερήματα* Filii non sunt communicanda cum Angelis & aliis creaturis.

Intelligit Angelus, non per suam *essentiam*, sed componit, dividit, argumentatur. Dei proprium est, intelligere per essentiam, nec componere, dividere, argumentari. Angeli nonnulla ignorant; ut *diem judicii*. Quædam quæ fiunt, celari illos possunt. Ignatius tribuit

buit Satanæ ignorationem virginitatis Mariæ, & conceptionis & mortis Christi. Igitur cum quædam ignorent, sæpè fit, ut unum ex alio colligant, adeoque discurrant.

Ergo interventu *specierum* intelligunt, seu per species à rebus abstractas. Unde verò illæ *species*? An statim illæ ipsis insitæ à Deo ab initio? Si id ita, jam Angeli nihil nunc intelligunt, quod non intellexerint ab initio; & res notæ fuere Angelis, antequam essent res.

Rationem cognoscendi per species à rebus abstractas qui Angelis, imò nec dæmonibus competere negant, dicunt, Angelos *sensus externos* non habere. Sed licet instrumenta sensuum externorum non habeant, ut homines, tamen in essentia sua habent vim abstrahendi imagines à rebus; & suo intellectui eas communicandi. Patet id in colloquiis Sanctorum; voces eorum percipiunt, & eis respondent. Considera colloquium Gabrielis cum Zacharia, & Maria. Luc. 1.

Per *revelationem divinam extraordinariam* multa cognoscunt Angeli. Ita *διὰ ἀγγέλου ἐσήμανε* Christus Joanni multa futura. Apoc. 1: 1. confer. 5: 2.

An verò etiam intelligunt per *ratiocinationem*? Quidni? Qui cupiunt *παρακύψαι* in Dei mysteria, quidni & ænigmata divini sermonis meditando & ratiocinando scrutentur? Tamen eorum ratiocinatio multò est acrior & agilior, quam hominum, ut unius hominis multo est agilior, quam alterius. Divinæ misericordiæ effecta ex causis suis, & contrà, colligunt; ut in Canticis videre est. Sic Es. 6: 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus est* יהוה *plena tota terra gloriâ ejus.* Luc. 2: 14. *Gloria in excelsis Deo* &c. Sic passim in doxologiis Apocalypticis ex causis effecta, & ex effectis causas colligunt.

Universalia cognoscunt per comparationem singularium.

Singularia non ignorant. Applauserunt creationi; gaudent super peccatore pœnitente; norunt, ad quid mittantur, quidque efficiant; etiam molitiones Satanæ. Coram illis adjurat Paulus Timotheum. 1 Tim. 5: 21. Illorum reverentia jubet fœminam esse tecto capite. 1 Cor. 11: 10.

Quomodo id fiat, quid inquiris? Anima tua per organa corporis, & porrecto à sensibus phantasmate, sensilium introspicit theatrum rerum. Deus, providentia sua, hanc cognitionem Angelis impertitur, ut vult; non quidem per essentiæ suæ, ut speculi, ostensionem: ita enim Angeli divina decreta inspicerent, quæ tamen Angelis, ut in speculo, minimè patent; nam & diem ultimum olim ignorarunt. Quum Deus, quæ vult, eis revelat, tum facit in ipsis existere *species* & *imagines rerum*, quemadmodum in anima humana.

Cogitationes hominis ab Angelis non cognoscuntur, nisi in quantum signis, & effectis, vel revelatione patescunt. Solus Deus scrutatur corda & renes.

Futura non cognoscunt, nisi quæ Deus revelârit, aut ipsi è naturalibus moralibusque causis conjectârint.

Angeli, quum suos cogitatus sibi mutuo notificant, dicuntur sibi mutuo *irradiare*. Ita res adumbratur, & crassa per sonos colloquia amoventur. Certè est, quo Angelus Angelo sensus suos notificet. Hæ linguæ Angelorum sunt. Dicunt, id fieri *solo voluntatis arbitrio*, quo premunt, vel promunt, quicquid volunt, sine signo sensibili. Hæc clavis est, qua intellectum & voluntatem suam aperiunt. Modum tamen nos non assequimur.

2 Sam. 14: 20. וַאדֹנִי חָכָם כְּחָכְמַת מַלְאַךְ הָאֱלֹהִים לָדַעַת אֶת־כָּל־אֲשֶׁר בָּאָרֶץ.

Est in Angelis 1. *naturalis*, quæ in ipsa creatione illis est indita. 2. *revelata*, quam postmodum ex revelatione divinorum mysteriorum & rerum futurarum acceperunt. 3. *experimentalis* cognitio seu notitia, quam habent per observationem eorum, quæ apud nos fiunt.

Cognitio illorum est merè *intellectiva*, eaque non per essentiam, quæ rerum omnium

imago & *exemplaris causa* non est: nec per *species rerum abstractas*, sed per *similitudines* earum in creatione à Deo inditas, vel postea infusas. Ita Wendelinus.

Finita est Angelorum *scientia*, conjuncta cum multarum rerum *ignorantia negativa*: quæ tamen ipsorum felicitati non obstat: sunt enim finiti. Videntur omnium hominum singularium habere notitiam, sive è revelatione, sive per experientiam. Secernunt pios ab impiis in pœnis infligendis, Ezech. 9: 4. Apoc. 7: 3. novissimo die è quatuor cœli partibus congregabunt electos.

Voluntas Angeli est facultas, quâ intellecta probat, improbat, expetit, repudiat. Hæc sancta & conformis voluntati Creatoris initio exstitit. Ex utraque hac facultate est *liberum arbitrium*. Voluntas Angeli in discrimine bonitatis & malitiæ maximè cernitur.

Potentia efficit, quæ voluntas imperat. Ea est *permagna*. Sunt גִּבֹּרֵי כֹחַ Psalm. 103: 20. ἄγγελοι δυνάμεως, 2 Thess. 1: 7. Unus unâ nocte magnâ strage affecit exercitum Sancheribi. 2 Reg. 19: 35. Imò & primogenitos Ægypti. Exod. 12.

Scholastici dicunt, Angelos *non esse in loco nisi per operationem*, quando præsentes operantur. Scalig. Exercit. 359. sect. 5. *Ubi* illorum definiendum est, non secundùm essentiæ simplicitatem, sed sphæram activitatis & potentiæ.

Angelus nil potest sine Deo. Non potest creare, nec annihilare, vel quoad substantiam mutare, sine naturalibus causis: ut Christus aquam in vinum vertit. Non potest *miracula* facere.

Deus Angelis, quantam voluit, materiam subjecit, ut eorum voluntate, (ad nutum tamen & arbitrium ipsius) moveretur; sæpè etiam mirabili modo. In eo voluntas Angeli non habet se δεσποτικῶς. Neque enim ipsa, nec motus materiæ independenter est à Deo. Talis enim motus per voluntatis imperium solius Dei est.

In hominis voluntatem non habent potestatem. Phantasmata tamen possunt suggerere, occasionemque cogitationum bonarum & malarum, & per eas consequenter ad bonum adducere, vel à malo abducere, & in malum impellere. Sed & hoc non nisi sub arbitrio Dei.

Potentiæ Angelicæ exemplum habes in *avolutione lapidis* à sepulchro Christi. Matth. 28: 2. Marc. 16: 3. in turbatione aquarum piscinæ Bethesda. Joh. 5: 2. 4. in abjectione *duarum* ἁλύσεων à manibus Petri. Act. 12: 6. 7. & apertione ferreæ januæ. ibid. vers. 10. *quæ sponte aperta est.*

In apparitionibus assumserunt Angeli *corpora*, fabricante Deo. Dæmones spectris illudunt. Angeli non generantur ex homine, nec generant per hominem, etiamsi corpus assumant.

Ἀρχὴ Angelorum est (Jud. vers. 6.) ἀλήθεια. Joh. 8: 44. ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν. Ita *boni* & *recti* conditi sunt. Habuerunt τὸ ἴδιον οἰκητήριον. Jud. vers. 6. Non potuerunt condi, ut annihilarentur. Finis illorum est vel æterna beatitudo, vel æternus pudor.

In illa veritate perstiterunt οἱ ἐκλεκτοὶ, 1 Tim. 5: 21. qui *Angeli Dei*, *sancti Angeli*, *Stellæ lucis*, *Angeli lucis*, *Filii Dei*, *Servi Dei*, *Sancti Dei* dicuntur.

Liberâ quidem & lubentissima voluntate, sed & certissimo ac efficacissimo creaturis auxilio. *Servis suis non credit*, & *in Angelis suis ponit lucem*, quæ nimirum in illis est: vel *poneret stultitiam*, si illos sibi ipsis permittere vellet. Ideò *sancti ejus*, ab ipso sanctificati, Job. 15: 15. & in *manu ejus* esse dicuntur. Deut. 33: 3. Deusque dicitur *facere pacem in sublimibus suis*.

Qui perstiterunt, nec unquam casuri sunt, virtute Dei conservandi.

Officium Angelorum est: *mittuntur* εἰς διακονίαν. Hebr. 1: 4. sive ut indicent voluntatem Dei, sive ut suggerant bonas cogitationes, sive ut resistant diabolo, sive ut custodiant &

auxi-

auxilientur, Psal. 91: 11. 12. Matth. 4: 6. *ἐπὶ χειρῶν ἀρῶσί σε.* noxas avertant, mala leniant, perterritos roborent, dissipatos colligant, à communione malorum liberent, tandemque animas in sinum Abrahæ perferant. Luc. 16: 22.

Ita sunt *electorum* Angeli, ipsorum causâ mittuntur, ipsorum nomine vident faciem Dei, jussa ejus exspectantes. Matth. 18: 10. *οἱ ἄγγελοι αὐτῶν.* Act. 12: 15. *ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν.* Meminerunt forsan, sanctis identidem Angelos missos, eodem nomine, ut Gabriel Danieli.

An *singulis* fidelibus *singuli* Angeli sint attributi, ad eorum defensionem, pro certo asserere non ausim. Quum Daniel Angelum Persarum & Græcorum inducit, significat, certos Angelos regnis & provinciis quasi præsides destinari. Quum dicitur, Angelos puerorum faciem Dei videre, innuitur, certos esse Angelos, quibus commendata sit eorum salus. Sed non inde sequitur, unicuique præesse suum Angelum. Certum est, non tantùm unum Angelum, sed omnes uno consensu pro nobis vigilare. De *omnibus* dicitur, quod gaudent super resipiscente. Plures Angeli animam Lazari detulerunt. Eliseo multi currus ignei peculiariter erant destinati. Ex loco Actorum 12. potest concludi, certum Angelum tunc Petri curam accepisse, qui tamen non propterea perpetuus ejus esset comes.

Et quid multa de hisce? Cui non satisfacit, omnes militiæ cœlestis ordines pro salute ipsius excubare, quid proficere ille ex eo possit, Angelum unum peculiariter custodem sibi datum?

Non verò de nihilo promissæ sunt sanctis auxiliares illæ copiæ, quibus undique cincti & muniti certemus animosiùs.

Probabilem opinionem dicunt esse de bono Angelo custode, singulis hominibus, saltem fidelibus, assignato, Zanchius, Alstedius, Vossius.

Antiquis Patribus, qui illam opinionem foverunt, adhæsit hîc aliquid ex Philosophia Platonica, & Theologia mythologica Gentilium.

In sacris occurrit vox כְּרוּב. Eâ & *Angeli* notantur Gen. 3: 24. Ps. 18: 1. *Et equitavit super Cherub, & volavit.* Vehitur Deus in Angelis, quia præstantissimè & celerrimè & potentissimè in illis & per illos operatur. *Cherubim* est nomenclatura formarum symbolicarum quatuor animalium in unum conflatorum; qualia olim super Arcam, Exod. 25: 18. 19. 20. & in templo passim erant: & in aulæis *tentorii conventus* multi erant intexti Cherubim. Exod. 26: 1.

Ezechiel vidit Cherubim vivos. Super Arcam & in aulæis tentorii tantùm fuere ex auro fusi, & contexti, seu acupicti. Etiam Johannes animalia vidit viva, se moventia.

Forma ita visa Ezechieli. *Quatuor* vidit *Animalia*, similitudine *hominis.* Unumquodque habebat *quatuor facies, duas a dextra, hominis & leonis; duas à sinistra, bovis & aquilæ; quatuor alas*, sub quibus erant יְדֵי אָדָם. Pes animalis erat *pes rectus*, non flexus aut contortus. *Planta* pedis, ut *planta pedis vituli.* Duabus alis *volabant*, aut se חֹבְרוֹת *sociabant* invicem, duabus מְכַסּוֹת אֵת גְּוִיֹּתֵיהֶנָה. Vide Ezech. 1: 5 – 15. Hæc *Animalia* dicuntur כְּרֻבִים Ezech. 10: 1. 2. 3. 4. 5. 14. Ibi *pro facie bovis* est פְּנֵי כְרוּב vers. 15. *Et efferebantur Cherubim. Hoc est animal, quod vidi in fluvio Chebar.*

Hæc animalia non *Angelos* tantùm, sed & *Ecclesiam* redemtorum designarunt. Apoc. 4: 7. 8. 9. 5: 9. Ezechiel *quatuor* illis *alas*, Apocalypsis 4: 8. *πτέρυγας ἕξ* illis tribuit.

Ergo hæc fuit forma uniuscujusque animalis. 1. *Corpus* erat humanum, ut & *manus.* 2. *Facies* quatuor unicuique, duæ à dextra, duæ à sinistra. 3. *Pedes* vitulini. 4. *Alæ* aquilinæ *quatuor*, imò *sex.* כרב Syris & Arabibus notat *arare*; seu כרוב *arantem.* Tota figura ab una sui parte, nimirum *bove arante* nominatur.

Hæ

Hæ formæ virtutes, quæ in Angelis & Ecclesia, notarunt. *Pedes vitulini bisulci* notant immobilem in bono stationem. *Forma humana*, τὸ λογικὸν & sapientiam. *Alæ*, promtitudinem serviendi Deo, efferendi se ad cœlestia. *Facies leonis*, fortitudinem, *bovis*, in labore perdurationem, *aquilæ*, sagacitatem ad quærendum cœleste cadaver notarunt.

In Apocalypsi nominantur c. 4: 6. τέσσαρα ζῶα; & unumquodque ab unius animalis forma tantùm describitur. Ita vers. 7. τὸ ζῶον τὸ πρῶτον ὅμοιον λέοντι, τὸ δεύτερον ζῶον ὅμοιον μόσχῳ, τὸ τρίτον ἔχον τὸ πρόσωπον ὡς ἄνθρωπος, τὸ τέταρτον ὅμοιον ἀετῷ πετωμένῳ. Cum tamen unumquodque animal è quadruplici hac forma constiterit.

Etiam Angeli dicuntur שְׂרָפִים Es. 6: 2. Ignita corpora vidit Esaias, hieroglyphicè *Angelos* significantia. confer *currus igneos & equos igneos*, 2 Reg. 2: 11. 2 Reg. 10: 17.

Archangelus unus tantùm legitur; non est tantùm *Princeps Angelus*, sed & *Princeps unicus & adjutor unicus Angelorum omnium*, *Princeps populi Dei*, hoc est, ipse Dei *Filius*, quem *Angelum κυρίως* appellari suprà vidimus.

Inter bonos Angelos esse *factiones*, aut *fuisse* & per Christum compositas esse, malè Grotius ex Job. 25: 2. *Imperium & timor cum illo: facit pacem in sublimibus suis.* Boni bellum gerunt cum nequam spiritibus, populorum principibus, sub ducatu Filii. Dan. 10: 13. *Et princeps regni Persiæ stans* לְנֶגְדִּי 21. *diebus Et ecce Michael unus principum primorum* בָּא לְעָזְרֵנִי. *& ego superstes mansi ibi apud Reges Persiæ.* confer vers. 20. *Nunc redibo ad pugnare* עִם שַׂר פָּרָס. *& ego exiens*, וְהִנֵּה שַׂר יָוָן בָּא. Apoc. 12: 7. Joh. 12: 31. 14: 30. 16: 11.

Per Angelos lata lex, ut testes, & approbatores, & futuros vindices. Act. 7: 53. Gal. 3: ℣. 19. Hebr. 2: 2. confer διὰ 2 Tim. 2: 2. *quæ audiisti* παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων.

Ita illis ἡ οἰκουμένη subjecta. Hebr. 2: 5. & ob hoc officium illi dicuntur אֱלֹהִים. Ps. 8: 6. Psal. 97: 7. quo tamen supersederunt, Filio *honore* & *gloria* coronato. confer 1 Petr. 3: 22. ὑποταγέντων αὐτῷ ἀγγέλων καὶ ἐξουσιῶν καὶ δυνάμεων. Ab illo tempore sunt nostri σύνδουλοι. Apoc. 19: 10. 22: 9.

Non convenit illis λατρεία, nec δουλεία, nec θρησκεία, nec προσκύνησις; sed reverentia tanquam testibus sanctis. 1 Cor. 11: 10. 1 Tim. 5: 21. Luc. 15: 7.

In Angelis bonis est exemplum justitiæ operum. Christus non est illorum Mediator, sed tamen caput, princeps, dominus, ut familiæ.

Præter *Angelos* numerant *Hermetici* & *Paracelsistæ* multos spiritus, *cœlestes secundarios, aëreos, aqueos, terrestres*; qui omnes ipsis sunt substantiæ spirituales; ita tamen ut diversos agnoscant spiritualitatis gradus.

Cœlestes secundarios (primarii enim sunt Angeli) appellant *Intelligentias* & *Salamandras*, *Penates*; imò alios *Solares*, *Lunares*, *Saturninos*, *Joviales*, *Venereos*, *Martiales*. Hisce inferioris hujus mundi regimen concreditum dicunt.

Aëreos cœlestibus subjiciunt, & distinguunt in *Orientales*, *Occidentales*, *Meridionales*, *Septentrionales*: item, in *Supremos*, *Medios*, *Imos* circa terram.

Aqueos appellant *Nymphas* & *Sirenes*; quòd sæpius sub forma fœminea apparere soleant. *Terrestres* dicunt *Sylphes*, *Pygmæos*. Germanicè *Schrötlein*, *Bergmännlein*.

De

PECCATO,

tum Angelorum, tum Hominum.

Creata fuere omnia *valdè bona*: ſed evaſere ſubitò *omnia mala*; non culpâ Creatoris, ſed creaturæ, permittente Creatore, non verò efficiente, creatura verò deficiente. *Omnia* dicimus evaſiſſe mala; non quidem omnes angeli, plurimi tamen; omnis verò homo, & omnis extra hominem creatura ὑπετάγη τῇ ματαιότητι.

Quomodo verò *mala? Peccatum intravit in mundum*. Peccatum verò *malum* eſt. Rom. 12.9. ἀποςυγοῦντες τὸ πονηρὸν. Inde & *peccatores* dicuntur πονηροὶ. Matth.7: ✡.11. 12:34. *Mala* ſunt, quæ naturâ ſuâ ſunt *turpia*, à ſimilitudine & imagine Dei diſcedentia, quæ ſunt noxia ſeu quæ nocent, animam corpuſque perdunt, quæque ordinem turbant.

1. *Peccatum* dicitur Græcis ἁμαρτία, Hebræis חַטָּאָה. Utrumque notat *aberrationem* à ſcopo & meta, ἀτυχίαν, ἀςοχίαν; & deſtinato excidere. Job.5:24. *Ubi viſitaveris manſionem tuam* וְלֹא תֶחֱטָא *& non eris fruſtra*, non aberrabis. Prov.19:2. אָץ *Feſtinans pedibus* חוֹטֵא *peccat*, cadit, ruit. Jud.29:16. *Quilibet jaculabatur funda ad pilum* וְלֹא יַחֲטִא *& non peccabat*, hoc eſt, non fruſtrabatur jactum. חֵטְא ἁμαρτία eſt cum oblivione vel contemtu, adeoque directa vel indirecta abnegatione Dei, ut ultimi finis; quæritque aliud, quàm gloriam ejus; facit peccatorem אובד דרך *pereuntem viâ*, ſive ἀτυχῆ; & Deo reum, ut privetur unione ejus, & exterminetur ab omni bono ejus, & conjiciatur in omne malum.

חַטָּאָה notat 1. *malum*, actum malum; etiam inclinationem ad malum. Gen.4:7. *Peccatum cubat ad fores.* Ita emphaticè *peccata* gentilium. Dan.9:24. 2. *Reatum.* Pſal. 109: verſ.7. *Oratio* ſeu *defenſio ejus ſit* לַחֲטָאָה *in peccatum* ſeu faciat eum reum. 3. *Piamen*, hoc eſt, paſſio propter peccatum. Num.32:23. *& cognoſcite* חַטַּאתְכֶם *peccatum veſtrum*, hoc eſt, pœnam, *quod vos inveniet.* Zach.14:19. *Hoc erit* חַטַּאת *peccatum Ægypti*, id eſt, pœna. 4. Quod pro peccato offertur. Mich.6:7. *Dabo fructum ventris mei peccatum animæ meæ.* Pſalm.40:7. *Holocauſtum* & חֲטָאָה *peccatum* (περὶ ἁμαρτίας) *non petiviſti.* Exod. 29:14. חַטַּאת הוּא *peccatum eſt*, ſacrificium pro peccato.

2. Porrò hoc *malum*, ut ejus *malitia*, turpitudo, & noxa omninò conſtet, dicitur

פֶּשַׁע ἀνομία, ἀποςασία. Job.34:37. *Adderet* עַל חַטָּאתוֹ פֶּשַׁע *ad peccatum ſuum defectionem.* Peccans excutit jugum, rumpitque funes Domini, aſſerit ſe in libertatem independentiæ, aut alii ſe Domino ſubjicit. 1 Joh.3:4. πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ. καὶ ἡ ἁμαρτία ἐςὶν ἡ ἀνομία. *Omnis, qui facit peccatum*, ſeu aberrationem, *etiam defectionem patrat, & aberratio eſt defectio.* Vulgò, *Peccatum* eſt *transgreſſio legis.* Non vult perfectè definire Johannes peccatum; nec, quicquid mali ineſt in peccato, una voce determinare, ſed oſtendit, unam peccati fœditatem non eſſe ſine alia; *aberrationem* etiam abnegati dominii & legis reum conſtituere. Qui malum facit, agit tanquam Dominum non ha-

 bens,

bens, & ideo facit פֶּשַׁע *ἀνομίαν*. Insignius autem *ἀνομεῖ*, qui legem justitiæ repudiat, postquam Deum suum vocaverit Jehovam.

Malè intelligunt locum Johannis, qui inde putant sequi, *peccatum* nil aliud esse, quàm facere aliter atque imperatum est, & in lege præceptum: intelligentes, omnes actiones esse naturâ suâ indifferentes; ex. gr. amare & odisse Deum, imagines colere vel non, Dei nomen temerè usurpare &c. solo dogmate herilis imperii fieri, ut alia vetentur, alia jubeantur; quam jussa vetari, & vetita juberi possint. Hæc sententia, ut est apud Diog. Laërtium, & Archelai fuit, *τὸ δίκαιον εἶναι ϗ τὸ αἰσχρὸν ϰ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ*; ut & Aristippi, & Theodori illius, qui *ἄθεος* fuit appellatus. Sed si omnia sunt *ἀδιάφορα*, & nil suâ naturâ rectum aut pravum est, quæ est ratio immutabilis & certa, quare peccatum sit, non obedire Deo? Si verò ulla certa & immutabilis est ratio, quæ obligat ad obediendum creatori, utique est lex, si non scripta, tamen innata, juxta quam rectum est, obedire, & malum est, *ἀνηκουστεῖν*.

In Sacris *peccatum* gentibus, *defectio* Judæis fœdifragis solet tribui, Dan. 9: 24. & illæ חַטָּאִים *peccatores*. Matth. 26: 45. Rom. 3: 7. Galat. 2: 15. hi פֹּשְׁעִים dici. Es. 48: vers. 8. פֹּשֵׁעַ מִבֶּטֶן קֹרָא לָךְ. Es. 53: 12. וְלַפֹּשְׁעִים יַפְגִּיעַ.

NB. Es. 1: ✝. 28. וְשֶׁבֶר פֹּשְׁעִים וְחַטָּאִים יַחְדָּו וְעֹזְבֵי יְהוָה יִכְלוּ: *& fractio defectorum & peccatorum unà fiet, & derelinquentes Iehovam consumentur.* Duo genera hominum notantur confringenda, postquam Sion redemta sit à maledictione. 1. *Deficientes* à Deo & à rege Christo, & regnum Dei rejicientes, *Iudæi*. 2. *Perseverantes in peccatis suis*, *Gentiles*. Utrique confracti sunt, quum sublata est Judæorum politia & cultus, & idololatriæ cultores fusi & fugati sunt, ut imperium pervenerit in manus Christianorum. Adjunguntur 3. *Relinquentes Iehovam*. Ita notatur ἀποστασία à Paulo prædicta 2 Thess. 2: 3. 1 Tim. 4: vers. 1.

פֶּשַׁע sensu *deficiendi*, rejiciendi dominum, & exeundi ex ejus potestate 2 Reg. 8: 20. *In diebus illius* פָּשַׁע אֱדוֹם מִתַּחַת יַד־יְהוּדָה *& fecerunt sibi Regem*. 1 Reg. 12: 19. וַיִּפְשְׁעוּ יִשְׂרָאֵל בְּבֵית דָּוִד *& defecerunt Israëlitæ à domo David.*

3. dicitur עָוֹן *ἀδικία pravitas*, quæ opponitur *rectitudini*. Omne peccatum dissidet à recta regula; non obsignat divinam veritatem; non imitatur amorem Dei; pugnat cum imagine Dei. Dan. 9: 24. לְכַפֵּר עָוֹן. Psalm. 51: 7. בְּעָוֹן חוֹלָלְתִּי *in pravitate editus sum*, non in *rectitudine* prima.

Est & עָוֹן *pravitas* in gressu & cursu. Psal. 59: 5. בְּלִי־עָוֹן יְרוּצוּן *sine lapsatione currunt*, sine cæspitatione. Psalm. 49: 6. עֲוֹן עֲקֵבַי יְסֻבֵּנִי *pravitas calcaneorum meorum circumstabit me*. מִכְשׁוֹל עֲוֹן *offendiculum pravitatis*. Ezech. 7: 19.

Exod. 34: 7. נֹשֵׂא עָוֹן וָפֶשַׁע וְחַטָּאָה. Hos. 12: 9. עָוֹן אֲשֶׁר־חֵטְא *pravitas, quæ sit peccatum* Psalm. 32: 5. עֲוֹן חַטָּאתִי *pravitatem peccati meam.*

Scilicet est *pravitas*, quæ non censetur *peccatum* aut *defectio*. Hæc dicuntur secundùm divinam *χρηστότητα* & *bonitatem*, quâ resipiscentibus non imputat *peccatum* aut *defectionem*; quamvis *malo* & *pravitate* non careant.

4. מְרִי *ἀπείθειαν*; & מֶרֶד *rebellionem*, quia Dei quasi spem eludit, faciendo quod non est bonum coram ipso; imò quia, quantum in peccatore est, peccatum tendit adversus Dei *τὸ εἶναι, ϗ τὸ ἅγιον εἶναι*. Omne peccatum, ut benè Scholastici, tendit ad Dei destructionem, sive ad Dei non esse. 2 Chron. 36: 13. *Et etiam* בַּמֶּלֶךְ *in Regem Nebucadnezar rebellavit* מָרָד. Ezech. 20: 38. הַמֹּרְדִים וְהַפּוֹשְׁעִים בִּי. 1 Sam. 20: 30. בֶּן־נַעֲוַת הַמַּרְדּוּת *fili pravissima contumaciæ*, hoc est, homo perditè refractarie.

5. מַעַל *prævaricatio*. est cum hypocrisi & opinione integri fœderis. Ita adultera facit מַעַל

מַעַל quum, simulatâ aut præsumtâ conjugii integritate, cum alio viro rem habet. Num. 5: vers. 27. וַתִּמְעֹל מַעַל בְּאִישָׁהּ *prævaricata est in maritum suum.* Saul dicitur *prævaricatus,* quia לֹא שָׁמַר *non observavit* imperata à Deo, quum tamen vellet videri fecisse, quod præceptum ei erat. 1 Chron. 10: 13. Jos. 22: 16. quod Rubenitæ altare struxerant, videbatur & מַעַל & מָרַד. illud; volebant videri colere Jehovam; hoc, quia & contra ejus voluntatem facere, & alium colere velle videbantur, alibi sacrificantes. confer vers. 31.

6. בֶּגֶד *perfidia*; quia, quod ipsa conscientia dictat, & animus naturaliter quasi Deo promittit, per peccatum violatur. *ἀσυνθεσία.* Es. 24: 16. Jer. 12:1. Zeph. 3: ℣. 4. אַנְשֵׁי בֹּגְדוֹת nihil pensi habentes, fidem datam & fœdus Dei non curantes.

7. עָוֶל. Psalm. 7: vers. 4. *Si est* עָוֶל *injustitia in manibus meis.* Convenit cum עָוֹן. Ezech. 33: 13. בְּעַוְלוֹ *in injustitia sua.* Oppositum צְדָקָה, hoc est, rectè dicta & facta.

8. עֲבֵירָה *transgressio.* Vox Judæis familiaris. *παράβασις.* Inobedientia transit præceptum, חק. Obedientia intra fines & septa, in via se continet.

9. רֶשַׁע *improbitas, damnabilitas, damnabile factum.* 1 Sam. 24: ℣. 14. מֵרְשָׁעִים יֵצֵא רֶשַׁע. confer Psal. 5: 5.

10. אָשָׁם *reatus* ὄφλησις, ὀφείλημα, ὄφλημα, ὀφειλή.

11. טֻמְאָה, cujus communio fœdat.

12. Παράπτωμα *prolapsus*, ex statu suo.

Petrus ab Alliaco, Cardinalis Cameracensis, in Principio ad primum Sententiarum, lit. E. *Sextum corollarium est, quod nullum est ex se peccatum, sed precisè, quia lege prohibitum.* Et ratio addita: *Quia nullus est peccator nisi prævaricator. Prævaricatio autem est legis transgressio.* Rom. 4. *Ubi non est lex, neque prævaricatio.*

Conclusio prima L. D. *Sicut voluntas divina in genere causæ efficientis est prima efficiens causa: sic ipsa in genere legis obligantis est prima lex seu regula.*

Affert testimonium Augustini 22. contra Faustum. *Lex æterna est divina mens seu voluntas ordinem NATURALEM servari jubens, turbari vetans.* Ad hoc dicit lit. 2. *Legem æternam ab Augustino appellari, non quia æternaliter fuerit lex, sed quia æternaliter erit lex.* lit. H. *Nam licet sit articulus Parisiensis, quod aliquis posset mereri obdiendo Deum, error* &c. *Unde multi illum articulum restringunt ad potentiam Dei ordinatam, & multi doctores alterius studii tenent, quod Deus potest præcipere odium sui.*

Probemus verò, res multas esse bonas vel malas, naturâ, non lege tantùm; & *discrimen, quod inter bonum & malum morale intercedit, constare naturâ, non jure positivo.*

Initio dicimus, Omnem motum creaturæ per se esse indifferentem, & bonum malumve fieri pro conditione *objecti, finis,* aut sanè *modi.* Ita *amare & odisse, suâ naturâ indifferentia sunt, quæ differentia fiunt objectis & modis.*

Jus merè positivum liberum solutumque fuit Deo vel ponere vel non-ponere.

Lex moralis præcipit *amorem Dei & proximi.* Si *bonum* non differt naturaliter à *malo,* potuit Deus hominem initio dispensare de necessitate sui Numinis amandi. Atqui id cadere non potest in eum, qui *summum bonum*: est enim id naturâ suâ summopere *amabile*; tale autem nunquam potest esse licitum *non-amare.*

Ita & potuit *odium* sui imperare. Quæ enim naturâ suâ sunt ἀδιάφορα, illa in utramque possunt partem fieri; potuitque adeò laudabile esse, ut creatura odisset creatorem.

Laude enim dignum est Deo parere jubenti.

Atqui *odium* sui Deus præcipere nequit, nec *directè*, nec *indirectè.* Implicat, Rationa-

9. ***Fœdus*** Naturæ nullum ***Mediatorem*** habuit, nullam aliam vim conciliatricem majoris boni. Id obtineri non potuit, nisi ex vi alicujus alius fœderis, cujus conciliator esset Mediator supra naturæ conditionem evectus, & apud Deum extra ordinem favorabilis.

10. Ejusmodi beatitudo hominis integri naturam satis decuit. Si enim abhorret ab excellentia naturæ humanæ eo tantùm genere beatitudinis frui, abhorrere debuit ab eadem in eo statu creari.

Concludit. Hoccine videtur esse usque adeò despicabile, hominem vitæ integerrimum, cum incredibili gaudio ex amoris divini sensu, & Angelorum consortio perpetuo perfundi; tum vivere vitam immortalem sejunctam ab omni malo, & omni bonorum genere abundantem, in loco affluente deliciis, non modo favente rerum omnium naturâ, sed & summissè obsecundante?

Addit: Scimus, nonnullorum esse diversam sententiam, à qua sanè non existimamus esse abhorrendum. Nam in iis rebus, in quibus Scriptura nihil admodum expresse statuit, quidquam nimis præfractè vel negare vel affirmare, alienum esse debet à Theologo, quem veteres θρασὺν esse vetuerunt.

Hoc præmium mereri Adam & ejus exspectandi ac petendi *jus* acquirere debuit.

Bonum enim hoc, vitæ æternæ, propositum illi est, ut merces danda *κατ᾽ ὀφείλημα.* Rom. 4:4.

In natura creata non est ullum meritum ex ***condigno***. 1. Debitores sumus: nihil sine Deo possumus facere; præcedaneis beneficiis Deo obligamur. Luc. 17: 9. 10. 2. Deum non possumus obligare, nil à nobis accipit. Job. 41: vers. 2. Rom. 11: vers. 35. Obedientia est bonum nostrum. Job. 22:2.3. 35:7. 3. Nulla est proportio inter opus & præmium. Rom. 8: 18.

Superbiæ nimiæ rea est illa sententia, quæ non tantùm ***meritum ex condigno*** homini tribuit, sed etiam peccatori. Qui ***meritum ex condigno*** statuunt, parum cogitant, quid sit ***communio Dei***. Quid potest reperiri dignum in omnibus creaturis & in omnibus earum facultatibus & operibus, quod Deum obliget, ut se communicet creaturæ, & omnes divitias suas in eam effundat?

Imò nec ullum ***ex congruo***. Nam non est προσωπολήπτης ὁ Θεὸς, qui externa sua dona admiretur in hominibus, ut propter ea alios aliis anteponat, & quædam habentibus alia non addere non possit. Gal. 2:6.8. Job. 34:19. 1 Sam. 16:7.

Superest ***meritum ex pacto***, sive jus postulandæ mercedis, quam ex libertima potestate & voluntate promittit Deus operanti. Hoc est proprium fœderi operum. Placuit Deo, se debitorem constituere ***pacto***, & mercedem assignare operibus; non quidem ut proportionatis ad præmium, sed per constantiam & veritatem Dei ad præmium aspirantibus & procedentibus.

Hoc ***pactum*** unicum est; illo ***opera***, ut conditio justitiæ, exiguntur.

Hoc pactum ita Deo dignum est, ut non possit non id inter Deum & hominem intercedere; adeoque, qui novit, hominem à Deo conditum esse ad imaginem suam, is simul cognoscit, si attendat, hominem ad communionem Dei in vita æterna & gloriosa à Deo per operum patrationem vocari.

Meræ potestatis erat, hominem facere; sed impossibile erat, hominem non creari in imagine Dei, idque ***ut cum ipso beatus in æternum viveret, ad eum laudandum & celebrandum***, ut Catechesis nostra loquitur.

Ergo inutilis videtur quæstio: ***An, & quatenus, & quando Adam cum animali vita etiam***

acce-

acceperit jus vitæ æternæ? de qua vide glossam Lyræ Gen. 3. In statu enim innocentiæ habuit quidem Adamus jus vitæ, sed non *jus vitæ æternæ*, nedum *ipsam vitam æternam.* Hoc jus, & hæc vita fuit ei promissa sub conditione, si perfectè legem servaret.

Erat Homo Rectus & suo modo Felix, tamen nondum erat eo modo Filius & Hæres, quemadmodum futurus erat, si præcepta servasset. Erat positus in conditione acquirendi juris vitæ æternæ, non verò jam hæres factus erat. *Gratiam* seu rectitudinem, quam in conditu accepit, ne appellemus *gratum facientem.* Bellarm. de grat. pr. hom. 3. §. 1.

Fuit Adam ante lapsum talis, qui potuit mori. Non igitur habuit jus vitæ æternæ & immortalis.

Imaginem Dei non habuit immutabilem, qualem habere necesse est, qui habent jus vitæ æternæ.

Non habuit justitiam æternam & immutabilem, cujusmodi ad jus vitæ æternæ requiritur.

Non quidem peccavit ante lapsum, non tamen perfectè implevit legem, quod facere debet, qui jus vitæ æternæ habet.

Jus hoc erat ei promissum sub conditione obedientiæ. At hanc non explevit. Ergo nec jus illud habuit.

Adam non habuit ante lapsum vitam æternam: aliàs non fuisset mortuus. Ergo nec jus illius habuit. Nam qui habet hoc, habet & illam.

Solus Christus adduxit sempiternam justitiam, & jus æternæ vitæ. Non igitur Adam hoc erat nobis communicaturus, etiamsi non peccasset; proinde nec ipse habebat. 1 Cor. 15:22.45.

Sciendum tamen, quatenus vita, in qua conditus est homo, fuit non *animalis*, sed *spiritualis*, vita animæ, vita Dei, qualis vita est initium & gustus æternæ & cœlestis vitæ, eatenus potest dici, Adamum jam jure & fruitione vitæ æternæ gavisum fuisse. Habuit jam ipsam æternam vitam *incohatam.*

Non tamen dixerim, *Arborem vitæ* fuisse symbolum *juris*, non solum *dandi*, sed etiam *dati.*

Neque jus vitæ æternæ ita habuit, ut ipsam Dei imaginem, nimirum mutabiliter, hoc est, sic, ut posset amittere, si peccaret. Aut; Habebat jus suum sub flexibili conditione perfectæ obedientiæ totius vitæ; quod in momenta singula poterat amittere, quia toties poterat peccare.

Nihil fuit in Adamo immortalitati promissæ pugnans, & destructionem hominis ad illius assecutionem exigens. Non corpus χοϊκὸν *pulvereum* fuit incapax hujus promissionis; nedum boni promissi.

Non *promissionis.* 1 Cor. 15:47. comparatur primus homo χοϊκὸς cum secundo, qui est ἐξ οὐρανοῦ; & *quidem qualis primo creatus fuit; non ut lapsus.* Sed non sequitur: Si creatus est χοϊκὸς, ergo non habuit promissionem supernaturalis beatitudinis. Ita enim & nos χοϊκοὶ ab ea promissione excluderemur. Ibid. vers. 48. ὁ χοϊκὸς & οἱ χοϊκοὶ comparantur; nempe eatenus, quatenus permisit peccatum introgressum τοὺς χοϊκοὺς τῷ χοϊκῷ similes manere. Ne putemus per omnia τὸν χοϊκὸν talem creatum esse, quales reperiuntur nunc οἱ χοϊκοὶ, & illum æquè rectitudinis & imaginis Dei, ut nos, fuisse expertem.

Non *boni promissi.* Dicitur quidem 1 Cor. 15:50. *σὰρξ καὶ αἷμα non possunt regnum Dei hereditare*; sed innuitur tantùm, *Carnem*, ut nunc est, quæ cibis & alimentis indiget, quæ conservatione calidi in humido constat; *Sanguinem*, qui nunc in præcordiis & intestinis bullit, qui vitalis spiritus vehiculum est, non esse capacem regni cœlestis. In futura e-

nim vita has carnis infirmitates exuemus. Et Adam ipse, evehendus in æternam vitam, secundùm has conditiones carnis mutandus fuisset. οὐδὲ ἡ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ, *corruptio incorruptionem non hæreditat.* Cum incorruptione, qualem exspectamus, nulla mors, nulla pravitas, qualis in iis, qui habent concupiscentiam, consistere potest. Imò nec *corruptio*, qualis est, quæ cibum potumque necessarium facit, cum illa conjuncta erit. Corpus Adami mutandum fuisset sine destructione, & futurum *spirituale*: & ubi satis diu egisset in Paradiso, & tentata fuisset satis ac explorata ejus obedientia, & probata ejus constantia, in quantum satis erat ad conditionem fœderis implendam, fuisset, post antecedentem hanc immutationem, evehendus ad Deum, & in possessionem æternæ & immutabilis vitæ & gloriæ introducendus.

Vitam ergo quidem *Lex* obedientibus promisit, sed *mortem* comminata est, ut & actu post introgressam inobedientiam intulit inobedientibus. *Qui fecerit illa, vivet*, inquit. Ergo, qui non fecerit, *morietur*. Cujus *mortis* expressa etiam facta mentio. *In die, quo comederis ex ea, moriendo morieris.* Gen. 2:17. *Moriendo morieris*, hoc est, necessariò & miserè mortis pœnam subibis: ita pœna mors statuitur certissima & miserrima.

Nec *mors* tantùm, sed & *maledictio* inobedientiæ pœna dicta est. *Maledictus, qui non manet* &c.

De hâc *morte* benè Augustinus, Deum *omnes mortes homini* interminari. libr. 13. c. 12. de Civit. Dei. Facit autem quatuor *mortes*. 1. *Animæ*, cum privatur Deo. Hæc mors est animæ separatio à Deo & regno ejus, atque adeò à sanctificatione; unde sequitur regnum peccati. Eph. 2:1.5. 1 Tim. 5:6. Rom. 7:23.24. Matth. 8:22. *Animæ mortem* Philo philosophicè appellat, *corruptionem virtutis*, & *assumtionem vitii in anima.* In hanc opinionem Pelagiani consenserunt, quum peccatum originis dixerunt tantum esse *casum animi.* Sed, ut diximus, mors animæ non notat tantùm separationem à virtute, sed & ab *ipso Deo*, vitâ suâ. 2. Labor, dolor, & omnis hujus vitæ miseria, etiam quasi speciem mortis constituit. Gen. 3:16.17.18. Job. 5:7. id quod Augustinus præteriit. 3. *Corporis*, cum privatur animâ. Hæc mors bona terrestria perpetam hic adamata, & fructum ac πρόσκαιρον ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν (Hebr. 11:25.) & spem peccatoris auffert. Gen. 3:19. 4. Rursus *animæ*, cum à Deo & corpore separata punitur, & in locum cruciatuum transfertur. Luc. 16:23.24.25. 5. *Novissimam* totius hominis, cum anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luet. Corpus enim post decursum seculorum resuscitabitur, & cum anima reunitum ita luet. Act. 24:15. 2 Cor. 5:10. Psal. 90:3. Job. 14:15. Eccles. 12:14. Dan. 12:2.13. Matth. 10:28.

Euchetius in Genesi facit *tres* mortes. 1. In anima, cum hæc deseritur & separatur à Deo vita sua. 2. In carne, cum hæc deseritur & separatur ab anima vita sua. 3. In damnatione, cum corpus & anima abjicitur in Gehennam.

Quicquid *mortis* nomine in Scriptura aut in natura appellatur, id omne Deus homini in pœnam peccati minatur. Atqui omne hoc 1. appellatur in Scripturis *Mors.* 2. oppositum est *Vitæ.* 3. & singula in specie ut pœnæ peccati in sacris appellantur ac enumerantur.

Mortem corporis Aristoteles libr. Eth. 3. c. 6. ita describit. φοβερώτατον ὁ θάνατος, πέρας γὰρ. *quia habetur pro termino rerum.*

Spiritualem & æternam mortem esse peccati pœnam, constatè Psal. 115:8. *Eripuit animam meam de morte.* Joh. 8:51. *Non videbit mortem in æternum.* 1 Joh. 3:14. *Transivimus de morte in vitam. Qui non diligit fratrem, manet in morte.* 1 Joh. 5:16. *Est peccatum ad mortem.* Rom. 6:23. Joh. 8:24. 1 Cor. 15:56.

Etiam

Etiam *corporalem*, manifeſtum eſt. Pſal. 90:8. *Poſuiſti iniquitates noſtras coram te: ideo omnes dies noſtri declinaverunt ob iram tuam.* Rom. 8:10. *Corpus mortuum eſt ob peccatum.*

Dolores & *anguſtia* animi vocantur *Mors*. Pſal. 18:6. 116:3. *Dolores mortis præoccupaverunt me.*

Afflictiones externæ etiam paſſim. Exod. 10:17. *Auferas à me mortem iſtam*; dicebat de locuſtarum plaga Pharao. *Mors in olla*, pueri Prophetarum de pulmento noxio. 2 Reg. 4: verſ. 10. *In mortibus frequenter*, dicit Paulus de periculis ſuis lethalibus. 2 Cor. 11:23. *Inveni rem amariorem morte.* Eccleſ. 7:27. de muliere mala. Vita noſtra, tot malis circumſepta, *mors* potius, quam *vita* dicenda eſt. Aug. de Civit Dei, libr. 12. c. 8. & 11. Joh. 5:14. μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρόν τι σοὶ γένηται.

Phraſis מוֹת תָּמוּת uſurpatur de morte *corporali*. Gen. 26:11. *Qui tetigerit hominem iſtum, & uxorem ejus*, מוֹת תָּמוּת. Exod. 21:16. *Qui maledixerit patri ſuo, moriendo morietur.* 2 Sam. 12:14. הַבֵּן הַיִּלוֹד לְךָ מוֹת תָּמוּת. De *ſpirituali* & *corporali* ſimul. Ezech. 3:18. *Cum dixero impio, Moriendo morieris.*

Ut ſtipendium peccati totum exſolveret Chriſtus, & nos à morte penitus liberos præſtaret, neceſſe fuit, Chriſtum mediatorem utramque mortem ſubire, *corporalem* & *ſpiritualem*, abſque tamen peccato.

Objectiones. 1. Anima eſt immortalis. Ergo de morte animæ non loquitur comminatio. Reſp. Immortalis eſſentiâ, non verò conditione & ſtatu.

2. Mors corporis non eſt *pœnalis*, neque adeò de ſententia hujus comminationis.

(*a.*) Quia admiſſo peccato non ſtatim inflicta eſt. Si autem fuiſſet, debuiſſet; quia dicitur, *Quocunque die ederis, morieris.* Reſp. Non neceſſe fuit, Deum mala omnia, quæ minabatur peccanti, ſimul & uno momento infligere. Sed & ſtatim ſuo modo corporalem inflixit. 1. quoad reatum. 2. quoad moriendi diſpoſitionem, ſeu initia mortis corporalis. 3. quoad ejus neceſſitatem.

(*b.*) Omnis pœna eſt à Deo. Mors non eſt à Deo. Sap. 1. *Mortem Deus non fecit.* Ergo. Reſp. Ut eſt cruciatus & deſtructio naturæ, eſt à Satana & peccato: ut verò eſt flagellum & pœna peccati, ſeu exſecutio & declaratio juſtitiæ ejus, eſt à Deo.

3. Adam, etiamſi non peccaſſet, fuiſſet mortuus; quia corpore corruptibili conſtabat. Reſp. Sic erat corpus mortale per materiæ imbecillitatem, ut ſimul eſſet immortale per originalis præſtantiæ & gratiæ ſingularis firmitatem, hoc eſt, ſic poterat mori, ut etiam poſſet non mori.

4. Quod homini eſt naturale, non eſt pœna peccati. Atqui &c. Ita Pelagiani olim, negantes, peccatum originis eſſe cauſam mortis infantium. Et hodie Samoſateniani, oppugnantes Chriſti ſatisfactionem pro noſtris peccatis. Etiam veteres Pelagianos negaſſe, mortem eſſe peccato retributam, teſtatur Auguſt. quæſt. 3. ad 8. qq. Dulcitii. Reſp. Falſum, mortem naturæ integræ eſſe naturalem. Eſt deſtructio naturæ: eſt contra naturam: natura maximopere ab illa abhorret: magno cum cruciatu naturæ eſt conjuncta: poſt judicium ab illa immunis erit natura.

Dices: Vita eſt naturalis. Ergo & mors. Contrariorum enim eadem eſt ratio. Reſp. Contrariorum eſt eadem ratio tantùm in genere & communibus accidentibus, in quibus conveniunt, ut vita & mors eſt quali[illegible]; eſt πάθος animalis. In aliis verò contrariorum eſt contraria ratio, quia contraria contrariis non conveniunt ob mutuam repugnantiam.

Argumentum Pythagoricum & Platonicum fuit: Separationem animæ à corpore, quæ fit

fit per mortem, corporis ergastulo solvere animam, facereque illam beatam & felicem. Non ergo *pœna* est. Resp. Aug. l. 13. c. 16. & 19. de Civ. Dei. ostendit ex Timæo Platonis, *δημιουργὸν* Deum *deastris* suis pro magno beneficio promisisse vitam indissolubilem, id est, æternum cum corporibus suis consortium. Dein & committitur *fallacia accidentis*. Per se separatio animæ à corpore est pœna; per accidens fidelibus fit transitus in felicitatem.

Alia objectio. Mors corporalis non est pœnalis, quia Christus illam à suis non abstulit. Resp. Christus nos liberavit ab omni pœna *finaliter*. Interea possunt sui aliquid de effectis peccati adhuc sentire; ut & morbi, calamitates, pestes, aliaque incommoda sanctos infestant. Ita liberavit nos Christus à pœna peccati, ut à peccato. Ab hoc ita liberavit, non, ut non sit in nobis, sed ut non imputetur, nec in nobis dominetur. Possumus & ita dicere: Christus ab omni pœna peccati nos liberavit, quoad *meritum*; sed nondum quoad *efficaciam*, hoc est, nondum effecit in nobis omnia perfectè, quæ est meritus. 1 Joh. 3: 2. Col. 3: 3. Possumus tamen & sic respondere: Quicquid in morte est pœnale, abstulit Christus; non quod in illa, per illius gratiam, factum est medicinale; velut, quod est *somnus*, *quies* laborum, *depositio* sarcinæ peccatorum, *transitus* in vitam æternam.

Hactenus de *pœna*. Sed annon videtur pœna statui gravior delicto? Resp. Est justa pœna & conveniens justitiæ Dei.

Dicunt. 1. Creatoris est servare, non perdere opus suum. Resp. Peccatum non est Dei *opus*: destructio ejus competebat Creatori. 2. Patris est parcere liberis. *Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri*, ait Chremes Terentianus. Resp. liberis malitiosè degenerantibus: apostatis parata est patris ira & ultio. Es. 1: 2. 4. 28. 3. Deus est *misericors*. Resp. salva æquitate & justitia. Justus judex prætextu misericordiæ non dat sceleribus impunitatem. Misericordia in malos est crudelitas in bonos. 4. Homo, creaturarum præstantissimus, non ad mortem, sed ad vitam æternam conditus est à Deo. Resp. Quanto præstantior creatus homo à Deo, tanto inobediens gravius debet puniri. Multum reposcetur ab eo, cui multum est concreditum. Erat conditus *ad vitam*, quatenus nimirum in gratia creationis persisteret, nec se in mortem ultro præcipitaret. Homo peccator excidit quidem creationis fine. Haut verò Deus, qui homini perdito obtulit remedium in Filio. 5. Raptus pomi fuit peccatillum, vix virgæ dignum castigatione. Resp. Antecessit concupiscentia tum oculorum & carnis, tum animi per fiduciam proprii consilii affectantis similitudinem Dei majorem; etiam tepor in precibus, incuria circa verbum Dei, securitas contraria timori Dei, horribilis cum Satana contra Deum conspiratio & apostasia. Hæc omnia antecedentia pepererunt tandem actum peccati consummatum, hoc est, ad externum opus quoque deductum, nim. de arbore esum.

Sed videamus argumenta. 1. Peccatum primi hominis non debuisse esse impune. 2. Non gravius, quam par fuit, castigatum fuisse.

1. Omne peccatum trahit secum reatum pœnæ, tanquam effectum proprium. Ps. 5: 6. Rom. 2: 9. Est actus inordinatus; fertur & insurgit contra ordinem voluntatis nimirum & justitiæ divinæ, à Deo sancitum. Ergo & ab ipso ordine, vel à principio ordinis naturali inclinatione deprimitur.

2. Justitia est æqualitas; servat æqualitatem culpæ & pœnæ. Peccatum contra Deum commissum est culpa infinita. Quanto major est is, in quem peccatur, tanto gravius est peccatum. Gravius est, percutere principem, quàm hominem privatum. Pœna ergo infinita debetur pro peccato in Deum infinitum.

3. Peccantem à Deo abjici, destrui, & interfici, congruum est *naturali justitiæ* divinæ. Ps. 1: 5. Ps. 5: 6. Rom. 1: 32. 2 Thes. 1: 6. Exod. 23: 7. 34: 7. 1 Reg. 8: 23. Prov. 17: 15. Ps. 45: 8.

De

De ANGELIS IN GENERE.

INter res creatas etiam *Angeli* sunt.

Nomen *Angeli* ipsi *Filio* datur Exod. 23: 20. qui tamen cum emphasi *Angelus Iehova*, Exod. 3:2. *Angelus faciei ejus*, Es. 63:9. *Angelus federis*, Mal. 3:1. dicitur. *Angelus orator*, Job. 33:23. *Angelus redemtor*, Genes. 48: 16. idem Zach. 12:8. *ut Deus, ut Angelus* יהוה *coram ipsis erit domus David.* Hos. 12: 5. *Et ducis more se gessit cum Angelo.* An etiam *Spiritui Sancto*? Certè Gen. 19: 1. dicuntur *venisse duo Angeli Sodomam.* confer vers. 15. ad quos dein Loth, אַל נָא אֲדֹנָי. *Invenit servus tuus gratiam in oculis tuis, & magnifices gratiam tuam.* vers. 21. *Ecce accepi faciem tuam etiam in hac re, ne evertam ego civitatem, quam dixisti.* Ergo vides hîc *Filium* & *Spiritum S.* confer ℣. 24. *Et Dominus pluit super Sodom sulphur & ignem a Domino è cœlo.* Et Zach. 2: 2. *Et dixi ad Angelum, loquentem mecum.* vers. 3. *Et fecit me videre* יהוה *quatuor fabros.* vers. 7. *Et ecce Angelus* הַדֹּבֵר בִּי *exibat, & Angelus* אַחֵר *alter exibat* לִקְרָאתוֹ. vers. 9. *Et ero ego illi, dicit* יהוה, *murus ignis undique* &c. confer versus sequentes, & vers. 14. *Ecce venio & habitabo, dicit Dominus* &c. Ergo & hîc *Filius* & *Spiritus S.* sub *nomine Angelorum* veniunt.

Etiam *homines* dicuntur *Angeli*. Ita Johannes Baptista. Malach. 3: 3. *Ecce ego mitto* מַלְאָכִי *& evacuabit viam coram me.* confer Matth. 11: 10. confer Hag. 1: 13. *Et dixit Haggai* מַלְאַךְ יְהוָה *in* מַלְאֲכוּת יְהוָה. Mal. 2: 7. de *Sacerdote*. *Nam Angelus Iehova ille.* confer Es. 42: 19.

Sed in contradistinctione horum omnium ἄγγελοι θεοῦ dicuntur πνεύματα illa λειτουργικὰ, mente, voluntate, & potentia se movendi & operandi eximia prædit. ἃ θύραθεν Græcis δαίμονες appellata: quod vocabulum in Sacris impuris tantum Angelis cedit.

Sadducæi olim μὴ εἶναι ἄγγελον, Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι. Actor. 23:8. Putarunt, per *Angelos* nihil designari, quam vel *motus*, quos Deus hominibus aspirat; vel ea, quæ edit virtutis suæ specimina. Etiamnum Judæorum multi, ea, quæ *Angelis* tribuuntur in sacris, causis naturalibus ordinariè vel extraordinariè à Deo motis adscribunt. Justinus Martyr testatur, quosdam ἀτμήτους καὶ ἀχωρίστους θεοῦ δυνάμεις, ἃς ὁ θεὸς, ὅταν βούληται προπηδᾶν ποιεῖ, καὶ πάλιν ἀναστέλλει εἰς ἑαυτὸν, *Angelos* dicere.

Angelus Hebræis dicitur מַלְאָךְ: quæ vox derivatur à radice לאך inusitata Hebræis, sed quæ Æthiopibus *mittere* significat. Ergo מלאך *missum* notat: ut & vox ἄγγελος.

Esse *Angelos*, hoc est, spiritus separatos præter Deum, indubium est. Genes. 28: vers. 12. Vidit Jacob *Angelos Dei ascendentes in scala & descendentes.* Vidit Esaias שְׂרָפִים Es. 6: 2. 3. Daniel *millia millium* &c. Dan. 7: ℣. 10. Apud Job. 1: 6. & 2: 1. fit mentio בְּנֵי אֱלֹהִים & etiam שָׂטָן. confer cap. 4: 17. *Servis suis non fidit, & in Angelis suis poneret stultitiam.* confer Job. 38: 7. Psalm. 91: 11. *Angelis præcipiet suis super te.* 2 Reg. 6: vers. 16.

verſ. 16. dicit Eliſah. *Plures, qui nobiſcum* מֵאֲשֶׁר אוֹתָם, verſ. 17. *& ecce totus mons plenus equis & curribus ignis circum Eliſam.*

Rogant Scholaſtici: An poſſit demonſtrari, eſſe *Angelos*? & putant, quod non: neque à *priori*, quia illorum eſſe non eſt neceſſarium: neque à *poſteriori*, quia effectus Angelorum poſſunt adſcribi vel ipſi cauſæ primæ, vel animabus defunctorum.

Maximus Tyrius, Philoſophus Platonicus, ex ordine eſſentiarum ita concludit, inter ἀθάνατον καὶ ἀπαθὲς, & θνητὸν ἐμπαθὲς dari medium ἀθάνατον ἐμπαθές. Is tamen ipſe δαίμονας vult eſſe ψυχὰς ἀνθρώπων.

Bonæ Angelorum operationes poſſunt Deo adſcribi; non tamen illorum *ſermones*, quibus minoritatem ſuam infra Deum teſtantur. *Malæ* verò, ut eſt ſeductio Adami & Evæ, opera in arreptitiis, & obſeſſis, in gentium μαντείοις, & ſpectris, in μαγείᾳ & γοητείᾳ, & in ἐξορκισμοῖς, non poſſunt tribui *animabus* defunctorum. Unde enim conſtat, earum potentiam poſt exitum è corpore ſic amplificari? Si verò ſunt *mali* angeli, utique & *boni*: tales enim & illi olim fuere; neque enim omnes bonitatem ſuam deſeruerunt.

Ex cœlorum motu non probantur *Angeli*. Dei eſt gubernatio orbium, productio lucis & ſiderum, curſus luminarium. Job. 37:12. 38:20.32. Pſalm.19:5.6. Eſ.40:20. Amos.4:13.5:8.

Angeli, quotquot ſunt, *creaturæ* ſunt. Pſalm.104: 4. *Qui fecit Angelos ſuos ſpiritus, miniſtros ſuos ignem flammantem.* confer Hebr. 1: verſ.7. Et venti, & meteora ignea, & Angeli & miniſtri, *factura* Dei ſunt. confer Col. 1:16. confer Pſalm. 33:6. כָּל־צְבָאָם Geneſ. 2,1.

Moſes illorum creationem non expreſſit. Viſibilium creaturarum ſeriem pertexere imprimis propoſitum habuit. Ubi tamen dicit *cœlos* creatos, annon ſimul intelligendus eſt dixiſſe, etiam Angelos, quorum cæli ſunt οἰκητήριον, Jud. verſ.6. creatos eſſe?

Quod Moſes non meminit creationis Angelorum, hoc eſt, non deſignavit tempus, quo creati ſunt, cum deſcriberetur hiſtoria creationis, id factum eſt, ut in hiſtoriis regnorum, ubi non ſemper fit mentio accurata regni vicini. In Moſe præcipuè deſcribitur *Eccleſiæ* hiſtoria. Angelorum eatenus meminit, quatenus id pertinet ad hiſtoriam Eccleſiæ.

Non ſunt *æterni*, quia ſunt *facti*. Quod factum eſt, non fuit, antequam factum eſt. Quod æternum eſt, non poteſt annihilari, nec in tempore alterari, nec locum mutare, nec lætitiâ perfici, aut notitiâ divinæ ſapientiæ, & beatitudine ac gloriâ. Atqui id Angeli poſſunt.

Tempus creationis eſt cum mundo; non ante. Mundus enim eſt *initio* creatus. Nihil ante eum, niſi æternum. Unde æternitatis periphraſes, πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, Joh. 17:5. & verſ.24. πρὸ καταβολῆς κόσμου. Sex diebus fecit Deus *coelum, terram, maria & quæ in eis*. Exod.20: verſ. 11. Angeli ſunt in eis. Ergo nec ante nec poſt hos ſex dies creati ſunt.

Non exſtiterunt ante *principium*. Gen.1:1. ut Sociniani pertendunt. Id enim eſt principium omnium rerum. Antea non potuerunt Angeli habuiſſe ſuum *ubi*, in quo eſſent, moverentur & agerent, adeoque nec eſſe. Neque poſſunt dici jam fuiſſe ἐν τῇ ἀρχῇ. Joh.1:1.

Videntur creati primo die, ubi *coeli*. Creavit Deus primo die *coelum*, in ſua perfectione. Atqui ſine Angelis incolis id perfectum non fuiſſet. Jam fuerunt, cum *fundaretur terra*; tunc enim jubilarunt. Job. 38:4-7. Atqui id factum die ſecundo. Ergo creati ſunt die primo.

mo. *Jubilarunt*, gavisi eximio Dei *opere*, in quo *τὰ ἀόρατα* ejus conspicerentur. Rom. 1:20. quæque erat futura *θέατρον* divinæ justitiæ, sapientiæ, misericordiæ: imò & habitaculum *τῶν κληρονομησόντων τὴν σωτηρίαν*. Hebr. 1:14. quæ si ex se ipsis non potuerunt scire, accedente tamen divina revelatione non potuerunt nescire.

Plurimi sunt creati. Numerus illorum quasi *innumerabilis*. Apoc. 5:11. 7:9. Dan. 7:10. confer Deut. 33:2. Hebr. 12:22. Unde *multitudo exercitus* dicuntur. Luc. 2:13. Christus *λεγεῶνας πλείους ἢ δώδεκα ἀγγέλων* dicit. Matth. 26:53. *Legio* à delectu dicta est. Continet decem cohortes, hoc est, 12500 milites, tum pedites, tum equites, Secundùm alios 6100 pedites, & 730 equites. Vegetio legio est *6666* militum. Numerus legionum apud Romanos non unus fuit. Vide Lips. de Milit. Rom. & Marcellum Donatum ad Tacitum, I. Annal. cap. XXXI. *Legiones* distinguebantur vel *ordine*; ita *prima*, *secunda*, *tertia*: vel *cognominibus*, quæ vel ab *institutoribus*, ut *Augusta*, *Claudiana*, *Galbiana* &c. vel à *Provinciis* devictis, ut *Parthica*, *Scythica*, *Gallica*; vel à *Deorum nominibus*, ut *Minervia*, *Apollinaris*, *Venerea*; vel ab *eventibus*, ut *Gemina*, *Victrix*, *Fulminatrix* &c. accipiebant. De multitudine verò Angelorum præcisa quis ausit definire?

Honorum gradus alii inter Angelos statuunt, distinguentes singulos suis insignibus, & locum & stationem cuique assignantes. *Dionysius* quidam in cœlesti Hierarchia multa subtiliter disputat. Sed maxima parte mera est garrulitas. Si librum illum legas, putes hominem de cœlo delapsum referre, non quæ didicit, sed quæ oculis vidit.

De *Ordinibus* Angelorum post Dionysium hunc, Areopagitam à nonnullis habitum, & *Damascenum*, multa Scholastici. Statuerunt eorum *novem choros*, eosque in *tres triades* divisos. In *prima* Triade ponunt Seraphinos, Cherubinos, Thronos. In *secunda*, Dominationes, Virtutes & Potestates. In *tertia*, Principatus, Archangelos, Angelos.

Thomistæ volunt, Angelos præfectos esse singulis hominibus; Archangelos, Provinciis; Principatus, toti humano generi; Virtutes, corporibus; Potestates imperium habere in Cacodæmones; Dominationes bonos curare spiritus; Reliquos tres proximè Deum & ejus thronum semper hærere, & à Deo immediatè accipere visiones & mandata, quæ reliquis inferioribus deinde suggerant. Sed de his Scriptura nil novit: omnes dicit Angelos, & *spiritus ministratorios* &c.

Gregorius homil. 34. aliter explicat illos ordines, quam Dionysius. Alteruter ergo errat. August. cap. 10. ad Orosium contra Origenistas, *esse sedes, dominationes, potestates* &c. *firmissimè credo; & differre inter se aliquo modo, indubitata fide teneo: sed quænam ea sint, & quomodo differant, nescio.* vide Ephes. 1:21. Col. 1:16.

Michaël apud Danielem cap. 12: vers. 1. *princeps* vocatur *magnus*: & Jud. vers. 7. dicitur *Archangelus*. Atqui is *Christus* est; qui & veniet *ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου*. 1 Thess. 4:16.

Angeli sunt *in loco*. Ita Scriptura nunc in cœlo, nunc in terra, & in terra quidem nunc hic, nunc illic, prout poscit ministerii Angelorum ratio, eos esse docet.

Non verò sunt in loco, ut *corpora*; non enim sunt corpora; nulla mole præditi, nullum complent locum; non habent extrema, quibus possint exæquari loco; ad sui conservationem loco non indigent. Modus & ratio præsentiæ Angelorum non potest definiri, sed per negationem tantùm comprehendi.

Angeli possunt esse plures in uno loco, sed unus non potest simul esse in locis pluribus distinctis. Prius: Quod facit, ut duo non possint esse simul, nil est aliud, quam quod corpus ex-

excludat loco corpus aliud mole & quantitate sua. At ubi nulla moles, nulla dimensio, cur non possint esse plures in uno eodemque loco? Posterius: Si Angelus potest esse simul in pluribus locis, cur non poterit esse simul in omnibus locis? Si in duobus, cur non & in tribus, aut quatuor, & ita in infinitum. Naturæ Angelicæ circumscriptio & finitudo prohibet, quominus Angelus sit alio loco, quàm ubi est, nec omnibus locis adsit. Angelus, qui apud Johannem fuit in insula Pathmo, non fuit eodem illo tempore Ephesi. Qui cum Daniele in Babylone, non fuit eodem illo tempore in Judæa.

Angeli dicuntur esse in loco *definitivè*, hoc est, substantiam & naturam habere finitam.

Motus Angeli celerrimus est. *Spiritus ales est, momento ubique est*, dicit Tertullianus.

Angeli sunt δυνάμεις ἀόρατοι & ἀσώματοι; substantiæ spirituales, simplices, indivisibiles, per se tantùm subsistentes. Non sunt corpus. Non habitant naturali conditione in corpore; aut ut incompletum ens ad corpus organicum animandum & vegetandum ordinatur. Ideò & dicuntur πνεύματα; voce eâ, quæ & *ventis* competit; in quibus quid simile incorporeæ substantiæ est, quod nec videtur, nec palpatur, & celerrimè movetur. Idem nomen illis cum *animabus* nostris & cum *Deo* commune est. Cum hoc tamen non ad essentiæ adæquationem, sed ad materiæ & quantitatis exclusionem.

Materiales Angelos putavere Bonaventura, Richardus, Aureolus. Corporibus præditos, Platonici; etiam Tertullianus, Lactantius, Cassianus.

In Angelis est 1. cognitio. 2. voluntas. 3. potentia.

Angelus *se ipsum* cognoscit per suam substantiam; operationes suas & vitam ipse intimè sentit. Non format sui speciem, qui specie caret; nisi dicas, id fieri per imaginem & assimilationem rei alterius: ut quum homo mentem suam cum luce confert.

Deum cognoscit; non in *essentia* Dei; illa est incognoscibilis. פָּנָיו לֹא יֵרָאוּ. φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον. Angeli *alis* tegunt *faciem*. Es. 6. Quo magis *Deum* cognoscunt, *cognoscunt, se non posse cognoscere & comprehendere incomprehensibilem.* Scalig. Exercit. 359: 8. Est quidem Dei essentia propior & interior, tum essentiæ, tum intellectioni ipsius intelligentiæ, quàm ulla species: tamen non per essentiam Deus ab illis cognoscitur; non magis, quam ab animabus nostris cognoscitur essentia Dei immediatè.

Ergò *Deum* cognoscit in vestigio τοῦ εἶναι καὶ κινεῖσθαι καὶ ζῆν, quod est in creaturis, maximè in *imagine*, quam invenit in re, & lege naturaliter ipsi inscripta.

An verò Angelis tribuenda *cognitio matutina*, quâ in *Verbo* cognoscant se & creaturas? Minimè. In multa ἐπιθυμοῦσι παρακύψαι. 1 Petr. cap. 1: vers. 12. Quomodo ergo in *Verbo* videant omnia Dei opera? *Nemo novit Patrem nisi Filius.* Matth. cap. 11: vers. 27. *Quæ Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei.* 1 Cor. cap. 2: vers. 11. Solius *Filii* & Spiritûs est, loqui, quæ *viderunt*. Joh. 3: 11. 32. *Filio* monstrat Deus, quæ facit. Joh. 5: 20. Hæc απορρήματα Filii non sunt communicanda cum Angelis & aliis creaturis.

Intelligit Angelus, non per suam *essentiam*, sed componit, dividit, argumentatur. Dei proprium est, intelligere per essentiam, nec componere, dividere, argumentari. Angeli nonnulla ignorant; ut *diem judicii*. Quædam quæ fiunt, celari illos possunt. Ignatius tribuit

buit Satanæ ignorationem virginitatis Mariæ, & conceptionis & mortis Christi. Igitur cum quædam ignorent, sæpè fit, ut unum ex alio colligant, adeoque discurrant.

Ergo interventu *specierum* intelligunt, seu per species à rebus abstractas. Unde verò illæ *species*? An statim illæ ipsis insitæ à Deo ab initio? Si id ita, jam Angeli nihil nunc intelligunt, quod non intellexerint ab initio; & res notæ fuere Angelis, antequam essent res.

Rationem cognoscendi per species à rebus abstractas qui Angelis, imò nec dæmonibus competere negant, dicunt, Angelos *sensus externos* non habere. Sed licet instrumenta sensuum externorum non habeant, ut homines, tamen in essentia sua habent vim abstrahendi imagines à rebus, & suo intellectui eas communicandi. Patet id in colloquiis Sanctorum; voces eorum percipiunt, & eis respondent. Considera colloquium Gabrielis cum Zacharia, & Maria. Luc. 1.

Per *revelationem divinam extraordinariam* multa cognoscunt Angeli. Ita *διὰ ἀγγέλυ ἐσήμανε* Christus Joanni multa futura. Apoc. 1: 1. confer. 5:2.

An verò etiam intelligunt per *ratiocinationem*? Quidni? Qui cupiunt *παρακύψαι* in Dei mysteria, quidni & ænigmata divini sermonis meditando & ratiocinando scrutentur? Tamen eorum ratiocinatio multò est acrior & agilior, quam hominum, ut unius hominis multo est agilior, quam alterius. Divinæ misericordiæ effecta ex causis suis, & contrà, colligunt; ut in Canticis videre est. Sic Es. 6: 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus est* יְהֹוָה, *plena tota terra gloriâ ejus*. Luc. 2: 14. *Gloria in excelsis Deo* &c. Sic passim in doxologiis Apocalypticis ex causis effecta, & ex effectis causas colligunt.

Universalia cognoscunt per comparationem singularium.

Singularia non ignorant. Applauserunt creationi; gaudent super peccatore pœnitente; norunt, ad quid mittantur, quidque efficiant; etiam molitiones Satanæ. Coram illis adjurat Paulus Timotheum. 1 Tim. 5: 21. Illorum reverentia jubet fœminam esse tecto capite. 1 Cor. 11: 10.

Quomodo id fiat, quid inquiris? Anima tua per organa corporis, & porrecto à sensibus phantasmate, sensilium introspicit theatrum rerum. Deus, providentia sua, hanc cognitionem Angelis impertitur, ut vult; non quidem per essentiæ suæ, ut speculi, ostensionem: ita enim Angeli divina decreta inspicerent, quæ tamen Angelis, ut in speculo, minimè patent; nam & diem ultimum olim ignorarunt. Quum Deus, quæ vult, eis revelat, tum facit in ipsis existere *species & imagines rerum*, quemadmodum in anima humana.

Cogitationes hominis ab Angelis non cognoscuntur, nisi in quantum signis, & effectis, vel revelatione patescunt. Solus Deus scrutatur corda & renes.

Futura non cognoscunt, nisi quæ Deus revelârit, aut ipsi è naturalibus moralibusque causis conjectârint.

Angeli, quum suos cogitatus sibi mutuo notificant, dicuntur sibi mutuo *irradiare*. Ita res adumbratur, & crassa per sonos colloquia amoventur. Certè est, quo Angelus Angelo sensus suos notificet. Hæ linguæ Angelorum sunt. Dicunt, id fieri *solo voluntatis arbitrio*, quo premunt, vel promunt, quicquid volunt, sine signo sensibili. Hæc clavis est, qua intellectum & voluntatem suam aperiunt. Modum tamen nos non assequimur.

2 Sam. 14: 20. וַאדֹנִי חָכָם כְּחָכְמַת מַלְאַךְ הָאֱלֹהִים לָדַעַת אֶת־כָּל־אֲשֶׁר בָּאָרֶץ.

Est in Angelis 1. *naturalis*, quæ in ipsa creatione illis est indita. 2. *revelata*, quam postmodum ex revelatione divinorum mysteriorum & rerum futurarum acceperunt. 3. *experimentalis* cognitio seu notitia, quam habent per observationem eorum, quæ apud nos fiunt.

Cognitio illorum est merè *intellectiva*, eaque non per essentiam, quæ rerum omnium

imago & *exemplaris causa* non est: nec per *species rerum abstractas*, sed per *similitudines* earum in creatione à Deo inditas, vel postea infusas. Ita Wendelinus.

Finita est Angelorum *scientia*, conjuncta cum multarum rerum *ignorantia negativa:* quæ tamen ipsorum felicitati non obstat: sunt enim finiti. Videntur omnium hominum singularium habere notitiam, sive è revelatione, sive per experientiam. Secernunt pios ab impiis in pœnis infligendis, Ezech. 9: 4. Apoc. 7: 3. novissimo die è quatuor cœli partibus congregabunt electos.

Voluntas Angeli est facultas, quâ intellecta probat, improbat, expetit, repudiat. Hæc sancta & conformis voluntati Creatoris initio exstitit. Ex utraque hac facultate est *liberum arbitrium*. Voluntas Angeli in discrimine bonitatis & malitiæ maximè cernitur.

Potentia efficit, quæ voluntas imperat. Ea est *permagna*. Sunt גִּבֹּרֵי כֹחַ Psalm. 103: 20. ἄγγελοι δυνάμεως, 2 Thess. 1: 7. Unus unâ nocte magnâ strage affecit exercitum Sancheribi. 2 Reg. 19: 35. Imò & primogenitos Ægypti. Exod. 12.

Scholastici dicunt, Angelos *non esse in loco nisi per operationem*, quando præsentes operantur. Scalig. Exercit. 359. sect. 5. *Ubi* illorum definiendum est, non secundùm essentiæ simplicitatem, sed sphæram activitatis & potentiæ.

Angelus nil potest sine Deo. Non potest creare, nec annihilare, vel quoad substantiam mutare, sine naturalibus causis: ut Christus aquam in vinum vertit. Non potest *miracula* facere.

Deus Angelis, quantam voluit, materiam subjecit, ut eorum voluntate, (ad nutum tamen & arbitrium ipsius) moveretur; sæpè etiam mirabili modo. In eo voluntas Angeli non habet se δεσποτικῶς. Neque enim ipsa, nec motus materiæ independenter est à Deo. Talis enim motus per voluntatis imperium solius Dei est.

In hominis voluntatem non habent potestatem. Phantasmata tamen possunt suggerere, occasionemque cogitationum bonarum & malarum, & per eas consequenter ad bonum adducere, vel à malo abducere, & in malum impellere. Sed & hoc non nisi sub arbitrio Dei.

Potentiæ Angelicæ exemplum habes in *avolutione lapidis* à sepulchro Christi. Matth. 28: 2. Marc. 16: 3. in turbatione aquarum piscinæ Bethesda. Joh. 5: 2. 4. in abjectione *duarum* ἁλύσεων à manibus Petri. Act. 12: 6. 7. & apertione ferreæ januæ. ibid. vers. 10. *quæ sponte aperta est*.

In apparitionibus assumserunt Angeli *corpora*, fabricante Deo. Dæmones spectris illudunt.

Angeli non generantur ex homine, nec generant per hominem, etiamsi corpus assumant.

Ἀρχὴ Angelorum est (Jud. vers. 6.) ἀλήθεια. Joh. 8: 44. ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν. Ita *boni & recti* conditi sunt. Habuerunt τὸ ἴδιον οἰκητήριον. Jud. vers. 6. Non potuerunt condi, ut annihilarentur. Finis illorum est vel æterna beatitudo, vel æternus pudor.

In illa veritate perstiterunt οἱ ἐκλεκτοὶ, 1 Tim. 5: 21. qui *Angeli Dei*, *sancti Angeli*, *Stellæ lucis*, *Angeli lucis*, *Filii Dei*, *Servi Dei*, *Sancti Dei* dicuntur.

Liberâ quidem & lubentissima voluntate, sed & certissimo ac efficacissimo creaturis auxilio. *Servis suis non credit, & in Angelis suis ponit lucem*, quæ nimirum in illis est: vel *poneret stultitiam*, si illos sibi ipsis permittere vellet. Ideò *sancti ejus*, ab ipso sanctificati, Job. 15: 15. & in *manu ejus* esse dicuntur. Deut. 33: 3. Deusque dicitur *facere pacem in sublimibus suis*.

Qui perstiterunt, nec unquam casuri sunt, virtute Dei conservandi.

Officium Angelorum est: *mittuntur* εἰς διακονίαν. Hebr. 1: 4. sive ut indicent voluntatem Dei, sive ut suggerant bonas cogitationes, sive ut resistant diabolo, sive ut custodiant & auxi-

auxilientur, Psal. 91: 11. 12. Matth. 4: 6. ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε. noxas avertant, mala leniant, perterritos roborent, dissipatos colligant, à communione malorum liberent, tandemque animas in sinum Abrahæ perferant. Luc. 16: 22.

Ita sunt *electorum* Angeli, ipsorum causâ mittuntur, ipsorum nomine vident faciem Dei, jussa ejus exspectantes. Matth. 18: 10. οἱ ἄγγελοι αὐτῶν. Act. 12: 15. ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν. Meminerunt forsan, sanctis identidem Angelos missos, eodem nomine, ut Gabriel Danieli.

An *singulis* fidelibus *singuli* Angeli sint attributi, ad eorum defensionem, pro certo asserere non ausim. Quum Daniel Angelum Persarum & Græcorum inducit, significat, certos Angelos regnis & provinciis quasi præsides destinari. Quum dicitur, Angelos puerorum faciem Dei videre, innuitur, certos esse Angelos, quibus commendata sit eorum salus. Sed non inde sequitur, unicuique præesse suum Angelum. Certum est, non tantùm unum Angelum, sed omnes uno consensu pro nobis vigilare. De *omnibus* dicitur, quod gaudent super resipiscente. Plures Angeli animam Lazari detulerunt. Elisæo multi currus ignei peculiariter erant destinati. Ex loco Actorum 12. potest concludi, certum Angelum tunc Petri curam accepisse, qui tamen non propterea perpetuus ejus esset comes.

Et quid multa de hisce? Cui non satisfacit, omnes militiæ cœlestis ordines pro salute ipsius excubare, quid proficere ille ex eo possit, Angelum unum peculiariter custodem sibi datum?

Non verò de nihilo promissæ sunt sanctis auxiliares illæ copiæ, quibus undique cincti & muniti certemus animosiùs.

Probabilem opinionem dicunt esse de bono Angelo custode, singulis hominibus, saltem fidelibus, assignato, Zanchius, Alstedius, Vossius.

Antiquis Patribus, qui illam opinionem foverunt, adhæsit hic aliquid ex Philosophia Platonica, & Theologia mythologica Gentilium.

In sacris occurrit vox כְּרוּב. Eâ & *Angeli* notantur Gen. 3: 24. Ps. 18: 1. *Et equitavit super Cherub, & volavit.* Vehitur Deus in Angelis, quia præstantissimè & celerrimè & potentissimè in illis & per illos operatur. *Cherubim* est nomenclatura formarum symbolicarum quatuor animalium in unum conflatorum; qualia olim super Arcam, Exod. 25: 18. 19. 20. & in templo passim erant: & in aulæis *tentorii conventus* multi erant intexti Cherubim. Exod. 26: 1.

Ezechiel vidit Cherubim vivos. Super Arcam & in aulæis tentorii tantùm fuere ex auro fusi, & contexti, seu acupicti. Etiam Johannes animalia vidit viva, se moventia.

Forma ita visa Ezechieli. *Quatuor* vidit *Animalia*, similitudine *hominis*. Unumquodque habebat *quatuor facies, duas a dextra, hominis & leonis; duas à sinistra, bovis & aquilæ; quatuor alas*, sub quibus erant יְדֵי אָדָם. Pes animalis erat *pes rectus*, non flexus aut contortus. *Planta* pedis, ut *planta pedis vituli.* Duabus alis *volabant*, aut se חֹבְרוֹת *sociabant* invicem, duabus מְכַסּוֹת אֵת גְּוִיֹּתֵיהֶנָה. Vide Ezech. 1: 5 – 15. Hæc *Animalia* dicuntur כְּרֻבִים Ezech. 10: 1. 2. 3. 4. 5. 14. Ibi *pro facie bovis* est פְּנֵי כְרוּב vers. 15. *Et efferebantur Cherubim. Hoc est animal, quod vidi in fluvio Chebar.*

Hæc animalia non *Angelos* tantùm, sed & *Ecclesiam* redemtorum designarunt. Apoc. 4: 7. 8. 9. 5: 9. Ezechiel *quatuor* illis *alas*, Apocalypsis 4: 8. πτέρυγας ἓξ illis tribuit.

Ergo hæc fuit forma uniuscujusque animalis. 1. *Corpus* erat humanum, ut & *manus*. 2. *Facies* quatuor unicuique, duæ à dextra, duæ à sinistra. 3. *Pedes* vitulini. 4. *Alæ* aquilinæ *quatuor*, imò *sex*. כרב Syris & Arabibus notat *arare*; seu כרוב *arantem*. Tota figura ab una sui parte, nimirum *bove arante* nominatur.

Hæ

Hæ formæ virtutes, quæ in Angelis & Ecclesia, notarunt. *Pedes vitulini bisulci* notant immobilem in bono stationem. *Forma humana*, τὸ λογικὸν & sapientiam. *Alæ*, promtitudinem serviendi Deo, efferendi se ad cœlestia. *Facies leonis*, fortitudinem, *bovis*, in labore perdurationem, *aquilæ*, sagacitatem ad quærendum cœleste cadaver notarunt.

In Apocalypsi nominantur c. 4: 6. τέσσαρα ζῶα; & unumquodque ab unius animalis forma tantùm describitur. Ita vers. 7. τὸ ζῶον τὸ πρῶτον ὅμοιον λέοντι, τὸ δεύτερον ζῶον ὅμοιον μόσχῳ, τὸ τρίτον ἔχον τὸ πρόσωπον ὡς ἄνθρωπος, τὸ τέταρτον ὅμοιον ἀετῷ πετωμένῳ. Cum tamen unumquodque animal è quadruplici hac forma constiterit.

Etiam Angeli dicuntur שְׂרָפִים Es. 6: 2. Ignita corpora vidit Esaias, hieroglyphicè *Angelos* significantia. confer *currus igneos & equos igneos*, 2 Reg. 2: 11. 2 Reg. 10: 17.

Archangelus unus tantùm legitur; non est tantùm *Princeps Angelus*, sed & *Princeps unicus & adjutor unicus Angelorum omnium*, *Princeps populi Dei*, hoc est, ipse Dei *Filius*, quem *Angelum κυρίως* appellari suprà vidimus.

Inter bonos Angelos esse *factiones*, aut *fuisse* & per Christum compositas esse, malè Grotius ex Job. 25: 2. *Imperium & timor cum illo: facit pacem in sublimibus suis.* Boni bellum gerunt cum nequam spiritibus, populorum principibus, sub ducatu Filii. Dan. 10: 13. *Et princeps regni Persiæ stans* לְנֶגְדִּי 21. *diebus Et ecce Michael unus principum primorum* בָּא לְעָזְרֵנִי. *& ego superstes mansi ibi apud Reges Persiæ.* confer vers. 20. *Nunc redibo ad pugnare* עִם שַׂר פָּרָס. *& ego exiens,* וְהִנֵּה שַׂר יָוָן בָּא. Apoc. 12: 7. Joh. 12: 31. 14: 30. 16: 11.

Per Angelos lata lex, ut testes, & approbatores, & futuros vindices. Act. 7: 53. Gal. 3: ꝟ. 19. Hebr. 2: 2. confer διὰ 2 Tim. 2: 2. *quæ audiisti* παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων.

Ita illis ἡ οἰκουμένη subjecta. Hebr. 2: 5. & ob hoc officium illi dicuntur אֱלֹהִים. Ps. 8: 6. Psal. 97: 7. quo tamen supersederunt, Filio *honore & gloria* coronato. confer 1 Petr. 3: 22. ὑποταγέντων αὐτῷ ἀγγέλων καὶ ἐξουσιῶν καὶ δυνάμεων. Ab illo tempore sunt nostri σύνδουλοι. Apoc. 19: 10. 22: 9.

Non convenit illis λατρεία, nec δουλεία, nec θρησκεία, nec προσκύνησις; sed reverentia tanquam testibus sanctis. 1 Cor. 11: 10. 1 Tim. 5: 21. Luc. 15: 7.

In Angelis bonis est exemplum justitiæ operum. Christus non est illorum Mediator, sed tamen caput, princeps, dominus, ut familiæ.

Præter *Angelos* numerant *Hermetici* & *Paracelsistæ* multos spiritus, *cœlestes secundarios*, *aëreos*, *aqueos*, *terrestres*; qui omnes ipsis sunt substantiæ spirituales; ita tamen ut diversos agnoscant spiritualitatis gradus.

Cœlestes secundarios (primarii enim sunt Angeli) appellant *Intelligentias* & *Salamandras*, *Penates*; imò alios *Solares*, *Lunares*, *Saturninos*, *Joviales*, *Venereos*, *Martiales*. Hisce inferioris hujus mundi regimen concreditum dicunt.

Aëreos cœlestibus subjiciunt, & distinguunt in *Orientales*, *Occidentales*, *Meridionales*, *Septentrionales*: item, in *Supremos*, *Medios*, *Imos* circa terram.

Aqueos appellant *Nymphas* & *Sirenes*; quòd sæpius sub forma fœminea apparere soleant.

Terrestres dicunt *Sylphes*, *Pygmæos*. Germanicè *Schrötlein*, *Bergmannlein*.

De

De

P E C C A T O,

tum Angelorum, tum Hominum.

CReata fuere omnia *valdè bona*: ſed evaſere ſubitò *omnia mala*; non culpâ Creatoris, ſed creaturæ, permittente Creatore, non verò efficiente, creatura verò deficiente. *Omnia* dicimus evaſiſſe mala; non quidem omnes angeli, plurimi tamen; omnis verò homo, & omnis extra hominem creatura ὑπετάγη τῇ ματαιότητι.

Quomodo verò *mala*? *Peccatum intravit in mundum*. Peccatum verò *malum* eſt. Rom. 12.9. ἀποςυγοῦντες τὸ πονηρὸν. Inde & *peccatores* dicuntur πονηροὶ. Matth. 7: ℣. 11. 12:34. *Mala* ſunt, quæ naturâ ſuâ ſunt *turpia*, à ſimilitudine & imagine Dei diſcedentia, quæ ſunt noxia ſeu quæ nocent, animam corpuſque perdunt, quæque ordinem turbant.

1. *Peccatum* dicitur Græcis ἁμαρτία, Hebræis חַטָּאָה. Utrumque notat *aberrationem* à ſcopo & meta, ἀτυχίαν, ἀςοχίαν; & deſtinato excidere. Job. 5:24. *Ubi viſitaveris manſionem tuam* וְלֹא תֶחֱטָא *& non eris fruſtra*, non aberrabis. Prov. 19:2. וְאָץ *Feſtinans pedibus* חוֹטֵא *peccat*, cadit, ruit. Jud. 29:16. *Quilibet jaculabatur funda ad pilum* וְלֹא יַחֲטִא *& non peccabat*, hoc eſt, non fruſtrabatur jactum. חֵטְא ἁμαρτία eſt cum oblivione vel contemtu, adeoque directa vel indirecta abnegatione Dei, ut ultimi finis; quæritque aliud, quàm gloriam ejus; facit peccatorem אובד דרך *pereuntem viâ*, ſive ἀτυχῆ; & Deo reum, ut privetur unione ejus, & exterminetur ab omni bono ejus, & conjiciatur in omne malum.

חַטָּאָה notat 1. *malum*, actum malum; etiam inclinationem ad malum. Gen. 4:7. *Peccatum cubat ad fores*. Ita emphaticè *peccata* gentilium. Dan. 9:24. 2. *Reatum*. Pſal. 109: verſ. 7. *Oratio ſeu defenſio ejus ſit* לַחֲטָאָה *in peccatum* ſeu faciat eum reum. 3. *Piamen*, hoc eſt, paſſio propter peccatum. Num. 32:23. *& cognoſcite* חַטַּאתְכֶם *peccatum veſtrum*, hoc eſt, pœnam, *quod vos inveniet*. Zach. 14:19. *Hoc erit* חַטַּאת *peccatum Ægypti*, id eſt, pœna. 4. Quod pro peccato offertur. Mich. 6:7. *Dabo fructum ventris mei peccatum animæ meæ*. Pſalm. 40:7. *Holocauſtum* & חֲטָאָה *peccatum* (περὶ ἁμαρτίας) *non petiviſti*. Exod. 29:14. חַטָּאת הוּא *peccatum eſt*, ſacrificium pro peccato.

2. Porrò hoc *malum*, ut ejus *malitia*, turpitudo, & noxa omninò conſtet, dicitur

פֶּשַׁע ἀνομία, ἀποςασία. Job. 34:37. *Adderet* עַל חַטָּאתוֹ פֶּשַׁע *ad peccatum ſuum defectionem*. Peccans excutit jugum, rumpitque funes Domini, aſſerit ſe in libertatem independentiæ, aut alii ſe Domino ſubjicit. 1 Joh. 3:4. πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ. καὶ ἡ ἁμαρτία ἐςὶν ἡ ἀνομία. *Omnis, qui facit peccatum*, ſeu aberrationem, *etiam defectionem patrat, & aberratio eſt defectio*. Vulgò, *Peccatum* eſt *transgreſſio legis*. Non vult perfectè definire Johannes peccatum; nec, quicquid mali ineſt in peccato, una voce determinare, ſed oſtendit, unam peccati fœditatem non eſſe ſine alia; *aberrationem* etiam abnegati dominii & legis reum conſtituere. Qui malum facit, agit tanquam Dominum non habens,

bens,

bens, & ideo facit פֶּשַׁע ἀνομίαν. Insignius autem ἀνομεῖ, qui legem justitiæ repudiat, postquam Deum suum vocaverit Jehovam.

Malè intelligunt locum Johannis, qui inde putant sequi, *peccatum* nil aliud esse, quàm facere aliter atque imperatum est, & in lege præceptum: intelligentes, omnes actiones esse naturâ sua indifferentes; ex. gr. amare & odisse Deum, imagines colere vel non, Dei nomen temerè usurpare &c. solo dogmate herilis imperii fieri, ut alia vetentur, alia jubeantur; quam jussa vetari, & vetita juberi possint. Hæc sententia, ut est apud Diog. Laërtium, & Archelai fuit, τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ; ut & Aristippi, & Theodori illius, qui ἄθεος fuit appellatus. Sed si omnia sunt ἀδιάφορα, & nil suâ naturâ rectum aut pravum est, quæ est ratio immutabilis & certa, quare peccatum sit, non obedire Deo? Si verò ulla certa & immutabilis est ratio, quæ obligat ad obediendum creatori, utique est lex, si non scripta, tamen innata, juxta quam rectum est, obedire, & malum est, ἀνηκουστεῖν.

In Sacris *peccatum* gentibus, *defectio* Judæis fœdifragis solet tribui, Dan. 9: 24. & illæ חַטָּאִים *peccatores.* Matth. 26:45. Rom. 3:7. Galat. 2: 15. hi פֹּשְׁעִים dici. Es. 48: vers. 8. פֹּשֵׁעַ מִבֶּטֶן קֹרָא לָךְ. Es. 53: 12. לַפֹּשְׁעִים יַפְגִּיעַ.

NB. Es. 1: ℣. 28. וְשֶׁבֶר פֹּשְׁעִים וְחַטָּאִים יַחְדָּו וְעֹזְבֵי יְהוָה יִכְלוּ: *& fractio defectorum & peccatorum unà fiet, & derelinquentes Iehovam consumentur.* Duo genera hominum notantur confringenda, postquam Sion redemta sit à maledictione. 1. *Deficientes* à Deo & à rege Christo, & regnum Dei rejicientes, *Iudæi.* 2. *Perseverantes in peccatis suis*, *Gentiles.* Utrique confracti sunt, quum sublata est Judæorum politia & cultus, & idololatriæ cultores fusi & fugati sunt, ut imperium pervenerit in manus Christianorum. Adjunguntur 3. *Relinquentes Iehovam.* Ita notatur ἀποστασία à Paulo prædicta 2 Thess. 2: 3. 1 Tim. 4: vers. 1.

פָּשַׁע sensu *deficiendi*, rejiciendi dominum, & exeundi ex ejus potestate 2 Reg. 8:20. *In diebus illius* פָּשַׁע אֱדוֹם מִתַּחַת יַד־יְהוּדָה *& fecerunt sibi Regem.* 1 Reg. 12: 19. וַיִּפְשְׁעוּ יִשְׂרָאֵל בְּבֵית דָּוִד *& defecerunt Israëlitæ à domo David.*

3. dicitur עָוֹן ἀδικία *pravitas*, quæ opponitur *rectitudini.* Omne peccatum dissidet à recta regula; non obsignat divinam veritatem; non imitatur amorem Dei; pugnat cum imagine Dei. Dan. 9: 24. לְכַפֵּר עָוֹן. Psalm. 51:7. בְּעָוֹן חוֹלָלְתִּי *in pravitate editus sum*, non in *rectitudine* prima.

Est & עָוֹן *pravitas* in gressu & cursu. Psal. 59: 5. בְּלִי־עָוֹן יְרֻצוּן *sine lapsatione currunt*, sine cæspitatione. Psalm. 49:6. עֲוֹן עֲקֵבַי יְסֻבֵּנִי *pravitas calcaneorum meorum circumstabit me.* מִכְשׁוֹל עֲוֹן *offendiculum pravitatis.* Ezech. 7: 19.

Exod. 34:7. נֹשֵׂא עָוֹן וָפֶשַׁע וְחַטָּאָה. Hos. 12:9. עָוֹן אֲשֶׁר־חֵטְא *pravitas*, *quæ* sit *peccatum* Psalm. 32:5. עֲוֹן חַטָּאתִי *pravitatem peccati meam.*

Scilicet est *pravitas*, quæ non censetur *peccatum* aut *defectio.* Hæc dicuntur secundùm divinam χρηστότητα & *bonitatem*, quâ resipiscentibus non imputat *peccatum* aut *defectionem*; quamvis *malo* & *pravitate* non careant.

4. מְרִי ἀπείθειαν; & מָרַד *rebellionem*, quia Dei quasi spem eludit, faciendo quod non est bonum coram ipso; imò quia, quantum in peccatore est, peccatum tendit adversus Dei τὸ εἶναι, καὶ τὸ ἅγιον εἶναι. Omne peccatum, ut benè Scholastici, tendit ad Dei destructionem, sive ad Dei non esse. 2 Chron. 36:13. *Et etiam* בַּמֶּלֶךְ *in Regem Nebucadnezar rebellavit* מָרָד. Ezech. 20:38. הַמֹּרְדִים וְהַפּוֹשְׁעִים בִּי. 1 Sam. 20:30. בֶּן־נַעֲוַת הַמַּרְדּוּת *fili pravissimæ contumaciæ*, hoc est, homo perditè refractarie.

5. מַעַל *prævaricatio.* est cum hypocrisi & opinione integri fœderis. Ita adultera facit

מָעַל

מַעַל quum, simulatâ aut præsumtâ conjugii integritate, cum alio viro rem habet. Num. 5: vers. 27. וַתִּמְעֹל מַעַל בְּאִישָׁהּ *prævaricata est in maritum suum.* Saul dicitur *prævaricatus*, quia לֹא שָׁמַר *non observavit* imperata à Deo, quum tamen vellet videri fecisse, quod præceptum ei erat. 1 Chron. 10: 13. Jos. 22: 16. quod Rubenitæ altare struxerant, videbatur & מָרַד & מַעַל. illud; volebant videri colere Jehovam; hoc, quia & contra ejus voluntatem facere, & alium colere velle videbantur, alibi sacrificantes. confer vers. 31.

6. בֶּגֶד *perfidia*; quia, quod ipsa conscientia dictat, & animus naturaliter quasi Deo promittit, per peccatum violatur. ἀσυνθεσία. Es. 24: 16. Jer. 12:1. Zeph. 3: ℣. 4. אַנְשֵׁי בֹּגְדוֹת nihil pensi habentes, fidem datam & fœdus Dei non curantes.

7. עָוֶל. Psalm. 7: vers. 4. *Si est* עָוֶל *injustitia in manibus meis.* Convenit cum עָוֶן. Ezech. 33: 13. בְּעַוְלוֹ *in injustitia sua.* Oppositum צְדָקָה, hoc est, rectè dicta & facta.

8. עֲבֵירָה *transgressio.* Vox Judæis familiaris. παράβασις. Inobedientia transit præceptum, חק. Obedientia intra fines & septa, in via se continet.

9. רֶשַׁע *improbitas, damnabilitas, damnabile factum.* 1 Sam. 24: ℣. 14. מֵרְשָׁעִים יֵצֵא רֶשַׁע. confer Psal. 5: 5.

10. אָשָׁם *reatus* ὄφλησις, ὀφείλημα, ὄφλημα, ὀφειλή.

11. טֻמְאָה, cujus communio fœdat.

12. Παράπτωμα *prolapsus*, ex statu suo.

Petrus ab Alliaco, Cardinalis Cameracensis, in Principio ad primum Sententiarum, lit. E. *Sextum corollarium est, quod nullum est ex se peccatum, sed præcisè, quia lege prohibitum.* Et ratio addita: *Quia nullus est peccator nisi prævaricator. Prævaricatio autem est legis transgressio.* Rom. 4. *Ubi non est lex, neque prævaricatio.*

Conclusio prima L. D. *Sicut voluntas divina in genere causæ efficientis est prima efficiens causa: sic ipsa in genere legis obligantis est prima lex seu regula.*

Affert testimonium Augustini 22. contra Faustum. *Lex æterna est divina mens seu voluntas ordinem NATURALEM servari jubens, turbari vetans.* Ad hoc dicit lit. 2. *Legem æternam ab Augustino appellari, non quia æternaliter fuerit lex, sed quia æternaliter erit lex.* lit. H. *Nam licet sit articulus Parisiensis, quod aliquis posset mereri obdiendo Deum, error* &c. *Unde multi illum articulum restringunt ad potentiam Dei ordinatam, & multi doctores alterius studii tenent, quod Deus potest præcipere odium sui.*

Probemus verò, res multas esse bonas vel malas, naturâ, non lege tantùm; & *discrimen, quod inter bonum & malum morale intercedit, constare naturâ, non jure positivo.*

Initio dicimus, Omnem motum creaturæ per se esse indifferentem, & bonum malumve fieri pro conditione *objecti, finis*, aut sanè *modi.* Ita *amare & odisse, suâ naturâ indifferentia sunt, quæ differentia fiunt objectis & modis.*

Ius merè positivum liberum solutumque fuit Deo vel ponere vel non-ponere.

Lex moralis præcipit *amorem Dei & proximi.* Si *bonum* non differt naturaliter à *malo*, potuit Deus hominem initio dispensare de necessitate sui Numinis amandi. Atqui id cadere non potest in eum, qui *summum bonum*: est enim id naturâ suâ summopere *amabile*; tale autem nunquam potest esse licitum *non-amare.*

Ita & potuit *odium* sui imperare. Quæ enim naturâ suâ sunt ἀδιάφορα, illa in utramque possunt partem fieri; potuitque adeò laudabile esse, ut creatura odisset creatorem.

Laude enim dignum est Deo parere jubenti.

Atqui *odium* sui Deus præcipere nequit, nec *directè*, nec *indirectè.* Implicat, Rationalem

lem creaturam bonam esse, & non esse rectam: esse à Deo, & non ad Deum: esse ad Deum, & Deum non esse bonum illius: esse Deum bonum illius, & non cognosci: cognosci à creatura, & eam non teneri amare illum ac quærere: Deum esse bonum, & benè posse odio haberi: Deum esse bonum hominis, & benè non quæri, aut Deum bene velle se non quæri: quærere Deum, & odio habere: odio inveniri, amore alienari: esse imaginem Dei, & Deum odisse. Ita enim se odisset Deus.

Si inter *bonum & malum morale* naturâ nil interest, etiam indifferens erit, *Dei jussis obsequi vel non*. Quod si non est, sequetur, *bonum* esse *naturâ*, Deo obsequi; *malum*, non obsequi. Numinis tanta est auctoritas, ut ei resistere naturâ nefas sit. Ergo eadem de causa nefas erit, & Deum non amare, quia summè bonus est, & non amare ea, in quibus divinæ bonitatis imago aliqua relucet.

Pietas & sanctimonia Imago Dei appellantur Col. 3: 10. Ephes. 4: 24. Imago autem *exemplari* respondet. Si igitur illa naturâ sponte mobilis est, etiam *ingenium* Dei mobile esse oportet, ut queat esse sanctus, vel non-sanctus pro arbitrio. Deus autem *liberè* quidem sanctus est, non invitè aut coactè, sed ita tamen, ut ullo pacto non sanctus esse non possit. Sic & *impietas & impuritas* esse poterunt imago Dei; & Diaboli ipsi & impurissima θεῖα imago Dei erunt.

Duo sunt Deo æquè naturalia: unum *ut sit*, alterum ut *bonus sit*, naturali, morali & immutabili bonitate. Creaturæ, quatenus *sunt*, Dei naturam referunt. An verò eandem naturam, quatenus *bona* est, non referre illas, fieri ulla ratione potest?

Imò ne convenire quidem potest *naturæ humanæ*, ut sit indifferens ad *bonum & malum* morale. Constamus corpore & animâ. Corpori convenit *naturâ* pulchritudo & perfectio aliqua: veluti sublime tueri, legitima membrorum proportione & dispositione constare: albedo rubore temperata naturâ pulchra est; facies ulcerosa, tabe diffluens, putredine scatens, naturâ deformis est, & fastidium parit. Ita & *Animæ*, longè potiori parti, competere debet sua quædam perfectio, sita in *virtute*, determinata ab ipsa rerum *naturâ*.

Duæ sunt præcipuè *Mentis* partes. Una, quæ per se rationalis est; altera, quæ μετέχει τοῦ λόγου πως, seu quæ πέφυκε πειθαρχεῖν τῷ λόγῳ. Ad perfectionem partis rationalis indubiè pertinet aliquid, quod est à naturâ fixum & immutabile: nimirum τὸ ἀληθές, id quod ἀΐδιον appellatur. Objectum enim menti contemplatrici propositum aliter atque aliter habere se nequit. Ergo & partis alterius, *voluntatis* nimirum, perfectio sita erit in *bono* aliquo, quod sit naturâ suâ statum & sibi semper simile.

Habitus, quibus *Aristoteles* affirmat, homines ἀληθεύειν καὶ μὴ διαψεύδεσθαι κατὰ τὸ ἀληθές, *intelligentia* scilicet, *sapientia*, *scientia*, *prudentia*, habent naturam cum *objectis* sui naturâ convenientem. Idem ille *habitus*, qui hodie *sapientia* est, cras nullo neque humano, neque divino jure *insipientia* esse potest.

Igitur & *habitus* illi, qui sunt secundùm virtutem moralem, nunquam, interveniente novo aliquo jure positivo, vitiosi esse possunt. Secundùm Aristotelem libr. 6. Ethic. *prudens* nemo esse potest, qui virtutem moralem non habet; nec virtus moralis potest esse sine prudentia. Si dicas, virtutes, tum intellectuales tum morales, constare indole, non à natura definita, sed è jure positivo pendente, dignus eris, qui fias insipientissimus & imprudentissimus, ut qui velis sapientiam & prudentiam res esse solius nominis, nec hilo ab imprudentia & insipientia secerni.

Philosophi virtutis & vitii naturam investigantes, non definiverunt eam ex illo jure, quod

quod Deus posuit, sed utriusque ingenium ex ipsa rerum naturâ æstimarunt. Μεσότης illa, in qua virtus omnis consistit, haut manat ex jure ullo positivo, sed rebus ipsis φύσει inest, inter duo extrema constituta. Neque ὁ ὀρθὸς λόγος, qui est unicum κριτήριον τῆς μεσότητος, *flexibilis* est, ut regula Lesbia, sed ita constitutus à natura, ut non possit in hanc vel in illam partem inflecti, quin rectus esse desinat.

Mali Physici ratio φύσει definita est. Nam & ἀναισθητὸς est & mentis emotæ, qui inter voluptatem & dolorem nullam ab ipsa natura positam esse differentiam dicat, & putet, unum appeti, alterum fugi, quia sic Deo & Legislatoribus placuit è libero instituto. Quanto magis id est in bono morali, dignitate multum excellentiore?

Mali moralis pœna est malum physicum; & illius correctio posita est in re aliqua peccatori molesta, & voluptati, quam è peccato cepit, contraria. Si igitur liberum Deo sit, id pro *virtute* præcipere nobis, quod nunc *vitium* habetur, etiam illi liberum erit, ut inobedientes voluptate castiget, & obedientes novæ illi legi torminibus cruciet.

Abhorret etiam hæc sententia ab omni pietatis usu. Quis Numinis voluntatem amabit, quæ leges virtutis imposuit, duras nonnunquam & laboriosas, sine necessitate? Quis non putabit, tyrannicè esse nobiscum actum, qui legum necessitate haut necessariâ tenemur, & pœnis sumus subjecti atrocibus, quibus leges illæ non necessariæ ab ipso sunt sancitæ Deo? Virtutibus, justitiâ &c. societas humana continetur. Si justitia ab injustitia naturâ haut differt, laxentur habenæ τῇ πλεονεξίᾳ; fiant rapinæ, cædes, tumultus, rerumque conturbatio. Comminationes legi divinæ additæ, comminationes erunt tantùm, quæ vim rei judicatæ non habent: neque enim necessariæ fuerunt.

Valeat igitur sententia, nullum bonum *naturâ* bonum esse, sed fieri solo δόγματι herilis imperii.

Omnis voluntas & actio, quæ non in Deo, & à Deo, & secundùm imaginem ipsius est, non est ad gloriam Dei, nec medium inveniendi Deum, sed est peccatum, quo Deus ab homine alienatur.

Voluntas, quæ recta est, appellatur ἀγάπη. At, in qua est corruptio, ἐπιθυμία. Ita vox mediæ significationis in deteriorem coarctatur sensum.

Non voluntas tantùm deliberata, sed *primus* etiam *motus*, deliberationem præveniens, peccatum est. Ob primum motum dubitationis Petrus ὀλιγοπιστίας incusatur Matth. 14:31. Deus *totum cor* poscit, & יֵצֶר סָמוּךְ *cogitationem fixam*. Es. 26: 3. damnat δισταγμὸν καὶ διά[illegible]ιν. *Cogitationes* illæ *multa* Eccles. 7:29. quid sunt, nisi deliberatio circa bonum aut malum, ut id videatur, quod non est, malum bonum, bonum malum; prohibitum licitum, utile, honestum?

Dices. Celeres motus antevenire deliberationem, hoc est, judicium animi. Fateor, id in nobis fieri. Sed & agnosco, illos esse vetusti seu externi hominis, & à lege peccati. Rom. 7:23. Ipsa inclinatio & pronitas ad motus animi contrarios charitati vocatur à Paulo *concupiscentia*, & *peccatum*, & ἁμαρτία καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς, *peccatum per excellentiam peccatum*, aut *peccaminosum*. Quam & Decalogus vetat præcepto decimo. Dignum enim est Deo, postulare ab homine, ut conservet, quod acceperat, & talis sit, qualis factus est.

Non tantùm cogitatum, cupitum, dictum, factum contra legem charitatis, sed etiam ipsa ἀσθένεια serviendi justitiæ, ipsa tarditas, ipsa difficultas, ipsa infra teneritudinem amoris Deo digni subsidens remissio, est peccatum. Est enim malum, Legi Dei, imagini ejus & sanctitati contrarium. Cui debetur omnis cogitatio, omnesque vires, ei non por-

est citra pravitatem subtrahi ulla cogitatio, aut ullus gradus amoris, & ullus actus servitutis.

Ἀγνωσία Θεοῦ καὶ ἐπιθυμία, καὶ τὸ μὴ δύνασθαι ὑποτάσσεσθαι τῷ Θεῷ, καὶ τὸ φρόνημα τῆς σαρκός. quod nobis naturâ inest, & in ipsis renatis remanet, verè est *peccatum & defectio, injustitia, pravitas, hostilitas.*

Peccatum commiserunt & *Angeli*, & *Homines*; illi in *supernis*, hi in *infernis*, seu ἐν τοῖς κατωτέροις μέρεσι. Priores Angeli; posteriores homines. Seduxerunt enim Angeli hominem; subintellige *mali.*

Multi *spiritus*, creati boni, παρατροπῇ τῆς γνώμης, à bonitate defecerunt. *Multi.* Marc. 5:9. λεγεὼν ὄνομά μοι, ὅτι πολλοί ἐσμεν. confer Luc. 8:30. Unus aliquis ex iis præcipuus auctor & ductor fuit. Matth. 25:41. *In ignem*, qui *paratus* est *Diabolo & Angelis ejus.* Apoc. 12:7. καὶ ὁ δράκων ἐπολέμησε, καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ.

Peccatum illorum, Scriptura tacente, quærere, est ἀπαίδευτον. 2 Petr. 2:4. dicuntur *peccasse.* Jud. vers. 6. *non servâsse* τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, sed *dereliquisse* τὸ ἴδιον οἰκητήριον. Ioh. 8:44. *non stetisse* ἐν τῇ ἀληθείᾳ *in veritate*, hoc est, integritate. confer Iob. 2:3. מַחֲזִיק בְּתֻמָּתוֹ. Addit Christus, *Non est veritas in ipso; quum loquitur mendacium*, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, ὅτι ψεύστης ἐστὶ, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ.

Forsan peccavit Satan eo genere peccati, in quod hominem impulit, in quo παρακοὴ & τῦφος apparet maximè. *Superbia* videtur primum fuisse in genere peccatum, quæ mente concipitur; non tamen in voluntate locum inveniret, nisi infidelitas aut incredulitas subserviret aut præiret. Illa superbia videtur sita fuisse in aliqua divinitatis affectatione. Nam 1. etiamnum Satan ubique hoc agit, ut pro Deo colatur. Ipsi ita Christo volebat imponere. Matth. 4:9. 2. videtur se ipsum seduxisse eodem considerationis genere, quo primos homines tentavit. 3. ex Apoc. 12:7. tale quid videtur sequi.

Forsan etiam peccavit veritatem illam impugnando, quam etiamnum vehementer persequitur, quæ consistit in mysterio Patris & Filii; aut circa illam cæspitando. Ab initio Ecclesiam non alia disputatione tentavit magis.

Forsan etiam primum Diaboli peccatum fuit *mala illa voluntas*, quæ ipsum impulit ad mentiendum homini, ut eum occideret. In hac mala voluntate prima semper permanet, quæ est contraria voluntati bonorum Angelorum, qui salutem hominum quærunt. Ergo peccavit primitus, ut ἀνθρωποκτόνος (Ioh. 8:44.) *homicida*, & dedignans *ministerium hominis*, Talis dicitur fuisse ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio*, nimirum inde ab illo tempore, quo Deus ostendit, se hominem velle condere.

Forsan etiam *divinarum promissionum luxatio*, seu *divinarum comminationum* est peccatum ejus: mendacio adversus illas locum dedit, sicuti in hominis quoque peccato primo videmus.

Non inutilis verò quæstio est, quænam fuerit causa, quod, malis Angelis libero suo arbitrio abutentibus, reliqui non lapsi sint. Scholasticorum plerique inde perseverantiam ortam volunt, quod actus beatificus in voluntate creaturæ omnem actum contrarium excludat; beatificum verò hunc in voluntatem influxum eos meruisse primo liberi sui arbitrii actu. Sed id contra Rom. 11:35. est. *Quis prior dedit illi, ut retribuatur ei? Nam ex ipso, per ipsum, & in ipsum sunt omnia.* Nulla est analogia inter actum aliquem obedientiæ, eumque ex jure creationis debitum, & inter æternum hoc atque indebitum præmium.

Dicamus ergo verius, illos à Spiritu infinito sustentatos fuisse, adeoque non nisi illis in Domino gloriandum. Unde dicuntur *filii Dei*, & *electi.* 1 Tim. 5:21. Filiorum

verò

verò hæreditas ſub meritum non cadit; nec electio ulla ad hanc filiationem, niſi ex gratia eſt. *Propoſitum enim ſecundum electionem non ex operibus eſt, ſed è vocante.* Rom. 9: 11.

Defectores hi Angeli variis veniunt nominibus. 1. *Satanas*, ἀντίδικος *adverſarius*. Job. 1:6. Zach. 3:2. 1 Petr. 5:8. 2. διάβολος, *calumniator*, *obtrectator* Dei juſtificantis impium in Chriſto (ὡς τὸν θεὸν πρὸς τοῖς ἀνθρώποις συκοφαντῶν) & peccatoris juſtificati. 3. ὁ κατήγορος, *accuſator*. Apoc. 12: 10. 4. ὁ κράτος τοῦ θανάτου ἔχων. Hebr. 2: 14. accuſatio enim Diaboli fundatur in lege. 1 Cor. 15:56. 5. ὁ πονηρὸς, *nequam*. 6. בְּלִיַּעַל Βελιάλ. 7. ἐχθρὸς, *hoſtis*. Pſal. 8: 3. אוֹיֵב וּמִתְנַקֵּם.

Rabbini *Angelum mortis* dicunt סַמָּאֵל, vel סַר מָאֵל, vel quem סַמָּא אֵל *excæcavit Deus.* Ab actu ſeductionis, & inſtrumento quo uſus eſt, dicitur ὄφις ὁ ἀρχαῖος, Apoc. 12:20. הַנָּחָשׁ Eſ. 65: 25. Fortè etiam לִוְיָתָן נָחָשׁ בָּרִחַ & נָחָשׁ עֲקַלָּתוֹן & הַתַּנִּין אֲשֶׁר בַּיָּם, Eſ. 27:1. Etiam ibi notatur corpus aliquod hominum, qui ſunt γεννήματα ἐχιδνῶν, naturæ vipereæ, ſimiles balænæ, vel draconi; à malo ſpiritu poſſeſſum, agitatum, & velut animatum. Ita & *Draco* cum *ſeptem capitibus*, & *decem cornibus* Apoc. 12:3. adde Eſ. 14: 12. *Quomodo cecidiſti è cœlo* הֵילֵל בֶּן־שָׁחַר *Lucifer.* indigitatur *homo*, Satanæ imitator, deſcriptus 2 Theſſ. 2:3.4.

Ex quo Diabolus hominem ſeduxit, homo ſub ipſius & peccati & mortis poteſtate eſt. Itaque *corporibus & valetudines infligit* & *acerbos caſus*. Luc. 13: 11. Job. 2:7. *animæ vero repentinos & extraordinarios per vim exceſſus*: animum amentia implet; à veritatis luce avertit; conturbat reſpublicas. Hebr. 2: 14. Col. 1: 13. Eph. 2: 2. 6: 12. Hæc poteſtas quatenus ab ipſo exercetur, vis eſt: quatenus homini imponitur, jus eſt. Hinc *captivitas violenti*, & *captivitas juſti* conjunguntur. Eſ. 49: 24. 25. Hinc dicitur ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων. Joh. 14: 30. & *dæmones* ſeu angeli ejus *principes populorum* ſervientium diabolo, & derelictorum à Deo. Dan. 10: 13. שַׂר מַלְכוּת פָּרַס: verſ. 20. *Veni pugnare cum* שַׂר פָּרָס, *& ego exiens*, וְהִנֵּה שַׂר־יָוָן בָּא Apoc. 9: 14. λῦσον τοὺς τέσσαρας ἀγγέλους, τοὺς δεδεμένους ἐπὶ τῷ ποταμῷ τῷ μεγάλῳ Εὐφράτῃ. *Euphrates* ſignificat vim imperii ſpiritualis Babel. *Angeli* ſunt Angeli Satanæ. *quatuor*, quia tot ſunt regna Babeli ſervientia; Hiſpania, Gallia, Italia, magna pars Germaniæ, Ungaria &c. *Ligati*; propter coërcitionem non poterant, quæ volebant. Ligati *ad flumen Euphraten*. in cœtu Babylonico potuerunt operari; non autem potuerunt Eccleſiam turbare. *Soluti*, quia poteſtas illis facta occidendi τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων. ibid. verſ. 15.

Dicitur etiam *Deus hujus mundi*; nam omnes gentes faciunt voluntatem ejus. 2 Cor. 4: verſ. 4.

Inimicus nominatur, quia hoſtis eſt Dei & ſalutis hominum. *Vindex ſui* Pſalm. 8:7. vindictam à Deo ſumere ſtudet. Nihil ei magis in votis, quàm multos ſeducere & perdere. Seductio hominis & læſio fidelium eſt ipſi ἀνάπαυσις. Matth. 12: 47.

Inter defectores ſpiritus eſt conſpiratio ad conſtituendum regnum. Matth. 12: 26.

Artes Satanæ variæ. Sæpe blanditur, affectibus obſecundat, ratiocinationes ſuggerit, ſpeciem peccati minuit, in angelum lucis ſe convertit. Huc pertinent *ſpiritualia nequitiæ in ſupercœleſtibus* Eph. 6: 12.

In cœlo non habet locum. Apoc. 12: 7. 8. Dicitur tamen ibi comparere, quatenus cogitur Deo ſe ſiſtere carnificem, & reſpondere de actibus ſuis; & ſanctos ſuis accuſationibus impetit.

Dicitur *cadere de cœlo*, quando à divino deturbatur tribunali. Nimirum id fit, quum

quum cessat legis accusatio, quum justificatur Ecclesia, quum illuminantur gentes.

Diaboli catenis tenebrarum servantur *ad judicium magnæ diei.* 2 Petr. 2: 4. Jud. vers. 6. Ita sunt abdicati à Dei sanctificatione, ut non nisi malitiæ suæ servire, & nunquam restitui in gratiam ipsius, & lucis ipsius participes fieri possint; amarissimos verò cruciatus spirituales habeant exspectandos absque omni recreatione. Hic *ignis æternus* appellatur. Matth. 25: 41. In die novissimo quasi subibunt novum judicium. Adhuc cottidie peccant: in illis peccatis luere debent: tumque publicè in ipsos sententia dicetur.

Lapsum Angelorum excipit Lapsus primorum parentum. Illum divinissimè Moses, ut cætera, perscripsit. Sobriè & modestè de illo disputaturis incumbet agere 1. de auctore tentationis. 2. de tentatione. 3. de ipso lapsu. 4. de providentia Dei circa lapsum. 5. de lapsus effectis.

Distinguendum initio est inter tentationem *divinam* & *diabolicam.* Deus tentavit, *ponendo* objectum exercendi amoris & timoris sui, ut ita probaret bonitatem & obedientiam hominis. Item *finendo* intervenire suasionem defectionis, ut homo suasorem vinceret & confunderet. Diabolus tentavit suadendo peccatum, & ea gratia mentiendo.

Ergo *Satan* tentationis Auctor est. Inde dicitur ὁ ὄφις. 2 Cor. 11: 3. ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος. Apoc. 12: 9. 20: 2. ὁ ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ψεύστης. Joh. 8: 44. ὁ πειράζων. Matth. 4: 3. μήπως ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ πειράζων. 1 Thess. 3: 5. ὁ τὸ κράτος ἔχων τοῦ θανάτου. Hebr. 2: 14. & *Christum* ad id manifestatum, *ut* λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου. 1 Joh. 3: 8. ὁ ἐχθρὸς. Matth. 13: 39. Psal. 8: 3. ὁ ἀντίδικος. 1 Petr. 5: 8. ὁ πλανῶν. Apoc. 12: vers. 9.

Usus est larvâ animalis, non mole, sed prudentiâ insignis: quæ prudentia etiamnum nobis commendatur. Matth. 10: 16. γίνεσθε οὖν φρόνιμοι, ὡς οἱ ὄφεις. Cujus prudentiæ species est, *videre malum & occultare se.* Prov. 22: 3.

Serpens hic, quo usus est, non fuit imaginarius, sed verus serpens. Gen. 3: 1. *Et serpens erat callidus præ omni bestia agri.* Inter bestias agri refertur. vers. 12. *Serpens me seduxit.* nimirum serpens animal. vers. 13. *Et dixit ad serpentem: Maledictus tu præ omni pecude* &c. *super ventrem ibis, pulverem comedes*: quæ locutiones omnes ad *serpentem* animal alludunt.

Facile fuit homini percipere, non fuisse nudum aut merum *serpentem.* Nam 1. loquebatur voce clara & intelligibili. Vis loquendi serpenti à natura non inerat. 2. loquebatur de Deo, de verbo & præcepto Dei, de similitudine Dei, de notitia boni & mali, de vita & morte. Peritia talis argumentandi neque ipsa animali φύσει inerat. 3. loquebatur infenso ore, & prodebat hostilem in Deum affectum. Atqui nec illius odii serpens animal capax fuit.

Ergo sequitur, obsessum fuisse serpentem à *Spiritu*, & quidem callido, sed impuro & mendace, hoste & blasphematore Dei; qui non alius potuit esse, quam Diabolus.

Serpens fuit seductionis organum: Satanas fuit seductor. Fatetur id Maimonides in Moreh, libr. 2. cap. 30. כגמל היה רוכב על הנחש שהסית לחוה. Augustinus de Civit. Dei, libr. 14: 11. narrat, Principem dæmonum de cœlo deturbatorum à Pherecyde ὀφιονέα vocari. Ita & seductionis primæ historia traditione gentibus innotuit.

Voluit serpente uti spiritus seductor. Animalia omnia tum adhuc homini subjecta erant, & singularis ille φρονιμότητος χαρακτὴρ, qui serpenti attribuitur, spiritum, ut benevolum, ita sapientem commendare videbatur.

Mira-

Miratur mundus, Satanam locutum per Serpentem, animal naturâ mutum. Sed annon & *Aſina Bileami* locuta eſt? Annon Satanas τῶν δαιμονιζομένων καὶ σεληνιαζομένων ſæpe facit loqui linguis variis, peregrinis, antea & poſt etiam illis incognitis? Satanas greges ſuum egit in mare: catenas ferreas rupit: è nubibus fulgura poteſt ciere, permittente Deo. Num ergo adeò mirum eſt, illum emiſiſſe verba & loquelam & ſonos humanos ex ore & lingua Serpentis? Satanas ſine ore & lingua, imo & per os Virginis, locutus eſt olim in Oraculis, quale fuit Jovis Hammonis in Lybia, Dodonæum in Epiro, Apollinis Pythii Delphis, & non potuerit loqui per os Serpentis? Xanthum equum Achilli prædixiſſe mortem; Fluvium Cauſum Pythagoræ ſalutem dixiſſe; Arborem incantatam ad Apollonium verba feciſſe; Dodonæam quercum humana voce uſam fuiſſe, Cyrillus è profanis ſcriptoribus objecit olim Juliano Apoſtatæ, ita ludenti: *Si Serpens locutus eſt, quâ linguâ & voce locutus eſt?*

Sed non de mero ſerpente bruto hic rem eſſe, apparet porrò.

Inter ſerpentem ſeductorem & fœminam poſuit Deus *inimicitiam.* Atqui propriè non eſt homini cum ſerpente bruto *inimicitia*: averſio tantùm quædam, quâ ſerpentem ob noxium venenum averſatur, quo dempto deſinit averſio illa, ita ut & veneno ipſo & cute utamur ſerpentum. Et certè hæc ſi averſio debet *inimicitia* dici, jam non major illa homini cum ſerpente intercedit, quam cum Leone furioſo, Cane rabido, Lupo vorace: atque ita nil peculiare & extraordinarium in promiſſione prima in ſerpentem, animal, ſtatutum apparet: id quod tamen abſonum eſt. Semen mulieris dicitur *caput* ſerpentis *conterere.* Æquivalet illis verbis locus Rom. 16:20. *Deus pacis conteret Satanam ſub pedibus veſtris. Maledictio* ſerpentis præ omnibus aliis creaturis, condemnatio ejus, ut *eat ſuper ventrem*, ut *comedat pulverem*, licet prima fronte de ſerpente animali videantur capi debere, tamen imprimis in Satanam conveniunt. Neque enim ſerpens animal præ cæteris omnibus animalibus maledictus eſt, & quod it ſuper ventrem, & comedit pulverem, eo non eſt pejor ejus ſors, quàm *piſcium*, qui aëre & aqua vivunt, & ſuper ventrem natant, & erecti incedere non poſſunt.

Sed quod ad tentandum hominem ſerpente Satanas uſus eſt, illius, præter ea, quæ jam diximus, rei rationes, cum à Dei providentia, tum à Satanæ conſilio peti poſſe videntur.

Providentiam Divinam ita tentationem illam moderari decebat, ut & inſidioſæ calliditatis Satanæ, & odii, quo in genus humanum fertur, ſummi, & maledictionis, in quam tentatione illâ incurrit, & victoriæ à Semine mulieris tandem aliquando de Satana reportandæ, perpetuum aliquod, ubique ferè terrarum, monumentum in eo ipſo inſtrumento, quo Diabolus uſus eſſet, appareret. Itaque cavit, ne ullo animali abuteretur, cujus uſus futurus eſſet generi humano ſummè neceſſarius.

Ad Evam expugnandam admovendæ fuere argumentorum quædam quaſi machinæ. Ad illam rem opus fuit ſermone externo, qui facilius in animum intrat, ſi, dum auribus inſonat, demulcentur interim oculi conſpectu illius, à quo vox prodit; qui ſi nullus apparet, haut facile ſiſtitur impetus animi, eò, unde vox venire videtur, oculos extemplò convertentis. Itaque non ſolet Deus homines affari voce extrinſecus prolata, quin eis aliquid intuendum exhibeat, unde vox proficiſci videatur.

Quâ verò formâ viſibili potiſſimum uti debuit Satan? An formâ Adami? Certè ſi illam induiſſet, obſtruxiſſet ſibi viam ad tentandum per Evam Adamum. An bruti animalis figuram ſimulare debuit? Nec id neceſſe erat, cum vera præſto eſſet? An novam rei non creatæ formam excogitare? Quorſum verò id? Eva noverat, præter ſe & maritum nullos eſſe homines: omnium, quæ in paradiſo erant, animalium nomina & figuras memoriâ te-

nebat. Satanas verò maximè gaudet, si ad creaturam perdendam, & Creatoris gloriam obscurandam, creaturâ aliquâ abuti possit.

Quid ergo mirum, si *serpentem* adhibuit, qui quantò erat astutior reliquis agri bestiis, tantò erat & minus ad disserendum ineptus, & Satanæ, ut similior, ita gratior?

Nec causa fuit, cur Eva percelleretur illo colloquendi modo, quo serpens illam aggressus est. Cognovit statim loquentem in serpente *mentem*. Nec illâ loquelâ magis territa fuit, quàm ubi Deum audivit loquentem: quinimo sese illi magis attentam & docilem præbuit, &, ut supra dixi, animal illud *prudentiæ* symbolum, spiritus id insidentis prudentiam & sapientiam commendavit.

Quod verò non sine specie miraculi, in eo apparentis, quod superat hominis & animalis facultatem, ut vox articulata exeat ex bruto, adortus est Evam, jam inde apparet rursum, ut supra subinnui, Deum, sine quo loquela hæc formari non potuit, simul tentâsse hominem, quando tentavit eum Satanas. Deut. 13:3.

Illa tentatione Satanas imperium in genus humanum sibi acquisivit, quod etiamnum omni ope tuetur. Annon ergo Satanam ad tentandum hominem impulsum fuisse à cupiditate gloriæ, & dominandi libidine, quam orta ex intuitu humanæ dignitatis invidia vel excitavit, vel exacuit, probabile videbitur?

Tentator non rectà *Adamum*, sed Evam adortus est. Vide hic 1. *calliditatem tentantis.* Præstantioris sexus erat Adamus; etiam paulò quam Eva antiquior; senserat pluries divinam erga se benevolentiam. Deus eum colloquio dignatus erat; & alibi creatum in Paradisum introduxerat, & adductis ad illum animalibus, ut illis nomina imponeret, mundi imperio inauguraverat, & *conjuge*, cujus caput esset, donaverat. Ideò difficilius expugnari posse videbatur. Tentanda ergo *Mulier* fuit primò, ut infirmior, & quæ viro data erat in auxilium, quæ quidem nihil debebat, proprio consilio, sine viro, audere; quæque adeò poterat esse pararia peccati Adami, & tentationis adminiculatrix. Illa incepit agere ut *αὐτοκίνητος*, quum, non advocato viro, aures præbuit Satanæ: qua re ordinem, quem Deus instituerat, convulsit. 1 Tim.2:12.13.14. Certè Adamus non potuit non seduci, quum ad eas rationes, quibus Eva seducta est, amicissimæ uxoris blanditiæ & exemplum accesserunt. 2. *Dei providentiam*, ita omnia dirigentis, ut inter primum Adamum & secundum, qui propter *Ecclesiam*, mysticam suam mulierem, factus est ἁμαρτία καὶ κατάρα, illustrior esset analogia.

Ipsam *tentationem* quod attinet, *Verbo* tentavit Satanas. Solemne illi est à verbo Dei ad aliud verbum, à Deo magistro ad suum deducere discipulatum.

Duæ leges, ut ita dicam, positæ erant Adamo ante lapsum; *natura* una, *dogmatica* altera. Illa non erat promulgata verbis, sed inscripta cordi; congruebat enim omni ex parte cum rerum natura, adeoque opportuna tentationi non erat. Igitur arripuit Tentator singulare illud arboris interdictum. Id quia circa rem, naturâ suâ non malam, humani arbitrii libertatem circumscribebat, speciem quandam præ se ferebat repugnantiæ cum rei naturâ. Itaque, cum in arboris illius esum non minus quam cæterarum natura propenderet, prohibitioni Deus comminationem adjunxerat, ut illâ propensio hæc inhiberetur.

A quo verò *mors*, quam comminatio ferebat in ore, inferenda esset, an ab ipso Deo, an ab arboris illius vi naturali, non dixerat.

Verbum tentationis est λοξὸν & ambiguum, (Merito λοξίας dicitur dæmon, qui sub Apollinis nomine seduxit Græcos.) ita prolatum, ut appareat, Satanam se in *Angelum lucis transformasse.* 2 Cor.11:14. Sic igitur dixit:

אַף

:אַף כִּי־אָמַר אֱלֹהִים לֹא תֹאכְלוּ מִכֹּל עֵץ הַגָּן Genes. 3:1. Verti potest: *Ira* (nam & אַף *iram* dicit,) *fuit, cum dixit Deus* &c. Sed & ita: *Etiam, ut dixerit Deus, non comedetis ex omni arbore horti* &c. vel: *Etiam, quantò magis, quantò minus* &c. Ex abrupto incipit sermo, ut apud Mosen jacet. Alia verba ejusdem argumenti videntur præcessisse. Sed apparet, Satanam in dubium vocare, an Deus interdixerit esu alicujus arboris. Loquitur ambiguè: potest enim & verti: *ex ulla*. Ita voluit in dubium trahere, an verbum Dei sit verbum Dei. Adamo dictum erat: *Non edas, nam morieris*. Id *mulier* ab Adamo audivit. Satanas suadet, ne mulier putet, id à Deo dictum esse. Ita videtur mulierem à superstitione abstrahere velle, ne abstineat à fructu utilissimo, tanquam à vetito & noxio. Qualecunque fuerit verbum Dei, hoc imperatum esse non posse, contendit.

Dixit *Mulier*. *De fructu arborum horti comedemus; sed de fructu arboris, quæ in medio horti, dixit Deus, non comedetis,* וְלֹא תִגְּעוּ בּוֹ *& non attingetis illum, ne moriamini.* Mulier addere aliquid ad verbum Dei videtur: de *attactu* non præceperat Deus. Ita videtur verbum Dei non benè intellexisse, nec satis in animo radicatum habuisse. פֶּן *ne forte*. Ita quod Deus pro certo posuerat, Mulier in dubio ponit.

Et dixit serpens ad mulierem. לֹא־מוֹת תְּמֻתוּן. Ita apertum loquitur mendacium, & Deo audacter contradicit. An verò hoc primum Diaboli mendacium?

N. Lombardus. Deus affirmavit. Mulier dubitavit. Serpens negavit.

Videtur æquivocasse, quum dixit, *Non moriendo moriemini*. *Anima* enim non moritur. Sed hæc æquivocatio instituta fuit ad non metuendum malum, quod comminatus erat Deus, adeoque *mendacium* est. Sed & hoc sensu id videtur dixisse. Edere de arboris fructu utile erit; non potest id videri malum, aut vetitum; (Deus enim non est invidus) neque adeò afferre mortem, quæ sit destructio vitæ & boni.

Ita primus docuit Satan, mortem transgressioni non esse metuendam, neque necessariam peccati esse sequelam.

Pergit. *Sed novit Deus*. Præfatur nomen Dei, & eum testem facit. Caveamus Pseudoprophetas *in nomine Dei* falsa loquentes. *Jurat* quasi; nihil vult videri loqui, quod Deus non noverit esse verum.

Quid verò? *In die, quo ederetis ab illa*, 1. *& aperientur oculi vestri*, 2. *& eritis ut Deus*, 3. *noscentes bonum & malum.*

Esui arboris hæc bona imputat. Bonum, quod homo quærere debebat in Deo per obedientiam, suasit, ut homo quæreret per potestatem suam in fructu arboris: ac si Deus constituisset eam perfectionem ex opere operato conferre.

Qui hæc verba ita accipiunt, ac si serpens Deo קִנְאָה odium & invidiam societatis attribuisset; ac si persuadere mulieri voluisset, beatitudinem suam & vitam à frutice pendere, ita ut *Deo invito* illam consequeretur & retineat, ii satis ridicule agunt.

Attribuit serpens Deo sapientiam, sanctitatem, felicitatem. Talem enim eum proponit, cui homo in felicitate sua per pomi esum consequenda sit assimilandus.

Ludit verbo Dei; de organo explorationis facit sacramentum & medium obtinendæ consummationis & immutabilitatis; quod usurpare non sit vetitum; sed libertati, dominio & prudentiæ hominis relictum. Et hanc datam homini gloriam, ut haberet statum suum optimum in ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ.

Quo die &c. q. d. In vestra libertate & manu est, quam citò velitis fieri instar Dei. Totum id Deus vobis subjecit; & illud magnum bonum unicè pendet ab esu illius fructus. Exspectat Deus opus & voluntatem vestram, qua exstante, haut vobis deerit. Huic enim me-

 dio

dio ſuam vim & voluntatem alligavit, quam influendo veſtræ voluntate facietis efficacem.

Potuit & Satan in mente ſua luſiſſe. Lapſum enim illa conſecuta ſunt. Electis enim datum eſt, ut ne moriantur. Filius Dei factus eſt, ut Nos. Fiemus Nos, ut Ipſe eſt. Etiam ſapientes & beati, ἀναμάρτητοι καὶ ἀνεξαπάτητοι, in futura nimirum vita, erimus.

Tamen mentitus eſt Satan, non locutus eſt, quod juſſerat Deus loqui; nec quod Deus ante locutus eſt; & eo fine locutus eſt, ut perſuaderet homini, maledictionem & mortem eſum pomi minimè ſecuturam.

Comminationis de *morte* factæ, fidem ſerpens tripertita *Tentatione* videtur convulſiſſe. Cum enim de morte accipi poſſet, vel infligenda à Deo, vel inferenda ab ipſo fructu, priorem ſenſum primò, dein poſteriorem confutavit, ac tandem alium propoſuit & perſuaſit. Vide Theſes Salmurienſes de Lapſu Adami, §. XII. &c.

אַף כִּי Poteſt eſſe interrogatio ſimpliciter negans. *Itane dixit.* q. d. Non dixit, non prohibuit vobis ullam arborem, fallimini inani metu. Poteſt etiam eſſe interrogatio elevantis, Dei præceptum. *Itane dixit.* q. d. Scilicet Deus curat, quid vos edatis vel non. Poteſt denique eſſe interrogatio calumniantis præceptum Dei, ut iniquum. *Itane dixit.* q. d. Quæ hæc eſt iniquitas, Deum omnia hæc propter vos creaſſe, & tamen ne comedatis ex quavis arbore, prohibere.

Deus dixerat. מִכֹּל עֵץ־הַגָּן אָכֹל תֹּאכֵל, Geneſ. cap. 2: verſ. 16. Seductor, לֹא תֹאכְלוּ מִכֹּל.

Mulier in eo peccavit, quod aures commodavit Satanæ. Vitare peccata eſt vitare occaſiones peccatorum.

Dixit Serpens. וְנִפְקְחוּ עֵינֵיכֶם. Certè aperti ſunt oculi hominum, quam primum peccarunt. Sed aperti ad pudorem, ad agnoſcendum dedecus, non ad contemplationem & lætitiam. Eva ſapientiæ altitudinem, ſerpens conſcientiæ cogitat confuſionem. Sub dictione, *Et eritis ſicut Dii*, Eva rapere Dei celſitudinem, Satan ſuimet ſimilem cogitat invenire damnationem. Sub pollicitatione ſcientiæ boni & mali Eva plenitudinem ſcientiæ, Satan cogitavit experimentum miſeriæ.

Tentationem ſecutus eſt *lapſus.* 2 Cor. 11: 3. ὁ ὄφις Εὔαν ἐξηπάτησεν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ. 1 Tim. 2: 14. ἡ γυνὴ ἀπατηθεῖσα.

- De eo ita Geneſ. 3: 6. *Et vidit mulier, quod 1. bona arbor in cibum. 2. & quod cupiditas eſſet oculis. 3. & deſiderabilis arbor ad conſiderandum*, ſeu intelligendum; *& ſumſit de fructu ejus & comedit.* Bonitas arboris in cibum, quod guſtum videretur exhilarare poſſe; Pulchra arboris ſpecies, quæ ſe in oculos ingerebat mulieris; Vana opinio, poſſe ex eſu arboris intelligentiam oriri, commovit miſeram fœmellam. Gula ejus peccavit; concupiſcentia oculorum adfuit; ſtulta & maximè reprehenſibilis cogitatio & conatus adſpirandi ad ſapientiam, non in Deo, ſed extra Deum, haut defuit.

Boni oſtentati appetitus maximè naturalis eſt. Ergo & id allubuit. Dominium & ἐξουσίας *poteſtas* in bonum, proprio arbitratu & viribus conſequendum, arriſit. Ad hanc αὐτοκρατορίαν *poteſtatem abſolutam* voluntas haut ſatis inhibita amore & timore Dei adhinniit. Inde διαλογισμοὶ *ratiocinationes.* חִשְּׁבֹנוֹת רַבִּים *cogitationes plures.* Eccl. 7: 29.

Voluntas titillata lubidine apparentis boni prima defecit; pro charitate concupiſcentiam admiſit, imperavitque intellectui, ut rationes ad conſummandam transgreſſionem comminiſceretur. Cogitationes tales animum ſubierunt. Bonum eſt, eſſe in noſtra poteſtate boni

noſtri

noſtri conſecutionem. Arbor ſpecioſa eſt, fructus amabilis, bonus in cibum. Angelus quidam dixit, nos non morituros, ſed inſtar futuros Dei, peccare neſcios & decipi. Deus bonus eſt. Ergo Deus hoc medium nobis dedit aſſequendi ſcopum vocationis noſtræ.

Hæc *ἀπατηθεῖσα, ἐν παραβάσει γέγονεν*. 1 Tim. 2: 14. *Et dedit etiam Viro ſuo ſecum, & comedit.* Gen. 3:6. Quibus verò rationibus commotus eſt Adamus ad comedendum? Nunquid per eaſdem, per quas mulier? aut quod vidit necdum Evam mortuam? aut quod putavit, eſſe *peccatum veniale*, quod *peremtorium* erat, ut Lombardus? an quod non voluerit uxorem ſuam contriſtari, quam crediderit, poſſe ſine ſuo ſolatio contabeſcere, ſi ab ejus alienaretur animo, & omnino interire diſcordia. Qualia Auguſtinus habet libr. 11. de Gen. ad literam. Idem & ita conjicit. *Tale fuiſſe pomum, cujus generis poma jam innoxia ſenſerant.* Addit. *Sed quid plura? Perſuaſum eſt illud peccatum, ſicut perſuaderi talibus poſſet; conſcriptum eſt autem, ſicut legi ab omnibus oporteret: etſi a paucis hæc intelligerentur, ſicut oportet.*

1 Tim. 2: 13. *Adamus non eſt ſeductus*: non enim illum adortus eſt Tentator. Dicit ad ſe excuſandum: *Mulier, quam dediſti mecum, hæc dedit mihi de arbore, & comedi.*

Certè, quicquid egit Adam, fuit *παράβασις* & *παρακοή*: non attendit ad id, quod audiverat; ſivit id ſecurè effluere; fecit, quod erat vetitum.

Auguſtinus peccatum hoc dicit *ſuperbiam* & *amorem ſuæ poteſtatis.* Calvinus: primam labem fuiſſe, quod ſe abduxerunt à verbo Dei. Veteres *gulæ* peccatum dicunt. Bellarminus quærit, quod gravius ſit peccatum, Adami an Evæ?

Adami peccatum *conſummatum*, hoc eſt, ad externum quoque opus deductum, fuit edere de fructu vetito. Anteceſſit 1. *Concupiſcentia oculorum.* 2. *carnis.* 3. *animi, per fiduciam proprii conſilii affectantis ſimilitudinem Dei majorem.* 4. etiam *Tepor in precibus.* 5. *Incuria circa verbum Dei.* 6. *Securitas contraria timori Dei*, nihil audenti non auctore Deo. Hæc concupiſcentia *ratiocinationibus vanis* imprægnata concepit & peperit actum peccati conſummatum.

Adamum etiam deceptum eſſe teſtatur 1. Dei *exprobratio.* Gen. 3: 17. *Quia obedivisti voci uxoris tuæ & comediſti* &c. 2. *Sarcaſmus.* Gen. 3:22. *Ecce Adam exſtitit ut unus è nobis.* 3. *Salomonis* dictum Eccl. 7: 30. 4. *Res ipſa.*

Eva cum illi vetitum porrexit fructum, haut tacuit eas rationes, quibus ipſa inducta erat.

Adam, ſanctus & ſapiens vir, non ita facile in tantùm conſenſit ſcelus, ut nullis ad eum expugnandum opus fuerit argumentis. Non potuit ignorare, ſibi certum ab eſu illius arboris imminere exitium. Non enim fruſtra debuit habere Dei comminationes. Potuitne ſciens prudens id appetere, quod ſibi ſummum eſſe malum non dubitabat?

Sed dupliciter tentatus eſt quaſi Adam; & per ſerpentem, & per Evam: illius enim operâ abuſus eſt Satan ad tentandum Adamum.

Prima à ſanctitate declinatio in abſentia cujuſdam cogitationis de Dei ſapientia, beneficiis &c. poſita fuiſſe videtur.

In primo hoc peccato cernitur complicatio quædam peccatorum, pro quorum varietate variis appellari poteſt nominibus, vel *ſuperbia*, vel *gula*, vel *ingratitudo*, vel *incredulitas.*

Qui tentationis ordo fuit, idem etiam ordo peccatorum fuit. Prius *fides* tentatur, dein *humilitas.* Prius dictum, *Non moriemini*, quàm, *Eritis ſicut Dei.* Ergo incredulitas ſuperbiam ante-

anteceſſit. Ut fides cauſa juſtitiæ, ita incredulitas injuſtitiæ. εἰ γὰρ κατάφασις αἰτία τοῦ ὑπάρχειν, ἡ ἀπόφασις αἰτία τοῦ μὴ ὑπάρχειν. Neque intelligi poteſt, quî potuerit Adamus ſuperbire, quamdiu de Deo, deque ſe ipſo, quod res erat, ſenſit? aut nolle Deo parere, quamdiu judicavit, nî pareat Deo, actum eſſe de vita ſua?

Sed quid multis? Dei legem, quam Dei legem eſſe ſciebant, primi parentes, mente, voluntate, appetitu, inſtigante quidem, at non cogente Satana, tranſgreſſi ſunt; hæſitque adeò culpa in illis, non ex fructus pretio æſtimanda, ſed 1. ex *violatione* legis Dei, cujus majeſtas eſt infinita. 2. ex *incredulitate*, quâ Deum per ſummam injuriam pro mendace habuerunt. 3. ex *ambitione*, quâ ſua ſorte non contenti divinam affectarunt. 4. ex turpi *gulæ libidine*, cum tanta exquiſitiſſimorum fructuum copia ſuppeteret. 5. ex *ingratitudine* eo fœdiore, quo majoribus à Deo beneficiis adfecti erant. 6. ex illicito *commercio*, quod cum Satana Dei hoſte & adverſario inierunt & contraxerunt. 7. ex ſtulta *præſumtione*, ac ſi ſuis viribus ſe ſupra ſortem ſuam evehere poſſent. 8. ex petulanti *inobedientia & tranſgreſſione*, quâ ſanctam Dei voluntatem ſusque deque habuerunt.

Dei circa hominis lapſum *Providentia* nunc explicanda porrò venit. Sed paucis, quia Scriptura de illa tacuit, & viæ Dei nobis ſunt imperveſtigabiles.

Ea verſata eſt vel circa tentationem & lapſum, vel circa utriuſque antecedentia.

Antecedentia vel *bona* fuerunt, ut creatio Dæmonum, hominum, ſerpentis, arboris ſcientiæ boni & mali, & arboris illius prohibitio; vel *mala*; ut Dæmonum lapſus. Omnia, quæ Deus creavit, pro naturæ ſtatu, valde bona facta ſunt, nec facta in malum finem. Prohibitio quoque illa fuit æquiſſima. Dæmonum verò lapſus, quâ eandem habet cum lapſu Adami rationem, eandem etiam cum eo habere videtur relationem ad Dei Providentiam: quâ diverſam, nos prorſus fugit.

Diſtinguimus verò in Deo, ut in nobis, *facultates*, duas *intus* agentes, mentem & voluntatem: unam *extra*, potentiam. *Potentiæ* hujus cum *actio*, tum *actionis negatio* circa lapſum & tentationem conſideranda eſt. Et *actio* quidem tanta taliſque, quanta & quali opus fuit, ut & tentator tentatique *eſſent* & *agerent* ſecundùm facultates ſuas, & tanti certaminis *circumſtantiæ*, quemadmodum Dei Providentiam decebat, circumſcriberentur. In hoc nihil fuit, quod non exactè cum puriſſima Dei ſanctitate congruerit.

Negatio verò *actionis* ejus, nempe, quâ, quo minus vel tentarentur primi parentes noſtri, vel tentationi ſuccumberent, potuiſſet de facto impedire, ſi voluiſſet. Adhibuit in lapſus impeditionem multa. 1. minas pœnarum. 2. conceſſionem omnium aliorum fructuum. 3. multam benevoli affectus demonſtrationem. 4. potentiæ ſuæ æternæ & divinitatis patefactionem. 5. donum ſuæ imaginis. Sed hæc omnia verſantibus in tentatione non occurrerunt: nulla certè Dei culpa. At de facto eos inhibere à peccando, ut non implicat, ita poſſibile fuit id Deo: præſervavit enim à lapſu Angelos, & etiamnum multa peccata impedit. Verùm id non *debuit*: nil enim creaturæ ſuæ debere poteſt: nec *expedire cenſuit* pro ſumma ſua ſapientia. Definire verò, quando, & quomodo, & quantum, & quouſque, Deum, vel impedire peccatum, vel non impedire deceat, ſapientiæ eſt illius, quæ eſt infinita, non noſtræ, quæ eſt finita.

Neque addenda eſt *gratiæ ſubtractio*. Ut vellet conſtanter non peccare, nullam Adamus acceperat: ut autem poſſet non peccare, ſi vellet, vel nullâ indiguit, cum peccandi ratio in volendo ſita ſit, vel eâ non ſubtractâ potuit peccare.

Actionis igitur impedientis negatio non fuit profecta ab ulla ignorantia, nec negligentia, nec malevolentia erga genus humanum; (quod etiamnum benevolentia proſequitur) ſed à ſapientia.

Meus

Mens etiam & voluntas Dei, sine qua ne passer cadit, circa lapsum hunc versatæ sunt. Sed non id potuerunt, sunt enim actus earum interni, nisi mediante potentia.

Quæritur de *præscientia*, quæ est actus mentis divinæ. Qui non possunt infallibilitatem ejus cum humanarum actionum contingentia conciliare, illam Deo detrahunt. Sed 1. præscivit lapsum, quia decreta fecit, mediante hoc lapsu, exsequenda. 2. Nil de novo addiscit. 3. Non cadit in eum dubitatio. 4. Sine præscientia prædictiones Dei de futuris contingentibus incertæ sunt. 5. Scientia Dei est infinita.

Dices: Non potest facere contradictoria. Ergo nec scire futura contingentia. Ut illa sunt impossibilia, ita hæc sunt non-scibilia. Resp. Quæ implicant, non possunt esse. At futura contingentia vera esse & possunt, & sunt. Non igitur, ut illa à potentiæ, sic ista à mentis objecto excludi debuit.

Certa contingentium præscientia melior est, quàm incerta. Bonum verò & ens reciprocantur. Si illa igitur abest à Deo, jam perfectio quædam possibilis ab eo abest; & sic melius aliquid illo intelligi & esse potest.

Adde: Deus vel vult certò scire futura contingentia, vel non vult. Nolle quis credat, cùm ab illa scientia totius consilii ejus certitudo dependeat? Si vult, nec potest, quî Deus est?

Ut nunc vera est hæc propositio, *Adam peccavit*, tam olim vera fuit illa, *Adam peccabit*. Quàm autem vera, tam fuit intelligibilis. At non fuit intelligibilis, si à primo intellectu intelligi non potuit.

Fateamur ergo vel nostram ignorantiam, (terrena multa non capimus, quî divina omnia?) vel agnoscamus, cum humani arbitrii libertate & peccati ratione non omnem pugnare necessitatem; potius quàm ut Deo præscientiæ gloriam adimamus.

Igitur, quicquid necessitatis non potuit consistere cum libertate arbitrii humani & peccati ratione, id abfuit ab Adamo, cum laberetur: &, si quid necessitatis adesse oportuit, ut certò lapsus Adami præsciretur à Deo, id potuisse statuamus consistere cum Adami libertate & peccati ratione.

Maneat denique, ita versatam esse circa lapsum Dei Providentiam, nulla ut ei labes aspergi possit. Novam in Deo ortam scientiam & decretum extemporaneum statuere, Deum abnegare est, quia est æternitatem resolvere.

Peccatum, ut malum est, ita mala *effecta* edidit: de quibus nunc.

Primus effectus inobedientiæ Adami est *Reatus*, sive *pœna debitio*. Hoc vocabulum Augusti demum inventum ætate, docet Quinctilianus, libr. 8. c. 3. Illo designabatur *habitus* & conditio reorum, sive accusatorum. Ut misericordiam rei damnandique moverent, mutare vestem, atramque & detritam assumere, promittere item crinem barbamque, prensare obvios, lacrimas mittere, & alia hujus generis, quæ miseri & infelices sibi usurpant, solebant. Hæc eorum ratio dicebatur *Reatus*. Martial. libr. 11. *Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum, Squalidus harebo pallidiorque reo.* Modestinus ICtus, LXXV. D. de pœnit. *Si diutino tempore aliquis in reatu fuit, aliquatenus pœna ejus sublevanda erit.* Gellius *reatum* dicit *proprium reorum cultum.*

Christiani Scriptores *reatûs* vocabulum ad ipsas culpas & crimina, quibus rei sumus apud Deum, transtulerunt. Prudentius de Natali Domini vers. 101. *Peccator intueberis Celsum coruscum nubibus, Detectus ipse, & irritis Plangens reatum fletibus.*

Quicunque in judicium venit, ejus uti agatur causa, sive is nocens, sive innocens sit, vocatur *Reus.* Cicero 2. de Orat. REOS *appello, non eos modò, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur.* Pro-

Propter Reatum dicitur homo רָשָׁע ἀσεβὴς dignus damnatione; *ὑπόδικος τῷ Θεῷ debitor pœnæ Deo*, *ἄδικος injustus*; *μιαρὸς inquinatus*; *ὑπὸ κατάκριμα ὢν, condemnationi subjectus.* Exod. 23:7. לֹא אַצְדִּיק רָשָׁע *non justum dicam improbum.* *Δικαίωμα τοῦ Θεοῦ* est *flagitatio justitiæ Dei*, *quod* qui mala *faciunt*, *digni sunt morte.* Rom. 1:32. *Lex* Dei per peccatum facta est *Lex peccati & mortis.* Rom. 8:2. addicens hominem peccato in servitutem, & mortem irrogans. *εὑρέθη ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωὴν, αὕτη εἰς θάνατον.* Rom. 7:10. *Potentia peccati Lex.* 1 Cor. 15:56. *Non potest Lex vivificare.* Gal. 3:21. *Τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου*, nimirum *condemnare peccatum*, & ab accusatione depellere. Æquè justa, æquè vera & sancta est sententia, *Maledictus, qui non manet*, &c. quam, *Qui fecerit ea, vivet.*

Reatum sequitur *alienatio à vita Dei.* Eph. 4:18. *Ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ*, sive *privatio sanctificationis*, rectitudinis, integritatis, imaginis Dei. Inde peccator dicitur *ψυχικὸς animalis*, cujus ψυχὴ sola ipsi est vivificatrix & rectrix, quique *Spiritu* caret. Jud. ℣. 19. *ψυχικοὶ, πνεῦμα μὴ ἔχοντες.* confer 1 Cor. 2:14. *ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ.*

Ex hac privatione est *impotentia ἀδυναμία*, subjiciendi se legi, cognoscendi cum amore Deum, *ἀσθένεια infirmitas.* Rom. 5:6. 6:19. & *ἐπιθυμία concupiscentia*, in membris regnans. Per hanc homo talis est, ut voluntas illius non possit non φθείρεσθαι, & perperam bona & mala appetere & fugere. Ergo ἐπιθυμία notat *malam voluntatem*, quæ & φθορὰ 2 Petr. 1:4. ut *ἀγάπη charitas* bonam voluntatem. Aliàs ἐπιθυμία actum propriè significat, & est vocabulum naturâ suâ *μέσον mediæ significationis*, & *ἐπαμφοτερίζον ad utrumque aptum.* Sed, ut dictum, nunc notat eam hominis conditionem, qua propter *legem peccati talis est*, *τοιοῦτος ἐστιν οἷος ἐπιθυμεῖν talis est, ut concupiscat.* *ἀδύνατος μὴ ἐπιθυμεῖν, cui impossibile est, non-concupiscere.* Hæc nostra conditio abit in ἕξιν *habitum*, & διάθεσιν *dispositionem.* Confer de ἐπιθυμίᾳ Rom. 7:7. *τήν τε ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, ni lex dixisset, οὐκ ἐπιθυμήσεις.*

Hæc labes etiam dicitur *ἁμαρτία peccatum.* Rom. 7:8. Sunt enim quasi synonima. Rom. 7:7. *ἁμαρτία, ἐπιθυμία.* Imò *ἡ ἐνοικοῦσα ἁμαρτία inhabitans peccatum.* Rom. 7:17. Nam 1. ea labes est consequens peccati primi, & lapsus per illam abundat. Rom. 5:20. 2. est reverâ malum, Deo & legi ejus, & imagini ejus contrarium. 3. solum collocat hominem sub *κατακρίματι.*

Rom. 7. huic *malo* attribuuntur *actuales concupiscentiæ*, ut fomiti. vers. 8. *ἡ ἁμαρτία κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν.* & dicitur hæc *ἁμαρτία fieri καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς.* Rom. 7:13. *secundum excessum peccaminosum.* q. d. excellenter promerens damnationem.

Hæc corruptio appellatur *Vetus homo.* Rom. 6:6. Eph. 4:22. Nam 1. invenitur in toto homine, in utraque ejus parte, anima & corpore. 2. Est prima & antiqua ac abolenda hominis conditio. Etiam *exterior homo.* 2 Cor. 4. 16. quia corruptionis ducatus *in membris* residet. Rom. 7:5. *Τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν.* vers. 23. *τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί μου.* Inde & *concupiscentiæ* attribuuntur *corpori* Rom. 6:12.

Inde peccator dicitur *caro*, *pulvis.* Gen. 3:13. Psalm. 103:14. Es. 65:25. Gen. 6:2. Joh. 3:6. In ditionem enim partis pulvereæ & carneæ, hoc est, membrorum, totus venit, non habens intus in mente spiritum ducem, illuminatorem, rectorem. Ita & hominis naturalis *conditio* & *impotentia* dicitur *caro.* Rom. 7:5. ὅτε ἦμεν ἐν τῇ σαρκί. c. 8:5--9.

Imo & difficultas ad agendum bonum, & pronitas ad faciendum malum, quæ in sanctificatis superest, dicitur *caro*. Rom. 6:19. 7:18. 8:25. Col. 2:11. 1 Cor. 3:7.

Hinc *corpus* hominis mortalis dicitur *corpus peccatorum*. Rom. 6:6. Nam per illius membra ad peccandum irritatur. Et in ipsis sanctificatis *corpus peccatorum*, cum restrictione *carnis* Col. 2:11. Peccata enim sunt *carnis*, non *spiritus*.

Hinc homo dicitur 1. *mortuus* Es. 8:19. 26:14. Dan. 12:2. Joh. 5:25. Rom. 7:10. Ephes. 2:1. Col. 2:13. Apoc. 3:1. 20:12. 2. נָבָל ἄφρων *mente & animo corruptus*. Ps. 14:1. nam נְבֵלָה est *cadaver*. נוֹבֵל *emoriens*. 3. טָמֵא *impurus* Job. 14:4. 15:16. Es. 64:5. 4. רָשָׁע ἀσεβὴς, καταδικος, καταχεκριμένος. Non enim notat tantùm illa vox κακίαν *malitiam & vitium*; sed maximè *reatum & condemnationem*. confer Psal. 109:7. 5. *aversus*. Psal. 58:4. זֹרוּ רְשָׁעִים מֵרָחֶם *aversi sunt improbi ab utero. Et figmentum cogitationum cordis ejus tantùm malum omni die*. Gen. 6:5. 6. חַטָּא *peccans, peccator*, ἁμαρτωλὸς, quia nil nisi peccat. Luc. 6:32.33.34. 1 Petr. 4:18. Psalm. 1:1. Est tamen, ubi id nomen datur *gentibus*. Rom. 3:7. Gal. 2:15. Matth. 26:45. Et Es. 1:4. Israël גּוֹי חֹטֵא *gens peccatrix*; nil nisi peccans, similis reliquarum gentium.

Ab hac privatione sanctificationis & habituali contracto malo oritur *actuale peccatum* omne genus; ἔργα σαρκὸς: quorum indiculum lege Gal. 5:19-21. *Concupiscentia actualis, oculorum*, ut plurimum velis habere; *carnis*, ut carni velis gratificari in illis, quæ ei jucunda sunt.

Peccatum Adami dicitur etiam παράπτωμα *ruina*. Rom. 5:15.17.18. quod ejecit illum è statu suo.

A peccato porro est 1. *conceptio, & dolor in partu*. 2. *appetitus ad virum* וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ *accursatio, frequentatio*. Miseris mulieribus non est bene, quamdiu sunt solæ. 3. *dominium viri* in mulierem, adeò ut vira virum durius dominantem ferre debeat. 4. *maledictio terræ*. Magis servit ad interitum & vexationem hominis, quàm ad voluptatem & sustentationem. 5. *comesio ejus in dolore & sudore*, curâ, sollicitudine, multiplici laboris illusione, morbis, *omnibus diebus vitæ*. 6. germinatio spinarum & tribulorum, quibus bona sæpe fruges corrumpitur & suffocatur. 7. *reditus in pulverem*, hoc est, necessitas moriendi. Poterat non-mori homo ante lapsum; sed & poterat mori. Per lapsum nunc factum est, ut debeat mori. 8. *perditio animæ & corporis in gehenna*. Matth. 10:28.

Post peccatum commissum Deus tantùm Adamo leviores peccati pœnas indicat, quæ in hac vita tantùm sunt, & quæ *corpus* tantùm tangunt, & cum hac vita desinunt. Animæ pœnas tacuit, & de pœnis post hanc vitam nulla verba fecit. Non quod Adam per peccatum nullas meritus sit, aut in illas non incurrerit, sed quia satis habuit initia pœnarum tantùm commemorare, & reliqua Adamo cogitanda relinquere. Dein & promissio gratiæ erat jam annunciata: illius fides salvat à pœnis illis æternis: licet cum illa consistere possit *miseria* multiplex hujus vitæ, quæ non propriè in pœnam, sed in παιδείαν, δοκιμασίαν, ἐπανόρθωσιν, & commissi παραπτώματος ὀνειδισμὸν infligitur, & ad servandam illius memoriam, ut homo per illam ad humilitatem instigetur.

A peccato statim exstitit in Adamo 1. *Pudor*. Ante non *pudebat* illum. Genes. 2:25. & agnitio *nuditatis*. Genes. 3:7.8. damnante conscientiâ turpes concupiscentiæ motus. 2. Hypocrisis tegens turpitudinem. Gen. 3:7. *consuerunt folia ficuum, & fecerunt sibi cingulos*. 3. Privatio parrhesiæ accedendi ad Deum. Genes. 3:8. *Audierunt vocem Iehovæ in horto, & occultavit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei*. vers. 10. *Audivi vocem tuam, & timui, nam nudus ego, & abscondi me*. 4. Peccati extenuatio & culpæ in

 com-

comparem rejectio. Genes. 3: 11. *Mulier quam dedisti mecum, dedit mihi de arbore & edi.* vers. 12. *Et dixit mulier: Serpens seduxit me.* 5. ejectio è Paradiso & exclusio ab arbore vitæ, quæ significat exclusionem à vita Dei, & æterna ipsius communione, cum sarcasmo & irrisione. Genes. cap. 3: 21. 22. Quanquam in eo actu etiam beneficium fuit.

Tanta exstitit per peccatum καταστροφὴ & mutatio Adami. E luce factus est tenebræ, è vivo mortuus; è divite pauper; è bono malus; è recto curvus; ex amico Dei ejus hostis; è libero servus peccati & Satanæ; ex hærede gloriæ hæres corruptionis & ignominiæ; è domino in omnes creaturas omnium famulus.

Adam fuit principium generis humani. Lex ipsi posita est, non tantùm ut personæ uni *singulari*, ut Angelis factum, sed etiam ut *publicæ*, vel capiti naturæ humanæ, à quo omne bonum ac malum ad suos posteros fuit derivandum. Act. 17: 26. Rom. 5: 18. 19. 1 Cor. 15: 21. 22.

Unus homo primum illud peccatum peccavit, tamen haut unius *individui*, aut *duorum* tantùm hoc peccatum fuit, sed *totius generis humani*, naturali propagationis serie, vi primævæ benedictionis, ex eo propagati. Primus homo sumendus est εἰδικῶς: *supponebat pro toto genere humano*; ut Scholastici. *In ejus natura adhuc omnes unus ille fuerunt*; ut August. de peccat. mer. libr. 3: cap. 7.

Adam considerari debet 1. ut principium *naturale*, seminale scilicet generis humani. 2. ut principium *morale*; repræsentativum generis humani, & in *natura*, & in *gratia*; cujus utriusque factus fuit depositarius ex ordinatione divina. Deus ordinem naturæ ita constituit, ut *ex uno sanguine* πᾶν ἔθνος fieret ἀνθρώπων Act. 17: 26. Sic & constituit ordinem gratiæ vel servandæ vel amittendæ, ut unus homo & sibi & toti posteritati eam, in officio perstando servaret, & ab eo deficiendo interverteret.

Inter homines etiam, id quod caput vel naturale vel mysticum seu spirituale, vel politicum vel œconomicum facit, facere censetur corpus ei subjectum. Ergo *in* primo homine *peccarunt omnes*, non *efficienter* tantùm, vel *meritoriè*, sed & *formaliter*. Secundi Adami obedientiâ, nobis imputatâ, *meritoriè & formaliter* absolvimur, sic primi Adami inobedientiâ meritoriè etiam & formaliter rei simus.

Adam considerandus est aut ut *persona* singularis, aut ut *radix* totius generis humani. Priori modo peccatum ejus est *personale*, ipsique *proprium*; posteriori, est *universale* & nobis cum ipso commune.

In Adamo peccavimus, non in Eva. *Adam* enim propriè fuit principium humani generis, non *Eva*. Tamen, quatenus illa ex illo & propter illum facta est, unum cum illo & idem principium constituit.

Augustinus libr. 12. de Civitat. Dei. cap. 7. *Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis; non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa est effectio, sed defectio.*

Quid mirum, si genus suum pessundedit Adam sua defectione, qui totum naturæ ordinem, & in cœlo & in terra pervertit. Ingemiscunt omnes creaturæ, corruptioni obnoxiæ, non volentes. Sustinent partem ejus pœnæ, quam promeritus est homo, in cujus usum fuerant conditæ.

Ex peccato Adami sequuta est communis naturæ nostræ vitiositas, quæ *Peccatum* vulgò dicitur *Originale*. Illa hæreditaria nostra pravitas & corruptio in omnes animæ partes diffusa est, & nos 1. facit reos iræ Dei. 2. opera in nobis profert mala.

Peccatum originarium est *habitus* vitiosus, quia naturalem nostram potentiam determinat conditione mali. Hæc *conditio* nobis est naturalis, seu connata; instrumenti primigenii vitio, ex quo omnes descenderunt naturaliter. Pec-

Peccatum illud dici poteſt & *voluntarium*, & *involuntarium* : ſive generationem, ſive conſtitutionem ejus reſpexeris. Voluntarium fuit totius generis in Adamo peccante. Etiam in nobis ſingulis, ex quo ſumus, eſt voluntarium ; quamvis à vitio naturæ oblato, & non à voluntate ortum, id eſt, ſingularis naturæ actu, non voluntatis motu.

Originale dicitur ad diſtinctionem actualis peccati. nec ratione *originis primæ*, quam homo habuit à Deo creante, ſed ratione *originis ſecundæ*, quam habet à primo parente peccante. *Originale* appellatur, 1. quia ineſt unicuique ab ortu ſuo, ac ab ipſo conceptionis momento. 2. quia contrahitur à prima origine, hoc eſt, à primo parente. 3. quia jam omnes inde ab initio in Adamo peccaverunt. 4. quia eſt omnium aliorum peccatorum fons & origo. Ita veniet ſignificatione tranſitiva, & ratione effecti. Quàm primum originatur homo, originatur hoc peccatum.

Ἄγραφα hujus peccati nomenclatio multiplex eſt. Hebræis dicitur יצר הרע. Tertulliano, *mali tradux*; Cypriano, *malum domeſticum*; Arnobio, *infirmitatis ingenitæ vitium*; Ambroſio, *infuſum & coagulatum delictorum contagium*; Chryſoſtomo, πρώτη ἁμαρτία; Auguſtino, *naturæ vitium*, item, *peccati contagium ex origine*, & tandem *peccatum originale*; Scholaſticis, *fomes & concupiſcibilitas*. In Sacris dicitur Rom. cap. 7. *peccatum, lex membrorum, concupiſcentiæ*.

Nomenclatio *peccati originalis* conveniens fuit confutandis 1. Manichæis, naturam ipſam, quoad ſubſtantiam, *malam* cauſantibus. 2. Pelagianis, agnoſcentibus quidem mali traducem, domeſticum malum, & infuſum contagium, & primum peccatum, ſed id vel reſtringendo ad Adami peccatum perſonale, vel referendo ad traductionem per imitationem.

Eſtque vel *imputatum*, vel *inhærens*. Peccatum originis imputatum eſt ipſa *prævaricatio* Adami & Evæ, quæ toti humano generi, ex duabus iſtis perſonis prognato, imputata eſt. Peccatum originale inhærens eſt *diſpoſitio* proclivis facultatum ad malum, orta ex privatione earum virium, quas ad bonum ante lapſum homo obtinebat.

Hoc inhærens oritur ex imputato, tanquam merito ſeu demerito. Propter imputatum hoc plectimur omni illo hæredio malo, quo plexus eſt Adam.

Propagatur ex parentibus, non propriè per corpus, imo nec per animam, ſed per culpam.

Partes hujus peccati ſunt 1. carentia juſtitiæ originalis. id quod dicitur qualitas *privativa*. 2. naturæ pravitas. id quod dicitur qualitas *poſitiva*; non *Ethicè*; qualitas enim Ethicè poſitiva eſt virtus; nec *Phyſicè*; ſed *Logicè*. Logicè verò qualitas poſitiva eſt qualitas affirmata, inhærens ſubjecto bona vel mala.

Subjectum hujus peccati eſt vel *abſolutum*, totus homo. *Imago* Dei inhæſit toti compoſito, ex corpore & anima conſtanti. Etiam *regeneratio* utrique parti hominis competit: totus regeneratur. Vel *ſecundùm quid*. Ita erit id, *intellectus & voluntas* hominis. Reſpectu illius eſt proclivitas de Deo & voluntate ejus dubitandi, ἀγνωσία, &c. Reſpectu voluntatis, ita depravavit voluntatem, ut bonum ſpirituale nulla ratione velle poſſit.

Sunt igitur corruptionis naturalis duæ partes. 1. defectus & privatio boni. 2. prava ad malum inclinatio.

Non ergo hoc malum originale eſt mera *privatio*, inefficax nimirum & otioſa, quales ſunt privationes, quæ potentiam abſolutè auferunt, ut cæcitas viſum, quies motum, cœlibatus conjugium. Sed eſt *actuoſa* quædam privatio, qua *principium agens*, atque ipſa actio, ex eo profecta, privatur ſola rectitudine; cum corruptione ipſius principii, non vero ablatione: qualis eſt luxatio cruris, à quo motus non aufertur, ſed motus ordinatio & rectitudo. Imò & *ſubjectum* malâ afficitur diſpoſitione: ut fit in tyrannide, anarchia, morbo.

Inde

Inde est, quod peccatum & negativè & affirmativè enunciatur à Scriptura; & efficacia illi tribuitur sanctitati & justitiæ adversa. Rom. 8:7. Gal. 5: 17.

Thomas quæst. 3. de malo, art. 1. *Non est simplex privatio, ut cæcitas, sed retinet aliquid de eo, quod privatur, ut morbus.*

Ab Adamo in posteros peccatum verè sic dictum derivari, patet 1. è locis Scripturæ. Genes. 6: 5. *Omne figmentum* &c. confer Genes. 8: 21. Job. 14:4. *Quis dabit mundum ex immundo*? Psal. 51:7. *In iniquitate conceptus sum* &c. Joh. 3:6. *Quicquid ex carne natum est, caro est.* Rom. 5: 12. Ephes. 2: 5. *Et eramus natura filii iræ, ὡς κ̀ οἱ λοιποί.* 2. è circumcisione & baptismo, infantibus administrato, utroque sigillo justitiæ & remissionis peccatorum, non certè actualium in illos; actualiter enim nondum peccarant: ergo *originalis.* 3. è communi omnibus *morte*, quæ est *peccati* stipendium; incumbente etiam iis, qui non peccarunt in *similitudine transgressionis Adami*, Rom. 5: 14. 4. è redemtione, & regeneratione. Qui nascuntur sine peccato, non egent redemtionis pretio; nec spirituali regeneratione, quos carnalis non infecit generatio. Atqui utroque egent *infantes.* 5. è generatione. *Omne genitum* gignenti est simile. Gen. 5:3. Corruptus gignit corruptum, leprosus leprosum. 6. ex antiquitatis consensu. Fulgentius de fide ad Petrum, *firmissimè*, docet, *credendum & nullatenus dubitandum*, *omnem hominem*, *qui per concubitum mulieris & viri concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subjectum, & iræ filium.* Augustinus idem probavit contra Julianum, prolatis Irenæi, Cypriani, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Ambrosii, Hieronymi &c. sententiis. Idem probant Concilia contra Pelagium & Semi-Pelagianos congregata, Palæstinum, Milevitanum, Carthaginiense, Toletanum, Arausicanum.

Illo peccato inquinati sunt omnes omninò homines; etiam *Maria.* Nata enim est ex concubitu maris & fœminæ; agnoscit Deum *suum Servatorem.* Luc. 1: 47. Ex lege purificationis suæ dies implet, & sistit se purgandam. Luc. 2: 22.

Christus solus à peccato originali, imputato & inhærente, immunis. Quomodo ergo fuit, & non fuit in Adamo? Resp. Fuit in Adamo *physicè*, secundùm originem carnis suæ. Act. 17: 26. Luc. 3: 23. 38. è lumbis Adami omnes majores Christi prodierunt. Non fuit in illo *moraliter*, & fœderaliter. Ideo quia non fuit in Adamo, nec quicquam illi cum eodem fuit commune, tanquam confœderato membro & participi fœderis Adamici, nec consideratus aut reputatus fuit in illo, tanquam capite & radice fœderis, ideo nec imputari Christo debuit aut potuit reatus peccati Adami, neque adeo in illum pœnaliter traduci potuit naturæ pravitas.

Propagatio peccati Adamici est, qua tota posteritas, naturaliter ab Adamo descendens, particeps fit ejusdem conditionis cum ipso. Job. 14: 4. Psalm. 51:7. Rom. 5: 14. Ephes. 2: v. 3. Et hoc *justa* Dei *ordinatione.* Illius æquitas apparet aliquo modo inter homines; idque

1. Jure naturali, quo innatæ qualitates à generante in genitum derivantur. Genitum simile est generanti. Morbi parentum cephalici, arthritici, nephritici, hæreditarii censentur.

2. Jure hæreditario, quo onera parentum in filios transferuntur. Partim jura, partim onera parentum transeunt in hæredes, forensi ratione.

3. Jure talionis, quo boni rejectio & mali perpessio æqualiter extenduntur.

Propagatio hæc constat 1. *imputatione.* Idem singularis actus inobedientiæ, qui fuit Adami, fit etiam noster. 2. *reali communicatione.* Non idem singulare peccatum, sed idem genere, vel similis planè rationis ac naturæ, in nos derivatur.

Pec-

Peccatum originale, cum sit formaliter *privatio* justitiæ originalis; & hæc privatio sequatur peccatum primum, tanquam *pœna*, hinc naturâ prius *pœna* habet rationem, quam *peccati.* Prout à justitia Dei denegatur originalis ea justitia, eatenus est *pœna*: prout nobis debet inesse, & humanâ culpâ deest, eatenus est *peccatum.*

Traducitur ergo hæc privatio ab Adamo per modum *meriti*, quatenus est *pœna*; & per modum *efficientiæ realis*, quatenus habet *peccati rationem* adjunctam. Ex eo enim, quod quis nascitur filius Adami, dignus efficitur, ut *justitiâ* non donetur. Illam cum debet habere, & non habet, illa carentia est ipsi *peccatum.*

Deus concurrit justa & efficaci suâ providentiâ. 1. efficienter procurat propagationem hominum, tanquam *causa prima*, quoad productionem *compositi*; & tanquam *causa sola*, quoad immediatam creationem & infusionem animæ; sine qua propagatione nulla esset propagatio peccati. 2. efficienter procurat & producit, tum tanquam causa prima, tum tanquam causa sola, *substratum* hujus peccati, cui inhæret & adhæret, facultates scilicet & vires naturales humanas. Omne enim malum fundatur in bono. 3. permittit, ut omne peccatum, sic & originale. 4. non suppeditat, (quod fecit in prima creatione) donum imaginis suæ, sine quo tamen non potest evitari peccatum originale. Hic postremus actus Dei, seu potius cessatio ab actu, est opus justitiæ punientis, propter reatum primi peccati omnibus communem. Ita peccatum originale per extrinsecam denominationem vocatur *pœna*, quamvis intrinsecè, & sua natura sit *peccatum.*

Modus propagationis variè à variis traditur. Ita verò dicitur non incommodè. Spoliavit persona naturam dono justitiæ in Adamo, & natura Adami egens facta ad omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices & injustas facit; atque ita personale peccatum Adami intrat in omnes, qui de illo secundùm naturam personaliter propagantur.

Ordine naturæ fit, ut è semine & radice vitiosa fructus putres & vitiosi nascantur. E sulphureo fonte rivus oritur sulphureus; ex massa acida panes acidi accipiuntur; ex ovo serpentis serpentes gignuntur.

Haut necesse est, ad propagationem illam, Animam ab Adamo per traducem derivari, vel à corpore tanquam vase corrupto vitiari, ut pomum, aut flos inficitur tetro odore ejus corporis, quo continetur. Sed sufficit, si homo, cujus pars est anima, sit ab Adamo: quod verum est, etsi anima non sit de substantia parentis. Homo verè & propriè dicitur hominem generare, quia generatio terminatur ad productionem compositi. Et licet anima rationalis non educatur de potentia in actum, virtute generationis, propagatur tamen corpus illi proportionatum, ex quorum unione resultat humana natura. Propter quod dicitur humana natura cum semine propagari, non per effectivam productionem animæ, sed per convenientem & proportionatam materiæ dispositionem, ad quam ita dispositam infallibiliter anima consequitur.

Videamus verò distinctius 1. sitne aliquod peccatum originale? 2. quid sit? 3. quas habeat proprietates, & quomodo per successionem traducatur in posteros, quoque modo remittatur?

De primo. Negarunt hoc peccatum olim Pelagiani, hodie negant Anabaptistæ suis rationibus. 1. Lapsus Adami satis in eo fuit punitus. Nec Deus illud potest ulcisci in posteris, qui dixit Nahum. 1:9. *Non surget bis* צָרָה. & Ezech. 18:20. *Anima, quæ peccavit* (vertendum, *peccat*,) *morietur. Filius non feret in iniquitate patris*: *& pater non feret in iniquitate filii.* 2. Corpus in utero formatum, est opificium Dei, nil in illo est dignum reprehensio-

 hensio-

hensione: imo potius est dignum admiratione. Anima item à Deo creatur. 3. Neque ratio propagationis mala videri potest. Nuptiæ enim Deo sunt laudatæ; & ab initio Deus jussit hominem procreare. 4. 1 Cor. 7: 14. dicitur: *Filii vestri sancti sunt.* Quomodo id, si nascantur in peccato? 5. Peccatum est dictum, factum, concupitum contra legem: est *voluntarium.* Id non cadere in infantes. 6. Rom. 5: 12. *Per unum hominem peccatum* dicitur *intrasse in mundum.* Explicant, propter imitationem & exemplum, quod posteri sequuti sunt. 7. Mortem & afflictiones, quæ pro indiciis solent adferri; quibus originalis culpa confirmatur, dicunt ex naturalibus causis existere; nimirum ex elementorum & humorum temperatura. 8. Absurdissimum esse, peccatum aliquod statuere, quod nullo modo possit evitari. 9. Si ea ratione in Adamo dicamur peccasse, ut Hebr. 7: 9. Levi dicitur *decimatus per Abraam*, ἔτι ἐν τῇ ὀσφύϊ τοῦ πατρὸς ὤν: nos pari ratione posse dici fuisse in lumbis aliorum nostrorum majorum, à quibus descendimus per procreationem. Atque ita non magis Adami, quàm avorum, atavorum, tritavorum, & omnium majorum nostrorum peccatum in nos dimanasse. Et ita infelicissimam fore illorum conditionem, qui ultimis temporibus nascituri sunt. Illos enim portaturos esse iniquitatem omnium suorum majorum.

Hæc illi, ut doceant, nullum esse peccatum originis.

Pelagiani ergo statuerunt, Peccatum Adami non dimanasse in posteros, nisi tantùm per imitationem. Augustinus contra illos ostendit, peccatum originis non tantùm esse imitationem peccati Adami. 1. Si per imitationem peccatum primum tantùm propagatum est, jam id non fluxit ab Adamo, sed à Diabolo, qui primus peccandi formam & exemplum dedit: unde & Joh. 8: 41. 44. Christus dicit, Judæos, gloriantes, se esse è patre Abraam, potius esse *Diaboli filios, quod opera ejus faciunt.* 2. Confutatur hæc opinio ex eo, quod Paulus antithesin facit inter Christum & Adamum. At Christi justitia non imitanda tantùm nobis proponitur, sed etiam, ut qui in eum credunt, animo mutentur, spiritu corrigantur, & omnibus viribus emendentur. Sequitur ergo ex ratione ἀντιθέτως, ut præter malum exemplum, quod Adamus exhibuit posteris, naturam etiam illorum depravaverit, & tabe quadam tabificaverit. 3. Ipsi etiam infantes moriuntur; qui tamen peccatum non imitati sunt. 4. Baptismus, qui datur puerulis, non potest in eis delere peccatum imitationis. Ergo in illis aliud genus peccati statuere necesse, ni eos velimus frustra baptizari.

Magister Sentent. 2. dist. 30. dicit, fuisse, qui putarunt, *Originale peccatum* esse *tantùm reatum*, aut *noxam*, aut *obligationem, ad quam obstricti sumus propter peccatum Adami*: non verò illos agnoscere, in illis, qui nascuntur, vere ac re ipsa *culpam*, aut *peccatum*; sed tantùm noxam quandam, atque obligationem, ut moriantur, & damnentur propter peccatum Adami.

Pighius peccatum Originale negavit verè peccatum esse, quod neque transgressio legis sit, nec voluntarium. Igitur illud statuit nil aliud esse, quàm *peccatum Adami*, propter quod nos ejus posteri facti sumus obnoxii damnationi. Mortem, afflictiones hujus vitæ, cupiditates carnis &c. esse ex principiis naturæ; nec *peccata* esse, sed Dei opera; Deum esse auctorem naturæ; consequi ista humores & temperaturam corporis. Negat nos, habere in nobis aliquod vitium, aut culpam, aut depravationem.

Eos, qui moriuntur, hoc tantùm *Adami* vitio obnoxii, non esse afficiendos pœnâ sensus in altera vita. Id probat duplici ratione, 1. quod illi nil mali admiserint, nec ulla se pravitate contaminarint. 2. quod *in hac vita* nulla requiratur pœnitentia, aut contritio

pro

pro peccato originali. Hanc enim esse veram & propriam *peccati* rationem, 1. ut sit dictum, factum, concupitum contra Legem. 2. ut sit voluntarium, quod non obtrudatur invitis, sed evitari possit. Hæc verò, quum in parvulis locum non habeant, peccatum in illis esse non posse.

Magister Sententiarum, ut attigit hanc sententiam, ita & explosit. Unde liquet, hanc sententiam jam fuisse ante *Pighium.*

Pighius, ut figmentum suum coloret, adducit simile (Hoc simile usurpatum est ab Ægidio Romano Theologo Scholastico. Hic verò agnoscit naturæ vitium, & innatam pravitatem) de munifico aliquo Principe, qui servum aliquem suum 1. manumittit, 2. principatu donat, 3. opibus cumulat, quæ etiam ad posteros sint rediturae. Id autem illi tantùm præcipit, ut certa quædam mandata obeat; quæ si transgrediatur, ereptum sibi iri omnes opes, & se ad pristinam rediturum servitutem. Hic servus violat mandata Principis. Ita rursum fit servus, & liberos procreat ad servitutem. Illos liberos non habere, quod querantur de severitate Principis, sed potius illi gratias debere pro liberalitate in parentem. De patre verò posse illos dolere, quod illa ornamenta, & sibi ipsi, & suis posteris perdiderit.

Imò si tanta fuerit Principis liberalitas, ut posteros ingrati servi, ad eadem illa, & majora invitet beneficia, ut filium suum ad eos provocandos mitteret?

Sic, inquit, se habet res nostra. Adamus creatus fuit, ut esset capax supernaturalis felicitatis; contemsit Dei mandata; spoliatus est illis dotibus supernaturalibus; & pristinæ conditioni naturæ suæ relictus. In ea conditione nos procreari, & ita propter ejus peccatum condemnari & mori, multa patientes incommoda, quæ à principiis naturæ nostræ derivantur. De *Adamo* ergo posse nos conqueri, non de *Deo*: præsertim cum nos ad se per Filium suum revocet; eumque ad salutem nostram in mortem tradidit.

Sed contra hanc sententiam facit, *infantes mori.* Mors nil juris habet, ubi peccatum non est. confer Rom. 5: 14. *regnavit mors ab Adamo, usque ad Mosen.*

Negat Pighius consequentiam. *Mortui sunt*; *ergo peccatum habuerunt.* Nam, inquit, mors illis contigit propter Adamum, ob cujus peccatum redditi sunt mortales.

Sed clarè Paulus *vitium* in natura confitetur; dicit enim *peccatum in se habitare*; *legem membrorum trahere se captivum.* Dicit Pighius; ista esse ex principiis naturæ. Resp. Hæc ex principiis sunt non integræ certè, sed corruptæ & vitiatæ naturæ. Dicit; illa propriè non esse peccata. Sic *frigus* dici *pigrum*, quod homines reddat pigros. Ita illa dici *peccata*, quod incitent ad peccatum. Aut prout Scriptura dicitur *manus*, quod manu sit confecta; & loquela appellatur *lingua*, quod ejus opera proferatur: ita hæc posse appellari peccata, quod profecta fuerint à peccato. Augustinus sic interdum loquitur; id tamen de illis defectibus & vitiis intelligi voluit, quæ insunt in homine post Baptismum. Ante Baptismum verò omninò ait ea esse peccata. Ita & *natura* peccati eis convenit. Peccatum enim pertinet ad omnia, quæcunque legi Dei adversantur. Atqui iniquum est, quod *caro* contra *spiritum* luctatur, & quod animus non vult acquiescere verbo Dei, *Peccatum* sanè est & dici debet, quod nos ad transgrediendum & ad rebellandum Deo stimulat.

Testimonium Eph. 2: 3. *Eramus naturâ filii iræ*, ita torquet Pighius. Naturâ filios iræ esse dicit nil aliud esse, quam esse filios iræ, videlicet, sorte quadam nascendi, quod sic edamur in lucem. Ita nonnullos dici *naturâ servos*, quia scilicet ea conditione sunt nati, ut serviant. Resp. Qui dicuntur natura servi, naturâ etiam aliquid in se habent, quod aptum sit ad servitutem. Secundùm enim Aristotelem in Politicis, *natura servi* sunt, qui corporis viribus excellunt

humana, tanta pravitas, & φιλαυτία, & voluptatum cupiditas inesse possit. Ita illi hæc mala agnoverunt, ut pueris etiam castigatione & disciplina maximè opus esse judicarint, & ad hanc ingenitam malitiam corrigendam labores & exercitia, & alia multa dura graviaque subeunda suaserint. Sed causam & fontem horum malorum non viderunt. Ea enim tantùm ex verbo Dei videri potest.

Istam cupiditatem, quam Augustinus *Concupiscentiam* vocat, Pighius dicit *opus esse naturæ & Dei*, neque adeò videri posse peccatum. Sed facilis est responsio. Non proficiscitur ea à principiis naturæ à Deo in prima creatione institutæ, sed corruptæ & depravatæ.

Julianus Pelagianus etiam ut Pighius *concupiscentiam* commendabat ut insigne opus Dei. ideo illum Augustinus appellabat *impudicum concupiscentiæ laudatorem.*

Augustinus dicebat concupiscentiam ante Baptismum esse peccatum; post, non. Nec malè. In regeneratione magna fit mutatio. accedit remedium Christi; applicatur ejus justitia; tollitur reatus. Deus non imputat eam concupiscentiam, quæ post regenerationem manet. Spiritus nobis datur, is concupiscentiæ vim infringit, ut quamvis in nobis hæreat, non tamen dominetur. Rom. 6: 12.

Neque enim putavit Augustinus, concupiscentiam, quæ manet post Baptismum, omninò non esse peccatum; imprimis verò, si sola per se ipsam consideretur. Nam disertè eam naturâ suâ peccatum dicit, quod sit *inobedientia*, contra quam nobis perpetuo sit reluctandum. Ergo quum eam peccatum esse negat, id 1. intelligendum est, quod ad reatum attinet. is enim in regeneratione tollitur. Ita enim fit, ut Deus eam, quamvis reipsa peccatum sit, tamen ad peccatum non imputet. 2. confert concupiscentiam cum illis peccatis, quæ dicuntur *actualia*. ex quorum collatione dici potest, non esse peccatum. nam ab illorum gravitate longè abest.

Causa denique, cur peccatum Originis Augustinus appellet *concupiscentiam*, est, quod per crassiores animi & carnis cupiditates vitium Originale maximè se declaret.

Alia est opinio eorum, qui dicunt, peccatum Originis esse *carentiam justitiæ originalis.* Ita Anshelmus, multique Scholasticorum. Justitiam verò originalem dicunt rectam hominis constitutionem, cum corpus animo, & partes animi inferiores superioribus parent; mens autem Deo & Legi ejus subjicitur. Hujus justi carentiam volunt esse peccatum Originis.

Dicunt, non quemvis defectum *malum* esse. Lapis caret justitiâ. non tamen propterea dicitur injustus aut malus. Sed cum res idonea & apta fuerit, ut habeat id, quo destituitur, tum hujusmodi defectus dicitur *malus.*

Dicit Pighius, non esse peccatum, si quis non servet donum, quod acceperit. Fieri potest, ut qui natus sit integra valetudine & recto corpore, incidat in morbum, aut aliquo membro mutilus efficiatur. Hos defectus quis culpas aut peccata dicet? Sed non convenit hoc simile proposito. Morbus, aut mutilatio corporis ad legem Dei vel observandam, vel violandam nil facit. Carentia verò originalis justitiæ secum necessariò affert violationem Legis Dei.

Qui carent justitia Originali, non amplius Deum & cœlestia intuentur, sed ad terrena & carnalia perpetuo incurvantur, & concupiscendi necessitati subjiciuntur.

Non homini actiones ereptæ sunt, sed ablata est facultas bene illis utendi. Ita usu venit in paralyticis. movent illi quidem manum, sed quia oblæsa est vis, qua motum illum possint regere, deformiter eam & imbecilliter movent. Ita cum desit justitia originalis, principium corruptum est, quo opera nostra oportuit rectè ordinari & perfici.

id Pri-

Privationes hæ non sunt instar negationum, quæ totum auferunt; ut quum dicimus, Centaurum, aut Scyllam non esse. Sed ejusmodi sunt, ut relinquant subjectum mancum, inutile, deforme; ut apparet in oculo destituto visu, & in manu paralytici tremula. Relictæ sunt animi vires & actiones, sed sua rectitudine destitutæ, ideoque pravæ & corruptæ. Peccatum originis non solum est hæc privatio, sed & comprehendit positiva, ut propensionem ad malum, naturæ impetum contra verbum Dei, &c.

Pighius dicet, carere hoc dono, non posse in parvulis peccatum esse. Nullo enim debito aut nexu tenentur habere. Proferant, inquit, secus sentientes *legem* aliquam, quâ nascentes constringamur. Resp. Tres proferimus leges. 1. Prima est hominis institutio. *Fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Quare tales nos esse oportet. Deus enim id in natura nostra jure requirit, quod fecit. Imago verò Dei in eo potissimum sita est, ut ornati simus justitia, sanctitate, bonitate, sapientia. Non enim illa tantum constat intelligentia, memoria, voluntate. Benè Tertullianus contra Marcionem, eam ait esse *imaginem Dei, quæ motus & sensus eosdem habeat cum Deo.* Ita habemus legem vel ab institutione, vel à restitutione hominis, quam Paulus præcipit, atque hoc nexu obstringimur originalem justitiam habere, quam amisimus. 2. *Lex naturæ* justitiam originalem exigit. Illi legi convenienter vivere est præcipuus hominis & extremus finis. Hæc lex pendet ab illa altera, quam posuimus. Non enim aliunde fit, ut cogitationes in animo se mutuò accusantes & defendentes habeamus, nisi illæ sumantur à dignitate naturæ, ut à Deo fuit instituta. 3. Est etiam tertia lex, quam *scriptam* dicimus. *Non concupisces.* Etiam hoc præcepto damnatur carentia justitiæ originalis. Non enim id tantum detorquendum est ad actualia peccata, sed ut est Rom. 7: 9. illud etiam spectat ad peccatum Originis, & Deus eo mandato voluit præcisum hominibus prorsus omne genus pravæ concupiscentiæ.

Hæ leges perpetuo nos obstringent, & debitores efficient, ut in omni vita nostrâ eam justitiam præstemus, quam ipsæ requirunt.

Leges istæ ab infantibus non sentiuntur, eoque in illis peccatum jacet sopitum. Ita Paulus. *Vivebam sine lege aliquando.* Per ætatem in pueritia non sentiebat legem.

Frustra clamat Pighius, Legem non debere poni de illis, quæ non possint evitari. Atqui & lex peccatoribus omnibus *impoßibilia*, & tamen juste præcipit. Augustinus contra Julianum libr. 1. taxat Pelagianos jactantes, *Deum non præcipere, quæ fieri non poßint.* Ipse Augustinus in libris Confessionum memorat etiam ea peccata, quæ pueri adhuc lactantes admittunt, quibus tamen nemo dixerit eos potuisse *resistere.*

Non excusat, quod peccata ab illis non sentiantur. Quod turpe est, natura sua turpe est, sive id ita nobis videatur, sive non. Αἰσχρὸν γὰρ τό γε αἰσχρὸν κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ.

Hæc opinio Anshelmi de defectu & carentia Originalis justitiæ ab Augustini sententia, qui peccatum originis dixit *concupiscentiam*, reipsa nil differt.

Cæterum, ut ex dictis facile apparet, carentia ista Originalis justitiæ non ita debet accipi, ac si intelligatur tantummodo *Privatio donorum Dei*, citra ullum *naturæ vitium.*

Peccatum Originis est 1. totius hominis naturæ depravatio. 2. à lapsu Adami in omnes posteros traducta per generationem. 3. omnes inde nascentes infinitis malis, & æternæ damnationi adjudicat.

Hoc peccatum modo defectus, modo pravitas, modo vitium, morbus, contagium, malitia; ab Augustino autem affecta qualitas & ἀταξία dicitur.

Totus homo est corruptus: divina non intelligit; promissa Dei impatienter exspectat;

præcepta Dei molestè audit; pœnas & præmia contemnit; affectus habet tumultuantes, & rectæ rationi, ac legi Dei ejusque verbo petulanter insultat; corpus animo parere detrectat.

Cœcitas cordis & ignorantia est *peccatum*, nec satis hominum naturæ convenit. Vide densissimas ignorantiæ tenebras in animis parvulorum, cum adhuc in utero latent. nesciunt quare, unde, quando, sint eo contrusi. Jacet dein parvulus indoctus, indocilis, præcepti non capax, nescius ubi sit, quid sit, à quo creatus & genitus. Hæc non conveniebant naturæ hominis, ut primum creata fuit, sed sunt potius vitia naturæ. Longum in Infantibus exspectandum est tempus, quo hanc tanquam ebrietatem possint paulatim digerere. 1 Cor. 2: 14.

Hanc *ignorationem* esse vitio annumerandam docet etiam Augustodunensis Episcopus Reticius, teste Augustino libr. 1. contra Julianum: cum de Baptismo loquitur, sic scribit, *eam esse principalem indulgentiam in Ecclesia, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantia nostra facinora prisca delemus, & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus.*

Nec intellectus tantùm, sed & *voluntas* depravata est. Rom. 8:7. *Sensus* seu prudentia *carnis est inimicitia adversus Deum.* Per carnem intelligit omnes affectus hominis nondum renati. Sunt qui per *carnem* intelligi volunt tantùm *animi partem crassiorem.* Sed Paulus inter *opera carnis.* Galat. 5: 19. etiam numerat *idololatriam*: atqui illa ad mentem pertinet, non ad carnem.

Etiam *ratio* in nobis est vitiata. Induendus enim est *novus homo.* Coloss. 3: vers. 10. Homo verò constat non corpore tantùm & carnis affectibus, sed etiam mente, voluntate, ratione.

Corpus etiam à natura sua defecit & animo est rebelle, illique adversatur. Rom. 7: 24. *Quis me liberabit* &c. Ibid. vers. 23. *Sentio aliam legem in membris meis.*

Totus denique *homo* depravatus est. debet enim *se ipsum abnegare.* si natura esset innocens & integra, nil opus esset eam abnegare. Bona sunt retinenda, non ableganda.

Thomas, Scotus, & imprimis Bonaventura in peccato originali constituunt 1. *τὸ materiale*; vitium naturæ seu concupiscentiam. 2. *Formale*; carentiam justitiæ. Ita ex opinionibus Augustini & Anshelmi unam conflarunt.

Alii *τὸ formale* dicunt esse *reatum* aut imputationem Dei. Martyr. Sed cum ea res extrinseca sit à peccato, ego in eam magis sententiam propendeo, quæ *formale* statuit esse pugnam & reluctationem adversus legem Dei.

Abeant, qui clamant, *naturam* esse *bonam.* Instituta natura bona est, non collapsa. hæc ita bona est, ut plurimum corruptelæ admixtum habeat. *Neque cupiditas* est *bona.* Rom. 7: 18. *Non habitat in me bonum.* vers. 21. *Malum mihi* adjunctum est. Ideo & *concupiscentias* docet crucifigendas esse. Galat. 5: 24. & ἐπιθυμίαν πειράζει, & τίκτει ἁμαρτίαν. Jac. 1: 14. 15. Si ita innocens & bona est natura nostra, cur à Deo tam graviter punitur? Quid inter omnia animantia est calamitosius *homine*, ejus si nativitatem, infantiam, pueritiam, educationem, disciplinam spectes? Omnia lacrymis, dolore, gemitu, laboribus plena sunt. corpore laborandum est ob victum. mens turbulentis angitur affectibus. pectus concitatur permotionibus. corpus morbis affligitur. Inde nonnulli dixerunt, Naturam non matrem esse, sed novercam. Quid quod interdum infantum & puerorum corpora & animi traduntur Diabolo vexandi, à quo modo in ignem, modo in aquam projiciuntur. Mat. 17: 25. Divina ergo severitas ita agnoscit humanæ naturæ innocentiam, ut eam graviter puniat.

Plato

Plato in 2. de Republica, homines natura dit esse malos, ut qui induci non possint, ut sua sponte justitiam colant, sed tantum ne injuriam patiantur. *Socrates* ostendit, virtutes non haberi, nisi homines, quod de Poëtis dicitur, afflentur aliquo divino numine. *Cicero*, libr. de Repub. ut citatur ab Augustino libr. 4. contra Julianum, ait, hominem à natura noverca in lucem edi, corpore nudo, fragili, & infirmo; animo anxio ad molestias, humili ad timores, debili ad labores, proclivi ad libidines, in quo divinus ignis sit obrutus, & ingenium & mens.

Cyprianus ait, *Christum vulnera sanasse, quæ Adamus apportaverat, & venena, quibus Diabolus naturam nostram infecerat.* Olympius Hispanus Episcopus ait, *vitium protoplasti ita sparsum esse in germine, ut peccatum una nascatur cum homine.* Ambrosius contra Novatianos: *Ortum nostrum esse in vitio.* Idem in Apologia David: *Nos, antequam nascamur, maculari contagione; & ante usuram lucis accipere originis injuriam, & iniquitate concipi.* Hieronymus in Jonam Prophetam, *parvulos esse obnoxios*, ait, *peccato Adami.* Et ne arbitretis eum id tantùm de *reatu* dicere, in Ezech. cap. 18. & 41. urget, *ne puerum quidem, cujus sit unius diei vita, esse absque peccato.* Multo plura suffragia collegit Augustinus libro primo contra Julianum. Addit & Basilium Magnum, quem Pelagiani frustra voluerunt videri suarum esse partium. Is in concione *de jejunio* sic ait. *Si Eva jejunasset a ligno, ab isto jejunio non egeremus. Non enim opus habent valentes medico, sed malè habentes. Ægrotavimus per illud peccatum; sanemur per pœnitentiam. Pœnitentia verò sine jejunio manis est.* Origenes in Rom. 5. 12. docet, *Neminem esse mundum à sorde, etiamsi unius tantum diei fuerit vita ejus.* & clarius in cap. 6. ep. ad Rom. quum *Baptismum* ait *dandum esse parvulis ex Apostolica traditione, quod Apostoli scirent esse in omnibus nativas sordes peccati, quas per aquam & Spiritum oporteret ablui.* Chrysostomus in Genesin tractans illam quæstionem, *Cur homines nunc sibi timeant à bestiis, cum creati sint illarum Domini?* ait, *id contingere propter peccatum. Et quoniam à fiducia decidimus & ab honore.* Inde Augustinus probat, *parvulorum naturam collapsam esse, quod illis bestiæ non parcant.*

Nonnulli sententiam Chrysostomi detorserunt, quum dicit, Διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καὶ τοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα. ubi tamen per ἁμαρτήματα, in numero multitudinis, peccata illa intelligit, quæ *actualia* dicimus.

Addit denique Augustinus, vetustiores Patres de peccato originis non ita fusè disputasse, quod nondum nati fuissent Pelagiani, qui illud oppugnarent.

Pelagiani propagationem peccati per Adamum tantùm negabant. Pighius clamat, eam sententiam impiam & blasphemam esse, & contumeliosam in Deum. Pelagianis satis fuit dicere, infantes morientes absque Baptismo esse collocandos & extra regnum cœlorum, & extra pœnas gehennæ. Pighius verò somniat, eos naturali beatitudine fore felices; & ita felices, ut Deum toto animo, toto corde, & omnibus viribus benedicant, laudent, diligant.

Non obstante vitio originis fiunt nonnunquam in ipsis irregenitis præclari motus, & heroicæ virtutes, quibus frenatur vitium originis, & Respublicæ in aliquo civili ordine retinentur. Socrates noluit è carcere egredi, cum posset. Aristides, quum in exsilium pelleretur, optavit suis civibus, ne unquam ita malè haberent, ut ipse illis rediret in memoriam. Phocion, quum jam jam moriturus interrogatus esset, an aliquid vellet mandare filio? Ne unquam, inquit, meæ injuriæ meminerit. Habuit Roma Curtios, Scipiones, Catones, viros civilis probitatis & rectitudinis valde amantes.

Omnia illorum officia, quamvis ut in hominibus à Deo alienis peccata essent, tamen erant fræna originalis vitii, & naturæ depravatæ, ne omnia susque deque traherentur, & leges bonæ ruerent, & naturæ lumen quodammodo extingueretur.

Matthias Flacius Illyricus Albonensis in Clavi Scripturæ, Parte Altera, peculiarem sententiam aperuit *de Peccati Originalis aut Veteris Adami appellationibus & essentia*. Distinguit hoc peccatum 1. de actualibus peccatis. 2. de peccato in genere. 3. de reatu ex primo lapsu promanante. Sumit hoc in specie *de ipsa illa nunc in homine existente & ex utero matris allatâ malitiâ, aut pessima re; unde omnia alia mala ubertim scatent*.

Definitionem Anshelmi, Peccatum originale est *defectus justitiæ originalis, debitæ inesse*, carpit. 1. dubium & obscurum esse, quidnam sit justitia debita inesse. 2. dimidium tantùm mali complecti. esse enim non amissionem tantùm, sed etiam acquisitionem & accessionem contrarii mali aut vitium.

Dicit: Fuimus in prima creatione quiddam valde bonum, tum in accidentibus, tum in substantia: mutati verò sumus in rem valdè malam substantiâ suâ: ut si vinum mutetur in acetum acerbum.

Pergit: Scriptura malitiam originalem dicit 1. *imaginem Diaboli*, contrariam imagini Dei, è collatione Genes. 1:27. & 5:3. ubi imago ipsi *essentialem* hominis *formam* notat. 2. dicit eadem, illam inhærentem malitiam esse *cogitationem cordis*, esse ipsum *figmentum cordis humani*. Genes. 6:5. 8:21. *cor incircumcisum*. Deut. 10:16. *non intelligens*. Deut. 29:4. Rom. 1:21. *cor lapideum, adamantinum, perversum*. Jer. 17:1.9. Ezech. 11:19. 36:26. Zach. 7:12. *carnem*. Joh. 3:61. esse *ipsammet malam arborem*, nempe hominem. Matth. 12:33. esse *vanam mentem*. Ephes. 4:17. 18. esse *sensum carnis*. Rom. 8. 7. quod omnes de ratione ipsa exponunt. *esse ipsam hominem animalem*, 1 Cor. 2:14. *carnalem*. 1 Cor. 3:1. *ipsum veterem hominem*. Ephes. 4:22. seu totum hominem, quantus, quantus est, quatenus renatus non est.

Concludit: *Unde liquido apparet, aliquod originale peccatum, aut partem ejus, esse ipsam substantiam hominis*; non quiddam externum, aut accidentarium in ipso.

Docet; *peccatum* in hac materia notare non tantum opus, actionem, aut cogitationem; nec tantùm habitum aliquem malum: sed etiam vim ac essentiam quandam pessimam, nobiscum ex utero matris allatam. Increpat, qui putant, illam nativam malitiam esse tantùm *accidens quoddam*; quum *ipsum cor, mens rationalis, & totus animalis* seu *carnalis homo*, imo ipsa *substantia essentiave infima hominis*, *peccatum* illud sit & vocetur. Ergo præcipuum peccatum originale esse quiddam substantiale in homine.

Hominem peccantem docet *utcunque* retinuisse *viliorem illam materiam & massam hominis, initio conditam*, tametsi valdè vitiatam; sed *formam substantialem*, aut *substantiam formalem, deperiisse, & in contrarium esse mutatam*. Intelligit verò per illam præcipuè *ipsum cor*, & *animam rationalem*. Ita, ut cum antea homo, præsertim quod attinet ad animam rationalem, esset viventis Dei viva imago, nunc sit suâ essentiâ, in eadem summa ac nobilissima parte, vera imago Satanæ.

Hæc horrenda substantiæ formalis inversio terrior est, inquit, ac si ex aurea imagine pulcerrimæ puellæ refusâ faceres vivam imaginis horrendæ alicujus belluæ. Illa enim hominem, ut causa formalis, facit filium & imaginem Diaboli, & dat ei illud *horrendum esse veteris Adami*: estque unicus fons omnis peccati sive actualis, sive habitualis.

Remanere quidem aliquid adhuc in homine à Deo creatum, quod propriè ac per se *bonum est*, ac peccatum dici nequit. sicut & in Diabolis adhuc aliqua præstans Dei creatura superest;

 tamen

tamen illud ipsum esse *veluti illam ignobiliorem materiam. Nobilissimam verò formam substantialem*, in quam homo initio fuit exædificatus, totam esse inversam in *fœdissimam statuam*; imò *larvam Cacodæmonis infernalis*. Est igitur à tunc homo *imago & larva Satanæ, peccatum*, hoc est, *tetra res*, Deo inimica & abominabilis.

Non negat, aliquam partem peccati originalis esse *accidentia*; peccatum enim ita totum hominem pervasisse, ut in toto homine, & in omnibus prædicamentis possit reperiri, ac sit fermè transcendens quoddam. Sed aliquod *peccatum* esse 1. *substantiam*, nempe ipsam carnem, veterem Adamum, cor lapideum, sensum carnis. 2. aliquod esse *accidens*, ut vanæ pessimæ inclinationes nobiscum natæ. 3. aliquod esse *habitum*, ut valdè varia vitia, consuetudine contracta. 4. aliquod esse actionem vel internam vel externam. 5. aliquod esse quietem seu actionis neglectionem, ut sunt peccata omissionis. 6. aliquod esse *passionem*, ut perterreri magis hominum injustis, quam Dei justissimis minis.

Protestatur, se, dum affirmat, aliquod originale peccatum, aut potius aliquam partem originalis peccati, esse *substantiam*, cum *Luthero* loqui, aliisque.

Ita porro ipse: Peccatum originale, radicale, seu scaturiginale, est *cor perversum, nonintelligens, cæcum, incircumcisum, lapideum*; est *animalis homo, vetus Adam*; est *corpus mortis, & peccati*; est *sensus carnis*; est *caro & sanguis*; est *mens cordis*; est *vana mens*; est *obtenebrata cogitatio*; est *imago Satanæ*; est denique *ipsa ratio hominis*; atrocissima illa & infensissima bestia Deo; est ipsum *servum arbitrium*, à Satana agitatum & equitatum.

Testimonia citat.

Lutherus in festo circumcisionis. *Morbus in ipsa natura hæret, totaque substantia hominis corrupta est, ut peccatum sit hominis origo ac quicquid in eo est, atque hoc peccatum illud originale*, vel potius *natura & totius hominis peccatum* est, Hoc peccatum est *peccatum substantiale*. In articulis Smalcaldicis. *Die buss lehret uns die sünd erkennen, nemblich, das mit uns allen verlohren, haut und haar nicht gut ist, und müssen schlecht newe und andre menschen werden.* Citat etiam pro se *Philippum & Victorinum, & Bucerum.*

Proponit porrò *demonstrationes aliquot*, quod *originale peccatum sit ipsa mala hominis essentia; præsertim autem anima rationalis.*

1. Originale malum est malum culpæ, Deo exosum. Atqui talis est totus carnalis homo.

2. Dicitur *originale*; quia ex utero matris oritur. Talis est totus homo, quia est origo & fons omnis mali. Talis planè est ipsa mala mens, ipsum pessimum cor.

3. Liberum arbitrium est ipsemet intellectus & voluntas hominis. Id corruptum est, nec tantùm accidens quoddam est.

4. Originale peccatum est ipsa corruptio hominis. Corruptio verò hominis quid est, nisi ipsamet corrupta natura, præsertim mala mens, & malus animus?

5. Peccatum est id quod pugnat cum Deo, & cui Deus irascitur. Totus verò animalis homo, vetus, non-renatus, sic pugnat cum Deo, præsertim verò ipsa ratio, sive rationalis anima.

6. Summus ille hostis Dei nobiscum nascens est & dicitur peccatum originale. Ratio humana est talis. Ergo est peccatum originale. & contrà peccatum originale est ipsamet humana ratio, quatenus à Satana transfigurata, & sibi assimilata est.

7. 2 Cor. 5: 21. Filius Dei dicitur *factus peccatum*, hoc est, res injusta, rea, & à Deo damnata. *Ipsemet* dicitur factus, non ejus accidentia. Ut ipse verò est *imputativè*, sic nos

reali-

realiter sumus peccatum. Igitur ipsa natura, corruptissima persona, ac substantia cum suis accidentibus est *peccatum*, seu res exosa Deo.

8. *Caro*, vetus Adam, *animalis homo*, *imago Satanæ*, *cor pravum*, *lapideum*, &c. sunt substantia. Peccatum originale est hæc omnia. Ergo.

9. Scriptura de imagine Dei illa prima, de imagine Diaboli consecuta, & de nova imagine Dei tantùm substantialibus verbis utitur. Credamus igitur illi, ea esse ipsam hominis substantiam cum omnibus suis accidentibus: non autem sola accidentia, huic substantiæ inhærentia.

10. Cum Deus accusat & damnat originalem malitiam, non dicit, se aliquod accidens in homine damnare, sed simpliciter ipsum hominem impetit, accusat, punit, damnat; ipsum nimirum cor pessimum, & rationalem partem hominis. De toto homine simpliciter dicit, quod sit ex Patre Diabolo, quod tota hæc natura non possit intrare in vitam, quod *aboleri*, & nova condi oporteat.

11. Si peccatum sit tantùm accidens quoddam; injustus planè est Deus, quod totum hominem proptereà damnat. Cur ipsum hominem per se bonum accusat? cur non potius illud accidens? cur non id quam primùm ab homine extergit?

12. Si peccatum originale est tantùm accidens, non ipsa substantia hominis, jam ipsa hominis substantia non est corrupta, nec Deo inimica facta; sed tantùm accidentia quædam prava in homine. Substantia verò est per se bona, & bonas actiones producit.

13. Gal. 5: 17. *Caro concupiscit contra Spiritum.* Originalis verò pestis & peccatum contra Spiritum concupiscit. Quid verò sit Paulo *Caro*, liquet, cum *opera* carnis dicit *idololatriam*, &c. Quis hæc facit, nisi ipsamet prava mens, anima rationalis, appetitiva, cor, anima, affectus ciens. Certè *Caro* non est Paulo tantùm accidens quoddam hominis, sed ipsemet perversus & corruptus homo, quantus quantus est in substantia & accidentibus suis.

14. Rom. 6: 12. originale peccatum dicitur id ipsum esse, quod *dominatur* & *regnat in homine.* Atqui potentia in homine regnans est ipsa rationalis, sensitiva, & appetitiva anima.

15. Nihil est in homine præter corpus & animam corruptissimam. Non tertium aliquid Ergo eæ ipsæ sunt nativum illud malum, originalis illa pestis.

16. Si originalis pestis non est substantia hominis, sed accidens tantùm quoddam in homine, sequetur, hominis actiones sanas & sanctas esse. Hucusque Flacius.

Josua Placeus in Syntagmate Thesium Salmuriensium, in loco *de Statu Hominis lapsi ante Gratiam*, §. 7. ita ait; *Sit igitur malum illud necesse est*, (de originali malo loquitur) *aut ipsa actualis inobedientia Adami, qua nobis imputetur, aut vitium ex illa natum, nobisque inhærens. Prius*, inquit, *non potest colligi ex Sacris Literis, nisi hoc sensu, quod ob peccatum nobis ab origine inhærens digni sumus, qui eodem loco habeamur ac si inobedientiam illam admisissemus.*

Non ex verbis, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον. Τὸ ἐφ᾽ ᾧ non vertendum *in quo*, sed *eò quod.* Nam non aliter dici nos in Adamo peccasse, quàm fuisse aut mori.

Nec ex *Antithesi*, quam Apostolus instituit inter obedientiam Christi & inobedientiam Adami. Nam in re esse sitam similitudinem oppositionis, non in rei modo. Hanc distinctionem 1. Paulum innuere Rom. 5: 15, 16. 2. rationem docere; Non enim, inquit, Adamus ex illiusere, ut Christus, tanquam vas noster personam nostram sustinebat, & pro nobis; vel loco nostro legem Dei violabat. 3. doctrinam Ecclesiarum flagitare nostrarum,

ut

ut se tueri possit contra Pontificios, objicientes; sicut inobedientia Adami nos constituit reos, quia est causa peccati inhærentis; sic obedientiam Christi nos constituere justos, quia est causa inhærentis nostræ justitiæ.

Nec ex eo, quod *Levi* dicitur *decimatus in Abrahamo*, in cujus lumbis erat. Heb. 7: 9. 10. Non magis enim id inde sequi, quàm inde colligi potest, aut peccata Abraami, aut ejus fidem & bona opera eidem Levi imputata esse.

Neque *congruere* cum oraculo, *Filius iniquitatem Patris non feret.* Ferrent enim iniquitatem Adami filii ejus, etiam illi, qui non peccarunt in similitudine transgressionis ejus, & quidem ad millesimam usque generationem.

Nec *congruere cum recta ratione.*

1. Si Adami inobedientia nobis imputatur, debuisset etiam ejus obedientia imputari, si perstitisset. Debuissent imputari omnia illa peccata, quæ, dum eramus in ejus lumbis, admisit. Imò & omnium intermediorum parentum nostrorum peccata omnia, quæ dum committerent æque in illis ac in Adamo fuimus: imo mors ipsa Adami. Si peccavit, ut caput humani generis, cur non etiam puniri debuit eodem nomine? Si non tenebamur obedire illi interdicto, nisi in ejus persona, certè nec puniri. nec enim ad nos comminatio magis, quàm interdictum spectabat.

2. Qui peccavimus actu in Adamo, in quo actu nunquam fuimus? Quî voluntarius potuit esse, nostri respectu, actus, qui multò antè desiit esse, quàm incepit nostra voluntas? Fuit in Adamo natura humana, sed singularis, & divisa numero ab hac nostra. Quod si primus actus peccandi fuit actus naturæ, cur non etiam primus actus generandi? nemo tamen dixerit, nos in Adamo genuisse Cainum aut Sethum.

3. Si Adamus est sibi ipsi promeritus pœnam suo illi peccato æqualem, tantam scilicet, quantam Deus erat interminatus, an alias pœnas pro eodem illo peccato ab aliis innumeris hominibus justitiam exigere putandum est?

4. Aut *unus* fuit illius peccati reatus adæquatus, dividendus inter omnes Adami posteros: Aut *tot*, quot homines. Si prius, exigua duntaxat nobis singulis particula & peccati illius imputatur, & pœnæ debetur. Si posterius, unius peccati non est unus reatus, nec una pœna adæquata, sed innumeræ.

5. Si inobedientiæ Adami rei sumus, hoc ipso, quod ejus filii sumus, nec miraculosa parentis utriusque respectu, ut fuit Isaaci & Johannis Baptistæ, generatio; nec animæ humanæ, sine hominis operatione, divina creatio, quenquam ab ea eximat, quid de ipso Jesu dicemus? Haut enim ejus miraculosa ex Spiritu Sancto conceptio impedivit, quo minus verè filius esset Adami, ex fructu lumborum Davidis oriundus.

Secutum se dicit Placéus gravissimorum Theologorum auctoritatem, qui hanc imputationem, vel suo silentio tacitè, ut Calvin. Inst. Tilen. Thes. vel etiam apertè & disertis verbis improbarunt; Martyr in Rom. 5. Cham. Panstr. Tom. 3. cap. 7. §. 20. 21. & toto fere cap. 8.

Ita se verò sentire docet, 1. ut ne pro verbo Dei habeamus, quod non est verbum Dei. 2. ut à non-necessariis difficultatibus Religio Christiana liberetur. 3. ut peccatum Originale, quale describitur Art. 10. & 11. Confessionis Ecclesiarum Gallicarum, validius probetur.

Firmiter tamen ponit, *nos ab Adami inobedientia malum culpæ inhærens contraxisse.* quia

1. Depravatus Adam nos dicitur genuisse *ad imaginem suam* Genes. 5: 3. opposité ad

 ima-

imaginem *Dei* Ephes. 4: 22. 24. & *Christi.* Col. 3: vers. 10. & *vetus homo* id appellatur 1 Cor. 15.

2. Cum *caro* esset, nati sumus *caro*, regeneratione Spiritus egens, ex immundo immundi. Si cum facultatibus physicis depravatis morbisque ac morti obnoxiis, etiam cum facultatibus moralibus corruptis. Harum enim, cum sint dominæ, conditionem sequi illas convenit.

3. Si naturâ filii iræ, si transgressores ab utero, si ita pravi sumus, ut nil nisi malum cogitemus & sentiamus, si infantes olim circumcisione, nunc baptismo, omni tempore Christi redemtione indigemus, morti, etiam violentæ, in ipso utero obnoxii, quis peccati labem nos à parentibus traxisse neget? à quo autem parente primum, nisi à primo illo, cujus lapsu, & peccatores constituti, & imperio mortis mancipati dicimur.

4. Num potest designari tempus, quo nobis primùm inesse incipit, aut peccatum, aut caro Dei legi repugnans, aut vetus homo cum concupiscentiis suis, aut lex in membris cum lege Dei pugnans? Patet, Lernam illam malorum nobiscum nasci & crescere. Cur verò omnium animalium Domini, in mundum, hoc est, regnum suum ingredientis, miserrima omnium est conditio, diu in summa imbecillitate, in fletu, in sordibus jacentis? Cur generatio, & membra illi inservientia sunt ipsi homini pudenda? Cur in pueris vitia simul cum ratione se produnt, nulloque colente ita pullulant & luxuriant, ut vix diligentissimis curis amputari, nedum radicitus extrahi queant? Cur à prima ætate homines omnes falsis bonis delectantur, & à summo bono, in quod omnium maximè naturam ferri decuit, adeò abhorremus?

De hoc verò malo quæritur, 1. quale sit. 2. cur primo Adami peccato tribuatur, & quomodo cum natura humana propagetur.

Dicit: Lapsus hominis fuit mutatio finis ultimi humanarum actionum. A Deo, summo suo bono & fine ultimo, ad creaturas, præsertim sensibiles conversus est, ut in iis felicitatem suam quæreret. Ita ultimo fine mutato, quidquid in homine morale erat, necesse fuit mutari. Ergo secuta est lapsum universalis omnium facultatum moralium depravatio: Mentis ignorantia; voluntatis aversio à Deo, & conversio ad creaturas sensibiles; Appetitus illicita evagatio; ἀταξία inter facultates. Ita totus animalis & carnalis homo factus est.

Hæc universalis omnium facultatum moralium depravatio utique affecit facultatem generandi. Hæc circa semen & generationem, non amplius tanquam circa medium, certis limitibus circumscriptum, sed tanquam circa partem potissimam summi sui boni versari cœpit, semenque elaborare congruenter, ut naturæ, sic depravationi generantis; ipsâ etiam phantasia, & appetitu, semen humanum insensibili quadam ratione foventibus & fermentantibus.

Modus propagationis hujus mali non adeo facile explicatur ob *originem animæ.*

Illa si è *traduce* est, actum est de ejus immortalitate. Si à Deo creatur, aut pura creatur, aut non pura. Certè Deus purissimus videtur non nisi puram creare posse. Unde igitur illius corruptio? à corpore? sed materia non potest afficere id, quod materiæ expers est. quod à sola materia proficiscitur, non potest formaliter esse peccatum. Et cur Deus animam puram in corpus impurum infudit? Vir prudens non infundit vinum in fœtentem utrem.

An *culpa* Adami eo ipso, quo infusa anima filius existit Adami, ei *imputatur*, ob eamque tum justitia originali privatur, tum deseritur à Deo? Obstare præter supra allata videtur.

tur. 1. Ista culpa imputaretur innocenti, antequam ullum in eo esset peccatum; imò ita, ut esset causa primi peccati inhærentis. quod cum justitia Dei non convenit. 2. Sic privatio justitiæ originalis foret pœna peccati Adami. Atqui est ipsissimum peccatum Adami. Neque ergo in nobis pœna est, quæ in Adamo pœna non fuit. Nec Christus passus est ejusmodi pœnam, qui tamen omne genus pœnæ nobis à Judice infligendæ pro nobis pati voluit. Ad hæc si est pœna peccati Adami nobis debita, æquum est & justum & legi Dei consentaneum, eam nobis inesse. Quî igitur peccatum esse dicitur?

Quid igitur dicendum est? Certum est, 1. animam humanam esse immortalem. 2. Deum non esse peccati auctorem. 3. nos nasci ab Adamo peccato contaminatos. Etiam certum est, eam esse animæ originem, cui cum illis pulchrè conveniat. Conciliandi verò ratio non est in promtu. Traducem & immortalitatem (quam etiam ipsa hæc nostra corpora, è quatuor elementis composita, aliquando induent) forsan haut difficilius est conciliare, quàm hæc duo; Animam esse immaterialem, & tamen informare materiam, & cum ea viventis corporis speciem unam & essentiam componere.

Sed præstat aliam inire viam.

Uniuntur materia & forma, corpus & anima mutuo appetitu, quo illud informari, hæc informare essentialiter appetit. Corporis appetitum qualitates & dispositiones à generante introductæ determinant & circumscribunt. Introducitur autem à generante in corpus dispositio quædam vitiosa. Hâc dispositione corpus non agit propriè loquendo in animam, sed determinatur ad appetendam animam, quæ sibi pravitate respondeat. Hinc fit, ut anima corpori infusa, dum sese illi suo appetitu tradit, facultates suas ad illius appetitum accommodet, ac secundum illius veluti obliquitatem incurvet.

Et licet ita nascatur à materia hoc malum, tamen id peccatum est. Vitium enim originale ita est à corpore, ut in ipsis animæ facultatibus hæreat. Perversa verò facultatum moralium circa finem affectio, est malum morale, & planè lethale. Est habitualis quædam adversus Deum inimicitia: potest dici *voluntaria*; est enim ipsius voluntatis obliquitas, minimè congruens cum naturali norma rectitudinis. Est ergo peccatum, actu non secundo, sed primo.

Ergo ut vitium istud, nec à natura animæ per se, nec à Deo creante & infundente proficiscitur; (eadem enim anima, si eodem modo crearetur, & corpori non vitiato infunderetur, non foret vitiosa.) sic animam creando & infundendo, Deus nil contra suam sapientiam & bonitatem facit. Creationis verò animæ finis est, non solius animæ, sed generis humani conservatio. Sic corpus est propter animam, ut anima etiam aliquando sit propter corpus, & utrumque propter compositum, quod multo plura potest, quam vel sola anima, vel solum corpus. Illius autem ordinis conservatio à divina est benedictione, & μακροθυμία & χρηστότητι. Bonum fuisset quibusdam hominibus, non nasci; nulla tamen Dei, sed suâ, & parentum culpa. At bonum tamen fuit absolutè, genus humanum conservari. Hactenus Placeus.

Socinus capite IV. Prælectionum rogat, *An sit, & qualis sit peccatum originis?* Dicit: Præcipuæ *peccati* significationes, & quæ ad propositam quæstionem pertinere possunt, sunt duæ. Aut enim *culpam* significat, aut *pœnam*. Igitur quærere, *An sit peccatum originis?* est idem, ac si quæreretur, *Utrum homines, cum nascuntur*, eo quod ab Adamo originem ducunt, propter ipsius Adami lapsum, *culpam aliquam aut pœnam contrahant, vel alicui culpæ aut pœnæ obnoxii sint?* Jam vero ita dicit. *Ad culpam constituendam* propriè voluntas

Inde est, quod peccatum & negativè & affirmativè enunciatur à Scriptura; & efficacia illi tribuitur sanctitati & justitiæ adversa. Rom. 8: 7. Gal. 5: 17.

Thomas quæst. 3. de malo, art. 1. *Non est simplex privatio, ut cœcitas, sed retinet aliquid de eo, quod privatur, ut morbus.*

Ab Adamo in posteros peccatum verè sic dictum derivari, patet 1. è locis Scripturæ. Genes. 6: 5. *Omne figmentum* &c. confer Genes. 8: 21. Job. 14: 4. *Quis dabit mundum ex immundo?* Psal. 51: 7. *In iniquitate conceptus sum* &c. Joh. 3: 6. *Quicquid ex carne natum est, caro est.* Rom. 5: 12. Ephes. 2: 5. *Et eramus natura filii iræ, ὡς καὶ οἱ λοιποί.* 2. è circumcisione & baptismo, infantibus administrato, utroque sigillo justitiæ & remissionis peccatorum, non certè actualium in illos; actualiter enim nondum peccarant: ergo *originalis.* 3. è communi omnibus *morte*, quæ est *peccati* stipendium; incumbente etiam iis, qui non peccarunt in *similitudine transgressionis Adami*, Rom. 5: 14. 4. è redemtione, & regeneratione. Qui nascuntur sine peccato, non egent redemtionis pretio; nec spirituali regeneratione, quos carnalis non infecit generatio. Atqui utroque egent *infantes.* 5. è generatione. *Omne genitum* gignenti est simile. Gen. 5: 3. Corruptus gignit corruptum, leprosus leprosum. 6. ex antiquitatis consensu. Fulgentius de fide ad Petrum, *firmissimè*, docet, *credendum & nullatenus dubitandum, omnem hominem, qui per concubitum mulieris & viri concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subjectum, & iræ filium.* Augustinus idem probavit contra Julianum, prolatis Irenæi, Cypriani, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Ambrosii, Hieronymi &c. sententiis. Idem probant Concilia contra Pelagium & Semi-Pelagianos congregata, Palæstinum, Milevitanum, Carthaginiense, Toletanum, Arausicanum.

Illo peccato inquinati sunt omnes omninò homines; etiam *Maria.* Nata enim est ex concubitu maris & fœminæ; agnoscit Deum *suum Servatorem.* Luc. 1: 47. Ex lege purificationis suæ dies implet, & sistit se purgandam. Luc. 2: 22.

Christus solus à peccato originali, imputato & inhærente, immunis. Quomodo ergo fuit, & non fuit in Adamo? Resp. Fuit in Adamo *physicè*, secundùm originem carnis suæ. Act. 17: 26. Luc. 3: 23. 38. è lumbis Adami omnes majores Christi prodierunt. Non fuit in illo *moraliter*, & fœderaliter. Ideo quia non fuit in Adamo, nec quicquam illi cum eodem fuit commune, tanquam confœderato membro & participi fœderis Adamici, nec consideratus aut reputatus fuit in illo, tanquam capite & radice fœderis, ideo nec imputari Christo debuit aut potuit reatus peccati Adami, neque adeo in illum pœnaliter traduci potuit naturæ pravitas.

Propagatio peccati Adamici est, qua tota posteritas, naturaliter ab Adamo descendens, particeps fit ejusdem conditionis cum ipso. Job. 14: 4. Psalm. 51: 7. Rom. 5: 14. Ephes. 2: ℣. 3. Et hoc *justa* Dei *ordinatione.* Illius æquitas apparet aliquo modo inter homines; idque

1. Jure naturali, quo innatæ qualitates à generante in genitum derivantur. Genitum simile est generanti. Morbi parentum cephalici, arthritici, nephritici, hæreditarii censentur.

2. Jure hæreditario, quo onera parentum in filios transferuntur. Partim jura, partim onera parentum transeunt in hæredes, forensi ratione.

3. Jure talionis, quo boni rejectio & mali perpessio æqualiter extenduntur.

Propagatio hæc constat 1. *imputatione.* Idem singularis actus inobedientiæ, qui fuit Adami, fit etiam noster. 2. *reali communicatione.* Non idem singulare peccatum, sed idem genere, vel similis planè rationis ac naturæ, in nos derivatur.

Pec-

Peccatum originale, qum sit formaliter *privatio* justitiæ originalis; & hæc privatio sequatur peccatum primum, tanquam *pœna*, hinc naturâ prius *pœnæ* habet rationem, quam *peccati*. Prout à justitia Dei denegatur originalis ea justitia, eatenus est *pœna*: prout nobis debet inesse, & humanâ culpâ deest, eatenus est *peccatum*.

Traducitur ergo hæc privatio ab Adamo per modum *meriti*, quatenus est *pœna*; & per modum *efficientiæ realis*, quatenus habet *peccati rationem* adjunctam. Ex eo enim, quod quis nascitur filius Adami, dignus efficitur, ut *justitiâ* non donetur. Illam cum debet habere, & non habet, illa carentia est ipsi *peccatum*.

Deus concurrit justa & efficaci suâ providentiâ. 1. efficienter procurat propagationem hominum, tanquam *causa prima*, quoad productionem *compositi*; & tanquam *causa sola*, quoad immediatam creationem & infusionem animæ; sine qua propagatione nulla esset propagatio peccati. 2. efficienter procurat & producit, tum tanquam causa prima, tum tanquam causa sola, *substratum* hujus peccati, cui inhæret & adhæret, facultates scilicet & vires naturales humanas. Omne enim malum fundatur in bono. 3. permittit, ut omne peccatum, sic & originale. 4. non suppeditat, (quod fecit in prima creatione) donum imaginis suæ, sine quo tamen non potest evitari peccatum originale. Hic postremus actus Dei, seu potius cessatio ab actu, est opus justitiæ punientis, propter reatum primi peccati omnibus communem. Ita peccatum originale per extrinsecam denominationem vocatur *pœna*, quamvis intrinsecè, & sua natura sit *peccatum*.

Modus propagationis variè à variis traditur. Ita verò dicitur non incommodè. Spoliavit persona naturam dono justitiæ in Adamo, & natura Adami egens facta ad omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices & injustas facit; atque ita personale peccatum Adami intrat in omnes, qui de illo secundùm naturam personaliter propagantur.

Ordine naturæ fit, ut è semine & radice vitiosa fructus putres & vitiosi nascantur. E sulphureo fonte rivus oritur sulphureus; ex massa acida panes acidi accipiuntur; ex ovo serpentis serpentes gignuntur.

Haut necesse est, ad propagationem illam, Animam ab Adamo per traducem derivari, vel à corpore tanquam vase corrupto vitiari, ut pomum, aut flos inficitur tetro odore ejus corporis, quo continetur. Sed sufficit, si homo, cujus pars est anima, fit ab Adamo: quod verum est, etsi anima non sit de substantia parentis. Homo verè & propriè dicitur hominem generare, quia generatio terminatur ad productionem compositi. Et licet anima rationalis non educatur de potentia in actum, virtute generationis, propagatur tamen corpus illi proportionatum, ex quorum unione resultat humana natura. Propter quod dicitur humana natura cum semine propagari, non per effectivam productionem animæ, sed per convenientem & proportionatam materiæ dispositionem, ad quam ita dispositam infallibiliter anima consequitur.

Videamus verò distinctius 1. sitne aliquod peccatum originale? 2. quid sit? 3. quas habeat proprietates, & quomodo per successionem traducatur in posteros, quoque modo remittatur?

De primo. Negarunt hoc peccatum olim Pelagiani, hodie negant Anabaptistæ suis rationibus. 1. Lapsus Adami satis in eo fuit punitus. Nec Deus illud potest ulcisci in posteris, qui dixit Nahum. 1:9. *Non surget bis* צרה. & Ezech. 18:20. *Anima, quæ peccavit* (vertendum, *peccat*,) *morietur. Filius non feret in iniquitate patris: & pater non feret in iniquitate filii.* 2. Corpus in utero formatum, est opificium Dei, nil in illo est dignum repre-

hensione: imo potius est dignum admiratione. Anima item à Deo creatur. 3. Neque ratio propagationis mala videri potest. Nuptiæ enim Deo sunt laudatæ; & ab initio Deus jussit hominem procreare. 4. 1 Cor. 7: 14. dicitur: *Filii vestri sancti sunt.* Quomodo id, si nascantur in peccato? 5. Peccatum est dictum, factum, concupitum contra legem: est *voluntarium.* Id non cadere in infantes. 6. Rom. 5: 12. *Per unum hominem peccatum* dicitur *intrasse in mundum.* Explicant, propter imitationem & exemplum, quod posteri sequuti sunt. 7. Mortem & afflictiones, quæ pro iudiciis solent adferri; quibus originalis culpa confirmatur, dicunt ex naturalibus causis existere; nimirum ex elementorum & humorum temperatura. 8. Absurdissimum esse, peccatum aliquod statuere, quod nullo modo possit evitari. 9. Si ea ratione in Adamo dicamur peccasse, ut Hebr. 7: 9. Levi dicitur *decimatus per Abraam*, ἔτι ἐν τῇ ὀσφύϊ τοῦ πατρὸς ὤν: nos pari ratione posse dici fuisse in lumbis aliorum nostrorum majorum, à quibus descendimus per procreationem. Atque ita non magis Adami, quàm avorum, atavorum, tritavorum, & omnium majorum nostrorum peccatum in nos dimanasse. Et ita infelicissimam fore illorum conditionem, qui ultimis temporibus nasciturі sunt. Illos enim portaturos esse iniquitatem omnium suorum majorum.

Hæc illi, ut doceant, nullum esse peccatum originis.

Pelagiani ergo statuerunt, Peccatum Adami non dimanasse in posteros, nisi tantùm per imitationem. Augustinus contra illos ostendit, peccatum originis non tantùm esse imitationem peccati Adami. 1. Si per imitationem peccatum primum tantùm propagatum est, jam id non fluxit ab Adamo, sed à Diabolo, qui primus peccandi formam & exemplum dedit: unde & Joh. 8: 41. 44. Christus dicit, Judæos, gloriantes, se esse è patre Abraam, potius esse *Diaboli filios, quod opera ejus faciunt.* 2. Confutatur hæc opinio ex eo, quod Paulus antithesin facit inter Christum & Adamum. At Christi justitia non imitanda tantùm nobis proponitur, sed etiam, ut qui in eum credunt, animo mutentur, spiritu corrigantur, & omnibus viribus emendentur. Sequitur ergo ex ratione ἀντιθέσεως, ut præter malum exemplum, quod Adamus exhibuit posteris, naturam etiam illorum depravaverit, & tabe quadam tabificaverit. 3. Ipsi etiam infantes moriuntur; qui tamen peccatum non imitati sunt. 4. Baptismus, qui datur puerulis, non potest in eis delere peccatum imitationis. Ergo in illis aliud genus peccati statuere necesse, ni eos velimus frustra baptizari.

Magister Sentent. 2. dist. 30. dicit, fuisse, qui putarunt, *Originale peccatum* esse *tantùm reatum*, aut *noxam*, aut *obligationem, ad quam obstricti sumus propter peccatum Adami*: non verò illos agnoscere, in illis, qui nascuntur, vere ac re ipsa *culpam*, aut *peccatum*; sed tantùm noxam quandam, atque obligationem, ut moriantur, & damnentur propter peccatum Adami.

Pighius peccatum Originale negavit verè peccatum esse, quod neque transgressio legis sit, nec voluntarium. Igitur illud statuit nil aliud esse, quàm *peccatum Adami*, propter quod nos ejus posteri facti sumus obnoxii damnationi. Mortem, afflictiones hujus vitæ, cupiditates carnis &c. esse ex principiis naturæ; nec *peccata* esse, sed Dei opera; Deum esse auctorem naturæ; consequi ista humores & temperaturam corporis. Negat nos habere in nobis aliquod vitium, aut culpam, aut depravationem.

Eos, qui moriuntur, hoc tantùm *Adami* vitio obnoxii, non esse afficiendos pœnâ sensus in altera vita. Id probat duplici ratione, 1. quod illi nil mali admiserint, nec ulla se pravitate contaminarint. 2. quod *in hac vita* nulla requiratur pœnitentia, aut contritio

pro

pro peccato originali. Hanc enim esse veram & propriam *peccati* rationem, 1. ut sit dictum, factum, concupitum contra Legem. 2. ut sit voluntarium, quod non obtrudatur invitis, sed evitari possit. Hæc verò, quum in parvulis locum non habeant, peccatum in illis esse non posse.

Magister Sententiarum, ut attigit hanc sententiam, ita & explosit. Unde liquet, hanc sententiam jam fuisse ante *Pighium.*

Pighius, ut figmentum suum coloret, adducit simile (Hoc simile usurpatum est ab Ægidio Romano Theologo Scholastico. Hic verò agnoscit naturæ vitium, & innatam pravitatem) de munifico aliquo Principe, qui servum aliquem suum 1. manumittit, 2. principatu donat, 3. opibus cumulat, quæ etiam ad posteros sint rediture. Id autem illi tantùm præcipit, ut certa quædam mandata obeat; quæ si transgrediatur, ereptum sibi iri omnes opes, & se ad pristinam rediturum servitutem. Hic servus violat mandata Principis. Ita rursum fit servus, & liberos procreat ad servitutem. Illos liberos non habere, quod querantur de severitate Principis, sed potius illi gratias debere pro liberalitate in parentem. De patre verò posse illos dolere, quod illa ornamenta, & sibi ipsi, & suis posteris perdiderit.

Imò si tanta fuerit Principis liberalitas, ut posteros ingrati servi, ad eadem illa, & majora invitet beneficia, ut filium suum ad eos provocandos mitteret?

Sic, inquit, se habet res nostra. Adamus creatus fuit, ut esset capax supernaturalis felicitatis; contemsit Dei mandata; spoliatus est illis dotibus supernaturalibus; & pristinæ conditioni naturæ suæ relictus. In ea conditione nos procreari, & ita propter ejus peccatum condemnari & mori, multa patientes incommoda, quæ à principiis naturæ nostræ derivantur. De *Adamo* ergo posse nos conqueri, non de *Deo*: præsertim cum nos ad se per Filium suum revocet; eumque ad salutem nostram in mortem tradidit.

Sed contra hanc sententiam facit, *infantes mori.* Mors nil juris habet, ubi peccatum non est. confer Rom. 5: 14. *regnavit mors ab Adamo, usque ad Mosen.*

Negat Pighius consequentiam. *Mortui sunt; ergo peccatum habuerunt.* Nam, inquit, mors illis contigit propter Adamum, ob cujus peccatum redditi sunt mortales.

Sed clarè Paulus *vitium* in natura confitetur; dicit enim *peccatum in se habitare*; *legem membrorum trahere se captivum.* Dicit Pighius; ista esse ex principiis naturæ. Resp. Hæc ex principiis sunt non integræ certè, sed corruptæ & vitiatæ naturæ. Dicit; illa propriè non esse peccata. Sic *frigus* dici *pigrum*, quod homines reddat pigros. Ita illa dici *peccata*, quod incitent ad peccatum. Aut prout Scriptura dicitur *manus*, quod manu sit confecta; & loquela appellatur *lingua*, quod ejus opera proferatur: ita hæc posse appellari peccata, quod profecta fuerint à peccato. Augustinus sic interdum loquitur; id tamen de illis defectibus & vitiis intelligi voluit, quæ insunt in homine post Baptismum. Ante Baptismum verò omninò ait ea esse peccata. Ita & *natura* peccati eis convenit. Peccatum enim pertinet ad omnia, quæcunque legi Dei adversantur. Atqui iniquum est, quod *caro* contra *spiritum* luctatur, & quod animus non vult acquiescere verbo Dei; *Peccatum* sanè est & dici debet, quod nos ad transgrediendum & ad rebellandum Deo stimulat.

Testimonium Eph. 2: 3. *Eramus naturâ filii iræ*, ita torquet Pighius. Naturâ filios iræ esse dicit nil aliud esse, quam esse filios iræ, videlicet, sorte quadam nascendi, quod sic edamur in lucem. Ita nonnullos dici *naturâ servos*, quia scilicet ea conditione sunt nati, ut serviant. Resp. Qui dicuntur natura servi, naturâ etiam aliquid in se habent, quod aptum sit ad servitutem. Secundùm enim Aristotelem in Politicis, *natura servi* sunt, qui corporis viribus excellunt

cellunt ratione autem hebetes & tardi sunt. Igitur magis sunt idonei, qui serviant, quàm qui imperent, & liberè vivant. *Ira* Dei non nisi justè provocatur. Oportet in natura nostra esse aliquid pravi, ad quod ulciscendum ira divina excitetur. Apostolus ipse declarat, quare nos *naturâ filios iræ* dicat, scilicet quod natura proni videamur ad iram Dei excitandam, & ambulemus secundùm seculum hujus mundi; quod in nobis Diabolus efficax sit propter *ἀπείθειαν*, quodque faciamus voluntatem carnis & mentis nostræ. Hæc sunt, quæ nos efficiunt naturâ filios iræ.

Quomodo negari potest vitium in natura, quum debeamus regenerari? Nisi pravi essemus facti, quid opus esset, ut refingeremur?

Paulus Rom. 5: 19. *Per inobedientiam unius hominis ἁμαρτωλοὶ constituti sunt multi.* Ergo in illis, qui nascuntur ex Adamo, est vitium, propter quod *peccatores* dici possint.

Pighius: *Peccatores* dicuntur ob reatum, etsi actio peccandi præterierit, nec amplius exstet. Resp. Sed in Sacris nullibi appellatur quis *Peccator*, quin aut in se ipso vitium habeat, aut certè antea admiserit: nisi velis dicere, Deum homines reos facere, absque ipsorum aliquo peccato.

Ad locum Genes. 8: 21. *Figmentum humani cordis malum est ab ipsa usque pueritia*; comminiscitur Pighius, *figmentum hoc* dici *malum ex misericordia.* Deus sic excusare homines vult & testari, se nolle amplius terram aquis evertere, quod homines ita facti essent, & cogitationes illorum jam ad malum ab ipsa pueritia tenderent. Resp. Sed alius loci hujus sensus est. Voluit Deus inire fœdus cum Noacho, de non adhuc perdendo mundo per diluvii aquas; quamvis alioqui homines tales essent, ut id mererentur, & figmentum cordis illorum jam inde à pueritia malum esset. Ita humana natura à vitio non excusatur, sed potius eam vitiosam esse & corruptam notatur, cui tamen Deus pro sua misericordia velit parcere.

Negat Pighius, infantes afficiendos pœnâ sensus, quia nulla voluntate prava in hac vita se contaminarunt. Resp. Satis est, ingenium pravum habuisse. Proni erant ad peccandum. Catulus lupi interficitur; qui tamen posset se excusare, quod nondum nocuerit gregi: justè tamen occiditur; quia habet ingenium lupinum, & ista facturus sit, si diutius vivat.

Dicit: Pro peccato originis dolor & contritio non requiritur. Resp. Atqui sancti graviter ingemuerunt, quod hoc vitio opprimerentur. David Psalm. 51: 7. *In iniquitatibus* &c. Paulus Rom. 7: 24. *Miser ego homo* &c.

Simile à Pighio adductum supra quod attinet, apparet error Pighii. Fingit sibi hominem, qui naturam ab initio habuerit corruptionibus obnoxiam, & servituti affectionum irrationabilium obstrictam: quod non est verum. Factus enim est à Deo integer, non ut esset instar bruti. Cupiditates quidem habuit ad suavia & conservantia, non tamen, quæ illum incitarent contra verbum Dei & rectam rationem; datumque illi corpus est, quod posset æternum durare. Itaque cum peccaret, non incidit in pristinam conditionem, sed novam ac recentem infelicitatem ipse sibi accersivit.

Augustinus in libr. de Peccatorum meritis & Remissione docet, cupiditatem seu concupiscentiam inspersam carni & membris esse peccatum Originale.

Id illum Scholastici ajunt sensisse, non tantùm de concupiscentia crassiorum partium animi, sed etiam de pravitate voluntatis. Certè statuit Augustinus, ex pravitate affectionum & occœcari mentem, & corrumpi voluntatem. Hæc cum vitia inter se conjuncta sint, una

voce

voce ea omnia complecti voluit. Usus autem est nomine *concupiscentiæ*, quod in ea magis appareat & eluceat vis hujus morbi.

Hugo de Sacramentis scribit, peccatum Originis esse, quod trahimus à nativitate per ignorationem in mentem, & per concupiscentiam in carnem.

Christus cum ait, qui velint servari, debere *regenerari* Joh. 3; 3. non tantùm de carne intellexit, aut de parte animi concupiscente. Rationem enim nostram & voluntatem imprimis renasci oportet. Dein sequitur affectuum & corporis regeneratio.

Augustinus per *concupiscentiam* non intellexit *actionem* cupiendi, sed habilitatem, pronitatem, & ingenium proclive ad malefaciendum. Hæc vitia in pueris non statim agnoscuntur, sed per ætatem se produnt. Per similia declarari id potest. In profundis tenebris inter videntem & cœcum nil est discriminis. Sed cum lumen adest, aut dies, statim deprehenditur cœci vitium. Lupus, antequam adolescat, ingenium suum & rapacitatem non declarat. Scorpius non semper pungit; semper tamen gerit stimulum, quo pungat. Serpens, dum per hyemem torpet frigore, tuto tractatur; non quod venenum non habeat, sed quod illud effundere non possit.

Istam concupiscentiam per *generationem* duci ait, quod omnes in Adamo peccaverimus, in quo universum humanum genus, tanquam in *massa* fuerit; quia in eo natura corrupta est propter peccatum, nos eam inde non posse haurire nisi vitiatam. *Non enim ex spinis uvæ colliguntur, nec ex tribulis ficus.* Marc. 7: 16.

Inprimis verò existimat, istam concupiscentiam in posteros traduci *per fervorem libidinis*, qui accidit in procreatione. Scholastici verò nonnulli judicarunt, quamvis nulla pravitas concupiscentiæ in parentum commistione accideret, prolem tamen originali peccato non carituram; quod illud in primo homine, tanquam in seminali ratione fuerit.

Istam *concupiscentiam*, quam Augustinus peccatum originale statuit, arbitratur posse dici *voluntariam*, quòd peccatum admissum à primis parentibus fuerit voluntarium. In nobis autem non posse dici *voluntariam*, quòd eam nostrâ electione haut susceperimus; nisi forte, quod nobis non sit indita *violenter*.

Hæc cupiditas, quamvis necessitate quadam nascendi accidat, non optione, tamen habet *culpæ* & *peccati* rationem. *Iniquitas* enim omnis peccatum est. Atqui iniquum est, ut corpus ad honesta non obediat animo, ut cupiditates adversentur menti, illique velint dominari, & ratio Deum aversetur, & à mandatis ejus abhorreat. Hæc cum iniqua sint, sive volentibus, sive necessariò eveniant, peccata certè sunt.

Pelagiani duo imprimis objiciebant Augustino, arguta satis & difficilia.

1. Qui fieri possit, ut Deus qui pro suâ bonitate, nostra ipsorum peccata remittat, velit imputare aliena. Resp. Deum summè bonum esse, neque quod isti assumunt, in culpa originis, imputare nobis peccatum alienum, sed nostram ipsorum iniquitatem, quæ nostræ naturæ adhæret jam inde ab ipsa origine.

2. Si Adamus per peccatum originis damnat imprudentes & invitos, cur non etiam Christus, ne aliqua in parte cedat Adamo, servat incredulos? Resp. Christum etiam servare nolentes. Non enim eum exspectare, ut velint, sed ad peccatores, & nolentes & resistentes ultro accedere. Multos etiam parvulos eum ad felicitatem perducere, qui adhuc non credant, nec per ætatem, fidem qua credant, habere possint.

Certè mors & ingens cumulus calamitatum non infligerentur à Deo filiis Adami, nisi esset in ipsis aliquid peccati, quod puniretur.

Nonnulli ex Ethnicis Philosophis mirati sunt, quomodo in tam præstanti natura, ut est

 huma-

humana, tanta pravitas, & φιλαυτία, & voluptatum cupiditas inesse possit. Ita illi hæc mala agnoverunt, ut pueris etiam castigatione & disciplina maximè opus esse judicarint, & ad hanc ingenitam malitiam corrigendam labores & exercitia; & alia multa dura graviaque subeunda suaserint. Sed causam & fontem horum malorum non viderunt. Ea enim tantùm ex verbo Dei videri potest.

Istam cupiditatem, quam Augustinus *Concupiscentiam* vocat, Pighius dicit *opus esse naturæ & Dei*, neque adeò videri posse peccatum. Sed facilis est responsio. Non proficiscitur ea à principiis naturæ à Deo in prima creatione institutæ, sed corruptæ & depravatæ.

Julianus Pelagianus etiam ut Pighius *concupiscentiam* commendabat ut insigne opus Dei. ideo illum Augustinus appellabat *impudicum concupiscentiæ laudatorem.*

Augustinus dicebat concupiscentiam ante Baptismum esse peccatum; post, non. Nec malè. In regeneratione magna fit mutatio. accedit remedium Christi; applicatur ejus justitia; tollitur reatus. Deus non imputat eam concupiscentiam, quæ post regenerationem manet. Spiritus nobis datur; is concupiscentiæ vim infringit, ut quamvis in nobis hæreat, non tamen dominetur. Rom. 6: 12.

Neque enim putavit Augustinus, concupiscentiam, quæ manet post Baptismum, omninò non esse peccatum; imprimis verò, si sola per se ipsam consideretur. Nam disertè eam naturâ suâ peccatum dicit, quod sit *inobedientia*, contra quam nobis perpetuo sit reluctandum. Ergo quum eam peccatum esse negat, id 1. intelligendum est, quod ad reatum attinet. is enim in regeneratione tollitur. Ita enim fit, ut Deus eam, quamvis reipsa peccatum sit, tamen ad peccatum non imputet. 2. confert concupiscentiam cum illis peccatis, quæ dicuntur *actualia*. ex quorum collatione dici potest, non esse peccatum. nam ab illorum gravitate longè abest.

Causa denique, cur peccatum Originis Augustinus appellet *concupiscentiam*, est, quod per crassiores animi & carnis cupiditates vitium Originale maximè se declaret.

Alia est opinio eorum, qui dicunt, peccatum Originis esse *carentiam justitiæ originalis.* Ita Anshelmus, multique Scholasticorum. Justitiam verò originalem dicunt rectam hominis constitutionem, cum corpus animo, & partes animi inferiores superioribus parent; mens autem Deo & Legi ejus subjicitur. Hujus justi carentiam volunt esse peccatum Originis.

Dicunt, non quemvis defectum *malum* esse. Lapis caret justitiâ. non tamen propterea dicitur injustus aut malus. Sed cum res idonea & apta fuerit, ut habeat id, quo destituitur, tum hujusmodi defectus dicitur *malus.*

1. Dicit Pighius, non esse peccatum, si quis non servet donum, quod acceperit. Fieri potest, ut qui natus sit integra valetudine & recto corpore, incidat in morbum, aut aliquo membro mutilus efficiatur. Hos defectus quis culpas aut peccata dicet? Sed non convenit hoc simile proposito. Morbus, aut mutilatio corporis ad legem Dei vel observandam, vel violandam nil facit. Carentia verò originalis justitiæ secum necessariò affert violationem Legis Dei.

Qui carent justitia Originali, non amplius Deum & cœlestia intuentur, sed ad terrena & carnalia perpetuo incurvantur, & concupiscendi necessitati subjiciuntur.

Non homini actiones ereptæ sunt, sed ablata est facultas bene illis utendi. Ita usu venit in paralyticis. movent illi quidem manum, sed quia oblæsa est vis, qua motum illum possint regere, deformiter eam & imbecilliter movent. Ita cum desit justitia originalis, principium corruptum est, quo opera nostra oportuit rectè ordinari & perfici.

Privationes hæ non sunt instar negationum, quæ totum auferunt; ut quum dicimus, Centaurum, aut Scyllam non esse. Sed ejusmodi sunt, ut relinquant subjectum mancum, inutile, deforme; ut apparet in oculo destituto visu, & in manu paralytici tremula. Relictæ sunt animi vires & actiones, sed sua rectitudine destitutæ, ideoque pravæ & corruptæ. Peccatum originis non solum est hæc privatio, sed & comprehendit positiva, ut propensionem ad malum, naturæ impetum contra verbum Dei, &c.

Pighius dicet, carere hoc dono, non posse in parvulis peccatum esse. Nullo enim debito aut nexu tenentur habere. Proferant, inquit, secus sentientes *legem* aliquam, quâ nascentes constringamur. Resp. Tres proferimus leges. 1. Prima est hominis institutio. *Fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Quare tales nos esse oportet. Deus enim id in natura nostra jure requirit, quod fecit. Imago verò Dei in eo potissimum sita est, ut ornati simus justitia, sanctitate, bonitate, sapientia. Non enim illa tantum constat intelligentia, memoria, voluntate. Benè Tertullianus contra Marcionem, eam ait esse *imaginem Dei, quæ motus & sensus eosdem habeat cum Deo.* Ita habemus legem vel ab institutione, vel à restitutione hominis, quam Paulus præcipit, atque hoc nexu obstringimur originalem justitiam habere, quam amisimus. 2. *Lex naturæ* justitiam originalem exigit. Illi legi convenienter vivere est præcipuus hominis & extremus finis. Hæc lex pendet ab illa altera, quam posuimus. Non enim aliunde fit, ut cogitationes in animo se mutuò accusantes & defendentes habeamus, nisi illæ sumantur à dignitate naturæ, ut à Deo fuit instituta. 3. Est etiam tertia lex, quam *scriptam* dicimus. *Non concupisces.* Etiam hoc præcepto damnatur carentia justitiæ originalis. Non enim id tantum detorquendum est ad actualia peccata, sed ut est Rom. 7: 9. illud etiam spectat ad peccatum Originis, & Deus eo mandato voluit præcisum hominibus prorsus omne genus pravæ concupiscentiæ.

Hæ leges perpetuo nos obstringent, & debitores efficient, ut in omni vita nostrâ eam justitiam præstemus, quam ipsæ requirunt.

Leges istæ ab infantibus non sentiuntur, eoque in illis peccatum jacet sopitum. Ita Paulus. *Vivebam sine lege aliquando.* Per ætatem in pueritia non sentiebat legem.

Frustra clamat Pighius, Legem non debere poni de illis, quæ non possint evitari. Atqui & lex peccatoribus omnibus *impossibilia*, & tamen juste præcipit. Augustinus contra Julianum libr. 1. taxat Pelagianos jactantes, *Deum non præcipere, quæ fieri non possint.* Ipse Augustinus in libris Confessionum memorat etiam ea peccata, quæ pueri adhuc lactantes admittunt, quibus tamen nemo dixerit eos potuisse *resistere.*

Non excusat, quod peccata ab illis non sentiantur. Quod turpe est, natura sua turpe est, sive id ita nobis videatur, sive non. Αἰσχρὸν γὰρ τό γε αἰσχρὸν κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ.

Hæc opinio Anshelmi de defectu & carentia Originalis justitiæ ab Augustini sententia, qui peccatum originis dixit *concupiscentiam*, reipsa nil differt.

Cæterum, ut ex dictis facile apparet, carentia ista Originalis justitiæ non ita debet accipi, ac si intelligatur tantummodo *Privatio donorum Dei*, citra ullum *naturæ vitium.*

Peccatum Originis est 1. totius hominis naturæ depravatio. 2. à lapsu Adami in omnes posteros traducta per generationem. 3. omnes inde nascentes infinitis malis, & æternæ damnationi adjudicat.

Hoc peccatum modo defectus, modo pravitas, modo vitium, morbus, contagium, malitia; ab Augustino autem affecta qualitas & ἀταξία dicitur.

Totus homo est corruptus: divina non intelligit; promissa Dei impatienter exspectat;

 præ-

præcepta Dei molestè audit; pœnas & præmia contemnit; affectus habet tumultuantes, & rectæ rationi, ac legi Dei ejusque verbo petulanter insultat; corpus animo parere detrectat.

Cœcitas cordis & ignorantia est *peccatum*, nec satis hominum naturæ convenit. Vide densissimas ignorantiæ tenebras in animis parvulorum, cum adhuc in utero latent. nesciunt quare, unde, quando, sint eo contrusi. Jacet dein parvulus indoctus, indocilis, præcepti non capax, nescius ubi sit, quid sit, à quo creatus & genitus. Hæc non conveniebant naturæ hominis, ut primum creata fuit, sed sunt potius vitia naturæ. Longum in Infantibus exspectandum est tempus, quo hanc tanquam ebrietatem possint paulatim digerere. 1 Cor. 2: 14.

Hanc *ignorationem* esse vitio annumerandam docet etiam Augustodunensis Episcopus Reticius, teste Augustino libr. 1. contra Julianum: cum de Baptismo loquitur, sic scribit, *eam esse principalem indulgentiam in Ecclesia, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantia nostra facinora prisca delemus, & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus.*

Nec intellectus tantùm, sed & *voluntas* depravata est. Rom. 8:7. *Sensus* seu prudentia *carnis est inimicitia adversus Deum.* Per carnem intelligit omnes affectus hominis nondum renati. Sunt qui per *carnem* intelligi volunt tantùm *animi partem crassiorem.* Sed Paulus inter *opera carnis.* Galat. 5: 19. etiam numerat *idololatriam*: atqui illa ad mentem pertinet, non ad carnem.

Etiam *ratio* in nobis est vitiata. Induendus enim est *novus homo.* Coloss. 3: vers. 10. Homo verò constat non corpore tantùm & carnis affectibus, sed etiam mente, voluntate, ratione.

Corpus etiam à natura sua defecit & animo est rebelle, illique adversatur. Rom. 7:24. *Quis me liberabit* &c. Ibid. vers. 23. *Sentio aliam legem in membris meis.*

Totus denique *homo* depravatus est. debet enim *se ipsum abnegare.* si natura esset innocens & integra, nil opus esset eam abnegare. Bona sunt retinenda, non ablegaunda.

Thomas, Scotus, & imprimis Bonaventura in peccato originali constituunt 1. τὸ *materiale*; vitium naturæ seu concupiscentiam. 2. *Formale*; carentiam justitiæ. Ita ex opinionibus Augustini & Anshelmi unam conflarunt.

Alii τὸ *formale* dicunt esse *reatum* aut imputationem Dei. Martyr. Sed cum ea res extrinseca sit à peccato, ego in eam magis sententiam propendeo, quæ *formale* statuit esse pugnam & reluctationem adversus legem Dei.

Abeant, qui clamant, *naturam* esse *bonam.* Instituta natura bona est, non collapsa. hæc ita bona est, ut plurimum corruptelæ admixtum habeat. *Neque cupiditas* est *bona.* Rom. 7:18. *Non habitat in me bonum.* vers. 21. *Malum mihi* adjunctum est. Ideo & *concupiscentias* docet crucifigendas esse. Galat. 5:24. & ἐπιθυμία πειράζει, & τίκτει ἁμαρτίαν. Jac. 1: 14. 15. Si ita innocens & bona est natura nostra, cur à Deo tam graviter punitur? Quid inter omnia animantia est calamitosius *homine*, ejus si nativitatem, infantiam, pueritiam, educationem, disciplinam spectes? Omnia lacrymis, dolore, gemitu, laboribus plena sunt. corpore laborandum est ob victum. mens turbulentis angitur affectibus. pectus concitatur permotionibus. corpus morbis affligitur. Inde nonnulli dixerunt, Naturam non matrem esse, sed novercam. Quid quod interdum infantum & puerorum corpora & animi traduntur Diabolo vexandi, à quo modo in ignem, modo in aquam projiciuntur. Mat. 17:25. Divina ergo severitas ita agnoscit humanæ naturæ innocentiam, ut eam graviter puniat.

Plato

Plato in 2. de Republica, homines natura ait esse malos, ut qui induci non possunt, ut sua sponte justitiam colant, sed tantum ne injuriam patiantur. *Socrates* ostendit, virtutes non haberi, nisi homines, quod de Poëtis dicitur, afflentur aliquo divino numine. *Cicero*, libr. de Repub. ut citatur ab Augustino libr. 4. contra Julianum, ait, hominem à natura noverca in lucem edi, corpore nudo, fragili, & infirmo; animo anxio ad molestias, humili ad timores, debili ad labores, proclivi ad libidines, in quo divinus ignis sit obrutus, & ingenium & mens.

Cyprianus ait, *Christum vulnera sanasse, quæ Adamus apportaverat, & venena, quibus Diabolus naturam nostram infecerat.* Olympius Hispanus Episcopus ait, *vitium protoplasti ita sparsum esse in germine, ut peccatum una nascatur cum homine.* Ambrosius contra Novatianos: *Ortum nostrum esse in vitio.* Idem in Apologia David.: *Nos, antequam nascamur, maculari contagione; & ante usuram lucis accipere originis injuriam; & iniquitate concipi.* Hieronymus in Jonam Prophetam, *parvulos esse obnoxios*, ait, *peccato Adami.* Et ne arbitreris eum id tantùm de *reatu* dicere, in Ezech. cap. 18. & 41. urget, *ne puerum quidem, cujus sit unius diei vita, esse absque peccato.* Multo plura suffragia collegit Augustinus libro primo contra Julianum. Addit & Basilium Magnum, quem Pelagiani frustra voluerunt videri suarum esse partium. Is in concione *de jejunio* sic ait. *Si Eva jejunasset à ligno, nos isto jejunio non egeremus. Non enim opus habent valentes medico, sed male habentes. Ægrotavimus per illud peccatum; sanemur per pœnitentiam. Pœnitentia verò sine jejunio vanis est.* Origenes in Rom. 5. 12. docet, *Neminem esse mundum à sorde, etiamsi unius tantùm diei fuerit vita ejus.* & clarius in cap. 6. ep. ad Rom. quum *Baptismum* ait *dandum esse parvulis ex Apostolica traditione, quod Apostoli scirent esse in omnibus nativas sordes peccati, quas per aquam & Spiritum oporteret ablui.* Chrysostomus in Genesin tractans illam quæstionem, *Cur homines nunc sibi timeant à bestiis, cum creati sint illarum Domini?* ait, *id contingere propter peccatum. Et quoniam à fiducia decidimus & ab honore.* Inde Augustinus probat, *parvulorum naturam collapsam esse, quod illis bestiæ non parcant.*

Nonnulli sententiam Chrysostomi detorserunt, quum dicit, Διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καὶ τὰ ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα. ubi tamen per ἁμαρτήματα, in numero multitudinis, peccata illa intelligit, quæ *actualia* dicimus.

Addit denique Augustinus, vetustiores Patres de peccato originis non ita fusè disputasse, quod nondum nati fuissent Pelagiani, qui illud oppugnarent.

Pelagiani propagationem peccati per Adamum tantum negabant. Pighius clamat, eam sententiam impiam & blasphemam esse, & contumeliosam in Deum. Pelagianis satis fuit dicere, infantes morientes absque Baptismo esse collocandos & extra regnum cœlorum, & extra pœnas gehennæ. Pighius verò somniat, eos naturali beatitudine fore felices; & ita felices, ut Deum toto animo, toto corde, & omnibus viribus benedicant, laudent, diligant.

Non obstante vitio originis sunt nonnunquam in ipsis irregenitis præclari motus, & heroicæ virtutes, quibus frenatur vitium originis, & Respublicæ in aliquo civili ordine retinentur. Socrates noluit è carcere egredi, cum posset. Aristides, quum in exsilium pelleretur, optavit suis civibus, ne unquam ita male haberent, ut ipse illis rediret in memoriam. Phocion, quum jam jam moriturus interrogatus esset, an aliquid vellet mandare filio? Ne unquam, inquit, meæ injuriæ meminerit. Habuit Roma Curtios, Scipiones, Catones, viros civilis probitatis & rectitudinis valde amantes.

Omnia illorum officia, quamvis ut in hominibus à Deo alienis peccata essent, tamen erant fræna originalis vitii, & naturæ depravatæ, ne omnia susque deque traherentur, & leges bonæ ruerent, & naturæ lumen quodammodo extingueretur.

Matthias Flacius Illyricus Albonensis in Clavi Scripturæ, Parte Altera, peculiarem sententiam aperuit *de Peccati Originalis aut Veteris Adami appellationibus & essentia.* Distinguit hoc peccatum 1. de actualibus peccatis. 2. de peccato in genere. 3. de reatu ex primo lapsu promanante. Sumit hoc in specie *de ipsa illa nunc in homine existente & ex utero matris allatâ malitia, aut pessima re; unde omnia alia mala ubertim scatent.*

Definitionem Anshelmi, Peccatum originale est *defectus justitiæ originalis, debitæ inesse,* carpit. 1. dubium & obscurum esse, quidnam sit justitia debita inesse. 2. dimidium tantùm mali complecti. esse enim non amissionem tantùm, sed etiam acquisitionem & accessionem contrarii mali aut vitium.

Dicit: Fuimus in prima creatione quiddam valde bonum, tum in accidentibus, tum in substantia: mutati verò sumus in rem valdè malam substantiâ suâ: ut si vinum mutetur in acetum acerbum.

Pergit: Scriptura malitiam originalem dicit 1. *imaginem Diaboli*, contrariam imagini Dei, è collatione Genes. 1: 27. & 5: 3. ubi imago ipsi *essentialem* hominis *formam* notat. 2. dicit eadem, illam inhærentem malitiam esse *cogitationem cordis*, esse ipsum *figmentum cordis humani.* Genes. 6: 5. 8: 21. *cor incircumcisum.* Deut. 10: 16. *non intelligens.* Deut. 29: 4. Rom. 1: 21. *cor lapideum, adamantinum, perversum.* Jer. 17: 1.9. Ezech. 11: 19. 36: 26. Zach. 7: 12. *carnem.* Joh. 3: 61. esse *ipsammet malam arborem*, nempe hominem. Matth. 12: 33. esse *vanam mentem.* Ephes. 4: 17. 18. esse *sensum carnis.* Rom. 8. 7. quod omnes de ratione ipsa exponunt. *esse ipsam hominem animalem*, 1 Cor. 2: 14. *carnalem.* 1 Cor. 3: 1. *ipsum veterem hominem.* Ephes. 4: 22. seu totum hominem, quantus, quantus est, quatenus renatus non est.

Concludit: *Unde liquido apparet, aliquod originale peccatum, aut partem ejus, esse ipsam substantiam hominis*; non quiddam externum, aut accidentarium in ipso.

Docet, *peccatum* in hac materia notare non tantum opus, actionem, aut cogitationem; nec tantùm habitum aliquem malum: sed etiam vim ac essentiam quandam pessimam, nobiscum ex utero matris allatam. Increpat, qui putant, illam nativam malitiam esse tantùm *accidens quoddam*; quum *ipsum cor, mens rationalis, & totus animalis* seu *carnalis homo*, imo ipsa *substantia essentiave infima hominis*, *peccatum* illud sit & vocetur. Ergo præcipuum peccatum originale esse quiddam substantiale in homine.

Hominem peccantem docet utcunque retinuisse *viliorem illam materiam & massam hominis, initio conditam*, tametsi valdè vitiatam; sed *formam substantialem*, aut *substantiam formalem, deperiisse, & in contrarium esse mutatam.* Intelligit verò per illam præcipuè *ipsum cor*, & *animam rationalem.* Ita, ut cum antea homo, præsertim quod attinet ad animam rationalem, esset viventis Dei viva imago, nunc sit suâ essentiâ, in eadem summa ac nobilissima parte, vera imago Satanæ.

Hæc horrenda substantiæ formalis inversio tetrior est, inquit, ac si ex aurea imagine pulcerrimæ puellæ refusâ faceres vivam imaginis horrendæ alicujus belluæ. Illa enim hominem, ut causa formalis, facit filium & imaginem Diaboli, & dat ei illud *horrendum esse veteris Adami*: estque unicus fons omnis peccati sive actualis, sive habitualis.

Remanere quidem aliquid adhuc in homine à Deo creatum, quod propriè ac per se *bonum est*, ac peccatum dici nequit. sicut & in Diabolis adhuc aliqua præstans Dei creatura superest; tamen

tamen illud ipsum esse *veluti illam ignobiliorem materiam. Nobilissimam verò formam substantialem*, in quam homo initio fuit exædificatus, totam esse inversam in *fœdissimam statuam*; imò *larvam Cacodæmonis infernalis*. Est igitur à tunc homo *imago & larva Satanæ, peccatum*, hoc est, *tetra res*, Deo inimica & abominabilis.

Non negat, aliquam partem peccati originalis esse *accidentia*; peccatum enim ita totum hominem pervasisse, ut in toto homine, & in omnibus prædicamentis possit reperiri, ac sit fermè transcendens quoddam. Sed aliquod *peccatum* esse 1. *substantiam*, nempe ipsam carnem, veterem Adamum, cor lapideum, sensum carnis. 2. aliquod esse *accidens*, ut vanæ pessimæ inclinationes nobiscum natæ. 3. aliquod esse *habitum*, ut valdè varia vitia, consuetudine contracta. 4. aliquod esse actionem vel internam vel externam. 5. aliquod esse quietem seu actionis neglectionem, ut sunt peccata omissionis. 6. aliquod esse *passionem*, ut perterreri magis hominum injustis, quam Dei justissimis minis.

Protestatur, se, dum affirmat, aliquod originale peccatum, aut potius aliquam partem originalis peccati, esse *substantiam*, cum *Luthero* loqui, aliisque.

Ita porro ipse: Peccatum originale, radicale, seu scaturiginale, est *cor perversum, nonintelligens, cæcum, incircumcisum, lapideum*; est *animalis homo, vetus Adam*; est *corpus mortis*, & *peccati*; est *sensus carnis*; est *caro & sanguis*; est *mens cordis*; est *vana mens*; est *obtenebrata cogitatio*; est *imago Satanæ*; est denique *ipsa ratio hominis*; atrocissima illa & infensissima bestia Deo; est ipsum *servum arbitrium*, à Satana agitatum & equitatum.

Testimonia citat.

Lutherus in festo circumcisionis. *Morbus in ipsa natura hæret, totaque substantia hominis corrupta est, ut peccatum sit hominis origo ac quicquid in eo est, atque hoc peccatum illud originale*, vel potius *natura & totius hominis peccatum* est, Hoc peccatum est *peccatum substantiale*. In articulis Smalcaldicis. *Die buss lehret uns die sünd erkennen, nemblich, das mit uns allen verlohren, haut und haar nicht gut ist, und müssen schlecht newe und andre menschen werden.* Citat etiam pro se *Philippum* & *Victorinum*, & *Bucerum*.

Proponit porrò *demonstrationes aliquot*, quod *originale peccatum sit ipsa mala hominis essentia; præsertim autem anima rationalis.*

1. Originale malum est malum culpæ, Deo exosum. Atqui talis est totus carnalis homo.

2. Dicitur *originale*; quia ex utero matris oritur. Talis est totus homo, quia est origo & fons omnis mali. Talis planè est ipsa mala mens, ipsum pessimum cor.

3. Liberum arbitrium est ipsemet intellectus & voluntas hominis. Id corruptum est, nec tantùm accidens quoddam est.

4. Originale peccatum est ipsa corruptio hominis. Corruptio verò hominis quid est, nisi ipsamet corrupta natura, præsertim mala mens, & malus animus?

5. Peccatum est id quod pugnat cum Deo, & cui Deus irascitur. Totus verò animalis homo, vetus, non-renatus, sic pugnat cum Deo, præsertim verò ipsa ratio, sive rationalis anima.

6. Summus ille hostis Dei nobiscum nascens est & dicitur peccatum originale. Ratio humana est talis. Ergo est peccatum originale. & contrà peccatum originale est ipsamet humana ratio, quatenus à Satana transfigurata, & sibi assimilata est.

7. 2 Cor. 5: 21. Filius Dei dicitur *factus peccatum*, hoc est, res injusta, rea, & à Deo damnata. *Ipsemet* dicitur factus; non ejus accidentia. Ut ipse verò est *imputativè*, sic nos *reali-*

realiter sumus peccatum. Igitur ipsa natura, corruptissima persona, ac substantia cum suis accidentibus est *peccatum*, seu res exosa Deo.

8. *Caro*, vetus Adam, *animalis homo*, *imago Satanæ*, *cor pravum*, *lapideum*, &c. sunt substantia. Peccatum originale est hæc omnia. Ergo.

9. Scriptura de imagine Dei illa prima, de imagine Diaboli consecuta, & de nova imagine Dei tantùm substantialibus verbis utitur. Credamus igitur illi, ea esse ipsam hominis substantiam cum omnibus suis accidentibus: non autem sola accidentia, huic substantiæ inhærentia.

10. Cum Deus accusat & damnat originalem malitiam, non dicit, se aliquod accidens in homine damnare, sed simpliciter ipsum hominem impetit, accusat, punit, damnat; ipsum nimirum cor pessimum, & rationalem partem hominis. De toto homine simpliciter dicit, quod sit ex Patre Diabolo, quod tota hæc natura non possit intrare in vitam, quod *aboleri*, & nova condi oporteat.

11. Si peccatum sit tantùm accidens quoddam; injustus planè est Deus, quod totum hominem proptereà damnat. Cur ipsum hominem per se bonum accusat? cur non potius illud accidens? cur non id quam primùm ab homine extergit?

12. Si peccatum originale est tantùm accidens, non ipsa substantia hominis, jam ipsa hominis substantia non est corrupta, nec Deo inimica facta; sed tantùm accidentia quædam prava in homine. Substantia verò est per se bona, & bonas actiones producit.

13. Gal. 5: 17. *Caro concupiscit contra Spiritum.* Originalis verò pestis & peccatum contra Spiritum concupiscit. Quid verò sit Paulo *Caro*, liquet, cum *opera* carnis dicit *idololatriam*, &c. Quis hæc facit, nisi ipsamet prava mens, anima rationalis, appetitiva, cor, anima, affectus ciens. Certè *Caro* non est Paulo tantùm accidens quoddam hominis, sed ipsemet perversus & corruptus homo, quantus quantus est in substantia & accidentibus suis.

14. Rom. 6: 12. originale peccatum dicitur id ipsum esse, quod *dominatur & regnat in homine.* Atqui potentia in homine regnans est ipsa rationalis, sensitiva, & appetitiva anima.

15. Nihil est in homine præter corpus & animam corruptissimam. Non tertium aliquid Ergo eæ ipsæ sunt nativum illud malum, originalis illa pestis.

16. Si originalis pestis non est substantia hominis, sed accidens tantùm quoddam in homine, sequetur, hominis actiones sanas & sanctas esse. Hucusque Flacius.

Josua Placeus in Syntagmate Thesium Salmutiensium, in loco *de Statu Hominis lapsi ante Gratiam*, §. 7. ita ait; *Sit igitur malum illud necesse est*, (de originali malo loquitur) *aut ipsa actualis inobedientia Adami, qua nobis imputetur, aut vitium ex illa natum, nobisque inhærens. Prius*, inquit, *non potest colligi ex Sacris Literis, nisi hoc sensu, quod ob peccatum nobis ab origine inhærens digni sumus, qui eodem loco habeamur ac si inobedientiam illam admisissemus.*

Non ex verbis, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον. Τὸ ἐφ᾽ ᾧ non vertendum *in quo*, sed *eò quod.* Nam non aliter dici nos in Adamo peccasse, quàm fuisse aut mori.

Nec ex *Antithesi*, quam Apostolus instituit inter obedientiam Christi & inobedientiam Adami. Nam in re esse sitam similitudinem oppositionis, non in rei modo. Hanc distinctionem 1. Paulum innuere Rom. 5: 15, 16. 2. rationem docere; Non enim, inquit, Adamus ex muliere, ut Christus, tanquam vas noster personam nostram sustinebat, & pro nobis, vel loco nostro legem Dei violabat. 3. doctrinam Ecclesiarum flagitare nostrarum, ut

ut se tueri possit contra Pontificios, objicientes; sicut inobedientia Adami nos constituit reos, quia est causa peccati inhærentis; sic obedientiam Christi nos constituere justos, quia est causa inhærentis nostræ justitiæ.

Nec ex eo, quod *Levi* dicitur *decimatus in Abrahamo*, in cujus lumbis erat. Heb. 7: 9. 10. Non magis enim id inde sequi, quàm inde colligi potest, aut peccata Abraami, aut ejus fidem & bona opera eidem Levi imputata esse.

Neque *congruere* cum oraculo, *Filius iniquitatem Patris non feret.* Ferrent enim iniquitatem Adami filii ejus, etiam illi, qui non peccarunt in similitudine transgressionis ejus, & quidem ad millesimam usque generationem.

Nec *congruere cum recta ratione.*

1. Si Adami inobedientia nobis imputatur, debuisset etiam ejus obedientia imputari, si perstitisset. Debuissent imputari omnia illa peccata, quæ, dum eramus in ejus lumbis, admisit. Imò & omnium intermediorum parentum nostrorum peccata omnia, quæ dum committerent æque in illis ac in Adamo fuimus: imo mors ipsa Adami. Si peccavit, ut caput humani generis, cur non etiam puniri debuit eodem nomine? Si non tenebamur obedire illi interdicto, nisi in ejus persona, certè nec puniri. nec enim ad nos comminatio magis, quàm interdictum spectabat.

2. Qui peccavimus actu in Adamo, in quo actu nunquam fuimus? Qui voluntarius potuit esse, nostri respectu, actus, qui multò antè desiit esse, quàm incepit nostra voluntas? Fuit in Adamo natura humana, sed singularis, & divisa numero ab hac nostra. Quod si primus actus peccandi fuit actus naturæ, cur non etiam primus actus generandi? nemo tamen dixerit, nos in Adamo genuisse Cainum aut Sethum.

3. Si Adamus est sibi ipsi promeritus pœnam suo illi peccato æqualem, tantam scilicet, quantam Deus erat interminatus, an alias pœnas pro eodem illo peccato ab aliis innumeris hominibus justitiam exigere putandum est?

4. Aut *unus* fuit illius peccati reatus adæquatus, dividendus inter omnes Adami posteros: Aut *tot*, quot homines. Si prius, exigua duntaxat nobis singulis particula & peccati illius imputatur, & pœnæ debetur. Si posterius, unius peccati non est unus reatus, nec una pœna adæquata, sed innumeræ.

5. Si inobedientiæ Adami rei sumus, hoc ipso, quod ejus filii sumus, nec miraculosa parentis utriusque respectu, ut fuit Isaaci & Johannis Baptistæ, generatio; nec animæ humanæ, sine hominis operatione, divina creatio, quenquam ab ea eximat, quid de ipso Jesu dicemus? Haut enim ejus miraculosa ex Spiritu Sancto conceptio impedivit, quo minus verè filius esset Adami, ex fructu lumborum Davidis oriundus.

Secutum se dicit Placéus gravissimorum Theologorum auctoritatem, qui hanc imputationem, vel suo silentio tacitè, ut Calvin. Inst. Tilen. Thes. vel etiam apertè & disertis verbis improbarunt; Martyr in Rom. 5. Cham. Panstr. Tom. 3. cap. 7. §. 20. 21. & toto fere cap. 8.

Ita se verò sentire docet, 1. ut ne pro verbo Dei habeamus, quod non est verbum Dei. 2. ut à non-necessariis difficultatibus Religio Christiana liberetur. 3. ut peccatum Originale, quale describitur Art. 10. & 11. Confessionis Ecclesiarum Gallicarum, validius probetur.

Firmiter tamen ponit, *nos ab Adami inobedientia malum culpæ inhærens contraxisse.* quia

1. Depravatus Adam nos dicitur genuisse *ad imaginem suam* Genes. 5: 3. opposité ad

imaginem *Dei* Ephes. 4:22. 24. & *Christi.* Col. 3: vers. 10. & *vetus homo* id appellatur 1 Cor. 15.

2. Cum *caro* esset, nati sumus *caro*, regeneratione Spiritus egens, ex immundo immundi. Si cum facultatibus physicis depravatis morbisque ac morti obnoxiis, etiam cum facultatibus moralibus corruptis. Harum enim, cum sint dominæ, conditionem sequi illas convenit.

3. Si naturâ filii iræ, si transgressores ab utero, si ita pravi sumus, ut nil nisi malum cogitemus & sentiamus, si infantes olim circumcisione, nunc baptismo, omni tempore Christi redemtione indigemus, morti, etiam violentæ, in ipso utero obnoxii, quis peccati labem nos à parentibus traxisse neget? à quo autem parente primum, nisi à primo illo, cujus lapsu, & peccatores constituti, & imperio mortis mancipati dicimur.

4. Num potest designari tempus, quo nobis primùm inesse incipit, aut peccatum, aut caro Dei legi repugnans, aut vetus homo cum concupiscentiis suis, aut lex in membris cum lege Dei pugnans? Patet, Lernam illam malorum nobiscum nasci & crescere. Cur verò omnium animalium Domini, in mundum, hoc est, regnum suum ingredientis, miserrima omnium est conditio, diu in summa imbecillitate, in fletu, in sordibus jacentis? Cur generatio, & membra illi inservientia sunt ipsi homini pudenda? Cur in pueris vitia simul cum ratione se produnt, nulloque colente ita pullulant & luxuriant, ut vix diligentissimis curis amputari, nedum radicitus extrahi queant? Cur à prima ætate homines omnes falsis bonis delectantur, & à summo bono, in quod omnium maximè naturam ferri decuit, adeò abhorremus?

De hoc verò malo quæritur, 1. quale sit. 2. cur primo Adami peccato tribuatur, & quomodo cum natura humana propagetur.

Dicit: Lapsus hominis fuit mutatio finis ultimi humanarum actionum. A Deo, summo suo bono & fine ultimo, ad creaturas, præsertim sensibiles conversus est, ut in iis felicitatem suam quæreret. Ita ultimo fine mutato, quidquid in homine morale erat, necesse fuit mutari. Ergo secuta est lapsum universalis omnium facultatum moralium depravatio. Mentis ignorantia; voluntatis aversio à Deo, & conversio ad creaturas sensibiles; Appetitus illicita evagatio; *ἀταξία* inter facultates. Ita totus animalis & carnalis homo factus est.

Hæc universalis omnium facultatum moralium depravatio utique affecit facultatem generandi. Hæc circa semen & generationem, non amplius tanquam circa medium, certis limitibus circumscriptum, sed tanquam circa partem potissimam summi sui boni versari cœpit, semenque elaborare congruenter, ut naturæ, sic depravationi generantis; ipsâ etiam phantasia, & appetitu, semen humanum insensibili quadam ratione foventibus & fermentantibus.

Modus propagationis hujus mali non adeo facile explicatur ob *originem animæ.*

Illa si è *traduce* est, actum est de ejus immortalitate. Si à Deo creatur, aut pura creatur, aut non pura. Certè Deus purissimus videtur non nisi puram creare posse. Unde igitur illius corruptio? à corpore? sed materia non potest afficere id, quod materiæ expers est. quod à sola materia proficiscitur, non potest formaliter esse peccatum. Et cur Deus animam puram in corpus impurum infudit? Vir prudens non infundit vinum in fœtentem utrem.

An *culpa* Adami eo ipso, quo infusa anima filius existit Adami, ei *imputatur*, ob eamque tum justitia originali privatur, tum deseritur à Deo? Obstare præter supra allata videtur.

tur. 1. Ista culpa imputaretur innocenti, antequam ullum in eo esset peccatum; imò ita, ut esset causa primi peccati inhærentis. quod cum justitia Dei non convenit. 2. Sic privatio justitiæ originalis foret pœna peccati Adami. Atqui est ipsissimum peccatum Adami. Neque ergo in nobis pœna est, quæ in Adamo pœna non fuit. Nec Christus passus est ejusmodi pœnam, qui tamen omne genus pœnæ nobis à Judice infligendæ pro nobis pati voluit. Ad hæc si est pœna peccati Adami nobis debita, æquum est & justum & legi Dei consentaneum, eam nobis inesse. Quî igitur peccatum esse dicitur ?

Quid igitur dicendum est? Certum est, 1. animam humanam esse immortalem. 2. Deum non esse peccati auctorem. 3. nos nasci ab Adamo peccato contaminatos. Etiam certum est, eam esse animæ originem, cui cum illis pulchrè conveniat. Conciliandi verò ratio non est in promtu. Traducem & immortalitatem (quam etiam ipsa hæc nostra corpora, è quatuor elementis composita, aliquando induent) forsan haut difficilius est conciliare, quàm hæc duo; Animam esse immaterialem, & tamen informare materiam, & cum ea viventis corporis speciem unam & essentiam componere.

Sed præstat aliam inire viam.

Uniuntur materia & forma, corpus & anima mutuo appetitu, quo illud informari, hæc informare essentialiter appetit. Corporis appetitum qualitates & dispositiones à generante introductæ determinant & circumscribunt. Introducitur autem à generante in corpus dispositio quædam vitiosa. Hâc dispositione corpus non agit propriè loquendo in animam, sed determinatur ad appetendam animam, quæ sibi pravitate respondeat. Hinc fit, ut anima corpori infusa, dum sese illi suo appetitu tradit, facultates suas ad illius appetitum accommodet, ac secundum illius veluti obliquitatem incurvet.

Et licet ita nascatur à materia hoc malum, tamen id peccatum est. Vitium enim originale ita est à corpore, ut in ipsis animæ facultatibus hæreat. Perversa verò facultatum moralium circa finem affectio, est malum morale, & planè lethale. Est habitualis quædam adversus Deum inimicitia: potest dici *voluntaria*; est enim ipsius voluntatis obliquitas, minimè congruens cum naturali norma rectitudinis. Est ergo peccatum, actu non secundo, sed primo.

Ergo ut vitium istud, nec à natura animæ per se, nec à Deo creante & infundente proficiscitur; (eadem enim anima, si eodem modo crearetur, & corpori non vitiato infunderetur, non foret vitiosa.) sic animam creando & infundendo, Deus nil contra suam sapientiam & bonitatem facit. Creationis verò animæ finis est, non solius animæ, sed generis humani conservatio. Sic corpus est propter animam, ut anima etiam aliquando sit propter corpus, & utrumque propter compositum, quod multo plura potest, quam vel sola anima, vel solum corpus. Illius autem ordinis conservatio à divina est benedictione, & μακροθυμίᾳ & χρηστότητι. Bonum fuisset quibusdam hominibus, non nasci; nulla tamen Dei, sed suâ, & parentum culpa. At bonum tamen fuit absolutè, genus humanum conservari. Hactenus Placeus.

Socinus capite xv. Prælectionum rogat, *An sit, & quale sit peccatum originis?* Dicit: Præcipuæ *peccati* significationes, & quæ ad propositam quæstionem pertinere possunt, sunt duæ. Aut enim *culpam* significat, aut *pœnam*. Igitur quærere, *An sit peccatum originis?* est idem, ac si quæreretur, *Utrum homines, cum nascuntur*, eo quod ab Adamo originem ducunt, propter ipsius Adami lapsum, *culpam aliquam aut pœnam contrahant, vel alicui culpa aut pœnæ obnoxii sint?* Jam vero ita dicit. *Ad culpam constituendam* propriè voluntas

ejus, qui in culpa futurus sit, omninò requiritur. *pœna verò non potest esse sine antecedente culpa.* Ergo nullo modo videtur dici posse, in homine, dum nascitur, ullam sive culpam sive pœnam locum habere posse, cùm is propriè voluntatis tunc nullum usum habeat, nec anteà habere potuerit.

Hinc dicit, à *quibusdam duas alias Peccati significationes, extra Sacras literas excogitatas esse.* 1. ut *errorem* significet sine culpa. 2. ut *malum, ex alterius etiam culpa proficiscens.* declaret.

Si illi dicas, *peccatum originis* esse carentiam *justitiæ originalis* : respondet, justitiam originalem in primo homine non fuisse.

Si dicas, illud esse *innatam quandam cupiditatem* seu *concupiscentiam malam, & ad peccandum pronitatem*: respondet, 1. istam ad peccandum proclivitatem in omnibus prorsus hominibus esse naturaliter, non constare. 2. etiamsi de eo constaret, non propterea illud esset, quia Adamus, à quo omnes prognati sumus, divinum illud præceptum transgressus fuerit. 3. cupiditatem istam & ad peccandum pronitatem non propriè dici posse peccatum, cùm conjunctam secum hominis ipsius, in quo est, culpam non habeat.

Ad loca, quæ probant, in omnibus hominibus naturaliter concupiscentiam istam malam inveniri, respondet.

Ad Gen. 6: 5. & 8: 21. cogitationem cordis esse *malam*, &c. non ibi agi de *naturali* concupiscentia, sed de *voluntaria*. Non de *naturali*: non enim ea de, causa immisso diluvio, tam graviter Deus homines punivisse priore loco diceretur. Neque, tanquam rem aliquam novam & inexspectatam, eam Deo quodammodo accidisse Scriptura testaretur; adeò ut eam ob causam Deum indoluisse dicat & pœnituisse, quod fecisset hominem. Genes. 8: 21. dicit non legendum, *Figmentum enim humani cordis malum est ab adolescentia* : sed , *Quia figmentum humani cordis malum sit.* Cum in Hebræo nullum sit verbum , satius esse subaudire *sit*, quam *est*. Ut dicat Deus , hominis malitiam non amplius tantam vim habituram, ut ipse terram exsecretur; quam malitiam non affirmet jam esse, aut omninò futuram esse , sed si fuerit, non eam vim apud se habituram, quàm antea habuit. Si secus, ut vulgò fit, locum legamus & interpretemur, sequitur, Deum dixisse, illud idem apud se jam causam esse, ne amplius mittatur sit diluvium, quod, ut immitteret, paulo ante causa fuerat. quo nihil absurdius Deo ve indignius excogitari potest.

Ad loca è Jobo 4: 17. 18. 19. 14: 1-4. 15: 14. 15. 25: 4. 5. 6. dicit, in illis de impuritate quadam hominis sermonem esse, quæ in ipsis quoque angelis ex parte invenitur. Comparari hominem cum Deo; cujus respectu *impurus* dicitur: id quod de omnibus prorsus hominibus intelligendum est. Cum verò dicitur, *hominem bibere iniquitatem, ut aquam*; id 1. censeri debere dictum hyperbolicè. 2. vel certè non prorsus universè, sed generatim accipiendum esse. 3. non ad hominis naturam, sed ad voluntarias actiones referendum. Esse argumentum ab eo, quod fit, non autem ab eo, quod fieri necesse sit.

Dicit, in libro Jobi de quibusdam rebus disputari in utramque partem; neque adeo posse temerè rationes in eo allatas probari, præsertim cum ab amicis Jobi afferantur, qui plerumque non bonam causam defendunt. Eliphazum verò loqui cap. 15.

Ad locum Psalm. 51: vers. 7. & 58: vers. 4. זֹרוּ מֵרָחֶם. & Es. cap. 48: vers. 8. dicit, istum modum loquendi esse figuratum & hyperbolicum; illis loquendi modis peccata

ex-

exaggerari & efficacius vituperari. Davidem potius ad excusandum peccatum suum ita loquutum fuisse, & in humana fragilitate commemoranda, hyperbole illa usum, *quasi* peccatum homini res quædam planè naturalis sit; non autem, *quod ita sit revera.* Addit; *David non de homine, sed de se ipso tantum loquitur.*

Fatetur, in omnibus hominibus, nullo prorsus excepto, esse ad peccandum possibilitatem, quia nimirum Deus voluntatem liberam & ad bonum & ad malum dedit. Sed de mala illa cupiditate, & ad peccandum pronitate, *licet in plerisque sit,* non tamen affirmare possumus, eam esse in omnibus prorsus.

In cap. 7: ad Rom. fatetur, manifestè constare, de summa hominis ad peccandum proclivitate agi. Considerandum verò 1. Paulum non tam de natura hominis cujuscunque loqui, quàm de eo, quod in plerisque fieri contingit. 2. Non considerare hominem simpliciter, sed quatenus à lege afficitur. Si hominem, (*ut plerique sunt*) lex invenerit malæ cupiditati obnoxium, tantùm abesse, ut eum vi sua propria ab isto malo liberet, ut potius illud in ipso augeat.

Pergit. Cupiditas illa mala, quæ *cum plerisque* hominibus nasci dici potest, non manat ex peccato illo primi parentis, sed ex eo, quod humanum genus, frequentibus peccatorum actibus, habitum contraxit peccandi, & se ipsum corrupit; quæ corruptio per propagationem in posteros transfunditur.

Unum enim illud Adami peccatum per se, non modò universos posteros, sed ne ipsum quidem Adamum corrumpendi vim habere potuisse.

Paulum c. 7. ad Romanos *peccati nomine* non intelligere verè istam pravitatem; sed figurata quadam loquendi ratione, personam quodammodo peccato tribuere; illudque in homine nondum regenerato, & ab ipsa lege planè pendente, habitare dicere, hoc est, ejusmodi hominem, quemadmodum à peccando abstineat, inveniri non posse.

Concludit, nullum impropriè etiam loquendo, peccatum originale esse, ex peccato Adami nullam labem aut pravitatem, universo humano generi, necessariò ingenitam esse, aut inflictam quodammodo fuisse.

Non aliud malum ex primo illo delicto ad posteros manasse, quam *moriendi omnimodam necessitatem*; non quidem ex ipsius delicti vi; sed quia, cum jam homo naturâ mortalis esset, ob delictum illud suæ naturali mortalitati à Deo relictus est; quòdque naturale erat, id, in delinquentis pœnam, prorsus necessarium est factum. Quare qui ex ipso nascuntur, eadem conditione omnes nasci oportet: nihil enim illi ademtum fuit, quod naturaliter haberet, vel habiturus esset.

Rom. 5: 12. Ἐφ' ᾧ, dicit nil aliud significare, quam ut plerumque solet, *eò quòd*, vel *quatenus.* Et sensus est: Omnes homines morti penitus fuisse obnoxios, eò quòd vel quatenus omnes peccaverunt. Stipendia enim peccati mors. Rom. 6: 23.

Idem Socinus libr. 4. de Servatore Christo cap. 6. affirmat, nos *servos mortis* ab Adamo gigni, sine ullo nobis vel imputato vel inhærente peccato. *Solius genituræ vi, quâ fit, ut fit eadem liberorum, quæ parentum conditio, idemque de liberis, quod de parentibus judicium fiat.* Hactenus Socinus.

Nunc adhuc agere possumus de conditionibus & proprietatibus originalis peccati. 1. Quomodo propagetur. vide supra pag. 260. & seqq. 2. Quomodo aboleatur. 3. Quomodo se habeant ejus reliquiæ in hominibus renatis. 4. Quæque illi debeatur pœna.

Variè sentiunt de ratione, quâ transfunditur in posteros.

Tradux animarum Augustini judicio facilior est, quàm cæteræ. Ipse Augustinus putavit,

peccatum originis traduci per libidinem & voluptatem inordinatam procreantium. Sed Scholastici fatentur, eum, qui generetur absque parentum vitioso affectu, nil minus contracturum peccatum originis. Ad id enim satis esse, quod fuerit in Adamo, ut in principio seminali. Deinde, ita peccatum originis consisteret tantùm in turpi affectione libidinis, quum revera complectatur totius naturæ depravationem.

Alii sensetunt, Animam creari à Deo *pravam*, quod futura esset pars hominis execrati, & in maledictionem positi. Sed hoc naturæ creationis videtur adversari, ut dicatur *contaminatio*.

Opinio vulgo recepta est, Animam ex conjunctione cum corpore, quod jam infectum est, & vitiatum à parentibus, originis peccatum contrahere. Hinc sedem, vel subjectum illius dicunt esse *in carne*, tanquam in radice & principio; deinde ex eo fonte animam quoque occupare, & ita per totum hominem extendi; semen esse instrumentum, quo hoc peccatum ex parentibus traducitur in filios.

Pighius objicit, vitia non posse derivari in prolem per semen; nisi forte, quæ hærent in corpore parentis, ut fit in epilepsia, lepra, aliisque corporis affectibus. Neque natura patitur, ut in substantia ipsa seminis peccatum locum habere possit. Respondet Martyr; non esse verum, derivari in prolem tantùm affectus corporis procreantium. Multas enim alias conditiones in filios à parentibus; ut ingenium, furorem, honoris cupiditatem, fastum &c. derivari.

Quæstio, An Deus hujus labis auctor ponendus sit? Dicunt, deformitatem & injustitiam, quæ in hoc peccato est, à *natura* jam corrupta trahi; quæ ut creata fuit à Deo, non erat ita vitiata. Quicquid est in natura *boni*, id esse à Deo; quicquid ibi est *mali*, quum id nil nisi *defectus* sit, in eo nil opus esse *efficiente causa*. Quod enim deest, id non oportere ut fiat; nam si fieret, etiam inesset.

Certum est apud omnes, Deum esse auctorem *subjecti*, vel *substrati defectus*. Non verò, *defectum ipsum causam efficientem non habere*. Oportet enim esse aliquid, quod removeat aut prohibeat illam perfectionem, quæ desideratur, & retrahat gratiam & dona, quibus natura nostra fuerat ab initio instructa. Hæc privatio, hic defectus, quò referetur nisi in Deum; qui non largiatur *perfectionem indeficientem*? Id justo ejus semper fit judicio; nobis tamen non semper manifesto. Deus peccata peccatis punit. Ea non ita infliguntur à Deo, ut quatenus ab eo pendent, sint *peccata*. *Pœnæ* ipsæ, quatenus pœnæ sunt, ad naturam *boni* pertinent; quatenus tamen ex nobis proficiscuntur, peccata sunt. Deus ipse per se, dum animam creat, eam non coinquinat. A vitiato corpore peccati fœditatem contrahit. Dices: Cur ergo sivit fieri talem *conjunctionem*? cur rem pretiosam conjecit in vas impurum? Sed hæc si objectio valeat, jam etiam suadeantur leprosi, ut abstineant à generatione, ne generando pergant humanam naturam inficere. Ita & podagrici & arthritici. Conjungitur enim anima cum corpore infecto & immundo, ut ratio habeatur universi, ne species hominis, quæ præcipua est, in eo desideretur. Non deest officio suo Deus. Cursum naturæ non impedit; sed corpore jam affecto, animam juxta ordinem præfixum creat, hominemque potius vult esse, licet ille absque vitio non nascatur, quam nihil esse. Si non omnia largitur, quæ dedit ab initio, tamen multa ex misericordia sua concedit. Remedium in Christo Mediatore proponit, unde vitium, quod contraximus, emendetur. Id vitium, ante conversionem, electos ad Christum impellit, ut sentientes vim morbi sui, ab eo medicinam recipiant. Insiti semel Christo, habent hoc vitium relictum ad agonem & certamen, quod in triumphos exit.

Stultum est dicere; Potuisset Deus alia ratione servare genus humanum, si alium hominem creasset purum & integrum; & Adamo defuncto ἀτέκνῳ, omnes posteros ex illo altero homine incorrupto procreare. Potuisset certè id, si voluisset. At istud non erat lapsum erigere, perditum servare, & eum, qui prorsus perierat, redimere. Voluit Deus hanc bonitatis formam ostendere, ut nihil obstante naturæ corruptione, electos suos ab exitio servaret. Voluit Christum, tanquam alterum Adamum producere, qui suos ita servaret, ut alter perdiderat. Hinc Gregorius: *O felix culpa, quæ talem meruit habere redemtorem.* Sed quid in illa causa & culpa est, quod non sit miserum & flebile? A culpa Adami bonum non nisi per accidens derivatum est.

Sed pergamus. Quod innocens anima, quæ nihil boni aut mali fecit, cum corpore corrupto conjungatur, id naturæ ordo requirit; nisi corpus sit relinquendum exanime, & orbis humana specie privandus. *Procreatio* ipsa laudabilis certè est, cum constet ex legitimo matrimonio. In ea considerandus est *homo*, qui generatur; *effectus* generationis proprius, ut loquuntur, & per se. Homo verò est bona Dei creatura. Vitium autem & corruptio adjungitur per accidens.

Rationes, vitium originis propagari in homines *per semen & generationem*, firmæ & solidæ hæ sunt. 1. Rom. 5: 12. *Peccatum per unum hominem ingressum est in mundum.* Quomodo verò pendent homines ab Adamo, ut esse possint ejus peccati participes? nulla alia via inveniri potest, quàm semen & generatio. 2. Eph. 2: 3. dicimur *naturâ filii iræ.* Natura verò secundùm Physicos quum sit principium motus, ad semen & generationem recurrendum erit. Nam ea sunt principium motus & originis nostræ. 3. Expressè id docet Psalm. 51: 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ergo peccatum hoc traducitur per generationem. 4. Apertissimè Job. 14: 4. *Quis dabit mundum de immundo?* subintellige, *conceptum semine.* Id si ita, semen majorum nostrorum infectum est, ut immundum esse arguatur.

Concilium Tridentinum, decreto primo, Sessionis quintæ, 17. mensis Junii 1546. celebratæ, statuit, *Adamum, per inobedientia peccatum, non tantùm mortem, & pœnas corporis in omne genus humanum transfudisse, sed & peccatum, quod mors est animæ.* ex Rom. 5: 12. Addit. *Hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium*, non tollitur per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium, quàm per *meritum Christi*; quod meritum, *per Baptismi sacramentum, in forma Ecclesiæ ritè collatum, tam adultis, quàm parvulis applicatur.* Dein & anathematizat, qui dicunt, parvulos recentes *nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari, ad vitam æternam consequendam.*

Hæc decreti verba, ut jacent, vera sunt, diceresque, Concilii Patres rectè omninò de Peccato originis sensisse. *Andradius* verò, Jesuita Lusitanus, qui illi Concilio interfuit, & cui illius secreteriora mysteria nota & perspecta fuerunt, prodidit. *Quod*, cum Theologi laborent, ut explicent, quomodo transgressio Adæ in nobis peccati rationem habeat, peccatoresque nos efficere potuerit, *Concilium Tridentinum, cum definiret*, peccatum originis verè esse peccatum unicuique proprium, *illius tamen propriam rationem consulto silentio involvisse, & ita liberum cuique reliquisse opinari.* Addit: *Cum igitur*, quæ sit peccati originis *ratio & definitio*, inter Catholicos disputetur, Concilium Tridentinum, sicut & alia quædam Concilia, cum definierint, omnes trahere originis peccatum ex Adamo, *quidnam illud peccatum sit*, consulto prætererunt: *opinandi igitur nobis libertatem reliquerunt.* Scho-

Scholasticorum aliqui disputant, 1. peccatum originale tantùm esse nudam privationem, & non positivam aliquam pravitatem hærentem in naturâ humanâ. Amissa enim justitia originali, naturalia tamen in homine mansisse integra. Alii 2. fomitem peccati, tanquam morbidam qualitatem hærere tantùm in *carne*, quæ inclinet appetitum sensitivum, & mediante eo etiam voluntatem ad inferiora. Alii 3. fomitem ponunt in appetitu sensitivo, & superiorem portionem rationis ab omni depravatione immunem esse; nisi quod aliunde paululum inclinari possit ad inferiora. Alii 4. disputant, fomitem illum non esse de ratione peccati originalis. Alii 5. opinantur, peccatum originale esse *tantùm reatum*, propter lapsum Adæ sine pravitate aliqua hærente in nobis.

Decretum Concilii eo ergò artificio compositum est, ut nullam harum opinionum damnârit, sed liberrimas omnes reliquerit.

Albertus Pighius post Colloquium Wormaciense Anno 1542. in scripto, de Peccato Originis edito, docet, *Tria de peccato originis in Ecclesia definita esse*, 1. *quod sit*. 2. *unde sit*, ex propagatione scilicet ab Adam. 3. *qui sint ejus in nobis effectus.* Quid verò sit peccatum originis, & in quo consistat ejus propria ratio, Ecclesiasticâ definitione certum non esse. Unde culpat Augustanam Confessionem, quod voluerit tradere definitionem peccati originalis.

Augustini sententiam, quod peccatum originale sit *concupiscentia*, improbat. 1. Quia peccatum esse non potest sine lege; cujus sit transgressio. Parvulos verò lege obligari non posse, quia rationis usu careant. 2. Id quod prorsus vitare non possumus, quod inevitabiliter nobis inest, quod non à nobis, sed ab alio nobis inest, lege interdici non posse. Concludit igitur, concupiscentiam originalem, nec in parvulo, nec in adulto, nec ante, nec post Baptismum, propriè & verè esse peccatum; quia resultet ex compositione & temperatura partium corporis humani.

Dein & conatur probare, *carentiam* justitiæ originalis non habere rationem peccati, sive in parvulis, sive in adultis. Quia, inquit, nulla lex Dei proferri potest, per quam obligentur omnes habere justitiam illam originalem, quæ Adæ data fuit. Et ut maximè esset talis aliqua lex, peccatum deputandum esset illi tantùm, qui propria sua culpa justitiam illam originalem perdidit.

Suam verò sententiam ita explicat Pighius: *Peccatum originis* non esse defectum, non vitium aliquod & depravationem, non habitum corruptum, non qualitatem vitiosam hærentem in nostra substantia, ut quæ sit sine omni vitio & depravatione; sed, quod actualis transgressio Adæ reatu tantùm & pœna transmissa & propagata sit ad posteros, sine vitio aliquo & pravitate hærente in ipsorum substantia; & *reatum* nunc esse, quod propter Adæ peccatum extorres facti sumus regni cœlorum, subjecti æternæ damnationi, & omnibus humanæ naturæ miseriis involuti. Sicut ex servis, qui proprio vitio libertatem amiserunt, nascuntur servi, non suo, sed parentum vitio. Et sicut filius scorti sustinet infamiam matris, sine proprio aliquo in se hærente vitio.

Hanc Pighii sententiam probat & defendit Ambrosius Catharinus Episcopus, quia hoc modo doctrina Pontificia de concupiscentia, quæ post Baptismum reliqua manet, de libero arbitrio, de justitia, de merito & perfectione bonorum operum, facillimè stabiliri potest.

Concilium Tridentinum etiam huic sententiæ reliquit *opinandi libertatem*; statuitque cum Pighio, satis esse de peccato originis *tria* illa scire; *rationem* verò, qua in nobis fit, posse nesciri.

Andra-

Andradius verò ille supra citatus, de *peccato originis* actorus, ita præfatur. *Non quidem magnum scelus suscepisse videri debet, qui in re libera liberè etiam opinetur.* Ipse ad illos accedit, qui statuunt, Adamum conditum in puris seu meris naturalibus: justitiam originalem superadditam, tanquam *donum supernaturale*, quæ carnis lasciviam comprimeret, sceleratos animi motus cohiberet, & omnes cum animi tum corporis partes in officio contineret. Jam verò quia originali justitia spoliati sumus, carnem quasi equum sine freno, ferocibus rapi cupiditatibus. Itaque concupiscentiam, non quidem per se esse peccatum, sed quia non amplius justitia originali cohibetur, inde fieri peccatum.

Secundùm ergo illum, Amotio & privatio justitiæ originalis propriè habet peccati rationem, imò est ipsa peccati originalis forma, ex qua ipsi etiam concupiscentiæ insit ratio peccati.

Rogatus, quia peccatum non potest esse sine legis transgressione, cum qua lege pugnet justitiæ originalis amissio? Respondet, nullam hac de re legem à Deo explicitè latam esse, sed pugnare illam privationem cum generali legis naturæ sententia, qua quisque obligatur, ut naturæ incolumitatem & conservationem curet.

Hoc originale peccatum habere rationem *voluntarii* insuper ait, quia sicut omnium hominum natura, ita etiam omnes voluntates originaliter fuisse in Adamo. Qua responsione & Augustinus olim usus fuit.

Quia autem hoc modo minima ratio voluntarii in peccato originali reperitur, (nam non personæ nostræ propria voluntate, sed aliena, Adæ scilicet, seu communis originis, commissum est,) ideo dicit, *peccatum originis, minimum* esse omnium peccatorum. Quando verò *Patres* id *maximum* vocant, id ita intelligendum esse, quod latius ceteris diffundatur, & per omnes hominis partes pervadat.

Ergo hæc est Andradii sententia. Concupiscentiam etiam fuisse in integra natura, cohibitam verò & compressam à justitia originali: non esse per se peccatum, si tantum frenetur; id quia fit in renatis, per regenerationem, non amplius in illis esse peccatum.

Amissionem justitiæ originalis in Adamo, pugnare non cum lege aliqua Dei, sed cum generali illa tantùm legis naturæ sententia, qua naturæ conservatio unicuique demandatur. In nobis vero carentiam illam justitiæ originalis, tantum habere de ratione peccati, quantum habeat de voluntario. Sed quia minimam habet rationem voluntarii, ideo peccatum originis minimum esse omnium peccatorum.

Verum enim verò posito hoc axiomate, peccatum originale in nobis non plus habere de natura peccati, quam habet de ratione voluntarii, jam attexet *Franciscus de Magro*; sed peccatum originale in particulari solummodo fuit voluntarium, voluntate scilicet Adæ, sed in universali, hoc est, in nobis, omnino est involuntarium. Ergo omninò nullam habebit rationem peccati.

Andradius damnat cum Coloniensibus *Monhemium*, qui dixerat, *propensionem ad peccandum, & ἀταξίαν, cupiditatem, quam simul cum natura induimus, esse peccatum originale, & tantam esse naturæ corruptionem, originis peccato contractam, ut nihil à tali possit natura edi aut effici non perversum & contaminatum.*

Andradius verò ita: *Etsi naturam humanam perquam depravatam esse, negare non possumus: hæc tamen depravatio non tantopere est amplificanda,* ut *nihil in illa pium, nihil bonum, nihil non-contaminatum* agnoscamus.

Mens igitur Concilii Tridentini, secundum Andradium, illa erit. In natura humana depravata,

pravata, sine renovatione Spiritus, restare adhuc aliquod bonum & pium, non in externa tantùm disciplina, sed etiam quoad res spirituales.

Igitur Patres Tridentini in Decreto hoc, aliud sedentes & foris publicarunt, aliud stantes & domi consusurrarunt de peccato originis.

Sed ne nos Manichæos dicant Pontificii, ut Pelagiani olim Augustinum, dicimus & docemus, licet natura nostra in omnibus partibus & viribus sit depravata, discernendum esse inter naturam ipsam, quæ per se bona & à Deo est, & inter vitium, quo natura per peccatum Adæ depravata est. Augustinus cap. 1. de natura & gratia. *Omnia bona*, quæ natura habet in formatione, vita, sensibus, mente &c. à Deo habet: Vitium verò, quod ista naturalia bona contenebrat ex originali peccato contractum est.

De voluntario, de origine Animæ, de conjunctione ejus cum corpore, nolumus disputare: nam nos cum Ambrosio libr. de incarnationis divinæ sacramento, cap. 9. non dialecticorum argutiis, sed piscatorum credimus simplicitati.

De *Maria* verò ità *Synodus*: *Non esse sua intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam; sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papa IV.* &c.

A peccato originali tanta nostræ naturæ insidet corruptio, ut *Liberum Arbitrium* ejusque vires ad bonum spirituale & salutis nullæ nobis, ὡς ἐξ ἑαυτῶν adsint.

Nomen *arbitrii* magis ad *rationem* referendum est, cujus est discernere inter bona & mala: epithetum *liberi* ad voluntatem propriè pertinet, quæ ad utrumque flecti possit. Quum igitur libertas propriè voluntati conveniat, Thomas liberum arbitrium dixit *vim electivam*, quæ mixta quidem ex intelligentia & appetitu, magis tamen ad appetitum inclinet. Habemus ita, in quibus sita sit vis liberi arbitrii, in *ratione* nimirum & *voluntate*.

Scholæ triplicem numerant libertatem, à *necessitate* primam, à *peccato* secundam, à *miseria* tertiam. Harum primam sic homini naturaliter dicunt inhærere, ut nequeat ullo modo eripi. Duas alteras esse per peccatum amissas. *Hanc distinctionem*, inquit Calvinus, *ego libenter recipio*; nisi quòd illic *necessitas* cum *coactione* perperam confunditur.

Arbitrium ab *arbitrando* vel *arbitro* dictum est. Refertur ad *intellectum*, respectu rerum, quæ in deliberationem cadunt; ad *voluntatem*, respectu rerum, quæ cadunt in electionem ex deliberatione. Illo modo res intelligibiles discernit, & præexistente deliberatione, num veræ an falsæ sint, dijudicat: hoc vero discretas & dijudicatas sibique objectas aut prosequitur ratione *boni*, aut fugit ratione *mali*, aut dubitando actionem suspendit. Cum verò *voluntas* duplici sensu veniat vel pro *anima facultate*, quâ volumus quæ volumus, & nolumus quæ nolumus, quam θέλησιν vocant; vel pro ipsa voluntatis vel facultatis *actione*, quâ sese exerit hoc vel illud prosequendo tanquam sibi placitum, & contrà; quæ προαίρεσις dicitur; ipsa *facultas* præcipuè hic à nobis consideratur, quæ Ciceroni *voluntatis placitum* dicitur.

Liberum verò aliquid in Scriptura dupliciter dicitur; modo *servituti*, modo opponitur *coactioni*. Priori modo voluntas hominis naturâ corrupti non est *libera*, cum sit *serva peccati*. Joh. cap. 8: vers. 34. Posteriori tamen adeò libera est voluntas, ut non possit non liberè velle; nec futura esset voluntas, nisi sit libera & spon-

tanea,

tanea, etiam cum necessario vel Dei providentiæ inservit, vel ipsa peccata patit, cum liberum & spontaneum non opponantur *necessitati*, sed *coactioni*; adeò ut quis & liberè & necessariò quid agere possit, etsi non coactè.

Liberum itaque arbitrium dicimus, quatenus voluntati ex judicio rationis agenti delectus aliquis sit adjunctus. Actus liberi arbitrii proprius est *electio*. Sed ea duobus modis fieri potest, vel seligendo unum ex duobus vel pluribus oppositis, quæ dici solet *libertas contrarietatis*: vel uno tantum proposito illud acceptando, aut rejiciendo; & hæc est libertas *contradictionis*.

Homines dupliciter considerantur, vel ut *creati*, vel ut post creationem *lapsi*. Homo creatus eâ fuit arbitrii libertate præditus, ut ex se mens & voluntas cum Dei voluntate planè consentire, illiusque imperio sine ullâ affectuum cum mente luctâ & repugnantiâ omninò subjici potuerint. Tamen *mutabilis*, ita ut semper oppositum ejus, quod volebat aut faciebat, velle aut facere potuerit, præclaro mentis judicio falsi alicujus boni objectâ specie corrupto, atque adeò suâ sponte deficere. *Posse* enim ei dederat Deus; *velle* autem, quod posset, reliquerat arbitrio suo liberum. Id & ex mandato patet: *Qua die comederis, moriendo morieris.*

Sed sibi relictus homo, desistente Dei particulari gratiâ efficaci, Satana suadente, & intellectum hominis mendaciis circumveniente & obfuscante, tandem persuasus & labens, Dei mandatum violando, Satanæ obtemperavit, summo bono, se ipsum privando, multis miseriis obnoxium fecit, seque & *suum arbitrium perdidit*: ut benè August. in Enchir. ad Laurent. cap. 30.

Post lapsum dupliciter in homine liberum arbitrium consideratur, vel ut est in *hac vita*, vel ut in *futura*.

Rursum in *hac vita* pro ratione subjectorum bifariam accipitur. 1. ut est in hominibus regeneratis. 2. ut est in non regeneratis.

In non regeneratis adeo Dei imago, quæ tum in mentis luce; tum in voluntate, aliarumque partium rectitudine apparebat, obliterata est, ut sanctitate penitus deletâ, *dona supernaturalia*, verus amor Dei, justitia, &c. amissa, *naturalia* corrupta sint. Hinc ignorantia & dubitatio in mente; in voluntate odiosus contemtus & contumacia adversus Deum, prava inclinatio ad malum, meraque impotentia ad *bonum*.

Sed cum *bonum* sit duplex, *externum* & *internum*, quomodo ejus arbitrium ad utrumque se habeat, videamus.

Bonum externum vocamus vel *naturale* vel *morale*.

In illo hominem nondum regeneratum aliquid posse patet ex eo, quod naturalia, etsi mirum in modum sint offuscata, non tamen ita sunt deleta, quin tum intellectu quædam percipere, tum voluntate sive arbitrio quædam eligere ac prosequi possit; idque non nisi generali Dei auxilio adjutus.

In *morali*, respectu actionum civilium, œcumenicarum & externarum, quæ cum lege Dei videntur congruere, tantum potest, quantum sufficit, ut *inexcusabilis* coram Deo reddatur. Rom. cap. 1. vers. 24. Scilicet in hisce homo multa præclara & laude digna præstare possit, sine speciali Dei auxilio, Exod. cap. 1. 18 vers. 2, 3. Prov. cap. 21. vers. 1. tamen adeò vitiis sunt contaminata omnia, ut vix in iis aliquid boni eluceat; non virtutes, sed virtutum simulachra sunt; nedum ut hisce se ad gratiam sive justificationem præparare, vel ut Deus oculis misericordiæ ipsum

respiciat, efficere possit, cum nil aliud homo sit, quam *peccator.* Rom. cap. 3: vers. 9. *impius.* Rom. cap. 5: vers. 6. *peccato mortuus.* Ephes. cap. 2: vers. 1. Coloss. cap. 2: vers. 13. *carnalis.* Rom. cap. 8: vers. 5. Praeterea ex iis quae vult & facit, etiamsi quaedam bona sint in se, peccata tamen fiunt per accidens, cum non proveniant à bono principio, nec per bona media, nec in bonum finem. Nam *finibus*, non *actibus*, (ut ait Augustinus) pensantur media. *Neque* enim *potest arbor malá fructus bonos facere*, Matth. 7: 18. & *quicquid fit sine fide, peccatum est.* Rom. cap. 14: vers. 23.

E Pontificiis Bellarminus Controvers. 3. Libr. 5. cap. 9. falsò asserit, hominem aliquod bonum morale perficere posse, sine fide & auxilio speciali, si nulla tentatio urgeat.

In *internis*, hoc est, spiritualibus & supernaturalibus tanta ex lapsu secuta est mentis caecitas, & omnium caeterarum animae facultatum depravatio, ut non tantum ea, quae ad Deum spectant, non animadvertere, probare aut velle possit, sed ut insuper ab illis abhorreat, & ei sint stultitia. 1 Cor. cap. 2: vers. 14. 2 Cor. cap. 3: vers. 5. 1 Cor. 1: 8. Genes. 6: 5. *Omne figmentum* &c. Jer. 17: 9. *Lamosum est cor hominis.* Rom. 8: 7. φρόνημα σαρκός.

Errant ergo Pontificii, dum asserunt, *liberum arbitrium* in iis, quae ad pietatem pertinent, *Adami lapsu* solummodò *laesum* fuisse, non penitus exstinctum, viresque nonnullas etiam in natura corrupta remansisse, sed sopitas & semimortuas. Bellarm. contr. 3. libr. 5. cap. 11. Contrarium verum est, voluntatem hominis non regenerati esse impuram prorsus, & propinquam potentiam seu libertatem, imò inclinationem ad malum tantum habere.

Lutherus. Voluntas hominis sine gratia non est libera, sed servit, licet non invita. Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo; & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter. Homo, putans se ad gratiam velle pervenire, faciendo, quod est in se, peccatum addit peccato, ut duplex reus fiat.

Zanchius. Distinguimus autem quaestionem de viribus totius liberi arbitrii à quaestione de natura humanae voluntatis.

Omninò sarta & integra tradi debet doctrina de *libero arbitrio.* Sine illa non possunt intelligi, quae Scriptura tradit de tota hominis conversione, de poenitentia, de fide, de nova obedientia, de spiritu gratiae & precum, de corruptione humanae naturae per peccatum, & de beneficiis Filii Dei per Spiritum Sanctum, quomodo dona Dei accipiantur, quomodo conserventur, vel amittantur, quomodo crescant vel deficiant.

Ipsa sana doctrina perspicuè in Sacris tradita est. Sed misera natura, stultâ sui admiratione fascinata, non patitur facilè se ita dejici, ut in rebus & actionibus spiritualibus omnia gratiae Dei accepta referantur. Rectè Aug. de Nat. & gratia cap. 53. *Quid tantùm de natura possibilitate praesumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est; vera confessione, non falsa defensione opus habet.*

In loco de libero arbitrio non est 1. disputatio de potentiâ animae vegetativâ, sensitivâ, & loco-motivâ, sed de parte cognoscente & appetente, hoc est, de mente seu intellectu, & de voluntate hominis. 2. Si liberum arbitrium, ut Gabriel disputat, accipiatur pro ipsa substantia voluntatis, & essentia intellectus, evidens est, ipsam substantiam mentis, licet miserè depravatam, vitiatam & inquinatam per peccatum originale,

le, non tamen prorsus amissam, extinctam & abolitam esse. Hoc sensu negare, hominem habere liberum arbitrium, idem est, ac si disputare velles, hominem esse animal inanime, brutum & irrationale. 3. Liberum arbitrium propriè significat δύναμιν, potentiam, vim & facultatem mentis & voluntatis, quâ discernitur ab iis, quæ sine mentis cogitatione seu deliberatione, sine voluntatis aliqua electione & expetitione, vel naturaliter agunt, vel violenter impelluntur. In hâc liberi arbitrii significatione non est difficilis explicatio. Nam peccatum originale non ita depravavit substantiam humanæ mentis, ut in homine non renato mens & voluntas nullos prorsus habeant motus vel actiones. In iis enim, quæ mente & voluntate aguntur, homo judicat, discernit, eligit, expetit, aversatur, rejicit, & actionem aliquam externis membris, vel imperat, vel prohibet, vel suspendit. Ambrosius, sive is Prosper est, de vocatione gentium libr. 1. cap. 3. *Judicium voluntatis depravatum, non ablatum est.* Item: *Homo a Diabolo non voluntate spoliatus est, sed voluntatis sanitate privatus est.* Et nil aliud vult Bernardi disputatio de libertate à necessitate, hoc est, à coactione. 4. In iis rebus, quæ in hac naturæ corruptione sensibus & rationi adhuc subjectæ sunt, *mens* aliquo modo potest cogitare, deliberare, judicare, discernere, probare, improbare. *Voluntas* aliquo modo potest ea, quæ à sensu vel ratione monstrata sunt, velle aut non vellẽ, eligere aut non eligere, expetere vel aversari, certas actiones imperare, vel prohibere externis membris, actionem vel suspendere vel mutare. Ita vulgo dicitur, *Homines non-renatos posse aliquo modo externam disciplinam facere*, hoc est, externa honesta opera cum lege Dei congruentia facere, & vitare contraria scelera. Testantur id multa præclara exempla Ethnicorum; imò gubernationes politicæ. Denique Paulus Rom. cap. 2. *Gentes, quæ non habent legem, naturâ, ea quæ legis sunt, faciunt.* Rom. cap. 10. justitiam suam *conantur stabilire.* Phil. cap. 3. Paulus, se ante conversionem dicit secundùm justitiam, quæ in lege est, *conversatum fuisse* ἀμέμπτως. Fatendum tamen, ipsa hæc dona naturalia, in natura corrupta reliqua, sauciata, & etiam quoad externam disciplinam vitiata esse. Aristoteles 7 Ethic. cap. 3. disputat, qui fiat, quod homines sæpe faciant ea, quæ sciunt esse vitiosa? Scilicet affectus sæpe ruunt contra judicium rationis, & rapiunt in suas partes etiam ipsam voluntatem, licet reclamante primum judicio mentis; tandem verò etiam ipsa mens ad affectus se aliquo modo inflectit, quærens excusationes & prætextus. Accedit Diaboli tyrannis, qui accendit flammas cupiditatum; ut fiant homines ἀδόκιμοι Rom. cap. 1. & ἀπηλγηκότες. Ephes. cap. 4. Habet ergo in externis aliquam qualemcunque libertatem homo non-renatus, qua externam disciplinam aliquo modo præstare potest. 5. de malis seu vitiosis actionibus optimè passim loquitur Augustinus. De peccatorum meritis libr. 2. cap. 5. Ad peccandum non adjuvamur à Deo, sed quod à Deo nos avertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala. Verè misera est libertas, delectari peccatis. Et licet posse peccare, non sit sine libero arbitrio, nihil enim carens libero arbitrio potest peccare. Anshelmus tamen dicit, nec libertatem, nec partem esse libertatis, peccandi potestatem. August. de Civit. lib. 14. cap. 11. Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cum vitiis peccatisque non servit.

Principalis verò quæstio in controversia de libero arbitrio est de motibus & actionibus *spiritualibus*; spiritualia verò intelliguntur, quæ ad conversionem hominis, fidem & pietatem pertinent; ut est peccati detestatio, timor Dei, fides, preces, obedientia Euangelii, dilectio, spes, patientia &c. crucifixio veteris hominis.

Inutiliter ergo Valla disputat, *Num sit in hominis arbitrio, movere pedem, vel dextrum vel sinistrum?* In dialogis Hieronymi Pelagianus dicit: *Si voluero curvare digitum, an semper mihi necessarium erit speciale Dei auxilium?* Apud Augustinum de perfectione justitiæ Cœlestinus objicit ex 1. Cor. 7. de libertate nubendi, *Faciat quod vult.* Augustinus respondet: *Quasi pro magno habendum sit, velle nubere, ubi de adjutorio divinæ misericordiæ operosius disputatur.*

Porrò & hoc sciendum, novos motus in conversione non imprimi menti, voluntati & cordi, sicut ceræ imprimitur sigillum, ita ut nulli novi motus sequantur in mente, voluntate & corde. Gratia enim operatur, non ut conversio sit *brutum* aliquid in homine, sine motu & actione aliqua mentis, voluntatis, & cordis; sicut cùm asina Bileami loquitur: nec est *violentum* aliquid; sicut cum saxum impellitur & protruditur, quod motum illum nec sentit, nec vult, nec intelligit: nec est *enthusiasticum*, quod sicut arreptitii olim reddebant oracula; quæ nec intelligebant, nec meminerant; & sicut in obsessis Diabolus loquitur & agit, ad quæ in obsessis nulla fit applicatio mentis, voluntatis vel cordis. Sed, quia conversio est motus quidam, & mutatio in mente, voluntate, corde &c. necessarium est, ut in vera conversione sint & fiant motus aliqui, ut notitia & cogitatio de lege & Euangelio, desiderium, voluntas & conatus assentiendi: unde oritur lucta cum securitate, diffidentia & contumacia veteris hominis. Spiritus Sanctus quum operatur conversionem in mente, voluntate & corde, facit ut velimus & possimus intelligere, cogitare, desiderare, assentiri, accipere, operari.

Ergo non disputatur, an tales motus & actiones in conversione fieri & esse debeant? Sed hic est status quæstionis: Unde homo in mente, voluntate & corde habeat, & accipiat, quod tales motus & vult, & potest inchoare & præstare? Conjungenda enim sunt hæc tria, *velle, posse & facere.* Sciendum & hoc, non esse exspectandos enthusiasticos raptus extra & præter ministerium verbi & sacramentorum. Verbum enim Dei prædicatum, lectum, cogitatum, auditum, est medium seu organum, per quod Spiritus Sanctus efficax est & operatur in mente & voluntate & corde hominum.

Lombardus distinxit quatuor status liberi arbitrii. 1. qualis fuerit in natura integra ante lapsum. 2. quæ sit post lapsum, priusquam cœpit sanari & renovari. 3. quando jam cœpit sanari & renovari; quæ renovatio per totam vitam crescit & augetur. 4. quid sit futurum in glorificatione seu post glorificationem. Ibi enim omninò plena & perfecta erit libertas.

Quæstio tota hæc est, unde homo habeat & accipiat potentiam, vires seu facultates inchoandi & efficiendi sanctos motus & actiones? E collatione melius id intelligitur. In iis, quæ sensibus & rationi subjecta sunt, homo in mente & voluntate habet φυσικὰς δυνάμεις, hoc est, facultates in natura, ex prima nativitate hærentes & insitas. Quæritur ergo, an eodem modo mens & voluntas ex prima nativitate insitam habeant talem potentiam, tales vires, & facultates, ut quum homo verbum Dei legit, audit, cogitat, possit sine Spiritu Sancto, ex puris naturalibus concipere tales motus, & elicere tales actiones, quales ad contritionem, fidem &c. requiruntur? Ita olim sensit Pelagius. Illi videtur Andradius accessisse, quando ait, Philosophos sine verbo Dei, & sine Spiritu regenerationis, naturalibus notitiis & viribus pervenisse ad veram fidem & justitiam, qua salvati sint; adjuncto illo tantùm auxilio divino, de quo etiam Cicero dixit, nullam excellentem virtutem in Ethnicis fuisse sine afflatu divino.

Scriptura de libero arbitrio ita sentit. Nonnulla ejus testimonia loquuntur privativè,

quod scilicet per lapsum in natura corrupta prorsus amissa sit δύναμις vis & efficacia, seu facultas, quâ inchoandæ & efficiendæ sunt actiones spirituales, sicut oportet. Nonnulla de *mente* id dicunt, nonnulla de *voluntate* seu corde hominis non-renati. Non-renati dicuntur *tenebræ* Joh. 1. Eph. 5. Act. 26. In peccatis *ægroti, infirmi, mortui*. Eph. 2. Col 2. Et hæc disertè explicantur de privatione seu carentia efficaciæ seu facultatis, ad motus & actiones spirituales. 1 Cor. 2. *Animalis homo ὐ δέχεται*. 2 Cor. 3. *Non sumus idonei* &c. 1 Cor. 1. *Mundus per sapientiam οὐκ ἔγνω Deum*. Matth. 11. *Nemo novit Patrem, nisi cui Filius voluerit revelare*. Matth. 16. *Caro & sanguis non revelavit tibi*. Rom. 1. *Vani facti sunt in cogitationibus illorum*. 1 Cor. 1. *Infatuavit sapientiam hujus seculi*. Rom. 7. *Scio quod in me, hoc est, in carne mea non habitet bonum*. Rom. 8. *Sensus carnis non subjicitur legi Dei, neque enim potest*. Joh. 15. *Sine me nil potestis facere, sicut palmes nisi in vite fuerit*. Atqui nos naturâ sumus *oleastri*, Rom. 11. adeoque inserendi veræ viti, extra quam nil possumus. Benè Augustinus: *Non dixit, sine me difficulter potestis; nec: non potestis perficere aut magni quid præstare: sed simpliciter: sine me nihil potestis facere, in actionibus scilicet spiritualibus, de quibus ibi sermo*. 1 Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Augustinus de Prædestinatione Sanctorum ostendit, non loqui Paulum de *reliquiis donorum naturalium*, sed de iis, quæ donantur in renovatione per Spiritum Sanctum. Joh. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit illum*. Ex his patet, naturam in se & ex se nullam habere vim, efficaciam, aut facultatem, quam ex se conferat, ut gratiæ propriis viribus aliquid cooperetur. Detrahitur enim illi cogitare, velle, posse, facere.

Nonnulla Scripturæ loca non tantùm de *defectu* loquuntur, sed ostendunt, in locum amissarum virium successisse vitiosum habitum & depravationem in mente, voluntate & carne, quod ad motus seu actiones spirituales attinet. Vocatur enim ante renovationem *Cor durum*, Rom. 2. *lapideum*, Ezech. 11. & 36. *cervix ferrea, frons ænea, nervus ferreus*, Es. 48. *cor pravum super omnia*, Jer. 17. *sicut Æthiops non potest mutare pellem suam, nec pardus maculas suas*, Jer. 13:23. *Ego sum carnalis, venditus sub peccatum, malum mihi adjacet. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati. Carne servio legi peccati*. Rom. 7. *Sapientia carnis ἔχθρα adversus Deum*. Rom. 8. *Figmentum cordis* &c. Genes. 6. & 8. *Progenies viperarum, quomodo potestis bona facere, cum sitis mali?* Matth. 3. *Spiritualia sunt stultitia homini animali*. 1 Cor. 2. *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Joh. 8.

Tertio. Testimonia Scripturæ, quæ describunt liberationem à servitute peccati, sanationem, illuminationem, renovationem, mentis & voluntatis, non tam perfunctoriè loquuntur, ut cum quis hominem per se habentem ambulandi δύναμιν, ex compedibus solvit: sed Ezech. 11. & 36. *Auferam* cor lapideum, & *dabo* cor carneum. Joh. 1. *Tenebræ lucem non apprehenderunt*. 2 Cor. 4. Deus qui dixit ex tenebris lucem splendere, *ipse illuxit* cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei. Deut. 29. Vos vidistis universa, quæ fecit Dominus coram vobis in Ægypto: *& non dedit tibi Deus cor ad intelligendum* &c. Matth. 13. *Vobis datum est nosse* mysteria regni cœlorum. 1 Cor. 12. *Nemo potest* Jesum *dicere Dominum*, nisi per Spiritum Sanctum. Psalm. 51. *Cor mundum crea in me Deus* &c. Matth. 16. Caro & sanguis non revelavit, *sed Pater* &c. Joh. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri & carnis, sed ex Deo nati sunt*. Eph. 2. *Ipsius factura sumus, creati in*

Christo Jesu ad bona opera. Phil. 1. *Qui incepit in vobis bonum opus, perficiet.* Phil. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere.* Jac. 1. *Omne bonum donum* &c. *est de sursum.* Luc. 24. *Aperuit ipsis mentem* συνιέναι τὰς γραφάς. Act. 16. *Deus aperuit cor Lydiæ.* Idem probant precationes de donis spiritualibus. Psalm. 118. Eph. 1. Col. 1. Ita de *fide.* Eph. 2. *Per fidem : & hoc non ex vobis : Dei donum , ne quis glorietur.* Lombardus libr. 2. Distinct. dicit, *id ita à Sanctis exponi, quod fides non sit ex vi naturæ nostræ, quia Dei donum purè est.*

Ergo Gratia Dei in non-renatis non invenit δύναμιν, aliquam vim, aut facultatem aliquam, sive ligatam, sive attenuatam, quod ad motus vel actiones spirituales pertinet. Sed invenire 1. ἀδυναμίαν *privationem defectus & carentiam.* 2. Vitiosum habitum & depravationem in mente &c. 3. Gratiam in conversione non ita operari, ac si reliqua sit facultas quædam ad spiritualia, ex prima nativitate inhærens, quæ quidem laqueis peccati ita sit constricta & attenuata, ut ni per gratiam excitetur, non possit in actum prodire. Accedente verò gratiâ excitante & adjuvante, tunc naturalem illam δύναμιν progredi ad efficacem actum, ut possit concipere motus, & elicere actiones spirituales. Ita Pontificii. Scriptura verò tradit, quòd Spiritus Sanctus in illis, quos vult convertere, primùm incipiat pravitatem mortificare & auferre: dein incipiat operari, & donare novam vim, facultatem & efficaciam in mente & voluntate, ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales. Cor enim *tardum*, Luc. 24. *vanum*, Psalm. 5. Eph. 4. *durum*, Rom. 2. *lapideum*, Ezech. 36. *emollit* Deus, Psalm. 34. *aperit*, Actor. 16. *convertit*, Luc. 1. *circumcidit*, Deut. 30. *conterit*, Es. 57. *aufert.* Ezech. 36. externus homo *corrumpitur*, 2 Cor. 4. vetus homo *crucifigitur.* Gal. 5. corpus peccati *destruitur.* Rom: 6. Deus *sanat animam.* Psalm. 40. *excitat à mortuis.* Eph. 5. *mortuos peccatis vivificat.* Eph. 2. *Renovemini* Spiritu mentis vestræ, Eph. 4. *interior homo renovatur.* 2 Cor. 4. Vocatur *regeneratio*, Tit. 3. *renascentia.* Joh. 3. *Creatio.* Psal. 50. *Creati in Christo Jesu ad bona opera.* Eph. 2: 10. *Novus homo creatur ad imaginem Dei.* Eph. 4: 24.

Dona hæc operatur Spiritus Sanctus per organon verbi, si legatur, audiatur, cogitetur, quod homo debet & aliquo modo potest facere. Nec infundit illas qualitates, sicut liquor in dolium infunditur: sed ita, ut sequantur motus & actiones in mente & voluntate. Renovatio, quæ fit per Spiritum, non statim est perfecta & absoluta, sed in magna infirmitate inchoata, tunc tamen nec mens, nec voluntas, est ociosa, sed aliquos habent novos motus, quos etiam debent exercere meditando, orando, conando, luctando. Sed omnes illi motus spirituales non oriuntur, non nascuntur, vel ex toto, vel ex parte, vel ex naturalibus potentiis, sed sunt dona, operationes & effectiones Spiritûs Sancti in nobis. Et ad spirituales has actiones in nobis, mens & voluntas ex naturalibus suis viribus effectivè nihil conferunt.

Ipsa lucta carnis & spiritûs, veteris & novi hominis, ostendit discrimen actionum, quæ auctorem & donatorem habent Spiritum Sanctum, & quæ oriuntur sive nascuntur ex liberi arbitrii naturalibus viribus, quod attinet ad res spirituales.

Benè distinguit Augustinus inter *gratiam operantem & cooperantem.* De gratia & libero arbitrio cap. 17. *Quis, etsi parvam, dare cœperat caritatem*, nisi ille qui præparat voluntatem, *& cooperando perficit*, quod *operando incipit.* Quoniam ipse ut velimus, *operatur incipiens*, qui volentibus *cooperatur perficiens. Ut ergo velimus*, sine *nobis operatur.* Cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, *nobiscum cooperatur*; tamen sine illo vel *operante*, ut velimus, vel *cooperante*, cùm volumus, ad bona pietatis opera

nihil

nihil valemus. Et cap. 16. *Certum est, nos velle, cum volumus; sed ille facit, ut velimus. Certum est, nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo voluntati vires efficacissimas.* Et alibi dicit, *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.*

Ergo per doctrinam de libero arbitrio, non alitur nec confirmatur in hominibus desidia, securitas & contumacia; sed memores sumus, & παρακαλοῦμεν μὴ εἰς κενὸν τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ δέξασθαι. 2 Cor.6:1.

Augustinus de Ecclesiast. dogmatibus, c. 27. *Sancta cogitatio, bonum propositum, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo est: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.*

Augustinus *gratiæ* varias tribuit appellationes, ut quasi gradus conversionis ostendat. Dicit gratiam prævenientem, præparantem, liberantem, operantem: dein gratiam subsequentem, cooperantem, adjuvantem bonum perseverantiæ &c.

Dextrè intelligendus est Augustinus, quando in peculiari libro copulat gratiam & liberum arbitrium, dicens: *Ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum, in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Item: *Ad gratiam Dei necesse est accedere consensum nostrum, ut bonum nostrum non sit ex necessitate, sed voluntarium. Ergo aliquid quantulumcunque sit facultatis ad res spirituales, tribuendum est libero arbitrio, quod ipsi naturaliter ex prima nativitate insitum sit.* Hoc enim tantùm vult: Deus nobis præscribit agnitionem sui, contritionem, fidem, spem, charitatem, invocationem, obedientiam, &c. Hæc sine motu & actione mentis & voluntatis nec inchoari nec effici possunt. Sine intellectu nemo intelligit, cogitat, judicat: sine voluntate nemo desiderat, expetit, quærit, conatur, luctatur. *Multa*, inquit Augustinus, *homines nolentes agunt, sed credere, nisi volens, nemo potest.* Non verò inde conclusit Augustinus, mentem & voluntatem hominis per se & ex se hoc posse præstare, quod verbum Dei præcipit. Quia verò Deus verbum suum non frustra homini patefacit, addit Augustinus, gratiam Dei hoc, quod natura non potest, efficere & operari in homine. Operatur autem gratia conversionem, non alibi quàm in mente, voluntate, & corde. *Corde* enim creditur. Rom. 10. ex *animo* obeditur. Rom. 6. *mente* agnoscitur salus. Ephes. 1. Non autem ita operatur in voluntate hominis, sicut volvuntur lapides, & impelluntur inanimata; ita ut in spiritualibus mens & voluntas renatorum gratia divina rapiantur, sine motu aliquo voluntatis & mentis, intelligente & voluntario. Inde renati dicuntur spiritualia agnoscere, credere, scire, assentiri, desiderare, conari, luctari: quæ omnia sunt actiones mentis & voluntatis. Non tamen ex suis viribus mens hæc inchoare, nedum præstare potest. Igitur *gratia* hoc facit, illuminans mentem, convertens & mutans voluntatem. Ex ignorantibus facit intelligentes; ex nolentibus volentes. Ita, quod mens non poterat antea ex viribus naturalibus, incipit ex dono & per operationem Spiritus renovationis habere motus & actiones spirituales, intelligendo, cogitando, judicando, desiderando, conando, luctando, volendo, faciendo. Atque hoc est, quod vult Augustinus.

Ita libr. 2. de peccatorum meritis cap. 5. *Non solis votis agendum est, ut non subinferatur ad bene vivendum & moriendum efficacia voluntatis; quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in iis, in quorum natura rationem, voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Ex mox. *Ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigo, nec tantùm ut sit, verùm etiam ut bonum sit, id est, ad facienda mandata Domini convertatur.* Apparet, Augustinum lo-

qui non de voluntate non-renata, sed quæ jam conversa est, & cœpit fieri bona. Omnem efficaciam & facultatem ad actiones spirituales, quam voluntas ad actiones spirituales habet, non illa habet naturaliter ex prima nativitate, sed accepit ex dono & operatione Spiritus renovantis.

Manichæi finxerunt, quosdam homines esse ἀλύτους, hoc est, ita corruptos, ut ne quidem per gratiam Spiritus S. converti & renovari possint. Augustinus de Civ. Dei libr. 14. cap. 11. docet, conversionem fieri, non detractâ substantiâ animæ, vel ullâ ejus parte sublatâ, sed eâ, quæ vitiata fuerat & depravata, sanatâ & correctâ. Contra Julian. libr. 4. cap. 3. Gratia Dei per Jesum Christum, non lapidibus aut lignis pecudibusque præstatur: carent enim subjectis, mente & voluntate; in quibus Deus per verbum & sacramenta agere solet, & in quibus necesse est fieri conversionem.

Pelagius contendebat, ante gratiam conversionis seu renovationis, esse in natura corrupta generositatem aliquam, δύναμιν, inclinationem, habilitatem, dispositionem, facultatem, ad inchoandas & præstandas actiones spirituales. Ita citatur Pelagius libr. de gratia Christi apud August. cap. 18. quod dixit; *Habemus possibilitatem utriusque partis à Deo insitam, veluti quandam radicem fructiferam & fœcundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat & pariat, & quæ possit ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum.*

Lutherus Tomo 1. pag. 236. *Quando sancti Patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis ejus prædicant, quod scilicet verti potest ad bonum per gratiam Dei, & fieri revera liberum, ad quod creatum est.* Et alibi vocat *capacitatem passivam.*

Scripturæ sententiæ variè loquuntur. Vel 1. de libertate naturæ integræ ante lapsum. 2. de ipsa substantia mentis & voluntatis. 3. de qualicunque illa libertate, quam in illis rebus, quæ sensibus aut rationi subjectæ sunt, voluntas adhuc habet. 4. de contingentia in actibus vitiosis. 5. de voluntate, quæ cœpit renovari & liberari. Deo enim operante *τὸ velle*, tunc *volumus.* Et renati habent potestatem ad inchoandas & præstandas actiones spirituales, sed non ex libero arbitrio, sed ἀνωθεν à Spiritu S. 6. In multis locis menti & voluntati hominis aliquid præscribitur & jubetur; qui si non habeat potestatem obediendi, videri possit Deus illudere nostræ calamitati, ac si herus servo, quem videat luxatis pedibus ingredi non posse, multa præcipiat, & minetur extrema, nisi currat. Aut si quis ad cœcum dicat. *Si volueris videre, invenires thesaurum.* Ubi Aug. libr. de gr. & lib. arbitr. cap. 16.
„ Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, Non juberet Deus, quod sciret
„ ab homine fieri non posse. Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus,
„ ut noverimus, quid ab ipso petere debeamus. Ex lege enim præcipiente & prohibente,
„ non est agnitio virtutis & potentiæ nostræ, sed agnitio ἀδυναμίας & depravationis. Et ta-
„ men non frustra jubetur: promittitur enim gratia, quæ operatur, ut velimus & faciamus.
„ & postea. Meminerimus ipsum dicere, *Facite vobis cor novum* &c. qui dicit, Dabo vo-
„ bis cor novum. Quomodo quod dicit, Facite vobis, hoc dicit, Dabo vobis? Quare ju-
„ bet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est? nisi quia dat, quod jubet, & ju-
„ vat ut faciat, cui jubet. Per gratiam enim fit, ut fit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit
„ voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur
„ &c. Et contra 2 epist. Pelag. libr. 2. cap. 10. Nihil in Scripturis homini à Deo video jube-
„ ri, propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonita-
„ te, vel posci propter adjutorium gratiæ demonstrandum.
„ Contra objectionem; Multæ sunt in sacris admonitiones, exhortationes, correptiones,
„ &c.

„ &c. Illæ verò videntur otiosæ & inutiles, si non est in homine facultas quædam naturalis ad
„ actiones spirituales; ita benè August. O homo; in præceptione agnosce, quid debeas ha-
„ bere. In correptione agnosce, tuo te vitio non habere. In oratione agnosce, ut accipias
„ quod vis habere. Et verbum admonens, exhortans, corripiens est medium seu organon,
„ per quod Spiritus S. voluntatem convertit, renovat. Correptiones igitur etiam non-re-
„ natorum non sunt otiosæ. In renatis verò principia donorum, quæ à Spiritu S. accepe-
„ runt, suscitantur, conservantur & augentur per admonitiones & correptiones, ne effun-
„ dantur, sed crescant & augeantur.

„ Synodus Tridentina ita de *Libero arbitrio* definivit sexta Sessione. Si quis dixerit, ad
„ hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo justè vivere ac vi-
„ tam æternum promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia, utrumque, sed
„ ægrè tamen & difficulter possit, anathema sit.

„ Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio ho-
„ minem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gra-
„ tia conferatur, anathema sit.

„ Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil coopera-
„ ri assentiendo Deo excitanti & vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se dis-
„ ponat ac præparet, nec posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omninò
„ agere, mereque passivè se habere, anathema sit.

„ Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum & extinctum esse di-
„ xerit, aut *rem esse de solo titulo*, (NB. hæc fuerunt verba Lutheri.) imò titulum sine re, fig-
„ mentum denique à Satana invectum, anathema sit.

„ Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita
„ ut bona Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè & per se, adeò ut sit
„ ejus proprium opus, non minus proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.

Hæc decreta meris æquivocationibus in vocabulo *liberi arbitrii* ludunt. Sine ordine & distinctione miscent disputationes, de *ipsa substantia voluntatis*, de qualicunque ejus libertate *in externis*, de vitiosis actionibus, & de renovatæ voluntatis libertate.

Andradius *Synodi* sententiam (illius enim pars magna fuit) explicat, quando *suam* nobis communicat. Liberum arbitrium, fatetur, sine inspiratione & auxilio Spiritus, non posse efficere spirituales actiones. Id verò non ideo fieri, ac si mens & voluntas, qualis est in homine ex prima nativitate, ante conversionem, prorsus non habeat ullam potentiam, vires & facultates, ad inchoandas & efficiendas spirituales actiones, sed ideò, quia naturales illæ vires & facultates, licet nec deletæ, nec extinctæ, adeò tamen peccatorum laqueis implicatæ sint, ut homo non possit se propria virtute ab illis explicare. Sicut ille, inquit, qui ferreis soleis devinctus est, habet quidem insitam & innatam incedendi δύναμιν seu potentiam; non tamen potest ea uti, ut in actum prodeat, nisi prius vincula rumpantur, quæ motum reprimunt & retardant.

Secundùm hæc quando Tridentini dicunt, *liberum arbitrium gratia Dei excitanti & adjuvanti libere assentiri & cooperari*, sentiunt in irregenitis ipsis naturaliter adhuc inesse vires seu facultates qualescunque ad spirituales actiones, sed illarum virium motum & usum per peccatum reprimi; gratiam verò Dei non simpliciter efficere & operari in iis, qui renascuntur, novam aliquam δύναμιν, vim, facultatem aut potentiam, quam ante conversionem ex naturæ viribus non habuerint, sed tantùm vincula rumpere, & laqueis illos liberari.

Illa vires naturales, sicubi imbecilliores sunt, sentiunt adjuvari & confirmari per

gratiam. Et ubi non sufficiunt, dicunt novum habitum infundi, qui respectum *meriti* affectat.

Andradius utitur similitudine ægroti, cujus vires morbo fractæ & debilitatæ sunt, ubi Medicus vires adhuc reliquas, licet attenuatas, confirmat & roborat; & si quæ sunt amissæ, restituit.

Alii utuntur similitudine aviculæ, quæ habet & retinet quidem potentiam & facultatem volandi, sed quando funiculo alligata est, non potest usum & motum illius facultatis, quæ naturaliter ipsi inest, exercere; si quis autem rumpat funiculum, is non inserit aviculæ novam volandi δύναμιν, quam antea non habuerit, sed tantùm impedimentum aufert.

Andradius, ubi disputat, *gratiam unà cum viribus liberi arbitrii, habere rationem causæ efficientis eorum quæ ad conversionem pertinent*, hoc utitur simili. Si te rogem, cum ligneam materiam conflagrare cernis, quæ sit conflagrationis illius efficiens causa? ignem dicas necesse est, unà cum Deo naturæ auctore & patrono, qui igni exurendi virtutem suppeditat, & ad operandum cum illo conspirat. Cum igitur nostri liberi arbitrii motio non magis à Dei gratia pendeat, quam à divina virtute stipitis exustio, quid est, quod liberum arbitrium efficientis causæ dignitate & nomine spolies?

Videamus verò, quomodo Canones Concilii ludunt æquivocationibus. Ubi anathema dicunt illis, qui sentiunt, liberum arbitrium post Adæ lapsum amissum & extinctum esse, non explicant, quid vocabulo *liberi arbitrii* intelligant; num ipsam substantiam mentis & voluntatis? num libertatem in rebus externis, aut in vitiosis actionibus? (in quibus manifestum est, liberum arbitrium non esse omninò exstinctum & amissum.) An verò potentiam & efficaciam ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales? aut talem libertatem, quæ æquam habeat potestatem sicut ad mala, ita ad bona.

Verentur id expressis verbis declarare; ideo utuntur artificio æquivocationis.

Quum dicunt, *Tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset, licet viribus attenuatum & inclinatum*, si verba hæc de externa rationis disciplina intelligerent, jam rectè se res haberet; sed hoc intendunt, liberi arbitrii naturales vires, ad res spirituales, licet sint attenuatæ & inclinatæ, minimè tamen vel in Gentibus, vel in Judæis non renatis extinctas esse.

Augustinus ad Bonif. libr. 3. cap. 8. Liberum arbitrium captivatum, non nisi ad peccatum valet; ad justitiam verò nisi divinitus liberatum, adjutumque non valet. In Concilio Arausicano Canone 13. Liberum arbitrium amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi.

Quum dicunt, quia necesse sit hominem assentiri & recipere gratiam, ideo hominem ipsum non omninò nihil agere; & id posset bene intelligi, nisi sensus illorum notus esset. Nam id ipsum velle & posse assentiri, recipere & agere in conversione, sive in rebus spiritualibus, non habet homo ex suis naturalibus viribus, sive ex parte, sive ex toto, sed accipit ab illo, qui operatur velle & facere.

Et hoc indistinctè dicunt, *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, cooperari assentiendo, Deo excitante & vocante.* An liberum arbitrium naturalibus suis viribus cooperatur Deo; ita ut cum Deus operatur in nobis velle & assentiri, naturalis quædam vis seu efficacia veteris hominis cooperetur ad producendum illud velle seu assensum illum? Aut, quando gratia movet & excitat voluntatem, num tunc ex naturalibus viribus voluntatis assensus emergit? Haut certè. *Ut velimus, Deus operatur sine nobis.* Sed id non negamus, acceptis primitiis donorum spiritualium voluntatem esse συνεργὸν Dei.

Quan-

Quando utuntur verbo *adjuvandi*, videntur id eo facere sensu, quo olim Pelagius. Is dicebat, *In omni opere bono hominem semper adjuvari à gratia.* Augustinus libr. 1. cap. 19. ad Bonifac. & libr. 4. cap. 6. *Gratiam adjuvare uniuscujusque bonum propositum.* & ita inde concludebat, Qui adjuvatur, ipse una cum adjuvante aliquid agit & operatur. Benè respondet Augustinus libr. 2. ad Bonif. cap. 9. Hominis bonum propositum *adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia.*

Andradius in Concilio defendit, quod Deus, cum in nobis ortum bonæ voluntatis viderit, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse, confestim illuminat, confortat, &c.

Id quod Lutherus dixit, hominem ad conversionem habere se *merè passivè*, exagitant, ac si Lutherus senserit, Spiritum Sanctum ita operari conversionem, ut in voluntate nulli omninò sequantur novi motus, sed planè sit otiosa & iners, & tantùm brutâ agitatione percellatur & protrudatur. Sed Lutherus cum Scholasticis ita locutus est, qui disputant, quod subjectum recipiens formam aliquam, qualitatem, habitum, actionem, &c. quatenus recipit, habeat se passivè. Esse quædam subjecta, quæ ad productionem formæ, nullam ex se habent nativitatem, sed tantùm recipiunt formam. Illa se merè passivè habere.

Socini sententiam de libero arbitrio videre est in *Prælectionibus Theologicis* cap. 5. „Constare potest, inquit, in homine liberum arbitrium esse, quia in primo homine an„te lapsum id fuit. Nulla enim causa est, cur propter lapsum eo privari debuit. Neque enim „id postulat vel rei ipsius natura, vel patitur Dei justitia. Neque de *pœna* ista, inter ea, quæ „pœnæ loco Deus lapsui illi constituit, ulla fit mentio Gen. 3. Pergit: Sed quæritur, qua„tenus liberum hominis arbitrium extendatur, & quas vires habeat. Dicit, quia in pleris„que hominibus, non quidem propter Adami peccatum, sed quia paulatim degenerarunt, „& se ipsos corruperunt, innata est quodammodo magna ad peccandum proclivitas, & „pravitas quædam, ideò *in plerisque hominibus naturaliter esse exiguas vires, ad ea præ„standa, quæ Dei lex jubet.* Ea autem præstandi *voluntatem in omnibus naturâ* esse „*posse*; atque adeò in *plerisque esse*, nisi peccandi assuetudine factum esset, ut quis ipso „peccato & iniquitate delectetur. Addit: *Vires non ita exiguæ sunt, ut homo Dei ope ac„cedente, si ipsi sibi vim facere velit, legi divinæ parere non possit.* Opem autem suam ne„mini eorum denegat Deus, quibus legem tulit: alioquin non servantes legem nec *repre„hendere*, nec *punire* posset. Neque eam legem tulit Deus, *quam nemo servare possit.* „siquidem lex *ad vitam data est.* Sed tamen eam dedit legem, ad quam servandam *ipsius* „*auxilio* opus foret, ut perpetua causa esset, cur ab ipso penderemus, eumque vitæ & fe„licitatis nostræ auctorem agnosceremus. Hoc verò *auxilium divinum* duplex ait esse, „*externus* & *internus.* Exterius esse *promissiones* alicujus *boni* legi adjunctas; cujus deside„rio permoti homines, legem servandi difficultates superant; vel *minas* alicujus *mali*; ea„rumque & promissionum & minarum *externas confirmationes.* Promissionibus magis „nos adduci ad faciendum, quam minis. Ideò sub Novo Testamento, ubi sunt promissa „præstantiora, *facilius esse* parere legi, quam fuit sub Veteri. Interius auxilium *duplex* esse. „1. Cum Deus id, quod sibi obedientibus promisit, eorum etiam cordibus *quodammodo* „inscribit. 2. Cum ad ipsius *voluntatem* rectè percipiendam, mentem erudit & illustrat. „Illam enim in externo verbo, propter res infinitas, de quibus in humana vita agere & de„liberare contingit, expressè omninò non posse contineri. Ex his duobus inferioribus au„xiliis, prius magis proprium esse Novi Testamenti; posterius verò Veteris. Ut enim in No-

„vo Testamento *vera bona* promissa sunt, sic in Vetere *Dei voluntatem* non ita explicatam „esse, ut in Novo.

„Colligit denique, *Verum auxilium* id esse, quod *exterius* appellavit; cum interius „utriusque generis nil aliud sit, quàm exterioris suggestio quædam & obsignatio: præsertim „verò, cum nemini interius contingat, nisi prius exteriore rectè usus sit. Nisi enim quis, „externas Dei voces audiendo, ejus promissis fidem adhibeat, obsignationem illam eorun„dem promissorum in corde suo per Spiritum Sanctum non accipiet. Credentibus enim „& obedientibus Spiritum Sanctum dari. Act. 5: 32. Eph. 1: 13. Similiter, nisi quis *Dei* „*apertissimam* voluntatem, pro viribus exequi studeat, nunquam *aliquantò occultioris* „cognitionem veram habiturus est, & divina oracula perfectè intellecturus.

„Hucusque dicit se locutum de ordinaria & perpetua Dei voluntate & operatione, in „explicandis auxiliis ejus exteriore & interiore; haut tamen propterea excludere *casus illos*, „in quibus Deus alia etiam ratione hominibus interdum auxiliatur, eorumque mentem & „animum immutat ac renovat, utque sibi obediant, efficit. Neminem enim satis judicia „Dei nosse aut explicare posse.

Ita denique concludit, *In homine etiam post Adami lapsum liberum arbitrium esse, nec vim hanc naturalem ex eo tempore imminutam esse, nisi quatenus homines sæpius peccando peccandi habitum contraxere, & se ipsos corrupere, eamque corruptionem ad posteros, per seminis propagationem, transmisere, atque etiamnum transmutunt.* Hucusque Socinus.

Reliqua ab ultima Cl. Auctoris manu desiderantur.

In Lectionibus Locorum Communium, pag. 243. lin. 29. pro *obdiendo* scribe *odiendo*.